7-a-7 12

Nº

# HIERONYMI
# FASOLI
## COMMENTARIORVM
## IN PRIMAM PARTEM
## S. THOMÆ
## TOMVS SECVNDVS.

R. 1259

# HIERONYMI FASOLI NEAPOLITANI,

E SOCIETATE IESV,

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

In primam partem Summæ D. Thomæ

*COMMENTARIORVM*

## TOMVS SECVNDVS.

*Cum tribus Indicibus locupletiſſimis.*




*LVGDVNI,*

EX OFFICINA ROVILLIANA

Sumptibus Andreæ, Iacobi, & Matthæi Proſt.

*M. DC. XXIX.*

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

REVER^MO ET ILLVSTR^MO DOMINO,

*D. ALPHONSO LVDOVICO*

# DV PLESSIS DE RICHELIEV,

## LVGD. ARCHIEPISCOPO, GALLIARVM PRIMATI,

Conſilij regij, arcani, & publici ſtatus Conſiliario, &c.

*Andreas, Iacobus, & Matthæus Proſt D. D.*

PONTIFEX Ægyptius olim libro inauguratus fuit, (Archipræſul Illuſtriſſime) quem ex ſacrarij Adytis erutum Myſtagogus nouo Antiſtiti verbis ſolemnibus in manus tradebat; hunc ille vti mentis pabulum & dignitatis inſigne mirum quanti faceret; nos longè alia mente librum hunc omni ex parte illo præſtantiorem noſtri in te obſequij certiſſimum argumentum tibi dicamus, vouemúſque. Ille ſuperſtitionis auitæ obſcuris quibuſdam inuolucris refertus erat, iſte religionis orthodoxæ clariſſima ſydera quodam velut orbe perſpicuo complectitur; ſacerdos ille profanus ſplendorem nomini ſuo ab illo ac-

cerſebat, iſte tuo fulgore tuíſque radiis illuſtris in longè diſſitas regiones lucem à te hauſtam diffundet; hîc Dei Præpotentis arcanas, ſublimes & humano captu excelſiores (vt ita loquar) dotes votiua veluti tabula expreſſas videbis, quarum tu velut imago ectypa maximarum virtutum lineamentis ſpeciem ſcitè adumbras; contemplationis enim ſtudio captus aliquot annos iis dotibus animum excoluiſti, quæ non infulas modò Primariæ Galliarum ſedis, ſed & purpuram Eccleſiæ Principum haud ſanè parum illuſtrare poſſint; ſed quemadmodum cœleſtes ſpiritus ab omni labe corporis ſecreti vt Deo ad nutum obſequantur, & nobis prę́ſtò ſint, Aulam regiam deſerunt, ſic tu Summo Pontifici ad hunc apicem dignitatis vocanti vt Chriſti gregem pro ea qua vales & viges ſolertia regendum ſuſciperes, ex præalta felicis otij ſede te deduci paſſus es. Quamobrem vti Lugdunenſium tutelaris genius vrbem iam octauum menſem perculſam & proſtratam tua promotione recreaſti, & aduentu tuo, vti nos certa ſpes tenet, planè eriges ac confirmabis, Lugdunum ab optimi Præſulis obitu, cui ſummo omnium voto ſuffectus es, ſæua lue conflictari cœpit, tuo acceſſu nō tantùm calamitati modus ponitur, ſed & iubar clariſſimum nobis affulgere viſum eſt; diutina vacatione commercij ne penuria laborarent ciues metuebant, ſed tua præſentia opes & animi & corporis vberrimas adipiſcetur; nec enim locus cui præes non niſi diues eſſe poteſt, cùm hoc omen & nomen fauſtum ſpondeat; ſed & ſi fratris tui Cardinalis Illuſtriſſimi beneuolentia nos aſpexerit & aſperſerit velut benigno & vitali influxu perfuſi refloreſcemus; cuius tu ſpeciē & felicitate & in tuos amore egregiè refers; ille cœleſtis ingenij aura rebellionis & erroris halitus tota quàm longè patet Gallia difflauit, tu nubes Lugdunēſium animis & ori ex calamitate proxima affuſas benignitatis luce diſcuties; ille Gallorum tutelaris genius, ſua vigilātia omnibus quietem, ſolertia abundantiam, fortitudine ſecuritatem Patriæ conciliat, tu tanti fratris non minus virtute, quàm felicitate Germanus tuos Lugdunenſes priſtino otio, potentię, & lætitiæ reſtitues. hoc publicum de te votum omnium nomine tibi palàm facimus, ſimúlque pignus obſequij hunc librum offerimus. Faue ergo, viue, & diutiſſimè hanc vrbem fauſtis auſpitiis & infulis rege.

*MVTIVS*

## MVTIVS VITELLESCVS
*Societatis* IESV *Præpoſitus Generalis.*

CVm tomum ſecundum Hieronymi Faſoli in primam partem Summæ S. Thomæ à quæſtione 14. ad 26. aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 20. Februarij. 1625.

MVTIVS VILLESCVS.

## APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE in ſacra Theologia Magiſter, in Sancti Pauli Canonicus, & in Lugdunenſi Archiepiſcopatu Promotor Generalis: fidem facimus nos *Tomum ſecundum R. Patris Hieronymi Faſoli in primam partem S. Thomæ à quæſtione* 14. *ad* 26. vidiſſe; omniáque in eo Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ documentis, Sanctorúmque Patrum ſanæ doctrinæ conformia contineri. Lugduni Nonis Martiis 1629.

DE VILLE.

## FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
*Prouinciæ Lugdunenſis.*

EGo Stephanus Binetus Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Præpoſitus Prouincialis: iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos abſque Superiorum eius permiſſione imprimant, permitto Andreæ, Iacobo, & Matthæo Proſt Lugdunenſibus Bibliopolis, vt opus quod inſcribitur, *P. Hieronymi Faſoli in primam partem ſummæ S. Thomæ à quæſtione* 14. *ad* 26. ad ſex proximos annos imprimere ac liberè diuendere poſſint. Datum Lugduni 13. Martij 1629.

STEPHANVS BINETVS.

INDEX

# INDEX DVBITATIONVM, ET DIFFICVLTATVM, QVÆ IN SINGVLIS QVÆSTIONIBVS, ET ARTICVLIS HVIVS OPERIS continentur.

## QVÆSTIO XIV.
*De ſcientia Dei.*

### ARTICVLVS I.
*Vtrùm in Deo ſit ſcientia.*

CONCLVSIO, & probatio articuli. num. 1. ad 4

### DVBITATIO I.
*An eſſe cognoſcitiuum oriatur ex eſſe immateriali.*

1. Concluſio affirmatiua probatur quinque rationibus. n. 4. ad 9
2. An forma intellecta in actu ſit vnum cum intelligente: & an magis fiat vnum ex intelligente, & intellecto, quàm ex materia, & forma. n. 5. ad 8

### DVBITATIO II.
*Qua ratione in materiali ſit cauſa cognoſcitiui, & ab eo diſtinguatur.*

1. An ſit eius cauſa ſecundùm rem. n. 9. ad 15
2. Soluuntur aduerſariorum argumenta. num. 15. ad 28
3. An implicet ſubſtantia immaterialis, non cognoſcitiua. n. 22. 33

### DVBITATIO III.
*An concluſio affirmatiua articuli alijs rationibus probari poſſit.*

1. Examinantur ſex aliæ rationes Theologorum. n. 28. ad 37
2. An intelligere ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. n. 28. 33. 51. 53

### DVBITATIO IV.
*An in Deo ſit ſcientia perfectiſſima.*

Probatur concluſio affirmatiua. n. 37. ad 40



### DVBITATIO V.
*An ſcientia Dei ſit qualitas, vel habitus, vel actus primus.*

1. Concluſio negatiua propriè loquendo. num. 40. 41. 45
2. An ſaltem impropriè poſſit dici. n. 44. 45

### DVBITATIO VI.
*An tribui Deo poſſit non ſolum intelligere, ſed etiam intellectus.*

1. Non eſſe in Deo intellectum potentialem, nec radicalem. n. 46. ad 58
2. Magis propriè tribui Deo actum intelligendi, quàm potentiam. n. 51. ad 54
3. An potentia intellectiua ſit nobilior actu intelligendi. n. 54. 55

### DVBITATIO VII.
*An in Deo ſit ſcientia vniuerſalis, vel particularis.*

1. Dei ſcientiam non eſſe propriè vniuerſalem, aut particularem. n. 58. ad 63
2. Scientia vnde denominetur vniuerſalis, vel particularis. n. 59. ad 61. & 64
3. Dei ſcientiam impropriè dici poſſe vniuerſalem, & particularem. n. 63

### ARTICVLVS II.
*Vtrùm Deus intelligat ſe.*

Pars ſimpliciter affirmatiua probatur auctoritate, & ratione. n. 1. 2

### DVBITATIO I.
*An Deus intelligat ſe per ſpeciem.*

1. Concluſio affirmatiua probatur, & explicatur. n. 3
2. Huiuſmodi ſpeciem, nec re, nec ratione diſtinctam eſſe ab entia diuina. n. 4. ad 9
3. Cur Deus, & non Angelus dicatur intelligere ſe ipſum, per ſe ipſum. n. 8

DVBITATIO II.

*Quodnam ſit obiectum diuinæ intellectionis.*

1. Dei eſſentiam eſſe diuini intellectus obiectum primarium, adæquatum, & ſolum. n.9.ad 13
2. Cur creaturæ non ſint propriè, & formaliter obiectum diuini intellectus. n.13
3. Cur obiectum intellectus diuini non ſit ens. n.14

ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus comprehendat ſe ipſum.*

1. In quo ſenſu de fide ſit Deum comprehendere ſe ipſum. n.1.2
2. In quo ſenſu idem ſit controuerſum apud Theologos. n.3

ARTICVLVS IV.

*Vtrùm ipſum intelligere Dei ſit eius ſubſtantia.*

1. Qua ratione intelligere Dei ſit ſubſtantia Dei. n.1. ad 4
2. An intelligere ſit vltimum conſtitutiuum eſſentiæ Dei. n.4. ad finem articuli.

ARTICVLVS V.

*Vtrùm Deus intelligat alia à ſe.*

Concluſio affirmatiua probatur auctoritate, & ratione. n.1.ad 5

DVBITATIO I.

*An Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſo, tanquam in medio formaliter cognito.*

1. Concluſio affirmatiua probatur. n.5.ad 22
2. Deus, vt cauſa, an dicat habitudinem ad creaturas. n.18

DVBITATIO II.

*An Deus cognoſcat creaturas in ſe ipſo, tanquam in ſpecie, ſeu ſpeculo.*

1. Concluſio negatiua probatur de cognitione in ſe ipſo, tanquam in ſpecie. n.22.ad 30
2. An ex contraria opinione ſequatur creaturas eſſe obiectum immediatum formaliter diuinæ cognitionis. n.24.ad 29
3. Concluſio negatiua probatur de cognitione in ſe ipſo, tanquam in ſpeculo. n.30

DVBITATIO III.

*Sub qua formali ratione Deus in ſe ipſo obiectiuè videat creaturas.*

1. Non intelligere eas ſub formali ratione ideæ. n.31.32
2. Intelligere ſub formali ratione cauſæ. num.33. ad 37
3. Soluuntur argumenta in contrarium. num.37.ad finem articuli.
4. An ſcientia creaturarum in Deo ſit prior omnipotentia. n.38
5. Quam connexionem habeat omnipotentia cum creaturis. n.41.42
6. Quomodo Deus videat creaturas actuales in ſe ipſo. n.44.45
7. Cur creatura videri poſſit in Deo, non Deus in creatura. n.46.47

ARTICVLVS VI.

*Vtrùm Deus intelligat alia à ſe propria cognitione.*

1. Concluſio affirmatiua probatur, & explicatur per totum.
2. Quid de ea re ſenſerint Ariſtoteles, & Auerroës. n.2

ARTICVLVS VII.

*Vtrùm ſcientia Dei ſit diſcurſiua.*

1. Concluſio negatiua probatur authoritate, & ratione. n.1.ad finem
2. Quotuplex diſcurſus, & quid ſit propriè diſcurrere. n.2.ad 6

ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm ſcientia Dei ſit cauſa rerum.*

1. In quo ſenſu de fide ſit cóclusio affirmatiua. n.1.2
2. Probatur rationibus S.Thomæ. n.3.ad 8

DVBITATIO I.

*Quid ſint ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis.*

1. An ſcientia intelligentiæ latiùs pateat, quàm ſcientia viſionis. n.9.ad 15
2. An ſcientia viſionis ſit de ſolis creaturis. n.15
3. An huiuſmodi ſcientiæ ſint ſpeculatiuæ, vel practicæ. n.16.ad 19.& n.144.ad 150
4. An ſint liberæ, vel neceſſariæ. n.19
5. An intuitiuæ, vel abſtractiuæ. n.20

DVBITATIO II.

*An ſcientia Dei adæquatè diuidatur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis.*

1. Concluſio affirmatiua probatur auctoritate, & ratione. n.21.ad 35
2. An & quomodo ab his diſtinguatur ſcientia approbationis. n.21.26.28.ad 35.& n.114

DVBITATIO III.

*An ſcientia viſionis ſit cauſa rerum.*

1. Concluſio negatiua, eiuſque auctores, & contrarij. n.35.36
2. Probatur ex S.Thoma. n.37.ad 44.
3. Probatur ex antiquioribus Thomiſtis, aliiſque Scholaſticis. n.44.ad 48
4. Probatur ex Patribus. n.48.ad 54
5. Probatur rationibus. n.54.ad 62.& num.101.ad finem articuli.

DVBITATIO IV.

*An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit cauſa rerum.*

1. Sub qua ratione ſcientia ſimplicis intelligentiæ non ſit cauſa rerum. n.63
2. Sub qua ratione ſit. n.62.64.ad 69


DVBI




DVBITATIO V.

*An diuina ſcientia viſionis cauſata ſit à rebus futuris.*

1. In quo ſenſu ſcientia viſionis poſſit, vel non poſſit dici cauſata à futuris. num.69. ad 80.& 86. ad 101.& 135.ad 144
2. Satisfit aduerſariorum obiectionibus. n.80.ad finem articuli.
3. An ſcientia libera ſit cauſa rerum. num.80.ad 86. & n.121
4. An ſcientia ſimplicis intelligentiæ correſpondeat ideæ. n.111.ad 114
5. An ſcientia approbationis, vel viſionis, ſit ſcientia libera. n.122.123
6. Quomodo rei futuræ ſint obiectum ſcientiæ viſionis. n.124.125

ARTICVLVS IX.

*Vtrum Deus habeat ſcientiam non entium.*

Mens S.Thomæ in hoc articulo, quænam ſit. num. 1.2

DVBITATIO I.

*An, & quomodo ſciantur à Deo negationes.*

1. Deum intelligere negationes diſtincto, & explicato conceptu. n.3
2. Non per ſe, & primariò, ſed per aliud, & ſecundariò. n.4

DVBITATIO II.

*An Deus cognoſcat, & formet entia rationis.*

1. Deum non cognoſcere ens rationis, niſi per ordinem ad intellectum noſtrum. num.5.ad finem articuli.
2. Deum non formare ens rationis. n.9

ARTICVLVS X.

*Vtrùm Deus cognoſcat mala.*

Concluſio ſimpliciter affirmatiua, de fide. n.1

DVBITATIO I.

*Per quam ſcientiam Deus mala cognoſcat.*

Quæ mala cognoſcat ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quæ viſionis. n.2.ad 9

DVBITATIO II.

*Qua ratione ſciantur à Deo mala.*

1. Deum ſcire malum per bonum. n.9
2. Deum ſcire malum per bonum creatum, & increatum, diuerſo modo. n.10.ad 14
3. Satisfit obiectionibus aduerſariorum. n.14.ad finem articuli.

ARTICVLVS XI.

*Vtrùm Deus cognoſcat ſingularia.*

Concluſio affirmatiua, de fide.

DVBITATIO XII.

*Vtrùm Deus poſſit cognoſcere infinita.*

1. An infinita Deus ſciat ſcientia viſionis.
2. An Deus poſſit ſucceſſiuè ſcire infinita.

ARTICVLVS XIII.

*Vtrùm ſcientia Dei ſit futurorum contingentium.*

Exponuntur termini controuerſiæ. n.1.ad 4

DVBITATIO I.

*An Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta.*

1. Futura contingentia abſoluta cognoſci ſimpliciter à Deo. n.4
2. Dupliciter cognoſci à Deo. n.5.ad 8
3. An propoſitio de futuro contingenti ſit determinatæ veritatis. n.8
4. Futura contingentia abſoluta Dei cognoſci à Deo, ſimul ab æterno. n.9.ad 13

DVBITATIO II.

*An ſcientia Dei ſtet cum libertate creaturarum.*

1. Concluſio affirmatiua omnium Catholicorum, eiuſque probationes. n.13.ad 17
2. Examinatur primum argumentum articuli. n.17. ad 19
3. Examinatur ſecundum argumentum articuli. n. 19.ad 28
4. Quomodo ſcientia Dei de futuro, ſit neceſſaria. n.18.ad 24
5. An, & quomodo futurum contingens ſit neceſſarium. n.22.ad 31
6. Examinatur tertium argumentum articuli. n.28. ad 31

DVBITATIO III.

*An Deus videat futura contingentia abſoluta propter eorum præſentiam in æternitate.*

1. Concluſio negatiua, eiuſque auctores, & aduerſarij. n.31.ad 34
2. Duplex quæſtionis ſenſus exponitur. num.34. ad 36

DVBITATIO IV.

*Quomodo loquendum ſit de præſcientia rerum in æternitate.*

1. An rectè dicatur, futura eſſe *ſimul* realiter præſentia æternitati. n.36
2. An rectè dicatur, futura eſſe *ſemper* realiter præſentia æternitati. n.37
3. An rectè dicatur, futura *ab æterno* eſſe realiter præſentia æternitati. n.38
4. An rectè dicatur, futura *iam*, vel *nunc* coëxiſtere realiter æternitati. n.39
5. An rectè dicatur, futura *antequam ſint* coëxiſtere æternitati. n.40
6. An ſimpliciter dicere liceat, futura coëxiſtere realiter æternitati. n.40.46

DVBITATIO V.

*An Patres aliquando dixerint, futura, vel præterita coëxiſtere æternitati.*

1. Concluſio negatiua probatur, explicando loca, quæ in contrarium afferuntur. n.41.ad 43
2. Cur Patres negent in Deo præſcientiam. n.41

DVBITATIO VI.

*An idem aliquando dixerit S.Thomas.*

1. Concluſio negatiua probatur explicando loca, quæ in contrarium affert Capreolus. n.43
2. An futura coëxiſtant Æuo, ſicut æternitati. n.44
3. An ita ſe habeat æternitas ad tempora, ſicut immenſitas ad loca. n.45

DVBITATIO VII.

*An præſentia rerum in æternitate ſit ratio videndi illas.*

Concluſio negatiua probatur. n.46.ad 49

DVBITATIO VIII.

*Quid ſenſerit S.Thomas de præſentia, & viſione rerum in æternitate.*

1. S.Thomam nunquam aſſerere, futura eſſe realiter præſentia & coëxiſtere realiter æternitati. n.49
2. S.Thomam nunquam probare diuinam ſcientiam rerum futurarum ex reali illarum præſentia in æternitate. n.50
3. S.Thomam ex æternitate ſolum probare ſcientiæ diuinæ ſimultatem. n.51.ad 54
4. Exponuntur authoritates Scripturæ contra concluſionem tertiæ dubitationis. n.54.ad 60
5. Exponuntur Patrum authoritates. n.60.ad 67
6. An & quomodo in Deo ſit præſciẽtia. n.61.ad 67
7. Cur Deus non ſciat futurum, vt futurum, & præteritum, vt præteritum. n.66
8. Exponuntur authoritates S.Thomæ. n.67.ad 71
9. In quo ſenſu dici poſſit ſciri à Deo futurum, vt futurum. n.68
10. Diluuntur oppoſitæ rationes Gonzalez, Bannes, Aluarez. n.71.ad 84
11. Quomodo æternitas contineat tempus. n.71.72
12. Quomodo res ſint in tota æternitate. n.75
13. Explicatur S.Thomæ exemplum de vidente ſimul tranſeuntes ſucceſſiuè. n.77
14. Explicatur aliud exemplum S.Thomæ de punctis circumferentiæ reſpectu centri. n.78
15. An certitudo ſcientiæ Dei oriatur ex eo, quòd ipſa menſuretur æternitate. n.80.81
16. Soluuntur argumenta Nauarrete, & Nazarij. n.84.ad 99
17. An futura, ante præſentiam obiectiuam, habeant in diuina eſſentia præſentiam eminentialem. n.85
18. An res ſint in æternitate ad modum æternitatis. n.86
19. Æternitas quomodo ſit prior, vel poſterior tempore. n.89
20. An cum præſentia rerum in æternitate ſtet libertas creata. n.93.ad 96

DVBITATIO IX.

*An Deus videat futura contingentia abſoluta in cauſis ſuis.*

1. Concluſio negatiua explicatur. n.99
2. Authores vtriuſque partis. n.100.101
3. Probatur pars negatiua ex S.Thoma. num.102.ad 106
4. Eadem pars negatiua ſuadetur rationibus. n.106.ad 114
5. Determinatio ad vnum an poſſit ſtare cum contingentia. n.107.ad 111
6. Quomodo Deus concurrat cum cauſis liberis, & neceſſariis. n.108.ad 111
7. Quomodo videantur à Deo actus liberi peccaminoſi. n.111.112
8. Satisfit contrariis argumentis. n.114.ad 120
9. An in cauſa moraliter prædeterminata poſſit certò videri liber effectus. n.118
10. An in voluntate informata auxilio efficaci. n.119

DVBITATIO X.

*An futura contingentia abſoluta videat Deus in ideis ſuis.*

1. Concluſio negatiua, eiuſque authores, & aduerſarij. n.120.121
2. Probatur concluſio de ideis, ante decretum. n.122
3. Probatur de ideis, poſt decretum. n.123.124

DVBITATIO XI.

*An futura contingentia abſoluta Deus videat in voluntate ſua libera.*

1 Diſtinguitur in Deo quadruplex libera voluntas. n.125
2. Prima concluſio negatiua, de voluntate generali concurrendi. n.126.ad 129
3. Secunda concluſio negatiua de voluntate generali actus. n.129.ad 137
4. Quid hac de re ſentiat Scotus. n.130.ad 135
5. Quid alij nonnulli Scholaſtici antiquiores. n.135
6. Probatur concluſio rationibus. n.136
7. Tertia concluſio negatiua, de voluntate particulari prædefiniente. n.137.ad 142
8. Decretum prædeterminandi, ante ſcientiam mediam, implicare contradictionem, reſpectu eiuſdem. n.139.ad 141
9. Quarta concluſio negatiua de voluntate particulari promittente, reſpectu mali. n.142.ad 146
10. Occurritur argumentis Zumel. n.146.ad 152
11. An contingentia effectus pendeat à ſola cauſa prima, an etiam à ſecunda. n.147
12. Diluuntur obiectiones Nauarretæ. n.152.ad 175
13. An in decreto prædeterminante poſſit Deus videre actum prædeterminatum. n.153.154
14. Cauſam liberam non determinari ab alio, quàm à ſe ipſa. n.156.ad 159
15. Quid ſit cauſam liberam ſe determinare. n.159.ad 169
16. Quot decreta ſint diſtinguenda in Deo, concurrente cum cauſis liberis. n.170.ad 173
17. An in negatione auxilij efficacis videri poſſit à Deo certò peccatum. n.173
18. Soluuntur argumenta Aluarez. n.175.ad 180
19. Diſſoluuntur rationes Machin. n.180.ad 182

DVBITATIO XII.

*An futura contingentia abſoluta ſciantur à Deo in ſe ipſis.*

1. Concluſio affirmatiua declaratur. n.182
2. Probatur ex S.Thoma. n.183.184
3. Auctores concluſionis. n.185





4. Probatur ex Patribus. n.186
5. Probatur rationibus. n.186.187
6. Soluuntur oppoſitæ rationes. n.188.ad 209
7. Defenditur, & declaratur opinio Suarez, & Vazquez. n.191.ad 200
8. Quomodo libera determinatio pendeat à concurſu Dei. n.202
9. Defenditur Arrubal contra Gonzalez. num.204.ad 208
10. Cur antiqui non agant de ſcientia media. n.208

DVBITATIO XIII.

*An Deus certò ſciat futura contingentia conditionata.*

1. Affirmatiuæ concluſionis authores. n.210.211
2. Quid ſentiant SS.Auguſtinus, & Thomas. n.211.ad 217
3. Prima concluſionis affirmatiuę probatio ex Scriptura. n.217.ad 229
4. Secunda probatio ex Patribus. n.229.ad 237
5. Tertia probatio ex rationibus. n.237.ad 240
6. Diſſoluuntur obiectiones. n.240.ad 262
7. An dici poſſit, ſcientiam conditionatam eſſe eminenter, non formaliter in Deo. num.211.215.& 241
8. In quo ſenſu nonnulli Patres negent præſcientiam conditionatam. n.244.ad 250
9. An, & quomodo veræ ſint propoſitiones conditionales, etiam diſparatæ, & indefinitæ. n.251.ad 256
10. An in conditionalibus, præter veritatem, ſit bonitas conſequentiæ. n.253

DVBITATIO XIV.

*An in Deo ſcientia conditionata ſit ante decretum conditionis, & effectus.*

1. Exponuntur qualitates, & termini totius controuerſiæ. n.262.263
2. An ad connexionem neceſſariam requiratur diſtinctum Dei decretum: an etiam ad connexionem diſparatam. n.265
3. Quot modis decretum Dei prærequiri poſſit ad ſcientiam conditionatam. n.266
4. An in quolibet futuro conditionato neceſſarium ſit decretum conditionis, actu in re. n.267. An etiam decretum effectus. n.268

DVBITATIO XV.

*An ſcientia Dei conditionata prærequirat decretum connexionis in materia neceſſaria, & diſparata.*

1. Prima concluſio negatiua, de conditionalibus in materia neceſſaria. n.269.ad 272
2. Secunda concluſio affirmatiua in materia diſparata. n.272.ad 275
3. Quæ mutatio in obiecto neceſſaria ſit ad liberum Dei decretum. n.273.274

DVBITATIO XVI.

*An decretum connexionis prærequiratur actu realiter in conditionalibus liberis ordinatis.*

1. Proponitur, & explicatur concluſio negatiua. n.175.276
2. Reiiciuntur aliquæ concluſionis probationes. n.277.278
3. Probabilior concluſionis ratio. n.279.ad 282



4. Reſpondetur ad obiectiones. n.282

DVBITATIO XVII.

*An decretum connexionis prærequiratur, ſaltem obiectiuè, ad ſcientiam conditionatam contingentium ordinatorum.*

1 Concluſio negatiua, eiúſq; auctores. n.283.ad 320
2. Quid ſentiant Henriquez, Lorca, & Zumel. n.284.ad 287
3. Quid Sotus. n.287.ad 294
4. Quid Driedo. n.294.ad 298
5. Quid Ricardus Taper. n.298.ad 301
6. Quid Thomas VValdenſis. n.301.ad 306
7. Quid Marſilius. n.306.307
8. Quid Ochamus, & Gabriel. n.308.309
9. Quid Ariminenſis, & Argentina. n.310.311
10. Quid Ægidius, & Arboreus. n.312.ad 315
11. Quid alij, præſertim Scotus, & Corduba. n.315.ad 320
12. Decretum prædeterminandi impugnatur primò ex Scriptura. n.320.ad 330
13. Impugnatur ſecundò ex Patribus. n.330.ad 342
14. Quid de eo ſenſerit S.Thomas. n.342.ad 369
15. Impugnatur decretum prædeterminans materialem entitatem peccati. n.369.ad 385
16. Decretum hoc pugnare cum libertate. num.385.ad 404
17. Contraria argumenta diſſoluuntur. num.404.ad 447
18. An voluntas libera determinetur à ſe ipſa. n.409.ad 413
19. Explicatur neceſſitas obiecti ſcientiæ conditionatæ ante decretum. n.415
20. Quomodo futura contingentia conditionata pendeant à voluntate Dei. n.416.ad 419
21. Declaratur diuerſitas opinionum huius controuerſiæ. n.419.420
22. Præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ. n.421.422
23. Quomodo Deus in ſe ipſo videat futura conditionata. n.426
24. De mente Sanctorum Auguſtini, Proſperi, & Hilarij, in materia de prædeſtinatione, contra Maſſilienſes. n.431.ad 437

DVBITATIO XVIII.

*An ad præſcientiam conditionatam neceſſarium ſit, Deum ſcire futurum aliquod ſuum decretum.*

1. Ad ſcientiam conditionatam non eſſe neceſſarium aliquod Dei decretum, abſolutè futurum. n.447
2. Libera Dei decreta habere aliquam rationem futuri. n.448.449
3. Per ſcientiam conditionatam neceſſe eſt ſcire decreta conditionatè futura. n.450
4. Argumenta contraria diluuntur. n.451.ad 462

DVBITATIO XIX.

*Quænam ſit Deo ratio cognoſcendi futura contingentia conditionata.*

1. De ratione cognoſcendi, ex parte cognitionis. n.463.464
2. De ratione cognoſcendi, ex parte cognoſcentis. n.465
3. De ratione cognoſcendi, ex parte obiecti. n.466

4. Satisfit argumentis in contrarium. 466.ad 475
5. De veritate determinata futuri conditionati.467. 468.& 472

DVBITATIO XX.

*An ſcientia conditionalium verè ſit, & rectè dicatur ſcientia media.*

1. Declarantur termini quæſtionis. n.475.476
2. An ſit media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,& viſionis. n.477.ad 484
3. Scientiam mediam concedi etiam à Crabera, Aluarez,Nazario,& Gonzalez. n.482
4. Scientia conditionalium multo magis participat de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quàm de ſcientia viſionis. n.482
5. In aliquo ſenſu ſcientiam conditionalium eſſe ſcientiam viſionis tantum. n.483
6. An ſit media inter ſcientiam naturalem, & liberam. n.484.ad 487
7. Scientiam mediam inter naturalem, & liberam, eſſe etiam ab aduerſariis neceſſariò admittendam. n.487
8. Scientiam mediam eſſe magis naturalem, quàm liberam. n.488
9. Occurritur contrariis argumentis.n.489.ad 507
10. Futurum conditionatum differre ab abſoluto,& poſſibili. n.489
11. An detur medium inter naturale, & liberum. n.490
12. Qua ratione ſcientia Dei ſit libera, & à nobis pendeat. n.495.496
13. An Deus ad actus liberos concurrat per voluntatem conditionatam. n.497.ad 500
14. Sententiam de ſcientia media non eſſe nouam; nec periculoſam. n.500.ad 507

DVBITATIO XXI.

*An ſcientia media præſupponat, aut cauſet aliquam infallibilitatem in obiecto ſuo.*

1. Traditur diſtinctio terminorum. n.507
2. Præſupponere infallibilitatem conditionatã ſimpliciter, non ex parte voluntatis,neque ex parte conditionis, ſed ex parte effectus. num.508. ad 511
3. Non præſupponere infallibilitatem conditionatam ex ſuppoſitione. n.511.ad 514
4. Cauſare extrinſecè ſummam infallibilitatem in cauſa libera, & in antecedente conditione. n.515.ad 518
5. Infallibilitatem,prouenientem ex ſcientia media, antecedere futurum abſolutum. num.518. ad 523
6. Differentia inter infallibilitatem ex ſuppoſitione ſcientiæ,& ex ſuppoſiione effectus. num.519. 520
7. Quo ordine concipiendi ſint actus diuini. n.521

DVBITATIO XXII.

*Quem vſum habeat ſcientia media.*

1. Scientiam mediam eſſe neceſſariam, etiam ſine vllo vſu. n.523
2. Eſſe etiam neceſſariam ad concordiam libertatis creatæ cum actibus diuinis. n.524.ad 529
3. Satisfit contrariis rationibus. num.529.ad finem articuli.
4. Per ſcientiam mediam non tolli prædeſtinationem. n.540
5. Quo modo præfinitio ſit, vel non ſit neceſſaria. n.542

ARTICVLVS XIV.

*Vtrùm Deus cognoſcat enuntiabilia.*

1. Quo modo ſumantur enuntiabilia. n.1
2. Prima concluſio ſimpliciter affirmatiua, de fide. n.2
3. De modo, quo Deus ſciat enuntiabilia. n.3

ARTICVLVS XV.

*Vtrùm ſcientia Dei ſit variabilis.*

1. Declaratur ſenſus quæſtionis. n.1
2. Non eſt variabilis,quoad intrinſeca. n.2
3. Non eſt variabilis, reſpectu obiecti primarij. n.3
4. Non, reſpectu obiecti ſecundarij poſſibilis. n.4
5. Non, reſpectu obiecti ſecundarij actualis. n.5
6. Quo modo loquendum ſit in hac materia. n.6.ad finem articuli.
7. An Deus poſſit plura ſcire, quàm ſciat. num. 7.8
8. An Deus antea neſciat, & poſtea ſciat. n.8
9. An quicquid Deus ſciuit, ſciat. n.9
10. An in noſtra libera poteſtate ſit, vt Deus videat potius hunc actum liberum, quàm alium. n.10
11. An nos poſſimus mutare ſcientiam Dei. n.11

ARTICVLVS XVI.

*Vtrùm Deus de rebus habeat ſcientiam ſpeculatiuam.*

Probatur doctrina articuli.

---

QVÆSTIO XV.

*De Ideis.*

ARTICVLVS I.

*Vtrùm Ideæ ſint.*

1. Probatur concluſio affirmatiua. n.1
2. Ideam non eſſe creaturam. n.2.ad 5
3. Quæ diſtinctio neceſſaria ſit inter Ideam,& Ideatum. n.3
4. Ideam non eſſe eſſentiam, ſub ratione obiecti *vt quod.* n.5.6
5. Ideam non eſſe verbum, contra Bannes, & Zumel. n.6
6. Ideam eſſe eſſentiam diuinam, vt cognitam. n.7.8

ARTICVLVS II.

*Vtrùm ſint plures Ideæ.*

1. Probatur concluſio affirmatiua. n.1.2
2. An reſpectus Ideæ, ſit Dei ad creaturam,vel creaturæ ad Deum. n.3
3. An reſpectus Ideæ, ſit ens rationis factum ab intellectu diuino. n.4





ARTICVLVS III.

*Vtrùm omnium, quæ cognoſcit Deus ſint Ideæ.*

1. Non dari Ideam Dei. n.1
2. Non dari Ideam filij, & Spiritus ſancti. n.2.3
3. Quæ ſit neceſſitas ponendi Ideas in Deo. n.3
4. Dari ideas actualium, & poſſibilium. n.4.5
5. Quæ differentia ſit inter ideam actualium, & poſſibilium. n.6
6. Dari ideas indiuiduorum,generum,& ſpecierum. n.7.ad 10
7. An dentur ideæ accidentium. n.10.11
8. Non dari ideam mali. n.12
9. An detur idea materiæ primæ. n.13.14

---

QVÆSTIO XVI.

*De veritate.*

ARTICVLVS I.

*Vtrùm veritas ſit tantùm in intellectu.*

Diſtinguitur, & dari probatur, duplex veritas. n.1.2

DVBITATIO I.

*Quid ſit veritas propria operationum intellectus.*

1. Non eſt conformitas rei, ſecundùm ſe, cum eadem re,vt cognita. n.3.4
2. Non eſt conformitas rei, vt cognitæ, cum re, ſecundùm ſe. n.5
3. Eſt conformitas cognitionis cum obiecto. n.6. ad 10
4. An veritas intellectiua ſit etiam in ſpecie intelligibili. n.8
5. Eſt conformitas cognitionis cum obiecto ſecundùm ſe. n.10
6. Soluuntur contraria argumenta. n.11.ad 21
7. De veritate cognitionis diuinæ. n.15
8. De veritate, & falſitate cognitionis entium rationis. n.16.17
9. De veritate ſecundæ operationis. n.20

DVBITATIO II.

*Quid ſit illa conformitas, in qua ſita eſt ratio veritatis intellectiuæ.*

1. Non eſt ipſemet actus. n.21
2. Eſt aliqua relatio addita actui. n.22.ad 25
3. Aliquando eſt relatio rationis. n.25
4. Aliquando eſt relatio realis. n.26
5. Satisfit oppoſitis rationibus. n.27.ad 30

DVBITATIO III.

*An detur formaliter in rebus alia veritas tranſcendentalis.*

1. Declaratur titulus dubitationis. n.30
2. Pars affirmatiua probatur ex Ariſtotele,& S.Thoma. n.31
3. Impugnatur contraria opinio Caietani, & Vazquez. n.32
4. Contraria argumenta ſoluuntur. n.33.ad 37

DVBITATIO IV.

*An veritas tranſcendentalis conſiſtat in aliquo negatiuo.*

1. Refertur opinio Aureoli, & ratio Capreoli contra illam. n.37
2. Impugnatur prædicta ratio, & oſtenditur,puritatem eſſe priorem conformitate. n.38
3. Aliter impugnatur opinio Aureoli. n.39

DVBITATIO V.

*An poſitiuus veritatis tranſcendentalis conceptus ſit abſolutus, vel reſpectiuus.*

1. Non eſt abſolutus diſtinctus ab ente. n.40
2. Non eſt abſolutus identificatus cum ente. n.41
3. Eſt formaliter reſpectiuus. n.42
4. Opinio Suarez refertur, & impugnatur. n.42. 43

DVBITATIO VI.

*Quiſnam ſit veritatis tranſcendentalis terminus.*

1. Omnem veritatem terminari ad rationem menſuræ. n.44.47
2. Non omnem conformitatem eſſe veritatem.n.45
3. Subiectum veritatis non eſſe menſuram,ſed menſuratum. n.46
4. Veritatem non terminari ad principia intrinſeca. n.47.48
5. Terminari ad aliquem intellectum. n.49
6. Non terminari ad intellectum creatum. n.50
7. Terminari ad intellectum diuinum. n.51
8. Oppoſitæ rationes diſſoluuntur. n.52.ad 59
9. An veritas ſuſcipiat magis,& minus. n.54
10. Quomodo intelligibilitas ſpectet ad veritatem. n.57

DVBITATIO VII.

*An prædicta veritatis tranſcendentalis relatio, ſit realis, vel rationis.*

1. Non eſſe realem,ſed rationis. n.59.60
2. Occurritur contrariis argumentis. n.61.ad 69
3. Quo modo verum pertineat ad obiectum intellectus,& bonum ad obiectum voluntatis. n.64

DVBITATIO VIII.

*An veritas ſit in ſolo intellectu, vel etiam in rebus.*

1. Veritas in repræſentando eſt formaliter in intellectu; cauſaliter in rebus, reſpectu intellectus creati; quaſi cauſaliter in diuina eſſentia, reſpectu intellectus diuini. n.69
2. Veritas in eſſendo eſt formaliter in omni re. n.70
3. Tamen principalius eſt in intellectu diuino,n.71.
4. Quomodo in ratione veri ſe habeant diuina eſſentia,& diuinus intellectus. n.71.72
5. Diluuntur tres obiectiones. num.73. ad finem articuli.

ARTICVLVS II.

*Vtrùm veritas ſit in intellectu componente, & diuidente.*

Exponuntur termini propoſitæ controuerſiæ. n.1

DVBITATIO I.

*An veritas, & falſitas reperiantur in prima operatione intellectus creati.*

1. Diſtinguitur, & declaratur duplex operatio prima; incomplexa, & complexa. n.2
2. Probatur prima operatio complexa. n.3
3. Dari veritatem in prima operatione ſimpliciter. n.4.ad 7
4. Prædictam veritatem eſſe diſtinctam à tranſcendentali. n.7.8
5. Non dari falſitatem in prima operatione incomplexam. n.9.10
6. Dari falſitatem in prima operatione complexa. n.11.ad 14.

DVBITATIO II.

*In quo conſiſtant veritas, & falſitas ſecundæ operationis.*

1. Aliquam peculiarem veritatem repræſentatiuam ponendam eſſe in ſecunda operatione. n.14
2. Quid ſit iſta peculiaris veritas. n.15.ad 18
3. Soluuntur argumenta contraria. n.18. ad finem articuli.
4. Quomodo in ſecunda operatione ſit etiam falſum, vt in cognoſcente. n.18
5. An, & quomodo ſecunda operatio ſit reflexa. n.19.20
6. Cur propriè loquendo dicatur, verum eſſe tantum in intellectu, & in ſecunda operatione. n.21

ARTICVLVS III.

*Vtrùm verum, & ens conuertantur.*

1. Probatur pars ſimpliciter affirmatiua. n.1.2
2. Diuerſa ratione conuerti cum ente verum, quod eſt in rebus, & verum, quod eſt in intellectu. n.3
3. Verum tranſcendentale conuerti cum ente denominatiuè, non eſſentialiter. n.4
4. Quid in recto, & primariò importet verum. n.5. ad 8
5. Reſpondetur ad contraria motiua Capreoli. n.8

ARTICVLVS IV.

*Vtrùm bonum ſecundùm rationem ſit prius, quàm verum.*

1. Probatur verum eſſe prius bono. n.1.2
2. Probatur verum eſſe poſterius vno. n.3
3. Soluitur ratio in oppoſitum. n.4

ARTICVLVS V.

*Vtrùm Deus ſit veritas.*

1. Probatur ex Scriptura Deum eſſe verum, & veritatem ipſam. n.1
2. Quæ veritas, & in quo ſenſu prædicetur, cum dicitur, Deus veritas, & prima veritas. n.1.2

ARTICVLVS VI.

*Vtrùm ſit vna ſola veritas, ſecùndùm quam omnia ſunt vera.*

1. Veritates intellectuales eſſe multas. n.1
2. Quomodo res omnes ſint tranſcendentaliter veræ vna veritate. n.2.3.4

ARTICVLVS VII.

*Vtrùm veritas creata ſit æterna.*

1. Veritatem non eſſe æternam ſine intellectu æterno. n.1
2. Veritatem creatam non eſſe æternam, reſpectu intellectus creati. n.2
3. Sed reſpectu intellectus increati. n.3.4

ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm veritas ſit immutabilis.*

1. Eſſe immutabilem veritatem intellectus diuini. n.1
2. Eſſe mutabilem veritatem intellectus creati. n.2
3. Reſpectu intellectus noſtri, non Dei, res mutari de veritate in falſitatem. n.3

QVÆSTIO XVII.

*De falſitate.*

ARTICVLVS I.

*Vtrùm falſitas ſit in rebus.*

1. De ſubiecto veri, & falſi philoſophandum proportionaliter. n.1.2
2. Rerum falſitas eſt reſpectu intellectus humani, non diuini. n.3.12
3. Cur res falſæ dicantur non entia. ibid.
4. Non dari falſitatem tranſcendentalem intrinſecè in omnibus rebus, ſed extrinſecè tantum. n.4
5. Falſitatis cauſa non ſolum eſt rerum ſimilitudo, ſed ipſarum diſſimilitudo, licet diuerſa ratione. n.5
6. Res quomodo dicantur à S.Thoma, *Falſæ ſecundùm id, quod eis non ineſt.* n.6
7. Quomodo verum, & falſum ſint circa idem. n.7
8. Falſitas tranſcendentalis, eſt potius falſitas per modum ſignificati, quàm per modum cauſæ. n.8
9. In rebus artificialibus poteſt eſſe intrinſeca falſitas in eſſendo. n.9
10. An falſitas ſit paſſio entis. n.10
11. An falſitas præſupponat veritatem. ibid.
12. Res artefactæ in eo ſunt falſæ, in quo deficiunt ab idea artificis. n.11

ARTICVLVS II.

*Vtrùm in ſenſu ſit falſitas.*

1. Exponitur ſenſus quæſtionis. n.1
2. Falſitatem non eſſe in ſenſu, vt in cognoſcente. n.2
3. Falſitatem ſimpliciter eſſe in ſenſu, non tamen circa propria ſenſibilia. n.3.ad 8
4. Senſum ſæpe falli circa ſenſibilia communia, & per accidens. n.8. ad finem articuli.

ARTICVLVS III.

*Vtrùm falſitas ſit in intellectu.*

1. Non eſt in prima operatione intellectus incomplexa. n.1
2. Eſt in prima operatione complexa. n.2
3. Eſt in ſecunda operatione. n.3





ARTICVLVS IV.

*Vtrùm verum, & falſum ſint contraria.*

Concluſio affirmatiua declaratur, & probatur.

QVÆSTIO XVIII.

*De vita Dei.*

ARTICVLVS I.

*Vtrùm omnium naturalium rerum ſit viuere.*

1. Probatur concluſio negatiua. n.1
2. Quomodo moueantur grauia, & leuia. num.2.ad finem articuli.

ARTICVLVS II.

*Vtrùm vita ſit quædam operatio.*

Quid ſignificet nomen vitæ.

ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deo conueniat vita.*

1. Conuenire propriiſſimè. n.1.2
2. Solum Deum eſſe vitam per eſſentiam. n.3

ARTICVLVS IV.

*Vtrùm omnia ſint vita in Deo.*

Concluſio affirmatiua declaratur, & probatur.

QVÆSTIO XIX.

*De voluntate Dei.*

ARTICVLVS I.

*Vtrùm in Deo ſit voluntas.*

1 Probatur concluſio affirmatiua. n.1.2
2. An voluntas Dei dici poſſit appetitus. n.3
3. In Deo non eſt formaliter virtuale principium volitionis. n.4.ad 8
4. An in Deo ſit ſaltem appetitus innatus. n.8.9

ARTICVLVS II.

*Vtrùm Deus velit alia à ſe.*

1. Deus vult ſe, & alia à ſe, ſecundum proprium eſſe. n.1.ad 5
2. Obiectum formale diuinæ voluntatis eſt bonitas increata. n.5.6
3. Differentia inter liberalitatem Dei, & creaturarum. n.7
4. Qua ratione in diuina voluntate diſtingui poſſint multæ virtutes. n.8

ARTICVLVS III.

*Vtrùm, quicquid Deus vult, ex neceſſitate velit.*

DVBITATIO I.

*An Deus ex neceſſitate velit ſe ipſum.*

1. Probatur concluſio affirmatiua de neceſſitate ex parte ſubiecti. n.1
2. Deum omnimoda neceſſitate amare ſe ipſum. n.2

DVBITATIO II.

*An Deus ex neceſſitate velit res poſſibiles.*

1. Amor Dei inefficax erga poſſibilia eſt neceſſarius. n.3.4
2. Eadem ratio eſt de hoc amore, & de viſione poſſibilium. n.4.5
3. An poſſibilia tantam habeant neceſſitatem, quantam habet Deus. n.6.ad 9

DVBITATIO III.

*An Deus ex neceſſitate velit res actuales.*

1. Concluſio negatiua probatur auctoritate, & ratione. n.9.ad 12
2. Soluuntur multa argumenta contraria. num.12. ad 21
3. An potuerit Deus nihil velle extra ſe. n.14
4. An velle Dei liberum dici poſſit contingens. n.15
5. An voluntas diuina circa res nunquam futuras habuerit ſe negatiuè. n.16
6. An, & quomodo diuina voluntas determinetur. n.17
7. An Deus ſit omniuolens, ſicut eſt omnipotens, & omniſciens. n.18.ad 21

DVBITATIO IV.

*Quid formaliter importet velle Dei liberum in actu primo.*

1. Explicantur termini controuerſiæ. n.21
2. Refertur & impugnatur Aureoli ſententia de voluntate Dei libera. n.22.ad 27
3. Velle liberum in actu primo eſſe in Deo realem perfectionem, ratione diſtinctam à velle neceſſario. n.27
4. Soluuntur argumenta Aureoli. n.28.ad 32

DVBITATIO V.

*An velle Dei liberum in actu ſecundo, ſupra velle neceſſarium, & liberum in actu primo, addat aliquid contingens.*

1. Probatur addere ſimpliciter aliquid. n.33
2. Probatur addere aliquid contingens. n.34.35
3. Soluuntur oppoſitæ rationes. n.36.37

DVBITATIO VI.

*An idem velle addat poſitiuum reale, Deo intrinſecum.*

1. Concluſio negatiua contra Caietanum probatur primò authoritate. n.38
2. Probatur ſecundò ratione Aureoli. n.39
3. Probatur tertiò multis aliis rationibus. n.40


4. Satisfit

4. Satisfit obiectionibus. n.41.ad 46
5. Impugnatur ſententia Fonſecæ,& Salas,de modo ſuperaddito, & indiſtincto. n.44
6. Magis repugnat Deo volitio libera realis, quàm realis relatio ad creaturas. n.45

DVBITATIO VII.

*An addat relationem rationis.*

1. Concluſio negatiua,& auctores vtriuſque partis. n.46
2. Altera concluſionis ratio efficax, altera inefficax. n.48.49
3. Differentia, & conuenientia volitionis liberæ, & ſcientiæ viſionis. n.50

DVBITATIO VIII.

*Quid tandem ſit illud, quod velle Dei liberum in actu ſecundo addit ſupra velle neceſſarium, & liberum in actu primo.*

1. Quæ ſint certa apud omnes in hac controuerſia. n.51
2. Probatur, & explicatur libertas diuinæ voluntatis, per habitudinem ad extrinſeca, abſque vllo intrinſeco ſuperaddito. n.52.ad 56
3. Soluuntur contraria argumenta. n.56.ad finem articuli.
4. Qualis ſit in Deo denominatio amantis,& ſcientis creaturas futuras. n.58.59
5. Refertur, & reiicitur opinio Gonzalez, de determinatione actuali libera realiter exiſtente in Deo. n.65.ad 69
6. An & quomodo mutari debeat obiectum, cum Deus de non volente, ſit volens. n.69.ad 72
7. An Deus poſſit in tempore incipere velle,& ſcire. n.72.73

ARTICVLVS IV.

*Vtrùm voluntas Dei ſit cauſa rerum.*

Concluſio affirmatiua probatur auctoritate, & rationibus. n.1.2

DVBITATIO I.

*An res cauſentur à voluntate Dei immediatius, quàm à ſcientia.*

1. Explicatio quæſtionis, & auctores vtriuſque partis. n.3
2. Fundamentum concluſionis affirmatiuæ. n.4
3. Occurritur argumentis contrariis. n.5.ad 9
4. Declaratur modus, quo diuinus intellectus concurrit. n.7.8

DVBITATIO II.

*An cum ſcientia media ſtet immediatus concurſus diuinæ voluntatis ad actiones noſtras liberas.*

1. Concluſio affirmatiua, & aduerſariorum deceptio. n.10
2. Soluuntur argumenta Gonzalez contra Suarez, Molinã, Arrubal, Vazquez. n.11.ad finẽ articuli.

ARTICVLVS V.

*Vtrùm voluntatis diuinæ ſit aſſignare aliquam cauſam.*

1. Nullum bonum, ne increatum quidem, eſt finalis cauſa diuinæ voluntatis. n.1.ad 4
2. Bonum increatum eſt diuinæ voluntatis cauſa finalis virtualiter, formaliter verò ratio finalis; non autem bonum creatum. n.4

DVBITATIO VNICA.

*An Deus velit vnam creaturam propter aliam.*

1. Probatur,& declaratur concluſio affirmatiua. n.5. ad 8
2. Creatura reſpectu diuinæ voluntatis, eſt ratio finalis; non motiua, ſed purè terminatiua. num. 6.7
3. Vna creatura eſt ratio finalis terminatiua, propter quam diuina voluntas actiuè terminetur ad aliam. n.8.ad finem articuli.

ARTICVLVS VI.

*Vtrùm voluntas Dei ſemper impleatur.*

DVBITATIO I.

*Quid in hac materia de re ipſa ſentiendum ſit.*

1. Semper impleri voluntatem abſolutam. num. 1.2
2. Dari voluntatem beneplaciti conditionatam, quæ non ſemper impletur. n.3.ad 10
3. Latè explicatur illud primæ ad Timoth.2. *Deus vult omnes ſaluos fieri.* n.6.ad 10
4. Soluuntur argumenta Gonzalez contra Molinam, Vazquez, Suarez. n.10.ad 14

DVBITATIO II.

*Quomodo loquendum ſit in eadem materia.*

1. Voluntas antecedens non impletur, conſequens impletur. n.14
2. Vtraque voluntas eſt beneplaciti,& de bono tantum,& cur ita dicantur. n.15.ad 20
3. Voluntas antecedens, eſt reſpectu ſalutis; conſequens, eſt etiam reſpectu damnationis. n.20.ad finem articuli.

ARTICVLVS VII.

*Vtrùm voluntas Dei ſit mutabilis.*

1. Concluſio negatiua probatur auctoritate. n.1
2. Exponitur ratio articuli. n.2.3
3. Alia quorumdam ratio confutatur. n.4
4. An velle, poſt non velle, ſit immediatè mutatio moralis. n.5.ad 12
5. An ſit immediatè mutatio phyſica. n.6.& 12
6. Deum non poſſe mutare decreta ſua. n.14

ARTICVLVS VIII.

*Vtrùm voluntas Dei neceſſitatem rebus imponat.*

1. Concluſio negatiua de neceſſitate abſoluta. n.1
2. Concluſio affirmatiua de neceſſitate conditionali. n.2

DVBI



DVBITATIO I.

*An, & quomodo voluntas Dei cauſet modum operandi neceſſariò, & contingenter.*

1. Operari liberè, cauſatur à diuina voluntate. n.3
2. Quomodo cauſetur. n.4.6
3. De radice contingentiæ. n.5

DVBITATIO II.

*An, ſi voluntas Dei eſſet neceſſaria, poſſent cauſæ ſecundæ operari contingenter.*

1. Titulus dubitationis exponitur. n.7
2. Si Deus non eſſet liber, creatura non eſſet libera. n.8
3. Si Deus ageret neceſſariò, creatura libera non poſſet liberè agere. n.9
4. Si Deus præſtaret neceſſariò eundem concurſum, quem de facto liberè præſtat, creatura libera ageret liberè. n.10

ARTICVLVS IX.

*Vtrùm voluntas Dei ſit malorum.*

DVBITATIO I.

*An Deus velit mala, vt mala.*

1. Concluſio negatiua de actu voluntatis per modum proſequutionis. n.1.2
2. Concluſio affirmatiua de actu voluntatis per modum fugæ. n.2.3

DVBITATIO II.

*An Deus velit mala naturæ, & pœnæ.*

1. Mala naturæ, & pœnæ Deus non vult per ſe. n.4
2. Eadem mala Deus vult per accidens. num.4.5.6

DVBITATIO III.

*An Deus velit mala culpæ.*

1. Deus mala culpæ, nec vult per ſe, nec per accidens. n.7.8
2. Deus mala culpæ, nec vult eſſe, nec fieri. num.9.10
3. Quomodo velit Deus entitatem materialem peccati. n.11.12

ARTICVLVS X.

*Vtrùm Deus habeat liberum arbitrium.*

1. Probatur concluſio affirmatiua.
2. Quæ contingentia conueniat diuinæ voluntati.
3. Liberum Dei arbitrium, ad quæ ſe extendat.
4. Qualis ſit libertas ad peccandum.

ARTICVLVS XI.

*Vtrùm ſit diſtinguenda in Deo voluntas ſigni.*

Probatur, & explicatur concluſio affirmatiua.

ARTICVLVS XII.

*Vtrùm conuenienter circa diuinam voluntatem ponantur quinque ſigna.*

1. Quæ ſint ſigna diuinæ voluntatis.
2. Quando circa voluntatem ſigni, ſit, vel non ſit voluntas beneplaciti.
3. In quo diſtinguantur voluntas ſigni, & beneplaciti.

QVÆSTIO XX.

*De amore Dei.*

ARTICVLVS I.

*Vtrùm amor ſit in Deo.*

1. Actum amoris eſſe propriè in Deo. n.1
2. An ſit amor concupiſcentiæ. n.2

DVBITATIO VNICA.

*An alij voluntatis actus ſint propriè in Deo.*

1. Traditur regula generalis. n.3
2. Gaudium, & delectationem eſſe propriè in Deo. n.3
3. Triſtitiam, & dolorem non eſſe propriè in Deo. n.4.5
4. Neque ſpem, & deſiderium. n.6.7
5. Neque timorem, & pœnitentiam. n.8.9
6. Neque inuidiam, & iram. n.10.11
7. An in Deo ſit propriè odium, ſaltem peccati. n.12.13

ARTICVLVS II.

*Vtrùm Deus omnia amet.*

1. Deum amare res exiſtentes. n.1
2. Deum, & creaturam amare oppoſito modo. n.2
3. Deum amore amicitiæ amare ſolos electos. n.3
4. Quo amore Deus amet creaturas irrationales. n.4.5
5. Quo modo Deus amet, & odio habeat peccatores, & peccatum. n.6

ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus æqualiter diligat omnia.*

1. Deum amare æqualiter, ex parte actus. n.1
2. Inæqualiter, ex parte boni voliti. n.2
3. Cur dicatur Deus magis amare vnum, quàm aliud; non autem magis intelligere, aut velle. n.3.4

ARTICVLVS IV.

*An Deus ſemper magis diligat meliora.*

1. Probatur pars affirmatiua. n.1
2. Chriſtum, etiam ſecundùm humanitatem, diligi ſuprà omnes creaturas. n.2.3
3. An Deus magis diligat Angelum, quàm hominem. n.4
4. An magis innocentem, quàm pœnitentem. n.5

5. An

5. An magis peccatorem prædeſtinatum, quàm iuſtum præſcitum. n.6
6. An magis Apoſtolum Ioannem, quàm Petrum. n.7


## QVÆSTIO XXI.

### *De iuſtitia, & miſericordia Dei.*

#### ARTICVLVS I.

*Vtrùm in Deo ſit iuſtitia.*


1. Traduntur multæ acceptiones, ſpecies, & denominationes iuſtitiæ. n.1
2. Quid de hac quæſtione ſenſerit S.Thomas. n.2


#### DVBITATIO I.

*An iuſtitia ſpecialis, genericè ſaltem accepta, ſit in Deo.*


1. Pars affirmatiua probatur per totam dubitationem.
2. Deum eſſe ſimpliciter debitorem creaturæ, nullam dicit imperfectionem. n.6.ad 13
3. In Deo diſtingui iuſtitiam à fidelitate. n.7
4. Declaratur duplex debitum, morale, & legale. n.8
5. In Deo eſſe debitum morale fidelitatis. n.13
6. In Deo eſſe debitum legale. n.14.15
7. Debitum legale Dei eſſe debitum iuſtitiæ. n.16. ad 26


#### DVBITATIO II.

*An in Deo ſit iuſtitia commutatiua.*


1. Quid ſentiant Doctores, præſertim S. Thomas. n.26.ad 30
2. Iuſtitia, vt denominatur commutatiua, non eſt in Deo. n.27.& 30
3. Iuſtitia commutatiua, ſecundùm præciſam eſſentiam ſuam, eſt in Deo. n.31.32
4. Quæ ſit materia iuſtitiæ commutatiuæ. num.35. ad 36.
5. Dominiorum tranſlatio non eſt de eſſentia commutatiuæ. n.36
6. An contrapaſſum ſit de ratione iuſtitiæ commutatiuæ. n.37
7. An iuſtitia Dei denominari aliquo modo poſſit commutatiua. n.38.ad 42


#### DVBITATIO III.

*An in Deo ſit iuſtitia diſtributiua.*


1. Concluſio affirmatiua, cum ſuis auctoribus, & aduerſariis. n.42
2. Reiicitur primus modus ponendi in Deo iuſtitiam diſtributiuam. n.41
3. Reiicitur alius ſecundus modus. n.43.& 44
4. Traditur, & probatur alius tertius modus. n.45
5. Soluuntur oppoſitæ rationes. 46.47


#### DVBITATIO IV.

*An in Deo ſit iuſtitia legalis.*


1. Probatur pars negatiua. n.48
2. Soluitur contrarium argumentum. n.49


#### DVBITATIO V.

*An in Deo ſit iuſtitia vindicatiua, & qualis illa ſit.*


1. Iuſtitiam vindicatiuam formaliter eſſe in Deo. n.50.53
2. Hanc eſſe diſtinctam à commutatiua, diſtributiua, & legali. n.53.ad 56
3. Eſſe iuſtitiam prouidentialem. n.56


#### DVBITATIO VI.

*An etiam in creatura detur iuſtitia reſpectu Dei.*


1. Concluſio negatiua probatur in genere. n.57
2. Probatur in ſpecie, de iuſtitia meriti. n.58
3. An religio, & pœnitentia, ſint iuſtitia ſpecialis. n.59.ad 62
4. An ſub aliis rationibus poſſit eſſe iuſtitia hominis ad Deum. n.62.& 63


## QVÆSTIO XXII.

### *De prouidentia Dei.*

#### ARTICVLVS I.

*Vtrùm prouidentia Deo conueniat.*


Probatur pars affirmatiua. n.1


#### DVBITATIO I.

*Quem actum in Deo importet prouidentia.*


1. A quo actu denominetur prouidentia. n.2
2. Prouidentiam importare actum intellectus, & voluntatis. n.3.4
3. Prædictum actum intellectus non eſſe ſcientiam viſionis, ſed intelligentiæ. n.5
4. Eſſe ſcientiam de mediis, non de fide. n.6
5. Non eſſe imperium, poſt actum voluntatis. n.7. & 8
6. In prouidentia eſſe duos actus voluntatis. n.9
7. Prouidentiam formaliter eſſe actum intellectus. n.10.ad 13


#### DVBITATIO II.

*An ad prouidentiam neceſſariò ſpectet aſſequutio finis.*


1. Aſſequutio finis non ſpectat ad prouidentiam in genere. n.13
2. Spectat ad prouidentiam prædeſtinationis. n.14
3. Prouidentia diuina ſemper aſſequitur finem generalem. n.15
4. Non ſemper aſſequitur finem particularem. n.16. ad 20
5. Quid de hac re ſenſerit S.Thomas. n.20
6. Defenditur Molina contra Nauarrete, & Gonzalez. n.21.ad finem articuli.


#### ARTICVLVS II.

*Vtrùm omnia ſint ſubiecta diuinæ prouidentiæ.*


1. Ex S.Thoma hîc ad 4. prouidentia cauſarum liberarum excludit determinationem ad vnum. n.1


2. Ex




2. Ex eodem S.Thoma, infallibilitas diuinæ prouidentiæ, non ſumitur ex decreto prædeterminandi. n.2


#### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus immediatè omnibus prouideat.*


1. Pars affirmatiua probatur ratione S. Thomæ. num.1
2. Defenditur Arrubal contra Gonzalez. n.2
3. Soluuntur obiectiones Gonzalez, probantes, determinationem diuinæ voluntatis eſſe intrinſecè in Deo. num.3.ad finem articuli.


#### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat.*


1. Diuina prouidentia cauſat modum operandi neceſſariò, & contingenter. n.1
2. Dari de facto omnes poſſibiles gradus eſſendi. num.1
3. Ex S.Thoma hîc, prædeterminationem ad vnum eſſe contra conditionem cauſæ liberæ. numero 2


## QVÆSTIO XXIII.

### *De prædeſtinatione.*

#### ARTICVLVS I.

*Vtrùm homines prædeſtinentur à Deo.*


1. Æterna hominum prædeſtinatio probatur, & definitur. n.1.2
2. Prædeſtinationis cauſa efficiens, & materialis. n.3.4
3. Angelos etiam prædeſtinari, & non alias creaturas. n.5.6
4. An detur prædeſtinatio ad pœnam. n.7
5. Prædeſtinationem terminari ad gloriam, & gratiam. n.8


#### DVBITATIO I.

*In quibus Dei actibus conſiſtat prædeſtinatio.*


1. Conſiſtere in tribus actibus, & quo modo. n.9. ad 13
2. Ante omnes actus requiri ſcientiam mediam. n.13.14
3. An prædeſtinatio ſit pars prouidentiæ, & quo modo. n.15.ad 18
4. Prædeſtinatio non eſt prædeterminatio voluntatis ad vnum. n.18


#### DVBITATIO II.

*An in voluntate Dei prædeſtinantis diſtingui ratione poſſint plura decreta.*


1. Diſtingui debent decretum gloriæ, & decretum gratiæ. n.19.20
2. Inter hæc decreta concipi debet ſcientia viſionis. n.21
3. Ante eadem decreta concipiendum eſt aliud decretum creationis. n.22.25
4. Non eſt impoſſibile vnum decretum creationis, & prædeſtinationis. n.25


#### DVBITATIO III.

*An efficax, & abſoluta electio hominum ad gloriam fuerit in Deo ante, vel poſt præuiſionem meritorum.*


1. Declaratio terminorum, & concluſio. num.26.
2. Quid ſentiant Scholaſtici, præſertim S. Thomas. n.26.ad 31
3. Impugnatur opinio Nominalium, & Catharini. n.31.32
4. Concluſionem eſſe Auguſtini. n.33.ad 47
5. Eſſe aliorum Patrum. n.47.ad 52
6. Colligi ex Scriptura. n.52.ad 60
7. Eadem concluſio probatur rationibus. num.60. ad 65
8. Diſſoluuntur obiectiones. num.65. ad finem articuli.


#### ARTICVLVS II.

*Vtrùm prædeſtinatio aliquid ponat in prædeſtinato.*


1. Declarantur duæ concluſiones articuli. n.1


#### DVBITATIO I.

*An prædeſtinatio ſit neceſſaria ad ſuos effectus.*


1. Eſſe neceſſariam ex parte Dei. n.2
2. Eſſe neceſſariam ad gloriam infallibiliter habendam. n.3
3. Non eſſe abſolutè neceſſariam, ex parte effectus. n.4.ad 7
4. Soluuntur obiectiones Gonzalez. n.8.ad 17


#### DVBITATIO II.

*An gloria, & gratia ſint effectus prædeſtinationis.*


1. Gloriam eſſe effectum prædeſtinationis, contra Durandum. n.17.ad 21
2. Item gratiam, contra Gabrielem. n.21
3. Quid requiratur, vt gratia ſit effectus prædeſtinationis. n.22


#### DVBITATIO III.

*An prædeſtinatorum gratia per peccatum interrupta, & omnia gratiæ auxilia, ſint effectus prædeſtinationis.*


1. Probatur pars affirmatiua de gratia. numero 23.24
2. Soluuntur contraria argumenta. numero 25. ad 29
3. Probatur pars affirmatiua quantum ad auxilia. n.29.30


#### DVBITATIO IV.

*An permiſſio peccati ſit effectus prædeſtinationis.*


1. Concluſio affirmatiua probatur auctoritate, & ratione. n.31.32
2. An Deus poſſit permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ. n.33.ad 36
3. Deum permittere peccatum ob alios fines. n.36. ad 39




DVBI

### DVBITATIO V.

*An effectus prædeſtinationis ſint etiam res ordinis naturalis.*

1. Reſpondetur negatiuè de rebus ſimpliciter naturalibus. n.39
2. Reſpondetur negatiuè de rebus ſimpliciter naturalibus, ſupernaturalibus ſecundùm quid. n.40
3. Deducuntur nonnulla corollaria in particulari. n.41.ad finem articuli.

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus aliquem hominem reprobet.*

1. Pars affirmatiua probatur auctoritate,& ratione. n.1.2
2. Plures Dei actus in reprobatione diſtinguendos eſſe. n.3
3. In quo Dei actu conſiſtat reprobatio. n.4.5
4. Reprobationem negatiuam concipiendam eſſe ante præuiſionem peccatorum. numero 6. ad 11
5. An dici poſſit Deus velle dare reprobis gratiam incongruam,quia incongrua eſt. n.11.12

### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm prædeſtinati eligantur à Deo.*

Explicatur doctrina totius articuli. num.1.ad 4

### DVBITATIO I.

*An ad diuinam prædeſtinatorum electionem neceſſaria ſit liberorum operum prædefinitio.*

1. Quid ſignificet prædefinitio. initio.
2. Probatur pars affirmatiua. n.4

### DVBITATIO II.

*An prædefinitio ſit neceſſaria ad actus moraliter malos.*

1. Concluſio negatiua eiúſque auctores,& aduerſarij. n.5
2. Refertur, & impugnatur ſententia Nazarij. n.6. ad 9
3. Soluuntur quædam argumenta Nauarrete. n.9. ad 14
4. Contra Nauarrete defenditur Suarez, docens, prædeterminationem non poſſe ſtare cum permiſſione. n.14.ad 19
5. Defenditur Molina contra Nauarrete. num.19. ad 26
6. Satisfit aliis obiectionibus Nauarrete. num.26. ad 33
7. Opinio Gonzalez de prædeterminatione peccati, eiúſque argumenta reiiciuntur. num.33. ad 40.

### DVBITATIO III.

*An prædefinitio ſit neceſſaria ad actus moraliter bonos.*

1. Reſpondetur partim negatiuè, partim affirmatiuè. n.40
2. Occurritur obiectionibus Gonzalez. num.41. ad 46.

### DVBITATIO IV.

*An liberorum actuum prædefinitio ſit impoſſibilis.*

1. Probatur concluſio ſimpliciter negatiua. n.46. 47
2. Prædefinitionem ante ſcientiam conditionatam repugnare libertati. n.48
3. Argumentum contra libertatem non bene ſolui à Zumel,& Trigoſio. n.49.ad 52
4. Defenditur Suarez contra Nauarrete. num.52. ad 65
5. Satisfit obiectionibus Gonzalez. n.65.ad 68

### DVBITATIO V.

*An omnium ſupernaturalium actuum prædefinitio de facto detur.*

1. Probatur dari prædefinitionem ſimpliciter. numero 68
2. Traditur regula generalis de actibus prædefinitis. n.69
3. Eſſe prædefinitos omnes actus ſupernaturales prædeſtinatorum. n.70.ad 74
4. Item reproborum. n.74

### DVBITATIO VI.

*An omnium ſimpliciter bonorum actuum, etiam naturalium, prædefinitio, de facto detur.*

1. Concluſio negatiua declaratur, & probatur. n.75
2. Exponuntur contrariæ auctoritates, quas affert Gonzalez. n.76.ad 81
3. Declaratur duplex prædefinitio, antecedens, & concomitans. n.79.& 80
4. Soluuntur contrariæ rationes Gonzalez. n.81. ad 88

### DVBITATIO VII.

*An prædefinitio, omnino antecedens, ſaluare poſſit liberum modum operandi.*

1. Impugnantur multa Gonzalez dicta, ad ſaluandam libertatem, cum prædefinitione omnino antecedente. n.88.ad finem articuli.
2. An cum prædefinitione ſtet poteſtas ſufficiens ad oppoſitum. n.88
3. An ſtet neceſſitas conſequens, non antecedens. n.89.ad 96
4. An ſtet neceſſitas in ſenſu compoſito, non diuiſo. n.96.ad 101
5. An ſtet neceſſitas ex ſuppoſitione, non ſimpliciter. n.101.ad 105
6. Exponitur locus S.Thomæ de veritate quæſt.23. art.5.ad 3. n.105

### ARTICVLVS V.

*Vtrùm præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis.*

1. Prædeſtinatio non ex parte actus, ſed ex parte effectus in particulari, habet cauſam. n.1.2
2. Prædeſtinatio, ex parte omnium effectuum, non habet cauſam, niſi diuinam bonitatem. num.3. ad 4
3. Cur hic potius, quàm ille ſit prædeſtinatus, non habet cauſam, etiam ex parte Dei. n.4







### DVBITATIO I.

*An ex parte reproborum detur aliqua cauſa reprobationis.*

1. Reprobatio negatiua, conſiderata comparatiuè, non habet cauſam. n.5.ad 8
2. Conſiderata verò abſolutè, habet cauſam. n.8. ad 12
3. Reprobationis negatiuæ cauſa, eſt ſolum peccatum originale. n.12.13
4. De cauſis reprobationis poſitiuæ. n.14.15

### DVBITATIO II.

*An in poteſtate hominis ſit prædeſtinari, vel reprobari.*

1. Quæſtionis qualitas, ac dependentia. n.16
2. Prædeſtinatio, & reprobatio, formaliter ſumptæ, non ſunt in noſtra poteſtate. n.17
3. Prædeſtinatio, ſumpta terminatiuè, dici poteſt eſſe vel non eſſe in noſtra poteſtate, ſecundùm diuerſas rationes. n.18.ad 22
4. Prædeſtinatio, abſolutè loquendo, dici debet non eſſe in noſtra poteſtate. n.22
5. Reprobatio poſitiua eſt in noſtra poteſtate, non autem negatiua. n.23.24
6. An in poteſtate noſtra ſit non reprobari, & conſequenter prædeſtinari. n.25
7. An in noſtra poteſtate ſit non prædeſtinari. n.26. ad finem articuli.

### ARTICVLVS VI.

*Vtrùm prædeſtinatio ſit certa.*

1. Diſtinguuntur,& probantur tres radices certitudinis prædeſtinationis. n.1
2. Quo ordine,& per quam ſcientiam, certa ſit prædeſtinatio. n.2
3. Vnde habeatur certitudo mediorum prædeſtinationis. n.3
4. Soluuntur argumenta Gonzalez. n.4. ad finem articuli.

### ARTICVLVS VII.

*Vtrùm numerus prædeſtinatorum ſit certus.*

1. Probatur pars ſimpliciter affirmatiua. n.1
2. Quo modo,& decreto certus ſit numerus prædeſtinatorum. n.2.3
3. Numerus prædeſtinatorum ſoli Deo notus eſt. n.4
4. Quæ ſit ratio determinati numeri prædeſtinatorum. n.5
5. An prædeſtinati plures ſint reprobis. n.6
6. Quomodo aliquis ſcire poſſit ſuam prædeſtinationem. n.7

---

## QVÆSTIO XXIV.

*De Libro vitæ.*

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm Liber vitæ ſit idem, quod prædeſtinatio.*

1. Librum vitæ dari, & eſſe aliquid increatum, & dici metaphoricè. n.1.ad 4
2. Vitæ liber ſola ratione differt à prædeſtinatione. n.4
3. Quot ſint Libri vitæ, de quibus Apocalypſis. 20. n.5
4. An detur Liber mortis. n.6

### ARTICVLVS II.

*Vtrùm Liber vitæ ſit ſolum reſpectu vitæ gloriæ prædeſtinatorum.*

Probatur concluſio affirmatiua.

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm aliquis deleatur de Libro vitæ.*

1. Pars affirmatiua probatur, & declaratur. n.1.2. & 4
2. An aliquis deleatur de Libro prædeſtinationis. num.3
3. An Liber vitæ extendatur ad vitam gratiæ. ibidem.

---

## QVÆSTIO XXV.

*De diuina potentia.*

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm in Deo ſit potentia.*

1. Quid certum, quid dubium ſit in hac quæſtione. num.1
2. Potentia non eſt ipſum liberum Dei decretum. n.2.ad 5
3. Potentia diſtinguitur ratione ab intellectu, & voluntate. n.5.ad 9
4. Soluuntur oppoſitæ rationes. num.9. ad finem articuli.

### ARTICVLVS II.

*Vtrùm potentia Dei ſit infinita.*

Concluſio affirmatiua declaratur.

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus ſit Omnipotens.*

Pars affirmatiua eſt certa ſecundùm fidem.

### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm Deus poſſit facere, quòd præterita non fuerint.*

Reſpondetur negatiuè in ſenſu compoſito, & affirmatiuè in vno ſenſu diuiſo. n.1.2

Reſpondetur negatiuè in alio ſenſu diuiſo. n.3.4

### ARTICVLVS V.

*Vtrùm Deus poſſit facere, quæ non facit.*

Concluſio affirmatiua de fide.

### ARTICVLVS VI.

*Vtrùm Deus poſſit meliora facere ea, quæ facit.*

1. Idem non poteſt fieri ſeipſo melius eſſentialiter,

ſed accidentaliter. n.1.2
2. Quacumque re poteſt fieri alia melior, etiam eſſentialiter. n.3
3. An Deus poſſit aliquid facere melius. numero 4
4. An hoc vniuerſum poſſit fieri melius. numero 5
5. An aliud vniuerſum. n.6
6. Nihil poſſe fieri melius quibuſdam rebus iam factis. n.8

## QVÆSTIO XXVI.

*De diuina beatitudine.*

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm beatitudo Deo competat.*

1. Beatitudinem maximè competere Deo. numero 1
2. Beatitudinem in Deo non habere rationem præmij, ſed naturæ. n.2

### ARTICVLVS II.

*Vtrùm Deus dicatur beatus ſecundùm intellectum.*

1. Concluſio affirmatiua declaratur, & probatur. n.1.2
2. Beatitudinem conſiſtere in operatione intellectus, non voluntatis. n.3.ad 6
3. Beatitudinem eſſe de eſſentia Dei. n.6

### ARTICVLVS III.

*Vtrùm Deus ſit beatitudo cuiuſlibet beati.*

1. Reſpondetur affirmatiuè de beatitudine obiectiua. n.1
2. Reſpondetur negatiuè de beatitudine formali. n.2

### ARTICVLVS IV.

*Vtrùm in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.*

Probatur concluſio affirmatiua, etiam de falſa beatitudine.

F I N I S.



# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

## Ex libro Geneſis.

Cap.1. FIat *lux, & facta eſt lux.* quæſt.19. art.4.num.5
*Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* q.14.art.6.n.3
2. *In quacumque die comederis ex ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris.* q.14.art.13. n.252
6. *Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra.* q.14.art.10.n.1
*Pœnitet me feciſſe hominem.* quæſt.19.art.7. n.14
17. *Patrem multarum gentium conſtitui te, faciámque te creſcere, & ponam te in gentibus.* q.14.art.13.n.59
28. *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me, &c. erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* q.21.art.1.n.62
50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati.* q.19. art.6.n.1.

## Ex libro Exodi.

3. *Ego ſcio quod non dimittet vos Rex Aegypti, vt eatis, niſi per manum validam.* q.14. art.13.n.226. fusè explicatur.
4. *Si non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis; quod ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis.* q.14.art.13. n.257
32. *Dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* q.24. art.1.n.2.& art.3.n.1
*Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* ibid.
34. *Ne fornicari faciant filios tuos in Deos ſuos.* q.14.art.13.n.221

## Ex libro Numerorum.

23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? loquutus eſt, & non implebit?* q.19.art.7.n.1

## Ex libro Deuteronomij.

7. *Quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me.* q.14.art.13.n.221
18. *Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt loquutus.* q.14.art.13.n.225
32. *Viuo ego in æternum.* q.18.art.3.n.1
*Congregabo ſuper eos mala.* q.19.art.9.n.6

## Ex libris Regum.

Lib.1.c.2. *Deus ſcientiarum Dominus eſt.* q.14. art.5.n.1
15. *Porrò triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam.* q.19.art.7.n.14
23. *Si deſcendet Saul in Ceilam, & tradent me viri Ceilæ in manus eius? deſcendet, & tradent.* q.14.a.13.n.222.ad 225. & n.327. explicatur fusè.
Lib.3.c.5. *Cogito ædificare templum nomini Dei mei.* q.14.art.13.n.224
11. *Super quibus dixit Dominus filijs Iſraël, non ingrediemini ad eas; certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum.* q.14.art.13.n.221
Lib.4.c.2. *Si videris me, quando tollar à te; erit tibi quod petiſti.* q.14.art.13.n.252
13. *Si percuſſiſſes quinquies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem.* q.14.art.13. n.249.252.486

## Ex libro Iudith.

9. *Tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti.* q.22. art.1.n.21.& 25

## Ex libro Eſther.

13. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* q.19.art.6.n.1. & q.14.art.13.n.387
14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam.* q.14. art.5.n.1

## Ex libro Iob.

11. *Ipſe nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatẽ nónne conſiderat?* q.14.a.10.n.1

14. *Numerus menſium eius apud te eſt.* q.14. art.13.n.54.55
21. *Numquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam.* q.14.art.5.n.1

## Ex libro Prouerbiorum.

1. *Vocaui,& renuiſtis.* q.14.art.13.n.328
8. *Ab æterno ordinata ſum, antequam terra fieret; nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* q.14.art.13.n.42
16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* quæſt.19.art.2.num.6.& art.5.n.1. & n.4
*Spirituũ ponderator eſt Dominus,& non alius.* q.20.art 4 n.17
19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* q.19.art.7.n.1. & n.14
21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* q.14.art.13.n.301. & 311
23. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* q.27.art.1.n.40

## Ex libro Eccleſiaſtæ.

5. *Neque dicas coram Angelo, non eſt prouidentia; ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.* q.22.art.1.n.1

## Ex libro Sapientiæ.

1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt eſſent, omnia. Impij autem manibus, & verbis accerſiuerunt illam.* q.19.art.9.n.6
4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectũ eius.* q.14.art.13.n.229.& 243.& q.23.art.1. n.55.& art.2.n.42
*Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* q.23.art.1.n.55
6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* q.20.art.3.n.2. & q.22.art.1.n.1
*In vijs oſtendet ſe illis hilariter, & in omni prouidentia decurret illis.* quæſt.22.art.1. num.1
7. *Omnium artifex ſapientia.* q.14.art.8.n.1
8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* q.22.art.1.n.1
*Scit præterita, & de futuris æſtimat.* q.14.a.13. num.6
*Monſtra ſcit, antequam fiant, & euentus temporum, & ſæculorum.* q.14.art.10.n.1. & art.13.n.4
9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* q.22.art.1.n.13
11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* q.19.art.3.n.9
*Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* q.19.art.9.n.6. & q.20.art.2. num.1
*Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes.* q.19.art.3.n.24.& art.6.n.1
12. *Non eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus.* q.22.art.1.n.1
14. *Tua autem Pater prouidentia gubernat.* q.22. art.1.n.1
*Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* q.19. art.9.n.2.& q.20.art.1.n.13
19. *Præſciebat enim & futura illorum.* quæſt.14. art.13.n.63

## Ex libro Eccleſiaſtici.

15. *Non dixeris, per Deum abeſt.* q.14.art.13. n.375
*Quæ enim odit, ne feceris.* quæſt.23. art.4. n.22
*Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* q.14.art.13. n.262.& q.22.art.2.n.1
23. *Omnia videt oculus illius.* q.14.art.5.n.1
*Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper Solem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profunda abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.* q.14.ar.5. num.1
*Domino enim Deo, antequam crearentur, cuncta ſunt agnita; ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.* quæſt.14.art.5.n.1.& art.13. num.4
24. *Primogenita ante omnem creaturam.* q.14. art.13.n.42
*Hæc omnia liber vitæ.* q.24.art.1.n.5
39. *Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius, à ſæculo vſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius.* q.14.art.13.n.54. fusè exponitur. n.56

## Ex libro Pſalmorum.

5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* q.14.art.8.n.77.& art.10.n.3
*Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus.* q.20.art 1.n.12
8. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* q.20. art.4.n.4
16. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* q.14.art.10.n.3
30. *Redemiſti me Domine Deus veritatis.* q.16. art.5.n.1
31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* q.21. art.1.n.21
32. *Vidit omnes filios hominum, reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.* q.14.art.6.n.3
68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* q.24.art.3.n.1.& 4





80. *Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in vijs meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* q.14.art.13.n.260
83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* q.23. art.1.n.7
89. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.* q.14.art.13.n.42
93. *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?* q.14. art.5.n.1
102. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas.* q.19.art.11
103. *Omnia in ſapientia feciſti.* q.14.art.8.n.1
104. *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui; verbi, quod mandauit in mille generationes.* q.21.art.1.n.13
110. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* q.19.art.11
111. *Miſericors, & miſerator, & Iuſtus.* q.21. art.1.n.5
114. *Miſericors Dominus, & Iuſtus.* ibid.
131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* q.21.art.1.n.13
134. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* quæſt.14. art.13.n.236.& q.19.art.2.n.4.& art.3. n.24.& art.6.n.1.& q.25.art.1.n.3
135. *Qui fecit cælos in intellectu.* q.14.art.8.n.1
138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè.* q.14. art.13.n.4
*In libro tuo omnes ſcribentur.* q.24.art.1.n.1
148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* quæſt.22. art.1.n.1.
*Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.* q.25.art.1.n.3.& 15

## Ex Prophetia Iſaiæ.

4. *Sanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in Vita.* q.24.art.1.n.2.& art.2.n.1
2. *Quid eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui; vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* q.14.art.13. n.139.& n.328.
*Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas.* q.14.art.13.n.149
9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* q.20.art.4.n.2
30. *Expectat Dominus, vt miſereatur noſtri.* q.14.art.13.n.149
38. *Diſpone domui tuæ; quia morieris, & non viues.* q.14.art.13.n.217.& 256
41. *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* q.14.art.13. num.4
43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* q.19.art.2.n.6
45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* q.14.art.10.n.1.& q.19.art.9.n.6
*Hæc dicit Dominus ſanctus Iſraël, plaſtes eius.* ex interpretatione 70. *Qui fecit ventura.* q.14.art.13.n.54.58. & q.19.art.7. num.1
46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* q.19.art.6.n.1
65. *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant.* q.14.art.13.n.296.

## Ex Prophetia Ieremiæ.

6. *Ego adducam mala ſuper populum iſtum.* q.19.art.9.n.6
10. *Dominus autẽ Deus verus eſt.* q.16.a.5.n.1
18. *Repente loquar aduerſus gentem, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam; ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, &c.* q.14.art.13.n.217.& 256
*Agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.* quæſt.14. art. 13. n.217.256.& q.19.art.7.n.14.& art.9. num.6
19. *Ædificauerunt excelſa, quæ non præcepi, nec loquutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* q.14.art.13. num.378.& q. 23. art.4.n.22
26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant, & conuertantur.* q.14.art.13.n.220
36. *Ego cogito facere eis mala.* quæſt.14.art.13. num.224
38. *Dixit Ieremias ad Sedeciam. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël. Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igni, & ſaluus eris tu, & domus tua: ſi autem non exieris, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igni, & tu non effugies de manu eorum.* q.14.art.13.n.225. explicatur fusè.
vlt. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* q.23.art.5.n.3

## Ex Prophetia Ezechielis.

2. *Loqueris verba mea ad eos, ſi forte audiant, & quieſcant.* q.14.art.13.n.220
3. *Domus Iſraël nolunt audire te, quia nolunt audire me.* q.14.art.13.n.220
6. *Ego Dominus non fruſtrà loquutus ſum, vt facerem eis malum hoc.* q.19.art.9.n.6
18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus; & non magis vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* q.19.art.6. num.9
24. *Mundare te volui, & non es mundata.* q.14. art.13.n.149

## Ex Prophetia Danielis.

12. *In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis,*

qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. q.24. art.1.n.2.& art.2.n.1
13. Deus æterne, qui noſti omnia, antequam fiant. q.14.art.13.n.4


## Ex Prophetia Ioël.


2. Quia benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia. q.21.art.1.n.21


## Ex Prophetia Amos.


3. Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit. q.14.art.10.n.1.& q.19.art.9.n.6


## Ex Prophetia Ionæ.


3. Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. q.14.art.13.n.217.& 489


## Ex Prophetia Habacuc.


1. Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad impietatem non poteris. q.14. art.10.n.3.


## Ex Prophetia Zachariæ.


1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. q.14.art.13.n.292.& 328
8. Vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis; omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus. q.20. art.1.n.13


## Ex libris Machabæorum.


Lib.1.c.6. Eleazarus deſtinauit nō admittere illicita propter vitæ amorem. q.23.a.1.n.9


## Ex Euangelio ſecundùm Matthæum.


3. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. q.19.art.3.n.9
5. Ecce merces veſtra copioſa eſt in cælis. q.21. art.1.n.7
Ne fortè tradat te aduerſarius iudicij, & iudex miniſtris, & in carcerem mittaris. q.14. art.13.n.219
Beati, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. q.21.art.1.n.18
6. Reſpicite volatilia cæli. Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Fœnum agri Deus ſic veſtit. Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. q.22.art.1.n.1
Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. q.19.art.11.
7. Non noui vos. q.14.art.10.n.3
Neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas. q.14.art.13.n.219
In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini; & qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. q.21.art.1.n.51
Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. q.23.art.7.n.6
9. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. q.21. art.1.n.7
10. Vnus paſſer non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, &c. q.22.a.1.n.1
Qui amat patrem pluſquàm me, non eſt me dignus. q.23.art.5.n.11
Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. q.23.art.5.n.19
11. Nemo nouit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis nouit, niſi Filius. q.14.art.3.n.1
Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent, &c. q.14.a.13.n.1. explicatur fuſè. num.218.219.& n.320. ad 327.& n.440
Venite ad me omnes. q.14.art.13.n.292
12. Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror; & mater eſt. q.19.art.11
19. Apud Deum omnia poſſibilia ſunt. quæſt.19. art.3.n.9
Qui reliquerit domum, &c. centuplū accipiet, & vitam æternam poſſidebit. q.21.a.1.n.15
20. Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. q.21.art.1.n.15
Amice non facio tibi iniuriam; aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? q.23. art.1. n.68.69
Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. q.23.art.1.n.66. & 84
22. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. q.23.art.1.n.65.& 69
24. Propter electos breuiabuntur dies illi. q.23. art.2.n.42
Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. q.23.art.1.n.54
Et congregabunt electos eius à quatuor ventis. q.23.art.1.n.55
25. Neſcio vos. q.14.art.10.n.3
Venite benedicti Patris mei, poſſidete Regnum paratum vobis à conſtitutione mundi. q.23.art.1.n.32.& art.4.n.72
Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. q.23. art.1.n.66
Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. q.23.art.1.n.66.& art.3.n.1
Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. q.23.art.7.n.6
26. Vnus veſtrum me traditurus eſt. q.14.art.13. num.1
Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequā gallus cantet, ter me negabis. q.14.a.13.n.228
An putas, quia non poſſum rogare Patrem meū, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum? q.14.art.13.n. 464.& q.19.art.3.n.9


## Ex Euangelio ſecundùm Marcum.


13. Et congregabit electos ſuos à quatuor ventis. q.23.art.1.n.55
14. Omnia tibi poſſibilia ſunt. q.19.art.3.n.9
vlt. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. q.23.art.5.n.19


## Ex Euangelio ſecundùm Lucam.


1. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. q.19.art.3.n.9
10. Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. q.24.art.1.n.2.& art.2.n.1
12. Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. q.23.art.1. n.58. explicatur fuſè.
13. Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti. q.14.art.13.n.249
14. Compelle illos intrare. q.14.art.13.n.334
Qui non odit patrem ſuum, &c. q.23.art.5. num.11
15. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. q.20.art.4.n.5


## Ex Euangelio ſecundùm Ioannem.


1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. q.14.art.8.n.1
Quod factum eſt in ipſo vita erat. quæſt.18. art.4
2. Opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine. q.14.art.13.n.442
3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. q.19.art.3.n.24
4. Tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. q.14.art.13.n.220
5. Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi. q.14.art.13.n.220
6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui me miſit, traxerit eum. q.14.art.13.n.296
Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo; hic vidit Patrem. q.14.a.3.n.1
Hæc eſt voluntas Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam. q.23.art.1.n.56. fuſè explicatur.
Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet. q.23.art.1.n.57
8. Antequam Abraham fieret, ego ſum. q.14. art.13.n.42
Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. q.14.art.13.n.220
10. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam. q.19.art.5.n.5
Vos non creditis, quia non eſtis de ouibus meis. q.23.art.2.n.10
Oues meæ vocem meam audiunt, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. q.23.art.6.n.1
13. Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas. q.14.art.13.n.376
14. Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis. q.14.art.13.n.220
Ego ſum via, veritas, & vita. q.16.art.5.n.1. & quæſt.18.art.3.n.1
In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. q.21.art.1.n.45
15. Ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis. q.14.art.13. n.59. & q.23. art.1.n.44.& art.2.n.9.& art.4.n.73
17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum. q.16.art.5.num.1.& q.18. art.2.& q.26.art.3.n.1
Dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. q.20.art.3. num.2
18. Ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. q.16.art.5.n.1


## Ex Actis Apoſtolorum.


4. Conuenerunt aduerſus Ieſum, facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri. q.14.art.13.n.336
7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. q.14. art.13.n.291
8. Pœnitentiam age, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi. q.14.art.13.n.220
13. Inueni Dauid, qui faciat omnes voluntates meas. q.19.art.11
Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. q.23.art.1.n.8. & 11.& 44.& fuſè.n.59
16. Vocati ſunt à Spiritu ſancto, loqui verbum Dei in Aſia. q.14.art.13.n.227
20. Beatius eſt magis dare, quàm accipere. q.21. art.1.n.5
22. Feſtina, & exi velociter ex Hieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. q.14.art.13.n.227


## Ex epiſtola Pauli Apoſtoli ad Romanos.


2. Deus reddet vnicuique ſecundum opera eius; iis quidem, qui, ſecundum patientiam boni operis,

operis,gloriam,& honorem, & incorruptionem quærunt,vitam æternam; iis autem, qui credunt iniquitati,ira, & indignatio. q.21.art.1.n.22.& 52
3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. q.22.a.1. num.27
4. Vocat ea,quæ non ſunt,tamquam ea quæ ſunt. q.14.art.9.n.3.& art.13.n.54.59
Patrem multarum gentium poſui te ante Deum. q.14.art.13.n.54.& 59
Vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini. q.21.art.1.n.13
Ei autem,qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam; ſed ſecundùm debitum. q.21.art.1.n.18.& 22
Cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus. q.21.art.1.n.21
6. Gratia Dei vita æterna. q.21.art.1.n.7. & q.23.art.2.n.19
8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. q.23.art.1.n.53.& art.2.n.30. & q.14.art.13.n.231
Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij ſui,vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. q.23.art.1. n.13.& 24.& 32
Quos autem prædeſtinauit,hos & vocauit: & quos vocauit,hos & iuſtificauit:quos autem iuſtificauit,illos & glorificauit.q.14.art.13. n.63.& 342. & q.23.art.1.n.8.& art.2. n.17.& n.21.& art.4.n.4.& art.6.n.1.& art.1.n.2
Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. q.21.art.1.n.39
Quicumque enim Spiritu Dei aguntur,ij ſunt filij Dei; ſi autem filij,& hæredes. q.23. art.2.n.21
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius? Certus ſum enim,quia neque mors, neque vita,neque Angeli,neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura,neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. q.23.art.6.n.1
9. Non eſt volentis,neque currentis; ſed miſerentis Dei. q.14.art.13.n.221.& q.23.art.1. n.12.& art.2.n.7
Voluntati eius quis reſiſtit? q.14.art.13.n.291. & 387. & q.19.art.6.n.1. & q.23.art.6. num.1
Iacob dilexi,Eſau autem odio habui. quæſt.14. art.13.n.324. & q.20.art.1.num.12.& quæſt.23.art.5.n.11
Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. q.19.a.3.n.9.& q.23.a.2.n.7.& a.5.n.23
Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ,quæ præparauit in gloriam.q.23. art.1.n.8.& art.2.n.36.38.& art.5.n.4
O homo,tu quis es,qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei,qui ſe finxit. Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti,ex eadem maſſa facere,aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? q.23.art.1.n.64.& art.2.n.7
Vt ſecundum electionem propoſitum Dei permaneret. q.23.art.1.n.71
Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum. q.23. art.2.n.36.& 38.& art.5.n.4. & a.3.n.1
11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? q.14.art.1.n.37.& q.23.art.1.n.64.& art.2.n.7
Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. q.14.art.13.n.63. & n.436.& q.23. art.1.n.85.& q.22.art.1.n.14
Si autem gratia,iam non ex operibus; alioqui gratia iam non eſt gratia. q.21.art.1.n.7. & 22.& q.23.art.1.n.77
Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? q.21. art.1.n.36
Dona,& vocatio Dei ſine pœnitentia. q.23. art.1.n.44
Vide ergo bonitatem,& ſeueritatem Dei;in eos quidem, qui ceciderunt ſeueritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate; alioqui & tu excideris. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. q.23.art.1.n.67

### Ex epiſtola 1.ad Corinthios.

2. Nullus hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis,qui in ipſo eſt; ita & quæ Dei ſunt nemo nouit,niſi ſpiritus Dei.q.14. art.5.n.44.& art.2.n.1
Quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula. q.23. art.1.n.2
Spiritus omnia ſcrutatur,etiam profunda Dei. q.14.art.3.n.1
3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem. q.21.art.1.n.22
4. Quis te diſcernit? quid habes,quod non accepiſti? q.14.art.13.n.304
9. Numquid de bobus cura eſt Deo? q.14.a.5.n.3
Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. q.23.art.3.n.1
12. Hæc omnia operatur vnus, & idem Spiritus, diuidens ſingulis,prout vult.q.19.art.3.n.9
15. Gratia Dei mecum. q.22.art.1.n.27

### Ex epiſtola 2.ad Corinthios.

9. Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo. q.23.art.1.n.9





10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. q.14. art.13.n.304

### Ex epiſtola ad Galatas.

5. Quis vos impediuit veritati non obedire? q.16.art.5.n.1

### Ex epiſtola ad Epheſios.

1. Prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. q.14.art.8.n.1. & q.19.art.3. n.9.& 24 & art.6.n.1.& q.22.art.1.n.21. & 23.& q.23.art.1.n.2.& q.25.art.1.n.3
Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.q.14.art.13.num.42.& q.19.art.5.n.5.& q.23.art.1.n.2. & 24. & fusè n.52
Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.q.23. art.1.n.8. & 10. & art.2.n.21. & fusè. art.1.n.52
Prædeſtinauit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. q.23.art.5.n.4
2. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. q.23.art.4. num.72

### Ex epiſtola ad Philippenſes.

2. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,vt in nomine IESV omne genu flectatur. q.20.art.4.n.2

### Ex epiſtola ad Coloſſenſes.

2. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ abſconditi. q.14.art.1.n.37

### Ex epiſtola 1.ad Theſſalonicenſes.

1. Conuerſi eſtis à ſimulacris ſeruire Deo viuo,& vero. q.16.art.5.n.1

### Ex epiſtola 1. ad Timotheum.

2. Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. q.14.art.13. n.249.& 381.& q.19.art.6.n.3. explicatur fusè.n.6.ad 14.& q.23.art.1.n.68
Vaſa in contumeliam. q.23.art.3.n.1
4. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt,& futuræ. quæſt.21. art.1.n.15
6. Quem ſuis temporibus oſtendet Beatus, & ſolus potens,Rex Regum. q.26.art.1.n.1

### Ex epiſtola 2.ad Timotheum.

1. Scio cui credidi,& certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. q.21.art.1.n.18
2. Fidelis Deus negare ſe ipſum non poteſt. q.21. art.1.n.13
Omnia ſuſtineo propter electos,vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cæleſti. q.23.art.1.n.55
In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea,& argentea, ſed etiam lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. q.23.art.5.n.4
Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Sciuit Dominus qui ſunt eius. q.23.art.6.n.1.& q.24.a.1.n.3
4. Corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die,iuſtus iudex. q.21.art.1.n.7

### Ex epiſtola ad Hebræos.

1. Per quem fecit & ſæcula q.14.art.13.n.54.57
2. Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ. q.20.art.4.n.4
4. Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. q.14.art.5.n.1
Sermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ,& ſpiritus. q.14.art.6.n.3
Acceſſiſtis ad Sion montem,& ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum,qui conſcripti ſunt in cælis. q.24.art.2.n.1
6. Volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſui iuſiurandum. q.19.art.7.n.1
Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri. q.21.art.1.n.7
Interpoſuit iuſiurandum,vt per duas immobiles res,quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, firmiſſimum ſolatium habeamus.q.21.art.1. n.13
10. Fidelis enim eſt qui repromiſit. q.21.art.1. num.13
Mihi vindicta. Ego retribuam,dicit Dominus. q.21.a.1.n.51

### Ex epiſtola Iacobi Apoſtoli.

1. Apud quem non eſt tranſmutatio,nec viciſſitudinis obumbratio.q.14.art.7.n.2.& art.15. n.1.& q.19.art.7.n.4
Nemo cum tentatur dicat,quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua. q.14. art.1.n.3.377
Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. q.21.art.1.n.13.& 15
2. Abraham Pater noſter, nonne ex operibus iuſtificatus eſt? q.21.art.1.n.22
Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide,& hæredes Regni,quod repromiſit

*Deus diligentibus ſe.* quæſt. 23. art. 1. num. 70

4. *Deus ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* q. 14. art. 13. n. 341

## Ex epiſtola 2. Petri Apoſtoli.

1. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* q. 23. art. 1. n. 70. & art. 7. n. 1

3. *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* q. 19. art. 6. n. 9

## Ex epiſtola 1. Ioannis Apoſtoli.

2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* q. 23. art. 1. n. 44

4. *Qui non diligit, non nouit Deum; quoniam Deus charitas eſt.* q. 20. art. 1. n. 1

5. *Vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* q. 16. art. 5. n. 1. & q. 18. art. 3. n. 1

*Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* q. 16. art. 5. n. 1

## Ex Apocalypſi Ioannis Apoſtoli.

2. *Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* q. 14. art. 13. n. 381

3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo; & ſiquis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* q. 14. art. 13. n. 149. & 249. & 339. & q. 19. art. 6. n. 9

*Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* q. 21. art. 1. n. 32

*Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* quæſt. 23. art. 1. num. 70. & art. 7. num. 1

*Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo eum de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* quæſt. 24. art. 3. num. 1

5. *Adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.* q. 18. art. 3. n. 1

10. *Iurauit per viuentem, &c.* q. 18. art. 3. num. 1

18. *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* q. 21. art. 1. n. 52

19. *Vera, & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum.* q. 21. art. 1. num. 51

20. *Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* q. 24. art. 1. n. 3. & art. 2. n. 1

*Libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ.* q. 24. art. 1. n. 5

*Non intrabunt in eam, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ.* q. 24. art. 2. n. 1

22. *Ego ſum α, & ω, principium, & finis.* q. 19. art. 2. n. 6

FINIS.

*QVÆSTIO*



*QVÆSTIO XIV.*

# DE SCIENTIA DEI, IN SEDECIM ARTICVLOS DIVISA.

Poſt conſiderationem eorum quæ ad diuinam ſubſtantiam, &c.

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm in Deo ſit ſcientia.*

Ad primum ſic proceditur; videtur quòd in Deo non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Pars articuli ſimpliciter affirmatiua probatur authoritate, & ratione.* n. 1. ad 4.

2 *Multis rationibus oſtenditur, immateriale eſſe cauſam cognoſcitiui.* n. 4. ad 9.

3 *Immateriale eſſe cauſam eſſendi cognoſcitiui, & non ſolùm inferendi.* n. 9. ad 15.

4 *Immateriale qua ratione diſtinguatur à cognoſcitiuo ſubſtantiali.* n. 12. 13. 18. 25. 27.

5 *Soluuntur argumenta Aureoli, Ocham, Gabrielis, Baſſoli, & aliorum contra rationem articuli.* n. 15. ad 28.

6 *Implicare ſubſtantiam immaterialem, & non cognoſcitiuam.* n. 22. 27.

7 *Examinantur nonnullæ aliæ rationes, probantes, ſcientiam Dei.* n. 28. ad 37.

8 *Intelligere eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem.* n. 28. 33. 53. 54.

9 *Dei ſcientiam eſſe perfectiſſimam, probatur in genere.* à n. 37. ad 40.

10 *Dei ſcientiam non eſſe qualitatem, nec propriè habitum, aut actum primum.* n. 40. & 46.

11 *An in Deo præter intelligere, ſit etiam intellectus.* n. 46. ad 58.

12 *An ſcientia Dei ſit vniuerſalis, vel particularis.* n. 58. ad finem articuli.

### COMMENTARIVS.

*Concluſio, & probatio articuli.*

1. *Pars affirmatiua probatur 1. authoritate.* Dionyſius.

RESPONSIO ſimpliciter affirmatiua, eſt de fide, & indubitata apud omnes Theologos; quia vt teſtatur magnus Dionyſius cap. 7. de diuinis nominibus, in medio. *Deum ſcire, omnia ſcripta diuina tradunt, nihilque fugere diuinam ſcientiam.* Et reliqui omnes Patres ſcientiam Deo tribuunt ſub ipſomet expreſſo ſcientiæ nomine: quod nimirum, vt notatur ad 1. 2. & 3. accipi non debet pro cognitione concluſionum, deducta ex alia principiorum cognitione, quæ eſt quædam accidentalis qualitas, vel vniuerſalis, vel particularis, vel in habitu, vel in potentia; quo modo creaturarum ſcientia accipitur à Philoſophis, cùm eam diuidunt contra intellectum, ſapientiam, prudentiam, artem. lib. 6. Ethic. cap. 3. & lib. 1. magnorum Moralium c. 33. ſed, vt aduertunt Caietan. & Sylueſt. initio articuli; & ante ipſos Durandus 1. d. 35. q. 1. n. 4. pro cognitione intellectiua certa, & euidente, quæ in Dei natura, ab omni prorſus imperfectionis genere alieniſſima, ponenda eſt ſubſtantialis, improducta, indiſtincta, ſemper in puriſſimo, & completiſſimo actu, & omnium ſcientiarum, tam vniuerſalium, quàm particularium perfectiones in ſe eminentiſſimè continens: vt in ſuperioribus oſtenſum eſt, & in ſequentibus vberiùs oſtendetur.

*Quid ſignificetur nomine ſciẽtiæ in hoc articulo.*

Caietanus. Sylueſter. Durandus.

2. Adde, abſque Dei ſcientia, in hoc ſenſu vſurpata, ſaluari non poſſe multa alia, quæ de Deo credimus; vt generationem Verbi, quod ex Dei Patris ſcientia procedit, vt ex Auguſtino arguit Ægidius 1. d. 35. q. 1. in 1. argumento, *ſed contra*, Dei amorem, & conſequenter Spiritus Sancti proceſſionem: amor enim & vniuerſaliter voluntas, in incognita ferri nequit. Item Dei prouidentiam in vniuerſi diſpoſitione, & gubernatione: Dei ſanctitatem, iuſtitiam, miſericordiam, libertatem; & quamplurima alia ſimilia, quæ eſſentialiter intellectum concernunt, vel formaliter, vel præſuppoſitiuè. Ipſa quoque diuina Scriptura, & omnis ſupernaturalis creaturarum fides, & vniuerſaliter omnes Dei reuelationes, ac loquutiones de medio planè tollerentur, ablata diuina ſcientia. Demum, vt prudenter adnotat S. Thomas lib. 1. cont. Gent. c. 44. fin. *Huius fidei veritas tantum apud homines in-*

Auguſtinus. Ægidius.

S. Thomas.

*ualuit, vt ab intelligendo nomen Deo imponerent; nam θεὸς, quod ſecundum Græcos Deum ſignificat, dicitur à θεᾶσθαι, quod eſt conſiderare, vel videre*: vt ex Damaſceno explicatum eſt ſuprà quæſt. 13. art.8. & ad idem probandum eamdem etymologiam afferunt etiam Henricus in ſumma, artic.40. q.1. Aureol.1.d.35.q.1.paulo ante primum articulum.

Damaſcen. Henricus. Aureolus.

3. *Probatur 2. ratione articuli, quam recipiunt.* Henricus, Ægidius, Riccardus, Palatius.

Hanc veritatem S. Thomas multis rationibus demonſtrare conatur loco citato cont. Gent. & 1. d.35.q.1.art.1.& de verit.q.2.art.1. & 2.ex quibus vnam tantùm hoc loco elegit, quæ ſcilicet præcipua ipſi viſa eſt,& ab omnibus Thomiſtis defenditur; & recipitur, etiam ab Henrico in ſumma art.36.q.1. Ægidio 1.d.35. p.1.q.2.rat.2. Riccardo art.1.q.1. Palatio diſp.1. initio. Sed impugnatur à quadam opinione,quam Aureolus ſupra art.2. refert in 2.loco,& ab ipſomet Aureolo ibidem in 3. opinione, & in 3. propoſitione; & ab Ocham 1. d.35.q.1. initio. & Gabriele ibidem art.1. Baſſolo q.1. art.1.§. *ſed de iſtis*.contendente, iſtam veritatem non poſſe demonſtrari. Ratio igitur hæc eſt, *Immaterialitas alicuius rei eſt ratio quòd ſit cognoſcitiua*. Sed Deus eſt immaterialis, ergo cognoſcitiuus. Conſequentia eſt euidens. Minor probata eſt ſuprà q.3.art.1.& 2. Maior ſolùm, quam, vt teſtatur Capreolus d.35.q.1.num.1.ad argumenta Aureoli contra 2. concl. ponit Auicenna in ſua Metaphyſica,probanda diligenter eſt dubitatione ſequenti.

*Impugnant verò* Aureolus, Ocham. Gabriel.Paulus,*& alij.*

Capreolus. Auicenna.

## DVBITATIO I.

### *An eſſe cognoſcitiuum oriatur ex eſſe immateriali.*

4. *Pars affirmatiua probatur 1.*

PArtem affirmatiuam quæ eſt maior ſuæ rationis, S.Thomas in hoc articulo probat primò; quia natura rei non cognoſcentis eſt coarctata, ac limitata ad habendum formam ſuam tantùm; natura verò rei cognoſcentis habet quamdam amplitudinem, & extenſionem, in quantum nata eſt habere formam etiam rei alterius, ex eo quòd ſpecies cogniti eſt in cognoſcente: in quo ſenſu dicit Philoſoph.q.3. de anim.text.37. quòd *anima entia quodammodo eſt omnia*. Sed illa formæ coarctatio non poteſt aliunde oriri, quàm ex formæ materialitate, quia nimirum, forma eſt immerſa in materia, eique penitus addicta; ſicut nec amplitudo, ſiue extenſio, quàm ex formæ immaterialitate; quia ſcilicet,forma habet aliquam emerſionem atque elongationem à materia, ergo ratio cognoſcitiui oritur ex ratione immaterialitatis.

*In quo ſenſu dicat Ariſt. Animam eſſe quodã modo omnia.*

*Prob. 2. & explicatur ex Ariſtotele cur plantæ non ſentiant.*

Secundò authoritate Ariſtotelis 2. de anim. text. 124. docentis, plantas non ſentire propter ſuam materialitatem, his verbis. *Propter quid plantæ non ſentiunt? Cauſa eſt non habere medietatem, neque huiuſmodi principium,vt poſſint recipere formas ſenſibilium, ſed pati cum materia.* Et t.121. definit, ſenſum eſſe, *Id quod eſt ſuſceptiuum formarum ſine materia.* Formam autem reſpicere non ſolùm materiam, in qua recipitur, ſed etiam immateriales alias formas, ad illas in ſe ipſa recipiendas,eſt profectò excurrere extra materiam, in qua eſt, & habere naturam aliquo modo eleuatam à materia. Tertiò conſtantiſſima, & apertiſſima inductione; quia omnes ſubſtantiæ non cognoſcentes,ſunt omnino materiales; cognoſcentes verò omnes, vt bruta, homines, Angeli, habent aliquem immaterialitatis gradum:& vt ait S.Thomas,quod rem mirificè illuſtrat,*ſecundùm modum immaterialitatis,eſt modus cognitionis.* Anima enim ſenſitiua,minimè omnium immaterialis, eſt in infimo gradu cognoſcitiui. Deinde anima noſtra, ſicut excedit in immaterialitate, ita & in cognitione; & dum habet modum eſſendi in materia,minus perfectè cognoſcit,quàm ſeparata à materia; ſupra hanc cognoſcunt Angeli, in materialitate ſuperiores; ergo euidentiſſimum ſignum eſt, omnem ſubſtantiam immaterialem,eſſe ex natura ſua cognoſcitiua.

*Probatur 3. inductione.*

5. *Probatur 4.* S.Thomas.

Quartò eamdem maiorem probat lib.1. contra Gent.cap.44, num.4. ex alio ſigno. *Formæ intellectæ in actu, fiunt vnum cum intellectu actu intelligente: ſed ex hoc formæ ſunt intellectæ in actu,quòd ſunt ſine materia. ergo oportet rem aliquam ex hoc eſſe intelligentem, quòd eſt ſine materia.* Hanc rationem,quam *optimam eſſe & ſubtilem,* meritò dixit ibi Ferrarienſis, in expoſitione quartæ rationis, in fine, ſubobſcuram faciunt duo termini, Philoſopho, & Commentatori familiares in libris de anima: quid ſcilicet ſit forma intellecta in actu. Et, quid ſit, formam intellectam in actu,fieri vnum cum intelligente.Breuiter dicam quòd hoc loco ſupponendum eſt ex libris de anima fuſiùs explicatum, ac probatum.

Ferrarienſis.

6. *Quid ſit forma intellecta in actu, ſecũdum S.Thom. & Ferrariẽſem.*

Quo ad primum, Forma intellecta in actu, vel eſt ſpecies, vt docet S.Thomas 1. d.35. q.1. art.1. ad 3. quatenus rei, quam repræſentat, vices gerit; vel, vt potiùs Ferrar.ſuprà,quod idem fere eſſe videtur,eſt res ipſa,quæ intelligitur,in quantum per ſpeciem intelligibilem repræſentatur. Hæc igitur res, dicitur forma, tum quia facta eſt per abſtractionem à materia; eadem enim res, per ſpeciem in intellectu eſt repræſentatiuè,atque intelligibiliter; & extra intellectum realiter, ac materialiter. v.g. idem lapis, per ſui ſpeciem abſtractum à reali, ac materiali natura lapidis,eſt in anima ſecundum eſſe intentionale; ſiue, vt loquitur Ariſtoteles 3. de anima t.37. *Quodam modo.* Quod eſſe intentionale, ſecundum Heruæum quodl.7.q.18.quem refert, & ſequitur Sylueſter circa finem huius articuli, nihil eſt aliud, quàm *eſſe ordinatum ad repræſentandum aliud*: per naturam verò ſuam eſt extra animam ſecundum eſſe reale,& ſimpliciter; omne autem abſtractum, reſpectu eius à quo eſt abſtractum, habet rationem formæ reſpectu materiæ; tum quia hæc res intellecta actu,nihil aliud re ipſa eſt, quàm ſpecies, quæ forma quædam eſt, informans potentiam cognoſcitiuam. Dicitur præterea intellecta actu;tum reſpectu intellectus, quem informans, atque actuans, conſtituit intellectum actu, hoc eſt, cum actuali & proxima determinatione ad intelligendum, ad quam determinationem antea erat in potentia: tum reſpectu ipſiuſmet rei, quæ recepta iam per ſpeciem ſui in intellectu, habet actualem, & proximam vim concurrendi ad intellectionem ſui; & conſequenter, vt poſſit eſſe actu intellecta, cùm priùs eſſet, ac diceretur intelligibilis tantùm in potentia.

Ariſtoteles.

*Quid ſit eſſe intentionale, ex Heruæo & Sylueſtro.*

7. *Qua ratione forma intellecta in actu ſit vnum cũ intelligente.*

Hinc patet explicatio ſecundi termini: quia cùm intelligens. v.g. lapidem, ſiue intellectus in actu reſpectu lapidis; id formaliter habeat per ipſummet lapidem;& conſequenter lapis intelligibiliter,ſiue actu intellectus, ſit tota forma,qua intellectus fit formaliter intellectus in actu, ſiue intelligens,& conſtitutus ac determinatus proximè, & actualiter ad intelligendum lapidem,iam,vt bene exponit Ferrar. ſuprà. *Intelligens fit ipſum intelligibile, ſicut habens quidditatem eſt aliquo modo ipſa quidditas. Et intelligibile fit ipſum intelligens,ſicut quidditas eſt aliquo modo ipſum habens quidditatem.* Et propter hoc dixit Ariſt. ſuprà, animam eſſe quodammodo omnia. Quo motus Auerroës acutè docuit 3. de anima commento 5. §. *Dicamus igitur.* fieri magis vnum ex intelligente, & intellecto, quàm ex materia, & forma: quia, vt idem latiùs interpretatur 12. Metaph. comment. 39. materia non fit forma, neque forma fit materia, ſed ex illis fit tertium. At intelligens, & intellectum ita conueniunt, vt intelligens fiat intellectum, & intellectum fiat intelligens. Quod eleganter expreſſit,ac probauit ipſemet Philoſophus ibi,his verbis. *Se ipſum verò intellectus intelligit, aſſumptione intelligibilis: intelligibilis namque fit attingens & intelligens; ita vt idem intellectus,& intelligibile ſit; ſuſceptiuum enim intelligibilis & ſubſtantiæ, intellectus eſt;operatur autem habens*: ergo ſecundum Ariſtotelem,ex eo quòd intellectus aſſumat, ac ſuſcipiat intra ſe intelligibile, & operetur vt habens intra ſe intelligibile, oritur vt intellectus in actu, ſit ipſum intelligibile; quia nimirum eſt formaliter talis vt informatus intelligibili; item, vt intelligibile ſit ipſemet intellectus in actu, quia nimirum, eſſe intellectum in actu, habet intellectus formaliter per intelligibile. Quod nihil verè eſt aliud, niſi, intellectum per ſpeciem intelligibilem,quæ eſt obiectum ipſum intelligibile ſecundum eſſe intentionale,conſtitui formaliter & actualiter in proxima, & completa ratione intellectus; hoc eſt, potentiæ vltimò determinatæ, & expeditæ ad intelligendum. Vnde illud Philoſophi, quòd ſenſibile in actu, eſt ſenſus in actu; & intelligibile in actu,eſt intellectus in actu; S.Thomas artic. ſeq. circa medium corporis, explicat & probat per ſpeciem, ſic: *Ex hoc enim aliquid in actu ſentimus, vel intelligimus, quò intellectus noſter, vel ſenſus, informatur in actu per ſpeciem ſenſibilis, vel intelligibilis.* Hac terminorum explicatione præſuppoſita, facile apparet efficacia conſequentiæ probationis S. Thomæ; ſi enim ex abſtractione à materia oritur,vt res ipſa extra animam, & ſecundum ſe non intelligens, fiat intelligens, ergo multo magis ex eadem abſtractione, & immaterialitate oriri debet vt ſit intelligens aliqua ſubſtantia in ſe ipſa intrinſecè, ac vitaliter intellectiua.

Ferrarienſis.

Ariſtoteles. Auerroës.

*Magis fit vnũ ex intelligente & intellecto, quàm ex materia & forma.*



Ariſtoteles.

*Breuis ſenſus 4. probationis.*

8. *Probatur 5. à priori.*

Addi poteſt quinta eiuſdem maioris probatio à priori; quia eſſe rei eſt cauſa cur res ſit operatiua; operatio enim conſequitur ad eſſe: ergo eſſe immateriale eſt cauſa operationis immaterialis, cùm ſecundum modum eſſendi dari debeat operandi modus. Operatio autem ex genere ſuo immaterialis,eſt cognitio.ergo veriſſimè aſſumpſit S.Thomas, *Immaterialitas alicuius rei, eſt ratio quòd ſit cognoſcitiua.*

## DVBITATIO II.

### *Qua ratione immateriale ſit cauſa cognoſcitiui, & ab eo diſtinguatur.*

9. Aureolus.

EX dictis colligere facilè poſſumus S.Thomam in ſua ratione ſuprà n.3.procedere à priori per cauſam eſſendi, vt rectè obſeruauit Aureolus 1. d.35. q.1. art.2.contra aliquos ab ipſo relatos in 2. opinione dicentes, in hac ratione immaterialitatem non ſumi poſitiuè,ſed negatiuè, pro priuatione materialitatis, & potentialitatis: & per eam intellectiuitatem per modum ſigni;quia,inquiunt, *Immaterialitas eſt ſignum entitatis poſitiuæ, cui competit habere naturam nobilem, & per conſequens nobilem operationem, quæ eſt cognoſcere*; non autem per modum cauſæ. Quamuis Aureolus in re ipſa, teneat in 3.propoſitione,immaterialitatem poſitiuè acceptam pro ſpiritualitate, non eſſe intellectiuitatis *cauſam realiter ſed ſecundum intellectum, per modum medij illatiui.*

*Immateriale eſt ſecundum rẽ cauſa cognoſcitiui;& ab eo non diſtinguitur.*

Quòd attinet ad mentem S.Thomæ, conſentimus Aureolo contra Heruæum 1.d.35. q.1.artic.1. ad 1. cuius opinionem, tacito nomine, refert & impugnat, ídque manifeſtum eſt cuilibet attentè legenti argumentum, & omnes probationes factas: & idem deduci poteſt ex ipſorum aduerſariorum interpretatione: quia volunt,negationem materialitatis eſſe ſignum cuiuſdam poſitiuæ naturæ, cui competit operatio cognoſcendi.ergo talis natura, quæ proculdubio eſt poſitiuus gradus immaterialitatis, & ſpiritualitatis, eſt cauſa huius proprietatis. ergo hæc per illam probatur à priori per veram cauſam: ergo cùm rem concedant, immeritò cenſent S.Thomam arguere remotè per extrinſecam rationem ſigni, & non proximè per intrinſecam rationem cauſæ.

Heruæus.

10. *Probatur 1.*

Quoad ipſam verò rem, diſſentimus ab Aureolo. 1. quia materialitas eſt poſitiua, & adæquata cauſa realiter, cur aliquid non ſit cognoſcitiuum; quod apertè ſignificant verba Philoſophi ſuprà citata ex 2.de anim. t.124. *Propter quid. Cauſa eſt,*&c.ergo oppoſita differentia poſitiuæ immaterialitatis eſſe debet realiter cauſa oppoſitæ proprietatis cognoſcendi. Atque hoc argumentum acutè tetigit Henricus in ſumma art. 36. q. 1. poſt medium corporis, dicens, *Eſſe ſeparatum à materia, eſt cauſa quare aliquid eſt intellectiuum, aut aliquid intelligibile ſecundùm actum; quemadmodum è contra, materia impedit, quòd aliquid non ſit intellectiuum, ſeu actu intellectum.* Confirmatur ex iiſdem verbis Philoſophi docentis, cauſam, propter quam plantæ non cognoſcant, eſſe, quia *non habent huiuſmodi principium vt poſſint recipere formas ſenſibilium.* hoc autem principium eſt vera ac realis cauſa eſſendi, & non ſolùm cognoſcendi, & inferendi, quia eſt principium,quo res poteſt realiter recipere aliquid reale. Sed principium quo poſſumus recipere formas abſtractas à materia eſt formaliter ipſemet ſubſtantialis gradus immaterialitatis:ergo hæc eſt realiter cauſa, propter quam inſit in re proprietas cognoſcitiui.

Henricus.

*Confirmatur ex Ariſtotele.*

11. *Probatur 2.*

Secundò, Variato præcisè modo immaterialitatis, variatur modus cognoſcendi in re ipſa, independenter ab opere intellectus; vt maximè patet in anima noſtra, quæ tam in corpore, quàm extra corpus, ſemper retinet eundem prorſus eſſentialem gradum intellectiui; & ſolùm mutat modum eſſendi, minus vel magis immaterialem; eáque ſola mutatione variat cognoſcendi modum, minus vel magis perfectum: ergo proprietas cognoſcendi pendet formaliter & præcisè ex immaterialitate; & eſſentialis gradus immaterialitatis non eſt diuerſus, ne ratione quidem ab eſſentiali gradu cognoſcitiui; alioqui hoc gradu nullatenus mutato, nulla ratione mutari deberet conditio cognoſcendi.

12. *Probatur 3.*

Tertiò, poſſe intelligere, eſt quædam proprietas realiter proueniens ex aliquo eſſentiali principio, ſicut eſſe diſcurſiuum, riſibile, &c. proueniunt ex gradu eſſentiali rationalitatis: hoc autem principium non poteſt eſſe intellectum, vt diſtinctum ab immateriali; quia illud ad hoc deberet comparari tamquam differentia ad genus: ſed talis comparatio eſſet falſa, tum quia intellectiuum, & immateriale æquè latè patent, etiam ſecundum Aureolum, qui planè concedit & bene probat, *impoſſibile eſſe, quod detur ſubſtantia immaterialis, ſeu ſpiritualis, quæ non cognoſcat*: & omnem ſubſtantiam intellectiuam eſſe immaterialem. Hæc autem æqualitas eſt contra rationem generis, & differentiæ: tum quia in ſubſtan

*Immateriale non eſſe genus reſpectu intellectiui.* Aureolus.

ſubſtantiis non cognoſcitiuis, non diſtinguimus aliquam eſſentialem differentiam, contrahentem ſubſtantiam materialem ad non cognoſcitiuam; ſed dicimus, eam præciſè quatenus materialem, & propterea quòd eſt materialis, eſſe non cognoſcitiuam: ergo à pari, in oppoſitis ſubſtantiis cognoſcitiuis, non debet ſubſtantia immaterialis contrahi ad ſubſtantiam cognoſcitiuam per differentiam aliquam diſtinctam; ac ſuperadditam. Ergo immaterialitas eſt principium eſſentiale, vnde immediatè, & realiter, & intrinſecè emanat proprietas cognoſcendi. Et, vt ait Capreolus 1.d.35.q.1. paulò ante 2.articulum. *Intellectualitas eſt propria paſſio ſubſtantiæ ſpiritualis*. Et, vt bene concludit Arrubal in fine huius articuli, *ſubſtantia ſpiritualis formaliter per hanc rationem ſubſtantialis immaterialitatis, eſt intelligendi radicale principium*; ex quo, vt paulo antè dixerat, *oritur virtus intelligendi*. Ergo qui hanc proprietatem demonſtrat per immaterialitatem, procedit per cauſam eſſendi, & non ſolùm cognoſcendi, atque inferendi: ſicut qui demonſtraret de homine diſcurſiuum per rationalitatem.

Capreolus.
Arrubal.

14. Quartò, Eſſe immateriale in creaturis, eſt radix alicuius operationis, ſicut eſſe materiale; quia operari conſequitur ad eſſe: ſed non poteſt eſſe radix niſi operationis immaterialis, quæ alia non eſt niſi cognitio: ergo eſt radix cognitionis; ergo eſt idem formaliter cum eſſe cognoſcitiuo ſubſtantiali.

*Probatur 4.*

*Soluuntur aduerſariorum obiectiones.*

15. Contra rationem articuli hactenus explicatam, & probatam, multa obiiciunt aduerſarij, primò quidem, vt teſtatur Capreolus 1. d.35. q.1. art.1. paulo ante ſolutionem argumentorum, *Arguit Aureolus multipliciter vel ſaltem aliorum argumẽtis cõſentit.* Quamuis Aureolus 1.d.35.q.1.a.2.circa initium, ea argumenta ex aliis ita referat, vt deinde in tertia propoſitione ſoluat, & expreſsè aſſerat, *non valere.* Alij igitur apud Aureolum impugnant.

*Soluũtur impugnationes quorundam apud Aureolum.*

16. Primò, Si eſſe intellectiuum oriretur ex immaterialitate, ſequeretur, arctari, & limitari, & tolli ab anima noſtra virtutem intelligendi, quamdiu vnitur materiæ, per quam ſecundùm Thomiſtas indiuiduatur. Reſpondetur non tolli, ſed tantùm aliquo modo limitari; non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum intelligendi: quia licèt anima noſtra ſit forma materiæ, vt concedit Capreolus, tamen, vt docet S.Thom.2. contra Gent. cap.69. ad 3. *non oportet eſſe formam materialem: non enim eius eſſe eſt in materia, ſicut materiæ immerſa, vel à materia totaliter comprehenſa, ſed alio modo.* quia nimirum eius eſſe eſt quidem in materia informatiuè & vnitiuè: non tamen ſuſtentatiuè, ſiue eductiuè. Vnde, etiam quando eſt in corpore, licèt propter hunc actualem modum eſſendi, intelligat dependenter à corporeis ſenſibus, ac phantaſmatibus; tamen quia ſecundùm ſuum ſubſtantiale eſſe, eſt per ſe ſubſiſtens, & immaterialis, & independens à corpore, intelligit abſque dependentia ab omni organo corporeo. Quamobrem retorqueri poteſt argumentum, vt ſuprà n.4. probatione 3. & num.12.

*Impugnatio prima.*
*Reſpondetur declarãdo limitationẽ intelligẽdi quã habet anima noſtra dũ eſt vnita materia.*
S.Thomas.

17. Secundò, Quia gaudium, triſtitia, & alia, quæ ſunt in voluntate, ſunt immaterialia, & non cognoſcitiua. Reſpondetur hæc eſſe accidentia: rationem verò S.Doctoris habere locum in ſubſtantiis, quia, vt bene reſpondet Aureolus, *non omne abſtractum à quantitate habet cognoſcere, ſed ſolum ens ſubſiſtens, & completum.* etenim intelligere, eſt perfectiſſima operatio: operationes autem ſunt ſuppoſitorum, & non eorum, quæ accidunt ſuppoſitis.

*Secunda impugnatio.*
*Reſpondetur rationem S. Thomæ procedere de ſubſtãtiis immaterialibus.*

18. Tertium argumentum, quo vtitur etiam Baſſolus ſuprà in quarta ſua ratione. Intellectualitas ineſt naturæ intellectuali in primo modo dicendi per ſe, ſicut eſſentialis differentia; & in illa natura fundatur immediatè priuatio materialitatis: differentia autem non habet cauſam eſſendi, ſed ipſa eſt prima cauſa proprietatum naturæ in tali eſſentia primò conſtitutæ per talem differentiam: ergo intellectualitas non poteſt probari de natura intellectuali per cauſam eſſendi. Atque hoc argumento fatetur etiam Aureolus probari, quòd *immaterialitas non ſit cauſa realiter, quòd alicui naturæ intelligibilitas inſit.* Reſpondet Capreolus, quod Soncinas ibidem ſequitur, intellectualitatem non eſſe differentiã ſubſtantiæ ſpiritualis, ſed propriam eius paſſionem; quod puto eſſe intelligendum de differentia diſtincta vel ſecundùm rem, vel ſecundùm rationem à ſpiritualitate; alioqui abſolutè loquendo, negare non poſſumus ſub genere generaliſſimo ſubſtantiæ dari ſpecies in eſſentia ſua vltimò conſtitutas per gradum differentialem cognoſcitiuitatis, & intellectualitatis. ſic conſtituta eſt ſubſtantia ſpiritualis angelica: ſic ſub viuente per eſſentialem differentiam ſenſibilitatis, quæ eſt aliquis cognoſcendi gradus, conſtituitur animal: ſic etiam ſub animali conſtitutus eſt homo, cuius eſſentialem differentiam omnes dicimus eſſe rationalitatem. Nihil igitur aliud vult Capreolus, niſi illam intellectualitatem, quæ de ſubſtantia ſpirituali demõſtratur per ſpiritualitatem, ſeu immaterialitatem, non eſſe differentiam; ſed paſſionem ex priori differentia promanantem; quam etiam intellectualitatem vocamus ex penuria vocabulorum. Addendum verò eſt, quod ſuprà n.12. & 13. oſtendi, intellectiuum radicale, ſiue ſubſtantiale, quod cauſa realiter eſt intellectiui aptitudinalis, ſiue accidentalis, non eſſe aliquem gradum eſſentialem, aut re, aut ratione perfectè diſtinctum à gradu ſpiritualitatis, ſed ſolùm imperfectè per implicitum & explicitum, & per ordinem ad diuerſos effectus, ſeu terminos. Idem enim omnino gradus eſt, qui quatenus cauſat aptitudinem intelligendi; dicitur explicitè intellectualitas: quatenus in ſua natura negat materiam, & quantitatem, eiúſque effectus dicitur explicitè immaterialitas, & ſpiritualitas.

*Tertia impugnatio ex Baſſ. & Aureolo.*
*Reſpondetur cum Capreolo, & Soncinate diſtinguẽdo duplicem intellectualitatem.*
*Quo modo diſtinguantur gradus immaterialitatis, & intellectualitatis ſubſtantialis.*

19. Quartò, Aliquod intelligibile, v.g. materia, quantitas, & phyſicum ex his compoſitum, eſt materiale: ergo aliquis intellectus poteſt eſſe materialis. Reſpondetur cum Aureolo & Capreolo, falſum eſſe antecedens de intelligibili actu, hoc eſt, ſecundùm eſſe quod habet in anima; hoc enim eſſe habet per ſpeciem immaterialem. Vnde ens materiale ad intellectionem ſe habet materialiter, quia non poteſt ab intellectu percipi, niſi immaterialiter, & modo ſpirituali. Ex quo retorqueri poteſt argumentum, & probari potiùs immaterialitas intellectus, vt ſuprà n.5.6.& 7.

*Quarta impugnatio.*
*Reſpondetur materialia intelligi immaterialiter.*

20. Præterea Occhamus arguit primò, quia ſpecies recipiuntur etiam in medio non cognoſcente. E contrà; Deus cognoſcens nec recipit, nec habet in ſe rerum ſpecies. Ergo non bene dicit S.Thom. cognoſcens diſtingui à non cognoſcente, quòd illud recipiat ſpeciem cogniti; non hoc. Reſpondetur, ſpeciem in medio eſſe realiter, ſed quaſi materialiter, hoc eſt, vt formam quamdam, non vt repræſentationem, & ſimilitudinem; & conſequenter, non vt formaliter ſpeciem. In cognoſcente autem eſſe formaliter vt ſpeciem, & immaterialiter,

*Soluũtur obiectiones Occhami, & Gabrielis.*
*Prima obiectio.*
*Reſpondetur defendendo differentiam à S. Thoma traditam inter cognoſcẽs & nõ cognoſcens.*

vt



vt fusè explicat Syluester hîc circa finem, hoc eſt, cum ordine & aptitudine ad repræſentandum aliud, & ponendum illud in cognoſcente abſque aliqua præuia diſpoſitione materiali; Deus verò habet omnium creaturarum ſpecies, non formaliter, ſed eminenter, modo explicato ſuprà q.12. art. 8. n. 57. & art. 9. Neque dixit S.Thomas, cognoſcens recipere ſpeciem, ſed habere. *Cognoſcens,* inquit, *natum eſt habere formam, etiam rei alterius,* &c.

21. Secundò arguunt Occhamus, & Gabriel. *Quia multa ſunt accidentia immaterialia, quæ tamen non ſunt cognoſcitiua.* Sed reſponſum eſt n. 17. Tertiò quia *ſecundùm communem opinionem forma cæli eſt immaterialis, & tamen non cognoſcitiua.* Reſpondetur nullam opinionem dicere, formam cæli eſſe immaterialem, in ſenſu quo nos hîc cum S.Thoma immaterialitatem accipimus; nimirum vt diſtinctam contra corporeitatem, &, vt ita loquar, quantificabilitatem: manifeſtum autem eſt, formam cæli eſſe ſubſtantiam corpoream, & immerſam quantitati, & à quantitate totaliter comprehenſam. Quamuis in opinione poſitum ſit, an illa ſubſtantia ſit ſimplex quædam corporeitas; vel potiùs quod in Philoſophia probaui, compoſita ex materia & forma. Et an talis materia ſit eiuſdem vel diuerſæ rationis à ſublunari materia; ſed quicquid aſſeres, non eſt ad rem, quia ex nulla opinione concludes immaterialitatem in ſenſu prædicto.

*Secunda obiectio.*
*Tertia obiectio.*
*Reſpondetur declarando, quo modo forma cæli ſit immaterialis.*

22. Quartò idem arguunt. *Poſſibile eſt, Deum producere formam immaterialem, ſimplicem, per ſe ſtantem, non cognoſcitiuam; nullam enim implicat contradictionem.* Reſpondetur cum Aureolo ſuprà, & aliis implicare: & contradictio ſita eſt in hoc, quia non poteſt dari aliqua natura, cui non ſit proportionata, & debita aliqua operatio, nam omnis natura eſſentialiter eſt principiũ alicuius motus: atque adeò id competit etiam naturæ cæli Empyrei, cuius operatio à quibuſdam non rectè dicitur perpetuitas, & ſtabilitas, quæ ſunt proprietates quædam antecedentes omnem operationẽ; & conuenientes etiam principiis paſſiuis, & non actiuis, vt materiæ primæ quantitati, &c. ſed vel eſt illuminatio vel aliquis peculiaris influxus in hæc inferiora, ſeu alios cælos ſeu beatorum corpora; vel alia operatio nobis ignota, ſicut ignotum nobis naturaliter eſt ipſum Empyreum. Naturæ autem immateriali non poteſt eſſe proportionata operatio materialis, ſed ſolùm immaterialis. Sed nulla alia ſpiritualis operatio nobis nota eſt, niſi vel cognitio, vel volitio, quæ eſſentialiter cognitionem præſupponit. Ergo implicat contradictionem eſſe ſubſtantiam immaterialem & non eſſe cognitiuam, ſicut implicat, eſſe ſubſtantiam animalem, & non ſenſitiuam, vel ſubſtantiam humanam, & non rationalem. Iam enim probatum eſt, gradum eſſentialem & differentialem, vltimò conſtitutiuum ſubſtantiæ immaterialis eſſe ipſummet gradum intellectualitatis. Implicat igitur ſubſtantia immaterialis ſine hoc gradu intellectualitatis ſubſtantialis, & remotæ; quamuis non implicet ſine intellectualitate accidentali, & proxima, & multò magis ſine actuali intellectione.

*Quarta obiectio.*
*Reſpondetur aſſignãdo implicãtiã ſubſtantiæ immaterialis & non cognoſcitiuæ.*

23. Dices: inter corpora quædam dantur cognoſcitiua, vt bruta, homines: quædam non; vt elementa, mixta inanimata, & plantæ: ergo eadem differentia cenſeri debet poſſibilis inter ſpiritus. Reſpondetur ſi hæc eſſet poſſibilis, dari deberet de facto, quia eſſet genus quoddam ſubſtantiæ naturalis, faciens ad complementum, & integritatem vniuerſi. Diſparitas igitur petenda eſt ex perfectione eſſendi ſubſtantiarum ſpiritualium, & imperfectione eſſendi ſubſtantiarum corporalium: illæ enim, quia habent eſſe perfectiſſimum in genere eſſendi, habere debent operationem perfectiſſimam in genere operandi, quæ eſt intellectio; fingere enim aliquam aliam ſpiritualem operationem, nobis ignotam, vt prudenter dixit Aureolus 1.d.35.q.1. art.2. propoſitione 3. §. *etſi dicatur.* eſt ſermo imaginabilis, & dictus ſine ratione; ſicut arguit *Commentator* 12. *Metaph. com.*42. *contra imaginationem Auicennæ.* hæc verò quia habent imperfectius eſſe, habere poſſunt minus perfectas operationes, quæ non ſolùm ſunt ſentientes, ſed etiam vegetantes; & aliæ adhuc imperfectiores; quas omnes experimur.

*Inſtatur cõtra implicãtiam.*
*Reſpondetur aſſerendo diſparitatẽ cur inter ſpiritus dari nequeãt cognoſcens & nõ cognoſcẽs, ſicut dantur inter corpora.*
Aureolus.

24. Quintò ex iiſdem, *Dare eſſe materiæ non impedit cognitionem; alioqui anima coniuncta non poſſet ita perfectè cognoſcere, ſicut ſeparata: & ita minùs perfectè cognoſceret anima beata poſt reſurrectionem, quàm antè, quod patet eſſe falſum.* Reſpondetur. Anima beata poſt reſurrectionem cognoſcet perfectiùs; tum quia in corpore exercebit cognitiones ſenſitiuas, quas extra organa corporea exercere non valebat: tum quia in corpore, quàmuis ex naturali eſſendi conditione poſſit minus perfectè operari per intellectum, tamen ex gratia eleuabitur ad perfectum illum intelligendi modum, quem haberet ſi nullo modo penderet à corpore; ſicut, quod multo plus eſt, eleuabitur ad intellectionem intuitiuam ipſiuſmet eſſentiæ diuinæ. Similem conſequentiam facit Baſſolus ſuprà, dicens, ſequeretur quòd *eſſet minus beatificabilis totus homo, quàm anima ſeparata.* Sed hoc quamuis, abſolutè loquendo, ſit falſum, quia non ſolùm anima, ſed corpus etiam eſt ſuo modo beatificabile: tamen nullum eſt abſurdum, imò rectæ Philoſophię valdè conſonum, ſpectata præciſè ratione intelligendi. Neque opus eſt alias Baſſoli rationes ſoluere, quia probant tantùm, materialia eſſe intelligibilia, quod nunquam negauit S.Thomas, ſed ſolùm negauit eſſe intellectiua.

*Quinta obiectio.*
*Reſpondetur explicando modum, quo anima beata perfectiùs cognoſcat poſt reſurrectionẽ.*
*Baſſoli obiectiones.*

25. Dices pro Aureolo, 1. Angeli omnes participant eundem eſſendi modum, & ſpiritualitatem, ſiue immaterialitatem eiuſdem rationis; & tamen vel ſinguli, vel ſaltem quamplurimi ſpecie differunt inter ſe per diuerſos gradus intellectiuos, tamquam vltimas differentias conſtitutiuas: ergo immaterialitas, & intellectualitas non ſunt vnus & idem gradus contra id quod poſitum eſt ſuprà n. 12. 13. & n. 18. & conſequenter, proprietas intelligendi, quæ diuerſa eſt in diuerſis ſpeciebus, non poteſt realiter oriri ex communi immaterialitate, ſed ex intellectualitate eſſentiali vniuſcuiuſque propria. Reſpondetur in Angelis, præter illum communem, ac genericum immaterialitatis gradum, quo dicuntur omnes æquè abſtrahere, & elongare à Phyſica materia, & quantitate; vnde oritur communis quædam proprietas intelligendi in genere, ſicut ſunt diuerſæ eſſentialiter intellectualitates differentiales; ita pariter eſſe immaterialitates diuerſas, ex iiſque oriri intelligendi proprietates, ſpecie diuerſas: quatenus nimirum, vnaquæque ſpecies, prout eſt vel ſuperior, vel inferior, eſt ſuſceptiua ſpecierum intelligibilium magis, & minus vniuerſalium; quæ eſt aliqua immaterialitas in eo ſenſu, quo hîc largè immaterialitatem vſurpamus, iuxta modum loquendi Philoſophi, verbis ſuprà citatis n.4. quibus in cognoſcente etiam ſenſitiuo, dependente à materia, & quantitate, tam in fieri quàm in operari, aliquam

*Inſtatur pro Aureolo 1.*
*Reſpondetur diſtinguendo in Angelis immaterialitatis gradus genericos, & ſpecificos.*





imma

immaterialitatem eſſe dixit, *illum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum ſine materia*. Ergo immaterialitas etiam dici poteſt, intellectum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum, magis & minus vniuerſalium. Per eundem autem ſubſtantialem gradum, quo quis eſt ſuſceptiuus ſpecierum intelligibilium, eſt intellectiuus. Ergo prædicti gradus, eadem prorſus æqualitate, habent vnitatem, & diuerſitatem; nempe vnitatem genericam, diuerſitatem ſpecificam. Vnde quælibet intelligendi proprietas accidentalis, quæ oritur ex ſubſtantiali intellectualitatis gradu, ſemper oritur etiam ex ſubſtantiali gradu immaterialitatis.

26. *Inſtatur ſecundò.*

Dices ſecundò, quæ hactenus diximus, non poſſe applicari S.Thomæ; quia in ſua ratione probat de Deo, eſſe intellectiuum per eſſe immateriale; in Deo autem intellectualitas neque habet cauſam realiter eſſendi, neque eſt proprietas, ſed vltima quaſi differentia conſtitutiua eſſentiæ diuinæ ex probatis ſuprà q.4.art.2. Reſpondetur S.Thomam, propoſitionem illam, *immaterialitas alicuius rei, eſt ratio quòd ſit cognoſcitiua*, vſurpare vniuerſaliſſimè, & pro Deo, & pro creatura quibus omnibus eam expreſsè applicat: quocirca ſingulis eſt proportionaliter accommodanda; nimirum, vt cùm de creaturis agitur, illud, *ratio*, ſit accipiendum pro cauſa formaliter accepta, & influente realiter in productionem proprietatis accidentalis intelligẽdi: cùm verò agitur de Deo, accipiendum ſit pro cauſa virtuali, virtualiter influente, quantum eſt ex generica, & præciſa ſua ratione: ita vt, ſi Deus eſſet capax in ſe *diſtinctionis*, & cauſalitatis, & proprietatis accidentalis intelligendi, hæc ex nulla alia eſſentiali perfectione oriretur, quàm ex ſua immaterialitate, & conſequenter eſſentiali intellectualitate. Huiuſmodi enim demonſtrationes procedentes per cauſas virtuales, habere locum in diuinis, & eſſe à priori, & propter quid, oſtendimus ſuprà q.1.art.8.

*Reſpondetur applicãdo rationem S.Th. tam creaturis, quã Deo.*

27. Demum addo, quòd quamuis in Deo nullum aliud intellectiuum ſit, niſi actuale, & eſſentiale, quaſi ſpecificum; & gradus, ſeu perfectio intellectiui, ſit eadem cum perfectione immaterialitatis, adhuc de eo dici poſſe, quod ratio, ob quam eſt intellectiuus, eſt, quia eſt immaterialis; quia quamuis iſtæ perfectiones, neque in Deo, neque etiam in creaturis, ne per intellectum quidem diſtingui poſſint inter ſe perfectè in ratione perfectionis ſecundùm ſe, hoc eſt, & quoad conceptum explicitum, & implicitum; ſicut diſtinguuntur intellectiuum, & volitiuum, & ſimilia; tamen diſtinguuntur quoad conceptus explicitos, & inadæquatè per ordinem ad diſtinctos effectus, vt ſuprà n.18.fin. idque ſatis eſt, vt dicatur, quod Deus prius ratione ratiocinata habet vt ſit immaterialis, poſterius vt ſit intellectiuus; quia prius ratione ratiocinata eſt, aliquid eſſe elongatum à materia; quàm illud eſſe habere ratione operatiui, illud enim pertinet ad eſſe, hoc verò pertinet ad operari; prius autem cum fundamento in re, eſt eſſe, deinde operari. Ergo etiam loquendo de intellectiuo eſſentiali, & tenendo, quod verum puto, illud non diſtingui ratione ratiocinata adæquatè in ratione gradus ſecundùm ſe, ab immateriali, tam de Deo, quàm de creatura, valet hæc conſequentia per cauſam ſeu rationem à priori; *eſt immaterialis, ergo intellectiuus*: ſicut à contrario; *eſt materialis, ergo non intellectiuus*. Et per effectum, ſeu rationem à poſteriori; *eſt, vel non eſt intellectiuus, ergo eſt, vel non eſt immaterialis*. Atque hanc prioritatem, & poſterioritatem ſolùm ſignificare cenſendus eſt Chryſoſtomus homil.1. de incomprehenſibili Dei natura, circa initium, illis verbis, *non à ſapientia, ſubſtantia; ſed ex ſubſtantia ſapientia eſt.*

Chryſoſt.

## DVBITATIO III.

### *An concluſio articuli alijs rationibus probari poſsit.*

28. EAmdem veritatem demonſtrant etiam aliæ rationes, tamen minùs principales; quia vel non procedunt à priori, vel non per cauſam ita intrinſecam, & immediatam. Prima ratio inter Theologos valdè communis, S.Thomæ 1.contra Gent. c.44.rat.5.& 1.d.35.q.1.art.1.in 2. argumento, *ſed contra*. & de verit.q.2.art.1. argumento, *ſed contra*. Ægidij 1.d.35.q.1. circa finem corporis. & ad 1. & q.2.initio corporis. Riccardi art.1.quæſt.1.argumento, *ſed contra*. Marſilij q.38.art.1.concl.1. Baſſoli q.vnica, art.1.§. *Adducuntur*. Aureoli q.1.art.2. propoſit.2. Capreoli art.2.concl.1.rat.2. Gabrielis q.1.art.2. Heruei q.1.ar.1.3.via. Henrici in ſumma. art.36.q.1.in argumento, *ſed contra*. Ferrarienſis loco citato contra Gent.& aliorum. Enti perfectiſſimo in genere entis ſimpliciter, quod eſſe Deum, demonſtratum eſt ſuprà q.4. nulla perfectio ſimpliciter deeſſe poteſt. Sed intelligere eſt aliqua perfectio ſimpliciter, hoc eſt, abſque vlla imperfectione; ergo conuenit Deo. Minor fusè probatur ab Aureolo, & Gabriele ſuprà. Sed meliùs ab aliis aſſumitur tamquam nota ferè ex terminis; quia intelligere, ſi præciſè concipiatur, ſolum pro conceptu, quem explicitè importat, hoc eſt, pro cognitione in ſuo genere omnium nobiliſſima, euidens per ſe eſt, in eo nullã fingi poſſe imperfectionem: & in omni ente eſſe melius intelligere, quàm non intelligere, quod eſt ignorare, ac veluti dormire. Neque enim cogitari prudenter poteſt aliud ſuperius cognitionis genus, quod non ſit formaliter, & ſimpliciter intelligere: ſicut neque ſupra ſubſtantiam, aut ſpiritum, aut vitam, aut eſſe, quæ omnia, amologicè accepta, ſunt formaliter tam in creaturis, quàm in Deo, alia entium genera perfectiora fingere licet. Verùm huiuſmodi demonſtratio, procedens ex ſumma Dei perfectione, quo vitio laboret, patet ex dictis ſuprà q.7. art.1.n.62.& q.9.art.1.n.6.

*Prima ratio S.Th. Ægidij, Henrici, Riccardi, Aureoli, Capreoli, Baſſoli, Marſilij, Gabrielis, Ferrarienſis, ex ſũma Dei perfectione.*

*Intelligere eſſe perfectionẽ ſimpliciter.*

29. Secunda ratio ducitur ex demonſtratis ſuprà q.2. quòd Deus ſit prima cauſa, omnia cauſans, & à nullo cauſata. Hinc aliqui apud Aureolum ſuprà, propoſitione prima ita deducunt. *Ergo Deus cognoſcit in ſpeciali partes, ex quibus conſtituitur vniuerſum.* Hæc ratio, ſi nihil aliud addatur, non eſt efficax: non quòd ſupponat vnum creditum, ex quo ſolo capite eam reijcit Aureolus, quia eſt etiam demonſtratum ſuprà q.2. Deum eſſe primum principium rerum omnium; ſed quia non probat, aut non declarat, quid importet ratio primæ cauſæ, ob quam eſſe neceſſariò debeat cognoſcitiua; cùm manifeſtum ſit, multas cauſas agere, & non cognoſcere. Quapropter vt ratio ſit efficax, addendum vel cum Durando 1.d.35.q.1.n.5. quòd *primæ cauſæ competit nobiliſſimus modus cauſandi, qui eſt per intellectum, & voluntatem, & cum dominio ſui actus*. alioqui, vt arguit Henricus in ſumma. art.40. quæſt.1. cauſæ ſecundæ, vt Angeli, & homines, qui agunt per intellectum, & voluntatem, & ſunt veluti inſtrumenta cauſæ primæ, perfectiùs agerent; & perfectè agentia per intellectum, dependerent eſſentialiter in agendo ab imperfectè agente ſine intellectu; vel cum Vdalrios apud Carthuſian. 1. d.35.q.1.circa finem, & aliis; quia in vniuerſo, eiúſque

*Secunda ratio ducta ex conceptu primæ cauſæ.*

Aureolus. Durandus. Henricus.



que partibus, primæ cauſæ omnino ſubiectis, tanta cernitur varietas, ac multitudo, tanta diſpoſitio atque coordinatio, tantum complementum, artificium tantum, vt ſtultus planè fuerit, qui ab vno aliquo ſtulto, atque ignorante effectore hęc omnia condita eſſe, & conſeruari, gubernaríque exiſtimauerit.

30. Tertia ratio S.Thomæ 1.d.35.q.1.art.1.& lib.1. contra Gent. cap.44.ratione 6. quam alij ſequuntur. Multæ cauſæ naturales ſunt, quæ agunt propter finem, & ſine intellectu, vt cæli elementa, & alia corpora non ſentientia. Ergo non poſſunt ſibi præſtituere finem. Ergo debet illis præſtitui finis ab alio ſuperiore agente, qui ſit inſtitutor naturæ: non poteſt autem præſtitui finis niſi à cognoſcente finem. Difficultatem facit ſolùm ſecunda conſequentia; quia poſſet quis dicere, res tendere ad illum finem ex propria naturali neceſſitate, & intrinſeca naturæ inclinatione; atque adeò non eſſe neceſſarium, vt finem Deus illis præſtituat, & cognoſcat. Nec video quomodo ex vi huius medij termini, prædicta neceſſitas induci poſſit, niſi addendo, res naturali propenſione inclinantes in aliquem determinatum finem, ob earum vtilitatem, conſeruationem, perfectionem, &c. quia in vniuerſo miſtæ ſunt cum aliis, tum impedientibus, tum etiam aduerſantibus, indigere aliqua prima cauſa, eas ita gubernante, ac dirigente, vt tutò ac facilè proprium finem conſequi valeant; ſed directio ſine omnium finium cognitione, eſt impoſſibilis. Atque hanc directionem ſpectaſſe videtur S. Thomas in loco citato ex prima ſent. quia ad hoc vt res aliqua tendat in finem ſuum determinatum, ait, eſſe neceſſarium, *quòd procedat aliqua cognitio præſtituens finem, & dirigens in finem ea, quæ ſunt ad finem.* Ad quod probandum affert illud Philoſophi dictum; *Opus naturæ, eſt opus intelligentiæ.*

*Tertia ratio S.Thomæ ducta ex cauſis naturalibus agentib. propter finem.*

S.Thomas. Ariſtoteles.

31. Addendum præterea, in rebus naturalibus, & finem non cognoſcentibus, multos fines apparere non ſecundùm naturæ propenſionem, imò aliquando contra naturalem inclinationem; vt quòd cæli perpetuò circumagantur; quòd elementa grauia ſurſum, & leuia deorſum tendant ad impediendum vacuum; & plerumque violenter quieſcant ne vacuum contingat; quòd terra habitabilis redacta ſit in planitiem, & ſupra aquas ſubſiſtat; & id genus alia, quæ non reſpiciunt finem, ac bonum ſingularum partium, ſed totius vniuerſi. ergo prima vniuerſi cauſa hos fines ſingulis partibus præſtituere debet, eáſque ad finem ac bonum vniuerſi ſapientiſſima ſua gubernatione mouere, ac dirigere: & de his maximè operibus verum eſt, *opus naturæ, eſſe opus intelligentiæ*. Quod etiam, & valdè probabiliter dictum exiſtimat Marſilius in 1. ſent. q. 38. artic. 1. concluſ.1. ex eo quod cauſæ naturales indigent primæ cauſæ determinatione, vt producant hunc numero effectum potius quàm alium; ex qua opinione probata à nobis ſuprà q.7. art.1.n.6.& q.12.artic.5.n.51. & art.8. n.92. optimè deducit, Deum eſſe cognoſcentem: neque enim ex infinitis effectibus poſſibilibus, poſſet determinare hos, & tot pro vna cauſa; alios, & tot pro alia cauſa; & vnum pro vno tempore, alium pro alio tempore, niſi omnes perfectè cognoſceret.

*Opus naturæ eſſe opus intelligentiæ.*

Marſilius.

32. Quarta ratio Durandi 1.d.35.q.1.n.6.& 7. Baſſoli q.vnica art.1.§. *Adducuntur*. Heru. q.1.art.1.2. via. Deus producendo creaturas, ex natura ſua ordinabiles ad aliquid melius ipſis tamquam ad finem, dicendus omnino eſt agere propter finem, aliter ageretur à caſu, & fortuna; qui eſt modus cauſandi imperfectiſſimus, & per accidens, & planè indignus prima ac nobiliſſima cauſa: ſed omne agens propter finem, aut præſtituit ſibi finem, aut habet finem ſibi ab alio præſtitutum: ſi primum, ergo Deus cognoſcit finem: ſecundum dici de Deo non poteſt, quia tunc non eſſet primum agens. Hanc rationem refert Aureolus ſuprà, & impugnat eodem modo, quo ſecundam ſuprà, n.29. Sed efficacius probari poſſet illius inſufficientia ex eo, quòd poſſet aliquis aſſerere, præter duos modos aſſignatos in minore, dari tertium modum agendi propter finem, nimirum neque à ſe, neque ab alio præſtitutum, atque præordinatum, & præconceptum, ſed ipſa naturali atque intrinſeca rei inclinatione incluſum, ac præhabitum. Quare hæc quarta ratio ſupponit etiam, Deum non agere ex neceſſitate naturæ, quod infrà demonſtrabitur.

*Quarta ratio Durãdi, Baſſoli, Heru. minus efficax.*

Aureolus.

33. Quinta ratio S.Thomæ in 1. d. 35. q. 1. art. 1. in fine corporis. Creaturæ quanto magis accedunt ad Deum, nobiliùs cognoſcunt, vt manifeſtum eſt in brutis, hominibus, Angelis. ergo Deus eſt formaliter, ac perfectiſſimè cognoſcens. Aureolus 1. d.35.q.1.art.2. propoſitione 1. in fine, ait, iſtam rationem non procedere, niſi ſuppoſito quòd intelligere ſit perfectio ſimpliciter; *ſicut*, inquit, *ex eo quòd calida omnia accedant ad ſolem, non ſequitur ſolem eſſe formaliter calidum, ſed tantùm eminenter*. Verùm inſtantia non vrget; quia calida formalia non ſunt participationes quædam Solis, ſicut creaturæ cognoſcentes ſunt eſſentiales participationes naturæ diuinæ. Vnde calida ſecundùm ſe verè ac propriè non accedunt ad Solem, licèt eorum operatio accedat ad operationem Solis; & quo res perfectius calefacit, eo magis accedat ad calefactionem Solis, omnium perfectiſſimam. At verò ipſa creaturarum ſubſtantia, ex Dei ſubſtantia exemplata, ac participata, accedit verè ac propriè ad Deum: ergo ſi ex infinitis creaturis, ſemper perfectior, & magis accedens ad Deum, eſt perfectius intelligens formaliter, non leue ſignum eſt, ipſam Dei ſubſtantiam eſſe perfectiſſimè intelligentem formaliter; atq; adeò intelligere abſolutè ac præciſè acceptũ, eſſe ſimpliciter perfectionem. Perfectio enim quæ in entibus perfectioribus in infinitum, ſemper formaliter creſcit, non poteſt in ſuo conceptu includere imperfectionem, alioqui deueniendum aliquando eſſet ad perfectiſſimam aliquam creaturæ ſpeciem, quæ perfectionem illam formaliter repudiaret, & haberet aliam eminenter maiorem; ſicut ſentire, quod formaliter reperitur in omnibus ſpeciebus brutorum, aſcendendo ad ſuperiorem alicuius ſubſtantiæ ſpeciem, vt Angelicæ, in illa non reperitur formaliter. Quapropter ratio S. Thomæ non ſupponit, vt illi obiicit Aureolus, ſed efficaciter probat, intelligere eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem; & per conſequens, conuenire formaliter Deo. Sicut in aliis prædicatis, ſi creſcẽtibus ſemper creaturis in perfectione, & ſic magis accedentibus ad diuinam perfectionem, ſemper participant nobiliorem rationem entis, ſubſtantiæ, viuentis, &c. euidens fit, illas rationes eſſe ſimpliciter perfectiones, formaliter Deo conuenientes in excellentiſſimo gradu.

*Quinta ratio S. Thomæ defenditur contra Aureolũ.*

*Efficax probatio perfectionis ſimpliciter ſimplicis.*

34. Sexta ratio Aureoli ſuprà, propoſitione 3.§. *Ad propoſitum*. ſicut, inquit, eſſe colorem, dat cauſam non realiter, ſed ſecundùm modum intelligendi, vt albedo, nigredo, aliique omnes particulares colores, ſint viſibiles; vnde fit hæc demonſtratio, omne coloratum eſt viſibile, vt patet inductione; album eſt coloratum, ergo viſibile: ita eſſe ſpirituale

*Sexta ratio Angeli reijcitur.*

tuale dat cauſam non realiter, ſed ſecundùm intellectum per modum medij illatiui, vt aliquid ſit cognoſcitiuum. Et poteſt demonſtrari ſic: Omne ſpirituale eſt cognoſcitiuum, vt cõſtat inductione, & multis rationibus ſuprà factis; ſed Deus eſt ſpiritualis, ergo cognoſcitiuus. Hæc demonſtratio eſt eadem in re cum demonſtratione S. Thomæ: ſolùm differunt, quia S. Thomas cenſet, ſpiritualitatem eſſe veram cauſam, ſeu rationem eſſendi, ob quam res aliqua ſit cognoſcitiua; quod ſuperiùs oſtenſum ſatis eſt: Aureolus verò non vult eſſe niſi cauſam inferendi; & eius diſcurſus, ſi haberet vim, oſtenderet pariter; neque animalitatem eſſe veram ac realem cauſam, ob quam aliquid ſit ſenſibile, neque rationalitatem, ob quam aliquid ſit riſibile; & ſimilia, quæ omnes negamus; quia eſſe cognoſcitiuum in genere eſt etiam proprium quarto modo entis immaterialis, illi immediatè competens, tanquam ſubiecto: ergo re ipſa manat ab illo, ſicut quodlibet aliud proprium manat à ſuo ſubiecto.

35. Quamobrem ad exemplum, quod ſæpe affert de colore, & viſibilitate, reſpondeo non eſſe ad rem; quia viſibilitas non eſt quædam operandi potentia, aut aliquid aliud manans ab eſſentia, quam verè, ac propriè vocamus proprietatem, qualem eſſe contendimus, eſſe cognoſcitiuum, eſſe ſenſitiuum, eſſe diſcurſiuum, eſſe intellectiuum. Etenim eſſe viſibile, nihil eſt aliud, quàm poſſe terminare extrinſecam viſionem; quod color non habet per aliquam proprietatem ab eſſentia promanantem, ſed immediatè per intrinſecam ſui ipſius entitatem ac naturam: ſicut eſſentiæ reales habent eſſe creabile, hoc eſt, poſſe terminare actionem creatiuam Dei præciſè, per ipſammet realitatem eſſentiæ, remota quacumque alia ſuperaddita ratione; quia præſcindendo à quocumque alio conceptu, ſi maneat ſolùm conceptus eſſentiæ realis, non poteſt non manere conceptus creabilis.

36. Aliæ rationes minus efficaces, & obſcuriores legi poſſunt apud S. Thomam 1. contra Gent. c. 44. & alios. Præcipuas attuli, vt euidentiùs conſtaret, rationem allatam ſuprà n. 3. & deinceps vberiùs explicatam ac probatam, eſſe omnibus præferendam; atque adeò benè S. Thomam ea ſola demonſtraſſe concluſionem huius articuli.

## DVBITATIO IV.

### *An in Deo ſit ſcientia perfectiſſima.*

37. *Dei ſcientia eſt perfectiſſima.* CONcluſio. Scientia Dei concipienda eſt cum omni perfectione poſſibili in genere cognitionis, abſque vlla prorſus imperfectione, nempe, vt vera, euidens, certa, infallibilis, puriſſimè actualis, ſubſtantialis, improducta, vnica, & indiſtincta, æterna, independens, infinita, ſimpliciſſima, neceſſaria, immutabilis: manifeſtum enim eſt hæc omnia, & ſi quæ ſunt huiuſmodi alia ad ſcientiæ perfectionem facere, & nullam imperfectionem includere. Hæc concluſio eamdem certitudinem habet, quam concluſio articuli ſuprà, n. 1. poſitis quæ ſuprà q. 4. art. 2. & 3. probata ſunt in genere de perfectionibus Dei. Vnde in particulari de ſcientia hanc excellentiam eleganter deſcripſit Apoſtolus ad Romanos 11. illis verbis. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Vbi vt ait Chryſoſt. in ea verba, *Quantum licuit duobus nominibus excellentiam habentibus illam deprædicauit, nimirum diuitiarum, & profunditatis.* & ad Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

*Exponitur locus ad Roman. 11.*

Ad Coloſſ. 2.

38. Hanc concluſionem S. Thom. probat eadem ratione qua aliam ſupra n. 1. Sic enim in fine corporis cõcludit; *Vnde cùm Deus ſit in ſummo immaterialitatis, vt ex ſuperiorib. patet, ſequitur quod ipſe ſit in ſummo cognitionis.* Idẽ probat alia eiuſdem ratio explicata ſupra n. 33. & ſuaderi efficaciter poteſt ex diſcurſu, quem multis proſequitur Ægidius 1. d. 35. q. 2. circa medium corporis: etenim cum quis cognoſcit, poſſunt quatuor diſtingui & conſiderari; cognoſcens, ratio cognoſcendi, actus cognitionis, & cognitum. In his autem omnibus, inquit Ægidius, *Excedit incomparabiliter cognitio diuina omnem aliam cognitionẽ creatam.* Nam cognoſcens eſt Deus, quo ſcilicet maius cogitari non poteſt, vt ſuprà q. 2. artic. 1. n. 20. Ratio cognoſcendi, ſeu medium quo tanquam ſpecies, eſt ipſamet diuina eſſentia, in cuius cognoſcibilitate omnis alia cognoſcibilitas eminentiſſimo modo continetur. Actus eſt adæquatiſſima comprehenſio obiecti omnium maximè intelligibilis, quod eſt diuina eſſentia; cognitum primarium, eſt eadem eſſentia diuina, & ſecundarium omnia alia entia, quæ in illius eſſentiæ virtute eminentiſſimè continentur; atque adeo eſſentia illa comprehenſa, non poſſunt non perfectiſſimè cognoſci, vt ſuprà q. 12. artic. 7. & 8. ſed hæc omnia ſimul nulli creaturæ conuenire poſſunt, & nullum imperfectionis conceptum important, vt partim conſtat ex ſuperioribus quæſtionibus, partim conſtabit ex ſequentibus. ergo cognitio diuina habet omnem perfectionem, & nullam imperfectionem.

*Probatur cõcluſio ex Ægidio.*

39. *Exponitur dictum Dionyſij.* Atque hanc ob cauſam, Deus à Dionyſio c. 7. de diuinis nominibus in medio dicitur, *Intelligentiæ, ſenſúſque, & rationis expers.* Nimirum, vt exponunt Ægidius ſupra ad 1. & Aureolus 1. d. 35. q. 1. ad vltimum. *Non propter defectum, ſed propter exceſſum & excellentiam.* &, vt ipſemet Dionyſius ſtatim limitat, *Excellentia, & præſtantia, non priuatione.* quia abſolutè, & ſimpliciter loquendo, Deus eſt formaliter intelligens; tamen comparatione intelligentium creaturarum non eſt intelligens, nimirum cum imperfectione quo modo intelligunt creaturæ; ſed ſuperintelligens, modo loquendi apud eumdem Dionyſium frequentiſſimè vſitato.

Ægidius. Aureolus.

## DVBITATIO V.

### *An ſcientia Dei ſit qualitas, vel habitus, vel actus primus.*

40. *Prima concluſio. Diuina ſciẽtia non eſt qualitas.* PRima concluſio. Scientia in Deo non eſt qualitas accidẽtalis. Ita hîc ad 1. & ſufficienter probata remanet ex generalibus dictis ſupra q. 3. ar. 6.

41. *Secunda concluſio, non eſt habitus.* Secunda concluſio. Diuina ſcientia non eſt propriè habitualis. Ita ſignificatur ad 1. & 3. & ex profeſſo probatur 1. contra Gent. c. 56. idémque ſequuntur Albertus 1. diſt. 35. art. 2. Riccardus art. 1. quæſt. 1. init. corporis. & ad 1. Aureolus quæſt. 1. artic. 3. inquiſit. 1. Capreolus q. 2. art. 2. concluſ. 2. Marſilius q. 38. art. 1. concluſ. 9. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. & alij communiſſimè; ſed non omnes Doctores, vt aliqui dicunt; quia eſt contra Mayronum 1. d. 36. q. 1. art. 1. obiter, & contra Henricum in ſumma art. 37. q. 1. & 2. multis contendentem, poſſe ratione diſtingui in Deo rationem habitus à ratione actus: in quantum *habitus eſt perfectio potentiæ reſpectu actus egredientis à potentia: & ſemper promptitudinem & expeditionem ponit in eliciendo actum.* & conſequenter, in quantum actus eſt promptè & expedite elicitus à potentia.

Albertus. Riccardus. Aureolus. Capreolus. Marſilius. Mayronus.

*Exprimitur cõtraria opinio Henrici.*

Verum



42. *Impugnatur Henricus.* Verùm iſti conceptus, non ſolùm prout ſe habent à parte rei; ſed etiam prout ſe habent obiectiuè in mente concipientis, manifeſtas important imperfectiones, creaturarum proprias, potentialitatis, cauſabilitatis, dependentiæ, limitationis; etenim actus, ex eo quòd à parte rei ſit elicitus ab habitu, includit eſſentialiter eſſe cauſatum, potentiale, dependens, limitatum: & habitus, ex eo quòd re ipſa actum eliciat, includit eſſentialiter eſſe diſtinctum realiter ab actu, carere in ſe perfectione actus, ac proinde, eſſe limitatum in genere intellectiuo; & præterea ex eo quòd in re ſit perfectio potentiæ, connotat eſſentialiter perfectibilitatem in potentia, & in ipſo habitu importat eſſentialiter potentialitatem ad actuandam, & ſe ipſa intrinſecè perficiendam potentiam: nam vt optime diſcurrit S. Thomas 1. d. 35. q. 1. art. 5. ad 4. *Habitus non eſt niſi perfectio alicuius potentiæ incompletæ ad actum, non tamen vltima perfectio: vnde ponit duplicem imperfectionem, ſcilicet, & in potentia, perfecta per habitum, & in habitu, qui per operationem perficitur.* Ergo ſi iidem conceptus obiectiui per intellectum conſiderantur, non poſſunt non conſiderari cum prædictis imperfectionibus, quas à parte rei eſſe veras imperfectiones ipſemet Henricus fatetur in citata q. 1. ad 1. & 2. quia res ſi ſecundùm earum eſſentiam benè & explicitè concipiantur, debent concipi cum iis prædicatis ſiue perfectionis ſiue imperfectionis, quæ eſſentialiter includunt.

S. Thomas.

43. *Soluitur fundamentum Henrici.* Quare fundamentum Henrici, quod ſcilicet, aſſignatæ rationes actus & habitus, prout habent eſſe obiectũ, ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, eſt omnino falſum, quia tales rationes ne mente quidem à Theologo concipiendæ ſunt eſſe in Deo formaliter: nihil enim formaliter in Deo concipi debet, quod ſecundùm formalitatem ſuam eſt intrinſecè imperfectum, atque adeo repugnans perfectiſſimæ Dei naturæ; alioqui liceret mente concipere in Deo formalitatem accidentis, formæ, materiæ, diſcurſus, &c. contra ea, quæ probata ſunt ſupra q. 3. art. 4. n. 3. & 7. & art. 6. n. 4. & art. 7. n. 13. & deinceps, & q. 4. art. 2. n. 15. 39.

44. *Quomodo ſcientia Dei dici poteſt habitualis ex Gabriele.* Dixi initio concluſionis, diuinam ſcientiam non eſſe habitualẽ *propriè*; quia non diſplicet quod tetigit Gabriel ſuprà poſſe Deo attribui formaliter habitum, non prout habitus ſignificat aliquid medium inter potentiam, & actum, perficiens, ac diſponens potentiam ad actum facilius eliciendum, quæ eſt communis ac propria vocis vſurpatio; ſed præciſè prout ſignificat permanentiam, ſiue immobilitatem, & promptitudinem, ac delectationem quamdam; quas perfectiones ac proprietates non importat actus, vt actus. Ipſa igitur actualis intelligentia in Deo dici poteſt aliqua impropria ac larga, ſiue inadæquata ratione, habitualis; quatenus eſt firmiſſimè immobilis, ſemper expedita abſque vlla prorſus difficultate, & impedimento, & ſummè voluptuoſa ac delectabilis.

45. *Tertia concluſio, non eſt propriè actus primus.* Tertia concluſio. Scientia Dei non habet propriè rationẽ actus primi: colligitur ex reſponſione ad 1. & 3. vbi ſcientia Dei dicitur, *Actus purus, & non in potentia.* Etenim actus primus, ſi accipiatur cum carentia actus ſecundi vt accidit in creaturis, quæ non quicquid poſſunt intelligere, ſemper actu intelligunt, eſt manifeſtè imperfectus, & diuina natura indigniſſimus: ſi verò accipiatur vt ſemper coniunctus cum actu ſecundo, vt in beatis, qui ſemper actu vident diuinam eſſentiam, & in Angelis, qui ſemper in actu ſecundo intelligunt ſe ipſos ſecundùm communem ſententiam, quam expreſsè ſequitur S. Thomas de verit. q. 8. art. 6. ad 7. & ar. 14. ad 6. adhuc non poteſt in Deo formaliter poni: quia actus primus dicitur eſſentialiter & explicitè per ordinem ad actum ſecundum, quidquid ſit de actuali coniunctione ſeu ſeparatione ab illo actu: hic autem ordo alius eſſe non poteſt quàm actiui & receptiui. Sed implicat, actum abſolutum intelligendi in Deo produci, & per productionem recipi, quia id contingere nequit abſque imperfectionibus potentialitatis, intrinſecæ cauſalitatis, dependentiæ, limitationis, & diſtinctionis actualis ex natura rei, vt ex ſe patet. ergo repugnat Deo, eiúſque diuinæ intellectualitati, formalis ratio actus primi ſimpliciter: nimirum ſi propriè, & adæquatè ſumatur; alioqui ſi impropriè ac largè, & inadæquatè ſumatur, vt paulò ante notaui de habitu; rectè dixit Capreolus 1. d. 35. q. 1. art. 2. ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem *rationem actus primi, quæ eſt perfectio naturæ fixa, & quietè manens, conuenire Deo.* Quam diſtinctionem Suar. Met. diſt. 30. ſect. 15. n. 12. 13. & alij etiam ſequuti ſunt.

S. Thomas.

*Qua ratione ſcientia Dei dici poſſit actus primus.*

## DVBITATIO VI.

### *An tribui Deo poſſit non ſolùm intelligere, ſed etiam intellectus.*

46. *Non eſt in Deo intellectus potẽtialis, nec radicalis.* COncluſio. Si intellectus accipiatur pro intellectiuo potentiali, ſeu potentia & principio intelligendi, vel pro intellectiuo radicali, ſeu gradu ſubſtantiali intellectualitatis, ille poni non poteſt in Deo, neque ſecundum rem, neque ſecundum rationem veram, congruè concipientem cum fundamento in re concepta, abſque imperfectione repugnante ipſimet rei conceptæ, ſed ſolum incongruè & falsò concipientem, cum fundamento ex parte creaturarum tantùm, vt multis & authoritatibus, & rationibus, & obiectionum ſolutionibus ex inſtituto oſtendi ſupra quæſt. 4. art. 2. à n. 57. ad 82. quæ hoc loco repeti non debent. Si verò intellectus accipiatur pro quadam fixa, ac permanente vi, ſeu virtute immediatè percipiendi obiectum intelligibile, ille poni poteſt formaliter in Deo, quia nullam importat imperfectionem; & de facto, totum iſtum conceptum in re habet puriſſima, & actualiſſima Dei intellectualitas. Quod fusè etiam probatum, & explicatum eſt loco citato n. 69. 70. 71. In intellectu igitur diuino concipienda eſt, vt optimè docuit Aureolus 1. d. 35. q. 1. art. 3. initio, *Sola ratio actus puri, ita quod ſit intelligere ſubſiſtens, ſecundùm rem, & rationem omnino inelicitum, & irreſolubile in rationem intellectionis actualis, & cuiuſcunque præuij, ſiue habitus, ſiue medij, ſiue potentiæ cognitiuæ.*

*Intellectus aliquo modo tribuitur Doe.*

Aureolus.

47. *De intellectu diuino: ſententia Henrici.* Quare cum Henricus in ſumma art. 36. q. 1. ad 1. & q. 2. & 3. & artic. 40. q. 1. init. corporis, & ad 1. multis contendit probare ſecundùm noſtrum modum intelligendi dari in Deo potentiam intellectiuam, vt principium elicitum actus intelligendi, & vt principium paſſiuum, & materiale paſſionis, & receptionis eiuſdem actus. Si loquitur de noſtro modo intelligendi per intellectum falſum, qui ſcilicet, ſicut de intellectualibus creaturis, ita de Deo concipiat imperfectionem contradicentes rationibus diuinis, in vanum loborat; quia omnes planè Theologi huiuſmodi falſitatem, vel ex ipſis ferè terminis manifeſtam fatemur. Si autem loquitur de vero intellectu, concipiente ea, quæ obiecto intellecto conueniant, non eſt audiendus; Quia prædicti potentiæ conceptus,

ceptus, cum conceptu puriſſimi actus, qualis eſt Deus, apertiſſimè pugnat.

48. *Sententia Mayroni.*

Minus à veritate recedere videtur Mayronus 1. d.36.q.1. quamuis enim peius ſentiat, ponendo in Deo potentiam intellectiuam, diſtinctam ex natura rei formaliter & eſſentialiter ab actu intelligendi, & eiuſdem rationis vniuocæ cum intellectiuis potentiis creaturarum, vt patet ex dubiis in fine articuli tertij, quæ ſupra q.4. art.2. concluſ.7. & 9. tertia, artic. 5. concluſ. 2. vniuerſaliter reiecta ſunt; tamen vult, huiuſmodi potentiam eſſe producentem, *Sine fieri, & ſine recipere, & abſtrahere à materialitate*, vt in fine articuli primi. Vult etiam cum aliis in art.2. vt in fine epilogat, eſſe in Deo formaliter intellectum agentem *non vt perficientem, nec vt mouentem, nec vt cauſantem actum intelligendi, ſed præcisè vt producentem ipſum verbum.* Et in art. 3. eſſe etiam intellectum poſſibilem, *ſecundum ſuam rationem formalem, non vt paſſiuum, nec vt receptiuum; ſed vt operatiuum, ſecundùm quod reſpicit actum, non vt ſubiectum, ſed vt fundamentum; & vt fundatiuum tantum, ſecundùm quod reſpicit virtutes intellectuales, ſcilicet ſapientiam, & talia.*

49. *Impugnatur Mayroni ſententia. Primò.*

Verùm hæ quoque rationes, quas Mayronus art.1. expreſsè aſſerit ab omni imperfectione liberas eſſe, non omnino effugiunt imperfectionis notam. Primò quia potentia intellectiua, cum eſſentialiter ſit potentia vitalis, de cuius eſſentia eſt, eſſe aptitudinem producendi actum vitalem, vel ſaltem recipiendi; vt perficiatur, & actualiter viuat, ſi ipſa formaliter eſt in Deo, præſertim, vt ipſemet Mayronus opinatur, ſecundùm eamdem rationem formalem, ſecundùm quam eſt in nobis, includet etiam eſſentialiter in Deo conceptum productiui reſpectu actualis intellectionis abſolutæ, vel ſaltem receptiui, & perfectibilis; qui conceptus, ipſomet rectè fatente, ſunt imperfecti, & repugnantes intellectui diuino.

50. *Secundò.*

Secundò, Videtur quædam implicantia in ipſis terminis dicere, intellectum Dei poſſibilem, eſſe formaliter operatiuum reſpectu actus intelligendi; & tamen reſpectu illius actus neque eſſe producentem, neque ſubiectum, ſed ſolùm fundamentum: tum quia etſi non omnis potentia productiua, ſit operatiua, vt potentia productiua verbi Dei, & non operatiua; contra tamen, omnis potentia operatiua, eſſe debet neceſſariò productiua: ergo ſi actus diuinæ intellectionis reſpicit intellectum vt operatiuum ipſius, reſpiciet etiam vt productiuum: tum quia intellectus poſſibilis, eſt vitalis: ergo ſaltem eſt ſubiectiuum receptiuum vitæ actualis, quod negatur. Tum quia quod à parte rei eſt proximum fundamentum actus intelligendi, comparari debet ad actum in aliquo genere cauſæ, ſeu principij; quod aliud eſſe non poteſt, niſi vel productiuum, vel receptiuum; & tertium genus fundatiui diſtinctum à productiuo, & receptiuo, eſt inintelligibile, & apud reliquos Theologos & Philoſophos inauditum. Tum quia eſto detur hoc tertium genus, adhuc eſſet potentiale, quia omne fundamentum habere debet in ſe ipſo intrinſecam potentialitatem, ſeu capacitatem rei quam fundat: eſſet quoque limitatum in genere intellectiuo; quia vt intellectiuum fundatiuum, diſtinctum formaliter ab intellectione, quam fundat ſecundùm ſuam intrinſecam rationem, & diſtinctionem ſpectatum, careret præcipua, & completiſſima illius generis perfectione, hoc eſt, actuali intelligendi vita; Quare ſecundùm ſe eſſet intellectus quidam veluti dormiens, ſeu potius mortuus.

51. *Soluũtur cõtraria argumenta Mayroni.*

Demum motiua Mayroni vim non habent. In articulo primo arguit primò quia non ſolùm potentia intelligendi, ſed etiam actus dicit imperfectionem, & tamen actus ponitur in Deo. Reſpondetur qua ratione actus intelligendi competat Deo, diximus ſupra quæſt.4.art.2.n.71. ex ſententia Capreoli. Nunc addo facta comparatione inter potentiam intelligendi, & actum intelligendi, multo magis tribui Deo propriè actum quàm potentiam; quia potentia intellectiua, ſiue intelligendi, importat expreſſiſſimè ordinem ad actum, hoc eſt, ad intelligere; ex quo ordine oriuntur omnes imperfectiones illius potentiæ, nempe productiui, receptiui, perfectibilis, diſtincti, limitati, &c. quẽ ordinem non exprimit nomen intellectus; & ideo Patres & Scholaſtici frequenter Deo tribuunt intellectum, non autem potentiam intellectiuam: verùm ſapientiſſimè pronunciauit S.Thomas 1.cont.Gent.cap.45. ratione 2. *Intelligere diuinum eſt eius intellectus.* Ætas vero intelligendi, ſiue actualis intellectio, in ſuo explicito conceptu non importat ordinem ad potentiam; qui ordo ſignificatur, cùm dicitur actus potentiæ intellectiuæ, & ideo nunquam dicerem, in Deo eſſe actum potentiæ intellectiuæ; ſed exprimit tantùm actualitatem, & perfectionem. Quamobrem omnes Theologi abſque vlla limitatione vocamus Deum actum purum, & puriſſimam actualitatem, vt omnem potentialitatem excludamus, non autem vocamus puram potentiam, ſeu potentialitatem; quia hoc loquendi modo excluderemus actum. ergo omnes exiſtimamus, nomen actus eſſe perfectionis, nomen potentiæ eſſe imperfectionis: ergo actus intelligendi, quamuis contractus ad creaturas includat ordinem ad potentiam intellectiuam, & conſequenter multas imperfectiones; tamen quia ſecundùm explicitam rationem ſuam, abſolutè & præcisè conſideratam, hunc ordinem non ſignificat, poteſt magis propriè, imò ſimpliciter propriè de Deo dici. Potentia verò intelligendi non niſi ſimpliciter impropriè, & falsò.

*Magis propriè tribui Deo actũ intelligẽdi, quã potentiam.*

*S.Thomas.*

52. *In quo ſenſu Deus dicatur intelligens.*

Secundò, Cum dicitur Deus intelligens, & ſapiens non denominatur intellectio, & ſapientia, ſed id in quo hæc ſunt, quod eſt intellectus, ſeu potentia intellectiua. Reſpondetur, ſi fiat vis in vocabulis, Deus illis denominatur tanquam ſubiectum; & tamen rationem ſubiecti ne ipſe quidem Mayronus admittit in Deo. Ergo dicendum, ea nomina, quamuis quoad rem ſignificatam, propriè tribuantur Deo, tamen impropriè, & cum imperfectione tribui Deo quoad modum noſtrum concipiendi, & ſignificandi; vt ex communiſſima Patrum, & Scholaſticorum ſententia ex inſtituto oſtendi ſupra quæſt.13.art.1.n.18. & 19. illam verò imperfectam denominationem ſubiecti, ſiue habentis, non oriri ex re ſignata, v.g. intellectione, ſapientia, quæ nullam imperfectionem explicant, ſed ex ſolo noſtro intellectu imperfectè concipiente ac ſignificante.

53. *An actus intelligendi ſit perfectio ſimpliciter.*

*Tertio, Actus intelligendi eſt perfectio ſimpliciter. ergo potentia intellectiua, quam eſſentialiter præſupponit, non poteſt includere imperfectionem in ſe formaliter.* quia ſcilicet nihil quod eſt ſimpliciter perfectum, pendere eſſentialiter poteſt ex imperfectione. Reſpondetur ſolutionem patere ex reſponſione ad 1. actum intelligendi eſſe ſimpliciter perfectionem, ſi conſideretur abſolutè ſecundùm ſe, cum præciſione à Deo & creaturis; & hac ratione non præſupponere eſſentialiter potentiam intellectiuam, à qua oriatur, ſiue pendeat. Si verò conſideretur contractè, prout creatus eſt, non præſcindere ab imperfectionibus creaturarum, propter illum ordinem ad potentiam: ſed potentiam intellectiuam, quantumuis præcisè conſideretur, modo non præſcindatur à toto illo conceptu quem explicitè importat, hoc eſt, ab ordine potentiali ad actum ſemper includere imperfectionem, ſicut Angelus, homo, album, & ſimilia, quæ Deo formaliter tribuere non licet.



54. *An potentia intellectiua ſit nobilior actu intelligendi.*

Quartò, quia *potentia intellectiua eſt principalior perfectio in creaturis, quàm actus intelligendi:* ergo ſi in Deo eſt actus; multò magis erit potentia. Reſpondetur, Tranſeat antecedens, ſi in eo ſumatur actus intelligendi, vt creatus, & productus à potentia intellectiua, quomodo non eſt in Deo. Negandum verò eſt, ſi actus intelligendi ſumatur ſimpliciter & præcisè ab ordine ad potentiam, quem ordinem in ſuo explicito ſignificato non includit. Et in hac ſecunda acceptione, negatur conſequentia; quia potentia intelligendi, importat explicitè ordinem ad intelligere; vt per ſe patet; actus autem intelligendi non importat explicitè ordinem ad potentiam intellectiuam, & ideo multò maiori ratione poni poteſt in Deo actus, quàm potentia; quia actus & non potentia poteſt præſcindi ab imperfectione.

55. *Exponitur locus Auguſtini.*

Quintò, quia Auguſtinus l.14. de Trin. c.8. *Ponit principalius imaginem in potentÿs, quàm in actibus.* Reſpondetur, ponit potius in actibus, vt patet ex illis verbis paulo poſt initium capitis citati. *Mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe: hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, ſed iam imaginem Dei.* Quamquam hic Auguſtini locus non eſt ad rem, quia loquitur de potentiis, ac actibus notionalibus ad explicandam ſimilitudinem aliquam diuinarum proceſſionum: nos verò diſputamus de potentia & actu intelligendi in natura Dei abſoluta.

56. *Ex proceſſione verbi non poſſe argui in Deo potentiã intellectiuã.*

Deinde in articulo ſecundo arguit Mayronus primò. In diuinis ponitur potentia productiua verbi; ergo potentia intellectiua. Reſpondetur, negatur conſequentia, quia Pater verbum ſuum non producit potentialiter intelligendo, ſed intelligendo actualiter: neque per productionem verbi diuini, producitur verbum abſolutum, ſiue actus intelligendi, vt in creaturis, ſed perſona relatiua, quæ productionem illam, vt formaliter productionem, terminat ſub præciſa ratione perſonalitatis relatiuæ; non ſub ratione actus intelligendi, qui eſt abſolutus; hic enim ſub iſta formali ratione reſpicit productionem, vt formaliter communicationem, non vt productionem formaliter; ita vt intellectus diuinus ex vi formali proceſſionis verbi non producatur, ſed communicetur. Quæ omnia hîc ſupponenda ſunt ex infra dicendis in materia de Trinitate. In qua cõmuniſſimè dicimus, verbum procedere per potentiam notionalem, & generatiuam; non autem per potentiam intellectiuam, aut intellectum potentialem, ſed per intellectum puriſſimè actualem. Ergo per iſtam proceſſionem non licet inferre, in Deo eſſe potentiam abſolutam intellectiuam in ordine ad abſolutum actum intelligendi; neque abſolutum actum intelligendi in ordine ad abſolutam potentiam intellectiuam. Denique controuerſia noſtra eſſe debet, an Deus prout ratione præſcindit à proceſſione perſonarum, ſit intelligens per aliquod principium intelligendi ab actuali intellectione diſtinctum, ſaltem ſecundùm rationem.

57. Secundò, quia *intellectus productiuus videtur dicere perfectionem ſimpliciter.* Reſpondetur, negatur de intellectu productiuo verbi abſoluti & actu intelligendi, conceditur de intellectu productiuo verbi perſonalis, & relatiui; ſed non eſt ad rem vt ſupra. Tertiò, *Dicit Auguſtinus in l. de Trinitate, quòd homo ſecundùm nobiliſſimas potentias factus eſt ad imaginem Dei.* Reſpondetur, iam illud dictum eſt de Auguſtino, qui docet quidem, nos eſſe Deo ſimiles in intellectu ſeu mente, & in voluntate; tamen numquam dixit, hoc eſſe intelligendum de intellectu & voluntate, prout ſunt perfectiones potentiales diſtinctæ ab actibus ſuis: ſed ſemper eſt accipiendus de intellectu, & voluntate, prout ſunt actuales & completæ perfectiones, quibus in obiecta intelligibilia, & amabilia tendimus. Aliæ rationes, quas Mayronus affert in art.3. ex datis reſponſionibus diſſolui facilè poſſunt.

## DVBITATIO VII.

### *An in Deo ſit ſcientia vniuerſalis, vel particularis.*

58. *Dei ſcientiã non eſſe vniuerſalem aut particularẽ.*

*Ita Auerroës. S.Thomas. Albertus. Bonauentura. Ægidius. Henricus. Aureolus. Capreolus. Marſilius. Nouo Caſtro, contra Dur.*

Concluſio. Dei ſcientia, ſeu cognitio, neque eſt propriè vniuerſalis, neque propriè particularis. Ita Commentator expreſsè l. 12. Metap. comment.51. in fine. S.Thom. hîc ad 3. & fuſius 1. d.35. q.1. art.5. vbi etiam Bonauentura q.2. ad 3. Albertus art.2. q.1. & 2. & in ſumma tract.15. q.60. membro 4. art.2. in q. incid. Ægidius 1. d.35. p.2. q.2. Henricus in ſumma art. 38. q.1. Aureolus 1. d.35. q.4. art.4. in principio. Capreolus q.2. art.2. concl.7. Marſilius q.38. art.1. concl.9. Andreas de Nouo Caſtro 1. d.35. q.1. ad 7. Michael Palatius d.1. concl.16. poſt 4. concl. & alij recentiores communiſſimè contra Durandum 1. d.35. q.4. cui conſentire videtur Molina in fin. huius art.

59. *Probatur ratione S. Th.*

*Scientia denominatur vniuerſalis & particularis, non ex ſubiecto.*

Fundamentum S. Thomæ in citata d. 35. eſt optimum; quod ſic explico. Iſtæ denominationes vniuerſalis, & particularis, in ſcientiis non deſumuntur; primò ex ſubiecto, in quo realiter eſt ſcientia, ſic enim omnis ſcientia, etiam diuina, eſt ſingularis, & nulla vniuerſalis; quia omne quod à parte rei eſt ſciens, & denominatur ſciens vt *quod*, etiam ipſemet Deus, eſt ens ſingulare. Non ſecundò ex eſſe, quod à parte rei habet ſcientia, propter idem inconueniens; quia, vt bene probat Durandus ſupra n.4. *Quicquid exiſtit, ſingulariter exiſtit, ſiue exiſtat per ſe, ſiue in alio; ſiue in re extra; ſiue in anima ſubiectiuè; ſicut & anima eſt quoddam ſingulare: vniuerſalia enim ſolùm ſunt in intellectu obiectiuè.* Non tertiò, vt ait Henricus ſupra circa principium corporis. *Ex vniuerſalitate per prædicationem, quæ conſideratur circa naturam & eſſentiam rei prædicabilis de pluribus, quemadmodum ſcientia ſimpliciter dicitur vniuerſalis vniuerſalitate generis ad logicam, grammaticam, & ad alias ſcientias; ſcientia verò grammatica dicitur vniuerſalis vniuerſalitate ſpeciei ſpecialiſſimæ ad grammaticam Sortis, & ad grammaticam Platonis.* ſic enim Metaphyſica Ariſtotelis, v. g. eſſet ſcientia particularis, & nulla alia ſcientia in re exiſtens, dici poſſet vniuerſalis. Quamquam in hoc tertio ſenſu, ſcientia Dei neque dici poteſt vniuerſalis, vt ex ſe patet; neque propriè particularis, hoc eſt, ſub aliquo alio tertio vniuerſali, ex ſcientia increata, & ſcientiis creatis abſtracto, contento: quia ex probatis ſupra q.3. art. 5. nihil propriè vniuerſale, nimirum vniuocum, & per rationem perfectè præciſum à ſuis inferioribus, eſſe poteſt cõmune Deo & creaturis. Non quartò ex obiecto materiali, quod cognoſcitur: quia plerumque hoc eſt ſingulare, ſeu particulare; ſed quia medium cognoſcendi eſt vniuerſale; cognitio eſt vniuerſalis, v.g.

*Non ex eſſe à parte rei.*

*Non ex prædicatione.*

*Non ex obiecto materiali.*

*Sed ex obiecto, & medio formali cognoſcendi.*

v. g. cognoſcimus de Deo eſſe indiuiſibilem, quia eſt ſpiritualis; eſſe vnum, quia eſt ens. item Petrum eſſe riſibilem, quia eſt animal rationale, eſſe diuiſibilem, quia eſt corporeus: cælum eſſe mobile, quia eſt corpus naturale, &c. Neque enim vna cognitio dici rectè poteſt particularis huic obiecto; quando idem prædicatum quod de illo cognoſcitur, & eodem modo, ſeu medio, cognoſci poteſt de multis aliis, & numero, & ſpecie, & genere diuerſis.

60. Ergo quintò, verè ſumit S.Thomas, quod eſſe vniuerſale, particulare, & aliæ huiuſmodi *conditiones ſcientiæ, præcipuè attenduntur ſecundum rationem medij; & ſimiliter cuiuſlibet cognitionis.* Sed ex dictis ſupra q. 12. art. 8. & ex dicendis in ſequentibus articulis, nullo alio medio, ſeu, *quaſi medio,* vt cautius loquitur idem S. Thomas, cognoſcit Deus, niſi eſſentia ſua. Hæc autem, quamuis ſecundùm entitatem ſuam ſimpliciter conſiderata, ſit res quædam particularis, ſiue indiuidua, vt bene probat Durandus ſupra contra Ægidium, Henricum, & Aureolum locis citatis; tamen conſiderata ſub formali ratione medij cognoſcitiui, neque eſt primò medium vniuerſale; quia cùm hoc ſit intra ipſum ſcientem, non poteſt concipi, præter obiecta vniuerſalia, repræſentare etiam particularia, niſi concipiatur addi, & recipi aliquid intra eumdem ſcientem, per quod determinetur ad repræſentandum particularia; quæ intrinſeca additio ſeu determinatio, importat eſſe in potentia, & imperfectum.

*Eſſentiam diuinã non eſſe medium cognoſcẽdi vniuerſale.*

61. Atque hunc arbitror eſſe ſenſum probationis S.Thomæ ſuprà, cùm ait, eſſentiam diuinam non poſſe eſſe medium cognoſcendi vniuerſale, quia hoc, *additionem recipit alicuius, per quod determinatur; & ita eſt in potentia; & imperfectum in eſſe.* Et cùm in reſponſione ad 1. docet, Deum dici cauſam vniuerſalem, non autem medium vniuerſale, quia non dicitur cauſa vniuerſalis; *Ita quod aliquid ſit ſibi addibile, per quod propria & perfecta cauſa efficiatur; imo per ſe ipſum eſt ſufficiens, & perfecta cauſa cuiuſlibet rei.* quia ſcilicet cauſa denominatur vniuerſalis, & ex eo quod poſſet cauſare omnes particulares effectus ſecundùm quodlibet particulare eorum eſſe; & non ex eo quod poſſit cauſare effectum aliquem vniuerſalem, ab omni ſingularitate præciſum, qui eſt omnino impoſſibilis. At verò medium cognoſcendi denominatur vniuerſale, ex eo quòd vim habet demonſtrandi obiectum aliquod vniuerſale, quod & ſi non in re, in mente tamen eſſe poteſt: ſed, vt bene addit Albertus in citata d.35.q.1. in argumentis ſed contra. *Res in ſuis vniuerſalibus non ſunt niſi in potentia: ergo non poſſunt in ſuis vniuerſalibus ſciri, niſi in potentia. Item, ſcire in vniuerſali, eſt ſcire quod determinabile eſt per aliquod additum; vt efficiatur ſcire in natura propria: ſcientia autem Dei in nullo determinabilis eſt;* Eandémque vim habet probatio Commentatoris ſuprà; *Ille enim,* inquit, *cuius ſcientia eſt vniuerſalis, ſcit particuria, quæ ſunt in actu, in potentia ſita. eius igitur ſcientia, neceſſariò eſt ſcientia in potentia, cùm vniuerſale non eſt niſi ſcientia rerum particularium; & cum vniuerſale eſt ſcientia in potentia, & nulla potentia eſt in ſcientia eius: ergo ſcientia eius non eſt vniuerſalis.*

*Probatur S. Thomæ ratione, Alberti, & Auerrois. Cur Deus dici poſſet cauſa vniuerſalis, & nõ mediũ vniuerſale.*

*Probatur ex Alberto.*

62. Neque eſt ſecundò, medium particulare, quia vt rectè arguit S. Thomas ibidem ad 2. hoc eſſe debet ita proprium vnius, vt non ſit aliis commune: vt cum videtur Petrus per viſibilitatem ipſius propriam, eſt cognitio particularis: Deus autem per eſſentiam ſuam & ſe ipſum, & creaturas omnes diſtinctiſſimè cognoſcit: ergo illa eſſentia dici propriè non poteſt medium particulare cognoſcendi aliquid; nam vt ait idem Albertus q.2. ad 1. *Non ſufficit ad ſcire in particulari, ſcire naturam propriam rei; ſed oportet, vt ex proprijs rei ſciat: & hoc non conuenit Deo.* &, vt ait Ægidius ſupra q.2. ad 1. *Habere ſcientiam particularem, eſt ſcire per medium particulare.*

*Eſſentiã diuinã non eſſe medium cognoſcẽdi particulare.* S.Thomas. Albertus. Ægidius.

63. Dixi in concluſione, *Propriè,* quia ſi huiuſmodi vocibus vti velimus non in eo ſenſu, in quo à Philoſophis noſtræ ſcientiæ denominatæ ſunt vniuerſales, & particulares, ſcientia quoque Dei ratione aliqua non incongrua, denominari poterit vniuerſalis & particularis, vt adnotarunt Albertus in loco citato ſummæ, Ægidius ſupra quæſt. 1. ad 1. & quæſt. 2. ad 1. Aureolus ſupra, & alij: nempe vniuerſalis, in quantum omnia vniuerſaliſſimè ſcit. In quo ſenſu S. Thomas 2. diſtinct. 3. quæſt. 2. art. 2. circa finem corporis ait; *Scientia Dei eſt vniuerſaliſſima, quia vna ſimilitudine, quæ eſt ſua eſſentia, omnia cognoſcit.* Item particularis, in quantum perfectiſſimè ſcit quicquid de vnoquoque particulari ſcibile eſt; nec aliam vniuerſalitatem & particularitatem probant rationes Durandi ſuprà, vt patet eas legenti. Sed contra fundamentum S.Thomæ, quod, præter omnes Thomiſtas eſt etiam Alberti, & Ægidij ſupra, arguit Aureolus ſupra, impugnans, *Quod ſcientia dicatur vniuerſalis, vel particularis ex ratione medij cognoſcendi, & non potius ex cognitione obiecti.*

*Qua ratione minus propriè dici poſſet Dei ſciẽtia vniuerſalis & particularis ex Alberto, Ægidio, Aureolo.* S.Thomas.

64. Primò, quia Metaphyſica non dicitur ſcientia vniuerſalis; *niſi quia ſubiectum eius eſt vniuerſale.* Quod probat, quia ſpecies & habitus Metaphyſicæ ſunt particulares. Reſpondetur, hanc probationem eſſe inſufficientem, quia vt benè aduertit Capreolus 1. diſtinct. 35. quæſt. 2. articul. 2. ad 1. contra 7. concluſ. in Metaphyſica præter ſubiectum, & ſpecies, & habitus, & actus, dantur media quibus de ſubiecto demonſtrantur paſſiones; quæ media, quia ſunt vniuerſaliſſima principia, Metaphyſicam denominant ſciẽtiam vniuerſaliſſimam. Secundò quia *Philoſophus 1. poſt. diſtinguit demonſtrationem vniuerſalem à particulari, penes vniuerſalitatem & particularitatem obiecti.* Reſpondetur, hoc negari à Capreolo ſupra ad 2. ſed explicari poteſt Philoſophus de obiecto formali, quod eſt medium: alioquin per eandem formalem demonſtrationem vniuerſalem, tam de homine, ſubiecto vniuerſali, quàm de Petro, ſubiecto particulari, poteſt concludi, eſſe diſcurſiuum, ſeu riſibilem, quia eſt animal rationale, ſed de vtroque demonſtratio eſt vniuerſalis, quia ſemper in ea proceditur per idem medium vniuerſale, quod eſt, rationale. Tertiò ſequeretur, nullam ſcientiam eſſe vniuerſalem, quia in omni ſcientiæ medio cognoſcendi ſunt habitus & ſpecies, quæ ſunt res ſingulares. Reſpondetur, præter hæc media effectiua, quibus ſcientificos actus elicimus, tenentia ſe ex parte cognoſcentis; ſunt media formalia, tenentia ſe ex parte obiecti cogniti; quibus ſcilicet intellectus per habitum & ſpeciem mouetur ad cognoſcendum obiectum; & hæc ſunt illa, quæ ſecundùm quod ſunt vniuerſalia, & particularia, denominant cognitionem vniuerſalem & particularem.

*Argumenta Aureoli contra rationem S.Thomæ.* Capreolus. Ariſtoteles.

ARTI



## ARTICVLVS II.

### *Vtrum Deus intelligat ſe.*

**Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quod Deus non intelligat ſe.**

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Pars articuli ſimpliciter affirmatiua probatur authoritate & ratione. n.1.2.*
2 *Deum intelligere ſe per ſpeciem intelligibilem. n.3.*
3 *Huiuſmodi ſpeciem nec re, nec ratione diſtinctam eſſe ab eſſentia diuina. n.4. ad 9.*
4 *Dei eſſentiam, eſſe diuini intellectus obiectum primarium, adæquatum, & ſolum. n.9. ad 13.*
5 *Cur creaturæ non ſint propriè & formaliter obiectum intellectus diuini. n.13.*
6 *Cur obiectum intellectus diuini non ſit ens. n.14.*

### COMMENTARIVS.

#### *Probatur pars articuli affirmatiua.*

*Prima concluſio probatur auctoritate.* S.Thomas. Riccardus. *Exponitur locus 1. Corinth.2.*

1. PRIMA concluſio, Simpliciter affirmatiua eſt de fide, ex illius verbis 1. ad Corinth. 2. quam ad hoc probandum afferunt S. Thomas hîc in argumento *ſed contra.* & l.1. contra Gentes cap.47. in fine, Riccardus 1.diſt.35. quæſt.2. & alij. *Quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.* Vbi per ea, *quæ Dei ſunt,* eſſe intelligenda ea, quæ ſunt in ipſomet Deo, manifeſtum eſt ex contextu verborum immediatè præcedentium, *Nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Quæ in Deo ſunt, profunda dicuntur, quia nullus creatus intellectus ea penetrare & comprehendere poteſt. Sæpe etiam ſcriptura docet, Patrem videri & cognoſci à filio, & filium à Patre, vt Ioann.1. & 6. & Matth.11. Pater autem & filius ſunt vna numero intellectiua natura. ergo ſi alter intelligit alterum, Deus intelligit ſe.

*Probatur ratione articuli.* S.Thomas. Henricus.

2. Vnica, & à priori S. Thomæ ratio, quam vſurpat etiam Henricus in ſumma art. 4. q. 2. in hanc claram formam redigi poteſt, vt colligitur ex lib.1. contra Gentes cap.47. & quæſt. 2. de verit. art. 2. & 1. ſent. diſt.35. quæſt. 1. artic.1. ad 3. Intelligere actu aliquid, oritur ex eo, quod intelligibile ſit vnum cum intelligente actualiter; propter quod ex Ar. omnes pronunciamus, quod declarauimus ſuprà art.1. n.7. *Intelligibile in actu eſt intellectus in actu:* idque vel ex ipſo nomine probauit S. Thomas 4. contr. Gentes cap.11. multo poſt princ. dicens: *omne intellectum, in quantum intellectum, oportet eſſe in intelligente; ſignificat enim ipſum intelligere, apprehenſionem eius quod intelligitur per intellectum:* ſed Deus eſt ens maximè intelligibile, & cum ſuo intellectu eſt maximè vnus, ex probatis ſuprà q.3. & 4. & eſt ſemper in puriſſimo & perfectiſſimo actu intelligendi quodcumque intelligibile, ex probatis ſuprà artic.1. dub.5. 6. & 7. ergo Deus eſt ſemper, & maximè intelligens ſe ipſum.

### DVBITATIO I.

#### *An Deus intelligat ſe per ſpeciem.*

*Secunda concluſio.* S.Thomas. *Deum intelligere per ſpeciem.*

3. SEcunda concluſio. Deus intelligit ſe per ſpeciem intelligibilem, tamen nec re, nec ratione diſtinctam à ſe ipſo eſt, S. Thomæ in fine corporis, ita concludentis, *& ſic ſe ipſum per ſeipſum intelligit.* & clarius infra art.4. in fine corporis. *In Deo intellectus intelligens; & id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis ſunt omnia vnum & idem.* Prima pars exprimitur illis verbis. *Ita ſcilicet vt neque careat ſpecie intelligibili.* & in vniuerſali ponitur lib. 1. contra Gent. cap. 45. init. *cùm per ſpeciem intelligibilem intellectus in rem intellectam feratur, ex duobus perfectio intellectualis operationis dependet: vnum eſt, vt ſpecies intelligibilis perfectè rei intellectæ conformetur; aliud eſt, vt perfectè intellectui coniungatur;* & vt probetur, indiget ſolum explicatione. In ſpecie intelligibili multa munera diſtingui poſſunt: primum, eſſe principium coëffectiuum intellectionis: ſecundum, informare intellectum: tertium, intellectum indifferentem ad plura obiecta intelligenda, determinare ad intelligendum vnum obiectum, cuius eſt ſpecies, non aliud, cuius non eſt ſpecies: quartum, intellectum potentialem actuare, & conſtituere intellectum in actu: quintum, eſſe ſimplicem quandam formalitatem, ſeu rationem actualem & determinatam, qua formaliter intellectus habet eſſe ſimpliciter in actu determinato, ſiue vt actu ac determinatè feratur circa obiectum quod intelligit, nullo tamen conſiderato, & habito reſpectu ad potentiam actuabilem ac determinabilem. In Deo igitur nec realiter eſſe, nec rationabiliter cogitari poteſt ſpecies intelligibilis ſecundùm quatuor priora munera, quæ expreſſam imperfectionem important, vt ex ſe patet; ſed ſolum ſecundùm vltimum munus, in quo nulla apparet imperfectio; & aliunde habetur, in omni intelligente actualiter aliquod obiectum, eſſe eſſentialiter neceſſariam aliquam formalem rationem, qua formaliter habeat actu & determinatè intelligere tale determinatum obiectum. Quare ſicut S.Thom.1.d.27.q.2.art.2. aliquanto ante finem corporis, docet, poſſe admitti verbum abſolutum in diuinis, *ſecundùm quod dicit id quo aliquid formaliter intelligitur in diuinis;* nimirum tenens ſe ex parte intellectus; ita pariter dicendum, ſpeciem intelligibilem in diuinis, eſſe id quo formaliter aliquid intelligitur, tenens ſe ex parte obiecti intelligibilis; & hoc, inquit Capreolus 1.diſt.35. quæſt. 2. art.1. fin. eſt diuina eſſentia, *Quia per illam diuinus intellectus eſt in actu primo, & eſt ſimilitudo eorum, quæ intellectus intelligit, quæ ſunt conditiones ſpeciei intelligibilis: non tamen eſt diſtincta ab intellectu; nec eſt illud, quo intellectus intellectionem elicit actiuè; quia talia licet conueniant ſpeciei intelligibili noſtræ; non tamen conueniunt ei ex hoc quod eſt ſpecies intelligibilis, ſed ex imperfectione ſui eſſe.*

*Diſtinguũtur quinque ſpeciei munera.* *Quod munus habeat ſpecies intelligibilis in Deo.* S.Thomas. Capreolus.

4. Secunda pars probatur hîc circa finem corporis, ratione quadam optima, ſed ſubobſcura; quæ ideo à Caietan. & Sylueſtro variè exponitur; ſed proponi poteſt clarius hunc in modum; omiſſis breuitatis cauſa multis aliis rationibus, quas ad idem ex inſtituto probandum affert S. Thomas lib. 1. contr. Gent. cap. 48. & refert Capreolus 1. d.35.q.1. art.2. concluſ.4. Ad hoc, vt in re detur, vel cum fundamento in re concipiatur aliqua ſpecies media inter obiectum & potentiam, requiritur paſſiua aliqua potentialitas tam in obiecto quàm in potentia, nimirum vt obiectum de cognoſcibili in potentia fiat cognoſcibile in actu; & potentia de ſuo ſtatu potentiali tranſeat in alium ſtatum actualem, v. g. vt ſenſibile, vel intelligibile, de ſenſibili, vel intelligibili in potentia, fiat ſenſibile, vel intelligibile in actu. Et ſimiliter à contrario, vt ſenſus, vel intellectus, de ſenſu, vel intelle-

*Species in Deo non debet cõcipi media inter intellectum, & eſſentiam.*

intellectu in potentia, fiat ſenſus, vel intellectus in actu: ſed Deus eſt actus puriſſimus; nihil potentialitatis habens: ergo in Deo neque eſſe, neque cum fundamento in re concipi poteſt aliqua ſpecies intelligibilis, media inter intellectum diuinum, & diuinam ſubſtantiam.

5. *Munus ſpeciei naturalis obiecto.*
Maior propoſitio, quæ ſola indiget aliqua probatione patet; quia munus ſpeciei naturaliter intercedentis inter obiectum, & potentiam non poteſt fingi aliud, quàm reſpectu obiecti, ſupplere impotentiam obiecti, & conſequenter actuare quodammodo paſſiuam capacitatem obiecti, in quantum ſcilicet obiectum per ſpeciem intelligitur fieri actu potens determinare potentiam, & concurrere ad determinatam ſui cognitionem; quod antea ſine ſpecie non poterat; & reſpectu potentiæ, actuare, ac determinare illam, hoc eſt, efficere vt iam potentia ſit in ſe vltimatè, & completè actuata ac determinata ad eliciendum actum circa tale determinatum obiectum. Loquutus ſum de ſpecie, *naturaliter intercedente*, quæ tamen poni, aut rationabiliter cogitari poſſet in Deo, in quo nihil eſſe poteſt per miraculum ab aliquo ſuperiori, ſed ſolum per naturam: quia ex probatis ſupra quæſt. 12. art, 2. de ſpecie impreſſa repræſentatiua eſſentiæ Deo, quam poſſibilem eſſe ibi probauimus, primum illud munus reſpectu obiecti non eſt de eſſentia ſpeciei ſimpliciter, ſed ſolùm ſpeciei naturaliter competentis obiecto. Quapropter ſi beatus videret Deum per ſpeciem, quia illa non eſſet naturalis Deo, ageret quidem ſimpliciter loco Dei, vt obiectum inſtrumentum, quod ſatis eſt ad eſſentiam ſpeciei ſimpliciter: tamen nullam in Deo omnino potentialitatem, aut aliam imperfectionem argueret; quod eſt neceſſarium ad eſſentiam ſpeciei naturalis, non ſolum reſpectu actus ſed etiam reſpectu obiecti: Quæ omnia loco citato vberius declarata & probata ſunt.

6. *Exponitur ratio articuli.*
Ex hac ratione ita propoſita, percipi facilè poteſt ſenſus rationis articuli, quæ, verborum ordine paululum immutato, ſic eſt concipienda. *Deus eſt actus purus; ergo in eo intellectus & intellectum ſunt idem omnibus modis; ita ſcilicet, vt neque careat ſpecie intelligibili, ſicut intellectus noſter cùm intelligit in potentia; neque ſpecies intelligibilis ſit aliud à ſubſtantia intellectus diuini, ſicut accidit in intellectu noſtro cùm eſt actu intelligens; ſed ipſa ſpecies intelligibilis, eſt ipſe intellectus diuinus.* Quibus verbis adnimaduertere oportet primò S. Thomam pro eodem accipere obiectum, intellectum, & ſpeciem intelligibilem, nam cum dixiſſet, quòd in Deo intellectus & intellectum eſſent idem, id ſtatim declarat ex eo, quòd intellectus diuinus ſit idem cum ſpecie intelligibili, qua Deus ſe ipſum intelligit. Et quidem iure optimo, quia obiectum gerit aliquando munus ſpeciei, & ſpecies gerit munus obiecti, ergo & obiectum, ſpecies; & ſpecies, obiectum rectè denominatur. Secundò, hanc rationem non benè à quibuſdam ſic formari; *Intellectus diuinus nunquam caret ſpecie intelligibili, & hæc eſt ipſa ſubſtantia diuini intellectus: ergo hic eſt actus purus:* nam peruerſè mutatur antecedens in conſequens; & conſequens in antecedens. Retenta igitur forma & vi argumenti iuxta mentem S. Thomæ, probanda eſſet conſequentia; eam tamen probatam reliquit S. Thomas antecedentibus verbis. Etenim cum præmiſiſſet ex doctrina Philoſophi, tam ſenſibile, & intelligibile, quàm ſenſum, & intellectum, de potentia fieri in actu per ſpeciem ſenſibilis, vel intelligibilis, ſtatim immediatè poſt tradit vniuerſalem radicem, vnde oriatur, vt obiectum, hoc eſt, (vt ego quidem ex ipſiuſmet S. Thomæ verbis paulò antè memoratis interpretor) ſpecies obiecti diſtinguatur à potentia, & ſit quid medium inter rem obiectam, & potentiam, dicens, *& ſecundùm hoc tantùm ſenſus, vel intellectus aliud eſt à ſenſibili, vel intelligibili; quia vtrumque eſt in potentia*: modo ſcilicet à me explicato in n. 5.

Vnde colligo illud, *Vtrumque* neque referre ſolùm ambas potentias nominatas, nempe ſenſum, & intellectum, vt tandem vult Caietan. hîc in §. *circa verba* in fine: neque referre potentiam & obiectum ex vna tantum parte: ita vt eſſe in potentia conueniat tantùm potentiali, quod contra Caietanum defendit Syluester 1. parte conf. quæſt. 14. art. 2. §. 6. ſed referre potentiam & obiectum ex vtraque parte; ita vt eſſe in potentia, conueniat non ſolum potentiæ, ſed etiam obiecto, vt oſtenſum eſt, & ex prædicto contextu ſatis clarum apparet. 7.
Caietanus. Syluester.

Colligo præterea S. Thomam prioribus verbis non obſcurè explicaſſe modum intelligendi, proprium Dei, & diſtinctum etiam à modo, quo Angelus ſe ipſum intelligit ſine ſpecie. Nam de Deo docet, intelligere ſe per ſpeciem intelligibilem, *Quæ non ſit aliud à ſubſtantia intellectus diuini, ſed ipſa ſpecies intelligibilis eſt ipſe intellectus diuinus; & ſic ſeipſum per ſeipſum intelligit.* Angelus verò intelligit ſe per ſubſtantiam ſuam, tamquam per ſpeciem intelligibilem, quæ in vera ſententia S. Thomæ, eſt re ipſa aliud à potentia intellectiua Angeli. ergo de Angelo dici non poteſt, eodem modo, quo de Deo dicitur, ſe ipſum per ſe ipſum intelligit. Ad hoc autem dubium; aliter, & multo fuſius reſpondet Caiet. hîc §. *circa expoſitionem.* quem aliqui recentiores ſequuntur; accipiendo ſpeciem intelligibilem pro ipſa ſpecie expreſſa, contra vſitatam vocis ſignificationem, & cum æquiuocatione, quia antea ſæpius ſemper ſumitur pro ſpecie impreſſa; & contra ipſummet, qui infra q. 27. artic. 1. §. *ad 3. dubium.* apertè negat, Angelum in cognitione ſui ipſius formare verbum, quod eſt ſpecies expreſſa. Vnde Syluester ſuprà, tractans idem dubium, Caietanum reprehendit dicens: *Quidam ſine cauſa hîc materiam difficultant, quia S. Doctor eſt clarus.* 8.
*Cur Deus, & non Angelus dicatur intelligere ſe ipſum per ſeipſum.*
Caietan.

## DVBITATIO II.

### *Quodnam ſit obiectum diuinæ intellectionis.*

TErtia concluſio, quæ neceſſariò ſequitur ex ſecunda, vt infrà, n. 11. deducemus. Eſſentia, ſeu natura diuina, eſt diuini intellectus obiectum formaliter, non tantùm per ſe, & primarium, ſed etiam adæquatum, imò & ſolùm, propriè loquendo. Prima pars de obiecto per ſe & primario, eſt omnium; & ex inſtituto probatur à S. Thoma 1. contra Gentes cap. 48. Mayrono 1. diſt. 36. quæſt. 3. concluſ. 2. Capreolo 1. d. 35. q. 2. art. 1. concluſione 1. Argentina quæſt. 1. concluſ. 1. Marſilio quæſt. 38. art. 2. concluſ. 1. Rationem præcipuam & à priori omiſſis multis aliis, quæ legi poſſunt apud citatos Doctores, præcipuè S. Thomam, qui plures affert, deſumo ex eodem S. Thoma in præcedenti cap. 47. ratione 5. Quia per ſe & primarium obiectum perfectiſſimæ intellectionis, qualis eſt intellectio diuina, *cùm ſit ipſum eſſe diuinum,* debet eſſe perfectiſſimum intelligibile, quale eſt eſſentia diuina, *cùm ſit perfectiſſimus actus, & prima veritas.* 9.
*Tertia concluſio. Diuini intellectus obiectũ primariũ eſt eſſentia.*
S. Thomas. Mayronus. Capreolus. Argentina. Marſilius.

Secunda pars de obiecto adæquato, non obſcurè colligitur ex citato cap. 48. contra Gentes; & ad eius mentem expreſsè ponitur à Capreolo 1. 10.
*Diuini intellectus obiectũ*

d. 35.



*adæquatũ eſt eſſentia, vt probat S. Th. Capreolus, Mayronus, Baſſolus, Marſilius.*

d. 35. q. 2. artic. 1. in reſponſionibus ad argumenta contra 1. concluſionem, præſertim ad 8. Eandem probant Mayronus 1. diſtinct. 36. q. 3. concluſ. 1. Baſſolus 1. diſtinct. 35. quæſt. vnica artic. 2. §. *Tertiò probo.* Marſilius quæſt. 38. art. 2. concluſ. 2. & alij, contra Ochamum 1. diſtinct. 35. quæſt. 3. littera K. P. Q. dicentem obiectum adæquatum eſſe ens commune vniuocum Deo & creaturis, & prædicabile de omni intelligibili à Deo, quem ſequitur Gabriel ibidem artic. 2. Hanc obiecti adæquationem ſufficientiſſimè demonſtrant duo, quæ tangunt Mayronus, & Marſilius. Alterum ex Mayrono, quia Deus ita intelligit eſſentiam ſuam, vt eam non intelligat intelligendo aliud extra ſe; & è contra, quidquid aliud extra ſe intelligit, id non alia ratione intelligit niſi per intellectionis actum primò & per ſe terminatum ad eſſentiam ſuam, vt dictum eſt ſupra quæſt. 12. art. 8. & rurſus dicetur infra art. 5. Alterum ex Marſilio, quia Deus tantum, & taliter intelligit eſſentiam ſuam, quantum, & qualiter illa intelligibilis eſt; ita vt intelligendo eſſentiam ſuam, nec plus nec minus tam intenſiuè quàm extenſiuè eam intelligat, quàm ipſa intelligi poſtulat. hæc autem ſatis ſunt ad conſtituendum obiectũ adæquatum actui, vt ex ſe patet.
*Cõtra Ochamum, & Gabrielem.*

11. *Obiectũ formaliter diuini intellectus eſt ſola eſſentia.*
*Ita* Aureol. Bacconus. Toletanus. Henricus. S. Thomas. Capreolus.
Tertia pars de obiecto ſolo, eſt contra Ochamum, & Gabrielem ſuprà; ſed fusè probatur ab Aureolo 1. diſtinct. 35. quæſt. 2. quem ſequuntur Bacconus quæſt. 1. art. 4. Toletanus art. 2. & 3. & ſignificatur ab Henrico in ſumma, art. 4. quæſt. 5. in fine corporis, dum docet creaturas intellectas à Deo in eſſentia ſua, *nihil habere intelligibilitatis, niſi per ipſam eſſentiam, & in ipſa eſſentia:* ita vt ſola eſſentia habeat, vt addit ad 1. & 2. *Per ſe, & formalem rationem obiecti.* & cenſenda eſt ſine dubio S. Thomæ, tum hîc, vbi admittit in Deo ſpeciem intelligibilem, quam nihil aliud eſſe docet, niſi ſubſtantiam ipſam diuinam; illud autem propriè nomine obiecti apud ſapientes ſignificatur, quod gerit munus ſpeciei: tum libro 1. contra Gentes cap. 48. vbi eius rationes hanc tertiam partem verè probant: quam expreſſius colligo ex Capreolo 1. diſtinct. 35. quæſt. 2. artic. 1. ad 6. contra 3. concluſionem: ex eo igitur ſic arguo. *Non ſufficit ad hoc quod aliquid ſit formale obiectum alicuius potentiæ, quòd illa terminetur ad rem ſub tali ratione; ſed requiritur, quod ſit illud cuius ſpecie primò informatur, & per quod omnia alia cognoſcuntur à tali potentia vel virtute cognoſcitiua.* Sed ex S. Thoma tum hîc, tum ſuprà in quæſt. 12. artic. 8. & 9. vt ibi latè oſtendimus; tum infra, art. 5. vt ibi magis declarabitur, quamuis cognoſcat & ſe, & creaturas, tamen tam ſe, quàm creaturas, non cognoſcit per ſpeciem creaturarum, ſed ſolùm per ſpeciem eſſentiæ ſuæ: ergo hæc ſola dicenda eſt obiectum intellectus diuini, ſi propriè loqui volumus; alioqui ſi minus propriè & largè accipiatur obiectum pro omni eo ad quod quacumque ratione terminatur actus, certum eſt non ſolum Deum, ſed etiam reliqua omnia eſſe obiectum diuini intellectus, cui nuda & aperta ſunt omnia. Verùm ſuprà quæſt. 12. ar. 8. num. 57. notauimus creaturas in eſſentia diuina viſas, eſſe quidem illius viſionis terminum formaliter, non obiectum formaliter.

12. *Probatur ratione S. Thomæ.*
Eamdem vim habet, ſi bene percipiatur prima probatio S. Thomæ lib. 1. contr. Gent. cap. 48. *Illa res ſolùm eſt primò & per ſe ab intellectu cognita, cuius ſpecie intelligitur; ſed id quo Deus intelligit nihil eſt aliud quàm ſua eſſentia: igitur intellectum ab eo primò & per ſe, nihil eſt aliud quàm ipſemet.* Quod autem res primò, & per ſe cognita nihil aliud ſignificet apud S. Thom. niſi rem, quæ habet propriam ac formalem rationem obiecti ſimpliciter, patet ex vltima ratione, in qua id expreſsè declarat dicens, *operatio intellectualis ſpeciem & nobilitatem habet ſecundùm illud quod eſt primò & per ſe intellectum, cùm hoc ſit eius obiectum.* Accipit igitur id quod eſt primò & per ſe intellectum, pro omni eo quod intelligitur vt propriè ac formaliter obiectum; ſiue inter obiecta ſit magis aut minus principale, ſicut inter obiecta, v.g. viſibile obiectum formaliter eſt tam album quàm nigrum, licèt album ſit principalius nigro. Quare illud; *primò & per ſe* reduplicat rationem propriam, & formalem obiecti, & excludit rationem puram termini, qui ſimpliciter intelligitur, & ſolet largè vocari obiectum ſecundarium, & ab Ægidio 1. diſtinct. 35. 1. parte diſtinctionis, q. 3. aliquanto poſt principium corporis acutè dicitur, *quaſi obiectum ex conſequenti*; & ad 5. *Obiectum quaſi ſecundarium, & ex conſequenti*; & à Baſſolo 1. diſt. 36. quæſt. 1. art. 1. §. *Sic ergo*, dicitur *obiectum non ſub ratione motiui, ſed in ratione terminatiui, non primò, ſed ſecundò.* vis igitur rationis S. Thomæ eſt hæc, Actus ſpeciem, & nobilitatem habere dicitur per habitudinem ad omne id, circa quod verſatur, tanquam obiectum formaliter; ſed actus diuinæ intellectionis, quæ eſt ipſamet eſſentia Dei, non poteſt ſpeciem, & nobilitatem ſuam habere per habitudinem ad aliquid, quod ſit aliud ab ipſo: ergo nihil aliud ab ipſo poteſt eſſe diuinæ intellectionis obiectum propriè, & formaliter: ergo eſſentia diuina eſt diuinæ intellectionis obiectum, non tam per ſe, & primarium, & adæquatum; ſed etiam ſolum.
Ægidius. Baſſolus.

Obiicies duo fundamenta, quæ videntur tangi ab Ocham. & Gabriele ſuprà. Primò, Deus præter eſſentiam ſuam intelligit creaturas, vt creaturas formaliter, quæ non ſunt eſſentia diuina; ſed nihil poteſt ab aliqua potentia attingi, quod non participet formalem rationem ſui obiecti: ergo diuina eſſentia non eſt obiectum adæquatum, & ſolum, intellectus diuini. Reſpondetur ad maiorem, diſtinguendo illud, *formaliter.* ſi enim ſpecificat modum intelligentis Dei ita vt ſignificet diuinum intellectum eadem formali ratione, qua per ſe; & immediatè fertur in eſſentiam ſuam, ferri pariter in creaturas, eſt falſa maior; quia intellectio Dei non terminatur ad creaturas per propriam, & formalem intelligibilitatem creaturarum, ſed per propriam, & formalem intelligibilitatem eſſentiæ diuinę, vt ſuppono ex hîc alibi probatis, & probandis. Si verò ſpecificat modum rei intellectæ, ita vt ſignificet, Deum intelligere creaturas ſecundùm formale, & proprium eſſe earum, quo ab ipſo diſtinguuntur, eſt vera maior; ſed cùm in ea additur, hoc eſſe formale creaturarum, non eſſe eſſentiam Dei, dico, non eſſe in ſe, eſſe tamen in eſſentia Dei, in qua omnis creatura eminentiſſimè continetur; ratione cuius, vt explicauimus ſupra q. 4. art. 2. n. 7. & 8. dicit Anſelmus quod *creatura in Deo eſt creatrix eſſentia:* & Auguſtinus, & Anſelmus dicunt, quòd creatura verius habet eſſe in Deo, quàm in natura propria. Cùm igitur Deus intelligat formaliter eſſe creaturarum, non in proprio eſſe illarum, ſed in eſſe proprio eſſentiæ ſuæ; hæc erit adæquatum, & ſolum obiectum illius intellectionis, etiã prout terminatę ad proprium, & formale eſſe creaturarũ. 13.
*Prima obiectio.*
*Reſpondetur declarãdo, in quo ſenſu dicatur, Deus cognoſcere creaturas formaliter.*
Anſelmus. Auguſtinus.

Obiicies ſecundò, Quia melius obiectum, eſt ens communiſſimè ſumptum quam ſola eſſentia diuina, quæ eſt aliquid particulare contentum ſub ente vniuerſali: ergo illud, & non hæc aſſignari debet obiectum nobiliſſimi intellectus diuini. 14.
*Secunda obiectio.*

*Reſpondetur probando ſolã eſſentiam Dei eſſe obiecto nobilius ente cõmuni.*

uini. Reſpondetur eſſentiam Dei ſolam,eſſe obiectum nobilius per infinitum exceſſum, quàm ſit ens : tum quia ſicut formalis ratio entis conuenit enti creato,ita eidem conueniret formalis ratio obiecti, quæ ex dictis ſupra n. 12. eſt imperfecta, & infinitè diſtans à formali ratione obiecti increati, & infinitè improportionata increato intellectui. Tum quia ens,eſt vniuerſalius prædicatione,eſſentia verò eſt quid vniuerſalius cauſalitate & virtute eminentiali : quia per virtutem infinitè excedentem omnes creaturas eas cauſat ſecundùm omnem rationem entis creati,& à nullo ente cauſatur;quæ vniuerſalitas virtutis eſt infinitè nobilior vniuerſalitate prædicationis. Tum quia eſſentia diuina ſub ente vniuerſaliſſimo continetur, non tanquam ſub aliqua natura priori,& independente,& actuali; ſed ſolum veluti concomitanter, vt pars illius entis implicitè & confusè concepta, & contenta ſub illo, tanquam ſub aliquo potentiali, ſeu contrahibili,per inferiores & minus vniuerſales differentias. At in eſſentia diuina reliqua omnia entia continentur eminentiſſimè, diſtinctiſſimè, & actualiſſimè tanquam in natura priori, & independente,& infinitè excedente : ergo diuina eſſentia erit obiectum diuini intellectus, potius quàm ens vt ens quod eſt obiectum intellectum creatorum.

## ARTICVLVS III.

*Vtrum Deus comprehendat ſe ipſum.*

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quod Deus non comprehendat, &c.

### COMMENTARIVS ARTICVLI.

1\.
*Concluſio articuli affirmatiua de fide.*

QVæ de materia huius articuli ſcribi poſſunt, omnia planè declarata, ac probata diligenter ſunt in q. 12. artic.7.& 8. Quamobrem hoc loco eadem repetere nec libet, nec expedit;ſolum animaduerſione dignum videtur cõcluſionem articuli, eiúſque declarationem,ſeu probationem, prout in genere prudenter proponitur à S.Thom.nempe, *Deus perfectè comprehendit ſe ipſum.* hoc eſt, *ita perfectè cognoſcit ſe ipſum, ſicut perfectè cognoſcibilis eſt*; eſſe certam de fide, quia diuinæ ſcientiæ nullam deeſſe perfectionem, fatentur ſcripturæ citatæ ſupra num.37. & Patres, & Scholaſtici omnes. Præterea comprehenſionem magis directè ſignificant verba illa 1. ad Corinth. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda* Dei, vt expendimus ſupra quæſt. 12. artic. 7. num. 18. & expoſuit Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi ſexta aliquanto poſt principium dicens. *Solus Spiritus ſanctus, ita vt oportet videt; ille enim ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Vbi eodem modo exponit illud Ioan.6. *Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.* Nempe exponens quoque Chryſoſtomus homil.14. in 1. epiſt. ad Corinth. ait. *Viſionem dicens manifeſtiſſimam, & perfectiſſimam cognitionem.* & de comprehenſione intelligit Theodoretus in Dialogo, *Immutabilis.* aliquanto poſt principium. Comprehenſionem præterea ſignificant verba illa Matth. 11. *Nemo nouit filium niſi Pater; neque Patrem quis nouit niſi filius*, vt interpretantur Cyrillus ſupra, & Chryſoſtomus homil. 14. in Ioan. vbi ait; *Nemo cognoſcit Patrem vt filius, qui certam notionem, viſum, & comprehenſionem habet, qualem filium de Patre habere par eſt.*

*Exponitur locus 1. Cor. 2.* — Cyrillus Hieroſol. — *Exponitur locus Ioan.6.* — Chryſoſt. — Theodor. — *Exponitur locus Matth. 11.*

2\.
*Probatur ratione Theologica.*

Ex his ad inſtitutum probandum confici poteſt hæc theologica demonſtratio : ex ſcripturis ſacris certò conſtat, Deum ſcire quicquid eſt viſibile, alioqui eſſet ignorans; & ſcire cum tanta perfectione, cum quanta illud eſt ſcibile, alioqui intellectus diuinus careret aliqua perfectione poſſibili in genere intellectus ſicut ſupponitur poſſibilis obiectiua illa ſcibilitatis perfectio in genere obiecti intelligibilis, & conſequenter eſſet poſſibilis alius intellectus perfectior & ſuperior intellectus diuino : ſed comprehendere Deum, apud omnes Patres & Scholaſticos nihil eſt aliud, quàm ſcire Deum, ſimpliciter ſcibilem, & ſcire cum tanta perfectione cum quanta eſt ſcibilis, ergo Deus comprehendit ſe ipſum.

3\.
*Qua ratione ſumi debeat comprehẽſio, vt concluſio ſit de fide.*

Loquutus ſum limitanter de comprehenſione, *in genere*, ſub iſto generali conceptu, quem nullus negat, de intellectione habente in ſe tantam perfectionem, quantam ex natura ſua poſtulat obiectum intelligibile vt perfectè intelligatur : Etenim ſi præterea quis magis diſtinctè, & in particulari addat, Deum ſe comprehendere, vel quia videt in ſe formaliter non ſolum omnes ſuas perfectiones, ſed etiam omnem intenſionem, & modum ſuarum perfectionum; vel quia intellectus diuinus habet talem perfectionem, & modum eſſendi, qualem habet ipſemet Deus, quem intelligit; vel quia Deus intelligit ſe cum infinita claritate; vel quia ita ſe ipſum penetrat, vt videat in ſe tanquam in obiecto viſo, vel tanquam in ſpecie, omnes creaturas : iam nihil erit ex fide certum, ſed poſitum in libertate & controuerſia Theologorum; de qua exactè tractatum eſt in 1. tomo q.12.art.7.

## ARTICVLVS IV.

*Vtrum ipſum intelligere Dei ſit eius ſubſtantia.*

Ad quartum ſic proceditur. Videtur quod ipſum intelligere, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Non intendi in hoc articulo niſi primum ſenſum identicum. n.1.2.*
2 *Probantur tertius & quartus ſenſus.n.3.4.5.*
3 *In quo ſenſu dicat S. Thom. hîc intelligere ſequitur ſpeciem intelligibilem. n.6.7.& 8.*

### COMMENTARIVS.

*Diſtinguuntur, & probantur quatuor ſenſus partis affirmatiuæ.*

1\.

CONCLVSIO articuli, prout proponitur initio corporis,tanquam probãda,hæc eſt, *Intelligere Dei eſt eius ſubſtantia.* Siue,prout proponitur in eius probatione, *Intelligere Dei non eſt aliquid aliud,quàm eius ſubſtantia.* Huius propoſitionis quatuor ſenſus diſtingui poſsũt.Primus,Intelligere Dei nullo modo ex natura rei diſtinguitur à ſubſtantia,& eſſentia Dei;& eſt ſenſus identicus quem ſolum, & non formalem intendi à S.Thoma hîc, notat

*1. Intelligere identificatur ſubſtantiæ.*



Sylueſter.

notat Sylueſter 1.p.concl.quæſt.14.art.4.initio. In quo primo ſenſu ſubſtantia largè accipitur, pro omni eo, quod in Deo formaliter habet rationem ſubſtantiæ, ſiue ſit eſſentia, ſiue proprietas attributalis extra intrinſecum eſſentiæ conceptum.Secundus, Intelligere Dei, ſi ratione diſtinguatur ab eſſentia,& per ſe,ſecundùm intrinſecam formalitatem ſuam conſideretur, habet formalem & poſitiuum ſubſtantiæ conceptum. & hîc eſt ſenſus formalis, in quo ſubſtantia ſumitur etiam largè prout diſtinguitur contra accidens, & eſt quid commune omnibus rationibus diuinis, ſiue eſſentialibus, ſiue attributalibus, ſiue notionalibus. Tertius, Intelligere Dei eſt de intrinſeco, & quidditatiuo conceptu eſſentiæ diuinæ. Quartus, Intelligere Dei eſt vltimò conſtitutiuum & quaſi ſpecificatiuum eſſentiæ Dei, & hi duo poſtremi ſenſus ſunt formales, ſed magis formalis eſt quartus, & in vtroque ſubſtantia ſtrictè ſumitur pro ſola eſſentia, excludendo reliqua omnia prædicata diuina, tam attributalia, quàm perſonalia.

*2. Intelligere eſt in ſe formaliter ſubſtantia.* — *3. Intelligere eſt de eſſentia.* — *4. Intelligere eſt vltimum conſtitutiuũ.*

2\.
*Solum primũ ſenſum intẽdi in hoc articulo.*

De omnibus iſtis quatuor ſenſibus, ac proinde de toto hoc articulo, dictum abundè eſt in ſuperiori tomo. De 1. in quæſt.4. articul.2. concluſ.7. à num. 89. nec videtur verè hoc articulo intendi alius ſenſus niſi hic primus identicus, vt bene adnotauit Sylueſter ſupra, & exponunt Mol. hîc. Val. punct.1. circa finem, Zumel. hîc. Arrub. n.6. contra Gonzalez hic; tum quia, intelligere Dei eſſe eius ſubſtantiam explicatur per, *Non eſſe aliquid aliud*, quod expreſſiùs ſignificat tantùm, non eſſe diſtinctum: Item lib. contra Gentes cap. 45. vbi de eadem quæſtione agitur, concluditur in 1. ratione. *Intelligere ergo Dei eſt diuina eſſentia*, ex eo quod, intelligere eſt in Deo, *quicquid autem eſt in Deo, eſt diuina eſſentia.* Quo medio termino ſatis conſtat nihil aliud neceſſariò deduci præter identitatem; nam multa ſunt in Deo, quæ ſunt identificata, & non eſſentialia Deitati, vt relationes, ſecundùm communiſſimam opinionem, & attributa ſecundùm probabilem multorum opinionem, quam loco citato ſequutus ſum: & ibidem in 2. ratione: *Intellectus diuinus eſt Dei eſſentia, aliàs eſſet accidens in Deo.* Vbi pariter ex vi conſequentiæ infertur ſenſus identicus tantùm. Tum quia ratio huius articuli propoſita in principio corporis, nempe quòd ſi intelligere eſſet aliquid aliud à ſubſtantia, hæc ſe haberet ad aliud tanquam potentia ad actum,euidenter non probat pluſquam identitatem. Vnde comparatio, quæ ad hoc magis intelligendum ſtatim affertur, & non videtur noua ratio, vt videtur Caietano, & Syluestro, ſed explicatio potiùs præcedentis rationis, vt ex verbis ipſis textus manifeſtum eſt; nimirum, ſicut eſſe eſt eſſentia Dei, ita intelligere eſt eſſentia Dei; eſt accipienda per ordinem ad ſolam identitatem: & non ad incluſionem eſſentialem? Quamuis enim eſſe & intelligere Dei, non ſolum identificentur eſſentiæ, ſed etiam includantur intrinſecè in illa, tamen hîc conſideratur identitas, non inductio, quam ſolam identitatem reſpicit Auguſtin. lib. 15. de Trinit. cap. 14. dicens, *Noſſe & eſſe, illi vnum eſt.* Videnda ſunt quæ diximus loco cit. n.55. & 73.

Auguſtinus.

3\.

De ſecundo ſenſu nihil occurrit addendum iis, quæ in genere dicta ſunt quæſt. 3. artic. 6. n. 3. 4. 5. Tertium ſenſum cum communi opinione tam veterum quàm recentiorum etiam eorum qui tenent attributa non eſſe de eſſentia Deitatis, præſertim S. Thomæ probauimus quæſt.4. artic. 2. num.19.24.54.55.56. & rurſus à num. 74. ad 82. & præter Authores ibi citatos in num. 56. idem deinde legi apud Aureolum 1. diſtinct. 35. quæſt. 1. artic. 3. Inquiſitione 2. & 3. Suarez in Metaph. diſtinct. 30. ſect. 15. num. 14. 15. qui id tribuit etiam Ariſtoteli, quamuis repugnent Arrubal hîc, & Albertinus, & alij citati ſupra q.4. art.2.n.55.

*Tertius ſenſus eſt Aureoli, & Suarez.*

4\.
*Quartus ſenſus eſt Aureoli, & Suarez.*

Quartum denique ſenſum exactè oſtendi in q.4. artic. 2. 3. & 4. à num. 48. ad 82. eúmque præter Authores allatos ibi num. 51. 52. ſequitur Aureolus ſuprà circa finem quæſtionis in §. *Quintò deinde infertur*; & egregiè expreſſit & probauit Suarez ſupra. nam in num.14. init. ait. *Diuina ſcientia formaliter eſt de eſſentia Dei; & quaſi vltimò conſtituens illam in ratione talis naturæ, vel eſſentiæ.* ídque tribuit S.Thomæ, & in n. 15. ſic concludit; *Ergo actualis ſcientia per eſſentiam eſt veluti vltimum eſſentiale conſtitutiuum diuinæ naturæ:* & optimè docet, omnes naturas intellectuales, tam creatas, quàm increatam eſſentialiter conſtitui, ac diſtingui per intellectualitates: diuerſo tamen modo; hanc per eſſentiam, illas per participationem: quia diuina eſſentia, *eſt intellectualis non per modum principij aut radicis intellectionis, ſed vt ipſamet intellectio ſubſiſtens, & ipſum intelligere puriſſimum & abſtractiſſimum, quod formaliſſimè conſtituit, & quaſi ſpecificat eius eſſentiam.* Creaturæ verò ſunt intellectuales, quia habent proprium conſtitutiuum, ſeu ſpecificatiuum per diuerſas habitudines intrinſecas ad proprium intelligere. Nam, vt rectè philoſophatur Aureolus ſupra init. §.cit. *ſicut ſe habet intellectualitas ad hominem vel Angelum, & ad omnem intellectualem naturam; ſic ſe habet intelligere actuale ad Deum; ſed manifeſtum eſt, quia de conceptu primario & quidditatiuo hominis & Angeli eſt intellectualitas. ergo neceſſe eſt, quod intelligere ſubſiſtens, ſit de conceptu primario Deitatis.*

*Explicatur & probatur.*

5\.
*Cur proceſſio Verbi ſit generatio ſecũdùm Suarez.*

Vnde conſequenter idem Suarez lib. 9. de Trinit. cap. 1. num. 5. rationem, cur proceſſio Verbi ſit formaliter generatio, ait eſſe *quia per illam proceſſionem formaliter communicatur natura diuina, ſecundùm proprium gradum ſpecialem eius*, qui inquit, *eſt ipſum intelligere per eſſentiam*; eandémque rationem fuſius tradit, & declarat lib.11. c.5. num. 16. & cap. 6. num.14. ex qua nos in quæſt. 4. artic. 2. à num. 19. efficaciter arguimus, attributum diuini amoris non ſpectare ad intrinſecum conceptum eſſentiæ diuinæ; Quamuis Suarez, & alij oppoſitum ſequuntur; ſed non ſatis cohærere iſta duo; intelligere eſſe vltimum conſtitutiuum & ſpecificatiuum eſſentiæ diuinæ; & velle, quod natura ſua eſt poſterius, & præſupponens illud,eſſe etiam eſſentiale prædicatum eiuſdem eſſentiæ, & ex inſtituto oſtendi loco citato in num. 21. & 22. & ex ipſis terminis, ſi rectè penetrentur, iudicari facilè poteſt. Quod enim eſt poſterius vltima differentia eſſentiali, eámque præſupponit, non poteſt ad eſſentiam illa differentia vltimatò & totaliter conſtitutam in ratione eſſentiali ſpectare vt aliquid eſſentiale, ſed ſolum vt proprietas conſequens totam eſſentiam, ſicut admiratiuum, riſibile, & ſimilia, ſunt humanæ naturæ proprietates; quia præſupponunt rationalitatem, quæ eſt differentia vltimò conſtitutiua, & ſpecificatiua illius naturæ.

*Velle non eſt de eſſentia Dei.*

6\.
*Cõtra quartum ſenſum nõ eſſe Patres, & S. Thomã hîc.*

Contra hunc quartum ſenſum inſurgunt quidam recentiores, afferentes multa, quibus abundè ſatisfactum eſt in 1.tomo, in citata quæſt.4. vbi in num. 16. expoſuimus Patres inter Dei attributa numerantes ſapientiam. Quo, inquiunt aduerſarij,

ſarij, *nihil clarius dici potuit.* Addunt præterea contrarium à S.Thoma ſignificari, vt ipſi loquuntur, *apertiſſimè in hoc ipſo articulo illis verbis, intelligere ſequitur ſpeciem intelligibilem:* ſed ſecundùm S.Thom. ſpecies intelligibilis in Deo eſt eius eſſentia: *ergo,* inquiunt, *ex ſententia S.Thomæ, actualis intellectio, non conſtituit ſed ſequitur diuinam eſſentiam.* Verùm hanc deductionem infirmam eſſe, vel ex eo maximè manifeſtum fuit, quòd eadem argumentatione liceret pariter concludere, eſſe in Deo non includi in diuina eſſentia, ſed conſequi illam, quod & aduerſarij ipſi, & omnes fere negamus. Etenim S.Thomas ita habet: *ſicut eſſe conſequitur formam, ita intelligere ſequitur ſpeciem intelligibilem.* ſicut igitur iſti contra nos arguunt ex poſteriori parte comparationis, ita alius contra omnes ex priori ſic arguet; ſed forma in Deo & ſecundùm S. Th, & ſecundùm omnes, non eſt, nec eſſe poteſt alia niſi ipſamet eſſentia diuina; ergo ex ſententia S. Thomæ eſſe conſequitur eſſentiam diuinam.

7. Quapropter vtrumque argumentum ab omnibus exiſtimari debet inefficax, & ſolui ex eo, quòd duo illa prædictæ comparationis membra S. Th. non aſſumit de Deo, ſed de creaturis, vt ex his probet intentum de Deo; nam immediatè ante ſic habet. *Intelligere manet in operante, ſicut actus & perfectio eius; prout eſſe eſt perfectio exiſtentis.* Quæ verba intelligenda ſunt de creato intelligere & eſſe; alioquin Deus reſpectu actus intelligendi non ſe habet vt operans illum, neque vt aliquid actuabile, ac perfectibile; & eſſe in Deo, non eſt propriè perfectio Dei exiſtentis, ſed eſſentialiter eſt ipſemet Deus. Quare cùm immediatè poſt, ad hoc magis explicandum, ſubiungit; *ſicut enim eſſe conſequitur formam, ita, &c.* manifeſtum eſt id quoque dici de creaturis.

*Explicatur S.Th. dicens, intelligere ſequitur ſpeciẽ intelligibilẽ.*

8. Itaque ſenſus comparationis eſt hic: ſicut in nobis ſe habet eſſe ad rem exiſtentem, in actu primo conſtitutam per ſuam formam in tali eſſentia, ita intelligere ad intelligentem in actu primo conſtitutam per ſpeciem intelligibilem; quia ſicut eſſe eſt perfectio & actus rei exiſtentis, & ſequitur illius formam atque eſſentiam, ac proinde eſt illa ſimpliciter poſterius; ita intelligere eſt perfectio & actus intelligentis, & ſequitur ſpeciem intelligibilem, ac proinde eſt ſimpliciter poſterius & ſpecie intelligibili, & intelligente per illam conſtituto: ſed non obſtantibus prædictis differentiis inter eſſe & eſſentiam exiſtentem in rebus creatis, eſſe Dei non eſt diuinæ eſſentiæ actus, ſequens pòſt illam, ſed eſt formaliter ipſamet actualiſſima, ac puriſſima Dei eſſentia in genere eſſendi; ita pariter non obſtantibus prædictis differentiis inter intelligere, & ſpeciem intelligibilem, ſiue ipſum intelligentem, in rebus creatis, intelligere Dei non eſt actus ſequens poſt ſpeciem intelligibilem, & Deum intelligentem conſtitutum in actu per illam ſpeciem, ſed eſt formaliter ipſamet actualiſſima, & puriſſima Dei eſſentia in genere intelligendi; quia ex probatis ſuprà artic. 2. dub. 1. in Deo & id quod intelligit, & ſpecies intelligibilis qua intelligit, nihil eſt aliud quàm eſſentia. Ex hoc planiſſimo ſenſu, ſecundùm germanam S.Thomæ mentem, quamuis in eo explicando diuiſi & pugnantes inuicem ſint Caietanus, Sylueſt. & alij interpretes, patet colligi potius probabiliter ſententiam noſtram; nempe, intelligere Dei non eſſe proprietatem & attributum eſſentiæ, ſed eſſentiam ipſam; & vt loquitur S.Thomas hic, *Omnino vnum & idem.*

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm Deus intelligat alia à ſe.*

Ad ſummum ſic proceditur. Videtur quod Deus non cognoſcat, &c.

### SVMMA COMMENTARII.


1 *Deus intelligit alia à ſe. num. 1. ad 5.*
2 *Deus alia à ſe intelligit in ſe ipſo. num. 5. ad 9.*
3 *Deus alia à ſe intelligit in ſe ipſo, tanquam in medio cognito. num. 9. ad 22.*
4 *Deus alia à ſe non intelligit in ſe ipſo, tanquam in ſpecie. num. 22. ad 31.*
5 *Deus alia à ſe non intelligit in ſe ipſo ſub formali ratione ideæ. num. 31. 32.*
6 *Deus alia à ſe intelligit in ſcripto ſub formali ratione cauſæ. num. 33. ad 37.*
7 *Soluuntur leuiores aliquæ obiectiones Nominalium, & recentiorum, num. 37. ad 40.*
8 *Soluitur præcipua recentiorum obiectio ducta ex omnipotentia prorſus abſoluta. n. 40. ad 43.*
9 *Soluitur alia præcipua eorundem obiectio de modo videndi creaturas actuales. n. 43. ad 46.*
10 *Diluuntur quædam aliæ obiectiones. n. 46. ad fin.*


### COMMENTARIVS.

*Pars articuli ſimpliciter affirmatiua probatur auctoritate, & ratione.*

PRIMA concluſio ſimpliciter affirmatiua, qua ſignificatur, nihil prorſus aliud eſſe à Deo diuerſum, quod Deus non intelligat, eſt de fide, & indubita apud omnes catholicos; & ideo à Mayrono 1. d. 36. q. 4. init. dicitur *vera & catholica:* & à Rubionenſi d. 35. q. 1. art. 1. init. *ſecundùm veritatem catholicam.* & à Toletano q. 1. art. 2. c. 1. *non dubia catholicis.* idémque affirmat Argentina q. 1. c. 4. init. propter expreſſas ſcripturæ authoritates. Ad Hebr. 4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius.* Et vt intelligeremus, ſermonem eſſe de inuiſibilitate in actu ſecundo, ſtatim additur. *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* Eſther 14. *Domine qui habes omnium ſcientiam.* Eccleſiaſtici 23. *Omnia videt oculus illius.* Et paulò poſt. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circunſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia ſunt cognita; ſic & poſt perfectum reſpicit omnia.* Hinc Iob. c. 21. interrogat. *Numquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam?* & ab Anna l. 1. Reg. cap. 2. dicitur. *Deus ſcientiarum, Dominus eſt.* Et Pſ. 93. Propheta, vt ait Aureolus 2. d. 35. q. 2. art. 1. propoſit. 1. multò antè medium. *Reprobat aliquorum inſaniam, qui dixerunt, non videbit Dominus, nec intelligit Deus Iacob.* & reſpondet, *qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum, non conſiderat? quaſi dicere velit,* inquit Aureolus, *quod per ſe notum eſt, Deum cognoſcere ea quæ ſunt hic.* vel; vt ait Bonauentura 1. d. 39. artic. 1. q. 1. init. *Quaſi dicat: hoc eſt impoſſibile, quod det alijs potentiam cognoſcendi, & ipſe non cognoſcat.*

1. *Prima concluſio de fide.*

Mayronus. Rubionẽſis. Toletanus.

*Exponitur locus ad Hebr. 4.*

Eſther 14. Eccleſiaſtici 23.

Iob 21. 1. Reg. c. 2.

*Exponitur locus Pſ. 93.* Aureolus. Bonauentura.

Idem certò demonſtrant naturales rationes. Primò à priori ex probatis ſupra art. 1. dub. 1. & 2. & eſt ratio Mayroni ſuprà, & Heruæi 1. diſtinct. 35. quæſt. 1. art. 1. init. Quia intelligere oritur ex immaterialitate, & intelligere omnium perfectiſſi-

2. *Probatur rationibus. Primò ex Mayrono & Heruæo.*



mum ex perfectiſſima omnium immaterialitate. Sed hæc eſt in Deo; ergo & illud. Sed perfectiſſimum intelligere eſt intelligere quicquid eſt intelligibile. Non ſolùm autem Deus, ſed etiam alia à Deo, quia ſunt realia entia, ſunt intelligibilia: ergo Deus intelligit etiam alia à ſe. Secundò, ex Bonauentura ſuprà, Rubionenſi ſupra §. *Primum probo.* Baccono 1. diſtinct. 35. quæſt. 1. artic. 4. fin. Ariminenſi quæſt. 1. initio, Heruæo ſuprà, in ſecunda via. & artic. 2. init. Deus eſt prima omnium cauſa intellectualis, & libera, à qua omnia ſimpliciter pendent in fieri, in conſeruari, in operari, vt ſuprà, quæſt. 2. Ergo omnia ſimpliciter intelligit. Tertiò ex abſurdo. Si Deus aliquid non intelligeret, vel poſſet illud intelligere, & tamen actu non intelligeret; & tum eſſet ignorans, & intrinſecè mutabilis de non intelligente in intelligentem; vel non poſſet intelligere; & tunc eſſet pluſquam ignorans, hoc eſt, non ſolum per priuationem, ſed etiam per incapacitatem ſcientiæ; Omnis autem ſcientia, ſimpliciter loquendo, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, cùm in quocumque entis indiuiduo melius ſit ſcire aliquid, quàm neſcire, vt vel ex terminis ipſis manifeſtum videtur. Igitur nullius rei ſcientia deeſſe poteſt Deo, enti omnium perfectiſſimo.

*Secundò ex Bonauentura, Rubionẽſi, Baccono, Ariminenſi, Heruæo. Tertiò ab abſurdo.*

3. Obiicies primò dictum Auguſtini lib. 83. qq. quæſt. 46. poſt medium. *Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur.* Reſpondet S.Thomas hîc ad 1. id dici ſolùm ex eo quod Deus, *Id quod eſt extra ſe ipſum, non intuetur niſi in ſe ipſo.* Sed ex textu Auguſtini apertiſſimè conſtat, eum non ſpectare modum cognoſcendi rem, ſed rem ipſam cognitam: & ſolum velle, quicquid creatum fuit à Deo, creatum fuiſſe per rationes ideales prius exiſtentes in mente Dei creatoris; & non per aliquas rationes exiſtentes extra Deum, quas priùs Deus reſpiceret, vt ſe illis conformaret in rerum effectione, &, ſicut loquitur poſt citata verba, *Vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat.* Similiter S.Thomas de verit. quæſt. 2. art. 3. ad 5. benè expoſuit Ariſt. & Dionyſium, dicens, Deus ſe ipſum tantum *cognoſcit in ſe ipſo: alia verò non in ſe ipſis cognoſcit, ſed cognoſcendo eſſentiam ſuam, & ſecundùm hoc Philoſophus dicit, quod Deus tantùm ſe ipſum cognoſcit: cui conſonat Dionyſius in 7. c. de diuin. nomin. Deus, inquit, exiſtentia cognoſcit non ſcientia, quæ ſit exiſtentium, ſed quæ ſit ſui ipſius.*

*Obijcitur, & exponitur locus Auguſtini.* S.Thomas.

*Explicatur dicta Ariſt. & Dionyſij à S.Thoma.*

4. Obiicies ſecundò verba Hieronymi in illud Habacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui,* &c. in fine Commentarij. *Abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quótve moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo, quanti piſces in aqua natent; & qui de minoribus, maiorum prædæ cedere debeant.* Reſpondetur hunc Hieronymi locum cenſeri à quibuſdam valde difficilem, & occultum. Ab aliis verò temerè exiſtimari erroneum, quos refert, & meritò reprehendit Suarez 1. p. tr. 1. lib. 3. c. 3. n. 3. nam ex iis, quæ antea, & poſtea docet Hieronymus, manifeſtum ſine vllo dubio eſt, eum loqui de ſcientia ſpecialis prouidentiæ, quam ibi ſimpliciter vocat, *Prouidentiam,* & Deo tribuit reſpectu hominum; non reſpectu aliorum animalium; & non de ſcientia prouidentiæ generalis, quam ibi vocat, *Generalem diſpoſitionem, & ordinem curſumque rerum,* & Deo tribuit reſpectu omnium animantium. Has enim duas prouidentias, quæ ſcientiæ quædam ſunt, verbis antecedentibus apertè diſtinguit, vt ſoluat propoſitum dubium de diuina prouidentia, quæ nulla videbatur circa homines, ſicut & circa beſtias reſpondet. *Quomodo poteſt ſic habere Deus homines, quaſi piſces maris, & velut reptilia, quæ non habent principem; cùm Angeli ſingulorum quotidie videant faciem Patris, qui in cœlis eſt; & circumdet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiat eos? ſicut igitur in hominibus, etiam per ſingulos, Dei currit prouidentia; ſic & in cæteris animalibus generalem quidem diſpoſitionem, & ordinem, curſúmque rerum intelligere poſſumus. Verbi gratia, quomodo naſcatur piſcium multitudo, & viuat in aquis; quomodo reptilia, & quadrupedia oriantur in terra; & quibus alantur cibis? Ceterùm, abſurdum eſt ad hoc Dei deducere maieſtatem,* &c. vt ſupra. Poſt quæ verba ita immediatè ſubiungit, *Non ſimus tam fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos iniurioſi ſimus, eamdem rationabilium, quàm irrationabilium prouidentiam eſſe dicentes.* Non negat igitur Hieron. omnẽ ſimpliciter Dei prouidentiam, & ſcientiã de beſtiis, imò aliquã expreſsè fatetur hoc eodem loco, & aliis locis quæ refert Molina hîc fin. ſed ſolùm illam ſpecialem, quam de hominibus habet, & de qua Paulus etiam 1. ad Cor. 9. dixit. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Quem locum S. Thomas infra, quæſt. 22. artic. 2. ad 5. interpretatur de cura ſpecialis prouidentiæ, qua, inquit, *creatura rationalis ſpeciali modo ſubditur diuinæ prouidentiæ, vt ſcilicet ei imputetur aliquid ad culpam, vel ad meritum: & reddatur ei aliquid vt pœna, vel præmium: & quantum ad hoc curam Dei Apoſtolus à bobus remouet.*

*Obijcitur, & exponitur locus Hieronymo.*

Suarez.

*Exponitur locus 1. Cor. 9.* S.Thomas.

## DVBITATIO I.

*An Deus cognoſcat creaturas in ſeipſo, tanquam in medio formaliter cognito.*

QVod Deus vniuerſas creaturas cognoſcat, certum eſt apud omnes. Quo autem modo eas cognoſcat grauem habet difficultatem, & controuerſiam, ſequentibus concluſionibus, & dubitationibus diſcutiendam; in qua tractatione omittemus, vel breuiter indicabimus multa, quæ ad illam pertinent; quia ſufficienter tradita ſunt in ſuperiori tomo quæſt. 12. ar. 8. explicando modum, quo beati vident creaturas in Verbo.

Secunda concluſio, Deus cognoſcit creaturas, non in ipſis creaturis, ſed in ſe ipſo. Hoc in genere dictum negari non poteſt abſque temeritate; quia, vt teſtatur Caietan. artic. 6. §. *Aduerte hîc. Communis animæ conceptio ſapientium fuit, quod Deus non aliter intelligit alia à ſe, niſi intelligendo ea in ſe. Quare cautus eſto cùm nouas legis adinuentiones.* Etenim authore magno Dionyſio, cuius verba attuli loco citato n. 34. & Auguſtino lib. 15. de Trinit. cap. 14. in medio dicente, *Nouit omnia Deus Pater in ſe ipſo, nouit in filio: omnia ſimiliter nouit filius in ſe, & in Patre.* ita omnes Theologi loquuntur, & ſentiunt, ſignificantes, quod in omni opinione locum habet; eamdem ſimpliciſſimam Dei intellectionem, ideo eſſe intellectionem creaturarum; quia eſt intellectio eſſentiæ diuinæ, non contra; ita vt, quòd illa intellectio, ſit intellectio creaturarum, oriatur aliqua ratione ex eo, quòd eſt intellectio eſſentiæ, ac proinde creaturarum cognitionem Deus habeat in ſe ipſo, ſiue in cognitione ſui ipſius, abſque vlla dependentia à creaturis, non accipiendo ab aliis aut ſpeciem intelligibilem, aut actum, aut eſſentialem ſpecificationem, nec vllam realem relationem ad illas habendo.

5. *Secunda concluſio. Deus videt creaturas in ſeipſo.* Caietanus.

Dionyſius. Auguſtinus.

Quod ne ipſi quidem Nominales negant, quamuis in contrarium referri ſoleant. nam Ochamus 1. 6.

*Quid ſentiāt Nominales Aureolus & Becanus.*

d. 35. littera E. fin. quamuis concedat contra ſequentem concluſionem, quamlibet creaturam *eſſe per ſe obiectum intelligibile ab intellectu diuino*; nihilominus ibidem limitando addit, *non tamen ſub propria ratione mouet intellectum diuinum.* Et litt. K. fin. ait: *Intellectus diuinus nihil recipiendo à creatura, & ita non virtute creaturæ; intelligit creaturam.* Et litt. N. & O. concedit, diuinam eſſentiam eſſe *obiectum primarium* intellectus diuini; creaturam verò *obiectum ſecundarium.* Gabriel ibidem art. 3. præter hæc, clarius pro hac concluſione ſic loquitur. *Intellectus diuinus intelligit creaturam virtute eſſentiæ, & intelligendo eſſentiam diuinam intelligit creaturam.* Nec diſſentit Aureolus 1. diſt. 35. q. 2. quem ſequitur & explicat Bacconus q. 1. art. 4.

Toletanus. Toletanus art. 2. & 3. quamuis enim art. 1. malè loqui videatur ita vt occaſionem dederit Mayrono 1. d. 36. q. 4. in dubiis, (Mayronus.) vbi tacito nomine refert ſententiam Aureoli, aſſerendi, quòd eius dicta, *Poſſunt benè & malè intelligi*; & in malo ſenſu eum acriter reprehendant, & impugnent Gerardus Senenſis 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. Andreas de Nouo Caſtro q. 1. ad 9. Argentina q. 1. concl. 4. Capreolus q. 2. art. 1. concl. 6. fin. Bannes art. ſeq. Rada controu. 29. art. 1. op. 2. Molin. art. 6. §. *Alter error.* Zumel hîc concl. 3. Trig. q. 9. art. 1. dub. 3. & alij: tamen art. 2. per totum, ſatis conſtat, id expreſsè & ſæpe ab ipſo concedi; & ſolum negare, creaturas comparari ad diuinum intellectum, tanquam proprium ac formale obiectum, ſiue primarium ſiue ſecundarium. Et videtur loqui in ſenſu probato ſupra art. 2. n. 11. & probando concl. ſeq. Vnde in fine art. 1. admittit cum Auguſtino, *viſionem rerum in proprio genere, & in ſe ipſis; & viſionem rerum in verbo, & in diuina eſſentia*; & hanc ſecundam Deo tribuit.

Gerardus. Nouo Caſt. Argentina. Capreolus. Bannes. Rada. Molina. Zumel. Trigorius.

Becanus. Præterea Martinus Becanus in ſua breuiſſima, & clariſſima Theologia. 1. p. tract. 1. c. 10. q. 4. quāuis in concl. 1. abſolutè aſſerat, *Deum creaturas cognoſcere immediatè in ſe ipſis,* tamen in concl. 3. retinet communem modum loquendi de videre, *In ſe.* & num. 5. expreſsè negat creaturas vllo modo concurrere ad ſcientiam Dei, aut aliquid efficiendo, aut determinando, aut alia ratione. Videtur igitur dicere, Deum in ſe videre creaturas, in hoc ſolo ſenſu, quia ſcilicet, videt abſque vlla dependentia ab illis, quod verè eſt ſolum videre per ſe, & vi ſua, ſeu propria virtute, non autem videre in ſe: cæterùm ita loquitur, vt inter eſſentiam & creaturas nullam videatur cognoſcere connexionem in ratione obiecti; nam aſſerit, creaturas à Deo ita immediatè cognoſci in ſe ipſis, ſicut ſunt immediatè in ſe ipſis cognoſcibiles, *& vnum non cognoſci mediante alio, vt n. 6.* & ideo numquam vocat creaturas obiectum ſecundarium, imò num. 6. apertè negat, Deum eſſe obiectum primarium; & ibidem, & n. 8. obiectum ſimpliciter in quo videtur recedere etiam à ſententia Nominalium, & Vaſquez, & Arrubal vt infrà.

7. *Secundæ concluſionis prima ratio ex S. Thoma.*

Probatur concluſio, primò à priori, ratione deſumpta ex S. Th. hîc poſt medium corporis, *In ſe ipſo cognoſcitur aliquid, quando cognoſcitur per ſpeciem propriam adæquatam ipſi cognoſcibili, ſicut cùm oculus videt hominem per ſpeciem hominis.* Sed Deus non cognoſcit creaturam per ſpeciem propriam adæquatam creaturæ; tum quia eam ſpeciem acciperet à creatura; tum quia Deus non intelligit creaturas per tot ſpecies, quot ſunt creaturæ, ſed per vnam ſimpliciſſimam ſpeciem, quā intelligit vnam creaturam; intelligit reliquas omnes; alioqui in rebus exiſtentibus formaliter in Deo, poneretur actualis multiplicitas ac limitatio; tum quia tunc creatura eſſet diuinæ intellectionis obiectum formaliter ac propriè, ac proinde illam ſpecificaret. Ergo Deus non poteſt cognoſcere creaturam in ſe ipſa; ergo cognoſcit eam in ſe ipſo, cùm cogitari nequeat alius cognoſcendi modus, perfectiſſimæ Dei intellectualitati accommodatus.

8. *Secunda ratio.*

Secundò, Beatæ creaturæ vident de facto creaturas in Deo, vt ex ſententia Auguſtini, Bernardi, Iſidori, Concilij Senonenſis, & omnium Theologorum oſtendimus q. 12. art. 8. à n. 34. & hic videndi modus eſt multò præſtantior, quàm videre creaturas in ſe ipſis, vt authoritate Auguſtini, & ratione probatum eſt ibidem n. 34. & 38. Ergo multò magis concipiendus eſt in Deo perfectior ille modus intelligendi creaturas, & non hic imperfectus.

*Tertia ratio.*

Tertiò, creaturę ſunt in Deo aliqua ratione, & quidem perfectiori, quàm ſint in ſe ipſis, vt oſtendi q. 4. art. 2. n. 7. & 8. ex Auguſtino, & Anſelmo: ergo intelligi poſſunt, & perfectiùs intelligi, prout ſunt in Deo, quàm prout ſunt in ſe ipſis: ergo à perfectiſſimo Dei intellectu & ipſamet diuina eſſentia debent intelligi, & non alio modo. *Quam quidem veritatem,* inquit S. Thomas 1. cont. Gent. c. 49. fin. (S. Thomas. Dionyſius.) *expreſsè Dionyſius tradit 7. c. 1. de diui. nominib. dicens, non ſecundùm viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundùm cauſæ continentiam ſcit omnia.* Et infrà. *Diuina ſapientia ſe ipſam cognoſcens, ſcit alia.*

9. *Tertia concluſio. Deus creaturas videt in ſe ipſo, vt in medio obiectiuè, & formaliter viſo.*

Tertia concluſio. Deus creaturas intelligit in ſe ipſo, tanquam in medio formaliter cognito; hoc eſt, cognoſcendo ſe ipſum, qui ſecundùm id, quod in ſe ipſo eſt, & ſecundùm totam ſuam formalem rationem obiectiuam, perfectè comprehendi nequit, niſi intelligātur diſtinctiſſimè omnia alia entia poſſibilia. Quamobrem Deus ad intellectionem creaturarum, in ſe ipſo concipiendus eſt concurrere non per aliquam perfectionem quaſi diſiunctiuam ab eſſentia in intellectionem, ſed præciſè & formaliter per ſuam obiectiuam intelligibilitatem; quæ obiectiuè comprehenſa, & ex eo formaliter quod comprehenditur, ſicut non poteſt non ſe oſtendere ſecundùm ea quæ formaliter continet, ita nec ſecundùm ea quæ continet eminenter.

10. *Concluſio eſt S. Thomæ.*

Hæc eſt ſine dubio expreſſiſſima, & conſtantiſſima ſententia S. Thomæ; nam in hoc articulo, vt probet Deum intelligere alia à ſe, ita arguit, vt manifeſtiſſimè doceat modum intelligendi, expreſſum in hac tertia concluſione, *Deus,* inquit, *ſe ipſum perfectè intelligit. Si autem perfectè aliquid cognoſcitur, neceſſe eſt quod virtus eius perfectè cognoſcatur. Virtus autem alicuius rei perfectè cognoſci non poteſt, niſi cognoſcantur ea, ad quæ virtus ſe extendit. Vnde cùm virtus diuina ſe extendat ad alia, eo quod ipſa eſt prima cauſa effectiua omnium entium, neceſſe eſt quod Deus alia à ſe cognoſcat.* Non facit vim in eſſentia diuina, ex eo quod ſit obiectum omnium perfectiſſimum, vnde oriatur in eius intellectione perfectio omnium maxima, & conſequenter vis actualiter repræſentandi omnia poſſibilia, & intelligibilia; ſed ſolùm ex eo quòd ſit omnium cauſa, & vniuerſaliter; ex eo quod cuiuſcumque cauſæ virtus perfectè cognoſci nequeat, niſi cognoſcantur eius effectus: quæ eſt clariſſimè cognitio effectuum in cauſa, ſicut in medio formaliter cognito, quia perfectè cognitum eſt. Idem vniuerſale, ac veriſſimum principium ad eamdem concluſionem probandam ſumit art. ſequenti circa fin. corporis. *Deus non perfectè ſe ipſum cognoſceret, niſi cognoſceret, quomodocumque participabilis eſt ab alijs ſua perfectio.* Et 1. contra Gent. c. 49. initio, *effectus cognitio ſufficienter habetur per cognitionem ſuæ cauſæ.* Non dicit, *ex cognitione,* ſed, *per cognitionem*; quo ex-

preſſius



preſſius ſignificatur ratio medij formaliter cogniti, vt *Quod.* Et poſtea in tertia ratione. *Non poteſt Deus cognoſcere, ſe eſſe aliorum cauſam, niſi cognoſcat aliqualiter cauſatum,* & 4. d. 49. q. 2. art. 5. initio corporis. *Non poteſt cognoſci potentia, niſi ſciantur potentiæ obiecta.*

11. Præterea infra q. 58. art. 7. poſt medium corporis ait, *Deus per hoc quod videt ſe, cognoſcit eſſe verum, quod habent in propria natura.* Non potuit clarius exprimi concurſus medij formalis, & obiectiui, quatenus formaliter viſi, quàm illis verbis, *Per hoc quod videt ſe.* Quo etiam modo loquitur 3. contra Gent. c. 56. ratione ſecunda. *Diuinus intellectus non cognoſcit aliquid, niſi per hoc, quòd ſuam eſſentiam videt.* Quod eſt idem ac; *videndo eſſentiam ſuam,* vt loquitur 3. p. q. 10. art. 2. & 4. ſent. d. 49. q. 2. art. 5. initio corporis. Et de verit. q. 8. art. 4. init. corporis.

12. Idem communiſſimè ſentiunt reliqui Theologi, quos operæ pretium erit accuratè referre, vt manifeſtè appareat, aliquos recentiores, qui contrarium ſequuntur, à receptiſſima & grauiſſima opinione diſſentire; quamuis aſſerant, nec S. Th. nec alios eſſe pro noſtra opinione, præter Durandum, Capreolum, Argentinam, Caiet. & recentiores aliquos Thomiſtas. Verum pro nobis apertiſſimè ſunt Alenſis 1. p. q. 23. membro 1. cir. principium, (Alenſis,) dicens ex Dionyſio. *Diuina ſapientia cognoſcens ſe ipſam, cognoſcit omnia. Non igitur alio modo cognoſcit & ſcit, quàm per ſe ipſam.* Et paulò poſt, *ſciendo ſe, ſcit creaturas, vt dicit Dionyſius. Ergo non alia ratione ſcit ſe quàm creaturas. Ergo eadem.* Et membro 2. art. 1. poſt medium, clarius ait, quod cum dicitur ex Dionyſio, Deus per ſe ſcire omnia, *hæc præpoſitio,* Per *dicit rationem principij; quaſi medij; ſicut cùm dicitur, percuſſio per baculum.* Et artic. 3. idem clariſſimè explicat exemplo vnitatis, ſi intelligeret ſe, & virtutem ſuam; tunc enim, inquit, *vnitas intelligendo ſe; intelligeret vnitatem, & etiam ſuam virtutem; & cùm virtus ſua ſit, quòd ex eius multiplicatione ſurgit omnis numerus, ipſa intelligendo ſuam virtutem, intelligeret omnem numerum: ſimiliter Deus intelligendo ſe, omnia intelligit.* Albertus 1. d. 35. art. 1. (Alberti,) Deus, inquit, *ſciendo ſe, vt eſt cauſa omnium, nouit & ſe, & omnia alia.* Et in ſumma, tractatu 15. quæſt. 60. membro 2. in corpore; & ad q. 2. vbi vtitur exemplo vnitatis allato ex Alenſi ſuprà, Bonauentura 1. (Bonauentura,) d. 39. art. 1. q. in corpore, & ad ſecundum, dicens, *Deum cognoſcere alia à ſe per ſe ipſum, & per omnino intrinſecum, ſcilicet per exemplar, quod eſt idem quod ipſe; à quo res cognoſcuntur.* Nec contrarium dicit d. 35. art. 1. q. 1. in quo loco contra hanc concluſionem à quibuſdam citatur: nam ibi non negat videri creaturas in eſſentia obiectiuè, ſed addit, rationem hoc modo videndi, non eſſe formalitatem cauſæ, ſed ideæ quæ eſt alia quæſtio, de qua in dub. tertia. Ægidius 1. diſt. 35. 1. p. diſtinctionis; (Ægidij,) q. 3. præſertim in reſponſionibus ad argumenta, & multò clarius q. 4. in fine corporis dicens. *Deus ſciendo ſe eſſe cauſam omnium, ſcit omnia perfectè.* Et in 2. p. diſtinctionis, q. 2. col. 3. initio vbi dicitur, *Diuina eſſentia ſufficiens medium cognoſcendi, eſt Deus cognoſcendo ſe ipſum per talem eſſentiam, habere cognitionem aliorum omnium; quia omnia alia relucent in ipſa.* Henricus quodl. 9. q. 2. (Henrici,) & expreſſius in ſumma art. 40. q. 5. in fine corporis. *Diuina eſſentia eſt vna ſimplex ratio formalis, qua Deus intelligit quæcumque in ſe ſunt intelligibilia: & nihil habent realitatis, neque intelligibilitatis niſi per ipſam eſſentiam, & in ipſa eſſentia.* Et ad 1. & 2. docet cùm Deus in ſe intelligit creaturas, ſolum eſſentiam diuinam habere, *Per ſe, & formalem rationem obiecti.*

Præterea Aureolus, qui malè citatur pro ſententia contraria dicente, Deum & creaturas eſſe adæquatum obiectum diuinæ ſcientiæ in 1. d. 35. q. 2. probans, Deum intelligere creaturam concurrēte obiectiuè ſola eſſentia, & non creatura, neque primariò neque ſecundariò. Quare cum ſæpe dicit, Deum cognoſcendo ſolum eſſentiam ſuam, cognoſcere omnes creaturas *æquipollenter & eminenter,* per hos terminos non vult ſignificare rem cognitam, quaſi Deus non cognoſcat proprium & formale eſſe creaturæ, quod in ſe ipſa habet, diſtinctum à Dei eſſe; ſed ſolum eſſe Dei, in quo æquipollenter, & eminenter continentur creaturæ; ſed vult ſignificare modum, & rationem cognoſcendi; ita vt, ideo Deus intuendo ſe ſolum, tanquam obiectum, & non progrediendo vlterius ad creaturas, tanquam alia obiecta, aut primaria aut ſecundaria, cognoſcat, vt ipſe loquitur art. 2. circa principium; *Perfectiſſimè, & ſupereminenter omnem creaturam, & omne aliud extra ſe*; quia in illo eſſe diuino omnia eminentiſſimè ſunt, & relucent. Vnde in eodem articulo 2. reſpondendo ad argumenta, apertè fatetur, Deum in ſe ipſo ſolo, tanquam obiecto, videre omnia extra ſe, *ſub proprijs rationibus, & ſecundùm proprias quidditates, & diſtinctionem entitatis creatæ.* Quamuis nolit dicere, creaturas, hoc modo à Deo intellectas, *intelligi terminatiuè, ſed tantum denominatiuè.* Quod vt clariſſimè, & ſæpiſſimè explicat, nihil eſt aliud quàm in tali intellectione creaturas, in ſe ipſis ſpectatas nullam prorſus habere rationem obiecti, nec primarij, nec ſecundarij, formalem & intrinſecam, ſed tantùm extrinſecam, & denominatiuam, per ordinem ad formalem & intrinſecam obiecti rationem; quæ eſt in ſola eſſentia, in qua intelliguntur; & iuxta hunc ſenſum, Aureolum exponit, & ſequitur Bacconus 1. d. 35. q. 1. art. 4. (Bacconi,) dicens, creaturam non eſſe intellectionis diuinæ terminum *verè ac propriè, nec primariò nec ſecundariò, ſed impropriè, & metaphoricè, & reſultatiuè, & conſecutiuè.* Et in fine articuli, vult hanc opinionem non differre à ſententia S. Thom. Cum Aureolo etiam conſentit Toletanus 1. d. 35. (Toletani,) q. 1. art. 2. & 3.

13. Aureoli,

14. Mayroni,

Item Mayronus 1. d. 36. q. 4. in 2. & 3. ratione, ex iis quas ſecundo loco adducit, vbi arguit, Deum ideo cognoſcere creaturas, quia perfectè cognoſcit, ſe eminenter continere creaturas, & eſſe illarum cauſam. Durandus 1. diſt. 35. q. 1. præſertim (Durandi,) num. 10. vbi arguit, Deum cognoſcere creaturas, quia cognoſcit ſe comprehenſiuè, quod ait eſſe. *Ita perfectè ſe cognoſcere, quòd nihil amplius cognoſcere poteſt de ſe ipſo, nec abſolutum, nec comparatum.* & q. 2. n. 13. *Deus intelligit alia à ſe per eſſentiam ſuam, in qua, & per quam res repræſentantur intellectui diuino.* & n. 16. *Ratio ſecundùm quam eſſentiam diuina eſt repræſentatiua rerum, eſt reſpectiua*; & ſtatim docet, hanc eſſe ſolam rationem cauſæ. Argentina q. 1. concl. 2. (Argentina,) ratione 1. vniuerſaliter ſumens, *quia qui perfectè cognoſcit aliquam cauſam, neceſſariò cognoſcet omne illud quod per ſe cauſatur à tali cauſa.* Capreolus q. 2. (Capreoli,) art. 1. concl. 2. & in reſponſionibus ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem, vbi clariſſimè loquitur pro hac concluſione, ſicut S. Th. ſuprà, cuius verba vſurpat. Vnde ad 2. ſic optimè ſe explicat; *Cùm dico, creaturam habere eſſe intellectum à Deo, non ex hoc pono, creaturam habere aliud eſſe obiectiuum ab eſſe diuino; ſed dico, eſſe diuinæ eſſentiæ, cum reſpectu ad rem, cuius eſt ſimilitudo.* Si Deus ſolus eſt viſus vt formaliter obiectum, & creatura non eſt viſa vt formaliter obiectum, ſed eſt viſa ſolum vt formaliter terminus alterius obiecti diuini viſi;

igitur

igitur cùm Deus in ſe ipſo intelligit creaturas, Deus concurrit vt formale medium obiectiuum cognitum vt quod. Baſſolus 1. d.36. q.1.art.1.probans in ſecunda ratione, Deum cognoſcendo ſe ipſum, cognoſcere omnes creaturas, ex eo, quòd ſe perfectè cognoſcit vt totalem & perfectam omnium cauſam; & §. *Ad propoſitum.* ait, *Deus cognoſcit omnia intelligendo eſſentiam ſuam, per rationem eſſentiæ ſuæ, vt per ſe primi adæquati obiecti.*

Baſſoli,

15. Eodem modo probant Andreas de Nouo Caſtro 1. diſt.35. quæſt.1. concl.2. addens ad ſecundum Deum eſſe *obiectum primarium in quo, & propter quod intelligit alia.* Marſilius q.38.concl.1.ratione 1.& 2.& ad 1. Caietanus, & Syluester, hîc, & art.6. Ferrarienſis l.1. contra Gent.c. 49. vbi idem tribuit etiam Ariſtoteli, vt retulimus ſuprà q.12. art.8.n.60.fin.& recentiores communiter, vt Suar. p.1.tract.1.l.3.c.2.à n.3.Turrian.in Cypariſtiot.decade 8.c.5. in princ. Scholiæ, Bagnes art.6. Zumel hîc, Valent. punct.3. Molina, Ripa, Nauarr.Nazarius hîc, & Salas 1. 2. tract.2.diſp.4.ſect.4.num.45. Gonzalez hîc, diſp.37. Machin.diſput.24. contra Vaſquez hîc diſp.60.cap.2. Arrubal diſp.30.cap.3. Becanum 1.p. tract.1. cap.10. quæſt.4. concl.2. ſequentes Ochamum 1.diſt.35. quæſt.2.3. & 4. præſertim ad primum principale, & Gabrielem q.3. art.2.concl.4. & 5. & art.3. & q.4. art.3.dub.3.qui non clariſſimè ſunt contra nos. Vnde Gabriel in q.2. art.2. c.2. probat, Deum cognoſcere alia à ſe, quia *perfectiſſimè cognoſcit ſe ipſum, ergo intelligit ſe eſſe cauſam omnium; & per conſequens, omnia; cuius eſt, vel eſſe poteſt cauſa. Item, aliquis effectus eſt ſufficiens repræſentatiuum ſuæ cauſæ: ergo multò magis cauſa ſufficiens & totalis, eſt repræſentatiua effectus ſui, quem continet virtualiter, & maximè ei qui perfectè cognoſcit cauſam, taliter autem Deus ſe ipſum cognoſcit, ergo, &c.* Et deinde in art. 3. circa fin. *Deus cognoſcit ſe bonum ſummum, perfectiſſimum, & omnino ſecundùm omnem habitudinem, qua ſe habet & ad ſe, & ad omnem creaturam.* Quibus verbis non poterat clariùs exprimi concurſus medij formalis obiectiui, cogniti vt *quod* reſpectu cognitionis creaturarum, quem ponit iſta tertia concluſio. Videtur potius pro aduerſariis Ariminenſis 1. diſt.36.quæſt.1. circa finem, quem tamen ipſi non citant.

Nouo Caſtr. Marſilij, Caietani, Sylueſtri, Ferrarienſ.

*Quid ſentiãt Ochamus, & Gabriel.*

Ariminẽſis.

15. Rationes, quibus communiſſima ſententia efficaciter probatur, ſunt omnino eædem cum illis, quibus in ſuperiori tom. q.12. art.8. oſtendimus, creaturas à beatis in verbo videri hoc eodem modo obiectiuo, quem hîc defendimus. Quamobrem eas breuiſſimè indicabo, memoratis numeris, in quibus ſi placet, legi poſſunt. Prima ratio, eaque potiſſima, & à priori, quam & S.Thomas, & pleríque alij Authores noſtræ ſententiæ, locis & verbis ſupra citatis afferunt, eſt, quia in diuina natura eſt formaliter eminentialis continentia omnium, & ſingularum creaturarum, & imitabilitas ab omnibus, & ſingulis creaturis, & eſſe omnium cauſam, & omnipotentia, ſeu poſſe cauſare omnes, & ſingulas creaturas; & totum hoc perfectiſſimè, & comprehenſiuè cognoſcitur à Deo; ſed hoc modo obiectiuè cognoſci non poteſt Deus, niſi etiam obiectiuè per illud, & in illo cognoſcantur, & comprehenſiuè penetrentur omnes, & ſingulæ creaturæ: ergo Deus in ſe ipſo, vt in medio formaliter cognito vt *quod* obiectiuè, cognoſcit alia omnia extra ſe. Confirmat S.Thomas hîc, & ſenſus confirmationis breuis & clarus eſt, omiſſis multis ſpeculationibus Caiet. quia Deus eſt cauſa intelligendo: ergo creaturæ quæ ſunt in Deo tanquam in cauſa ſunt in Dei intellectione.

*Concluſionis tertiæ prima ratio.*

*Confirmatio S.Thomæ.*

Hæc ratio diligentiſſimè explicata, probata, & defenſa eſt q.12. art.8. num.48. 62. & à num.67. & 80.& rurſus à num.83.ad 86.& quod attinet ad comprehenſionem, quam ſitam eſſe putamus in diſtinctiſſima, ac perfectiſſima Dei viſione, vt cauſæ omnium, & ſingularum poſſibilium, patet ex eadem q.12.art.7. per totum. Idem argumentum apertiſſimè facit S.Th.in articulo verbis relatis ſuprà, num.10. & ſuprà, quæſt.12.art.8. & 3.p.q.10. art.2.circa finem corporis, & q.8. de verit.artic.4. circa principium corporis, & 4.d.49. q.2.art.5.init. corporis, & l.1.contra Gent. c.49. vbi etiam veriſſimè addit, *expreſsè tradi à Dionyſio in 7. cap.de diuinis nominib. dicente, non ſecundùm viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundùm cauſæ continentiam ſcit omnia.* Et nos etiam art.8. citato in num.60. expendimus alia vrgentiſſima verba eiuſdem Dionyſij, & Auguſtini, & Bernardi, & de verit. q.2. art.3. in fine corporis, ſimiliter ſic arguit. *In lib. de cauſis dicitur quod intelligentia cognoſcit id quod eſt ſub ſe, in quantum eſt cauſa eius. Vnde cùm Deus ſit rerum immateriale principium actiuum, ſequitur quòd apud ipſum ſit rerum cognitio.* Et 1. diſt.35.q.1.art.2. in argumento *ſed contra. Deus cognoſcit, ſe eſſe principium rerum: ſed impoſſibile eſt, quòd cognoſcatur aliquid eſſe principium, niſi cognoſcatur aliquid cuius eſt principium; quia qui nouit vnum relatiuorum, cognoſcit & reliquum, vt in prædicamentis dicitur: ergo cognoſcit alia à ſe.* 17.

S.Thomas.

Dionyſius.

Eamdem rationem amplectũtur Thomiſtæ planè omnes. Significant quoque, & Alenſis & Alb. verbis allatis ſuprà, n.12. Præterea clarius vſurpant Mayronus, Durandus, Argentina, Baſſolus, Nouo Caſtro, Marſilius, & ipſemet Gabriel, citati ſuprà num.14. 15. ex his vim rationis melius explicant Nouo Caſtro, Mayronus in 2.& 3. argumento ex poſitis ſecundo loco, vbi per eam ait argui *Demonſtratiuè*; & inter alia docet Deum vt cauſam, *habere habitudinem ad creaturas.* quam etiam admittunt Durandus, Capreolus, & Gabriel ſupra n.14. 15. Item Nouo Caſtro ſuprà in §. *contra,* ponit, *ordinem Dei ad alia,* Bacconus 1. d.35. q.1. art.4. fin. *Cauſa comprehenſa cognoſcitur in habitudine ad cauſata, & eadem habitudine, qua cognoſcitur vnum relatiuorum, cognoſcitur & reliquum.* Et ipſemet S.Thomas in ratione allata in fine numeri præcedentis apertè ſupponit, Deum vt principium rerum, eſſe aliquid relatiuum ad creaturas; de qua habitudine, & quoad rem, & quoad modum loquendi, latius diſputauimus q.12. ar.8. num.68. 84.85. & Marſilius concl.1. in 1. & 2. ratione. Vbi inter alia bene dicit; quod ex ipſis terminis notum videtur, *Implicare contradictionem, quod Deus ſciat, ſuam eſſentiam poſſe in hoc, & quod ſimul non cognoſcat hoc.* Idem Nouo Caſtro §. *contra. Contradictio eſt, intellectum intelligere formaliter. A. eſſe principium alterius, quin intelligat alterum, vt alterum.* Hæc igitur prima ratio apud omnes prudentes Theologos magnam vim habere debet, & propter naturalem euidentiam, & propter grauiſſimam humanam authoritatem; quamuis à quibuſdam recentioribus immeritò eam contemni videam. 18.

*Deus, vt cauſa dicit habitudinem ad creaturas.*

Baconus.

Marſilius,

Nouo Caſt.

Secunda ratio, quam latius propoſui quæſt.12. art.8. num.49. creatura viſa, vt viſa formaliter & obiectiuè, non poteſt non oſtendere creatorem: ergo multo magis creator viſus, vt formaliter & obiectiuè viſus non poteſt non oſtendere creatorem. Hanc rationem tangere videtur Mayronus in ſecundo ſuo argumento ſuprà, ita ſumens. *Quando aliquid continetur eminenter in aliquo, impoſſibile eſt, quòd cognoſcatur perfectè contentum, niſi cognoſcatur perfectè continens; nec continens, niſi cognoſcatur contentum.* 19.

*Secunda ratio.*

Mayronus,



*tum.* ſolum non videtur recipiendum quod dicit de perfecta cognitione continentis: nam creatura, v. g. angelica contenta eminenter in creatore, quamuis ſe ipſam perfectiſſimè cognoſcat, non poteſt ex hac cognitione habere perfectam cognitionem creatoris, vt eodem loco citato aduertimus.

20. Tertia ratio fusè declarata quæſt. 12. artic. 8. num.50.51. 52. quoniam ſi cognitio diuina, quæ ſecundùm omnes eſt cognitio Dei, & omnium poſſibilium, non eſſet cognitio poſſibilium in ipſo Deo obiectiuè cognito, ſed ſolum in ſe ipſa immediatè immediatione obiectiua, non poſſet rationabiliter aſſignari cauſa, cur ad Dei comprehenſionem neceſſaria ſit cognitio omnium poſſibilium; & conſequenter, cur Deus ſe ipſum comprehendat, & ab aliis, quantumuis beatis, ſit omnino incomprehenſibilis. Aiunt, Deum videndo ſe, & ſimul omnia poſſibilia, ſe comprehendere; *Non ex eo, quòd potius cognoſcatur ipſum obiectum, & intima cognitione penetretur, & inde cognoſcantur cætera omnia; & obiectum, in quantum res quædam prius cognita, ducat in notitiam aliorum; neque enim Deus quia ſe ipſum cognoſcit, intelligit alia; ſed quia Dei cognitio, ex eo quòd ſit cognitio diuinæ eſſentiæ, habet poſſe repræſentare omnes creaturas: quod tantæ nimirum ſit perfectionis, ſcientia, qua Deus ſe ipſum intelligit, vt inde habeat, eſſe omnium aliarum rerum cognitionem.*

*Tertia ratio.*

21. Verùm tota iſta explicatio, ſi attentè perpendatur, ponit tandem maiorem perfectionem cognitionis in ipſamet cognitione, ſecundùm ſe ſpectata, non autem reſpectu obiecti, quod propter illam maiorem perfectionem cõprehendi dicitur: vult enim, illam prouenire ex obiecto, non formaliter & obiectiuè, ſed quaſi originaliter, ac radicaliter; hoc eſt, non ex eo, quòd per illam maiorem perfectionem diuina eſſentia cognoſcatur plus obiectiuè in ſe ipſa, hoc enim expreſsè negant; ſed ſolum quia ex eo, quòd diuina eſſentia, quæ eſt primarium illius cognitionis obiectum; ſit obiectum omnium excellentiſſimum, oritur vt illa cognitio ſit repræſentatio omnium excellentiſſima ac perfectiſſima, & conſequenter vt ſit repræſentatio omnium ſimpliciter repræſentabilium, ac proinde non ſolum ipſius diuinæ eſſentiæ, ſed etiam omnium creaturarum. Quod verè non eſt repræſentare plus, aut melius, ſiue intenſius diuinam eſſentiam, videndo de nouo aliquid ipſius, aut totam ipſam alio modo, ſeu reſpectu, quo antea, in priori ſigno rationis, non videbatur; ſed ſolum videre plus extenſiuè, & ſimpliciter, hoc eſt, alias res præter diuinam eſſentiam; quod clarius exprimit Becanus ſupra num. 6. qui nullam omnino mediationem admittit in ratione obiecti inter eſſentiam diuinam; & creaturas: & tamen ex Auguſtino, & omnibus Theologis, *illud tantum comprehenditur videndo quod ita videtur vt nihil eius lateat videntem; aut cuius fines circũſpici, vel circumſcribi poſſunt,* vt refert & probat S.Thomas ſupra, q.12. artic.7.ad 2. Ad quem conceptum eſt omnino impertinens, videre, aut non videre alia, modò alia non videantur ex perfectiore viſione illius totius ſub formali ratione obiecti viſi. Quod acutè tetigit Bacconus 1.diſtinct.35. quæſt.1.artic.4. fin. dicens. *Da quòd Deus cognoſcat ſe, ſolum ſe ad ſe, & abſolutè, velut pelagus in ſe infinitum, & non in ordine ad contenta ſecundùm quodlibet ſui eſſe, tunc non ſequitur, comprehendit; imò aliquid reſtat appropriandum.*

*Refertur, & reijcitur reſpõſio aduerſariorum.*

Becanus.

S.Thomas.

Bacconus.

Præterquam quod diſcurſus ille, quem faciunt, nempe diuinam cognitionem repræſentare alia, quia eſt perfectiſſima cognitio perfectiſſimi obiecti, non eſt neceſſarius; quia dici facilè poteſt, obiectum non debere, nec poſſe dare cognitioni, quæ circa illud verſatur, maiorem vim, ac perfectionem repræſentandi, quàm ipſum habeat vt formaliter repræſentatum: ſed aduerſarij volunt Deum non eſſe repræſentatum, nec ſe oſtendere diuinæ cognitioni, niſi prorſus abſolutè in ſe abſque omni habitudine ad ſuos effectus: Ergo ex hac ſua formali & obiectiua repræſentabilitate, & intelligibilitate, ſub qua concipitur præbere ſe vt obiectum cognoſcendum à ſua cognitione, non poteſt illi dare perfectionem repræſentandi effectus ſuos; ſed ſatis erit ad illius actus perfectionem, ſi actus, omnium præſtantiſſimus in genere actus, repræſentet obiectum, omnium præſtantiſſimum in genere obiecti, cuiuſmodi eſt diuina eſſentia ſecundùm ſe: quam putant non poſſe aliter obiici ac repræſentari, niſi modo illo abſoluto.

## DVBITATIO II.

### *An Deus cognoſcat creaturas in ſeipſo tanquam in ſpecie, ſeu ſpeculo.*

QVarta concluſio. Deus non videt creaturas in ſe ipſo, ſicut in ſpeculo, vel eminentiali ſpecie, tam impreſſa, quàm expreſſa, ſeu verbo creaturarum, hoc eſt, viſio Dei non habet repræſentare creaturas ex eo, quòd primarium eius obiectum, ab ipſa repræſentatum, ſit diuina eſſentia, quæ eſt eminenter ſpecies impreſſa & expreſſa creaturarum; ac proinde intelligatur eſſe quædam ratio, & quaſi radix; vnde eius viſio habet perfectionem repræſentandi creaturas. Pro qua ſententia ſic explicata nullum expreſsè inuenio Authorem, præter Vaſquez diſtinct.60. Arrubal diſtinct. 30. præſertim cap. 3. & 4. & Becanum 1.p. tract. 1. cap. 10. quæſt. 4. eámque ſententiam fusè explicat Suarez 1.p.lib.3. cap.2.à num.12. & dicit num. 4. init. *non carere probabilitate.* ſed ſimpliciter reiicit, & impugnat. Tribuit autem illam Scoto 1. diſtinct.35. quæſt.1. §. *Ad iſta.* Vbi ſi attentè legatur, non poteſt referri pro hac ſententia potius, quàm pro alia probata in dubit. præcedenti. Neque Capreolus, aut Caietan. aut Ferrarienſis, aut Syluester, aut alij Thomiſtæ, quibus hæc opinio aduerſatur, ſenſerunt Scoto contrarium; quicquid aſſerat Bannes art. 6. tribuens Scoto, quod dixerit, Deum videre creaturas non in ſua eſſentia, ſed in ſe ipſis. & ſapientiſſimum Doctorem falsò reprehendens vt contra ipſum rectè adnotauit doctiſſimus Scotiſta F. Ioannes de Rada controu. 29. artic. 1. & 2. & 3. eruditè oſtendens ex multis aliis locis, Scotum eſſe pro noſtra 3.concl. & pro ſequenti 6. quæ ſunt S.Thomæ, & omnium Thomiſtarum: Quod etiam adnotauit Trigoſ. 1. p.quæſt.9. art.1. dub.3. opin.3. & notab.2. & concluſ. 2. & dub. 4. circa principium: & ante ipſos Bacconus 1.diſtinct.35. quæſt.1.art.4. & Lychetus quem refert, & ſequitur Molina hîc §. *Caietanus hoc loco.* Hanc etiam quartam concluſionem aliqui tribuunt Aureolo, qui planè docet oppoſitum vt ſupra, num.6.& 13. Vnde 1.diſtinct.35.quæſt.2. artic. 1. propoſitione 2. ex inſtituto multis rationibus impugnat modum videndi tanquam in ſpeculo. Item Ochamo, & Gabrieli, in quibus hoc expreſsè non habetur, vt ſupra num. 6. & 15. & vix poteſt ex illis ita colligi, quia ſcilicet, cùm velint, Deum videre creaturas in ſe ipſo, & non videre tanquam 22.

*Quarta concluſio. Non videt Deus creaturas in ſe tanquã in ſpecie.*

*Eſt contra Vaſquez, Arrubal, Becanum.*

*Quid ſentiat Suarez.*

*Quid ſentiãt Scotus Aureolus, Ochamus, Gabriel.*

Bannes.

Rada.

Trigoſius.

Bacconus. Lychetus. Molina.

tanquam in obiecto adæquato, cenſentur tenere modum videndi in ſpecie, quem tamen nunquam exprimunt.

22\. Verùm cuiuſcumque ſit hæc opinio, certum eſt, eam eſſe contra omnes veteres & graues Scholaſticos ſuprà, à num. 10. ad 16. citatos pro modo videndi obiectiuè, quem aduerſarij acriter impugnant; & ideo excogitarunt hunc alium modum videndi ſpeculariter, cuius præter Aureolum, qui illum, vt vulgi opinionem refert, dicens, *ſicut videtur fingere imaginatio communis*, nullus ex antiquioribus meminit: quia nimirum nullum habebat idoneum Authorem. Imò modum videndi obiectiuè, interdum aliqui ita tradunt, vt expreſsè ſignificent, nullum alium eſſe videndi modum.

S.Thomas, vt S.Thomas 3. cont. Gent. cap. 56. ratione 2. *Diuinus intellectus non cognoſcit aliquid, niſi per hoc quod ſuam eſſentiam videt.*

Vaſquez, & tamen Vaſquez in fine diſputationis 60. vſurpat hanc aliam propoſitionem omnino oppoſitam. *Neque enim quia ſe ipſum cognoſcit, intelligit alia.*

Alenſis, Item Alenſis 1. p. q. 23. membro 1. *Diuina ſapientia cognoſcens ſe ipſam, cognoſcit omnia, non igitur alio modo cognoſcit, & ſcit, quàm per ſe ipſam, ſciendo ſe ſcit creaturas, ergo non alia ratione ſcit ſe, quàm creaturas.*

Henricus, & Henricus in ſumma, art. 40. q. 5. in fine corporis loquens de rebus creatis, ait, *nihil habet intelligibilitatis, niſi per ipſam eſſentiam, & in ipſa eſſentia.*

Caietanus, Rada, Eumdem modum videndi tanquam in ſpecie, & in ſpeculo reiiciunt Caiet. hîc §. *Ad euidentiam.* Rada ſupà, art. 2. appellantes; *opinionem rudiorem*; & alij recentiores communiter.

Capreolus, Et clariſſimè expreſſit Capreolus 1. diſt. 35. q. 2. art. 2. ad 1. contra ſeptimam concl. *In diuina cognitione, diuina eſſentia non omnino ſe habet per modum talis medij, quale eſt medium demonſtrationis; nec ſolum tale, quale eſt ſpecies intelligibilis; ſed ſe habet potius vt obiectum intellectum primò, in quo alia intelliguntur, quæ ſunt ſecundò intellecta.*

23\. *Quarta concluſio probatur authoritate Dionyſij.*

Præterea, quod multò grauius vrgere debet, omnes ſententiam ſuam probant authoritate magni Dionyſij, cuius verba, etſi non ſint euidentiſſima, & propterea in proprium ſenſum trahantur ab aduerſariis, ſatis eſſe debet prudenti Theologo, ea ab omnibus communiter fuiſſe intellecta pro modo videndi obiectiuè; & quidē adeò clara ſunt, vt vix antiquiorem aliquem Theologum reperias qui clarius loquatur; & neſcio, an ipſemet Dionyſius, qui profundiſſimus eſt, ſimiles alias Theologicas veritates, vnquam clarius expreſſerit.

S.Thomas, Adeò vt S.Thomas 1. cont. Gent. c. 49. fin. de hac veritate ſingulariter dixerit, eam à Dionyſio *expreſsè tradi.* Eius verba attuli, & expendi q. 12. art. 8. num. 34. & 44. neque ſatisfaciunt aduerſarij dicentes, Dionyſium nolle aliud niſi ſcientiam Dei non eſſe à rebus ipſis acceptam. Enimverò hoc quidem ille expreſsè docet illis verbis, *neque enim ea quæ ſunt, ex ÿs quæ ſunt diſcens, nouit diuina mens.* Sed præterea modum videndi obiectiuè videtur non minus expreſsè tradere, immediatè poſt addens. *Sed ex ſe, & in ſe, rerum omnium cognitionem habet.* Illud, *ex ſe*, negat omnem cognoſcendi dependentiam à creatura: illud verò, *& in ſe*, manifeſtè docet aliquid aliud: ergo non exprimit tantum negationem prædictæ dependentiæ, ſed addit concurſum obiectiuum in ipſamet Dei eſſentia viſa. Vnde hunc concurſum clariſſimè explicare incipit verbis ſequentibus: *ſe ipſam ergo noſcens diuina ſapientia, nouit omnia. Ipſa ſe ipſam, omnium cauſa noſcens, nullo prorſus modo ea, quæ à ſe profecta ſunt, ignorabit. Deus ea, quæ ſunt noſcit, non rerum notitia, ſed ſui.* Cognoſcere alia, cognoſcendo ſe ipſum: imò cognoſcendo ſe ipſum tantum, & non cognoſcendo alia, hoc enim eſt, Deum cognoſcere res, *non rerum notitia, ſed ſui*; clariſſimè ſanè explicat, cognitionis obiectum eſſe Deum & non creaturam. Idem manifeſtè confirmat exemplum, quod ad prædictum cognoſcendi modum declarandum affert ibi Dionyſius de luce, quæ, ſi tenebras intelligere poſſet, non aliter intelligeret, quàm in ſe ipſa. Quod alio modo intelligere non poſſet, niſi formaliter obiectiuè; ſi nimirum lux cognoſceret ſe ipſam non præſentem aëri, ſic enim cauſaret tenebras: ita pariter Deus, ſecundùm Dionyſium, cognoſcendo ſe cauſantem, ſeu potentem cauſare creaturas, eas cognoſcet. Quare cùm addit illa alia verba, *Non quod per ſpeciem ſingula conſideret, ſed quod vno cauſæ complexu omnia ſciat*: ſiue, vt refert S.Thomas 1. contra Gent. c. 49. fin. *Non ſecundùm viſionem ſingulis ſe immittit, ſed ſecundùm cauſæ continentiam ſcit omnia*, hunc modum ſpeculariter cognoſcendi, in ſpecie impreſſa, & expreſſa, videtur non obſcurè reiicere: ſaltem hæc, & alia ſuperiora verba conuincunt, intuitum diuinum non directè, & immediatè, immediatione obiectiua, ferri in creaturas; quam immediationem, etſi Suarez ſæpe aſſumat, vt conceſſam ab aduerſariis; ſeu potius vt in illorum opinione neceſſariò incluſam, tamen expreſsè negat Arrubal, & Vaſquez non concedit; & ideo mox oſtendam, eam ſequi ex ſpeculari modo videndi.

24\. *Probatur ratione præcipua.*

Probo igitur concluſionem prima & præcipua ratione, quam opinionem contrariam, paulò obſcuriorem, clarius exponit in medium; ſi Deus, quando videt ſe, & creaturam, non videt creaturam in ſe, tanquã in obiecto cognito, vt formaliter ac præciſè cognito, ergo Deus in tali viſione non mediat, vt obiectum formaliter cognitum. Ergo ipſa creatura habet immediatam rationem obiecti formaliter cognoti. Antecedens eſt ipſiſſima opinio aduerſariorum. Prima conſequentia eſt euidentiſſima, & quaſi in terminis incluſa in antecedente, vt ex ſe patet. Vnde ipſemet Arrubal ſuprà, c. 4. initio eam, vel nolens fatetur, dum reſpondet, creaturas à Deo non cognoſci, *ex vi connexionis alterius obiecti cogniti. Nec ratione alicuius neceſſariæ connexionis, quæ apparet inter vnum, & alterum obiectum.* Et clarius infra addit: *Dicitur Deus creaturas intelligere, non ex vi alicuius connexionis eſſentiæ diuinæ cum creaturis, ſine qua connexione nullum obiectum propriè dicitur medium ad cognitionem alterius.*

*Ex contraria opinione ſequi, creaturas eſſe immediatũ obiectũ formaliter diuinæ cognitionis.*

Si Deus reſpectu cognitionis, quam habet de creaturis, non eſt obiectum medium, vt conceditur: ergo creaturæ reſpectu illius cognitionis ſunt obiectum immediatum; quæ eſt ſecunda conſequentia huius primæ rationis, & euidenter ſequitur ex prima conſequentia; nam omne, quod cognitioni obiicitur, neceſſe eſt vt obiiciatur, vel mediante alio obiecto, vel nullo obiecto mediante, ſed ſeipſo immediatè obiecto; hi enim modi ſe ſe obiiciendi potentiis & actibus, ſunt contradictoriè oppoſiti: ergo ſi alter negatur, alter affirmetur neceſſe eſt.

25\. *Declaratur magis ſequela.*

Loquitur autem hæc prima ratio de obiecto, vt formaliter obiecto, cognito vt *quod*: alioqui ſi loquamur de vno obiecto, quod in ratione formali obiecti cogniti, materialiter ſe habeat reſpectu alterius obiecti; proculdubio poſita ſua opinione, bene dicit Arrubal in aliis locis, vt d. 29. n. 7. & 8. Deum eſſe obiectum immediatum, creaturas mediatum; quia vult cum Vaſquez, perfectionem repræſentandi creaturas haberi in diuina cognitione ex eſſentia illi obiecta. Ergo prius ratione, & conſequenter immediatè, obiicitur illi cognitioni eſſentia,



eſſentia, poſterius ratione, & conſequenter mediatè aliquo modo, obiiciuntur creaturæ.

26\. Verùm hanc obiecti mediationem contendo eſſe materialem in ratione formali obiecti cogniti vt *quod*, quia prædicta perfectio eſt quidem ex obiecto, non tamen in obiecto, hoc eſt, habetur quidem, & quaſi cauſatur, ſeu prouenit in actum ex re, quæ eſt obiectum actus, cognitum ab actu: tamen non habetur ex illa re, ex eo ſimpliciter ac præciſè quia eſt obiecta actui, & cognita ab actu: ita vt, ſi nihil noſtro modo concipiendi, intelligeretur ex diuina eſſentia prouenire in diuinam cognitionem, ſed hæc intelligeretur ſiſtere in illa eſſentia tanquam puro obiecto formaliter & præciſè, iam Deus non poſſet in ſe ipſo cognoſcere creaturas, quia neque illas habet in ſe formaliter, neque propter earũ eminentialem continentiam habet ſecundùm aduerſarios vllam connexionem cum creaturis, aut vllam habitudinem ad illas, ratione cuius poſſint dici creaturæ cognoſci in Deo vt obiecto cognito, ex eo formaliter quia eſt cognitum. Ergo obiectum diuinum ad repræſentatiuam creaturarum perfectionem, quam dat diuinæ cognitioni, concurrit formaliter ſub ratione quaſi effectiuo perfectionis repræſentandi aliud obiectum nullam habens, in ratione obiecti, connexionem cum diuina eſſentia. Ergo concurrit vt obiectum materialiter, quia non concurrit ex eo præciſè quod ipſa obiiciatur, & cognoſcatur; quod eſſet concurrere vt obiectum formaliter, ſed ſolùm ex eo quòd res talis ſit, nimirum ſpecies impreſſa, & expreſſa creaturarum. Ergo eſto concurrat mediatè vt obiectum materiale, ſiue vt res quædam eſt, quæ prius & immediatè obiicitur diuinæ cognitioni, tamen non concurrit mediatè vt obiectum formale, ſiue ſub ea præciſa ratione, quia obiicitur & cognoſcitur. Ergo creatura eſt formale obiectum diuinæ cognitionis, hoc eſt, per ſe & immediatè obiicitur diuinæ cognitioni, licèt hæc vt repræſentaret ſibi creaturam, habuerit ab eſſentia obiecta, non vt formaliter obiecta, ſed vt formaliter cauſa, vel quaſi cauſa.

27\. *Defenditur eadē ſequela.*

Neque hæc ratio obiecti formalis, & immediati, tolli poteſt à creaturis ex eo, quod ad actum, quo Deus repræſentat ſibi creaturam, non concurrit vt ſpecies creatura, ſed ipſemet Deus. Nam cùm dicitur Deus ſpecies creaturarum, poteſt intelligi vel de ſpecie expreſſa, vel de ſpecie impreſſa: ſi de expreſſa, non ſatisfit quæſtioni, qua quæritur, vnde habeat actus diuinæ cognitionis, quæ ſola in Deo habet rationem ſpeciei expreſſæ, & Verbi, vt vim habeat repræſentandi non ſolùm obiectum increatum, ſed etiam creatum.

*Non rectè dici, creaturam videri in ſpecie expreſſa.*

Si reſpondeas id haberi ex diuina eſſentia, quatenus ſpecie expreſſa creaturarum, nihil ad rem; quia pro ratione, quam quærimus, affertur idem prorſus, de qua ratio quæritur: ſemper enim reſtabit quærere, vnde habeat illa eſſentia, vt ſit ſpecies expreſſa non ſolùm ſui ipſius, ſed etiam creaturarum. Qua ratione probare nunquam potui modũ illum loquendi aduerſariorum, qui maximè eorum opinionem obſcuram & intellectu difficilem facit, nempe, Deum videre creaturas in ſe ipſo, tanquam in ſpecie expreſſa, & Verbo creaturarum, quo modo ferè ſemper loquuntur: ſolùm

Arrubal. Arrubal ſemel addit d. 29. n. 2. *Tamquam in ſpecie impreſſa, & expreſſa creaturarum.* & d. 31. num. 19. ſolius impreſſæ meminit; cum qua etiam additione eam opinionem refert

Suarez. Suarez ſuprà num. 2. ſi enim videre creaturas, eſt eſſe ſpeciem expreſſam, & verbum creaturarum; vt in 1. tom. quæſt. 12. art. 2. à num. 5. abundè oſtendi ex ſententia S.Thomæ & multorum Thomiſtarum, & aliorum communi; ſanè inutiliter, vel ſaltem obſcuriſſimè dici videtur, illud videre, eſſe in ſpecie expreſſa & verbo creaturarum.

*Vaſquez immeritò reprehendi à Gonzalez.*

Quomodo non bene loquitur Gonzalez hîc, d. 37. num. 20. immeritò addens, quòd *Vaſquez aut voce tenus nobiſcum conuenit, aut ſibi ipſi non ſatis conſtat*: ſi enim illum legit in d. 39. cap. 2. num. 13. ſcire debebat Verbum, in vera ſententia Vaſquez, non videri vt *quod*, ſed vt *quo* tantùm: ergo immeritò dicitur inconſtans Vaſquez, ex eo, quòd concedat, creaturas à Deo videri in ſuo verbo; & ſimul neget, videri in ſe ipſo obiectiuè viſo vt *quod*: nam hoc ſecundum nõ ſequitur ex primo in ſententia dicentium, verbum non eſſe immediatum ac directum obiectum viſum, ſed purum medium formale videndi: ſed quicquid de hoc ſit, aſſero, quòd Deus dici potius debet, videre creaturas in ſe ipſo, tanquam prima, & eminentiſſima cauſa omnium creaturarum, ſub qua ratione habet rationem ſpeciei impreſſæ, potentis ſe ipſo immediatè determinare intellectum ſibi proportionatum, qualis eſt diuinus intellectus, ad intelligendum omnes creaturas. Ergo ſi intelligitur de alia ſpecie impreſſa, hinc non tollitur à creaturis ratio obiecti formalis & immediati; quia tunc illa ſpecies, ad diuinam cognitionem, vt præciſè & formaliter repræſentationem actualem creaturarum, non concurreret formaliter, & immediatè, vt repræſentatiua eſſentiæ; ſic enim viderentur creaturæ in eſſentia viſa obiectiuè, quod ipſi negant; ſed concurreret immediatè, & formaliter, vt repræſentatiua creaturarum. Ergo in rei veritate Deus concurreret ſolùm præbendo ſe ipſum immediatè, & ſupplendo illum concurſum, quem præberent, ſi poſſent, creaturæ; quia non concurreret oſtendendo creaturas in alio obiecto cognito, ſeu repræſentato: hoc autem ſupplementum, etſi præbeatur à diuina eſſentia, quæ, vt reſpondet Arrubal d. 29. num. 15. *Non eſt propriè & formaliter ſpecies intelligibilis creaturarum, ſed ſolùm virtute, & eminenter*; tamen non tollit, creaturam eſſe obiectum formale, & immediatum in ratione formali obiecti: vt ſi Deus ſe ipſo immediatè vellet concurrere cum oculo meo ad videndam lunam, v.g. & impediret lunam, ne immitteret ſpeciem repræſentatiuam ſui, adhuc luna eſſet formale & immediatum obiectum talis viſionis, quia tunc illa ſpecies diuina, quæ eſt aliena, & ſolùm eminenter ſpecies lunæ, ageret tanquam propria ac formalis ſpecies lunæ, non præbendo alium concurſum obiectiuum, niſi quem præberet ipſa propria ac formalis ſpecies lunæ, ſi daretur.

28\. *Non poſſe dici, creaturas eſſe immediatum obiectum formaliter diuinæ cognitionis.*

Illud igitur ſecundum conſequens rationis propoſitę ſuprà num. 24. quod hactenus probatum eſt ſequi ex contraria ſententia, nempe, quòd diuinam intellectionem terminet creatura, vt immediatum, & formale obiectum illius, eſſe omnino inconueniens, conſtat apud omnes; idque ipſemet

Arrubal. Arrubal d. 29. n. 5. & 13. bene probat, & n. 7. & 8. non vult creaturas vocare obiecta formalia, ſed materialia diuinæ cognitionis. Idem ſignificat Molina hîc, §. *Patet*, dicens, *ſola eſſentia terminat immediatè cognitionem diuinam.* & oſtendi facilè poteſt ex 2. & 3. argumento huius articuli, & eorum ſolutionibus. Nam, quod omnes dicimus, obiectum eſſe perfectionem intelligentis, & intelligere, ſpecificari per obiectum, debet maximè verificari de obiecto immediato, & formali. Vnde ideo diuina eſſentia eſt perfectio diuini intellectus, & ſpecificat

S.Thomas.

cificat intelligere diuinum,vt concedit S.Thomas ad 2. & 3. quia illa eſt immediatum, & formale obiectum intellectionis diuinæ. Ergo ſi creatura etiam eſt immediatum,& formale obiectum diuinæ intellectionis,illa quoque concurret ad perficiendum,ac ſpecificandum intellectum diuinum; quod in nullo bono ſenſu ab aliquo Theologo concedi poteſt, vt clarè docuit & optimè probauit Scotus apud Radam controu.29.art.2.concl.7. dicens: *Intellectus diuinus præcisè cognoſcit creaturam in eſſentia ſua; & non per illam creaturam,vt obiectum immediatum, quia tunc intellectus eius vileſceret:* nec aliquem in contrarium inuenio,præter ſolum Becanum ſuprà n. 6. cuius fundamentum facillimè ſoluitur; Creaturæ, inquit, ſunt immediatè in ſe ipſis cognoſcibiles:ergo hoc modo à Deo cognoſci poſſunt.

*Soluitur Becani obiectio.*

Reſpondetur,Antecedens eſſe verum per ordinem ad intellectum creatũ,& imperfectum; quia ab obiecto creato dependere & perfici poteſt;non autem per ordinem ad intellectum increatum, & ab omni alio intelligibili creato prorſus independentem. Et ponere creaturas eſſe immediatum ac formale obiectum intellectus diuini,& poſtea negare creaturas vlla ratione concurrere ad intellectionem,qua Deus creaturas intelligit,eſt ſine dubio, affirmare de aliquo neceſſariam cauſam, & negare effectum; & non ſe accommodare receptiſſimæ ſententiæ omniũ Theologorum, & Philoſophorum, quam propterea vſurpat S.Thomas hîc ad 2.& 3.aſſerentium,actum perfici ac ſpecificari ab obiecto,vtique immediato ac formali. Et quod cognoſcere creaturas immediatè in ſe ipſis, ſit imperfectio, optimè probat Toletanus 1.d.35. q.1.art.2. fin. authoritate Auguſtini docentis cognitionem rerum in verbo,eſſe perfectam,& matutinam,ac diurnam;cognitionem verò in ſe ipſis, eſſe minus perfectam, & veſpertinam, ac nocturnam;ac proinde, indignam Deo, in cuius perfectiſſimo intellectu non poteſt poni niſi vna intellectio,omnium perfectiſſima.Demum in hoc tantũ ſenſu de obiecto immediato ac formali probãt rationes Aureoli 1.d.35.q.2.ar.1.prop.1.quod nulla creatura relucet intellectui diuino obiectiuè.

S.Thomas. Toletanus. Aureolus.

29\. Ex hoc principali inconueniente, deducto ex profundiori, ac ſubtiliori declaratione opinionis contrariæ,ſequuntur alia abſurda;nempe, Dei intellectionem, non eſſe comprehenſiuam ipſius,vt ſuprà n.20. & 21. quia non concipit ſe obiectiuè, omni modo,quo obiectiuè conceptibilis eſt,nimirum cum habitudine ad omnia poſſibilia; & conſequenter, illam eſſe ſimpliciter imperfectam,& à diuino intellectu prorſus reiiciendam. Item, non eſſe verè intellectionem creaturarum in ipſo Deo, ſiue in alio,ſed in ipſis creaturis,prout hos terminos vſurpauit hîc S.Thomas, qui ita definit. *In ſe ipſo cognoſcitur aliquid, quando cognoſcitur per ſpeciem propriam adæquatam ipſi cognoſcibili. In alio videtur id,quod videtur per ſpeciem continentis.*quamuis Vaſquez d.60.c.31.fin.dixerit, *In doctrina S.Thomæ cognoſcere aliquid in ſe ipſo, eſt nulla media ſpecie illud intueri.* Sed retenta definitione S.Thomæ expreſsè contraria,ſic arguo. Per ſe,creatura videtur à Deo per eſſentiam ſuam, tanquam per ſpeciem vt repræſentatiuam propriæ & adæquatę entitatis omnium creaturarum, & non alterius obiecti diuini viſi;quia,vt ſæpe dictum eſt, & ipſimet aduerſarij expreſsè fatentur, creatura non videtur in Deo obiectiuè repræſentato,ſeu ex vi viſionis Dei,niſi vt *quod:* ergo à Deo videtur creatura per ſpeciem propriam, & adæquatam creaturæ, ſcilicet propriam & adæquatam per negationem defectus, non autem per negationem exceſſus,hoc eſt,nihil eſt pertinens ad proprium atque adæquatum eſſe creaturæ,quod illa ſpecies non repręſentat,quamuis repræſentet etiam proprium, & adæquatum eſſe creatoris. Illud autem ſatis eſt, vt creatura dicatur videri per ſpeciem propriam, & adæquatam,ac proinde in ſe ipſa, vt rectè adnotauit Aureolus 1.d.35.q.2. art.1.fin. tum quia non videtur per ſpeciem alterius obiecti: tum quia ſi nunc viderem hanc papyrum,concurrente ſola diuina eſſentia, vt ſpecie, adhuc viderem papyrum in ſe ipſa, licet eadem eſſentia poſſet concurrere vt ſpecies ad videnda infinita alia obiecta. Præterea per ſe non videtur creatura à Deo per ſpeciem Dei continentis illam, quia non vis, Deum poſſe ſe oſtendere, vt continentem creaturas, ſeu cum connexione, & habitudine ad creaturas: ergo non videtur in ipſo Deo; quod ſi cum Arrubal d.30.initio,aliter definis videre in alio,eſſe quando aliud, *Per realem ſui præſentiam concurrit determinando intellectum ad intellectionem*, quo ſolo modo vult concurrere diuinam eſſentiam ad intellectionem creaturarum, eáſque videri in alio; iam abutimur terminis, non accipiendo eas ſecundùm expoſitionem traditam à S.Thoma, aliiſque grauibus Theologis, definientibus videre in alio, per videre per ſpeciem repræſentatiuam alterius cõtinentis:vnde de verit.q.2.a.3.ad 5.dicitur, *Aliquid videtur in altero,quo cognito, & illud cognoſcitur.*

*Ex opinione contraria ſequitur primò, intellectionẽ Dei non eſſe cõprehenſiuã. Sequitur ſecundò, Deum intelligere creaturas in ſe ipſis,non in ſe ipſo. Quid ſit cognoſci aliquid in ſe ipſo, & in alio.*

S.Thomas. Vaſquez. Aureolus. Arrubal.

Vnde Caietanus §. *Aduerte hîc.* rectè adnotauit ſecundùm S. Thomam diſtinguentem, *de cognitione in ſe ipſo, vel in alio, quod* ly in ſe ipſo, *ſeu alio, tenetur obiectiuè; ita quod videri in ſe ipſo, ſignificat videri non in alio obiecto, ſeu viſo: videri autem in alio, ſignificat videri in alio obiecto, ſeu in alio viſo.* Et ideo tandem idem Arrubal d.31.num.21. fatetur, illam creaturarum viſionem, in eius ſententia, non eſſe viſionem in alio, ſed ex alio. Confirmatur, quia ideo Deus videt in ſe ipſo,quia videt per ſpeciem immediatè repræſentatiuam ſui ipſius, non obſtante quod per ſe eadem ſpecies immediatè immediatione obiectiua ſit etiam repræſentatiua creaturæ: ergo pariter à contrario, Deus videt creaturam in ipſamet creatum, & non in eſſentia ſua, quia per ſe videt per ſpeciem immediatè repræſentatiuam creaturæ; quamuis eadem ſpecies ſit ſimul repræſentatiua immediatè, & principaliùs eſſentiæ ſuæ. Videri poſſunt quæ ad hoc propoſitum dicuntur quæſt.12. art.8. num.42. Demum ſequeretur intellectionem Dei eſſe impoſſibilem, & quid fictitium, quia contradictionem ſimpliciter implicat, dari vnum actum immediatè, & abſque vlla connexione in formali ratione obiecti tendentem in obiecta ſupernaturalia & naturalia,increata & creata, vt latè oſtenſum eſt quæſt.12.artic.8. à num.45. ad 48. quod inconueniens acutè & dilucidè tangit Durandus 1.d.35.q.1.n.14.

*Tertiò ſequeretur intellectionem Dei eſſe impoſſibilem.*

Durandus.

Secunda concluſionis ratio fieri poteſt contra modum videndi creaturas in ipſo Deo, tanquam in ſpeculo. Nam Vaſquez d. 60. quamuis ſemper aſſerat Deum cognoſcere creaturas in ſe ipſo, *Tanquam in Verbo, & ſpecie expreſſo:* tamen cap.3.initio addit, hoc idem eſſe *quod videre tanquam in ſpeculo.* Quem modum loquendi nunquam vſurpat Arrubal; fortaſſe quia legerat in S. Thoma de verit. q.12.art.6.circa med. corp. *Nuſquam inuenitur dictum à ſcientiis,quòd Deus ſit rerum ſpeculum, ſed magis quod ipſæ res creatæ ſunt ſpeculum Dei;prout dicitur* 1. Cor.13. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate. Et ſic etiam filius dicit eſſe ſpeculum Patris, prout à Patre in ipſo ſpecies diuinitatis recipitur,ſecundùm quòd habetur Sap.7.ſpeculum ſine macula,* &c. Cum igitur Deus nihil recipiat à creaturis, ſed contra potius, ipſæ creaturæ, quidquid ſunt, recipiant à Deo, & ſint quaſi particulæ, ac participationes quædam naturæ diuinæ, ſatis impropriè dicetur, Deus ſpeculum creaturarum,præſertim reſpectu proprij intellectus, qui eſt ipſamet eſſentia diuina, quæ illius ſpeculum dicitur. Plura, ſi libuerit, legi poſſunt apud Aureolum 1.d.35. q.2. art.1.prop.2. qui hunc modum videndi in ſpeculo multis rationibus benè impugnat. Nos etiam de eadem re exactè diſputauimus in ſuperiori tomo q.12. artic. 8. n.54.57.58.59.63.& n.77.& art.9. nec eadem hoc loco repetere neceſſe eſt.

30\. *Impugnatur modus vidẽdi tanquam in ſpeculo.*

Vaſquez. Arrubal. S.Thomas. 1.Cor.13.





## DVBITATIO III.

### *Sub qua formali ratione Deus in ſe ipſo obiectiuè videat creaturas.*

HActenus conſtat, Deum reſpicere creaturas, reſpiciendo ſe ipſum, & non alio modo. Quoniam verò in ipſo Deo ratione ratiocinata diſtingui poſſunt multæ perfectiones; ſupereſt inquirendum, an ſit aliqua ſpecialis perfectio, ex qua præcisè & formaliter oriatur, vt propter illam viſam, & non propter aliam, Deus dicatur in ſe ipſo videre omnia poſſibilia. Quæ controuerſia eſt tantum inter Authores modi videndi obiectiuè, & non inter alios, qui hunc modum negant. Nec eſt niſi de duabus rationibus formalibus,nempe de ratione cauſæ, & de ratione ideæ.

31\. Quinta concluſio, Deus non videt primariò & directè creaturas in ſe ipſo, tanquam in idea formaliter & proximè;eſt magis communis inter Authores noſtræ ſententiæ citatos ſupra à n.10.ad 16. nam vel ponunt modum videndi tanquam in cauſa,nulla facta mentione de modo videndi tanquam in idea,quos referam infra n.33. vel hunc modum expreſsè confutant, vt Alenſis 1.p.q.23. memb.2. artic. 4. vbi non vult concedere, Deum ſcire per ideam, niſi in quantum idea eſt ipſamet diuina eſſentia. Idem Bonauentura 1.d.39.art.1.q.1.ad 2. quamuis enim dicat, *cognoſcit Deus per exemplar;* tamen addit limitando, *Quod eſt idem quod ipſe à quo res cognoſcuntur.*& ad 3.promiſcuè vſurpat, eſſe & cognoſci. *In cauſa ſiue exemplari.* Verum idem Bonauentura clarè eſt contra nos in 1. d.35. art.1. q.1.confutant præterea Durandus 1.d.35.quæſt.2. n.18.19. & in 4. d.49. q.3. n.8. Capreolus ibidem q.6.art.3.multò poſt principium,Aureolus 1.d.35. q.2.art.1.prop.3.vbi Auguſtinum dicentem,Deum cognoſcere in idea, exponit,in diuina eſſentia, *excellenter, & eminenter*, hoc eſt,vt ego quidem interpretor, quatenus eſſentia eſt cauſa excellenter & eminenter continens in ſe ipſa omnes creaturas: quamuis alibi loquens de creaturis beatis, videntibus creaturas in verbo, aliter ſentire videatur, ſimul cum Bernardo de Gannoco, & Almaino, vt retuli q.2.art.8.n.61. Item Bacconus 1.diſt.35.q.1. art.4.circa finem.& d.36.q.1. art.3. dicto 1. Baſſolus 1.d.36.q.1.ar.1. fusè Suar.1.p.tract.1.lib.3.c.2. n. 17. Nauarreta hîc controuerſia 48. concluſ. 1. ad obiectionem, & concluſ.4. & 6. cicra finem; contra Altiſiodorenſem lib.1. ſummæ tract.1. c.8. q.1.dicentem, quòd ſcire in Deo, *ſignificat diuinam eſſentiam vt exemplar; & quod Deus dicitur ſcire omnia quodammodo propter ſuæ exemplaritatis imaginem: & quòd malum cognoſcitur à Deo non per proprium exemplar, ſed per exemplar ſui oppoſiti.* Item contra Albertum in ſumma tract.15.q.60.membr.3.fin. Henricum quodlib.9.q.2. Heruæum 1.d.35.q.1.art.3.ad 3. Riccardum, & alios loco citato allatos; inter quos ſunt Auguſtinus,& aliquando S.Thomas,qui loquuntur vel de videre ſecundariò & reflexè, noſtro modo concipiendi;vel de idea materialiter,& remotè accepta, quæ eſt ipſamet eſſentia, quatenus imitabilis & participabilis à creaturis, quæ eſt idem ac eſſentia quatenus poteſt cauſare creaturas, illam imitantes & participantes.

*Quinta concluſio, creatura non videtur ſub ratione ideæ.*

Ita Alenſis. Bonauentura. Durandus. Capreolus. Aureolus. Auguſtinus. Bacconus. Baſſolus. Suarez. Nauarreta. *Contra Altiſiodorẽſem.* Albertum. Heruæum. Henricum. Riccardum. *& alios.*

32\. Fundamentum mihi videtur valdè certum,modò conſtet de ſignificatione terminorum. Nam idea poteſt ſumi dupliciter. Primò remotè & fundamentaliter, hoc eſt, pro ipſamet eſſentia imitabili à creaturis ſimpliciter; & ſic, videre in eſſentia, tanquam in idea, eſt idem quod videre in eſſentia tanquam in cauſa; quia illa imitabilitas inuoluit eſſentialiter conceptum eminentialis continentiæ, & potentiæ cauſatiuæ creaturarum. Secundò proximè & formaliter, hoc eſt, pro eadem eſſentia inadæquatè concepta, prout eſt propria ratio vnius creaturæ, diſtincta ab ipſomet prout eſt propria ratio alterius creaturæ. Idea enim hominis, v. g. eſt illa, ad quam reſpicit Deus, vt faciat hominem, non vt faciat leonem, equum, &c. Hæc autem idea, noſtro modo concipiendi, ſupponit duplicem eſſentiæ cognitionem;alteram directam, qua potius intelligitur adæquatè eſſentia, imitabilis ſimpliciter, & indiſtinctè ab omnibus creaturis: alteram reflexam, qua poſterius intelligitur inadæquatè eſſentia; prout eſt imitabilis ab vna creatura, imitabilitate diſtincta ab imitabilitate, qua eſt imitabilis ab alia. Quæ imitabilitatum diſtinctio, per diuinam rationem facta, complet vltimatò formalem rationem ideæ in Deo, & ſupponit cognitionem omnium imitabilitatum ſimpliciter,& abſolutè, vt declaraui etiam in 1.tomo quæſt.12.art.8.n.90. & n.102. ad eamdem ferè difficultatem explicandam, & in hac ſecunda acceptatione, Deus cognoſcens ideas ſuas, cognoſcit ſine dubio creaturas; Tunc verò eas non cognoſcit primariò & directè, quia tunc cognoſcere has ideas, non eſt ſolum cognoſcere eſſentiam, ſed etiam cognoſcere ſuammet cognitionem eſſentiæ, & omnium creaturarum,tum directam,tum reflexam; quæ duplex cognitio eſſentialiter includitur in proximo, & formali cõceptu talis ideæ: ergo ante cognitionem ideæ præſupponitur cognitio creaturarum.Et de prima creaturarum cognitione directa, quæ immediatè,& primariò, imò etiam adæquatè adæquatione formaliter obiectiua, licet non adæquatè adæquatione ſimpliciter terminatiua,fertur in eſſentiam,in qua viſa videntur creaturæ, remanet integra difficultas ſub qua nimirum ratione formali eſſentia directè & primò viſa, faciat in ſe obiectiuè videre creaturas. & ideo ſit

*Ratio fundamentalis. Idea ſumitur dupliciter. Quid ſit propriè idea diuina.*

33\. Sexta concluſio, Deus directè, ac primariò cognoſcit creaturas in ſe ipſo,tanquam in cauſa,eminentiſſimè continente omnes creaturas, & imitabili ac participabili ab omnibus, & ſingulis creaturis. Hæc ſententia tum authoritatibus, tum rationibus videtur mihi valde grauis, & ferè certa. In primis Scholaſtici, & antiquiores, & recentiores eam communiſſimè tradunt. S. Thomas locis citatis ſupra num. 10. & 11. & in 1. tomo quæſtione 12. articulo 8. numero 53. 54. Vnde infra articulo 7. in fine corporis, ait, *Deus effectus ſuos in ſe ipſo videt, ſicut in cauſa.* Quod idem eſt cum eo, quod dixit hîc in fine corporis.

*Sexta cõcluſio, creatura videtur in Deo formaliter vt cauſa. Authores cõcluſionis.*

S.Thomas.

Alenſis. Albertus. Ægidius. Mayronus. Durandus. Argentina, *& alij.* *Cõtra Bonauenturã, Palatiũ, Ochamum, Aureolum, & paucos recentiores.*

*Alia à ſe videt in ſe ipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.* Nam eſſe ſimilitudinem, ſeu ſpeciem creaturarum, habet ex eo, quòd ſit ſimilitudo, ſeu ſpecies ſui ipſius, ſicut cauſæ creaturarum. Item Alenſis 1.p.q.23.memb. 2.art.2.& 3.vbi id tenet ex ſententia Dionyſij. Albert.1.d.37.ar.1.& in ſumma tract.15.q.60.memb. 2.in corpore, & ad quæſtiunculam primam. Ægid. 1.d.35.1.p.diſtinctionis q.3.ad 6.& q.4.ſæpe Mayronus 1.d.36. q.4. ratione 2.& 3.ex 2. loco adductis. Durandus 1.d.35.q.2.n.9.& 16.& ſequentib. Argentina q.1.concl.2.ratione 1.Baſſolus, Capreolus, Marſilius, Gabriel, Caietanus, Ferrarienſis, Syluester, & alij poſteriores, citati ſupra n.14. & 15. Item Paludanus, & Soncinas, Abulenſis, Sotus, Iauellus, & alij iuniores ad idem propoſitum citati q.12.art.8.n.55. vbi oſtendimus vſque ad num.60. authoritate omnium Thomiſtarum, & ipſorummet aduerſariorum, Scoti & Aureoli, S.Thomam violenter, & falsò in aliam ſententiam trahi à quibuſdam recentioribus, contrarium tenentibus; quorum aliqui negantes modum videndi obiectiuè fruſtra conantur ſaluare, Deum cognoſcere poſſibilia in ſua eſſentia, *ex vi cognitionis, & penetrationis eiuſdem eſſentiæ, & in ſe ſicut in cauſa.* ſi enim ſecundùm ipſos, eſſentia cognita, ex eo, quòd obiectiuè cognoſcatur, non oſtendit creaturas, & Deus non cognoſcit totum id, quod omnes concipimus, & ſignificamus, cum dicimus, Deum eſſe cauſam creaturarum; hoc eſt, diuinam potentiam cum habitudine ad creaturas, & connexionem cum illis, tanquam cum poſſibilibus fieri à potente facere; non video, in quo ſincero, & germano ſenſu, ac perinde vero affirmari poſſit, Deum creaturas cognoſcere, ex vi penetrationis eſſentiæ, tanquam cauſæ creaturarum. Sed contra nos expreſsè ſunt Bonauentura 1. d.35.art.1.q.1. Ochamus q.2.litt.C.Palatius diſp.1.concl.4. & alij pauci recentiores. Sic etiam Aureolus q. 4. paulò ante finem, cum dixit, *Dato quod Deus per impoſſibile actiuam potentiam non haberet, adhuc omnia intelligeret.*

*Probatur cõcluſio authoritate Dionyſij, Auguſtini, Bernardi, Authoris l. de cauſis, Hugonis de S. Victore.* S.Thomas. Alenſis.

34. Pro nobis autem eſt grauiſſima authoritas Magni Dionyſij, citati ſupra n.23. ita communiter à Theologis citatis intellecti; & de hoc modo videndi obiectiuè in ſe ipſo tanquam in cauſa, loquens S.Thomas 1.contr.Gent. c.49. fin. dixit, *id ab eo expreſſè tradi.* Multum quoque vrget authoritas Auguſtini & Bernardi, quam q.12. art.8. n.60. attulimus, & expendimus. Habemus etiam illuſtre dictum Authoris libelli de cauſis, propoſit. 8. quod refert S.Thomas de verit. q.2. art. 3. in fine corporis. *Intelligentia cognoſcit id quod eſt ſub ſe, in quantum eſt cauſa eius.* Item aliud dictum Hugonis de S.Victore, quod refert Alenſis 1. p.q.23. membro 1.in fine corporis, *omnia in creatore ab æterno increata fuerunt, quæ ab ipſo temporaliter creata ſunt: & illic ſciebantur, vbi habebantur; & eo modo ſciebantur, quo habebantur.* Sed creaturæ habentur in Deo directè & primò tanquam in cauſa, ergo eas ſcit in ſeipſo, tanquam in cauſa.

S.Thomas.

35. In hoc Hugonis dicto fundari videtur diſcurſus S.Thomæ ſuprà, quæſt.13.ar.8.quo probatur hæc concluſio. *Manifeſtum eſt, quod ſic aliqua videntur in Deo, ſecundum quod ſunt in ipſo, omnia autem alia ſunt in Deo, ſicut effectus ſunt virtute in ſua cauſa. Sic igitur videntur omnia in Deo, ſicut effectus in ſua cauſa,* & paulò poſt, *Ille igitur intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus qui cauſam comprehẽdit.* ergo Deus qui ſuam cauſandi virtutem comprehendit, cognoſcit in ſe, tanquam in cauſa, ſiue ex eo formaliter quòd cognoſcit vim & potentiam ſuam, omnes ſuos effectus poſſibiles, qui ſunt omnes ſimpliciter creaturæ.

*Fundamentũ concluſionis.*

Fundamentum præcipuum, & valde firmum, quod, dum in ſuperiori tomo q.12.art.8. n.48.61. 62. 84. 85. egerimus de modo, quo beati vident creaturas in verbo, multis traditum, ac ſæpe inculcatum eſt, & ideo inde vberius petendum, conſiſtit in eo, quod breuiter tetigit Durandus ſupra n.16. fine; quia in Deo formaliter, nulla alia formalis ratio excogitari poteſt, quæ in ſuo eſſentiali conceptu importet explicitè connexionem cum omnibus creaturis, niſi formalis ratio continentiæ eminentialis, & omnipotentiæ, & cauſæ omnium creaturarum, ſiue in hac ſua formali ratione cauſæ includatur ſola omnipotentia, ſiue etiam intellectus & voluntas, quod ad præſentem difficultatem nihil refert; nam de aliis formalibus rationibus diuinis, vt ſubſtantiæ, ſpiritus, vitæ, exiſtentiæ, ſubſiſtentiæ, relationis, iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. ſatis conſtat apud omnes, non importare huiuſmodi connexionem. Sed prædicta ratio non poteſt perfectè comprehendi, niſi ipſamet obiectiuè comprehẽſa quoad totam rationem obiectiuam, quam in ſe intrinſecè, & explicitè includit, oſtendat omnes prorſus creaturas, ad quas ſe extendit: ergo dicendum eſt, Deum, videndo ſe, ſiue in ſe ipſo obiectiuè viſo, quatenus formaliter eſt obiectum viſum, videre omnes creaturas tanquam in cauſa, hoc eſt, ſub nulla alia formali ratione viſa, in ipſa formaliter exiſtente, niſi ſub ratione cauſæ; ſiue ex eo, quòd in eſſentia ſua videt formaliter perfectionem cauſandi quicquid eſt ſimpliciter poſſibile. 36.

## *Occurritur contrarijs argumentis.*

Contra doctrinam hactenus traditam nihil ferè obiici poteſt, cui planè ſatisfactum non ſit in quæſt.12.art.8.tractando ſimillimam difficultatem de creatis & beatis intellectibus. Quoniam verò aduerſarij hoc etiam loco eadem inculcant, neceſſe eſt ea breuiſſimè ſignificare; & ſi quid noui occurrit; ſiue ad vberiorem doctrinam, ſiue ad planiorem explicationem, addere.

*Obijcitur cõtra ſecũdam & tertiam cõcluſionem.*

Contra ſecundam concluſionem obiiciunt nonnulla, quæ obiici etiam poſſent contrà 3. concluſionem. Primò, quia creaturæ non ſunt in Deo ſecundùm proprias rationes formales. Secundò, quia nec ſunt ſecundùm eſſe quod in ſe habent diſtinctum realiter à Deo. Tertiò, quia nec ſunt ſecundùm eſſe diſtinctum realiter inter ſe: ergo non poſſunt in Deo videri ſecundùm eſſe formale proprium, à Deo, & inter ſe realiter diſtinctum. 37.

*Cur in Deo obiectiuè viſo, neceſſe ſit videre creaturas formaliter & diſtinctè.*

Reſponſum eſt num.67.72. & 79. negatione conſequentiæ. Nunc ex verbis Capreoli citatis ſupra num.14. addo euidentiorem rationem: quia licèt in Deo propriè & formaliter, & diſtinctè non ſint creaturæ, tamen eſt formaliter aliquid eminentialiter continens creaturas; quod comprehendi non poteſt abſque habitudine ad eſſe proprium, formale, ac diſtinctum omnium creaturarum: creaturæ enim ſecundùm hoc eſſe cognoſcuntur in eſſentia diuina, non propter eſſentialem & intrinſecam continentiam illius eſſe in eſſentia, ſed propter eſſentialem, licet extrinſecam, terminationem eſſentiæ ad illud eſſe.

*Cõtra tertiã cõcluſionem.*

Obiiciunt præterea contra tertiam & ſextam concluſionem. Primò, ſcientia creaturarum in Deo præſupponitur noſtro modo intelligendi ad omnipotentiam: ergo Deus non poteſt ſcire creaturas in ſua omnipotentia. Conſequentia eſt ſatis clara. Probant anteced. Primò, quia non ideo Deus ſcit creaturas, quia eſt omnipotens; ſed contra potius, ideo eſt omnipotens, quia ſcit creaturas. Secundò, quia ſi fingamus auferri à Deo omnipotentiam, non præterea, per locum, vt aiunt, intrinſecum, debet intelligi ablata ſcientia creaturarum. 38.



*Prima obiectio Vaſquez, quã non probat Arrubal d. 31. cap. 4. & 5.*

*Reſpondetur cum Suarez negando ſciẽtiam creaturarũ in Deo eſſe priorem omnipotentia, ſecundũ rationem.*

Reſponſum eſt n. 69. & optimè reſpondet Suarez ſupra num. 10. & 11. negatione antecedentis, cuius vtraque probatio falſa eſt, & gratis aſſumpta. Argumentum enim, vt patet ex terminis, quibus propoſitum eſt, & proponit illud Vaſquez num.7. ſupponere debet poſſe à nobis ratione cum fundamento in re diſtingui in Deo perfectionem omnipotentiæ, præter perfectiones intellectus, & voluntatis: & tunc manifeſtum eſt non poſſe auferri omnipotentiam, niſi auferatur ſimul omnipoſſibile; quo ablato, implicat remanere veram ſcientiam poſſibilium, & conſequenter creaturarum, etiam in ſententia aduerſariorum, vt acutè retorquet Suarez: quia ablata omnipotentia ex hypotheſi impoſſibili, ſicut eſſentia diuina non poſſet eſſe medium obiectiuè cognitum *vt quod*, ad cognoſcendas creaturas, ita nec eſſe poſſet ſpecies intelligibilis creaturarum; ac proinde, nec earum ſpecies expreſſa, ſeu verbum; quia hæc formalis ratio ſpeciei creaturarum, non poteſt in Deo rationabiliter introduci, niſi propter eminentialem creaturarum continentiam, quæ concipi non poteſt niſi concepta virtute, qua poſſit in omnia poſſibilia. Quamborem ipſemet Arrubal tota diſput.31. rectè contendit, etiam in ſua opinione de videre tanquam in ſpecie, eſſe dicendum, Deum creaturas in ſe ipſo videre, formaliter tanquam in cauſa; quod Vaſquez vel negauit, vel non ſatis expreſſit.

*Secunda obiectio Vaſquez.*

*Reſpondetur vt ſupra n. 37. & retorquetur argumentum.*

39. Obiiciunt ſecundò, In Deo non eſt niſi vnum ſimpliciſſimum eſſe increatum: ergo non poteſt eſſe medium cognitum ad cognoſcendum eſſe creatum, illi infinitè diſſimile. Ita Vaſquez n. 8. ſed reſponſum eſt ſatis n.37. Nunc aduerto primò eodem argumento, quod refertur pro ſententia Nominalium contra omnes, vti Vaſquez contra communem ſententiam. Secundò, argumentum retorqueri facilè poſſe: ſi enim illud eſſe increatum, quamuis omnes creaturæ in illo eminenter contineantur, vt perfectè in ſe comprehenſum, non eſt ſufficiens vt *quod*, repræſentare eſſe creatum; ergo neque erit ſufficiens vt *quo*, ſeu tanquam ſpecies: etenim vt ſpecies creaturarum habere debet eſſentialem connexionem creaturarum; nam omnis eſſentialis repræſentatio alicuius rei, habere eſſentialiter debet connexionem cum illa re, cuius eſt repræſentatio; & contrarium dici poteſt lingua prius, quàm intellectu: ergo eandem connexionem habere poterit eſſentia, non ſolum quatenus ſpecies, ſed etiam vt eſſentia, ſeu res, & potentia eſſentialiter productiua creaturarum: ergo poterit cognoſci cum tali connexione; ſi enim poteſt eſſe, ergo cognoſci; quia res ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci; hoc autem eſt, eſſentiam poſſe concurrere tanquam medium cognitum obiectiuè vt *quod*, & non ſolum formaliter tanquam ſpeciem creaturarum.

*Tertia obiectio Vaſquez, Arrubal, Becani.*

40. Obiiciunt tertiò Vaſquez ſupra; Arrubal diſtinct.30. num. 6. & Becanus ſupra num.6. Diuina omnipotentia eſt in ſe ens omnino abſolutum, neque dicens vllam relationem ad creaturas, neque vllam neceſſariam connexionem cum creaturis: ergo ipſa, ex eo quod cognoſcatur prout in ſe eſt, non poteſt cognoſcentem ducere in notitiam alterius. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedens, quod aliqui Authores noſtræ opinionis vltro concedunt, & propterea eam efficiunt intellectu difficillimam, probat Arrubal 1. in diſt. 29. num. 17. quia diuina omnipotentia, *æquè perfecta eſſet, quamuis nullæ eſſent poſſibiles creaturæ, aut quamuis omnes inuoluerent contradictionem: ratio enim diuinæ omnipotentiæ poſita eſt in ea perfectione, per quam ipſe poſſet alia à ſe efficere, ſi ea quidem contradictionem non inuoluant, aut ſi ſit ratio non inuoluendi contradictionem.* Secundò in diſtinct.30.num.6.& num.11. quia, *dici probabiliter non poteſt, attributum omnipotentiæ eſſe neceſſariò connexum cum qualibet creatura ſingulari. Quis enim dicat, ſi equus implicaret contradictionem, in Deo non futurum attributum eiuſdem omnipotentiæ, quæ reipſa eſt Deus. Cùm ergo Dei cognitio feratur ad ſingulas creaturas determinatas, dici non poteſt, Deum eas cognoſcere in ſua omnipotentia prius cognita, ſicut in medio connexo cum veritate creaturarum poſſibilium.*

*Reſpondetur defendendo, omnipotentiã dicere eſſentialiter connexionem cũ creaturis. Quid dicendũ de omnipotentia ſi implicarẽt creaturæ.*

Capreolus. Soncinas. Andreas de Nouo Caſtro. *Impugnatur cõceptus omnipotẽtiæ traditus ab Arrubal.*

Reſponſum eſt latè, ac diligenter in 1. tomo quæſt.7.art.1. num.10. & quæſt.12.art.8. num.48. 62.68.84.85.ergo falſum eſt antecedens quoad ſecundam partem de connexione. Ad primam illius probationem dicendum; data illa hypotheſi impoſſibili, omnipotentiam neque futuram æquè perfectam, neque futuram omnino & ſimpliciter: ſicut per eamdem hypotheſim in contraria ſententia non poſſet eſſentia diuina remanere ſimpliciter ſpecies expreſſa creaturarum poſſibilium, vt cum S.Thoma ipſemet Arrubal deinde non ſemel fatetur diſtinct.31.num.15.16. Videtur enim ex terminis ipſis intelligibile, creaturam non eſſe poſſibilem, & nihilominus Deum poſſe facere creaturam; vel intelligere & amare creaturam poſſibilem; vel eſſe quacumque ratione ſpeciem repræſentatiuam creaturarum poſſibilium. Vnde rectè Capreolus 1.diſtinct.35.quæſt.2.artic.1.ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem ad 1. docet *ſublato omni eſſe creaturæ, Deus non intelligeret creaturam.* Quæ verba vſurpat Soncinas ibidem concluſ.2. dicto 1. Præterea idem Capreolus ibidem ad argumenta contra octauam concluſionem in caſu ſimili ait. *Si Deus non eſſet effectiuus rerum, non haberet apud ſe rerum ſimilitudines, niſi à creaturis eas accepiſſet, vel à cauſa effectiua creaturæ; & conſequenter, non eſſet Deus.* & Andreas de Nouo Caſtro quæſt. 1. circa finem in §. *Ad argumentum igitur.* eidem Aureolo ſic reſpondet. *Si nihil aliud à Deo intelligitur, ſequitur per conſequentiam neceſſariam, quòd intelligere diuinum non eſt.* Hoc autem nullam dependentiam à creaturis ponit in Deo, ſed contrà potius, dependentiam creaturarum à Deo, quam Deus eſſentialiter terminare debet; & non poſſet, niſi creatura eſſet poſſibilis: ſi enim eſt impoſſibilis, ergo non poteſt in ſuo eſſe pendere à Deo: ergo neque Deus facere poteſt illam à ſe dependentem in ſuo eſſe vt clarius explico n.10. citato. Vbi etiam efficaciter impugno conceptum illum omnipotentiæ, per hypotheſim impoſſibilem, traditum in eadem prima probatione, quo ideo ponitur in Deo formalis potentia effectiua creaturæ; quia etſi creatura implicat, vt ſupponitur, tamen ſi non implicaret, poſſet à Deo effici per illam potentiam: etenim ſicut quando abſolutè implicat, poſſe fieri A; neceſſe eſt vt pariter abſolutè implicet, poſſe facere A; ita quando ex hypotheſi impoſſibili ponitur, quòd implicet, poſſe fieri A; omnino ſequitur quod ex eadem hypotheſi implicet poſſe facere A; ergo ſi ex 41.

ex ſuppoſitione, ſumis, creaturam non poſſe fieri à Deo; ex ſuppoſitione quoque ſumas neceſſe eſt, Deum non poſſe facere creaturam. Igitur neceſſaria eſt iſta conſequentia, ſi creatura non poſſet fieri: ergo Deus non poſſet illam facere. Et, quod eſt idem, ſi implicaret creatura, ergo implicaret creator, vt creator formaliter: ergo non rationabiliter dicunt, futuram ac remanſuram omnipotentiam, ſicut de facto eſt, etiam implicante omnipoſſibili.

42. Hinc ad ſecundam probationem patet, eſſe dicendum non ſolùm probabiliter ſed etiam euidenter, poſito quòd equus, v.g. fieri non poſſit à Deo, nulla ratione poſſe concipi, Deum poſſe facere equum. Sed de facto nunc omnipotencia diuina eſſentialiter habet poſſe facere equum, ergo tunc non remaneret eadem omnipotentia, quæ nunc eſt; nunc enim habet poſſe facere equum, tunc verò haberet, non poſſe facere equum. Hoc autem conſequens non debet ſcandalizare puſillos, quia & ſi impium ſit, aſſerere abſolutè, diuinam omnipotentiam poſſe eſſe aliam ab ea quæ nunc eſt, tamen ego non ita aſſero, ſed ſolum contendo, hoc abſurdum neceſſariò & euidenter deduci ex alio abſurdo; quia nimirum omnipotentia, quæ de facto eſt in Deo, & ſimpliciter non poteſt eſſe magis, aut minus perfecta, habet eſſentialem connexionem, non ſolum cum omnipoſſibili in communi, ſed etiam cum quocumque ſingulari poſſibili. Si enim A. eſt poſſibile, ergo eſſentialiter pendet à Deo; ergo Deus in ſe habere neceſſariò debet actiuam potentiam, per quam poſſit terminare paſſiuam dependentiam A. à ſe: & contrarium fateor me non poſſe capere. Vnde, quod iuniores aliquos facilè commouet contra Suarez dicentem, neceſſitatem entis poſſibilis eſſe æqualis neceſſitatis & independentiæ, ac diuinam omnipotentiam, nihil verè eſt ſi attentè penetrare velint vim ſententiæ, id enim non eſt accipiendum de eſſe creato, ſpectato ſecundùm ſe abſolutè; ſic enim illud Deo adæquare in neceſſitate, & independentia, eſſet planè abſurdum, ſed ſolum vt relato ad eſſe increatum, in quo eminenter & eſſentialiter continetur; ſub qua ratione omnes Theologi, auctore Anſelmo, tutiſſimè aſſerimus; *Creaturæ in Deo ſunt ipſa creatrix eſſentia.* Quanta igitur neceſſitate & independentia verum eſt; diuinam eſſentiam eſſe creatricem, & omnipotentem; tanta pariter, creaturas eſſe creabiles, & poſſibiles, non propter propriam entitatem, ſed propter entitatem Dei, eſſentialiter eas in ſe continentis.

*Defenditur Suarez contra Machin. d.24. ſect. 3. de æquali neceſſitate poſſibiliũ & omnipotẽtia.*

43. *Quarta obiectio Arrubal.*

Obiicit quartò Arrubal diſt. 30. num. 6. grauem illam difficultatem de creaturis, non poſſibilibus, de quibus hactenus diſſeruimus, ſed actualibus, ſiue futuris, ſiue præſentibus, ſiue præteritis, quæ non poſſunt videri in omnipotentia; quia cum illa nullam habent neceſſariam connexionem, cum ſint effectus à Deo liberè producti; neque in decreto Dei libero, quia hoc vt formaliter liberum, nullam addit in Deo intrinſecam perfectionem; quæ ſit in poſteriori ſigno, quando intelligitur Deus actu velle; & non fuerit, ſed eſſe potuerit, in priori ſigno, quando intelligitur Deus poſſe actu velle & actu nolle; pro ſua intrinſeca libertate: nullum autem, præter omnipotentiam & voluntatem fingi poteſt in Deo medium cognitum, quod ducere poſſit in notitiam creaturarum actualium.

44. *Reſpondetur declarando modum, quo Deus in ſe ipſo videat creaturas actuales.*

Reſponſum eſt latiſſimè, & ſufficientiſſimè q. 12. art. 8. à num. 110. ad 117. & breuiter, dicimus cum Henrico in ſumma art. 36. q. 5. circa medium corporis. Molina hîc ad 3. & aliis, has creaturas, vt effectus phyſicos, videri in omnipotentia, cum qua habent neceſſariam connexionem, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione decreti liberi, ſiue, vt ait Henricus ſuprà. *Non eſt per ſe & immediatè ipſa diuina eſſentia ratio intelligendi talia, ſed mediante diuina voluntate:* at verò vt effectus morales, videri in decreto, non ſimpliciter, ſed terminato ad hanc creaturam, non ad aliam. Vnde creatura habet, eſſe liberè futuram. Quod, quicquid tandem illud ſit, de qua re difficillima, non eſt proprius hîc agendi locus, certum eſt, non poſſe ignorari ab eo qui ſcienter voluntatem ſuam determinauit, & terminauit ad hanc creaturam non ad aliam. *Eo quòd,* inquit Henricus ſuprà, *perfectè perſcrutatur totam potentiam voluntatis ſuæ, & omnes rationes determinationis eius circa fienda, vel non fienda.* Nam ſicut, vt ait Apoſtolus ad hoc maximè propoſitum 1. ad Cor. 2. *Nullus hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt;* ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, *niſi ſpiritus Dei, qui ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei.* hoc eſt, vt exponit idem Henricus, *ſecreta voluntatis.* Sciens igitur Deus voluntatem ſuam, non ſimpliciter, ſed connotando creaturam, quam liberè voluit in tali differentia temporis, propter talem finem, tali loco, modo, aliiſque circunſtantiis, poteſt in illa ſcire, illam creaturam liberè futuram vi ſuæ omnipotentiæ: quia hæc futuritio, quatenus libera, eſt effectus diuinæ voluntatis ad creaturam terminatæ: qui autem comprehendit cauſam, non poteſt illa viſione cauſæ non videre cauſæ effectus; & ideo verum vniuerſaliter eſt de omnibus creaturis tam poſſibilibus, quàm actualibus quod probauimus in 4. & 6. concluſione, eas à Deo videri in ſe ipſo, ſiue in eſſentia, & natura ſua tanquam in cauſa; quia non ſolum omnipotentia, ſed etiam voluntas ad Dei naturam pertinet, & eſt vera cauſa effectuum liberorum vt ſic.

Henricus. Molina. 1. Cor. 2.

Quamobrem, vt notaui num. 106. & 107. Dionyſius, Auguſtinus, Bernardus, Iſidorus, Concilium Senonenſe, & S. Thomas, docentes Deum omnia videre obiectiuè in ſe ipſo, indifferenter loquuntur de poſſibilibus, & actualibus. Vnde Marſilius 1. ſent. q. 38. art. 3. concl. 1. probat, *Deum in ſua eſſentia cognoſcere omnia alia, tam producta, quàm etiam productibilia.* Et ipſemet Scotus, vt ei tribuit Rada in controuerſia 29. art. 1. circa finem, aſſerit; *Diuinum intellectum futura contingentia cognoſcere in ſua eſſentia; quia poſita determinatione diuinæ voluntatis, ipſa eſſentia repræſentat rem futuram determinatiuè; & ſic eam cognoſcit infallibiliter.* Et paulò poſt: *Deus non exit extra ſuam eſſentiam, vt aliquid cognoſcat, etiã quoad eſſe actuale.* Et in fine articuli ait, hanc eſſe ſententiam Scoti, S. Thomæ, & Caietani: & quidem S. Thomas de verit. q. 2. art. 9. ad 2. loquens de actualibus, & poſſibilibus, diſtinctiſſimè docet: *Nec alio modo ſcit Deus iſta, & illa.*

Marſilius, Scotus, Rada,

Denique retorqueri poteſt argumentum contra alium modum videndi in eſſentia, tanquam in ſpecie; nam cum eſſentia ſit indeterminata ad actu volendum, & faciendum hoc potius quàm illud; & cum nullo actuali effectu neceſſariam connexionem habeat; & ſicut de facto eſt ſpecies huius; ita poſſit eſſe ſpecies illius, & non huius; eadem omnino integra difficultas, & fortè maior, premit aduerſarios; qua ſcilicet ratione eſſentia diuina nunc facta ſit ſpecies repræſentatiua harum creaturarũ, quas de facto ponere voluit in actu, cum eadem abſque vlla intrinſeca ſui mutatione fieri potuiſſet ſpecies repræſentatiua aliarum craturarum, quas nunquam facere decreuit. Dixi, *fortè maior,* quia cum ipſi nullam in Deo admittere velint habitudinem ad creaturas, nullam cum creaturis cõnexionem, in ipſo Deo intrinſecè & omnino abſolutè in ſe ſpectato, nullam prorſus inuenire poſſunt mutationem, ob quam Deus dicatur nunc ſpecies huius creaturæ actualis, non alterius; qui idem eſſe potuit ſpecies alterius, non huius. 45.

*Retorquetur obiectio.*



*Explicatur magis modus, quo Deus in ſe, tanquam in cauſa, videat effectus ſuos actuales.*

Nos verò per diuerſas connotationes creaturarum, & habitudines ad illas, & connexiones cum illis, quæ habitudines & connexiones nunc ſunt, & potuerunt non eſſe, habemus, ſi non in ipſo Deo, ſaltem in creaturis, mutationes vi ipſius diuinæ voluntatis, & omnipotentiæ factas: Vnde dicere poſſumus, propter ſolam aliquarum creaturarum extrinſecam mutationem intrinſeca tamen ipſius Dei vi factam, de poſſibilitate in actualitatem, habere iam Deum neceſſariam aliquam connexionem cauſæ liberæ, ex ſe determinatæ, cum illis creaturis non cum aliis, & habitudinem ad illas creaturas non ad alias: & propterea poſſe in ſe ipſo obiectiuè cognito, cum tali connexione & habitudine oſtendere illas creaturas, & non alias in eſſe actuali à ſua voluntate & omnipotentia dependentes. Vbi ſi prudenter attendamus, non eſt niſi vna difficultas, quam grauiſſimam eſſe fateor & humano ingenio incomprehenſibilem, tamen non huius loci propriam, ſed alterius, infra in q. 19. de actuali libertate Dei, quid ſcilicet addat ſupra actum neceſſarium diuinæ voluntatis. Verum quamuis Theologo incertum ſit huiuſmodi additum, tamen certiſſimum eſt, Deum qui in priori ſigno ſuæ libertatis in actu 1. cõcipitur potuiſſe ſe, & ex ſe liberè determinare, in poſteriori ſigno ſuæ libertatis in actu 2. determinaſſe facere has creaturas actuales, non alias; ac proinde conſtitutum iam eſſe cauſam harum creaturarum actualium; non aliarum. Ergo iam in poſteriori ſigno ſcit, ſe cauſam horum non aliam: ergo iam in Deo eſt medium formale obiectiuè cognitum vt *quod*; vnde ſufficienter habet, ſcire has creaturas actuales, & non alias, in ſe ipſo obiectiuè & formaliter, tanquam in cauſa harum non aliarũ; licèt modus quo factus eſt cauſa harum, & non aliarum abſque vlla intrinſeca ſui mutatione, non ſit nobis ſatis notus.

46. *Quinta obiectio.*

Obiici præterea poteſt quintò, Quantum diſtat creatura à Deo, tantum diſtat Deus à creatura; ſed in creatura viſa non poteſt videri intuitiuè Deus per eſſentiam: ergo nec hoc modo videri poteſt creatura in Deo viſo. Reſpondet breuiſſimè, ſed optimè S. Thomas art. ſequenti ad 2. diſparitatem eſſe. *Quòd eſſentia creaturæ comparatur ad eſſentiam Dei, vt actus imperfectus ad perfectum.* Quæ reſponſio declarata remanet ex dictis q. 12. art. 7. num. 35. In forma igitur, eſt neganda conſequentia; quia cauſa, ob quam nequeat videri Deus in creatura, non eſt diſtantia ſimpliciter, ſed diſtantia imperfecti à perfecto, non continentis adæquatè in ſe perfectum, ſed adæquatiſſimè contenti in eminentiali natura perfecti.

*Reſpondetur cũ S. Thoma, aſſignando cauſam cur creatura videri poſſit in Deo, nõ Deus in creatura.*

47. *Sexta obiectio.*

Obiicies ſextò, per noſtram enim ſententiam ponimus, creaturas à Deo cognoſci imperfectè, vel ſaltem minus perfectè, hoc eſt, per medium, & indirectè; cum longè melius ſit cognoſcere obiectum cognitione directa & immediata in ſe ipſo. Reſpondetur hoc falſum eſſe, quoniam medium non eſt extraneum, ſed eſſentiale, & ſuperioris ordinis, continens in ſe eſſentialiter, & eminentiſſimo modo omnem ſimpliciter rationẽ entis, quæ eſt in obiecto, cuiuſmodi eſt eſsẽtia diuina reſpectu cuiuſlibet creaturæ: tunc enim cognoſcere creaturam per tale medium, eſt cognoſcere per cognitionem altiſſimam ipſius Dei, in quo creaturæ ſecundùm doctrinam Auguſtini, & Anſelmi traditam ſupra q. 4. ar. 2. n. 8. verius eſſe habet, quã in ſe ipſa. Præterea cum non poſſit perfectè cognoſci creatura, niſi cognoſcatur eius participatio ac dependentia à Deo creatore, cum quælibet creatura ſit eſſentialiter participatio quædam diuinæ eſſentiæ, ab eáque eſſentialiter depẽdens; ſi creatura cognoſcitur in Deo, vt continente illam, iam creatura cognoſcitur à priori; & intuitiuè, per cauſam cognitam, etiam intuitiuè, & quæ eſt ſimpliciter cauſa, & omnino immutabiliter cauſa; qua perfectione nulla creatura poteſt naturaliter ſcire, vt acutè & fusè declarat Ægid. 1. d. 35. 1. p. d. q. 4. ſi verò cognoſcitur in ſe ipſa, vt contenta in Deo, iã cognoſcitur à poſteriori, ab effectu intuitiuè cognito, ad cauſam abſtractiuè tantum cognitam. Nulla igitur fingi poteſt perfectior creaturarũ cognitio, quàm in comprehenſione ipſius diuinæ eſſentiæ.

*Reſpondetur probãdo, creaturã melius videri in Deo, quàm in ſe ipſa.*

Ægidius.

Obiicies primò, ſi Deus cognoſceret creaturas in ſua eſſentia, ergo in ſua cognitione; quia ipſa actualis cognitio eſt eſſentialis Deo, ſupra art. 4. n. 3. & 4. hoc autem videtur impoſſibile, quia idem eſſet obiectum ſui ipſius; & ſemper remaneret inquirendum, quo modo illa prior cognitio, in qua dicitur Deus cognoſcere creaturas, creaturas cognoſcat. Reſpondetur, quando S. Thomas, & alij omnes dicunt, Deum creaturas cognoſcere in eſſentia ſua, non eſſe accipiendam eſſentiam, vt ratione ratiocinata diſtinctam ab attributis, ſed ſecundùm rem, prout à parte rei identificat ſibi omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſiue primariam & eſſentialem, ſiue ſecundariam, quæ dicitur attributum. Igitur cum in eſſentia hoc modo accepta multæ perfectiones ratione ratiocinata diſtingui poſſint, nos mente diſtinguentes cognitionem ab aliis, aſſerimus, Deum videre creaturas in ſua formali ratione cauſæ & omnipotentiæ, non in ipſa formali ratione cognitionis; quicquid ſit de cognitione, an ſit eſſentia, vel attributum; quamquam ad impoſſibile, quod in obiectione infertur, dicendum, non ſolum non eſſe impoſſibile, ſed etiam eſſe omnino neceſſarium, diuinam cognitionem verſari circa ſe ipſam; quatenus eſt neceſſarium, vt Deus ſciat ſe ſcire; alioqui non haberet perfectam ſcientiam. Id autem fit, non imperfecto modo, vt in nobis, per diuerſas cognitiones, quarum altera ſit directa, altera reflexa, ſed quia eadem ſimpliciſſima Dei cognitio, ratione ſuæ infinitæ & eminentiſſimæ perfectionis, eſt perfectiſſimo modo directa & reflexa: ita vt per idem prorſus, per quod cognoſcit obiectum, & cum eadem omnino claritate, cognoſcat ſe cognoſcere illud obiectum. 48.

*Septima obiectio.*

*Reſpondetur Deum cognoſcere creaturas in ſua eſſentia, non in ſua cognitione.*

*Quomodo diuinæ cognitio ſit directa & reflexa.*

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrum Deus intelligat alia à ſe propria cognitione.*

Ad ſextum ſic proceditur. Videtur quod Deus non cognoſcat, &c.

### COMMENTARIVS ARTICVLI.

IN titulo articuli illud, *propria*, vt notarunt Caietanus hîc initio, & Syluester 1. p. conflati, quæſt. 14. artic. 7. initio, & ante ipſos Heruæus 1. diſtinct. 35. quæſt. 1. artic. 2. fin. non ſe tenet ex parte Dei cognoſcentis, ſeu cognitionis, ſed ex parte rei cognitæ. Neque enim 1.

*Articuli titulus declaratur.* Caietanus. Syluester. Heruæus.



inquiri

inquiritur, vtrum Deus creaturas cognoſcat aliqua cognitione, quæ ſit propria ipſius Dei, aut qua cognoſcat creaturas tantùm, & non aliud obiectum; cum indubitatum ſit, creaturas non ſolum cognoſci à Deo, ſed etiam à creaturis; & per diuinam cognitionem non ſolum repræſentari creaturas, ſed maximè ipſummet Deum. Quæritur igitur vtrum Deus cognoſcat quicquid in creaturis habet rationem entis, ſiue ſit commune, ſiue proprium & formale, quo vnaquaque creatura & in ſe conſtituitur, & tum ab aliis creaturis, tum ab ipſo Deo diſtinguitur.

2. *Reſpõſio affirmatiua fidei.* *Diuerſæ Theologorum opiniones de ſentẽtia Ariſtotelis & Auerrois.*

Concluſio affirmatiua de fide, omnium Patrum & Scholaſticorum, propter expreſſa ſcripturæ teſtimonia. Neque enim hîc loquimur de modo cognoſcendi, de quo, ſalua fide, variæ ſunt Theologorum ſententiæ, ſatis examinatæ in præcedenti articulo; ſed de rebus cognoſcibilibus, quarum rationes, tam communes, quàm proprias, quantumuis paruas aut viles, diuino intellectui ignotas ſimpliciter facere, impium eſt, & vt ait Durandus 1.d.35.n.7.fin. *contra veritatem fidei catholicæ*: imo eam totaliter deſtruit; quia ſine diſtincta rerum cognitione in particulari, perirent diuina prouidentia, leges à Deo datæ, diuina iudicia de bonis ac malis, ac proinde præmia, & pœnæ; demum reuelationes omnes factæ à Deo immediatè, ſine quibus conſiſtere nequit fides diuina, qua omnia credimus, quia Deus dixit; dicere verò non poteſt Deus, niſi cognoſcat. Quam impietatem multi tribuunt Commentatori, vt Bannes hîc. Valentia punct.3. Trig.1.part.quæſt.9.art.1.dub.4. init. & ante ipſos Ægidius 1.d.36.q.1. Durandus 1. diſt.35.quæſt.2. Ariminenſis q.1. qui eamdem tribuit Ariſtoteli; Ochamus q.2. Baſſolus 1.d.36.q.1. art.1. Gabriel d.35. quæſt.1. init. Toletanus art.4. fin. dubitans: Nyphus, Pomponatius, Zimara apud Palatium 1. diſt.35. diſp.1. columna 10. qui in columna 9. ait; *Puto cum Marſilio iniurios eſſe tantis Philoſophis, qui tantum crimen illis imponunt*: eóſque etiam defendunt Aureolus q.2.art.1. Bacconus q.1. art.1.2.& 3. & multi alij; ſed S.Thom. excuſat quidem Ariſtotelem, vt de verit. q.2. art.3. ad 5. & in hac 1.p.q.14. art.11. init. corporis, & lib.1. contra Gent. cap.50. fin. quod etiam faciunt Bannes hîc, Valent. punct.3. dubitando. Molin. hîc, Zumel, Trigoſ.1.p.quæſt.9.art.1.dub.2.concl.1. Nauarrus hîc, §.1. Suarez in Metaph. diſp.30.ſect.15. n.41. Ripa hîc, c.1. Non excuſat autem Commentatorem, vt 1.d.35.q.1.art.3. initio corporis: cuius tamen opinionem tacito nomine refert, & impugnat hîc, quia nimirum, vt prudenter aduertit Ferrarienſis lib.1. contra Gentes cap.50. fine, defendens Auerroëm, *S. Thomas illam opinionem attribuit Auerroi, quantum verba eius in 12. metaph. com. ſc. fin. ſonant: non autem curat quid ipſe intellexerit.*

Durandus, Bannes, Valentia, Trigoſius, Ægidius, Durandus, Ariminẽſis, Ochamus, Baſſolus, Gabriel, Toletanus, Palatius, Aureolus, Bacconus, S.Thomas, Ferrarienſ.

Commentatorem præterea defendunt Ægid.1. diſt.35.1.p.diſt.q.4. ad vltimum, Gerardus Senenſis q.1. art.2. init. Zumel hîc concl.2. Suarez mataph. diſt.30.ſect.15.n.4. probabiliter, & ſanè præſtat Theologo cum iis ſentire, qui, quoad eius fieri poteſt, contendunt, viros adeò graues rebus fidei non aduerſari. Quamuis enim fides noſtra humanam infidelium Philoſophorum authoritatem nõ poſtulet, contemnere tamen eã non debet Theologia; quoniam huiuſmodi cõfirmatione fides ſi non efficitur firmior, ſaltem certè apparet illuſtrior, & infidelibus ad tempus conuertẽdis accõmodatior.

Ægidius, Gerardus, Zumel, Suarez,

3. Verùm huiuſmodi cauſa, breuitatis ſtudio, omiſſa, cum à pleríſque ex citatis Doctoribus benè ac fusè agitatur, afferam ſcripturæ teſtimonia. Ad Hebræos 4. quem ſolum locum, tanquam præcipuum affert S.Thomas hîc, in argumento *ſed contra*. Sermo & cognitio Dei, dicitur *efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus compagum quoque, ac meaullarum; & diſcretor cogitationum, & intentionũ cordis: & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Quibus verbis apertiſſimè explicatur diſtinctiſſima, ac minutiſſima rerum cognitio: probat etiam S. Thomas 1. contra Gentes cap. 50. ex illis verbis Geneſeos 1. *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bene.* Addi poteſt illud Pſalm.32. *Vidit omnes filios hominum. Reſpexit ſuper omnes qui habitant terram. Qui intelligit omnia opera eorum.* Rerum quoque notitiam valde particularem expreſsè ſignificant verba illa Hierem. 23. *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus?* Et Sophoniæ 1. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis.* Idem probant alia loca citata ſupra a.5.n.1.

*Ad* Hebr.4. S.Thomas. S.Thomas, Geneſ.1. Pſalm.32. Hierem.23. Soph.1.

4. Rationes quibus hæc veritas demonſtratur, ſunt ſufficienter traditæ ſupra artic.5. num.2. & à num.16. ad 22. & à num.36. & in toto illo articulo multa diximus ad materiam huius articuli pertinentia, quæ hoc loco repetenda non ſunt. Addi poteſt optima ratio S.Thomæ hîc initio corporis; contra opinionem, quæ putatur Auerroïs, dicentis, Deum omnia alia à ſe non cognoſcere niſi in communi, ſcilicet in quantum ſunt entia; ſi ita eſſet, inquit S. Thomas, ſequeretur, Dei intelligere, & conſequenter, eius eſſe, quod eſt eius intelligere, non eſſe omnibus modis perfectum. Sequelam probat, quia intelligere aliquid in vniuerſali, & nõ in ſpeciali, eſt intelligere imperfectè, & confusè. Quod ſuadet ex noſtro intellectu, procedente in intelligendo ſecundùm ordinem perfectionis, de imperfecto ad perfectum; qui prius intelligit res in vniuerſali, & in confuſo, poſterius in particulari, & diſtinctè.

*Exponitur prima ratio articuli.*

5. Cùm in hac ratione dicitur, cognitio attingens aliquid ſecundùm prædicata communia tantum, eſt imperfecta, potentialis, confuſa, vniuerſalis, &c. Caietanus hîc §. *Aduerte quod*, vult tali cognitioni conuenire has conditiones ex parte rei cognitæ, non autem ex parte cognoſcentis, ſiue ipſius cognitionis in ſe; *alioquin metaphyſica, quæ ſiſtit in communibus omnium, eſſet imperfecta ex parte actus.* Sed verius dixit Syluester 1. parte conflati quæſt.14. artic.7. initio conuenire etiam ex parte cognitionis; quod acutè docuit & explicauit Ferrarienſis lib.1. cont. Gentes c.50. circa quartam & ſextam rationem, & probo primò: quia non ſatis cohærere videntur iſta duo. Rem aliquam, acceptam ſecundùm prædicata ſua communia tantum, eſſe in ſe ipſa imperfectam, hoc eſt, carentem ſuis propriis prædicatis, quibus in ſe ipſa perfectè conſtituitur, ac diſtinguitur à cæteris omnibus, quæ non ſunt ipſa: &, cognitionem illius rei, vt ſtat præcisè ſub illis prædicatis vniuerſalibus, eſſe perfectam cognitionem illius rei; v.g. hominem, vt animal, eſſe imperfectum hominem, & tamen perfectè cognoſci hominem ſi cognoſcatur tantum, vt animal. Quæ duo adeò manifeſtè inuicem pugnant, vt non ſit probabile, Caietanum in hoc ſenſu prædictam diſtinctionem tradidiſſe.

*Refutatur expoſitio Caietani.* *Reijcitur cũ Sylueſtro & Ferrarienſi.*

Secundò, ſi ratio S.Thomæ non intelligeretur ex parte actus, nihil prorſus concluderet, ſic enim concludit, *ſi igitur cognitio Dei de rebus aliis à ſe, eſſet in vniuerſali tantùm, & non in ſpeciali, ſequeretur quòd eius intelligere non eſſet omnibus modis perfectum.* Quibus verbis manifeſtum eſt, ex imperfectione obiecti nimirum, rei ſecundùm prædicata vniuerſalia tantum, deduci imperfectionem in actu. Ergo ſi concluſio S.Thomæ eſſet intelligenda de imperfectione ex parte ſolius obiecti, iam in ea ratione vitiosè probaretur idem per idem. Nititur igitur demonſtratio S.Thomæ hoc firmiſſimo fundamento; quod, cæteris paribus, perfectior in ſe cognitio ac repræſentatio ſit, cognoſcere vnam rem ſecundùm omnia ſua prædicata, & communia, & propria quàm illam eãdem rem cognoſcere tantum ſecundùm prædicata communia.



7. *Soluitur Caietani fundamentum & oſtẽditur quomodo cognitio metaphyſica ſit perfecta, & præſtãtior alijs ſcientijs.*

Quare ad contrarium Caietani motiuum ductum ex cognitione metaphyſica, quod ab ipſomet Auerroë, aut quouis alio contrariæ opinionis Authore obiici poſſet; benè reſpondet Syluester ſupra; illam, vt eſt formaliter metaphyſica cognitio, quæ attenditur penes proprium ſubiectum, eſſe perfectam & completam, & propriam reſpectu ſui ſubiecti; licet imperfecta ſit reſpectu aliorum, quæ ſub illo ſubiecto continentur, & ad ipſam, vt metaphyſica eſt, non pertinent. Etenim metaphyſica, intelligendo ens, quatenus ens, quod ex Philoſopho 4. metaph. text.1. eſt proprium eius ſubiectum, intelligit quidem in vniuerſali, ac proinde imperfectè, animal, hominem, Socratẽ, ſed ipſum ens in particulari, ſecundùm omnia quæ illi, quatenus ens eſt, conueniunt, completiſſimè ac perfectiſſimè intelligit. Præterea ad magis declarandam perfectionem metaphyſicæ ſupra reliquas ſcientias, ego addo; metaphyſicæ ſubiectum eſſe ens, non quomodocumque, ſed prout abſtractum re, & ratione à materia, tam ſenſibili, quàm intelligibili; ſub quo ſubiecto non ſolum comprehenduntur omnes rationes materiales quatenus entia, verùm etiam res omnes immateriales, etiam quatenus talia entia ſunt, vt Deus, Intelligentiæ; quas res in particulari conſiderat, ſecundùm propria earum prædicata: & propter hanc rerum altiſſimarum contemplationem, eſt metaphyſica reliquarum ſcientiarum perfectiſſima. Si enim nihil aliud conſideraret, niſi primum & confuſiſſimum conceptum entis vniuerſaliſſimi; dici ſanè non poſſet perfectior aliis, præſertim conſiderantibus Deum, Angelos, & animas noſtras. Multæ aliæ rationes, & contraria argumenta, eorumque ſolutiones, quoniam nullas alias difficultates habent, præter expeditas in præcedenti articulo, legi poſſunt apud S.Thomam hîc, & l.1. contra Gent.cap.50.& 1.diſtinct.35.quæſt.1.art.3. & de verit.q.2.art.4.& apud alios, præſertim Ægidium, & Durandum locis citatis.

Ariſtoteles. S.Thomas.

## ARTICVLVS VII.

*Vtrùm ſcientia Dei ſit diſcurſiua.*

### Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quod ſcientia Dei ſit, &c.

### COMMENTARIVS ARTICVLI.

I. *Concluſio negatiua probatur ex Auguſtino & Auicẽna.*

CONCLVSIO negatiua omnium, quam non obſcurè tradiderunt Auguſtinus lib.15. de Trinitate c.14. dicens, *Pater & filius omnia quæ ſunt in eorum ſcientia, ſapientia, eſſentia vnuſquiſque eorum ſimul videt, non particulatim, aut ſingillatim: velut alternante conſpectu hinc illuc, & inde huc, & rurſus inde vel inde, in aliud atque aliud, vt aliqua videre poſſit niſi non videns alia, ſed ſimul omnia videt, quorum nullum eſt quod nõ ſemper videt.* Et Auicenn.9. met. apud Henricum in ſum. art.36.q.7. in fin. corporis. *Intelligit, non intellectu præcedente de potentia ad effectum; nec intellectu, qui mouetur de vno intellecto in aliud: ſed ipſe eſt intelligens omnia vt vnum ſimul.*

Henricus,

2. His verbis, præſertim Auguſtini, quæ referuntur in argumento *ſed contra.* niti videtur S. Thomæ ratio, quam vberius, ſed obſcurius explicauit Henricus ſuprà, nullus alius fingi poteſt intellectualis diſcurſus niſi vel primò ſecundùm ſucceſſionem tantùm, qua nunc vno actu intelligatur vnum, deinde alio ſiue eodem actu intelligatur aliud; & hic diſcurſus, qui reperitur etiam in Angelis, vt notârunt Henricus ſupra, & Syluester, 1.p. conflati, q.14. art.8. initio, & non poteſt non reperiri in quocumque alio intellectu creabili, ac proinde intelligibiliter mutabili, Deo tribui non poteſt; tum quia vnico actu videt omnia in vna ſua eſſentia, in qua omnia ſimul vnita ſunt, vt ſuprà, artic.5. Ergo omnia ſimul videt; ea enim quæ videntur in aliquo vno, licèt diuerſa ſint, videntur ſimul, vt patet in viſione diuerſarum rerum in ſpeculo; & partium in toto: tum quia; vt ad idem ex inſtituto probandum arguit lib.1. contra Gentes cap.55.fin. in illo priori, quo Deus prius intelligit vnum, & non aliud, eſſet in potentia ad intelligendum illud aliud, quod poſtea ſucceſſiuè intelligere dicitur; quod eſt contra illud Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio.*

*Probatur ratione artic.* *Duplex diſcurſus; alter ſecũdùm ſucceſſionem.* Syluester, S.Thomas, Iacobi 1.

3. Vel ſecundò ſecundùm cauſalitatem, quando ſcilicet ex aliquo principio noto cauſatur in cognoſcente notitia alicuius concluſionis prius ignotæ: & hic diſcurſus, qui ob particularem ſui imperfectionem reperitur tantum in nobis participantibus infimum gradum ordinis intellectualis, & non in Angelis multò minus conuenire poteſt Deo. Primò, quia includit omnia inconuenientia primi diſcurſus ſucceſſiui quem neceſſariò præſupponit, vt expreſsè docet hîc S.Thomas, & à quibuſdam immeritò negatur; ſi enim omnis diſcurſus ſecundùm cauſalitatem, procedit eſſentialiter de noto ad ignotum: ergo, vt optimè infert S.Thomas, *Manifeſtum eſt, quod quando cognoſcitur primum, adhuc ignoratur ſecundum & ſic ſecundum non cognoſcitur in primo, ſed ex primo.* Ergo in eo priori ſiue temporis, ſiue naturę, in quo aſſentimur minori, ſiue antecedenti, tanquam cauſæ notæ, cauſanti in intellectu diſcurrente aſſenſum, & notitiam alterius ignoti, eſt impoſſibile fuiſſe notum hoc ſecundum: ergo omnis humanus diſcurſus eſſentialiter eſt cum ſucceſſione, ignorantia & potentialitate.

*Alter ſecundùm cauſalitatem.* S.Thomas,

Contrariæ autem opinionis deceptio orta videtur ex eo, quod non aduerterit diſtinctionem acutiſſimè traditam à S.Thoma lib.1. contra Gentes cap.57. initio, vſurpatam etiam ab Henrico ſupra ad primum, qua oppoſitum fundamentum facilè ſoluitur. Intendit enim S.Thomas ibi probare quòd, *Tunc ratiocinatiua eſt noſtra conſideratio, quando ab vno conſiderato, in aliud tranſimus; ſicut ſyllogizando à principijs ad concluſiones.* Quibus verbis patet illum loqui de humano & proprio diſcurſu ſecundùm cauſalitatem; in cuius natura apertè aſſerit includi tranſitum, & ſucceſſionem conſiderationum. Sic igitur immediatè probat, diſtinguendo. *Non enim ex hoc aliquis ratiocinatur, vel diſcurrit, quòd inſpicit, qualiter concluſio ex præmiſſis ſequatur, ſimul vtrumque conſiderans; hoc enim contingit non argumentando, ſed argumenta diiudicando:*

S.Thomas, Henricus, *Quid ſit propriè diſcurrere.*

*cando; ſicut nec cognitio materialis eſt, ex hoc quod materialia diiudicat.* Aliud igitur eſt; iudicare quòd concluſio inferatur ex præmiſſis, quod eſt ipſummet iudicium illatiuum; & argumentari, ſeu diſcurrere, vt ita loquar, in actu ſignato, & fit ſimul in vno eodemque inſtanti; aliud, ex præmiſſis inferre concluſionem, quod eſt propriè argumentari, ac diſcurrere in actu exercito; & contingere nequit abſque ſucceſſione ac tranſitu de vno prius noto in aliud poſterius notum; nam, vt optimè docet Henricus ſupra in argumento *ſed contra. In omni diſcurſu intellectus, eſt ordo cognitorum, ſecundùm prius & poſterius; & primo cognito non ſimul notum eſt ſecundum, ſed ex notitia primi per medium acquiritur notitia ſecundi.*

5. *Quid addat diſcurſus ſecundùm ſucceſſionem, ſupra diſcursũ ſecundùm cauſalitatẽ.*

Secundò, quia hic ſecundus diſcurſus, prout eſt diſcurſus ſecundùm cauſalitatem, ſupra abſurda incluſa in primo diſcurſu ſecundùm ſucceſſionem, addit aliud peculiare abſurdum, dependentiæ vnius cognitionis ab alia cauſatæ, vel ſaltem eiuſdem cognitionis ab vno obiecto noto ad percipiendum aliud obiectum ignotum: nam per diſcurſum cauſalem, cognitio concluſionis antea ignotæ, cauſatur à cognitione principij prius noti: ergo notitia concluſionis dependet à notitia principij. Hæc autem cauſalitas ac dependentia, omnino pugnat cum ſimpliciſſima, actualiſſima, ac perfectiſſima intellectione Dei.

6. *Exponuntur ſolutiones trium argumentorũ articuli.*

Deus igitur, vt breuiſſimè perſtringamus doctrinam traditam à S.Thoma in reſponſionibus ad tria argumenta contraria, poteſt vno actu ſimul intelligere multa, quia iſta multa intelligit in vna ſua eſſentia, in qua multa vnitiuè continentur: nec intelligit effectus ex cauſa, ſeu per cauſam, quæ ſit cauſa cognoſcendi, ſed ſolum in ſua eſſentia, tanquam in cauſa eſſendi, quæ eſt cognoſcendi ratio formalis obiectiua, ſeu medium formale cognitum vt *quod.* Demum quamuis intelligat effectus in cauſis creatis, & hunc effectum cauſari ab hac cauſa creata, tamen totum hoc cognoſcit in ſe ipſo, in quo eminentiſſimè continentur omnes creaturæ, & cauſantes, & cauſatæ; & nunquam ita cognoſcit, vt cognitio effectuum cauſari poſſit in ipſo ex cognitione cauſarum creatarum, ſicut cauſatur in nobis, imperfectè cognoſcentibus.

---

## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm ſcientia Dei ſit cauſa rerum?*

Ad octauum ſic proceditur. Videtur quod ſcientia Dei non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.


1 *Scientiam Dei eſſe cauſam rerum probatur authoritate, & ratione. n. 1. ad 8.*
2 *Quid ſint ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; & cur ita dictæ. n. 8.*
3 *An ſcientia ſimplicis intelligentiæ extendatur etiam ad omnia obiecta ſcientiæ viſionis. n. 8. ad 15.*
4 *An ſcientia viſionis ſit de ſolis creaturis. n. 15.*
5 *An ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ & viſionis, ſint ſpeculatiuæ, vel practicæ; & quæ ſit libera quæve neceſſaria. n. 16. ad 20.*
6 *An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit abſtractiua. n. 20.*
7 *Diuiſionem ſcientiæ Dei eſſe adæquatam, probatur authoritate & ratione. n. 20. ad 28.*
8 *Scientiam approbationis non eſſe tertiam ſcientiam. n. 28. ad 35.*
9 *Scientiam viſionis non eſſe cauſam rerum, probatur primò authoritate S.Thomæ, & aliorum Scholaſticorum. n. 35. ad 48.*
10 *Probatur ſecundò authoritate Patrum. n. 48. ad 54.*
11 *Probatur tertiò rationibus. n. 54. ad 62.*
12 *Scientiam ſimplicis intelligentiæ ſub vna ratione non eſſe cauſam, ſub alia eſſe. num. 62. ad 69.*
13 *Sub qua ratione ſcientia viſionis dici poſſit, vel non poſſit, cauſari à rebus. n. 69. ad 80.*
14 *Soluuntur argumenta Aluarez. n. 80. ad 91.*
15 *Exponitur magis mens S.Thomæ hîc ad 1. & Patrum. n. 91. ad 101.*
16 *Satisfit obiectionibus Ripæ & Nazarij. n. 101. ad 105.*
17 *Diluuntur obiectiones Gonzalez contra quartam concluſionem ductæ ex S.Thomæ. n. 105. ad 115.*
18 *Diluuntur aliæ eiuſdem obiectiones ductæ ex ratione contra eamdem concluſionem. num. 115. ad 124.*
19 *Soluuntur rationes eiuſdem contra decimam concluſionem. n. 124. ad 135.*
20 *Defenditur Arrubal contra Gonzalez. num. 136. ad 145. 135. ad 144.*
21 *Soluuntur argumenta Cabreræ. num. 144. ad finem.*


### COMMENTARIVS.

#### *Pars affirmatiua articuli declaratur, & probatur.*

1. *Prima concluſio affirmatiua de fide.*

PRIMA concluſio affirmatiua ſimpliciter, hoc eſt, loquendo de aliqua Dei ſcientia, & non diſtinguendo de hac vel illa ſcientia, eſt omnium, & de fide ex illa ad Epheſ. 1. *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Hoc eſt, vt interpretatur ibi Hier. *Per voluntatem rationabilem.* Vel vt exponit Anſelmus, *rationabiliter, & prouidè, non temerè:* Conſilium enim ad intellectum pertinet; vt docent Philoſophus lib. 3. ethic. cap. 3. Niſſenus lib. 5. Philoſophiæ cap. 4. & 5. S.Thomas 1. 2. quæſt. 14. art. 1. & Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.* Et Pſalm. 135. *Qui fecit cœlos in intellectu.* Hoc eſt, vt exponit ibi Auguſtinus, *In intelligentia, quod eſt, in ſapientia, id eſt, in Verbo vnigenito.* Hinc creaturarum omnium productio tribuitur Verbo Dei, quod eſt Dei Patris ſapientia. Io. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil.* Et Sap. 7. dicitur, *Omnium artifex ſapientia.* Et ipſamet ſapientia diſtinctè enumerans rerum procreationem, in prima mundi conſtitutione, à Domino factam, de ſemetipſa ait, *cum eo eram cuncta componens.*

*Exponitur locus ad Eph. 1.* Hieron. Anſelmus. Ariſtoteles, Niſſenus, S.Thomas, Pſalm. 103. *Exponitur locus Pſ. 135.* Ioan. 1. Sap. 7.

2. Æ gidius, Auguſtinus.

Præterea, vt teſtatur Ægidius 1. diſtinct. 38. q. 1. circa medium corporis, *In hanc ſententiam concordant Sancti, & Philoſophi:* Etenim Auguſtinus l. 11. de Ciuit. cap. 10. fine, inquit, *Dictus eſt in ſcripturis ſanctis, ſpiritus ſapientiæ mutiplex, eo quòd vna ſapientia eſt, in qua ſunt immenſi quidam, atque infiniti theſauri rerum intelligibilium, quæ per iſtam factæ ſunt, quoniam Deus non aliquid neſciens fecit, ſed ſciens fecit omnia, ex quo occurrit animo quiddam mirum, ſed tamen verum, quòd iſte mundus nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet, Deo autem niſi totus eſſet, eſſe non poſſet.* Et lib. 6. de Trinit. cap. 10. Verbum Dei dicitur, *Ars quædam omnipotentis, atque ſapientis Dei, plena omnium rationum. Ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam; & ideo, cùm decedant, ac ſuccedant tempora,*

*non*



*non decedit aliquid, vel ſuccedit ſcientiæ Dei. Non enim hæc, quæ creata ſunt, ideo ſciuntur à Deo, quia facta ſunt; ac non potius, ideo facta ſunt, vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* Addunt etiam aliqui illud, quod infrà num. 130. in alio germano ſenſu explicabitur, ex l. 15. cap. 13. med. *Vniuerſas creaturas, non quia ſunt, ideo nouit, ſed ideo ſunt, quia nouit. Quia ergo ſciuit, creauit; non quia creauit, ſciuit.* Item illud Gregorij l. 20. moralium cap. 23. poſt medium. *Quæ ſunt, non ab æternitate eius ideo videntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* Præterea Commentator 12. metaphyſic. apud Ægidium ſuprà, & Andream de Nouo Caſtro 1. d. 38. concluſione 1. initio, habet hæc verba: *Scientia dicitur æquiuocè de ſcientia Dei, & noſtra: ſcientia enim Dei eſt cauſa entis, ens autem eſt cauſa ſcientiæ noſtræ.*

Gregorius. Auerroës.

3. *Prima ratio S.Thomæ, Auerrois, Alberti, Durandi, Argẽtinæ, Palatij. Scientiã Dei eſſe artem.*

Concluſionem S. Thomas probat duabus rationibus, prima, qua vtuntur etiam Commentator apud Albertum in ſumma tract. 15. quæſt. 61. membro 2. argum. 5. Durandus 1. d. 38. quæſt. 1. num. 5. Argentina quæſt. 1. artic. 1. concluſione 1. Palatius diſput. 1. initio, & alij, quia ſcientia Dei in creaturarum factione ſe habet ſicut ars, ſeu ſcientia artificis ad artificiata; ita enim à ſcripturis ſanctis, & Patribus paſſim vocatur, & ratione ipſa euidenter conſtat, quam ſignificat Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt. 46. poſt medium; quia ſicut artifices in ſuis artificioſis operationibus non reſpiciunt ad res ipſas naturales, extra mentem ipſorum poſitas, ſed ad ideas exiſtentes in eorum intellectu; ita Deus, cùm creaturas producit, rationes ideales in mente ſua exiſtentes ſpectat: *Non enim,* inquit Auguſtinus, *extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat, nam hoc opinari, ſacrilegum eſt.* Sed ſcientia artificis per ſuas ideas eſt cauſa artefactorum, vt ex omnium opinione oſtendi lib. 2. Phyſicorum in tractatione de cauſis: ergo etiam ſcientia Dei per ideas ſuas erit cauſa omnium creaturarum.

Auguſtinus.

4. *Secũda ratio S. Thomæ exponitur cum Syluestro, cõtra Caietan.*

Secunda. *Manifeſtum eſt, quòd Deus per intellectum ſuum cauſat res, cùm ſuum eſſe ſit ſuum intelligere.* Supplendum eſt, ſed cauſat res per ſuum eſſe: ergo cauſat res per ſuum intelligere. Contra hanc conſequentiam, cuius vis ſubobſcura eſt, duo proponit Caietanus hîc, §. *circa primum.* Primò, quia non ſequitur, eſſe Dei eſt ſuum intelligere; ergo Deus producit Filium, vel Spiritum ſanctum per intellectum; cùm vterque producatur per naturam. Secundò, quia tenentes, Deum agere ex neceſſitate naturæ, concederent antecedens, & negarent ſequelam, dicendo, quòd Deus producit res per intellectum, concomitanter tantum, quia ſcilicet intelligit ſe facere eas, ſed per naturam ſolam cauſaliter. Reſpondet Caietanus vim conſequentiæ fundari in hac propoſitione, Agere per intellectum eſt perfectiùs, ſuperiùs, & vniuerſaliter, quàm agere per naturam. Hinc enim ſequitur ſi eſſe Dei eſt ſuum intelligere, quòd effectus Dei ſint non ſolùm in eius eſſe naturaliter, ſed etiam in eius mente intelligibiliter: ergo ab eo cauſari debent intelligibiliter per ſcientiam, & non naturaliter per eſſe: quia Deo, agenti perfectiſſimo, perfectiſſimus agendi modus eſt tribuendus.

5. Huiuſmodi Caietani ſubtilitatem multis impugnat Syluester 1. p. conflati quæſt. 14. art. 11. notabili 3. & quamuis Sylueſtri impugnationes ſolui poſſint, & totum id quod dicit Caietanus tanquam verum ſimpliciter defendi, tamen mihi non videtur veriſimile, vt quod S.Thomas aſſerit eſſe *manifeſtum*, his fundamentis, nimis longè atque indirectè petitis, obſcurè contineatur. Ergo clarior & ſincerior eſt expoſitio Sylueſtri, vt ex eo quod idem omnino in Deo ſint eſſe & intelligere; deducat S.Thomas, quod clariùs dixerat ſuprà art. 5. circa finem corporis; omnes creaturas præexiſtentes in eſſentia Dei, præexiſtere etiam in ipſo actuali intelligere Dei, ſcilicet in ipſa eſſentia Dei intrinſecè incluſo. Hinc verò manifeſtè ſequitur, nihil Deum poſſe cauſare per ſuum eſſe, quod non cauſet per ſuum intellectum, vt mox oſtendam.

6. *Ad 1. Caiet.*

Neque vrgent duæ difficultates Caietani, ſuprà num. 4. non prima, quia Deus Filium & Spiritum ſanctum producit quidem per naturam, hoc eſt, naturali ac neceſſario modo, & non liberè; tamen nõ producit per naturam, cauſando aliquam participationem ſuæ naturæ; quomodo producit per naturam quando cauſat creaturas. Ex hoc autem ſecundo modo cauſandi per naturam, & non ex primo ſequitur, cauſare per intellectum, nimirum ad modum artis dirigentis, & exemplaris, quod reſpicere debet agens intellectuale, vt intellectualiter agat, & dirigat ſuam actionem ad producendum hunc effectum tali modo & tempore, non alium effectum, aut alio modo, & tempore: quod in diuinarum perſonarum productione locum non habet. Non ſecũnda, quia etiam in illa opinione, negare non poſſunt, quod in ipſamet obiectione conceditur, Deum intelligere, ſe facere creaturas, & conſequenter, diuerſas creaturas eſſe diuerſas participationes naturæ ſuæ; & cum producit hanc creaturam, reſpicere hanc participationem, non aliam, ac proinde dirigere ſuam actionem ad productionem huius creaturæ, non alterius: quicquid ſit de neceſſitate, ſiue libertate directionis ac productionis. In hac verò ratione exemplaritatis, ac directionis, conſiſtit cauſalitas diuinę ſcientiæ in omnes creaturas. Aliter reſpondent Caietanus & Syluester, ſed vel non plenè, vel non planè videntur ſatisfacere.

*Ad 2. Caiet.*

7. *Tertia ratio S.Thomæ, & Ægidij.*

Addi poteſt tertia ratio ex eodem S.Thoma de verit. quæſt. 2. art. 14. quam ſumit Ægidius 1. d. 38. quæſt. 1. Inter ſcientiam & ſcitum, eſt aliqua aſſimilatio, ſiue adæquatio, & commenſuratio. Quæcumque autem inter ſe ſimilia ſunt, vel vnum eſt cauſa alterius, vt Filius eſt ſimilis Patri, à quo eſt cauſatus: vel ambo cauſantur ab aliquo tertio, ſicut duo calida ſimilia cauſantur ab igne. Scientia verò diuina de creaturis non poteſt eſſe cauſata à creaturis, nec ab aliqua tertia cauſa, vt certum ex ſe eſt: ergo remanet, vt ipſæ creaturæ ſint cauſatæ à diuina ſcientia. Præterea quartò, Deus cauſat res per voluntatem; impoſſibile autem eſt, cauſare per voluntatem, niſi cauſans præcognoſcat, & prius proponat voluntati rem cauſandam, & modum quo cauſanda eſt; & præterea dirigat ſuam potentiam executiuam, vt talem rem tali modo cauſet. Quod optimè, licèt breuiter expreſſit Heruæus 1. d. 39. q. 1. circa principium corporis. *Intellectus non dicitur principium operationis exterioris, niſi in quantum eſt cauſa volendi eius, quod fit ab agente per intellectum, & voluntatem.*

*Quarta ratio ex Heruæo.*

* * *

# DVBITATIO I.

## *Quid ſint ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis.*

*Cur hoc loco tractetur de his ſcientijs.*

CVm apud ſanctos Patres,& graues ſcholaſticos ſuprà citatos, & infrà citandos, ſæpè legamus, ſcientiam Dei eſſe cauſam veram,& ſcientiam Dei non eſſe cauſam rerum, imò potiùs eſſe quaſi cauſatam à rebus,neceſſe eſt diuinam ſcientiam,quamuis re ipſa, & in ſe,vnam, ac ſimpliciſſimam,& indiuiſibilem,tamen reſpectu noſtri,ratione ratiocinata, per habitudinem ad diuerſa creata obiecta in plures ſcientias diuidere; quod vt docet S.Thomas de verit. quæſt.2. art.9. ad 2. *nullam differentiam importat ex parte ſcientis,ſed ſolùm ex parte rei ſcitæ*, vt hinc faciliùs, ac diſtinctiùs conſtare poſſit, de qua ſcientia affirmandum ſit, eſſe cauſam rerum,& de qua negandũ.Etenim qui in hac quæſtione de ſcientia Dei indiſtinctè loquuntur,vt plerique omnes antiqui, vel qui confusè diſtinguunt dicentes, *quòd præſcientia, ſicut & ſcientia Dei,cauſa eſt quarundam rerum futurarum,& non eſt cauſa quarundam*, vt loquitur Albertus 1. d.38.art.2. vel vt loquitur Bonauentura art.1.q.1. quem refert, & non reiicit Carthuſianus quæſt.1. col.4. *Quòd diuina ſcientia aliquo modo reſpectu futurorum eſt cauſa; tamen in ſua generalitate ſemper importat cauſalitatem aliquam: ſed non ſemper reſpectu præſciti, vtputà, cùm præſcitum eſt malum*; eam nimis obſcuram, & controuerſam reddiderunt,quæ alioquin ex ſe facilem habebat explicationem. Sit igitur

S.Thomas. Albertus. Bonauent. Carthuſian.

8. Secunda concluſio. Scientia ſimplicis intelligentiæ,vt definiunt S.Thomas art.ſeq. & aliis locis citandis, & reliqui omnes,eſt, qua Deus ſcit, *quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt,nec erunt, neque fuerunt*. hæc enim, vt optimè exponit S.Thomas 3.d.14.quæſt.1. art.2. quæſt.2. *Dicitur cognoſcere ſimplici intelligentia, quia intelligentiæ eſt concipere etiam ea, quæ non ſunt extra concipientem.* Etenim, vt ait Palatius 4.d.49.diſp.2. col.19. initio concluſionis primæ. *Quæ non ſunt præſentia actu, non videntur, ſed magis intelliguntur.* Scientia verò viſionis eſt qua Deus ſcit,*quæ vel ſunt, vel fuerunt, vel erunt*. quæ nimirum habent eſſe extra Deum in aliqua differentia temporis; & ideo à viſu noſtro corporeo, qui intuetur res exiſtentes extra ipſum videntem,denominata eſt,*viſionis*; vt docent S.Thomas art.9.in fine corporis.& 3.d.14. quæſt.1.artic.2.quæſt.2. & 4.d.49.q.2.art.5.initio corporis. & de verit.q.2. art.9. ad 2. Durandus 1. d.36.q.1.n.7.& Palatius ſuprà.

*Secunda concluſio.* *Cur ſcientia dicatur ſimplicis intelligentiæ.* S.Thomas. Palatius. *Cur ſcientia dicatur viſionis.* Durandus.

### *Corollarium I.*

9. Hinc colligo primò, multò latiùs patere ſcientiam intelligentiæ, quàm viſionis;ſicut multò latiùs patent poſſibilia quàm futura:quia poſita fide de principio & fine huius mundi, & creationum, & generationum, creaturæ actuales exiſtentes in aliqua differentia temporis, vel præteriti,vel præſentis,vel futuri,non ſunt niſi finitæ; præter quas remanent aliæ poſſibiles infinities infinitæ. Vnde ſcientia viſionis omnium futurorum in verbo communiter conceditur beatiſſimæ animæ Chriſti Domini; ſcientia verò omnium poſſibilium in eodem verbo,quæ eſt cõprehenſio diuinæ naturę, eſt cuilibet creaturæ omnino incommunicabilis: ergo hæc infinitè latior & excellentior eſt illa.

*Scientia ſimplicis intelligentiæ maior ſcientia viſionis.*

### *Corollarium II.*

Colligo ſecundò,ſcientiam intelligentiæ latiùs patere,non ſolùm ex eo, quòd ſe extendat ad plura, quàm ſe extendit ſcientia viſionis, vt modò probatum eſt; ſed etiam ex eo, quod ſe extendat ad omnia prorſus obiecta ſcientia viſionis. Hoc in explicatione huius diuiſionis expreſsè tradunt multi graues Theologi. Altiſiodorenſis l.1. ſummæ cap.8. q.2. init. ait: *Per viſionem ſcit Deus tantùm ea quæ fuerunt futura. Per intelligentiam ſcit Deus omne excogitabile, ſiue ſit,ſiue non ſit;ſiue nec ſit,nec poſſit eſſe.* S.Thomas in 3.ſentent. ad Annibaldum Cardinalem, d.14.q.vnica art.2. initio corporis. *Per cognitionem viſionis videt Deus quaſi præſentia omnia quæ ſunt,erunt, & fuerunt. Per cognitionem ſimplicis intelligentiæ non ſolùm illa ſcit, ſed etiam omnia quæ poteſt facere.* Quod etiam non obſcurè ſignificat 3. d.14.q.1.art.2.q.2.illis verbis: *Intelligentiæ eſt, concipere etiam ea,quæ non ſunt extra concipientem.* Illud, *etiam*,ſatis indicat,concipere etiam alia, nimirum quæ ſunt extra concipientem. Et idem paulò clariùs de verit. q.2. art.9. ad 2. *Per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extra ipſum; quæ ſunt,vel præſentia,vel præterita,vel futura: ſed ſcientia ſimplicis notitiæ,etiam eſt eorum,quæ nec ſunt,nec erunt, nec fuerunt.* Clariſſimè Durandus 1.d.36.q.1.n.7. quem ſequitur Ioannes Maior 1.d.39.q.vnica,initio. *Scientia ſimplicis notitiæ dicitur illa,qua Deus ſcit omnia,quæ ſunt, fuerunt,vel erunt, vel poſſibilia ſunt ſecundùm infinitatem diuinæ potentiæ.* Argentina art.4. initio. *Scientia ſimplicis notitiæ eſt,qua Deus cognoſcit omnia facta,fienda,& fieri poſſibilia.* Ariminenſis q.1. multò poſt medium, §.*Alia diſtinctio. Secundùm quod ipſa eſt cognitio cuiuſlibet rei exiſtentis vel poſſibilis,dicitur ſimpliciter notitia, ſiue ſcientia ſimplicis notitiæ, ſecundùm modum loquendi Doctorum: vt verè eſt notitia eorum quæ ſunt, vel fuerunt, aut erunt, dicitur viſio,ſeu ſcientia viſionis.* Et Marſilius 1.q.38. art.4. notabili 2. *Scientia Dei in quantum eſt omnium poſſibilium, & productorum, & producendorum, vocatur ſcientia ſimplicis notitiæ. In quantum eſt omnium productorum,& producendorum, vocatur ſcientia viſionis.* Et ſequuntur Reuerendiſſimus Dominus Aluarez infrà, Cabrera in 3.p.tom.3.q.62.art.1.d.12.§.14. num.325. Arrubal d.38.cap.3. Gonzalez d.39. num.9. 10.

*Scientia ſimplicis intelligentiæ verſatur etiã circa omnia obiecta ſcientiæ viſionis.* Altiſiodor. S.Thomas. Durandus. Maior. Argentina. Ariminenſis. Marſilius. Aluarez. Cabrera. Arrubal. Gonzalez.

11. Hoc ſecundum Corollarium probat Aluarez de auxiliis l.2.diſp.6.num.4. *Quia vt docent omnes Thomiſtæ 1.p.q.34.art.3. Verbum diuinum procedit non ſolùm ex cognitione omnium creaturarum poſſibilium, ſed etiam ex cognitione creaturarum, quæ habebunt eſſe in aliqua temporis differentia,cùm procedat ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ diuinæ.* Hæc autem ſcientia ſimplicis intelligentiæ,quam *naturalem* vocat, eſt ante ſcientiam viſionis, quam vocat *liberam*; quia vt optimè dicit, *ex S.Thoma 1.p.q.33.art.3.ad 1. ea quæ important in Deo reſpectum ad creaturas exiſtentes, ſicut ſcientia viſionis, & liberum decretum diuinæ voluntatis,ſupponunt rationalia, & perſonas productas,* & conſequenter ſcientiam per quam producitur Verbum.

*Probatio ſecũdi Corollarij ex Aluarez.*

12. Sed hæc probatio deficere videtur in duobus, quæ in principio ſupponit. Primò, Verbum procedere ex cognitione creaturarum, etiam futurarum. Quod, etſi dicatur teneri ab omnibus Thomiſtis, tamen difficile erit afferre vnum aliquem grauem Thomiſtam, qui id aſſerat. Et quidem ſi creatura ſupra eſſe poſſibile,non poteſt habere eſſe futurum,niſi per liberum Dei decretũ,ante quod, vt

*Reijcitur prædicta probatio.*



vt ipſemet rectè dicit, præſupponitur verbi productio,non video qua ratione conſequenter teneri poſſit,verbum, ante quodlibet liberum Dei decretum, ante quod nulla creatura intelligi poteſt vt futura, produci ex cognitione creaturarum, non ſolùm vt poſſibilium,ſed etiam vt futurarum. Verùm hæc veritas vberius probabitur in 3. tom. de Trinit.Secundò,comprehenſionem diuinæ eſſentiæ terminari non ſolùm ad creaturas poſſibiles, ſed etiam futuras. Quod etiam falſum eſſe cũm communiſſima opinione, ipſorũ etiam Thomiſtarum oſtendimus in ſuperiori tom.quæſt.12. art.8.num.92.

13. Vera igitur ſecundi corollarij probatio ex eodem loco petenda eſt,vbi probauimus,ens actuale nullam prorſus intrinſecam entis rationem addere ſupra ens poſſibile. Id enim omnino eſſe reale, ex eo quod ſit ſub ſtatu actualitatis; non habet aliud eſſe,ſiue aliam entitatem,quam non habeat ſub alio priori ſtatu potentialitatis; ſed habet alium ſtatum ſeu modũ habendi, quia idem prorſus ens,ſi ſit extra cauſas,dicitur actuale; ſi ſit intra cauſas,ſiue in virtute ſuarum cauſarum, dicitur poſſibile. Quod veriſſimum apparebit,ſi conſideretur, quod quando aliqua res actu fit, nihil prorſus illius rei actu fit,quod non potuerit fieri: ergo poſſibile, & actuale non poſſunt differre in intrinſeca ratione entis ſimpliciter, ſed ſolùm in ſtatu & modo habendi illam rationem.Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ tendens ad omnia poſſibilia,ad omnia quoque entia actualia, quatenus entia, tendat neceſſe eſt. Quam rationem ſignificare videtur S.Thomas lib.1. contra gent.cap.66. circa finem,dum inter ea quæ ſciuntur per intelligentiam,& ea quæ ſciuntur per viſionem,non ponit aliam differentiam, niſi quia prima Deus *non cognoſcit vt exiſtentia aliqualiter in ſeipſis, ſed exiſtentia ſolùm in diuina potentia; ſecunda verò cognoſcit ſecundùm quod ſunt in potentia ſua, & in proprijs cauſis, & in ſe ipſis*: ergo ſecundùm S.Thomam, idem eſſe,ſi ſciatur tantum intra cauſas,intelligitur; ſi ſciatur etiam extra cauſas,videtur.Sed quicquid eſt extra cauſas,eſt etiam intra cauſas:ergo quicquid ſcitur ſcientia viſionis,ſcitur etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

*Efficax probatio ſecundi corollarij.* *Differentia inter ens actuale & poſſibile.* S.Thomas.

14. Solùm obiici poſſet,quòd poſita hac extenſione ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ ad obiecta ſcientiæ viſionis,videatur incongrua diuiſio ſciẽtiæ in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis; nimirum non tradita per membra diuidentia inter ſe oppoſita, ſed per vnum membrum incluſum in alio, tanquam partiale incluſum in ſuo totali: ſed facilè occurri poteſt;ſi enim obiecta harum ſcientiarum conſiderentur materialiter,in quantum ſunt entia,ſub qua ſola ratione volumus,intelligentiam extendi ad omnia obiecta viſionis; concedo non eſſe duas ſcientias idoneas ad diuidendam ſcientiam in communi; ſi verò conſiderentur formaliter,in quantum ſunt potentialia, hoc eſt, intra cauſas, ſiue in alio; & actualia,hoc eſt, extra cauſas, ſiue in ſeipſis; ſub qua formali ratione ad hanc diuiſionem ſpectant, nego vnum diuiſionis membrum eſſe partem alterius,& non eſſe membra inter ſe oppoſita; eadem enim res,v.g.idẽ Antichriſtus,quatenus poſſibilis, opponitur ſibi ipſi, quatenus actualis. Etenim nos cum fundamento in re concipimus,Deũ in quodã primo ſigno ſcire omnia planè poſſibilia, nullius rei factibilis eſſentiam atque entitatem ignorãdo, & in genere,& in ſpecie,& in indiuiduo; & hanc ſcientiam,vt conſiderantem præcisè potentialitatem rerum,ante quodlibet liberum decretum diuinæ voluntatis, & conſequenter ante omnem futuritionem & actualitatem rerum, vocamus ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Deinde concipimus,Deum in ſecundo ſigno ex his poſſibilibus elegiſſe per liberam ſuam voluntatem facere aliqua,quæ vi huius voluntatis acceperunt eſſe futurum actualiter; eáque demum concipimus in tertio ſigno; Deum cognouiſſe alia ſcientia, quam vocamus,viſionis. Ex qua explicatione habemus, ſcientiam viſionis ferri ſolum in aliqua materialiter obiecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ſed ſub alia ratione formali, hoc eſt, non ſecundùm ſtatum potentialitatis,ſed ſecundùm alium oppoſitum ſtatum actualitatis. Quare in ſenſu formali, non materiali accipiendus eſt S.Thomas art. ſeq. & alibi,cùm docet,ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe rerum,*quæ ſunt in potentia Dei,vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt,nec erunt,neque fuerunt*:quia ſcilicet non ſub iſta formali ratione actualis exiſtentiæ,ſed ſub alia ratione formali exiſtentiæ potentialis à ſimplici Dei intelligentia reſpiciuntur.

*Quomodo differant, & ad ſcientiæ diuiſionem pertineant,obiecta ſimplicis intelligentiæ & viſionis.*



### *Corollarium III.*

Colligo tertiò, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,qua reſpiciuntur res vt potentiales,non poſſe eſſe niſi de creaturis, non autem de Deo,actu puriſſimo: ſcientiam verò viſionis, eſſe quidem de creaturis,& poſſe facilè applicari etiam Deo,quatenus eſt ens actuale ſimpliciter,vt eam applicant Suarez 1.part.tract.1.lib.3. cap.4. num.2. Arrubal d.38. n.2. & d.39. n.2. tamen ſecundùm communem Doctorum vſum, eſſe intelligendam de ſolis creaturis, & non applicandam Deo, vt rectè obſeruarunt Aſturicenſis de gratia Chriſti q.6.dub.1. circa init. Aluarez ſuprà num.3. & clarè ſignificat Molina hîc,& art.ſeq.explicans diuiſionem, *comparatione creaturarum*: accipiunt enim veteres & graues Theologi ſcientiam viſionis,non prout eſt de actualibus ſimpliciter, ſed prout eſt de actualibus, quæ facta ſint talia poſt ſtatum potentialitatis, per liberum diuinæ voluntatis actum, quæ actualitas Deo conuenire non poteſt. Huiuſmodi vſurpationem ego manifeſtè colligo ex S. Thoma art.ſeq.nam,cùm præmiſiſſet,quòd,*quæcumque poſſunt per creaturam fieri, vel cogitari,vel dici, & etiam quæcumque ipſe facere poteſt, omnia cognoſcit Deus*; inter quæ obiecta locum non habet Deus, vt patet, ſtatim hæc obiecta & non alia aſſignat his ſcientiis, dicens, *ſed horum quæ actu non ſunt,eſt attendenda quædam diuerſitas: quædam enim dicitur Deus ſcire ſcientia viſionis, quædam verò ſimplicis intelligentiæ.* Vnde clariùs de verit. quæſt.2. artic.9. ad 2. docet: *Per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extra ipſum.* Sed de Deo ineptiſſimè diceretur, eſſe extra ipſum: ergo Deus dici non poteſt ſciri ſcientia viſionis. Et clariſſimè Marſilius 1.quæſt.38.art.4.notabili 2.*Scientia Dei, in quantum eſt omnium productorum, & producendorum,vocatur ſcientia viſionis*: inter producta autem, & producenda numerari non poteſt Deus. Similiter Durandus 1.d.36. quæſt.1. num.7.ait, *Scientiam viſionis eſſe eorum, quæ ſunt ſecundùm aliquam differentiam temporis ſolùm.* Et idem in aliis obſeruare licet. 15.

*An ſcientia viſionis ſit de ſolis creaturis.* Suarez. Arrubal. Aſturicenſis. Aluarez. Molina. S.Thomas. Marſilius. Durandus.

### *Corollarium IV.*

Colligo quartò,ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe partim ſpeculatiuam, quatenus verſatur 16.



circa

*Scientia ſimplicis intelligẽtiæ partim ſpeculatiua, partim practica.*

circa veritatem creaturarum, cognoſcendo naturales earum quidditates, & proprietates; in quo ſenſu S.Thomas de verit.quæſt.2.art.8.fin.corporis docuit, Deum habere ſpeculatiuam cognitionem de iis, *quæ nunquam facere diſpoſuit*. Et infrà artic.16. circa finem corporis. *Deus de his, quæ poteſt facere, ſed ſecundùm nullum tempus facit, non habet practicam ſcientiam, ſecundùm quod practica ſcientia dicitur à fine*: in ordine ad quem paulò ante dixerat, ſcientiam eſſe ſimpliciter practicam: partim verò practicam, quatenus verſatur circa opus, ſeu productionem, & factionem, & gubernationem creaturarum. Sub qua ratione talis eſt, in priori ſigno rationis ante omnem liberum actum diuinæ voluntatis, & conſequenter, etiam ſi Deus nihil creare voluiſſet, & creaſſet; quia, vt probaui in Philoſophia, & tetigi in 1. tom. q.1. art.4.num.21. velle operari, & actu operari, non eſt ratio conſtitutiua ſcientiæ practicæ, ſed ſolùm exercitium illius, præſupponens illam vt ex ſe regulatiuam, & cauſatiuam operis, ſeu rei practicabilis; quod ſatis eſt ad hoc vt ſcientia ſit practica in ſe, & in actu primo, ſicut in humanis, ars in intellectu artificis eſt vera ac propria cognitio practica, & operatiua artificiosè, & ratio factibilium; etiam ſi artifex nunquam in actu ſecundo artificiosè operetur. Scientia igitur ſimplicis intelligentiæ in Deo eſt practica, in quantum talis eſt, vt ex natura ſua ſit directiua, & regulatiua praxeos.

*Scientia eſt practica ante voluntatem.*

17. Ac proinde dici poteſt practica ſecunda, ratione prima, per modum prudentiæ reſpectu ipſiuſmet voluntatis diuinæ, quoad actus liberos, vt ſic, ſiue quoad liberas determinationes diuinæ voluntatis; vt bene probat Suarez ſuprà num.6. & 7. contra Scotum: tum quia hoc videtur indicari Prouerb.3. *Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia: ſapientia illius eruperunt abyſſi; & nubes rore concreſcunt.* & Ierem. 10. *Qui præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.* & clariùs ad Epheſios 1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* vt ſuprà num. 1. tum ratione ex his vltimis verbis deſumpta, quia diuina voluntas, quamuis liberè velit operari ad extra, & efficere rem aliquam practicabilem, tamen id non vult temerè ſine prudenti conſilio, ac ſapientia, ſed rationabiliter ac prouidè: ergo in Deo, ante liberam voluntatis determinationem, debemus concipere, ordine rationis præcedere hoc iudicium in intellectu; velle facere hanc aut illam creaturam, hoc aut illo practicabili modo, eſt rectum & conueniens ſecundùm prudentiam, iuſtitiam, miſericordiam, &c. quia de diuina etiam voluntate verum eſt, non poſſe ferri in incognitum; hinc enim proceſſio Spiritus ſancti per voluntatem, eſt origine poſterior proceſſione Filij per intellectum. Hoc autem iudicium reſpectu creaturarum eſt practicum, quia per modum prudentiæ, ſeu conſilij, quo in libera electione ac determinatione operis practici diuina voluntas dirigitur, ac regulatur ſuo modo; hoc eſt, non per veram dependentiam, ſed per ſimplicem oſtenſionem operis practici, & modi practicabilis, & omnium rationum rectitudinis & conuenientiæ, ob quas expediat velle ac determinare, vt fiat operatio illa practica. Eſt prætere naturale ac neceſſarium, quia non eſt de ipſa operatione libera, ſed de conuenientia operis; non tamen determinans ad vnum, aut, quod idem eſt, neceſſitans diuinam voluntatem, quia per illud non proponitur voluntati bonum creatum, vel creabile, vt neceſſarium ſimpliciter, ſiue, vt continens omnem rationem boni. Secunda, per modum artis, reſpectu operationis ad extra, quia per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit Deus, non ſolùm rationes conuenientiæ operis faciendi, quibus dirigitur voluntas, vt ſuprà, ſed etiam omnes modos, & circumſtantias exercendi operis ad extra, quibus dirigitur omnipotentia in operis factione, atque executione: & propter hunc ſecundum reſpectum dicitur Sapient.7. *Omnium artifex ſapientia.* & cap.8. *Quis horum quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex.*

*Scientiã ſimplicis intelligentiæ eſſe practicã, primò reſpectu voluntatis.* Suarez. Prouerb.3. Ierem.10. Ad Epheſ.1. *Qua ratione voluntas Dei dirigatur ab intellectu practico.* *Secunda, reſpectu operis.* Sap.7.& 8.

## Corollarium V.

18. Colligo quintò, ſcientiam viſionis, quam ex dictis ſuprà num.15. ſuppono eſſe de ſolis creaturis, eſſe practicam, non propriè, & formaliter, ſeu cauſatiuè, ſed impropriè, & veluti conſequutiuè, ſiue purè obiectiuè; quia vt in tertia dubitatione probabo, non eſt directiua & regulatiua operis, proponens operationem, & modum operationis, ſed à nobis intelligitur conſequi poſt ipſum opus; & eſt intuitiua operis practici, propter quod à S.Thoma de verit.q.2.art.8.circa finem corporis, limitanter appellatur, *quaſi practica.* Verùm quia hæc viſionis ſcientia intuetur opus practicum, non vt efficiat, ſed vt cognoſcat, ab aliis vocatur, *merè & omnino ſpeculatiua.* vt à Vaſquez hîc d.68. n.40. Suarez in opuſc.l.1. de ſcientia Dei c.5.n.7. & 1.p.tract.1.l.3.c.4. n.13. Becano tract.1.cap.10. q.15.concluſ.2. Arrubal d.32.n.23. Zumel hîc, in Appendice, coroll.3.

*An ſcientia viſionis ſit practica, vel ſpeculatiua.* S.Thomas. Vaſquez. Suarez. Becanus. Arrubal. Zumel.

## Corollarium VI.

19. Colligo ſextò, ſcientiam viſionis eſſe liberam, & contingentem, vt eam communiter omnes vocant, præſertim moderni, & expreſsè deducitur ex omnibus antiquis definientibus, illam eſſe creaturarum actualiũ extra Deum, quas vt tales Deus liberè creauit: ergo ſicut potuerunt non eſſe creaturæ actuales, ita potuit non eſſe in Deo viſio creaturarum actualium: nimirum, non quoad entitatem & ſubſtantiam actus, qui eſt omnino idem cum ſcientia neceſſaria, & ipſemet Deus; ſed quoad terminationem ad tale obiectum creatum: quamuis hoc etiam modo ſit neceſſaria non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione talis obiecti actualis, vt ſuprà art.5.num.44. Scientiam verò ſimplicis intelligentiæ eſſe neceſſariam ac naturalem, quia antecedit omne liberum decretum diuinæ voluntatis; &, vt omnes docent, verſatur circa creaturas vt poſſibiles, & exiſtentes in potentia diuina tantùm, in qua neceſſariò, ac naturaliter continentur.

*Scientia viſionis libera.* *Scientia ſimplicis intelligentiæ neceſſaria.*

## Corollarium VII.

20. Colligo ſeptimò, ſcientiam viſionis eſſe intuitiuam, ſecundùm omnes; hinc enim denominata eſt viſio; & ſpectat res vt præſentes videnti extra cauſas; quod eſt proprium cognitionis intuitiuæ. Scientiam verò ſimplicis intelligentiæ eſſe abſtractiuam, vt omnes ſentiunt, qui eo ipſo quòd diuidunt ſcientiam viſionis contra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cenſendi ſunt docere, hanc non eſſe ſcientiam viſionis, hoc eſt, intuitiuam; omnis enim ſcientia intuitiua eſt ſcientia viſionis, ſicut è contra. Quod expreſsè aſſeruit S.Thomas artic.ſequenti in fine corporis, dum

*Scientia viſionis intuitiua.* *Scientia ſimplicis intelligẽtiæ abſtractiua.* S.Thomas.



dum ait. *Et reſpectu horum non dicitur habere ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ.* Solum aduerſatur Gregorius 1.d.36.q.1. circa finem, cuius opinionem, tacito nomine refert & reiicit Baſſolus 3. d.14.q.2.art.2. §. *ex prædictis.* Qui vt ſoluat fundamentum Gregorij, nimirum, inter Deum cognoſcentem, & creaturas cognitas, nihil mediare, benè notat Theologos per hanc diuiſionem *non intendere, quòd Deus habeat aliquam notitiam, quæ non ſit intuitiua*; Etenim diuina cognitio ſiue ipſius Dei, ſiue creaturarum tam poſſibilium, quàm actualium, vnica in ſe eſt ac ſimpliciſſima, videns alia omnia puriſſimo intuitu ac viſione ſuæ eſſentiæ, actualiſſimæ, ac ſibi ſemper exiſtentialiter præſentiſſimæ. Ergo illa cognitio, ſi conſideretur vt terminata ad ſuum primarium, imo vnicum obiectum, vt ſuprà artic. 2. à num. 11. non eſt abſtractiua, ſed propriiſſimè ac perfectiſſimè intuitiua, etiam reſpectu rerum poſſibilium: licèt contrarium ſignificet Molina articulo ſequenti obiect. prima, quia hæc non cognoſcit in ſe ipſis, ſed in eſſentia ſua intuitiuè cognita. Si verò conſideretur vt terminata ſecundariò ad creaturas, ſiue vt loquitur Baſſolus ſupra: *prout tranſit circa varia obiecta*, diuidi poteſt ac debet, non propter imperfectionem ſui, quæ ſecundùm ſe nihil intelligit, niſi intuitiuè videndo actualiſſimum ac præſentiſſimum obiectum naturæ ſuæ, ſed propter imperfectionem creaturarum, quarum aliquæ ſunt tantùm poſſibiles, aliquæ etiam actuales, in ſcientiam abſtractiuam, quæ eſt ſimplicis intelligentiæ, & in ſcientiam intuitiuam, quæ eſt viſionis: quia poſſibile, vt ſic, eſt quoddam obiectum abſtractum ab actuali exiſtentia extra cauſas; ergo ab hac abſtractione, quæ eſt imperfectio ſolius creaturæ, cognitio diuina, conſiderata imperfecto noſtro modo concipiendi, vt præciſè terminata ad hoc obiectum, denominari extrinſecè potuit à nobis, ſcientia abſtractiua.

Gregorius, Baſſolus. *Qua ratione, ſcientia Dei etiam de poſſibilibus ſit intuitiua.* Molina,

Diuina igitur ſcientia poſſibilium non debet indiſtinctè dici abſtractiua; nam poſſibilia ſecundùm quod à parte rei à Deo cognoſcuntur in ſuo obiecto formali, videntur intuitiuè, ſed ſecundùm quod à nobis concipiuntur ſimpliciter terminare ſcientiam Dei, præſcindendo à modo terminandi, ſiue in ſeipſis, ſiue in eſſentia diuina, intelliguntur abſtractiuè. Quod acutiſſimè expreſſit Scotus 1.diſtinct.10.fin.his verbis, *Trinitas cognoſcit creaturam etiam intuitiuè, antequam producatur; quia eſſentia ſua, quam intuetur, eſt ratio perfectiſſimè cognoſcendi omnia alia, & per conſequens, eſt ratio cognoſcendi intuitiuè quodlibet cognoſcibile, licet nullum exiſteret in ſe.*

Scotus.

## DVBITATIO II.

### *An ſcientia Dei adæquatè diuidatur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis.*

21. TErtia concluſio affirmatiua probari poteſt primò, authoritate: quamuis enim S.Thomas, & alij veteres Theologi id non expreſsè aſſerant, tamen non obſcurè ſignificant, dum omnem vniuerſaliter Dei ſcientiam diuidentes, hæc duo tantum membra numerant. Ita diuidunt S.Thomas art.ſequenti & 3. p. quæſt.10. art.2. ad 2. & lib.1. contra Gentes cap.66. circa finem, & cap.69. fin. vbi inquit, *Vt verbis aliorum vtamur*, & quodlib.3. quæſt.2.art.3.in fine corporis, & 1.diſt.38.quæſt.1. art.4. & 3. diſt.14.q.1. art.2. quæſt.2. & 4.diſt.49. quæſt.2.art.5.& de verit.quæſt.2.art.8. circa finem corporis, & art.9. ad 2. & q.8. art.4. & quæſt.20. artic.4. ad 1. Altiſiodorenſis lib.1. ſummæ cap.8. quæſt.2. init. Bonauentura 3.diſt.14.art.2.quæſt.3. poſt medium corporis, Ariminenſis 1. diſt.36.q.1. multò poſt medium, §. *Alia diſtinctio.* Baſſolus 3. diſtinct.14.quæſt.2.art.2.§. *ex prædictis.* Caietanus, Sylueſter, & Ferrarienſis in commentariis S.Thomæ locis citatis: Gabriel 1.diſtinct.38.quæſt.vnic. art. 3. dub. 5. & diſt. 39. quæſt. vnica initio, & 3. diſt. 14. quæſt. vnica art.1. notabili 3. in explicatione primæ opinionis. Palatius 4. diſt.49. diſp.2. col.19. initio concluſionis primæ, & alij communiſſimè, præſertim poſteriores, dicentes eſſe contra Durandum 1.diſt.36.quæſt.1.num.7. Marſilium quæſt.38. artic. 4. notabili 2. & Aſturicenſem de Gratia Chriſti quæſt. 6. dub.1. circa initium, non negantes diuiſionem ſcientiæ Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, ſed addentes tertium aliud diſtinctum membrum ſcientiæ approbationis; quo videntur ſignificare, bimembrem diuiſionem non eſſe adæquatam.

*Tertia concluſio.* S.Thomas, Altiſiodor. Bonauent. Ariminenſ, Baſſolus, Caietanus, Sylueſter, Ferrarienſis. Gabriel, Palatius, Durandus, Marſilius, Aſturicenſ.

22. At verò non diſſentiunt Durandus, & Marſilius, ſicut, nec Argentina 1. diſt.36. quæſt.1.art.4. initio; nam illud tertium membrum ſcientiæ approbationis, cuius etiam ex aliorum ſententia meminit Albertus 1. diſt.36. art.8. fin. & diſt.39. art.4. initio, non multiplicant per additionem alterius diſtinctæ ſcientiæ circa aliud nouum obiectum ſcibile, ſed ſolum per additionem voluntatis. Vnde Durandus omnia planè obiecta ſcibilia creata tribuit ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ viſionis. Deinde ſcientiam approbationis ſic explicat; *Dicitur quæ eſt eorum, in quibus diuina voluntas ſibi complacet.* Vult igitur eadem obiecta ſcita per alias ſcientias; accedente actu alterius rationis ab intellectu, nempe voluntatis approbantis; dici, ſciri ſcientia approbationis, hoc eſt, ſcientia de obiecto approbato per voluntatem. Similiter Marſilius duabus primis ſcientiis tribuit ſcire, *Omnia poſſibilia; & producta ac producenda*; præter quæ fingi non poteſt aliud obiectum ſcibile, ad aliam tertiam ſcientiam multiplicandam: quam ſtatim multiplicat per additionem volitionis, non ſcientiæ, dicens, *ſed in quantum eſt ſcientia eorum quæ approbat, & ei ſunt grata, vocatur ſcientia approbationis.*

*In quo ſenſu Durandus, Marſilius, & Argentina numerẽt tertiam ſcientiã approbationis.* Albertus.

23. Refertur etiam ab Aluarez de auxiliis lib.2. diſp.7. initio in contrarium Gregorius in 1. d.26. quæſt.1. De qua materia non agit ibi Gregorius, ſed in diſt.35. & 36. quæſt.1. vbi multò poſt medium, agens de hac diuiſione, non negat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt illi tribuitur: imò in §. *Alia diſtinctio.* eam cum communi opinione expreſsè admittit, & explicat, eaque præter ſcientiam viſionis, vtitur in ſequentibus dictis; ſolum circa finem quæſtionis contendit, nullam Dei ſcientiam eſſe abſtractiuam, ſed omnem eſſe intuitiuam, quem non ſequitur Zumel 1. p. quæſt.14. artic.5. diſput.1. ad 1. vt illi etiam tribuitur, ſed ex inſtituto impugnat.

*Ariminenſis, & Zumel & authores ſcientiæ mediæ, non bene referũtur ab Aluarez.*

Referuntur præterea ab eodem ibidem, & d.7. num.3. & ab aliis eiuſdem ſcholæ, in contrarium Authores ſcientiæ mediæ; quos vel hinc maximè impugnant, quòd, contra omnes planè Doctores, bimembri diuiſioni tertium membrum addere niſi ſint. Quæ reprehenſio non multum abſimilis videtur veteri illi querimoniæ, qua olim Græci dolebant, quòd antiquiori Symbolo do-





centi,

centi, Spiritum ſanctum *ex Patre* procedere, poſteriores Eccleſiæ Patres addiderint, *ex Patre, Filióque.* Notantur igitur Theologi noſtræ Societatis, ſed immeritò; quia nos non admittimus ſcientiam mediam per diſtinctionem ab vtroque extremo, ſed ſolùm mediam per participationem vtriuſque extremi; ad eum modum, quo omnes dicimus, medium eſſe illud quod vtriuſque extremi naturam ſapit: alioqui ſi ſcientia media inter ſcientiam naturalem, & ſcientiam liberam, eſſet diſtincta à naturali & libera, ſicut naturalis & libera inter ſe diſtinguuntur, illa non eſſet propriè media, ſed potius alia tertia ſcientia. Itaque vocamus ſcientiam mediam, non quòd neque ſit naturalis, neque libera; ſed quod ſit partim naturalis, partim libera. In quo non negamus adæquatam eſſe diuiſionem, à S. Thoma, & omnibus Theologis traditam, ſcientiæ diuinæ in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; & aliorum etiam diuiſionem in ſcientiam naturalem, & liberam, vt in odium veriſſimæ & communiſſimæ ſententiæ nobis tribuunt: quam ſententiam ipſi quoque aduerſarij, velint nolint, admittere tenentur, vt, Deo fauente, inferius demonſtrabo; ſed eam diſtinctiſſimè explicamus.

*Scientiă mediam non eſſe tertium diuiſionis ſciĕtiæ membrŭ.*

25. Et ne videar hoc gratis aſſerere, referam noſtros Theologos. Ita illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus tom. 4. lib. 4. de Gratia & libero arbitrio c. 13. §. *Ad alteram.* Fonſeca lib. metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 8. poſt medium, ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ & viſionis, omnia ſimpliciter obiecta comprehendens. Et circa finem, *cognitio*, inquit, *conditionata vtramque participat*, hoc eſt, ſcientiam naturalem, & liberam; & ideo illam ibi vocat, *quodammodo miſtam, & quaſi mediam.* Molina hîc, diuidens adæquatè ſcientiam Dei, *comparatione creaturarum*, in ſcientiam naturalem, & non liberam, antecedentem liberam determinationem voluntatis, de rebus factibilibus & faciendis; & in ſcientiam liberam & non naturalem, ſequentem liberam determinationem voluntatis, de rebus futuris in aliqua differentia temporis. Et artic. ſequenti primam vocat ſcientiam abſtractiuam ſimplicis intelligentiæ; ſecundam ſcientiam intuitiuam viſionis. Et diuiſionem eſſe adæquatam clarè ſignificat, explicans harum ſcientiarum obiecta per terminos contradictorios, nempe, *Penes exiſtentiam & non exiſtentiam.* Et idem repetit in concordia quæſt. 14. artic. 13. diſput. 49. §. *Tertio, Deus*, illis verbis: *In Deo notitia intuitiua, & abſtractiua, ſeu potius ſimplicis intelligentiæ, differunt ſolum ex conditione, ſi exiſtat, aut non exiſtat obiectum.*

*Bellarmin. Fonſeca. Molina.*

Vnde paulò poſt, ſcientiam conditionalium, quam mediam ſæpe vocauit, reducit ad ſcientiam naturalem, dicens, contingentia conditionaliter futura præcognoſci certò à Deo, *Per ſcientiam quodammodo naturalem*; quæ in eius ſententia, vt ſupra, eſt ipſamet ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Et diſputat. 52. §. *Sciſcitabitur.* de media ſcientia ait, *Partim habere conditionem ſcientiæ naturalis, partim habere conditionem ſcientiæ liberæ.* Et nihilominus ex Societatis noſtræ Theologis maximè tribuitur Molinæ, vt conſtat ex Zumel 1. tomo variarum diſputationum, pag. 109. columna 1. Ripa artic. 13. dub. 4. cap. 1. & aliis, quòd huiuſmodi diuiſiones de ſcientia Dei, ab omnibus Doctoribus traditas, perturbauerit, addendo illis tertium membrum ſcientiæ mediæ; quod tamen ipſe expreſsè aſſerit, non eſſe tertium membrum, ſed in duobus membris incluſum, quod infra diligentius examinabitur. Interim difficile eſt excuſare Ripam ſupra, qui refert Molinam artic. 13. diſt. 18. membro 2. §. *Authores præterea*, dicentem, ſe tenere tertium ſcientiæ genus contra omnes antiquos Theologos: cùm tamen ibi Molina doceat, ſcientiam mediam, re, non verbis traditam eſſe à Patribus communiter, eámque à ſe clarius explicatam & non ſimpliciter inuentam.

*Zumel. Ripa.*

26. Idem præterea ſentiunt Valentia quæſt. 14. punct. 7. Vnde antea in punct. 5. quæſt. 2. §. *Tria tamen ſunt*, ait, ſcientiam conditionalium, *non eſſe nominandam ſcientiam viſionis, ſed ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.* Vaſquez tum in Commentario huius articuli, tum infra, diſp. 67. in fine: vbi etiam futurorum ſub conditione ſcientiam, conſtituit ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non viſionis, quamuis Ripa ſupra non vereatur referre Vaſquez in hoc loco citato pro ſententia quam tribuit Molinæ. Item Suarez in opuſculis lib. 2. de ſcientia Dei cap. 3. vbi num. 6. expreſsè aſſerit, diuiſionem eſſe adæquatam: vnde num. 5. ait, ſcientiam futurorum conditionalium, *Theologos ſub ſcientia viſionis comprehendiſſe, & participare aliquas proprietates ſimplicis intelligentiæ*: & tomo 1. de Gratia. Prolegom. 2. cap. 6. num. 7. *Scientia*, inquit, *conditionata, ſimpliciter loquendo, ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ continetur.* Item Arrubal diſt. 32. cap. 1. & diſt. 38. cap. 6. Albertinus tomo 1. pag. 295. Becanus 1. p. tract. 1. cap. 10. quæſt. 1. num. 5. Quamuis ſequens Vaſquez ſupra, addat parum referre, ſiue conſtituatur tertium membrum, ſiue non conſtituatur. Leſſius etiam de Gratia cap. 19. num. 1. fin. docet, mediam ſcientiam, *re vera ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & rerum poſſibilium, pertinere.* Et ſimiliter ex reliquis omnibus noſtris Theologis nullum vnquam me legiſſe, vel audiuiſſe memini, qui hanc diuiſionem inadæquatam eſſe contenderet. Quod tamen contendit vnus Thomiſta, F. Ioan. Vincentius Aſturicenſ. de Gratia Chriſti q. 6. d. 1. circa principium, addens tertium membrum ſuæ approbationis: quem obiter ſequutus F. Petrus de Cabrera ordinis S. Hieronymi, tomo 1. in 3. part. q. 1. art. 3. diſp. vnica §. 1. num. 8. quamuis deinde contrarium dixerit in 3. tom. q. 62. art. 1. diſp. 12. §. 2. num. 55. & adeò ardenter ille contendit, vt loquens de tertio membro dicto ſcientiæ approbationis, quam in ratione ſcientię habentis diuerſum obiectum ſcibile reſpectu intellectus, vt mox referam, ait eſſe diſtinctam à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, non dubitauerit ita pronunciare, *Satis ineruditè quidam moderni hanc ſcientiam confundunt cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ.* Ego verò huiuſmodi modernos valdè & eruditos, & prudentes exiſtimo; quoniam doctrinam ab vniuerſis Theologis traditam & cognouerunt, & amplexati ſunt.

*Valentia. Vaſquez. Suarez. Arrubal. Albertinus. Becanus. Leſſius.*

*Sententia Aſturicenſis & Cabreræ de triplici ſcientia Dei.*

27. Probo ſecundò eamdem diuiſionis adæquationem ratione à priori, quia traditur per membra contradictoria; nam obiecta ſimplicis intelligentiæ eſſe dicimus ea omnia, quæ in ſuo conceptu obiectiuo, quo ſunt intelligibilia, non includunt exiſtentiam actualiter exercitam extra cauſas: obiecta verò ſcientiæ viſionis, reliqua omnia, quæ huiuſmodi exiſtentiam includunt: inter duo autem contradictoria nullum poteſt aſſignari tertium membrum. Sicut igitur ob hanc eamdem rationem membrorum includentium inuicem contradictionem, omnis cognitio ſiue creata, ſiue increata, adæquatè diuiditur in intuitiuam, & abſtractiuam; in naturalem, & liberam; in practicam, & ſpeculatiuam; ita pariter, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis.

*Adæquatio diuiſionis ſcientiæ Dei probatur à priori.*



## *Impugnatio ſententiæ Aſturicenſis.*

28. Probo tertiò impugnando tertium membrum ſcientiæ approbationis, qua dicitur Deus ſcire bona, & mala pœnæ, neſcire mala culpæ: hæc enim ſcientia nihil addit quatenus formaliter ſcibile, aut intelligibile, quod non contineatur ſub obiecto vel intelligentiæ, vel viſionis; ſed ſolum addit aliquid formaliter quatenus volibile, ſeu complacibile per ordinem ad voluntatem; hoc eſt, addit rationem boni, non veri. Ergo non poteſt conducere ad diſtinguendam formaliter ſcientiam, quatenus ſcientiam, quæ ſolum verſatur circa verum, & circa bonum materialiter, ſed formaliter quatenus verum, non formaliter quatenus bonum; hoc eſt, apprehenſiuè, capiendo, & poſſidendo intra ſe intentionaliter, non autem effectiuè, inclinando ſe intentionaliter ad realem poſſeſſionem illius, quod iam intentionaliter habetur, & poſſidetur.

*Scientiă approbationis non addere tertiă ſcientiam.*

*Quid ſit intellectŭ ferri circa verŭ, voluntatem circa bonum.*

29. Impugnat præterea Aluarez ſupra num. 6. *Nam S. Thomas aliquando diuidit ſcientiam Dei in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, vt locis ſupra citatis; aliquando in ſcientiam approbationis, & ſimplices intelligentiæ, vt quæſt. 7. de veritat. artic. 8. in corpore. Sentit ergo quòd ſcientia viſionis, & approbationis non diſtinguuntur intra genus ſcientiæ.* Iſta conſequentia non videtur neceſſaria: nam apud S. Thomam, alióſque antiquiores Scholaſticos, qui hac ſecunda diuiſione vtuntur, non eſt eadem ſecunda diuiſio cum prima, vt ſupponitur in iſta conſequentia: & differentia inter ſcientiam viſionis & ſcientiam approbationis eſt manifeſta; quia, vt ait S. Thomas loco citato; *Scientia approbationis eſt bonorum tantum*, ſcilicet actualium; quia alia infinita bona, quæ eſſe poſſent, Deus pro nullo tempore probare, & cauſare voluit, ſcientia verò viſionis, eſt bonorum & malorum, quia Deus non ſolùm bona, ſed etiam ſcit ac videt mala futura, præſentia, & præterita; &, vt ait hîc poſt medium corporis, *Omnia iſta dicitur Deus ſcire ſcientia viſionis*, ergo S. Thomas, Albertus 1. diſtinct. 36. artic. 9. & in ſumma tract. 15. quæſt. 61. membro 2. Alenſis 1. part. quæſt. 24. membro 2. quem refert & ſequitur Carthuſianus 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. columna 2. & Vdalricus apud ipſum columna 4. diuidentes ex Magiſtro libro 1. ſententiarum diſtinct. 38. omnem ſcientiam Dei, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſeu notitiæ, & in ſcientiam approbationis, per primum membrum intelligunt omnem illam ſcientiam, qua Deus purè ac ſimpliciter ſcit aliquid per intellectum, præſcindendo à cauſatione, ac probatione per voluntatem; quæ ſcientia propterea ab Alenſi 1. part. quæſt. 23. membro 1. circa finem corporis, dicitur ſpeculatiua; & eſſe poteſt, vt iidem Doctores expreſsè aduertunt cum Magiſtro ſupra, non ſolum malorum; ſed etiam bonorum, tam actualium, quam poſſibilium tantum. Per ſecundum verò membrum, intelligunt ſcientiam eorum tantum, quæ Deus per ſuam liberam voluntatem elegit vt actu eſſent in aliqua differentia temporis, & ſunt bona actualia.

*Ratio Aluarez non probatur.*

*Differt ſciĕtia approbationis à ſciĕtia viſionis.*

*Quid S. Thomas, Albert. Alenſis, Carthuſianus, Vdalricus, & Magiſter ſignificĕt per ſcientiă ſimplicis intelligentiæ, & approbationis.*

Quare non diuidunt ſcientiam per ordinem ad intellectum, ſicut, cum diuidunt in ſcientiam intelligentiæ, & viſionis; nam tam intelligere, quàm videre pertinet ad intellectum; ſed diuidunt per ordinem ad voluntatem; nam approbare, & beneplacitum, quo etiam nomine Magiſter & alij ſupra vtuntur, eſt opus voluntatis, non intellectus. Hoc autem apertè colligo ex citatis Authoribus: etenim Magiſter primam ſcientiam vocat, *Scientiam ad notitiam tantum relatam, & ſolam notitiam*; ſecundam verò vocat, *Scientiam includentem etiam beneplacitum atque diſpoſitionem; & notitiam ſimul & beneplacitum.* Et ſtatim exponens verba Auguſtini ſupra num. 2. ait, *Omnia bona, quæ Deus facit, nouit non ſolum ſcientia, ſed etiam beneplacito; mala verò ſcit ſola notitia, non beneplacito.* Et Magnus Albertus 1. diſtinct. 36. artic. 9. clarius docuit, ſcientiam approbationis ſupra ſcientiam ſimplicis notitiæ addere affectum ſupra aſpectum. Et S. Thomas hic in fine corporis, *Scientia Dei, ſecundùm quod habet voluntatem coniunctam conſueuit nominari ſcientia approbationis.* Et de veritat. quæſt. 3. ad 8. *ſcientia approbationis addit ordinem voluntatis ad res ſcitas producendas.* Quo etiam in loco apertiſſimè ſcientia viſionis numeratur, & explicatur vt diſtincta non ſolum à ſcientia ſimplicis notitiæ, ſed etiam à ſcientia approbationis: ergo contra expreſſam ſententiam S. Thomæ dicit Thomiſta, *Quod ſcientia viſionis & approbationis non diſtinguuntur.* Neque refert quod ibi S. Thomas addat, *exiſtentiam rerum, quam addit ſcientia viſionis, eſſe extra genus notitiæ.* Hic enim non ſumitur notitia genericè, pro omni intellectione, nam exiſtentia ſine vllo dubio eſt ens verum & intelligibile; ſed ſpecificè, pro intellectione abſtractiua, quæ paulò ante dicitur *ſimplex notitia*; extra quam notitiam, quæ verſatur tantum circa entia poſſibilia: ſunt entia actualia & exiſtentia.

*Magiſter. Albertus. S. Thomas.*

30. Aſturicenſem impugnat ſecundò Aluarez, quia *Eo ipſo quòd Deus voluntate efficaci determinauit aliquid eſſe futurum, fit illi præſens in æternitate, in qua omnia futura exiſtunt actualiter, ſecundùm proprias exiſtentias*: ergo videntur intuitiuè per ſcientiam viſionis. Hæc quoque ratio minùs placet, primò, quia ſi quam habet vim, probat ſolum, ſcientiam viſionis eſſe rerum futurarum; quod Aſturicenſis, quem ibi impugnare intendit, expreſsè concedit: ſecundò, quia ſumit, omnia futura exiſtere actualiter in æternitate ſecundùm proprias exiſtentias; de quo fuſiùs infra in articulo 13. Nunc ſolùm dico, quòd ſi intelligatur de actualitate reali extra Deum (in quo ſenſu à doctiſſimo Authore id dictum eſſe non exiſtimo) non videtur conſonum fidei: quia fides docet, nullam creaturam fuiſſe actu realiter ab æterno extra omnipotentiam Dei; de qua re latiùs infra: ſi verò intelligatur de actualitate obiectiua intra ipſummet Deum intentionaliter, quatenus Deus in æternitate voluit, ac ſciuit creaturas futuras actualiter extra Deum in aliqua differentia temporis, id quidem omnes fatemur, tamen eſſet probandum, id ſufficere ad ſcientiam viſionis, & intuitiuam; nam non deſunt, qui conceſſo antecedente, negant conſequentiam: quos referunt, & benę impugnant Fonſeca lib. 6. metaph. c. 2. quæſt. 4. ſect. 2. & Zumel hîc artic. 13. diſp. 1. concl. 5. & ſequutus eſt Machin. diſputat. 25. ſect. 1. cui fauet Molina artic. ſequenti in fine, & artic. 13. diſputat. 14. §. *Ex dictis*: & fauere etiam videtur ipſemet Fonſeca ibidem ſect. 8. §. *Deinde animaduertendum*: quamuis non ſit veriſimile, eum ibi ſcribere contra ſententiam quam paulò

*Impugnatio Aluarez cŏtra Aſturicĕſem reÿcitur.*

*Scientiă Dei & non creaturæ eſſe intuitiuă etiă de futuris & præteritis.*

*Fonſeca.*

paulò ante in citata ſect.2.ex inſtituto probauerat. Non deſunt igitur qui velint, ſcientiam repræſentatiuam futuri vt futuri, ſicut etiam repræſentatiuam præteriti, vt præteriti, non eſſe intuitiuam, ſed abſtractiuam.

31. Hoc autem reiici ſimpliciter debet; primò; quia eſt contra communiſſimam omnium opinionem, etiam ipſius Fonſecæ 6. metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 2. dicentium, ſcientiam viſionis eſſe intuitiuam; eamque explicantium non ſolum per res præſentes, ſed etiam per futuras, & præteritas, vt patet ex eorum verbis ſupra allatis: ſecundò, quia tunc Deus in tempore denominaretur intueri, ac videre quod ab æterno non vidiſſet; qui loquendi modus non videtur vſurpandus à Theologo: tertiò, à priori, aſſignando differentiam inter creatam cognitionem de futuris & præteritis, & increatam de iiſdem; quam aliqui aſſignant ex eo, quòd Deus futura, & præterita videat intuitiuè in ſe ipſo, in quo præſentialiter, licet eminenter, continentur. Quod non ſatisfacit, quia hoc modo dici deberet, videret etiam intuitiuè poſſibilia, vt ſupra num 20. quæ tamen abſtractiuè videre dicitur. Alij verò aſſignant; ex eo quòd illa Dei cognitio menſuretur æternitate, quæ eadem ſemper præſens eſt, & coëxiſtit omnibus rerum durationibus, non ſolùm præſentibus, ſed etiam futuris, & præteritis. At neque hoc difficultatem euacuat, & quamuis dicatur à nonnullis Thomiſtis, tamen non dicitur à S. Thoma, niſi in ſenſu explicando in num. ſequenti; quia ad viſionem intuitiuam eſt neceſſarium vt ipſum obiectum, quod intuitiuè videtur, ſit actualiter præſens cognoſcenti; & non ſatis eſt, vt ipſemet cognoſcens, aut eius cognitio, eiuſque duratio, futura ſit præſens, vel fuerit præſens obiecto, quando obiectum erit vel quando fuit; vt cognitio Angeli de Antichriſto nunc non exiſtente, nunc eſt abſtractiua, etiam ſi illa eadem cognitio duraret vſque ad futurum tempus, in quo Antichriſtus erit actu præſens.

*Fonſeca.* — *Reijcitur prima differentia.* — *Reijcitur ſecunda differentia aliorum.*

32. Ergo differentia aſſignanda videtur ſolum ex eo, quòd diuina cognitio perfectiſſimè, ac diſtinctiſſimè ſemper penetrat omnem rerum actualitatem, & præſentialitatem loci, temporis, aliarúmque omnium circunſtantiarum, non ſolum quando res ſunt præſentes & actuales, ſed etiam antea, quando futuræ ſunt præſentes, & poſtea quando præſentes fuerunt; ita vt Deus nihil, & nullo modo plus, aut perfectius videat in tempore præſenti, quàm in futuro, & præterito; alioqui diuina cognitio, ſaltem quatenus intuitiua, non menſuraretur æternitate, ſed inciperet in tempore habere perfectionem intuitiuæ cognitionis, quod abſurdum eſt: in quo ſolo ſenſu procedit ratio S. Thomæ artic. ſequenti poſt medium corporis; vt rectè interpretatur Sylueſter 1. part. conflati quæſt. 14. art. 12. §. 1. notabili 2. & verè ſentit Fonſeca 6. metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſectione 2. ergo reſpectu diuinæ cognitionis, futura, & præterita ita ſe habent, ac ſi eſſent omnino præſentia. Ergo ſemper ea videt intuitiuè. Cognitio verò creata tantam videndi vim, atque immutabilitatem non habet circa res non præſentes, præſertim circa futuras, ſi vera eſt opinio, quam in ſuperiori tomo probaui quæſt. 7. artic. 1. num. 6. & quæſt. 12. artic. 5. num. 51. & artic. 8. num. 92. & nunc etiam veriſſimam eſſe exiſtimo, de quocumque effectu futuro dependente ſolum à libera diuinæ voluntatis determinatione, creaturis omnino ignota, vt ſit hic determinatus, & non alius: tunc enim ſolus Deus antequam res fiant, ſcire poteſt, futuram hanc determinatè rem, & actualitatem, & præſentialitatem: ergo ipſe ſolus ſcire intuitiuè poteſt res futuras.

*Tertia differentia Authoris.* — S.Thomas. — Sylueſter. — Fonſeca.

33. Probo præterea quartò, aperiendo inefficaciam contrarij fundamenti; ſic enim diſtinguit Aſturicenſis, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt circa res vt poſſibiles fieri; approbationis, vt faciendas; viſionis, vt futuras. Ad quod reſpondent Aluarez ſupra ad 6. & Arrubal diſtinct. 38. cap. 6. res vt faciendas non diſtingui à rebus vt futuris; & ideo pertinere ad vnam eamdemque ſcientiam viſionis. Verum, quoniam Aſturicenſis has res tradit tanquam diuerſa obiecta, vt clarius, ac plenius reſpondeatur, diſtinguendi ſunt tres ſenſus, in quibus ſumi poteſt res facienda: primò, vt includens actum voluntatis, ita vt res facienda, idem ſit quod res, quam libera Dei voluntas determinauit facere: & ſic ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non additur niſi actus voluntatis, qui non poteſt variare ſcientiam in ratione formali ſcientiæ, vt ſupra num. 28. Atque hæc ſcientia, habens adiunctam voluntatem, eſt illa quæ propriè, teſte S. Thoma hic in fine corporis, *conſueuit nominari ſcientia approbationis*. Secundò, vt effectus liberæ voluntatis Dei, ita vt res facienda ſit idem quod res futura poſt liberam determinationem diuinæ voluntatis; & circa hanc rem verſatur ſcientia viſionis, ſecundùm omnes, etiam Aſturicenſem.

*Aſturicenſis fundamentũ ſoluitur primò ab Aluarez & Arrubal.* — *Soluitur ſecũdò ab Authore, diſtinguendo tres ſenſus rei faciendæ.* — S.Thomas.

34. Tertiò; res facienda ſumi poteſt ex parte ſolius intellectus, antecedenter ad omnem voluntatem liberam, in quo ſenſu videtur eam vſurpare Aſturicenſis; nimirum pro re, quam iudicat Deus eſſe faciendam; quia ante liberum voluntatis decretum, eligens creare mundum, concipimus in priori ſigno diuinum iudicium proponens diuinæ voluntati, bonum & conueniens eſſe creare mundum. Atque hæc cognitio reuocanda eſt ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia adhuc verſatur circa res, quatenus non includentes exiſtentiam actualiter exercitam extra cauſas, cum ante liberam voluntatem Dei de creando, dici non poſſit futura creatura, potius quàm non futura. Sicut igitur quamuis ex parte obiecti, poſt liberum decretum, poſſimus aliqua ratione diſtinguere in Deo aliam ſcientiam de futuris, aliam de præſentibus, aliam de præteritis; tamen omnes ponimus vnam viſionis ſcientiam; quia omnia hæc obiecta conueniunt in vna communi ratione formali obiecti, quatenus ſcilicet includentis actualem exiſtentiam: ita, eſto intelligi poſſint aliqua ratione diuerſæ ſcientiæ ex parte obiecti ante decretum, & illa, qua Deus ſcit, rem poſſe fieri; & alia, qua ſcit, rem debere fieri; tamen ſub vna ſcientia ſimplicis intelligentiæ, dici debent comprehenſæ quatenus & res poſſibiles fieri, & res conuenientes fieri, conueniunt in vnam formalem rationem obiecti, non includentis actualem exiſtentiam, ſiue ab actuali exiſtentia præſcindentis.

DVBI



# DVBITATIO III.

## *An ſcientia viſionis ſit cauſa rerum.*

35. QVarta concluſio negatiua eſt Cardinalis Toleti in cap. 8. Ioann. Annot. 13. *Præſcientia,* inquit, *non determinat quod futurum eſt, ſed oſtendit quod fiet.* Cardinalis Bellarmini, tomo 4. lib. 4. de gratia & lib. arb. cap. 13. §. *Ad alterum.* Fonſecæ lib. 6. Metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 11. §. *Poſterior pars.* Valentiæ hic, puncto 5. quæſt. 3. §. *Inſinuarunt.* & §. *ſequenti.* Molinæ hîc, vbi loquitur de ſcientia naturali & libera; & infra articul. 13. diſput. 17. à §. *His ita explicatis.* Suarez 1. part. tract. 1. lib. 3. cap. 4. num. 14. 15. & opuſc. de concurſu Dei, lib. 1. cap. 13. à num. 15. & opuſc. de ſcientia Dei lib. 1. c. 5. n. 7. & nouiſſimè tom. 1. de gratia. Prolegomeno 2. c. 10. Vaſquez in fine Comment. huius articuli. & diſtinct. 68. cap. 4. num. 24. & cap. 6. Becani 1. part. tract. c. 10. quæſt. 12. num. 4. & quæſt. 15. concluſ. 2. Leſſij de gratia c. 15. num. 10. Albertini tom. 1. fol. 278. column. 2. Gillij lib. 2. tract. 10. cap. 17. fin. Arrubal diſtinct. 32. Cornelij 2. ad Timoth. cap. 2. num. 110. Cum his apertè conſentit Diotalleuius pag. 159. Item Franciſcus Zumel hic in Appendice, optimè docens ac probans, eam eſſe ſententiam S. Thomæ. Et quamuis loquatur de ſcientia naturali ac libera, tamen has ſcientias apud ipſum non differre à ſcientia ſimplicis intelligentiæ & viſionis, patet tum ex eius explicatione, tum ex 1. tomo Variarum diſputationum pag. 109. column. 1. init. vbi has duas diuiſiones pro vna eadémque vſurpat expreſsè. Idémque colligitur ex dictis Trigoſij 1. p. quæſt. 10. art. 4. dub. 3. vbi non ſemel aſſerit ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, eſſe priorem voluntate; & ex Thomiſtis modernis nos apertiſſimè ſequutus eſt Frater Ioannes Paulus Nazarius hîc controuerſia 1. per totam, quamuis initio controuerſiæ, referat vt ſibi & S. Thomæ contrarios Molinam, Suarez, & Vaſquez. Demum nouiſſimè Machin. hîc, diſputat. 25. ſect. 1. noſtram ſententiam verè ſequitur: quamuis enim zelo concordiæ conetur vtramque opinionem conciliare; tamen in 2. concluſione apertè docet, ac probat, quod, *ſcientia viſionis, prout intuitiua cognitio eſt futurorum, non eſt cauſa rerum, imò ſupponit futuritionem illarum;* addítque pro concordia potius quàm pro veritate, vt ex aduerſariorum ſententiis fideliter ac diſtinctè infra referendis, certò conſtabit, ipſoſmet aduerſarios fateri, *Scientiam Dei, ea ratione, qua eſt intuitiua, præſupponere ſeipſam, in quantum eſt operatiua & practica: atque adeo, ſecundùm denominationem ſcientiæ intuitiuæ, pendere in genere cauſæ formalis extrinſecæ à potentialitate rerum.*

*Quarta concluſio Toleti, Bellarmini.* — Fonſecæ. — Valentiæ. — Molina. — Suarez. — Vaſquez. — Becani. — Leſſij. — Albertini. — Gillij. — Arrubal. — Cornelij. — Diotalleuij. — Zumel. — Trigoſij. — Nazarij. — Machin.

36. In contrarium ſunt Reuerendiſſimus Dominus Aluarez de auxiliis lib. 2. diſputat. 16. num. 5. & (vt ipſe ait) S. Thomas in hoc articulo 8. & communiter Thomiſtæ. Quod tamen falſum eſt: vt mox fideliſſimè referam. Mirum autem eſſe non debet, ſi à veritate facillima, certiſſima, & communiſſima, præſertim in doctiſſima ſchola S. Thomæ, & omnium veterum Thomiſtarum; recentiores Thomiſtæ, vt Ripa infra art. 13. dub. 4. cap. 1. Gonzalez hîc diſputat. 38. Nauarreta infra art. 13. contr. 53. §. 2. propoſit. 9. parte 2. & controuerſia 54. concluſ. 4. & 5. & controuerſia 59. Zumel ſupra articul. 1. diſputat. vnica, concluſ. 6. aliíque multi diuerterint: etenim arbitrati ſunt, vt initio ſuæ diſputationis præfatur Aluarez, *Quæſtionem iſtam maximè conducere ad efficaciam diuinæ gratiæ, & concordiam illius cum libero arbitrio explicandam*; &, vt addit Nazarius hîc, initio expoſitionis textus. *Omnia ex præſentis articuli materia, quaſi ex prima radice, ac primæuo fonte ſcaturire:* timueruntque ne, ſi aſſererent, hoc ideo præſcitur à Deo, quia eſt futurum. &, non ideo eſt futurum, quia præſcitur à Deo, nimium tribuerent humanę libertati, præiudicarentque præfinitionibus, & qualitatibus phyſicè prædeterminantibus voluntatem; eiúſque innatam indifferentiam coarctantibus ad vnam partem. Ex quibus ſequitur, Deum futura contingentia non poſſe primò videre in ſe ipſis, vt expreſsè docet S. Thomas infra artic. 13. ſed in ſuis decretis prædeterminantibus; & in cauſis ſecundis liberis à ſe ipſo intrinſecè prædeterminatis, vt cenſent moderni Thomiſtæ. Quod citato artic. 13. num. 318. & 333. & num. 345. circa fin. planius, & vberius declarabitur. Nunc ſatis fuerit animaduertere, quanta huiuſmodi opiniones incommoda ſuis Authoribus pepererint, vt ex falſitate huius alterius opinionis, quam hîc defendunt, de alterius opinionis, quæ, ipſis fatentibus, ab hac pendet, falſitate certum iudicium ferri poſſit.

*Cõtra quartam concluſionem ſunt Aluarez, Ripa, Gõzalez, Nauarreta, & alij recentiores Thomiſtæ.* — *Cur moderni Thomiſtæ ſẽtiant contra quartam cõcluſionem.*

## *Probatio ex S.Thoma.*

37. Quicquid autem ſit de iſta opinionum cohærentia, probo concluſionem primò authoritate Scholaſticorum. In primis S. Thomas in hoc ipſo articulo, quem nobis obiiciunt, dicit primò, quod ſæpe alibi repetit, & ipſi etiam aduerſarij fatentur, vt Aluarez ſupra num. 2. Bannes hîc §. *Ad quod dubium.* & §. *Ex hoc ſequitur,* Gonzalez diſtinctione 38. ſectione 1. concluſione 3. ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, quatenus eſt ſcientia artificis operantis res per artem, vt ſupra num. 3. nam vt clariſſimè exponit & probat 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 1. circa medium corporis, *ſcientia ſecundùm rationem ſcientiæ, non dicit aliquam cauſalitatem, aliàs omnis ſcientia cauſa eſſet; ſed in quantum eſt ſcientia artificis operantis res, ſic habet rationem cauſæ, reſpectu rei operatæ per artem. Vnde ſicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam, ita conſideranda eſt cauſalitas diuinæ ſcientiæ.* ex quo immediatè poſt, ſic euidenter deducit pro noſtra concluſione. *Eſt ergo iſte proceſſus in productione artificiati. Primò, ſcientia artificialis oſtendit finem. Secundò, voluntas eius intendit finem illum. Tertiò, voluntas imperat actum, per quem educatur opus circa quod opus ſcientia artificis ponit formam cõceptam. Vnde ſcientia habet vt oſtendens finem, & voluntas vt dirigens actum & informans opus operatum.*

*Quarta concluſio probatur ex varijs dictis S. Thomæ.* — Aluarez. — Bannes. — Gonzalez. — *Scientia Dei, cauſans res, habet rationem artis.*

38. His poſitis argui poteſt demonſtratiuè. Primò, illa ſcientia Dei per ſanctum Thomam conſtat, quæ primò oſtendit voluntati finem; & poſtquam ſecundo loco ſequitur voluntas intendens, & imperans. Sed diuina ſcientia oſtendens obiectum voluntati, & antecedens voluntatem, non eſt etiam ſecundùm aduerſarios, ſcientia viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ: ergo hæc eſt cauſa, non illa. Secundò S. Thomas explicans perfectam, & completam cauſalitatem intentionalem per intellectum & voluntatem; tres tantum actus numerat, primum intellectus antecedentis omnem actum voluntatis; ſecundum, & tertium voluntatis, ſed inter hos non continetur actus ſcientiæ viſionis, quia hic intelligitur aduenire poſtquam voluntas intendit finem ſibi oſtenſum à ſcientia artificiali, & imperauit actum omnipotentiæ exequentis opus,

*Cauſari res ſcientia artificis, ante ſciẽtiam viſionis.*

 ab

ab eadem ſcientia ſibi oſtenſum ac repræſentatum; ergo nulla ratione actus ſcientiæ viſionis ad diuinam rerum cauſalitatem ſpectat. Neque refert quod S. Thomas poſt tertium actum voluntatis imperantis, ſic addat, *circa quod opus ſcientia artificis ponit formam conceptam.* hæc enim ſcientia non eſt alia à prima ſcientia numerata 1. loco ante omnem voluntatem; cùm ſemper eam vocet ſcientiam artificis; ſed ſolum docere vult, quod ſupra num. 17. vberius tradidi, eamdem ſcientiam artificialem & practicam ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, exercere aliquo modo practicum quendam influxum tam reſpectu diuinæ voluntatis, quàm reſpectu omnipotentiæ in factione operis ad extra.

39. Et quidem ſi rem ipſam ex ſe prudenter & attentè inſpiciamus, apparebit manifeſtus diſcurſus S. Thomæ; enimuerò certiſſima experientia conſtat in humanis; artificem non concurrere ad opus per cognitionem, qua intuetur rem iam factam, & exiſtentem, ac proinde cauſatam prius per artem; ſed potius per cognitionem, quia ſcit rem factibilem, & modum quo res fieri poteſt, ac debet. Atque hæc eſt propriè ars, & poteſt eſſe cauſa, quia eſt antecedens opus ipſum, & factum & futurum: ergo poteſt dirigere ac regulare factionem operis, & mouere voluntatem ad intentionem & imperationem illius operis. Et quæcumque alia ſcientia addatur per voluntatem & prædictam cognitionem, eſt omnino ſuperflua, & impertinens ad cauſandum opus, tam reſpectu voluntatis determinantis opus facere, quàm reſpectu potentiæ exequentis eiuſdem operis factionem; licet non ſit ſuperflua ad rationem ſimpliciter intellectiui, ad quam ſpectat non ſolùm ſcire quod ex arte fieri poſſit & conueniat, ſed etiam quid ex eadem arte futurum ſit in aliqua differentia temporis.

*Neceſſitas ſcientiæ viſionis in Deo.*

Confirmatur, quia voluntas artificis ſapientiſſimi, qualis eſt Deus, non poteſt intendere opus, & imperare vt fiat tali modo, tempore, loco, &c. niſi totum hoc diſtinctiſſimè præconcipiat, alioqui voluntas illa eſſet temeraria, & fatua. hæc autem præconceptio eſt antecedens volitionem, & futuritionem, & cauſationem operis; & eſt ſufficientiſſimè oſtenſiua, ac directiua totius factionis operis: ergo habet adæquatiſſimè totum quod ex parte intellectus requiritur ad cauſandum. Ergo alia ſcientia viſionis conſequens huiuſmodi voluntatem & præconceptionem, erit quidem intuitiua, & ſimpliciter cognoſcitiua operis completè futuri vi præcedentium actuum, non autem vllo modo cauſatiua: ita vt ſi per impoſſibile fingamus, hanc viſionis ſcientiam non ſuperaddi, fieret nihilominus opus eadem prorſus ratione, qua intentum, & imperatum eſt, & quamuis tunc poneretur aliquis defectus in intellectu diuino, tamen nihil omnino deeſſet præcisè ad vim artificiosè cauſandi.

40. Dicit ſecundò S. Thomas in hoc articulo circa medium corporis, cauſam rerum eſſe ſcientiam illam, quæ eſt indifferens ad oppoſita, hoc eſt, ad operandum & non operandum; & propterea vt operetur, debet illi adiungi inclinatio ad effectum per voluntatem, à qua determinetur ad operandum. Tota autem hæc doctrina manifeſtè cadit in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & non in ſcientiam viſionis; tum quia hæc non habet prædictam indifferentiam, nam cùm ſequatur determinationem à voluntate liberè factam, de operatione futura, videt neceſſariò ex ſuppoſitione vnam tantùm partem determinatam oppoſitionis, nempe, futuram operationem; ita vt iam impoſſibile ſit videre aliam partem oppoſitam, tum quia quod determinatur ad vnum per voluntatem, præſupponi debet indeterminatum & indifferens ante voluntatem: ſed ſcientia intelligentiæ præſupponitur indeterminata ante voluntatem; ſcientia viſionis nec præſupponitur ſimpliciter ante voluntatem, nec eſt tanquam indeterminata, ſed ſequitur determinata poſt determinatam voluntatem. Ergo ſi ſcientia, cauſa rerum, habet indifferentiam determinatam, & coarctatam à voluntate, eſt prorſus impoſſibile, vt hæc ſcientia, ſit ſcientia viſionis. Tum quia ex S. Thoma cauſa rerum non eſt ſcientia, *Niſi adiungatur ei inclinatio ad effectum, quæ eſt per voluntatem.* Sed diuina voluntas intelligitur à nobis adiungi præcedenti ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, non autem ſcientiæ viſionis; quæ cum intelligatur ſequi poſt voluntatem, ipſa potius adiungitur voluntati, quàm voluntas ipſi. Tum quia eſto aliqua ratione dici poſſit de ipſa etiam ſcientia, quæ eſt cauſa rerum, vt loquitur idem ſanctus Thomas 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. articul. 1. in fine corporis, *Quod non dicat perfectam rationem cauſalitatis, niſi ſecundùm quod adiungitur voluntati*, tamen ex limitatione tradita in hoc articulo, debet adiungi voluntati determinanti ſcientiam ad operandum: in quo ſenſu ſcientia viſionis dici nequit adiungi voluntati, quia illa nullam habet indifferentiam, quæ determinari poſſit ad vnum, vt probatum eſt; nec vlla prorſus operandi vis in illa poteſt rationabiliter intelligi: ſi enim ſequitur poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & poſt liberum decretum diuinæ voluntatis, ergo præſupponit totum illum effectum, qui habetur vi præcedentium actuum: ſed vi horum, præſcindendo à quocumque alio ſequenti actu, habetur opus perfectiſſimè, & completiſſimè futurum cum omnibus ſuis modis, & circumſtantiis intrinſecis, & extrinſecis, nam de ſcientia artificis, præcedente omnem voluntatem, ſi illi ſolum adiungatur voluntas determinans, ait S. Thomas ſupra, & ad 1. *eſt perfecta & completa cauſa artificiati*: ergo nihil omnino fingi poteſt ſupereſſe de futuro effectu, quod operandum remaneat per aliam viſionis ſcientiam, poſteriorem voluntate: ergo talis ſcientia non adiungitur voluntati determinanti illam ſcientiam ad operandum, potius quam ad non operandum; ſicut verè adiungitur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.

*Ex S. Thoma cauſat res ſciẽtia indifferens ad oppoſita quæ nõ eſt ſciẽtia viſionis.*

S. Thomas.

41. Præterea in aliis locis dicit 3. de verit. quæſt. 2. articul. 8. circa finem corporis, *Deus habet quaſi practicam cognitionem eorum quæ ſunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ ex eius ſcientia ſecundùm eius diſpoſitionem prodeunt.* Diſtinguit cognitionem creaturarum actualium, à ſcientia per quam cauſatæ ſunt. Sed illa cognitio eſt ſcientia viſionis: ergo docet S. Thomas, creaturas cauſari, non à ſcientia viſionis, ſed ab alia diſtincta ſcientia, quæ non poteſt eſſe alia niſi ſimplicis intelligentiæ, & ideo viſionis ſcientiam vocauit, *Quaſi practicam*, quia nimirum eſt intuitiua, non factiua operis practici, alioqui vocari debuiſſet, omnino & propriiſſimè practica, & pluſquam ipſa ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt partim practica, partim ſpeculatiua, quia non ſolum tendit circa opus, ſed etiam

*Cur ſcientia viſionis à S. Thoma dicatur, Quaſi practica.*

circa



circa veritatem, vt ſupra numero 16. at ſcientia viſionis verſatur tantùm circa opus, hoc eſt, circa creaturas, quæ vel fiunt, vel factæ ſunt, vel faciendæ erunt: ergo ſi illa eſſet non ſolum ſimpliciter intuitiua, ſed etiam cauſatiua operis, nihil prorſus deeſſet quo minùs denominaretur totaliter & perfectiſſimè practica.

42. Dicit quartò ibidem, art. 14. circa finem corporis. *Inter ſcientiam Dei, quæ eſt cauſa rei, & ipſam rem cauſatam, medium ex parte Dei eſt diuina voluntas.* & 1. diſtinct. 38. q. 1. art. 2. fine corporis, ad Anibaldum Cardinalem, *ex ſcientia Dei non procedit opus, niſi mediante voluntate imperante, & potentia exequente.* Si voluntas eſt media inter ſcientiam, & effectum, ergo ſicut antecedit effectum, ita ſequitur ſcientiam cauſantem res. ergo hæc non eſt ſcientia viſionis, quæ ſequitur voluntatem. Præterea; ſcientia viſionis eſt poſt voluntatem; ergo in ordine ad effectum, habet ſe immediatius, quàm voluntas; ergo illa ſi eſſet cauſa effectus, non procederet opus ex ſcientia, mediante voluntate; ſed potius ex voluntate, mediante ſcientia. & in 1. loco ad 2. & in 2. loco ad 1. ſic deducit, *Quia res procedunt ex ſcientia, mediante voluntate, non oportet, quod in eſſe prodeant quandocumque eſt ſcientia, ſed quandocumque voluntas determinat*: ergo cauſa rerum eſt ſcientia, cui nihil deeſt ad cauſandum, niſi voluntas determinans; & quæ aliquando eſſe poteſt abſque tali voluntate, & propterea nihil cauſare: hæc autem omnia conueniunt ſoli ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, præcedenti voluntatem; nam ſcientiæ viſionis nunquam poteſt deeſſe voluntas, quam eſſentialiter præſupponit; & conſequenter nunquam concipi poſſet non cauſare ex defectu voluntatis. Vnde clariùs in 2. loco ad 2. volens reddere rationem, cur ſcientia non entium, quæ, vt expreſsè docet artic. ſequent. quæſt. eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & non viſionis, non ſit cauſa, ait, *Quantum ad non entia, ſcientiæ Dei deeſt voluntas operandi: & ideo Deus horum cauſa non eſt.* ergo ſecundùm Sanctum Thomam, ſcientia non entium, ſeu ſimplicis intelligentiæ de rebus poſſibilibus, vt eas cauſet, non expectat aliud, niſi voluntatem, quæ liberè adeſſe vel abeſſe poteſt: ergo cauſa rerum non eſt ſcientia viſionis, quæ non poteſt non eſſe ſemper coniuncta cum voluntate libera.

*Voluntas mediat inter ſcientiam, & rem cauſatã à ſcientia.*

43. Dicit quintò, in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. artic. 1. ad vltimum. *Creaturæ exeunt à Deo non per neceſſitatem ſcientiæ, ſed per libertatem voluntatis, in qua completur ratio cauſalitatis; & ideo non quandocumque ſciuit, creauit, ſed quandocumque voluit.* Vbi duo noto; alterum S. Thomam loqui de ſcientia neceſſaria, quæ ſecundùm omnes, etiam Thomiſtas, vt Aſturicenſem, & Aluarez ſupra, non eſt ſcientia viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ; & huic tribuere vim cauſandi, modò liberè velit voluntas. Alterum, rationem cauſæ, nempe intentionalis, agentis per intellectum & voluntatem, eſſe completam in actu libero voluntatis. ergo ſequens actus viſionis non poteſt pertinere ad hoc genus cauſæ, alioqui talis cauſalitas compleretur in actu ſcientiæ viſionis, & non in libera determinatione voluntatis.

*Cauſa rerum eſt ſcientia antecedens voluntatem.*

## *Probatio ex alijs antiquis Scholaſticis.*

44. Idem euidenter deduco ex præcipuorum Thomiſtarum, aliorúmque veterum Scholaſticorum dictis, rem enim ipſam apud nullum antiquum Theologum directè & expreſsè definitam inuenio. Quamuis enim omnes diſputent: an ſcientia Dei ſit cauſa rerum; tamen indiſtinctè & confusè loquuntur de ſcientia, non exagitantes, an hæc ſcientia ſit ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis; quam curam poſterioribus reliquerunt: & ideo nos cogimur ex aliis eorum dictis, quid hac de re ſenſerint, indagare. Ergo Heruæus 1. diſtinct. 39. quæſt. 1. explicans ſententiam diuinam practicam, cauſatiuam rerum, ait paulò poſt principium corporis. *Intellectus non dicitur principium operationis exterioris, vel praxis, niſi in quantum eſt cauſa volendi eius quod fit ab agente per intellectum & voluntatem: ergo ex hoc ipſo quod intellectus proponit aliquid vt operabile, & voluntas per intellectum, vt per cauſam ſine qua non eligit tale operari, eſt intellectus practicus: cùm ergo intellectus diuinus, ſit cauſa electionis diuinæ, vt cauſa ſine qua non eius, intellectus reſpectu factibilium ab ipſo erit practicus.* eſſe cauſam ſine qua non poteſt operari voluntas, quam vt paulò ante dixerat: *Impoſſibile eſt incognita velle*; & rem operabilem proponere voluntati eligenti operari; conueniunt ſecundùm omnes ſcientiæ ſimplicis notitiæ, non viſionis quæ neque electionem vlla ratione cauſat, ſed potius ab ea quaſi cauſatur, quatenus vt ſit, & intelligatur ſcientia viſionis, præſupponi & præintelligi debet electio, neque proponit opus vt poſſibile, ſed opus propoſitum vt poſſibile ab intelligentia, & à voluntate liberè electum, vt ſit in tali differentia temporis, videt ſolum vt futurum, &c.

*Quarta concluſio, eſt etiã Heruæi.*

Præterea Capreolus 1. diſtinct. 35. quæſt. 2. ar. 2. ad argumenta contra octauam concluſ. *S. Thomas non intelligit, quòd voluntas det ſcientiæ diuinæ cauſalitatem exemplaris reſpectu creaturæ, nec aliam etiam cauſalitatem, putà effectiuam; ſed potius vult quòd ſcientia ſit cauſa prior ſecundùm rationem, quam voluntas.* Nullum teſtimonium de mente S. Thomæ contra recentiores Thomiſtas, aut luculentius, aut grauius afferri poterat. Cauſa rerum, inquit S. Thomas, teſte Capreolo Thomiſtarum omnium principe & fideliſſimo atque eruditiſſimo interprete, quem recipit Soncinas 1. diſt. 35. quæſt. 3. concluſ. 5. eſt illa ſcientia, quæ eſt prior voluntate; ſed hanc prioritatem, aduerſariis ipſis fatentibus, habet ſcientia intelligentiæ, non viſionis: ergo illa, & non hæc, eſt cauſa rerum. Caietanus quoque hic loquitur vt S. Thomas in 1. & 2. dicto ſupra. Syluester item 1. part. conflati quæſt. 14. articul. 11. referuntur etiam ab Arrubal diſtinct. 32. cap. 3. num. 12. duo clariſſima teſtimonia duorum inſignium magiſtrorum Ordinis Prædicatorum, quos ego non legi: alterum Matthæi Orij, his verbis: *Manifeſtum eſt quòd viſio Dei, qua videt aliquem agere, vel non agere, non eſt cauſa talis actus, vel operationis: ſicut homo videns incedentem per viam, non eſt cauſa illius inceſſus, ita nec Dei viſio cauſat operationem in nobis.*

45. Capreoli. Soncinatis. Caietani. Sylueſtri. Matthæi Orij.

Alterum ex Franciſco Romæo, his verbis: *Illud non eſt prætereundum, quòd ſi ad antiquos Doctores te conuertas, reperies ferè omnes in hanc vnam conſentire ſententiam, non ex eo, quod Deus ſcit aliquid futurum, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit, qui eſt præſcius futurorum, ſic enim loquitur Hieronymus, Auguſtinus, Origenes, & Chryſoſtomus, & plerique alij orthodoxi Doctores.*

Franciſci Romæi.

Alij

46. Alberti. Alij quoque præter Thomiſtas, idem tradunt. Magnus Albertus in ſumma, tract. 15. quæſt. 61. membro 2. ad 2. inquit, *ſcientia viſionis nullam ponit cauſalitatem ad ſubiecta.* & membr. 5. in confirm. *Præſcientia Dei ita eſt ſuper res futuras, quòd non eſt cauſa earum.* Ægidij. Ægidius 1. diſtinct. 38. 1. p. diſt. q. 1. in corpore, probans diuinam ſcientiam eſſe cauſam rerum, quia *omnia comparantur ad Deum, ſicut artificialia ad artificem.* ergo vt ſupra num. 38. & 39. Addit poſtea circa finem corporis. *Voluntas erit cauſa immediata productionis huius, ſcientia autem mediante voluntate.* ergo vt ſupra num. 42. Aureoli. Aureolus 1. diſtinct. 35. q. 4. art. 4. Inquiſit. 3. probans, *quòd diuina ſcientia, etiam ſine voluntate, habet ex ſe duplicem cauſalitatem reſpectu omnis entis: primam, formæ exemplaris, & menſurantis omnem entitatem: ſecundam, ſcientiæ practicæ, & operatiuæ.* Scientia ſine voluntate, eſt ſimplicis intelligentiæ, non viſionis. & diſtinct. 38. qu. 1. art. 1. propoſitione 1. fin. *Non ideo, quia Deus prænouit, futura ſunt, ſecundùm Magiſtrum in præſenti diſtinct.* Riccardi. Riccardus 1. diſtin. 38. art. 1. q. 2. ad 2. ſcientiam, cauſam rerum, explicat etiam per ſcientiam artificis. & ad 3. ait, concurrunt ad productionem effectus, *ſcientia vt dirigens, voluntas vt imperans; vnde voluntas ſcientiam explicat ad opus.* ſcientia dirigens etiam voluntatem, vt rectè ac ſapienter imperet, & ſcientia quam applicat voluntas, non poteſt eſſe ſcientia poſterior voluntate, quæ eſt viſionis, ſed prior, quæ eſt intelligentiæ. Durandi. Durandus quæſt. 1. n. 5. docet illam ſcientiam eſſe cauſam dirigentem, *quæ habet rationem artis reſpectu creaturarum.* & ſemper in diuina cauſatione creaturarum; priùs numerat ſcientiam, poſteriùs voluntatem; & tandem num. 9. aſſerit, *ſcientiam eſſe cauſam remotam directiuam practicè reſpectu eorum ſolum, quæ ſubſunt voluntati inclinanti.* Rubionẽſis. Rubionenſis iuxta hanc concluſ. dicit 1. d. 39. q. 2. art. 2. init. & in 2. concluſ. *Futura contingentia euenire, ſeu fieri, à Deo vt volente, non vt intelligente ea eſſe fienda; ſic quòd ſi per impoſſibile, Deus vellet, & non intelligeret, contingentia eſſe fienda, nihilominus fierent.* Argentinæ. Argentina 1. d. 38. q. 1. art. 1. concluſ. 1. ponit etiam, Deum cauſare per eſſentiam, vt cauſat artifex. & concluſ. 2. probat, ſcientiam Dei non eſſe immediatam cauſam rerum, ſed hanc eſſe voluntatem: Adam. Adam 3. diſtinct. 14. quæſt. 3. §. *Ad iſtam quæſtionem.* vbi ait, *Non ideo quia præſciuntur fore, erunt; ſed quia erunt, ideo præſciuntur fore;* ídque ſtatim tribuit Boëtio, & Magiſtro. & in ſolutione primi dubij ſic arguit, *Propter futura Deus dicitur præſcius: igitur illa ſunt cauſa præſcientiæ Dei.* & in ſolutione ſecundi dubij. *Hæc propoſitio, Res erunt, eſt propoſitio cauſalis reſpectu huius, Deus præſcit res fore: adiuncto tamen hoc, quod Dei ſcientia eſt immenſa.* Ariminenſis. Ariminenſis 1. diſtinct. 38. quæſt. 2. art. 3. ad 3. principale, negat eſſe cauſalem iſtam propoſitionem, *quia Deus præſcit, ideo res ſunt futuræ.* & in aliquo ſenſu contendit veram eſſe contrariam, *ideo Deus præſcit futura, quia illa futura ſunt.* Arborei. Ioannes Arboreus tomo 1. Theoſophiæ lib. 4. c. 11. circa finem, ait, *ſcitè, & ſubtiliter* dixiſſe Origenem, *neque in ſcientia Dei, vel ſalutis, vel perditionis noſtræ, cauſa conſiſtit; nam non proptèrea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat.*

47. Eodem modo loquuntur, ac ſentiunt reliqui omnes; ſaltem cùm vniuerſos penè legerim, neminem inuenire potui, qui vel leuiter indicaret opinionem iuniorum Thomiſtarum: Suarez. ſolùm pro ipſis Suarez opuſc. de ſcientia Dei lib. 1. c. 5. init. *De Palatij ſententia.* refert Palatium 1. diſt. 38. diſp. 2. vbi column. 14. ante 1. concluſ. loquens de diuina ſcientia futurorum, quæ eſt viſionis contra recentiores Theologos, & Bonauenturam, quos citat, ait: hanc ſcientiam non pendere à futuris; & column. 26. expreſsè notat; ſe loqui de diuina ſcientia, *quatenus eſt ſpectatrix futurorum;* de qua non vult concedere, futurum præſcitur, quia erit. Sed contra, erit quia præſcitur. Verùm Palatius antea in diſput. 1. eſt apertè pro communi opinione, tum concl. 2. in fine, tum concluſ. 3. vbi ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, ponit ordine rationis ante voluntatem liberam determinantem: hæc autem ſcientia ſecundùm omnes non eſt viſionis, ſed intelligentiæ; quæ ab ipſo rectè dicitur; *Diuina ars, ſeu ſcientia faciendorum.* Idémque iterum paulò poſt, *ſi rationis obſerues ordinem, primùm intelliges, Deum ſcire res creandas, dein illas velle creare, tandem poſſe exequi creationem.* Quamobrem in 2. diſp. ne in tam breui orationis interuallo ſibi contradicat, eſt intelligendus de ſcientia viſionis, quoad entitatem ſcientiæ, & non prout diſtinguitur contra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſed ſolùm contra eſſentiam; quod ipſe expreſsè aſſerit loco citato, notans ſe diſputaſſe, *de ſcientia Dei, non quatenus eſt eſſentia Dei, ſed quatenus ſcientia Dei eſt ſpectatrix futurorum contingentium.* Vnde in citata column. 14. Futura potius pendere à ſcientia diuina, probat ex illo Sap. 7. *Omnium artifex ſapientia.* quæ ars ex ipſomet, diſp. 1. colum. 2. & 3. eſt ſcientia creandorum, & creabilium, antecedens voluntatem, eámque propriè vocamus, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & non viſionis, & in fine eiuſdem colum. 14. ita diſtinguit. *Aliud eſt, habere reſpectum ad futura; aliud, dependere: primum fatemur, poſtremum negamus.* atque hunc reſpectum eſſe poſteriorem futuris, eáque præſupponere, ſatis apertè explicat col. 20. fin. dicens, *ſi facis Antichriſtum non eſſe futurum, Deus nunquam præſciuit futurum, ſed contra potius, præſciuit non futurum.* ſi poſito quòd res ſint futuræ, Deus præſcit futuras; &, poſito quòd non ſint futuræ, Deus præſcit non futuras, ergo & ſi Dei ſcientia non dependeat à futuris, quia dependentia propriè eſt ſecundùm entitatem eius quod dicitur dependere; tamen vt reſpiciat, ſeu terminetur ad futura potius quàm ad non futura, præſupponere debet futura. Tandem clariſſimè in fine colum. 24. & init. 25. docet ſcientiam & artem, cauſantem res, eſſe priorem voluntate, quæ, inquit, *exequitur artis imperia, non imprimendo formam artificiatis, ſed exequendo impreſſionem formæ præſcriptam ab arte; eſt ergo diuina ſcientia cauſa rerum.*

## *Probatio ex Patribus.*

Eandem concluſionem probo ſecundò, grauiori, &, vt ego quidem exiſtimo, euidentiori Patrum authoritate, quia afferuntur à noſtris authoribus citatis ſupra n. 35. & omiſſis aliis minus efficacibus teſtimoniis, maximè fauet Iuſtinus Martyr, ſeu quis alius eius libri author fuerit, in explicatione quæſtionis quinquageſimæ octauæ, ex iis quas Gentes Chriſtianis ponunt: volens enim de particulari caſu rationem reddere, cur ſcilicet futura peccata, v. g. proditionem Iudæ, negationem Petri, ruinam Diaboli, & primi hominis, prænouerit quidem Deus, tamen non cauſauerit, affert hanc rationem vniuerſalem de omnibus futuris, tam malis quàm bonis: *Nec cauſa eſt eius quod futurum eſt, prænotio; ſed quod futurum eſt, cauſa eſt prænotionis; neque enim prænotionem ſequitur quod futurum eſt; ſed quod futurum eſt prænotio.* 48. *Quarta concluſio eſt Iuſtini.*



Vnde antea in explicatione quæſt. 8. loquitur expreſsè de bonis & malis; nam cùm docuiſſet nos eſſe liberos circa virtutem ac vitium, ita ſubdit; *Non igitur cauſa eſt Deus virtutis noſtræ, aut vitij, ſed propoſitum noſtrum & voluntas.* Et ex verbis ſequentibus patet illum loqui de ſcientia viſionis, per quam Deus nihil cauſat.

49. Origenis. Origenes lib. 7. in epiſtolam ad Romanos, multò poſt medium, exponens illa verba capitis 8. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit;* & manifeſtè loquens vniuerſaliter de bonis, & malis euentibus, ſcilicet tam ad ſalutem, quàm ad perditionem noſtram pertinentibus, ait: *Neque in præſcientia Dei, vel ſalutis, vel perditionis noſtræ cauſa conſiſtit. Nam etſi communi intellectu de præſcientia ſentiamus, non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat: nam & ſi, v. g. fingimus Deum non prænoſcere aliquid, futurum ſine dubio erat, quod ita, vt putà Iudas proditor factus eſt.* Quo nihil illuſtrius dici poterat, vt doceret nos Origenes, præſcientiam futurorum, quam Scholaſtici vocant ſcientiam viſionis, nulla prorſus ratione concurrere ad cauſandam rerum futuritionem: *Argumẽtum ex dicto Origenis, & confutatio reſpõſionis Aluarez.* ſi enim quod ab æterno præuiſum fuit futurum hodie, idem omnino fuiſſet futurum ab æterno, & hodie fieret, etiam ſi per impoſſibile præuiſum non fuiſſet ab æterno, ergo illud futurum erat, & hodie fit, cum ſcientia viſionis concomitanter, non per ſcientiam viſionis cauſaliter. Neque ſufficienter reſpondet Aluarez de Auxiliis lib. 2. diſput. 16. num. 8. ad 3. in 1. reſponſ. Admiſſo vno impoſſibili, id quod ſequitur, eſſe etiam impoſſibile; nam verba Origenis euidenter exprimunt poſſibilitatem, & futuritionem de facto, *Futurum,* inquit, *ſine dubio erat quod ita, vt putà Iudas proditor factus eſt.* Sæpe enim ex vno impoſſibili, non deducitur aliud ſimpliciter impoſſibile, ſed intelligitur aliud quod habet neceſſariam connexionem cum illo, habere ſe tantum concomitanter cum illo, non cauſaliter, ſeu dependenter ab illo: vt ſi dicas, ſi Deus Pater per voluntatem non produceret Spiritum ſanctum, adhuc per intellectum produceret Filium.

50. Hieron. Hieronymus in cap. 16. Iſaiæ, paulò ante finem, *non quòd præſcientia Dei cauſam vaſtitatis attulerit; ſed quòd vaſtitas futura, Dei maieſtati prænota ſit.* Et vniuerſaliùs de quolibet effectu futuro in cap. 26. Hieremiæ, paulò poſt principium. *Non ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit.* & dialog. 3. aduerſus Pelagianos multò poſt principium. *Neque enim ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat; ſed præſciuit Deus, quaſi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.* & Cyrillus lib. 9. in Ioan. cap. 10. fin. *Non ergo vt adimpleatur Scriptura, nec iſta de cauſa, facta ſunt in quibuſdam quæ Scriptura prædixit, ſed contra; quoniam ita nonnulli ſponte facturi erant, idcirco præſciens Spiritus ſanctus futura prædixit.* Cyrill. Loquitur quidem hîc Cyrillus occaſione peccatorum, tamen in ratione affert doctrinam vniuerſalem petitam ex libertate, communi tam malis, quàm bonis operibus. Neque vim facit in temporali prædictione, ſed in æterna præſcientia, vt patet ex illo, *Idcirco præſciens Spiritus ſanctus.*

51. Auguſtin. Auguſtinus lib. 5. de ciuit. Dei cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit; immo, ideo non dubitatur ipſum peccare, cùm peccat, quia ille, cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit; qui ſi nolit, omnino non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.* Vbi noto primò, Auguſtinũ loqui de peccatis, gratia exempli, non neceſſitate doctrinæ; tum quia immediatè ante loquitur vniuerſaliter de operibus bonis, & malis, dicens: *Iuſta præmia bonis factis, & peccatis ſupplicia conſtituta ſunt.* Et ſtatim cum de omnibus reddenda eſſet ratio, eam breuitatis & maioris claritatis cauſa, reddit de ſolis peccatis, dicens: *Neque enim ideo peccat homo,* &c. tum quia rationem reddit ex hominis libertate, quæ ad bona etiam opera noſtra requiritur: tum quia quod in principio docet de peccatis, in fine docet etiam de non peccatis, *ſed ſi,* inquit, *peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.*

Noto ſecundò, ab illa particula, *immo,* ne videatur Auguſtinus affirmare quod immediatè antea negauerat, ſenſum eſſe ita accipiendum; non peccat homo, quia præſcit Deus, ſed propter liberi ſui arbitrij naturam, quam præſcit Deus non à ſua præſcientia, non à facto, non ab aliquo alio, ſed ſolùm à ſe ipſo moueri ſeu determinari. Quare contraria illa propoſitio, quam exprimunt Iuſtinus, Origenes, & Hieronymus, ſed quia homo erat peccaturus, ideo præſciuit Deus illum eſſe peccaturum, non continetur in prædictis verbis, ſed in aliis ſequentibus; *Qui ſi nolit, omnino non peccat: ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſciuit.* Qui conditionâliter aſſerit, ſi homo non eſt peccaturus, Deus præſcit, hominem non eſſe peccaturum; & conſequenter à contrario propter eamdem omnino rationem, ſi homo eſt peccaturus, Deus prȩſcit hominem eſſe peccaturum; poſito quod prius negauerit, *Non ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præſciuit.* clariſſimè aſſerit, hanc Dei præſcientiam eſſe poſteriorem effectu futuro, ac proinde non poſſe illius eſſe cauſam, ſed poſſe in aliquo vero ac bono ſenſu dici, quia homo peccaturus, vel non peccaturus eſt, ideo id præſcit Deus.

Damaſcenus dialog. aduerſus Manichæos, non multò ante finem, *Vis Dei præſciens, à nobis cauſam haudquaquam habet. At verò, vt ea quæ facturi ſumus præſciat, à nobis proficiſcitur. Nam ſi facturi non eſſemus, nec ipſe quidem, quod futurum non eſſet prænoſceret; & quidem Dei præſcientia vera atque inuiolabilis eſt; verùm ipſa haudquaquam cauſa eſt, cur omnino fiat id quod futurum eſt: quin potius, quia hoc vel illud facturi ſumus, idcirco prænoſcit.* 52. Damaſcen. Euſebius lib. 6. de Præp. euangelica cap. 9. aliquanto poſt principium, incipiens tractare cur Deus omnia futura præſciat, & tamen non omnia ſint neceſſariò futura, bis nullam aliam rationem reddit, niſi quia, *non omnium eſt cauſa;* nimirum per eam ſcientiam viſionis, qua omnia futura videt. Euſeb. Et tandem ante medium capitis idem clariùs, & vberiùs ſic explicat. *Deus cùm vniuſcuiuſque voluntatem præuideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat: non ergo præcognitio, futurorum cauſa: nec enim vllo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit, aut mouet; ſed è contra. Dicam enim, etiam ſi abſurdum multis fortaſſe videatur, id quod futurum eſt, cauſa eſt, vt Deus euenturum illud præuideat; non ergo ideo fit, quia præſcitur; ſed quia futurum erat, præſcitur.* & paulò poſt: *Si continget, Iudam prodere, præſciuit hoc Deus: ſi non continget, ſimiliter Deus præſciuit. cùm ergo duo hæc contingentia ſint, & poteſtas in Iuda ſit, Deus præſcientia ſua præuidit, quod à Iuda eligetur.*

Boëtius lib. 5. de conſolatione Philoſophiæ, 53. Boët. Proſa 3. ex aliorum ſententia refert, *Non ideo quid eſſe venturum, quoniam id prouidentia futurum eſſe perſpexerit: ſed è contrario potius, quoniam quod futurum eſt diuinam prouidentiam latere non poſſit.* Deinde Proſa 4. hanc ſententiam ipſe probat, additque præſcien

præſcientiam eſſe ſignum, quod *tantùm quid ſit oſtendit, non verò efficit quod deſignat.* Et illum refert, ac ſequitur Hugo de S. Victore in ſumma ſententiarum, tract. 1. cap. 12. initio. & diligentiſſimè explicat Suarez tom. 1. de gratia Prolegomeno 2. cap. 10. à num. 12. contra quendam Theologum aduerſarium: omnes igitur iſti Patres loquentes de præſcientia futurorum, vt tali formaliter, quæ à Scholaſticis dicitur ſcientia viſionis, & ratione diſtinguitur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, duo clariſſimè aſſerunt. Alterum, quod in hac quarta concluſione aſſerimus, illam non cauſare futura: alterum quod in concluſ. 10. aſſeremus, illam cauſari aliqua ratione à futuris. Quid autem illis aduerſarij reſpondeant, referemus, & impugnabimus infrà à num. 91. Demum Patribus addi poteſt illud Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat.* Diuina viſio de rebus iam factis, eſt proculdubio illa ſcientia, quam propriè vocamus *viſionis*: & clariſſimè ſupponit res ipſas iam antea factas, ergo eas non cauſat.

Hugo de S. Victore. Suarez. Geneſ. 1.

## *Probatio ex rationibus.*

54. Probo tertiò ratione, & fundamentum præcipuum, ne ſit quæſtio de nomine, ita videtur explicandum. Nos in intellectu, & voluntate Dei circa creaturas, ratione cum aliquo fundamento in re diſtinguimus, ſeu diſtinctis conceptibus apprehẽdimus multos actus hoc ordine, primum intelligere, hoc poſſe fieri, ſeu poſſe eſſe futurum. Secundum, intelligere eſſe conueniens vt hoc fiat, ſeu ſit futurum. Tertium, velle liberè hoc facere in tali differentia temporis; vnde iam primò habet creatura, vt ſit ſimpliciter futura. Quartum, præintelligere hoc eſſe futurum tali modo, loco, tempore, &c. atque hunc quartum actum ſignificamus nomine ſcientiæ viſionis: nam per alios duos primos actus intellectus, cùm illi ſint ante voluntatem liberè determinantem ad futurum, potius quàm ad non futurum, nihil videri poteſt abſolutè ac determinatè futurum.

*Præcipua ratio quartæ concluſionis.*

55. Quartum igitur actum non poſſe eſſe cauſam rerum, patet, quia non poſſet aliam cauſæ rationem habere, niſi vel dirigentis, vt plerique omnes ſuprà citati Doctores expreſsè docent de ſcientia quæ eſt cauſa rerum, vel exequentis. Non primum, quia per duas primas ſcĩetias, quas ſuprà num. 33. & 34. oſtendimus ad vnam ſimplicis intelligentię notitiam pertinere, habetur ſufficienter omnis directio; nam illæ repræſentant voluntati, & rem factibilem, & omnem modum quo fieri poteſt, & omnes circumſtantias, tam intrinſecas, quàm extrinſecas, in quibus eſt poſſibilis; & demum omnes conuenientias ac rationes, propter quas fieri debet. quibus omnibus quid præterea addi neceſſe ſit ad directionem, tam reſpectu voluntatis prudenter determinantis, quàm reſpectu omnipotentiæ artificialiter exequentis, non eſt rationabiliter aſſignabile: imò hoc poteſt poſitiuè & euidenter ſuaderi; quia cùm diuina voluntas, quæ eſt ante viſionem, ſumma cum ſapientia ac prudentia eligat velle creare quicquid, & quocumque fine, ac modo, & circumſtantia, & conuenientia, & quacumque alia aſſignabili directione à parte rei creatur, ergo neceſſarium eſt, vt præſupponamus, repræſentari illi ab intellectu ſufficientiſſimè omnem prorſus directionem: alioqui ſi eligeret, non habens ſibi prædemonſtratam aliquam directionem; vel eam habens, ſed non intendens, cogitari poſſet ſupra voluntatem diuinam alia voluntas ſapientior ac prudentior: cùm longè ſapientiùs ac prudentiùs ſit, omnem futuram directionem habere ſibi præmonſtratam, & præintendere, quàm contrà; ſcientia igitur viſionis videt quidem directionem quam voluit præcedens voluntas, & ante illam voluntatem præſciuit diuinus intellectus; non autem oſtendit & cauſat.

*Scientiã viſionis nõ poſſe eſſe cauſam directiuam.*

56. Non ſecundum, quoniam cauſa phyſicè exequens, & efficiens, eſſe debet in Deo perfectio realis intrinſeca, & increata: ſcientia verò viſionis, vt ſic, quia fertur in creaturam, liberè, & non abſoluta neceſſitate futuram, dicitur ſimpliciter libera & contingens. Ergo ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ neceſſariam, ac naturalem, non poteſt addere aliquid reale. Quapropter, ſicut creatura futura potuit ſimpliciter non eſſe futura; ita etiam potuit non eſſe in Deo ſcientia viſionis, vt formaliter viſionis: & ſi Deus liberè decreuiſſet, non facere creaturam; nihil minus realitatis haberet Deus, quam nunc habet. Ergo ſcientia viſionis, quatenus viſionis formaliter, & vt per rationem diſtincta à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non poteſt habere rationem principij realis immediatè ac realiter operantis, & influentis in effectum realem.

*Scientiã viſionis nõ poſſe eſſe cauſam executiuam.*

57. Confirmatur ratio, quia ex prædicta explicatione conſtat: prius ratione præſupponi in creatura eſſe futurum, & poſterius ratione aduenire in intellectu diuino ſcientiam viſionis de re futura, ergo non ideo res eſt futura, quia Deus præuidet illam ſcientia viſionis, ſed contra potius; ideo Deus ſcientia viſionis præuidet rem futuram, quia res eſt futura: ſicut enim ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſupponit res poſſibiles; ita viſio ſupponit res cum exiſtẽtia actuali extra Deum pro aliqua differentia temporis.

*Confirmatio rationis.*

58. Hinc intelligi poteſt ratio, quam ad huiuſmodi veritatem probandam affert Cardinalis Bellarminus, citatus num. 35. *Semper*, inquit, *cognitio præſupponit obiectum*: nam, vt docet Auguſtinus lib. 4. de Geneſ. ad lit. cap. 32. *Cognitio fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedant.* & paulò poſt: *præcedit cognitionem, quicquid cognoſci poteſt, niſi enim prius ſit quod cognoſcatur, cognoſci non poteſt*: ſed ſcientiæ viſionis obiectum ſunt res futuræ, ſicut ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ obiectum ſunt res poſſibiles; ergo illa præſupponit res futuras, ſicut hæc res poſſibiles, ergo ſicut, ob hanc præſuppoſitionem, intelligentia non poteſt cauſare res vt poſſibiles, ita nec viſio res vt futuras.

*Defenditur alia ratio Bellarm. Suarez, Vaſquez, Leſſ. Machin. contra Arrubal, & Gonzalez. Cognitio præſupponit obiectum ex Auguſtino.*

59. Hanc rationem infirmam eſſe contendit Arrubal hîc d. 32. cap. 5. quia dicere poſſent aduerſarij, ſcientiam viſionis rerum futurarum *non eſſe ſpeculatiuam, ſed practicam, ac proinde facere ſuum obiectum, non autem illud præſupponere.* Sicut, inquit, in locutione affirmatur aliquid, quod non præſupponitur, ſed fit; vt cùm in conſecratione dicimus: *Hoc eſt corpus meum.* Et in intellectione notionali Patris diuini, obiectum eſt ipſemet Filius, qui tamen non præſupponitur, ſed generatur.

60. Nihilominus doctiſſimi ac grauiſſimi Theologi rationem, quam ſequitur etiam Suarez opuſc. De ſcientia Dei l. 1. cap. 5. num. 8. & bene docet, *eſſe rationem à priori huius veritatis*, eámque vſurpant etiam Vaſquez infrà artic. 13. d. 68. num. 39. Leſſius de gratia cap. 15. num. 10. Fonſeca 6. Metaphyſic. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 10. §. *Poſterior pars.* Machin. hîc diſput. 25. ſect. 2. §. *Ratione verò.* valde firmam exiſtimo. Eſto enim cognitio, conſiderata vt cauſa, ſiue vt principium habere poſſet aliquem effectum; ipſa poſteriorem, vt contingit in cognitionibus practicis; tamen conſiderata, vt repræſentatio, à qua eſſentiali ratione, nulla cognitio abſolui poteſt, eſt impoſſibile vt non præſupponat ſuum obiectum, ſicut omnis repræſentatio, & ſimilitudo præſupponit id, cuius eſt repræſentatio, ac ſimilitudo; à quo eſſentialiter ſpecificatur. Sicut enim in diuina volũtate libera de creando mundo, vt rectè adnotauit Mayronus 1. diſtinctione 38. quæſt. 2. ad 1. neceſſe eſt diſtinguere aliquid, quod ſit illius effectus, vt mundum eſſe futurum; & determinare ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & omnipotentiã ad cauſandum mundum in tali differentia temporis, & aliud quod ſit illius obiectum, vt eſſe poſſibile, & conueniens mundum eſſe futurum: ita in libera viſione mundi futuri, ſi hæc eſſet cauſa mundi futuri, præter hoc eſſe futurum, quod eſſet poſterior effectus illius vt cauſæ, oportet aſſignare aliquid aliud prius, quod eſſet obiectum illius vt repræſentationis. Nihil autem aſſignari poteſt, quod non ſit obiectum alterius prioris ſcientia ſimplicis intelligentiæ; in qua hæc obiecti & effectus diſtinctio euidenter cernitur, & ideo potuit eſſe cauſa rerum; ipſa enim vt cognitio, ſeu repræſentatio, habet ſuum obiectum, quod præſupponit ſcilicet opus quatenus factibile, ſub qua ratione ad opus cauſandum non concurrit. Habet præterea, vt cauſa ſuum effectum, ſcilicet opus vt futurum vi ſuæ directionis; & quoniam hic effectus erat poſterior, ideo non potuit eſſe illius obiectum; quamobrem diſtincta à nobis eſt alia ſcientia viſionis, quæ illum effectum reſpiceret vt obiectum, non vt effectum: neque enim eſt intelligibile, idem ſub eadem ratione eſſe obiectum & effectum, hoc eſt, prius & poſterius, cauſans & cauſatum.

*Cognitio practica, vt cauſa, præcedit cognitum; vt repræſentatio ſequitur.*



Mayronus.

*Scientia ſimplicis intelligentiæ habet obiectũ prius, effectũ poſteriorem.*

61. Neque hoc conuincunt duo exempla in contrarium allata n. 59. Non primum de locutione, nam hæc habet duo, & eſſe cauſam, & eſſe ſignum verbi interni mentalis, ſeu rei mentaliter conceptæ. Sub prima ratione præcedit rem, quam operatur à parte rei, vt in conſecratione: ſub ſecunda ratione, ſequitur rem, quam ſignificat. ergo à pari, omnis cognitio ſi ſpectetur formaliter, vt ſignum naturale, non vt cauſa, conſequi debet ſuum obiectum, naturaliter ab ipſa ſignificatum. Non ſecundum de intellectione notionali: nam infra in materia de Trinitate, quod tetigi in 1. tomo q. 12. art. 8. num. 16. 17. & 18. oſtendam, obiectum illius per ſe, & primarium, & formale in ratione obiecti, non eſſe perſonas, ſed ſolùm eſſentiam; licet eſſe nequeat intellectio eſſentiæ, vt formaliter obiecti, niſi eadem ſit viſio perſonæ vt formaliter termini. Præterea Gonzalez hîc diſtinct. 38. ſect. 1. num. 7. ad 2. ad idem probandum affert aliud tertium exemplum de cognitione reſpectu verbi mentalis ab illa producti; quæ, inquit, terminatur quidem ad verbum exiſtens, & ideo habet ſufficienter rationem notitiæ intuitiuæ; tamen non prius ordine rationis præſupponit illud exiſtens. Sed neque hoc vrget, tum quia ſupponit ſententiam falſam, etiam in ſchola S. Thomæ, vt probatum eſt tomo 1. quæſt. 12. art. 2. num. 14. de Verbo habente ſe obiectiuè vt *quod* reſpectu cognitionis: tum quia eſto ſententia vera ſit, tamen non eſt ad rem noſtram; nam loquimur de ſcientia Dei abſolutè conſiderata, non quatenus producit aliud Verbum repræſentatiuum creaturarum exiſtentium, ſed quatenus ipſa ſecundùm ſe eſt expreſſa ſimilitudo, & repræſentatio creaturarum. vt ſic autem non poteſt concipi in priori rationis ante ſuum obiectum repræſentatum; quia ſcientia Dei indifferens ſecundùm ſe vt terminetur vel non terminetur ad repręſentandum futura, non poteſt intelligi determinari vt terminetur ad futura, niſi prius præſupponamus, & præintelligamus eſſe futura; ergo eſt prorſus intelligibile quod ſcientia viſionis, quæ determinata eſt vt terminetur ad futura, & vt ſic nullum aliud habet obiectum, niſi futura quatenus futura, non præſupponat in priori rationis ſigna futura, ad quæ nunc terminatur, & antea non terminabatur.

*Soluitur primũ exemplũ Arrubal.*

*Soluitur ſecundum exẽplũ Arrubal.*

*Soluitur tertiũ exemplũ Gonzalez.*



## DVBITATIO IV.

### *An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit cauſa rerum.*

62. QVinta concluſio ſimpliciter affirmatiua, probata expreſsè remanet authoritatibus, & rationibus præcedentis dubitationis, ſequitur quoque euidenter ex hactenus dictis in toto hoc articulo: etenim ex prima concluſione habemus, aliquam ſcientiam eſſe rerum cauſam. ex ſecunda & tertia, adæquatam eſſe diuiſionem ſcientiæ diuinæ in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis. ex quarta, ſcientiam viſionis non eſſe cauſam rerum. Ex quibus omnibus neceſſariò ſequitur, cauſam rerum eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Et de hac ſcientia Bellarminus, Suarez, Vaſquez ſupra, & Nazarius hîc controuerſia 1. concluſ. 6. Fonſeca 6. Metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 11. circa finem, exponunt verba Auguſtini relata ſupra num. 2. quibus docet ſcientiam eſſe cauſam rerum; non res, ſcientiæ, ſed in quo ſenſu loquatur Auguſtinus exponam infra n. 130.

*Quinta concluſio affirmatiua.*

Nazarius. Fonſeca.

63. Sexta concluſio, ſcientia ſimplicis intelligentię, vt præcisè verſatur circa poſſibilia, non poteſt ſimpliciter dici cauſa rerum. Hoc tanquam certum adnotarunt omnes antiqui Theologi ſupra citati cum Magiſtro lib. 1. ſent. diſt. 38. Probatur 1. ratione Alberti art. 2. initio corporis, *Quia ſimplex notitia non dicit ordinem ad futurum; ſecundùm quod eſt de his, quæ poſſunt eſſe, ſed non erunt.* Scit enim infinita poſſibilia, quorum vt poſſibilium non eſt cauſa, neque vt futurorum, quia nunquam erunt. Secundò ratione Durandi quæſt. 1. num. 7. quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ æqualiter ſe habet circa res creandas, & non creandas. Et de non creandis, ipſa proponendo voluntati, non eſſe conueniens eas creare, eſt cauſa vt non creentur. igitur præcisè conſiderata vt ſcientia poſſibilium, non eſt dicenda cauſa rerum, hoc eſt, vt res cauſentur potius, quàm non cauſentur. Tertiò ex eodem Durando à pari, quia voluntas diuina ſecundùm ſe conſiderata, cùm ſit indifferens ad cauſandum vel non cauſandum, non eſt cauſa, niſi liberè ſe determinet ad cauſandum: ergo eadem ratione diuinus intellectus non eſt cauſa, niſi liberè determinetur à voluntate ad cauſandum. Atque hoc eſt, quod docet S. Thomas hîc in medio corporis, artificis ſcientiam, quæ eſt intelligibilis quædam forma, ex eo quòd ad oppoſita ſe habeat, cùm poſſit, vt dictum eſt, eſſe cauſa vt res fiant, & vt non fiant, non nominare principium actionis, ſecundùm quod eſt tantum in intelligente; & non producere determinatum effectum, niſi adiuncta voluntate, qua determinetur ad vnum. Quartò vt omnes arguunt, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundùm ſe in ratione intelligendi, eſt non ſolum bonorum, ſed etiam malorum; quæ nec cauſat, nec cauſare poteſt.

*Sexta cõcluſio, ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſub aliqua ratione non eſt cauſa.*

Magiſter. Albertus. Durandus. S. Thomas.

64. *Concluſio ſeptima.* Septima concl. Scientia ſimplicis intelligentiæ ſi conſideretur non ſolùm quatenus repræſentat poſſibilitatem operis, ſed etiam quatenus repræſentat omnes conuenientias & circunſtantias, & modos, & rationes operis faciendi, habet quidem ex ſe vim completam in ſuo genere cauſandi opus, abſque vllo actu voluntatis, ſiue eſt cauſa in actu primo; tamen vt cauſet, ſiue vt ſit cauſa in actu ſecundo, poſtulat neceſſariò vt applicetur, ſeu determinetur ad cauſandum, per liberam approbationem, & beneplacitum voluntatis. Iuxta hunc ſenſum, quem acutè diſtinxit Suarez 1. part. tract. 1. lib. 3. cap. 4. num. 15. & ex nouis Thomiſtis ſequutus eſt Nazarius hîc controu. 1. & tandem confeſſus eſt ipſemet Aluarez lib. 2. de Auxiliis d. 16. num. 8. ad 3. in 2. reſp. & poſt ipſum Gonzalez hîc. d. 38. ſect. 2. num. 11. & 19. arbitror eſſe intelligendos omnes Scholaſticos cum Magiſtro in 1. d. 38. docentes cauſam rerum eſſe ſcientiam approbationis. Quod ſignificat S. Thomas hîc in fine corporis, dicens, *ſcientia eſt cauſa rerum ſecundùm quod habet voluntatem adiunctam. Vnde ſcientia Dei, ſecundùm quod eſt cauſa rerum, conſueuit nominari ſcientia approbationis.* Et Marſilius 1. ſent. q. 40. art. 2. p. 3. ſuppoſ. 2. dicens, ſcientia ſimplicis notitiæ, in quantum talis, non eſt cauſa rei ſufficiens ad eius eſſe vel fieri.

Suarez. Nazarius. Aluarez. Gonzalez. Magiſter. S. Thomas. Marſilius.

65. *Aureolus nõ benè referens S. Thom.* Primam verò concluſionis partem expreſsè adnotauit Aureolus 1. d. 35. quæſt. 4. art. 4. inquiſ. 3. nempe, *Quòd diuina ſcientia etiam ſine voluntate, habet ex ſe cauſalitatem ſcientiæ practicæ, & operatiuæ.* Vbi contrarium tribuit S. Thomæ in hòc articulo; ſed immeritò, vt contra ipſum obſeruauit Capreolus loco & verbis citatis ſuprà num. 45. quod ego manifeſtè colligo ex articulo ſequenti ad 3. vbi cùm docuiſſet, *quòd ſcientia eſt cauſa rerum voluntate adiuncta*, & inde collegiſſet, Deum non omnia cauſare per ſcientiam, quia non omnia vult per voluntatem, hoc veluti corollarium deducit: *Non eſt in ſcientia Dei, vt illa ſint, ſed quòd eſſe poſſint.* hoc eſt, poſſe cauſare res habet ſcientia ex ſe, actu autem cauſare non habet, niſi adiungatur illi voluntas determinans, & applicans ad cauſandum. Atque hoc idem ſignificat Ægidius 1. d. 38. q. 1. circa finem corporis, quem refert, & ſequitur Argentina q. 1. art. 1. concl. 2. dum concedit, ſcientiam, vt ſcientiam, eſſe cauſam rerum, non tamen cauſam ſimpliciter, ſeu perfectam, niſi cùm habet adiunctam voluntatem. Item Carthuſianus q. 1. circa finem dicens, *quòd ſcientia Dei, vt in ſe ipſa dictans, & decernens, tunc eſſe cauſandum, eſt immediatè cauſa rerum, ſecundùm modum ſibi conuenientem; videlicet immediata cauſa exemplariter, ac ſapientialiter dirigens.* Nec diſſentit Caietanus hîc, §. *Aduerte hîc*, dicens, *Inclinatio ad opus eſt quæ dat formæ rationem actiui*; nam hanc rationem antea & poſtea vocat *determinationem ab extrinſeco:* & expreſsè hîc ſe explicat iuxta ſecundam partem huius concluſ. *ſcientia cauſæ in actu ſecundo, rationem non habet, niſi vt habet voluntatem adiunctam.*

Capreolus. Ægidius. Argentina. Carthuſian. Caietanus.

66. *Scientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſam in actu primo ſine voluntate.* Probo igitur primam partem, 1. ratione Ægidij, & Argentinæ ſuprà; *quia non eodem modo eſt cauſa rerum diuina ſcientia, & voluntas: nam ſcientia eſt cauſa mediante voluntate; voluntas verò eſt cauſa immediata*; cauſalitas autem cauſæ mediatæ, eſt diſtincta à cauſalitate cauſæ immediatæ. 2. ratione Aureoli ſuprà, quia Deus per ſcientiam ſuam cauſat res, vt exemplar rerum determinatiuum ſeu potius directiuum, ac regulatiuum potentiæ exequutiuæ, ſcilicet non per aliquam dependentiam, & imperfectionem, ſed per ſimplicem propoſitionem ac repræſentationem; huiuſmodi autem exemplaritatis rationem non habet Deus à ſua voluntate, cuius non eſt repræſentare, ſed ſolùm applicare potentiam vt operetur, iuxta repræſentationem intellectus, practicè directiuam. Ergo & ſi requiratur voluntas ad hoc vt ſcientia exerceat ſuam cauſalitatem, illam tamen cauſalitatem, ſeu vim ſuam cauſandi ſcientia habet ex ſe, & non à voluntate. 3. ratione Riccardi 1. d. 38. art. 1. q. 2. & Durandi q. 1. num. 8. *Quia Deus eſt cauſa rerum, ratione ſcientiæ dirigentis, & voluntatis imperantis, & potentiæ exequentis:* ſcientia igitur, & voluntas, ſunt diuerſæ cauſæ, quia diuerſo modo cauſant; illi repræſentando & dirigendo, ſiue ordinando ac diſponendo; hæc eligendo, & determinando, ſiue imperando.

Riccardus. Durandus.

67. *Scientia ſimplicis intelligentiæ non eſt cauſa in actu ſecundo ſine voluntate.* *Exponitur ratio articuli.* Secunda concluſionis pars de voluntate requiſita ad hoc vt ſcientia ſit cauſa in actu ſecundo optimè probatur hîc à S. Thoma à priori: quia omnis forma, ſiue naturalis, vt calor, ſiue intelligibilis, vt ſcientia practica, non eſt principium actionis per reſpectum ad ſubiectum, cui dat eſſe, ſed per reſpectum ad effectum, ad quem producendum habet inclinationem, & appetitum, vel innatum, vel elicitum: ſcientia verò practica, ex ſe non habet inclinationem ad opus, cùm indifferenter ſe habeat ad repræſentandum conuenientias operis faciendi, & alias conuenientias operis non faciendi; nihil enim aliud ex ſe habet, niſi oſtendere modum, quo poſſit fieri opus; quæ oſtenſio ſemper eſt eadem, & completa in ſuo genere oſtenſionis, ſiue opus fiat, ſiue non fiat; ſiue iudicetur opus faciendum, ſiue non faciendum. Ergo vt forma intelligibilis, actu cauſet, debet inclinari, & determinari ab alio appetitu eiuſdem generis, nempe rationali, & intrinſeco eidem intelligenti, qui eſt voluntas.

68. *Probatur demonſtratione Theologica.* Confirmari præterea poteſt hac demonſtratione Theologica. Conſtat ex fide, Deum liberè operari ad extra: conſtat etiam naturali ratione, quod omnes fatemur, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe neceſſariam, quia vt rectè dixit Baſſolus 3. d. 14. quæſt. 2. articul. 2. §. *ex prædictis*; *Præcedit actum voluntatis, & eſt circa neceſſaria*; hoc eſt, circa poſſibilia, vt ſupra num. 19. ergo vt hæc ſcientia liberè cauſet, & præſtet cauſalitatem ſuam directiuam in actu ſecundo, indiget libera determinatione: hæc autem aliunde oriri nequit, niſi à voluntate, quæ ſola eſt formaliter libera: ſicut ob eandem rationem, omnipotentia, quæ eſt perfectio neceſſaria, indiget libero voluntatis decreto, ad hoc vt actualiter cauſet in alio genere cauſæ exequutiuæ: quamuis ſuam cauſandi vim habeat ex ſe, abſque vllo reſpectu ad voluntatem liberam. Igitur dicendum abſolutè cum Magiſtro, Alenſi, Alberto, S. Thoma, & aliis primis Theologiæ parentibus, cauſam rerum nimirum præteritarum, præſentium, futurarum, non eſſe quamlibet ſcientiam, ſed ſolam ſcientiam approbationis; hoc eſt, vt ipſi euidenter declarant, ſcientiam quæ antecedit voluntatem, & à voluntate per liberum ſuum beneplacitum approbatur & determinatur ad actu cauſandum. Hæc autem ſcientia alia non eſt niſi illa, quam omnes Theologi vocant ſimplicis intelligentiæ, quatenus ſcilicet verſatur non ſolùm circa poſſibilitatem præcisè, ſed etiam circa bonitatem, & conuenientiam operis faciendi.

Baſſolus.





## DVBITATIO V.

### *An diuina ſcientia viſionis cauſata ſit à rebus futuris.*

69. *Octaua concluſio negatiua in vno ſenſu.* Octaua concluſio. Res futura, neque eſt cauſa eſſendi, neque conditio aliqua antecedens, ſeu prærequiſita ad eſſendum, reſpectu ſcientiæ viſionis, materialiter acceptæ, pro actu diuini intellectus. Ita omnes; & in hoc ſenſu ſine dubio loquuntur Magiſter, & Scholaſtici antiquiores 1. d. 38. quos ſequitur Abulenſis in c. 11. Ioſue q. 14. contendentes, diuinam ſcientiam rerum futurarum non cauſari à rebus ipſis futuris: & nolentes concedere, ſed interpretantes, quod docent Patres ſuprà, à n. 48. ad 54. *Ideo Deum præſcire futura, quia illa futura ſunt.*

Abulenſis.

70. Vnde magnus Albertus 1. d. 38. art. 3. ſcientiam Dei non cauſari à rebus futuris, probat ex eo, quòd illa ſcientia ſit nobiliſſima, & eſſentia ipſius Dei, & æterna: & in ſumma tract. 15. q. 61. membr. 3. ſic limitat, *nullo modo dicendum eſt, quòd res futuræ ſint cauſa præſcientiæ Dei ſecundùm eſſe.* Qua limitatione ſignificat, res futuras eſſe cauſam ſcientiæ, non ſecundùm eſſe & entitatem ipſius, ſed ſecundùm aliquam denominationem, ſeu terminationem, ac reſpectum. Idem probat Alenſis 1. p. q. 24. membr. 3. *quia præſcientia dependeret à ſcibili, ſicut cauſatum à cauſa*; & in fine rurſus, *Quia res temporalis non poteſt eſſe cauſa rei æternæ vt ſit.* Riccard. quoque 1. diſt. 38. q. 3. ſic limitanter loquitur; *Præſcientia, ſub ratione, qua ſcientia tantùm, nullo modo cauſatur à re futura.* Item Bonauentura q. 2. poſt medium corporis, ait, *nullo modo præſcita poſſunt eſſe cauſa præſcientiæ ſecundùm rationem eſſendi.* Et Ægidius part. 3. q. 1. init. corporis, *Non verum eſt, ideo aliquid à Deo præſcitum eſſe, quia futurum eſt: ſed potius è conuerſo, futurum eſt quia à Deo præſcitur: & ideo Boëtius ait, quod præpoſterum eſt, vt æternæ præſcientiæ, temporalium euentus cauſa eſſe dicatur.* Illud, *æternæ*, & illud, *cauſa*, ſatis ſignificant, ſermonem eſſe de aliquo reali: ſic etiam, vt alios prætercam, S. Thomas hîc ad 1. docet, illud Origenis, ideo præſcit Deus aliqua, quia ſunt futura, *Non eſſe intelligendum ſecundùm cauſam eſſendi; quia res futuræ non ſunt cauſa, quòd Deus ſciat.*

Albertus. Alenſis. Riccardus. Bonauent. Ægidius. S. Thomas.

*Probatur octaua concluſio.* Ratio concluſionis euidens eſt, quia ſcientia viſionis, ſumpta materialiter & entitatiuè pro actu diuini intellectus, eſt eadem omnino cũ neceſſaria ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ipſum intelligere Dei, quòd eſt ipſamet diuina eſſentia, omnino improducibilis, præſertim à creaturis quæ eſſentialiter exigunt à Deo cauſari: quapropter ſcientia viſionis, quoad intrinſecam ac realem ſuam perfectionem, eodem planè modo ſe haberet, ſi nulla res futura fuiſſet; res igitur futuræ, nullo modo ad illam realitatem comparari poſſunt tanquam cauſa.

71. *Nona cõcluſio: præſciẽtiæ denominatio cauſatur à rebus.* Nona concluſio. Res futuræ ſunt cauſa, ſeu prior quædam ratio prærequiſita ad hoc, vt ſcientia Dei denominetur præſcientia; hoc eſt, habent hunc reſpectum prioris ad poſterius. Ita Albertus 1. part. ſummæ, tract. 15. q. 61. membr. 3. cum Magiſtro; Alenſis 1. p. quæſt. 24. membr. 3. Bonauentura 1. diſtinct. 38. quæſt. 2. in fine corporis. Carthuſianus & Vdalricus apud ipſum quæſt. 1. concluſione 4. & alij omnes, quamuis contradicere videatur Riccardus quæſt. 3. ſed verè non contradicit, quia contendit ſolùm, illius reſpectus, quem importat illa particula, *Præ*, ſuperaddita diuinæ ſcientiæ, cauſam eſſe non ſolùm rem futuram conſequentem; ſed etiam ſcientiam antecedentem. Quod & ſi alij non affirment, non tamen negant, niſi ſolus Bonauentura ſuprà, dicens. *Secundùm rationem dicendi, futurum eſt cauſa præſcientiæ, & non è conuerſo: nam præſcientia, dicitur ſcientia ante rem: conſtat ergo quod importat ordinem ad poſterius.* Sed hoc probat ſolùm, ad denominationem prioris, requiri poſterius; tamen negari nequit requiri etiam prius; quia ad denominandam vnam rem, priorem alia re poſteriore, omnino prærequiruntur duæ, res altera prior, altera poſterior.

Albertus. Alenſis. Bonauent. Carthuſ. Vdalricus. Riccardus.

*Ad denominationẽ præſcientiæ prærequiri ſimul duo.*

72. *Ratio concluſionis.* Probatur igitur concluſio, quia ſcientia Dei à nobis denominata eſt præſcientia, ob duplicem anteceſſionem, ſeu prioritatem; alteram durationis, in quantùm omnis diuina ſcientia de futuris, ſiue bonis, ſiue malis, antecedit æterna duratione omnia futura in aliqua differentia temporis; quæ anteceſſio conuenit omni diuinæ ſcientiæ, tam ſimplicis intelligentiæ, ſiue cauſæ, ſiue non cauſæ; quàm viſionis, quæ numquam eſt cauſa; alteram cauſalitatis, ſeu naturæ, in quantum vniuerſaliter omnis cauſa, etiam in eo inſtanti temporis, in quo cauſat, præcedit natura effectum ſuum; quæ anteceſſio conuenit ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & non ſcientiæ viſionis, iuxta ſuperius dicta. Ratione primæ anteceſſionis, certum eſt non poſſe à nobis denominari vnum prius poſitiuè alio in duratione, niſi præconcipiamus, & præſupponamus, non ſolum vnum in duratione præcedente, ſed etiam aliud in duratione ſubſequente: ergo antequam denominaremus, diuinam ſcientiam præcedere duratione æterna creaturam futuram in tempore, prius in mente noſtra fuit creatura futura in tempore, quàm denominatio præſcientiæ: & ſine illa creatura, hæc denominatio fieri non potuiſſet; ergo res futuræ ſunt aliquo modo cauſa, cur ſcientia Dei denominata ſit præſcientia. Similiter de ſecunda anteceſſione; nam ſi non præſupponatur in mente noſtra effectus præconceptus, vt proficiſcens à cauſa, quamuis cauſa in re præcedat natura effectum, tamen nunquam poterit denominari præcedens; ergo cauſa denominationis præſcientiæ, ſeu ſcientiæ præcedentis natura & cauſalitate, ſunt etiam effectus futuri vi illius. Addi poteſt ob eamdem prorſus rationem; res vt futuras eſſe cauſam, vt ſcientia Dei denominata ſit viſionis: ſicut etiam res vt poſſibiles, ſunt cauſa, vt denominetur ſimplicis intelligentiæ.

73. *Decima concluſio, in quo ſenſu ſciẽtia viſionis cauſetur à rebus.* Decima concluſio. Res futura, eſt ſcientiæ viſionis cauſa, non ſolùm inferendi, ſeu cognoſcendi per conſequentiam, & illationem neceſſariam, vt tanquam omnino certum, à S. Thoma hîc ad 1. & reliquis omnibus conceditur; *ſequitur enim*, inquit S. Thomas, *ſi aliqua ſunt futura, quòd Deus ea præſcierit:* ſed etiam re ipſa eſt cauſa, ſeu conditio prærequiſita, ſeu antecedens quædam ratio, non quidem quoad realem actum ſciendi, & videndi ſiue ſcientiæ viſionis materialiter, ſed quoad extrinſecam terminationem ad rem futuram, ſiue ſcientiæ viſionis formaliter acceptæ, prout ratione diſtinguitur à ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Vbi ſuppono vnum, difficile illud quidem, tamen ab omnibus admiſſum, nempe, eamdem ſimpliciſſimam ac perfectiſſimam Dei intellectionem, in actu ſecundo completiſſimè conſtitutam ad actualiter repræſentandum quodcumque actualiter repræſentabile, ita repræſentare futura, & hæc potiùs futura quam alia, quæ non ſunt futura, ſed potuerunt eſſe futura, & repræſentari vt futura, vt ſine vlla prorſus

S. Thomas.

*Quid addat ſcientia viſionis ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.*

intrinſeca ſui variatione potuiſſet vel nullum ſimpliciter futurum repræſentare, vel repræſentare alia futura, & non hæc: vel repræſentare plura, aut pauciora quàm hæc, quæ de facto futura ſunt; ſcilicet variata ſolùm extrinſeca terminatione ad res futuras: quæ terminatio, vnde ſcientia diuina vltimò & formaliter habet vt ſit viſionis, & diſtinguatur à ſimplici intelligentia, & ſi non ſit à parte rei aliquid, quod poſitiuè mediet inter ſcientiam Dei, & res futuras; tamen ſine dubio eſſe debet aliquod poſitiuum rationis, à nobis conceptum cum fundamento in re, in quantum res futuræ ſunt obiectum, & terminus viſionis: prius enim ex natura rei eſt obiectum, quàm repræſentatio obiecti, & terminus, quàm viſio & tendentia ad terminum. Atque hoc poſitiuum appellatur reſpectus ab Alenſi 1. parte quæſt. 24. membro 1. ad 1. Vaſquez diſtinct. 68. numero 43. & reſpectus rationis à Soncinate 1. diſtinctione 38. quæſt. 2. concluſione 4. §. *Reſpondeo, negatur conſequentia.*

Alenſis. Vaſquez. Soncinas.

Hac igitur difficili, ſed communi veritate præſuppoſita, aſſero in hac concluſione aliud, quod, per ſe ſpectatum mihi videtur ſatis certum ac facile, ſcientiam viſionis quoad iſtam extrinſecam terminationem cauſari à re futura, non tanquam à cauſa propriè ac realiter influente, ſed ſolum tanquam à conditione, ſeu ratione aliqua antecedente ex natura rei; ita vt ſi poſſet eſſe alterum ſine altero, potius poſſet ſeparari res futura à terminatione ad rem futuram, quàm terminatio ad rem futuram à re futura; cum ex genere ſuo, repræſentatio obiecti, & via ad terminum, non ſit ſeparabilis ab obiecto, & termino: contra verò obiectum & terminus ſeparabilia ſint à repræſentatione, & via.

74. Hæc concluſio, ſub his diſtinctis terminis ſcientiæ viſionis, vt diſtinctæ à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non eſt in controuerſia apud antiquos Theologos, vt ſuprà num. 44. notaui etiam de 4. concluſione; & ideo ex illis nihil expreſsè habetur pro aliqua parte. Solum parti contrariæ nimis fauet Andreas de Nouo Caſtro 1. diſtinct. 39. quæſt. 5. concluſione 2. & 3. De aliis verò omnibus, in quo ſenſu loquantur, oſtendi ſupra numero 69. & 70. ſaltem recentiores Thomiſtæ, contra quos Theologi noſtræ Societatis citati ſupra numero 25. & 35. hac in re ſentiunt cum Zumel hîc in Appendice coroll. 4. Nazario controuerſia 1. Machin. diſputat. 25. ſectione 2. credere deberent grauiſſimo Ordinis Prædicatorum Magiſtro F. Franciſco Romæo teſtanti: *Quod ſi ad antiquos Doctores te conuertas, reperies ferè omnes in hanc vnam conſentire ſententiam,* &c. vt ſupra num. 45.

Nouo Caſtr. Zumel. Nazarius. Machin. Franciſcus Romæus.

75. *Probatur cõcluſio primò.* Idque ego euidenter deduco, primò ex vno omnium dicto, vſurpato etiam à modernis aduerſariis, qui deinde expreſsè negantes hanc concluſionem, minus cohærenter philoſophari viſi ſunt. Igitur vniuerſi aſſerimus, ſcientiæ viſionis obiectum eſſe res extra Deum actualiter exiſtentes in aliqua differentia temporis, ſiue futuri, ſiue præſentis, ſiue præteriti, vt ſupra numero 8. & ſequentibus; & ideo ipſemet Aluarez de Auxiliis lib. 2. diſputat. 6. ad 1. rectè dixit: *Scientia viſionis terminatur ad obiectum actu exiſtens*; ſed omne obiectum, vt formaliter obiectum, præſupponi aliqua ratione debet ante actum, vt ſupra à numero 58. ad 62. ergo res futura, eſt ratio aliquo formali modo antecedens ſcientiam viſionis, vt viſionis formaliter, & neceſſariò connexa cum illa; ergo eſt ratio à priori, & veluti cauſa illius. Secundò S. Thomas citatus ſuprà à numero 40. ad 44. quem reliqui omnes ſequuntur, præſertim Thomiſtæ, docet, ſcientiam cauſantem res, determinari à voluntate ſequente; *in qua*, inquit, *completur ratio cauſalitatis:* ergo abſque ſcientia viſionis; quæ, vt optimè docet Aluarez ſupra numero 4. *ſupponit liberum decretum diuinæ voluntatis:* & ante ipſum Bagnes infra articulo 13. §. 3. concluſione 5. verſ. *His ſuppoſitis, eſt ſimpliciter libera pendens ex libera Dei voluntate; qua voluit ab æterno producere creaturas in tempore*; res eſt completè futura; ergo cum fundamento in re debet intelligi ſcientia viſionis aduenire poſt rem futuram: neque enim poteſt intelligi aduenire vt cauſa rei futuræ, quia iam ſupponitur ex S. Thoma in præcedenti actu voluntatis completa cauſalitas; neque vt effectus voluntatis præcedentis, quæ fertur effectiuè tantum circa creaturas; non autem in actum increatum diuini intellectus, qualis eſt ſcientia viſionis; neque vlla alia ratione, niſi vt repræſentatio noui obiecti repræſentabilis, cauſari per liberum actum voluntatis antecedentis: omne verò obiectum repræſentabile præſupponitur ſuæ repræſentationi, eámque aliqua ratione cauſat.

Aluarez. *Probatur ſecundò.* Aluarez. Bagnes.

76. In hoc ſecundo argumento tantam vim ineſſe ſentit Nouo Caſtro ſuprà, vt artic. 5. concluſione 3. ad 3. dixerit, concluſionem ſuam contrariam, propter illud, reddi dubiam; & multis conatur ſatisfacere, aſſerendo, eſſe prius, ſcire futura, quàm hæc eſſe futura: *quia*, inquit, *nihil eſt futurum, niſi per voluntatem rationabilem; ergo per ſcientiam præſuppoſitam.* Verùm videtur confundere terminos formales controuerſiæ, & non ſentire contra concluſionem, quia hîc non loquimur de ſcientia antecedente, & proponente voluntati vt velit rem eſſe futuram, ſed ſolùm conſequente, & vidente rem factam futuram vi præcedentis voluntatis, quæ res futura, debet prius fieri tanquam effectus à voluntate, quàm videri tanquam obiectum ab intellectu: prius enim eſt rem conſtitui in ſe talem, quàm vt talem obiici intellectui: ſicut reſpectu alterius ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, prius eſt, rem eſſe poſſibilem ſecundùm ſe, quàm obiici, & ſcire illam vt poſſibilem. Semper igitur Nouo Caſtro loquitur de illa ſcientia, quæ eſt cauſa futuritionis, nos verò diſputamus de ſcientia, quæ reſpicit futuritionem vt purum obiectum, non vt effectum. Et impugnari poteſt ad hominem, quia articulo 2. fusè & optimè probat, Deum ideo ſcire hoc eſſe futurum; quia vult hoc eſſe futurum; ergo ſcire, hoc eſſe futurum, quæ eſt ſcientia viſionis, ſequitur liberam determinationem voluntatis; vt apertè conceſſit etiam Baſſolus 3. diſtinct. 14. quæſt. 2. articulo 2. §. *ex prædictis.* ergo ſequitur etiam ad ſcientiam, qua prior illa voluntas fuit rationabilis, ergo demum ſequitur ad id quod voluit talis præcedens voluntas, quod eſt, eſſe rem futuram: ídque apertiſſimè docuit Iuſtinus ſupra numero 48. probans prænotionem cauſari à rebus futuris, non contra; *Neque enim*, inquit, *prænotionem ſequitur quod futurum eſt; ſed quod futurum eſt prænotio*; ergo dici antecedenter, & in ſenſu aliquo cauſali, verè poteſt, ideo Deus ſcit res eſſe futuras, quia res futuræ ſunt.

*Reÿcitur reſponſio Andreæ de Nouo Caſtro.* Baſſolus. Iuſtinus.





77. *Probatur tertiò de futuris peccatis.* Argumentor tertiò ex futuris peccatis, quæ, vt colligitur ex generalibus dictis omnium Theologorum ſuprà, & expreſsè concedunt Marſilius 1. ſent. quæſt. 38. art. 4. concl. 3. Bagnes infra art. 10. circa finem, Gonzalez ibidem diſputat. 40. ſect. 3. num. 14. ſciuntur à Deo ſcientia viſionis. De peccatis autem dici piè ac verè non poteſt in ſenſu cauſali; *Ideo ſunt futura, quia Deus voluit, aut ſciuit eſſe futura*; quem ſenſum expreſsè negat Nauarrete controuerſia 59. concluſ. 5. ſed cauſaliter futura ſunt ex libera determinatione creatæ voluntatis: Quamobrem ea Deus ſcire non poteſt in aliquo ſuo decreto, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Pſalm. 5. Neque in cauſa creata libera, ac proinde indifferente & indeterminata ad vtrumlibet: ergo ſcit, & videt futura in ipſiſmet futuris, vt probabitur vberius infra, in artic. 13. ergo peccata futura, & conſequenter ob eamdem rationem cæteri omnes effectus futuri à libera voluntate creaturæ, præſupponuntur ad diuinam viſionis ſcientiam, & ſunt ratio antecedenter prærequiſita, ad hoc, vt illa ſcientia extrinſecè terminetur ad futura, & ſit ſcientia formaliter viſionis futurorum; ergo dici poſſunt aliquo modo illius cauſa; nimirum non intrinſecè influens, ſed extrinſecè terminans. Atque hanc quamcumque cauſalitatem in peccatis egregiè explicaſſe videtur venerabilis Beda tomo 8. l. variarum qq. quæſt. 13. poſt medium, his verbis, *Quid ergo? coëgit nos Deus, vt mali ſibi videremur ab æterno? abſit: nam potius nos coëgimus eum, vt nos malos videret:* Et ſtatim id confirmat exemplo, quod ad idem propoſitum multo ante ipſum attulerat Boëtius lib. 5. de conſolatione proſa 6. circa medium. *Verbi gratia*, inquit Beda, *ſi video iacere aliquem, neceſſe eſt vt ille iaceat, quem iacere video; vtique non à vidente infertur neceſſitas vt iaceat, ſed ab ipſo qui ſe depoſuit vt iaceret.*

Marſilius. Bagnes. Gonzalez. Nauarrete. Pſalm. 5. Beda. Boëtius.

78. *Probatur quartò.* Argumentor quartò ratione ſignificata à Damaſceno ſupra, numero 52. ſi non fuiſſet res futura, ſicut verè potuit non fuiſſe, tunc Dei ſcientia non fuiſſet terminata ad rem futuram, nec conſequenter fuiſſet ſcientia viſionis vt ſic; hoc eſt, vt videns res actu extra Deum. In quo ſenſu eleganter & acutè dicit Hugo Victorinus libro 1. de Sacramentis parte 2. cap. 16. *Si res futuræ non fuiſſent, fuiſſet quidem ſcientia in creatore, præſcientia autem non fuiſſet:* Contra verò ſi in Deo poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; & poſt liberum decretum de rebus futuris non fuiſſet, aut non præintelligatur eſſe ſcientia viſionis, adhuc res futuræ fuiſſent, vt ſapienter notauit Molina hîc §. *His poſitis*, quia teſte S. Thoma 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. articul. 1. ad vltimum, *In voluntate libera completur ratio cauſalitatis.* & ex dubio 3. ſcientia viſionis non ponitur in Deo propter neceſſitatem eſſendi rerum futurarum, ſed ſolùm propter perfectionem intellectus diuini, qui ob ſui infinitatem omnino illimitatam, non poteſt non terminari ad quodcumque intelligibile. Omne autem illud, quo non poſito, nec ponitur, nec poteſt poni aliud; & quo poſito, ponitur aliud non vt cauſet, ſed vt terminetur ad illud, tanquam illius ſimilitudo ac repræſentatio, dici poteſt aliqua ratione prius alio, & cauſare aliud; non autem ab alio cauſari. Ergo verè ac propriè aſſerere poſſumus, non ideo res eſſe futuras, quia Deus præuidet illas futuras; ſed contra potius, ideo Deum præuidere res futuras, quia illæ aliunde futuræ ſunt. Quæ doctrina maximè confirmatur illuſtriſſimo Iuſtini, Origenis, Hieronymi, Auguſtini, Damaſceni, & Boëtij teſtimonio; quos in alio ſenſu exponi non poſſe, oſtendam inferius.

Hugo de S. Victor. Molina. S. Thomas.



79. *Quomodo loquendum ſit.* Hactenus de re ipſa. Cæterum de modo loquendi; an ſcilicet abſolutè, abſque vlla explicatione, ac limitatione, res futura dici rectè poſſit ſimpliciter cauſa; aut melius cum Magiſtro lib. 1. ſent. diſtinct. 38. §. *Hanc igitur: cauſa ſine qua non*; & ideo Deum ſcire aliquid futurum, quia illud eſt futurum, vt ſimpliciter loquuntur citati Patres, & alij multis non videtur validè laborandum; quamuis Albertus 1. diſtinct. 38. articulo 3. in 4. argumento, *ſed contra.* Bonauentura articulo 1. quæſt. 2. poſt principium corporis, & alij, nec cum Magiſtro quidem aſſerere audeant, res eſſe cauſas, ſine quibus non, præſcientiæ diuinæ. Videtur certè res explicata prudenter & acutè à Damaſceno ſupra, n. 52. illis verbis, *Vis Dei præſciens, à nobis cauſam haudquaquam habet: at verò vt ea, quæ facturi ſumus, præſciat, à nobis proficiſcitur.* Et à Iuſtino ſupra, qui cùm abſolutè conceſſiſſet; *Quod futurum eſt, eſſe cauſam prænotionis*, id ſtatim temperatius loquens, probat ſolùm ex eo, quòd, *prænotio ſequitur quod futurum eſt.* Veriùs igitur, & cautius loquitur qui dicit; ideo diuinam ſcientiam terminari ad res futuras, quia illæ futuræ ſunt; quàm qui dixerit, ideo Deum ſcire aliquid futurum, quia illud eſt futurum: & nomen cauſæ nulla ratione videtur tribuendum creaturæ reſpectu diuinæ ſcientiæ ſimpliciter acceptæ: etenim vt prudentiſſimè aduertit Bonauentura ſupra, *Quoniam hoc nomen, cauſa, ſemper importat honorabilitatem reſpectu cuius dicitur cauſa, & quandam ſuperpoſitionem, ideo non videtur illud adhuc omnino ſanum dicere, quod ſit cauſa ſine qua non.* Quamquam idem Albertus ſupra articulo 4. ad 2. 3. & 4. ſæpe concedit, præſcientiam Dei de futuro, *dependere ad futurum; & ideo*, inquit, *actus præſciendi ex parte illa abſolutè poteſt eſſe contingens, licèt conditionatam habeat neceſſitatem.*

Magiſter. Albertus. Bonauent. Damaſcen. Iuſtinus.

## *Obiectiones Aluarez contra quartam concluſ.*

80. *Scientiam liberã, eſſe cauſam rerũ, Aluarez probat primò.* Recentiores Thomiſtæ contra certiſſimam, ac facillimam veritatem hactenus demonſtratam, & , vt clariſſimè ſupra oſtenſum eſt, contra veteres Thomiſtas, reliquóſque Theologos, multis inſurgunt, non tam zelo cauſalitatis ſcientiæ viſionis, quàm phyſicarum prædefinitionum, omnem liberum creatarum voluntatum vſum antecedentium, quas abſque prædicta cauſalitate corruere videbant, vt ſupra numero 36. Igitur inter primos Aluarez de Auxiliis lib. 2. diſput. 7. num. 5. obiicit, quia ſcientia Dei libera eſt cauſa rerum. Quod probat primò authoritate S. Th. in corpore huius articuli, & Thomiſtarum communiter, & ratione articuli, quia ſcientia, vt habeat inclinationem ad effectum, indiget voluntate libera determinante; *ergo ſcientia, quæ eſt cauſa rerum, ſupponit actum diuinæ voluntatis, ergo ſcientia Dei libera eſt cauſa rerum.*

*Secundò, ſi ſcientia Dei naturalis eſt cauſa rerum, ergo hæc cauſalis eſt vera, quia Deus cognoſcit ſcientia naturali res futuras, ideo erunt: & per conſequens, ante omne decretũ diuinæ voluntatis intelliguntur res vt futu-*

*ræ.* Confirmat quia, *ſcientia naturalis æqualiter, & indifferenter ſe habet ad omnia poſſibilia, ergo ſi illa eſt cauſa rerum, non magis produxiſſet iſtum, quàm alium mundum.*

*Probat tertiò.*

Tertiò, ſcientia naturalis eſt neceſſaria, *ergo ſi per illam Deus eſt cauſa rerum, creaturæ naturaliter proceſſerunt, & ab æterno.* Deinde ſibi rectè obiicit, his omnibus nihil aliud probari niſi requiri vt ſcientiæ cauſanti adiungatur actus voluntatis.

*Probat quartò.*

Contra quam adæquatiſſimam & facilllimam ſolutionem, arguit quartò. *Nam propterea eſt neceſſarius actus voluntatis, vt determinet ſcientiam ad alteram partem, ergo talis actus voluntatis antecedit ſcientiam, quatenus cauſat res, ergo ſcientia Dei, vt cauſat res, eſt ſcientia libera, quæ præſupponit actum diuinæ voluntatis.*

81\. *Reſpondetur vniuerſaliter ad argumẽta Aluarez. Sciẽtia dicitur libera dupliciter.*

Reſpondetur hæc omnia argumenta fundari in duabus æquiuocationibus. Altera, quia ſumunt ſcientiam liberam pro ſcientia determinata à voluntate libera: & tamen nos diſputamus de ſcientia libera, quæ ſequitur liberum actum voluntatis. Prima ſcientia dici poteſt libera, quoad rationem cauſandi; non autem libera quoad rationem cognoſcendi: quia ſcilicet per voluntatem adiunctam cauſat liberè aliquid quod aliter non cauſaret; ſed nihil omnino cognoſcit; quod ſine tali voluntate non cognoſceret. Secunda ſcientia dici poteſt libera quoad rationem cognoſcendi, quia præſuppoſita libera voluntate cauſante creaturam futuram, quæ antea non erat futura, ſed purè poſſibilis, iam habetur nouum aliquod obiectum cognoſcibile; quod antea non erat: & in hoc nouo, ac libero obiecto fundati omnes Theologi, diſtinxerunt nouam aliam ſcientiam viſionis, & liberam; & dici debet ſimpliciter libera in ratione ſcientiæ; quia ratio ſcientiæ vt ſic, eſt ratio cognoſcẽdi, non ratio cauſandi: ſcientia enim Dei, inquit S.Thomas de verit. quæſt.6.art.3.init. corp. *quia non importat vniuerſaliter habitudinem cauſæ reſpectu horum, quorum eſt, non conſideratur in ea, niſi certitudo cognitionis tantùm*, ergo ſcientia libera in ratione cognoſcendi, & non ſcientia tantum libera in ratione cauſandi, dicenda eſt libera in ratione ſcientiæ; & conſequenter, ſcientia abſolutè, & ſimpliciter libera. Altera, quia ſumunt cauſam ſolùm in actu ſecundo, & nos diſputamus etiam, imò principaliter de cauſa in actu primo: vt ſupra num.64. & acutè diſtinxit S.Thomas articulo ſequenti ad 3. his fundamentis argumenta innixa, facillimè ruunt.

*Scientia quæ dicitur ſimpliciter libera, eſt ſola ſcientia viſionis.*
S.Thomas.

82\. *Ad primũ explicatur mens S. Th. hic ad 1.*

Ad primum de authoritate S.Thomæ requirentis in hoc articulo determinationem, & approbationem voluntatis, oſtenſum eſt abundè ſupra num. 40. eſſe manifeſtè contra argumentantem. Quare duo conſequentia; quæ ex corpore articuli deducuntur, remotis æquiuocationibus; ſic ſunt intelligenda. Primum; *ergo ſcientia; quæ eſt cauſa rerum in actu ſecundo, ſupponit voluntatem, vt ſit cauſa in actu ſecundo:* at verò vt ſit cauſa in actu primo, in ſuo genere cauſæ directiuæ, præcedit voluntatem: ſicut omnipotentia, vt cauſans, eſt poſterior voluntate; vt potens cauſare in ſuo genere cauſæ exequutiuæ; eſt prior voluntate: & ſicut omnipotentia, ne ratione quidem diſtinguitur à ſeipſa, vt cauſante, & vt potente cauſare, cùm nihil in ratione omnipotentiæ intelligatur habere vt cauſans, quod non intelligatur habere, vt potens cauſare; ita eadem prorſus ſcientia, in ratione ſcientiæ, eſt, quæ poteſt cauſare antecedénter ad voluntatem, & quæ cauſat conſequenter ad voluntatem. Secundùm; *ergo ſcientia Dei libera in ratione cauſandi; eſt cauſa in actu ſecundo*; eadem verò omnino intuitiua in ratione cognoſcitiua, & obiecti cognoſcibilis, non libera, ſed neceſſaria in ratione cognoſcendi, ac proinde in ratione ſcientiæ, eſt cauſa rerum in actu primo. Demum facilè eſt dicere, contra nos eſſe *Thomiſtas communiter*, & ne vnum quidem de tanta communitate in medium proferre; quia nimirum nullus eſt, qui verè, fidelitérque proferri poſſit. Nos verò, contra aduerſarios ſtare, Thomiſtas communiter, & diximus, & fideliſſimè demonſtrauimus, commemoratis, accuratéque expenſis eorum verbis, ac ſententiis, ſupra num.44. & 45.

83\. *Ad ſecũdum, falſam eſſe hac cauſalẽ: Quia Deus cognoſcit ſcientia naturali res futuras, ideo erunt.*

Ad ſecundum, illam cauſalem eſſe falſam, primò, quia perperam aſſerit, Deum ſcientia naturali cognoſcere res futuras. Rogo igitur nouos Thomiſtas, alióſque eorum ſectatores, vt pacatè inſpicere velint punctum ſententiæ noſtræ, quia fortaſſe in veritate, & charitate conſentiemus. Nullus Theologus noſtræ Societatis hactenus aſſeruit, ſcientia naturali, ſeu ſimplicis intelligentiæ, *cognoſci* res futuras; hoc enim munus tribuimus alteri diſtinctæ ſcientiæ liberæ, ſeu viſionis: ſolum aſſerimus, ſcientia naturali adiuncta voluntate, *cauſari* res futuras; neque enim idem formaliter ſunt, *cauſari*, & *cognoſci*; nam voluntas, & omnipotentia cauſant, & non cognoſcunt: diuina ſcientia, quæ verſatur circa poſſibilia nunquam futura, & circa futura peccata, cognoſcit, & non cauſat; ipſa quoque ſciẽtia cauſa rerum; quæcumque illa ſcit, vt formaliter ac præcisè cauſa futurorum, non poteſt eſſe cognoſcens futura. Omnis enim cauſa, vt cauſa, eſt prior ſuo effectu; ſed ſcientia ſi eſt cauſa, non eſt cauſa futurorum, niſi vt ſcientia, ergo vt ſcientia antecedit futura; ergo vt ſcientia, non poteſt habere futura pro obiecto, quia ſcientia non antecedit, ſed potius ſequitur obiectum ſuum, vt ſuprà à numero 58. ad 62. ergo nulla ſcientia vt præcisè ac formaliter cauſa, dici rectè poſſet, cognoſcere futura. Secundò, ſi rectè intelligatur cauſalis de ſcientia naturali cognoſcente res, non futuras, ſed factibiles, & faciendas, iuxta ſenſum traditum ſuprà numero 34. adhuc illa cauſalis eſt falſa; quia inadæquata: res enim non erunt ex ſola ſcientia; ſed ex ſcientia, & voluntate illam determinante, & applicante ad opus. Et ideo nulla eſt conſequentia confirmationis; quia cauſa rerum non eſt ſcientia indifferens, niſi illi adiungatur voluntas determinans ad producendum hunc mundum potiùs, quàm alium.

*Differũt etiã in ſcientia practica, cauſare & cognoſcere.*

84\. *Ad 3.*

Ad tertium negatur conſequentia, quæ eodem inadæquationis vitio laborat: non enim Deus cauſat res per ſcientiam naturalem, ac neceſſariam quoad rationem cognoſcendi, & quoad vim cauſatiuam in actu primo, niſi liberè determinatam ad cauſandum in actu ſecundo: & eſt euidens inſtantia de omnipotentia, quæ eſt naturalis, ac neceſſaria Dei perfectio, per quam etiam Deus res cauſat; & tamen non cauſat naturaliter, & ab æterno; ſed liberè, & in tempore ad voluntatis beneplacitum.

*Impugnatur Aluarez ex ijs quæ concedit.*

Confirmatur reſponſio ad hominem; quia deinde Aluarez num.8. ad 3. in 2. reſp. fatetur, *Quod ſcientia Dei vt antecedit actum voluntatis diuinæ, eſt cauſatiua rerum*, ídque ſtatim & ratione, & authoritate Capreoli, optimè probat, & poſtea addit, verum eſt, quod in actu ſecundo, *ſiue quantum ad exercitium cauſalitatis, prærequirit actum diuinæ voluntatis.* Hac veriſſima doctrina poſita, ſic euidenter arguo, ſcientia ante voluntatem, quæ ſcientia per ſe eſt cauſatiua rerum, eſt ſcientia naturalis, ac neceſſaria, & ſimplicis intelligentiæ; ſed hæc eadem ſcientia, per ſe etiam, cauſat actualiter res; ergo ſcientia, quæ & habet vim cauſandi, & cauſat res, eſt ſcientia ante voluntatem; & conſequenter, non eſt ſcientia viſionis, neque libera in ratione ſcientiæ, ſed ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalis ac neceſſaria, & ſolum libera in ratione actualiter cauſandi. Vt penetretur vis conſequentiæ, aduertendum eſt, ne decipiamur, quod in ſcientia cauſante res, duo ſunt ſubtiliter diſtinguenda, & *ſcire*, & *cauſare.* illud eſt prius, vt cauſa; hoc poſterius, vt effectus. Voluntas igitur aduenjens præcedenti ſcientiæ, eámque determinans ad cauſandum, eſt quidem prior ſcientia in ratione cauſandi, tamen poſterior in ratione ſciendi. Conſequentia ergo mea ex duobus præmiſſis Aluarez non deducit, ante voluntatem eſſe, *cauſare*; ſed ſolum deducit, ante voluntatem eſſe, *ſcire*; ergo ſcientia cauſa rerum, eſt ante voluntatem in ratione ſciendi, ergo non eſt ſcientia viſionis: quia hæc in ipſa ratione ſciendi, ſeu videndi, eſſe debet poſt voluntatem.



*Quo modo in eadem ſcientia differant, ſcire, & cauſare.*

Deceptio igitur aduerſariorum eſt, quia putant, ſcientiam viſionis, vt ſic formaliter, eſſe eam, quæ cauſat, & non quæ ſcit, ac videt: Reliqui verò omnes Theologi hanc ſcientiam diſtinxerunt in ratione ſciendi, ac videndi, non in ratione cauſandi; ſed hanc rationem cauſandi, quia erat poſterior, conſiderarunt poſt rationem ſciendi; & ex terminis ipſis apparet inconueniens, aſſerere, aliam eſſe ſcientiam quæ eſt cauſatiua, & aliam quæ cauſat; ac ſi diſtingueretur duplex omnipotentia, altera cauſatiua ante voluntatem, altera cauſans poſt voluntatem; ſemper enim actus ſecundus cauſandi eſſe debet eius, cuius eſt vis cauſandi in actu primo, vt non eſt alius ſol, ſeu ignis illuminatiuus, ſeu calefactiuus; & alius qui illuminat, ſeu calefacit: & voluntas, quæ additur, ſicut non multiplicat omnipotentiam in ratione omnipotentiæ, ita nec multiplicare debet ſcientiam in ratione ſcientiæ, vt probaui etiam ſupra n.22.28.29.

*Eamdẽ ſcientiã, eſſe cauſatiuam, & cauſare.*

85\. *Ad quartũ.*

Ad quartum, Concedo antecedens, & primam conſequentiam, intellectum formaliter cum illa reduplicatione, cum qua proponitur; quia cauſare actu, tam ſcientia, quam omnipotentia, habent à libera determinatione voluntatis: ergo hæc concipienda eſt prior, tanquam ratio propter quam eſt aliud; quamuis vis earum cauſatiua, indifferens ad actualiter cauſandum, vel non cauſandum, quæ ad actualiter cauſandum determinatur, prior ſit voluntate libera actualiter determinante: Omnis enim actualis determinatio, vt ferè ex terminis patet, præſupponere debet rem aliquam indeterminatam, ſupra quam cadere intelligitur; & determinatio viſiuæ potentiæ per ſpeciem albi ad videndum album, non nigrum, præſupponit viſiuam potentiam indifferentem ad viſionem albi, vel nigri; & idem de reliquis omnibus determinationibus. Et ideo neganda eſt ſimpliciter vltima conſequentia; quia ſcientia, vt liberè cauſat, non eſt dicenda ſcientia ſimpliciter libera, quam viſionis vocamus, poſteriorem libero voluntatis actu; ſed eſt ſolum libera ſecundùm quid, hoc eſt, in ratione cauſandi actualiter; tamen eſt neceſſaria ſimpliciter, hoc eſt, in ratione ſcientiæ & cognoſcendi quæ antecedit omnem liberam voluntatem.

*Volũtas prior ſcientia, vt cauſante, poſterior vt potente cauſare.*

## *Obiectiones Aluarez contra decimam concluſionem.*

86\. *Hanc cauſalem, quia res futuræ ſunt, ideo cognoſcuntur à Deo, falſam eſſe & cõtrariam veram probat Aluarez.*
S.Thomas.

Obiicit ſecundò Aluarez in num.6. & 7. multa, ad probandum falſam eſſe iſtam cauſalem, *Quia res futuræ ſunt, ideo cognoſcuntur à Deo*; contrariam veram, *Quia Deus ſcientia libera ſciuit aliquid eſſe futurum, ideo futurum eſt.* Primò, quia hoc expreſſè docent S.Thomas hic ad 1. Auguſtinus, & Gregorius locis & verbis citatis ſupra num. 1. & Magiſter 1.diſtinct.38. qui ita arguunt, *ſequeretur, Deum accipere ſcientiam à rebus.* Quod ſi dicamus, accipere tanquam ab obiecto, nimirum purè terminante, non tanquam à cauſa efficiente; inſtat, quia tum etiam contra nos, ſequeretur, ſecundam cauſalem eſſe veram in genere cauſæ efficientis. Confirmat primò, quia obiectum immediatum diuinæ cognitionis, eſt eſſentia diuina: ergo Deus non accipit ſcientiam à rebus creatis, etiam tanquam ab obiectis. Confirmat ſecundò, quia ne Angeli quidem accipiunt ſcientiam ab obiectis creatis, à quibus non accipiunt ſpecies. Vnde S.Thomas de verit. quæſt. 2. art. 14. in corp. docet, ſcientiam noſtram cauſari à rebus; ſcientiam Angelorum non cauſari à rebus, nec eſſe rerum cauſam; ſcientiam Dei non cauſari à rebus, ſed eſſe rerum cauſam: ergo intelligit, non cauſari à rebus, etiam vt ab obiecto.

*Probat ſecũdò.*
*Probat tertiò.*
*Probat quartò.*

Secundò arguit Aluarez ex falſo principio, quod ſcientia libera ſit cauſa rerum. Tertiò, quia ex noſtra ſententia ſequeretur, quòd ſcientia Dei non eſſet infallibilis; deſumeretur enim à futura contingente, quod eſt obiectum fallibile, cùm poſſit eſſe, & non eſſe. *Quartò ſequeretur priorem eſſe voluntatem hominis, voluntate Dei, nam iuxta noſtram ſententiam, priùs fuit, quòd Paulus eſſet conſenſurus, quàm quòd Deus ſciuerit conſenſum illius futurum: hac enim ratione, dicunt, quòd ſcientia Dei, non eſt omnino antecedens liberum vſum arbitrij creati, ne tollatur eius libertas: ergo prius intelligitur conſenſus Pauli futurus ex innata libertate, quàm Deum ſcire, illum eſſe futurum; & conſequenter, quàm velle efficaci voluntate; illum eſſe futurum; & ita prior eſſet voluntas hominis, & poſterior voluntas Dei, ac per conſequens aliquid eſſet ab homine, quod non eſſet à Deo.*

87\. *Ad primum exponuntur Auguſtinus, & Gregorius.*
Nazarius.
*Exponitur Magiſter.*

Ad hæc reſponderi facilè, & clarè poteſt. Ad primum nullum eorum, quos ibi citat, affirmare ſecundam cauſalem, quam contendit probare vt veram. De Auguſtino, & Gregorio dicam infra n.130. ſaltem de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, antecedente voluntatem: Auguſtinum intelligit ex Thomiſtis Nazarius hîc controuerſia 1. concluſ.6. Præterea Magiſter nobis apertè fauet concedens futurum eſſe diuinæ ſcientiæ cauſam ſine qua non. Quo poſito ſecunda cauſalis poteſt demonſtratiuè impugnari ſic: Omnis cauſa ſine qua non, præcedit id cuius eſt cauſa ſine qua non, v.g. approximatio, quæ ab omnibus dicitur cauſa ſine qua non calefactionis, eſt prior calefactione: ſed per Magiſtrum, futura ſunt cauſa ſine qua non diuinæ præſcientiæ futurorum, ergo per Magiſtrum futura præcedunt diuinam præſcientiam futurorum, ergo per Magiſtrum nulla ratione poteſt verificari iſta cauſalis; Quia Deus ſcit aliquid eſſe futurum, ideo futurum eſt; illæ enim particulæ, *Quia, & Ideo*, in ſenſu cauſali,

 impor

important neceſſariò aliquam præcedentiam; in ſenſu autem cauſali, cauſatum à cauſa ſine qua non, nullam præcedentiam habere poteſt ante ſuam cauſam ſine qua non. Solùm negant omnes primam cauſalem. Sed iam ſupra, num. 70. euidenter oſtendi, eos loqui de ſcientia futurorum quo ad ipſum ſciendi actum, non quo ad puram terminationem ad ſcibile. Vnde Magiſter ipſis etiam verbis, quæ pro ſe affert Aluarez, illam primam cauſalem negat ex eo quia, *Tunc eius, quod æternum eſt, aliquid exiſteret cauſa ab eo alienum, ab eo diuerſum: & ex creaturis dependeret ſcientia creatoris; & creatum cauſa eſſet increati.* Quæ rationes ſine dubio concludunt ſolùm non eſſe cauſam actus ſciendi; non terminationis: nos verò cauſalem illam veram eſſe contendimus ſecundùm præcedentiam ſolius terminationis, & in ſenſu cauſali purè terminatiuo, vt ſuperius explicatum eſt.

88. Quare nego ſequelam, quæ in primo argumento ex citatis Authoribus proponitur, ſcientia enim non accipitur à rebus, quæ illam præcedunt quo ad extrinſecam rationem terminandi, & non quo ad aliquam cauſandi rationem. Vim autem inſtantiæ, quæ contra hanc diſtinctionem proponitur, non ſatis percipio: ſi enim hæc cauſalis, *Quia hoc eſt futurum; ideo Deus futurum videt*, dicitur à nobis vera in genere obiecti purè terminatiui, non in genere cauſæ efficientis, nõ video, cur hinc neceſſariò ſequatur hanc cauſalem, quam in omni ſenſu negamus: *Quia Deus videt hoc eſſe futurum, ideo futurum eſt*, eſſe veram in genere cauſæ efficientis; nam eidem liberæ ſcientiæ viſionis, benè conueniunt duo iſta ſimul, & non cauſari in genere cauſæ efficientis à rebus futuris, & non cauſare in eodem genere cauſæ efficientis res futuras. Prima confirmatio eiuſdem inſtantiæ non eſt ad rem; quia in tota hac materia, vt adnotaui ſupra num. 20. non diſputant Theologi de ſcientia diuina vt terminata ad primarium ſuum obiectum, quod eſt eſſentia Dei; ſed vt terminata ſecundariò ad creaturas. Secunda quoque confirmatio non eſt efficax, quia nolumus Dei ſcientiam cauſari, aut accipi à rebus; ſed ſolum volumus puram atque extrinſecam terminationem ſcientiæ ad res ferri. Quod nunquam negat S.Thomas, qui loco ibi citato loquitur de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non de ſcientia viſionis.

89. *Ad ſecundũ & tertium. Qua ratione ſcientia diuina futurorũ liberorum ſit infallibilis.*

Ad ſecundum probatum eſt ſupra, illud principium eſſe falſum. Ad tertium nego ſequelam: & ad probationem dico, futurum cõtingens ad quod terminatur infallibilis ſcientia Dei, eſſe fallibile in ſua cauſa; à qua poteſt eſſe, & non eſſe, non autem eſſe fallibile in ſeipſo, quod, dum eſt in ſe futurum, non poteſt non eſſe futurum: ſcientia verò Dei, non terminatur ad futurum, prout eſt fallibile, in cauſa indifferente atque indeterminata, ſed prout eſt infallibile in ſe ipſo determinatè, & ideo illa dicenda eſt ſimpliciter infallibilis, hoc eſt, non poteſt videre futurum quod non eſt futurum; nec poteſt videre non futurum, quod non eſt non futurum; quamuis ſit libera, hoc eſt, eamdem rem poſſibilem poſſit videre futuram vel non futuram, prout illa res poteſt eſſe futura vel non futura.

90. *Ad quartũ.*

Ad quartum neganda ſimpliciter eſt conſequentia; & ad probationem concedo prius intelligi conſenſum Pauli eſſe futurum, quàm Deum illud ſcire: ſed nego, idem prius intelligi, quàm Deum efficaci voluntate illud velle. Vbi multa inuoluuntur difficilia, quæ paucis explicari nequeunt. Nunc breuiter, & ſimpliciter dico, quod fusè & efficaciter probandum eſt infra, ſemper Dei voluntatem præcedere omnem effectum, & actum futurum, poſt quem intelligitur eſſe in Deo ſcientia viſionis futuri. Quamobrem non valet iſta conſequentia, ſcientia Dei de futuro, eſt poſterior futuro; ergo etiã voluntas Dei efficax de futuro, eſt poſterior futuro: quia nimirum, ſcientia viſionis futurorum, non eſt illa quæ antecedit voluntatem, eíque obiectum proponit, ſed, vt fatetur ipſemet Aluarez ſupra in fine n.5. *Præſupponit actum diuinæ voluntatis*, ex quo cauſatur futurum eſſe rei, quod, tanquam obiectum, contemplatur libera ſcientia viſionis: ergo nulla eſt conſequentia, quæ ex eo quod ſcientia viſionis eſt poſt rem futuram, colligit, voluntatem etiam eſſe poſt rem futuram.

## *Declaratur magis mens S.Thomæ hîc ad 1.*

Verùm inſtari poteſt efficacius pro Aluarez, quia S.Thomas hîc ad 1. contra ſententiam ſuam obiicit, & exponere conatur verba Origenis ſupra n.49. quę expreſsè ſunt de ſcientia, qua *ſcit Deus futurum*, quæ eſt ſcientia viſionis, eámque vult Origenes non eſſe cauſam futuri: ergo contrariam ſententiam ſequitur S.Thom. neque ſcientiam viſionis eſſe cauſam futurorum; alioqui non debuiſſet contra ſe afferre, & interpretari verba Origenis, quæ hanc cauſam apertè negant. Hoc argumento motus Molina infra art. 13. diſp.17. §. *Hoc verò* dixit, *Quamuis vt verum fateor, contrarium innuere videatur D. Thomas art. 8. ad* 1. Hæc tamen confeſſio omitti facilè poterat, & obiectio retorqueri efficaciter contra aduerſarios. Nego igitur S.Thomam verba illa afferre, ex eo quod ipſe putet ſenſum, quem manifeſtè ſignificant, eſſe contra ſententiam probatam in hoc articulo; ſed ſolum ex eo quòd aliquis alius id putare poterat, & ſibi obiicere: omnis enim obiiciens contra ſe, vt talis eſt, agit partes non ſuas, ſed aduerſariorum falſa ſentientium, qui propterea in contrarium afferre poſſunt aliquod manifeſtum dictum, quod retento illo manifeſto ſenſu, non eſt verè contrarium. Quare S. Thomas ſenſum verborum Origenis, quoad primam partem, nimirum, *Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum,* quæ verba apertiſſimè aſſerunt ſcientiam viſionis non eſſe cauſam rerum, neque negat, neque exponit: ſed ſolùm admiſſo manifeſtiſſimo illorum verborum ſenſu, dicit, illum non eſſe contra ſe, his verbis. *Origenes loquutus eſt, attendens rationem ſcientiæ, cui non competit ratio cauſalitatis, niſi adiuncta voluntate, vt dictum eſt.* hoc eſt, non loquitur de ſcientia, quæ vt probatum eſt in corpore articuli cauſat res, adiuncta voluntate determinante eius indifferentiam & oppoſitionem ad vnam partem, quæ eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non viſionis, vt ſupra n. 40. ſed de alia ſcientia reſpiciente tantum futura, quæ eſt ſcientia viſionis, cui non adiungatur voluntas determinans, ſed potius ipſa adiungitur voluntati iam per ſe liberè determinatæ. Hinc ego contra aduerſarios deduco hanc euidentem conſequentiam. Ergo ſcientia futuri, quæ ſecundùm omnes eſt ſcientia viſionis, & de qua expreſsè loquitur Origenes, non eſt ſecundùm S.Thomam illa ſcientia, *cui competit ratio cauſalitatis adiuncta voluntate:* de qua ſcientia ſermo eſt in corpore articuli. 91.

*Molinæ expoſitio nõ probatur.*

*Interpretatio Origenis quoad ſecundam partem ex S.Thoma.*

Secundam verò partem verborum Origenis, nimirum, *Ideo præſcire Deum aliqua, quia ſunt futura.* interpretatur ibidem S. Thomas, & de verit q. 2. ad 14. *ſecundùm cauſam conſequentiæ, non ſecundùm cauſam eſſendi.* Quæ interpretatio tradita etiam ab Alberto 1.d.38.art.3. Carthuſiano q.1.concl.3. & aliis, eſt quidem vera, imò etiam adæquata ad præſens eorum inſtitutum, quo de ſcientia diuina, accepta ſecundùm reale ſuum eſſe ſcientiæ, intendunt probare, eſſe cauſam rerum, & non eſſe cauſatam à rebus; quod nullus catholicus negat: tamen non eſt adæquata ſimpliciter, ad mentem Origenis, & aliorum Patrum, qui loquuntur eodem modo, vt ſupra, à n.48. ad 54. vt benè adnotauit Andreas de Nouo Caſtro 1.d.39.q.5.art.1.c.3. obiect.1. & latius probans Suarez opuſc. de ſcientia Dei lib.1.cap.5.n.7. Vaſq.d.68.c.6. Machin.hîc diſp.25.ſect.2.init. tum quia, vt omnes arguunt, & rectè docuit Bonauent.1.d.38.ar.1.q.2. circa finem corporis; præſcientia diuina & res futuræ, *Secundùm rationem inferendi ſunt mutuo cauſæ; quia mutuo antecedunt & conſequuntur; & antecedens eſt cauſa conſequentis.* Sed Origenes, & alij Patres in eodem cauſalitatis ſenſu, quo concedunt hanc cauſalem, *Ideo Deus præſcit futura, quia ſunt futura*; negant immediatè hanc aliam cauſalem, contrariam, *Ideo ſunt futura, quia Deus præſcit futura*; alioqui in eadem breuiſſima, & contraria oratione multum æquiuocarent. Sed ſecunda cauſalis eſt etiam vera ſecundùm cauſam conſequentiæ: ergo Patres loquuntur de aliquo cauſalitatis genere, quod negant præſcientiæ reſpectu futurorum, concedunt futuris reſpectu præſcientiæ. Tũ quia Euſebius ſupra n.52. id aſſerit dubitans *ne multis fortaſſe abſurdum videatur.* Quæ dubitatio de ſola cauſa inferendi fuiſſet irrationabilis. Quis enim pro abſurdo habere poteſt, quod ſi res eſt futura, bene inferatur: ergo Deus ſcit illam eſſe futuram. Tum quia verba Patrum manifeſtè ſignificant id quod eſt à parte rei, & non rationis noſtræ illationem: Nam Origenes ait, *erit. Futurum eſt.* Imò, quod hanc veritatem maximè illuſtrat, docet, rem futuram, etiã ſi non præſciretur à Deo: ablata verò præſcientia, eſt impoſſibile ex præſcientia inferre rem futuram: ergo non loquitur de futuro, vt illationis factæ ex præſcientia futuri. Tũ quia omnes, & Patres, & Scholaſtici negant hanc cauſalẽ de peccatis. *Quia Deus ſcit Petrum peccaturum, ideo Petrus peccabit,* quæ tamen negari non poteſt ſecundùm cauſam inferendi: quam tamen negare non dubitauit Cabrera in 3. p. t. 3. q.62.art.1.diſp.12.§.15.n.339. & propterea dicens, hoc Suarez argumentum nullius eſſe momenti: ſed momentum quod verbis negat, factis fatetur; quia cùm vellet probare ſcientiam diuinam reſpectu peccatorum non eſſe cauſam inferendi, attulit rationes tantùm probantes, non eſſe cauſam eſſendi, vt conſtare poteſt cuilibet eum legenti. 92.

*Interpretatio Origenis quoad ſecundam partem ex S. Tho. Alberto, & Carthuſiano.*



Nouo Caſtro. Suarez. Vaſquez. Machln. Bonauent.

*Nõ poteſt intelligi Origenes de ſola cauſa inferẽdi.*

Cabrera.

## *Examinantur aliæ Patrum interpretationes.*

93. *Prima interpretatio S. Thomæ de cauſa cogente.*

Inadæquatæ eodem modo ſunt aliæ interpretationes. Prima, *quòd intentio Origenis eſt dicere, quòd ſcientia Dei non eſt cauſa, quæ inducit neceſſitatem in ſcito, vt ex hoc cogatur aliquid euenire, quia Deus illud ſciuit.* vt ait S.Thomas de verit.q.2.ar.14. ad 1. & ſequitur Cabrera infra, quia hoc ipſum intendebat ibi probare Origenes, ſicut etiam Hieronymus, & Euſebius, nempe, præſcientiam non imponere neceſſitatem rebus: ídque optimè probant ex eo, quòd præſcientia non eſt cauſa rerum, ergo petiiſſent manifeſtè principium, ſi id probaſſent: quia præſcientia non eſt cauſa neceſſitans. Imò ibidem Origenes ſic addit, volens id magis probare. *Nam & ſi, v.g. fingimus, Deum non præſcire aliquid, futurum ſine dubio erat:* ergo ſentit, præſcientiã non eſſe cauſam ſimpliciter eſſendi rei futuræ. Præterea Origenes, Iuſtinus, Auguſtinus, & alij Patres, per eamdem prorſus ſententiam intendunt probare, Deum non eſſe cauſam peccati; de quo etiam caſu expreſsè loquuntur. Eſto autem, Deus non ſit cauſa neceſſitans; hinc tamen non tolleretur, quin eſſet ſimpliciter cauſa peccati: ſicut non eſt cauſa neceſſitans reſpectu bonorum operum, quorum tamen eſt per ſe & primaria cauſa.

Secunda Magiſtri apud Nouo Caſtro ſuprà, de cauſa ſine qua non: quia ſcilicet, ſi res non eſſet futura, Deus non ſciret illam futuram; & propterea dicunt Patres. Ideo Deus ſcit futurum aliquid, quia illud eſt futurum, ſed hæc, vt prudenter dixit Bonau.1.d.38.art.1.q.2. circa med. corp. *Non ſoluit authoritatem Origenis, quia ipſe negat conuerſam.* Etenim vt magis explicat Nouo Caſtro ſupra, eandem interpretationem impugnans, *Æquè eſſet verum è conuerſo, quod ideo A. eſt futurum, quia Deus ſcit A. fore; quod tamen negat Origenes.* 94.

*Secũda interpretatio Magiſtri de cauſa ſine qua non.*

Bonauent.

Tertia Bonauenturæ ſupra in fin. corp. Carthuſiani ſupra, & Alenſis apud ipſum, & Nouo Caſtrenſis ſuprà, de cauſa non eſſendi & inferendi, ſed denominandi, quia ſcilicet, res futura, eſt cauſa vt ſcientia Dei de futuris, denominetur præſcientia: ſed non ſatisfacit, tum quia, vt probatum eſt ſupra n.71. cum Riccardo illud, *Præ*; ſeu reſpectus, cauſatur multò magis à ſcientia, quæ eſt æterna, & cauſa: & tamen Origenes, & alij Patres expreſsè negant cauſari à ſcientia, & affirmant ſolum cauſari à futuro. Tum quia non faciunt vim in illa particula, *Præ*, cùm indifferenter loquantur modò de præſcientia, modò de ſcientia: neque vtuntur verbis ſignificantibus denominationem, ſed rem ipſam. 95.

*Tertia interpretatio Alẽſis, Bonauenturæ, Carthuſiani, Noui Caſtri de cauſa denominandi.*

Quarta Vdalrici apud Carthuſianum 1. d. 38. q.1.col.4. Andreæ de Nouo Caſtro d.39.q.5.art.1. concl.3. ad 1. Cabreræ tom.3. in 3.p.q.62. artic.1. diſp.12.§.15.n.342. Origenem loqui ſolùm de malis futuris, ſed ſupra tam de Origene, quàm de aliis Patribus oſtendi, eos loqui vniuerſaliſſimè de omnibus futuris. Præterea Origenes, & alij Patres non ſolùm negant, præſcientiam eſſe cauſam futurorum, ſed contra affirmant, futura eſſe cauſam præſcientiæ, æquale autem inconueniens, imò maius eſt, cauſam præſcientiæ eſſe futura mala, quam futura bona; ergo irrationabiliter reſtringuntur dicta Patrum ad priora tantùm futura. Demum Patres docentes, præſcientiam non eſſe cauſam futuri, ſed futurum præſcientiæ; id dixerunt propter noſtram libertatem, quæ tam eſt de malis, quàm de bonis. Neque ſatisfacit Nouo Caſtro ſupra, dicens, Deum ſcire futurum peccatum, v.g. Iudæ non immediatè ex eo quod illud eſt futurum, ſicut ſcit futurum bonum; ſed mediatè, & quodammodo indirectè. *Quia*, inquit, *Deus præſciuit omne futurum, & Iudam prodere Chriſtum, erat futurum.* Hæc enim expoſitio non tollit, ſed tegit difficultatem; quia nihil aliud verè dicit, niſi Deum ſcire omnia futura; & bona & mala; quod omnes catholici fatemur; ſed controuerſia eſt, an prius ſit eſſe futurum, quàm præſciri futurum: & cur prius ſit eſſe futurum bonum, quàm eſſe futurum malum, reſpectu diuinæ præſcientiæ, ex quibus facilè confutatur etiam ſpeculatio Nauarrete controu. 59. concluſ.5. quòd Patres loquantur de actibus liberis, quatenus abſtrahunt à bonis & malis: eſt enim expoſitio omnino voluntaria, quia Patres expreſsè, & in particulari loquuntur de bonis & malis, vt patet ex verbis, & ſententiis eorum ſupra relatis. 96.

*Quarta interpretatio Vdalrici, Noui Caſtri, Cabreræ de peccatis.*

*Nauarrete ſpeculatio reiicitur.*

Quinta

97. *Quinta interpretatio Alenſis, Alberti, Carthuſiani, Trigoſij de ſcibilitate obiecti.*

Quinta Carthuſiani ſuprà, & apud ipſum Alenſis, quem ſequitur Trigoſius 1.p.q.10.art.2. in expoſit. text. ad 1. tribuens etiam Alberto de Miro paſſiuè ex parte ſcibilis; vt ſit ſenſus. *Quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat*; hoc eſt, habet aptitudinem vt ſciatur. Verum prædicta Origenis verba clariſſimè exprimunt ſcientiam ipſius Dei, non ſcibilitatem obiecti; alioqui nulla eſſet oppoſitio inter duas cauſales, quas vt contrarias proponit Origenes. *Non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo:* ſenſus oppoſitionis planiſſimus eſt hic, diuina ſcientia de futuro, non eſt cauſa futuri, ſed contra potius futurum eſt cauſa diuinæ præſcientiæ de futuro. Præterea alij Patres manifeſtè loquuntur de ſcientia Dei in vtraque cauſali, vt Iuſtinus, *Prænotio non eſt cauſa futuri, ſed futurum cauſa eſt prænotionis.* & Hieronymus; *Non ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit.* Idem obſeruare licet in verbis Auguſtini, Damaſceni, & Boëtij ſupra num. 51. 52. & 53.

98. *Sexta interpretatio Nazarij, Gonzalez, Ripæ, Cabreræ, de ſciẽtia præciſa à voluntate.*

Sexta interpretatio Nazarij hic controuerſia 1. concluſ.9. Gonzalez diſtinct.38.ſect.1. & 3. ad 1. Ripæ art.13.dub.4.cap.4. Cabreræ ſupra num.339. & 341. fundatur in verbis S.Thomæ hîc ad 1. non bene intellectis, vt ſupra num. 91. Quod Origenes loquatur de præſcientia per ſe & ſolitariè accepta, quæ vt ſic præciſè non cauſat res, ſed ſolùm vt habens voluntatem adiunctam, vt ſupra num. 67. & 68. Hic autem dici verè non poteſt, quia Origenes & alij Patres apertiſſimè loquuntur de præſcientia reſpiciente res vt futuras: ſed ante diuinam voluntatem nulla res eſt futura potius quàm non futura, ergo non loquuntur de præſcientia præciſa à voluntate. Illa etiam impoſſibilis hypotheſis Origenis ſupra numero 49. euidenter ſignificat, ipſum loqui de quadam præſcientia quæ eſt poſt voluntatem: nam ſi tollitur præſcientia; quæ eſt ante voluntatem, voluntas etiam ipſa, quæ ſine præuia cognitione operari non poteſt, tollatur neceſſe eſt, & conſequenter, nulla prorſus creatura eſſe poſſet; præſcientia autem, quæ eſt poſt voluntatem, eſt illa, quam omnes Theologi vocant, ſcientiam viſionis.

Confirmatur euidenter, quia Patres non ſolùm docent, præſcientiam non eſſe cauſam futuri, ſed contrà addunt, futurum eſſe cauſam præſcientiæ: futurum verò non poteſt eſſe cauſa præſcientiæ habentis adiunctam voluntatem, cùm creatura nequeat eſſe futura niſi poſt voluntatem, ergo futurum non poteſt eſſe cauſa præſcientiæ, niſi quæ eſt poſt voluntatem, ergo de hac viſionis ſcientia loquuntur Patres. Vnde Iuſtinus expreſsè habet, quòd præſcientia ſequitur rem futuram, & eſt illa poſterior, non contra: præſcientia autem præciſè ante voluntatem, non poteſt ſequi rem futuram.

99. *S. Thomã in hoc ar. ad 1. non bene exponi à Gõzalez.*

Quare non videtur neceſſarius diſcurſus Gonzalez ſupra, qui ex eo quod S.Th. ad 1. dicat verba Origenis intelligenda eſſe illatiuè, non cauſaliter, vt ſupra num. 92. deducit S. Thomam, *Nullam prioritatem, etiam rationis, concedere rebus per ordinem ad ſcientiam Dei.* ſi enim eſſet alia prioritas, præter prioritatem inferendi, & prioritatem eſſendi, inquit, *Malè deduceret D. Thomas quod ſi illæ particulæ Ideo; Quia, non ſumerentur ſolùm illatiuè ſecundùm illationem conſequentiæ, deberent ſumi cauſaliter ſecundùm cauſam eſſendi: &, quòd res futuræ, eſſent cauſa, quòd Deus ſciat illas.* Hic diſcurſus non ſubſiſtit, quia totus fundatur in eo, quòd S. Thomas dicat, *illas particulas, Ideo, Quia, illatiuè ſolùm eſſe accipiendas, in hac propoſitione, Ideo Deus ſcit futura; quia illa futura ſunt.* Sed S.Thomas, neque addit, neque cum veritate addere poterat illud, *ſolùm*; quia præter prioritatem inferendi, & eſſendi, dantur duæ aliæ prioritates, & denominandi, & terminandi. Quare qui legit textum S.Thomæ, clariſſimè aduertet, illum non ita arguere, *ſi illæ particulæ non ſumuntur illatiuè, ergo ſumantur cauſaliter*, vel, *ergo res ſunt cauſa, quòd Deus ſciat.* Sed ſimpliciter dicit, *ſumuntur illatiuè, non cauſaliter*; & ſtatim vtrumque probat, primum, quia *ſequitur, ſi aliqua ſunt futura, quòd Deus ea præſcierit*, ſecundum, quia *res futuræ non ſunt cauſa, quòd Deus ſciat.* Cur autem S.Thomas alias prioritates omiſerit, ſignificaui breuiter ſupra n.98. non enim aliud erat præterea neceſſarium ad rem, de qua in hoc articulo tractabat; nimirum, actum diuinæ ſcientiæ, acceptum ſecundùm eſſe ſuum reale actus, & ſcientiæ cauſare res, & conſequenter, non cauſari à rebus, ſcilicet ſecundùm illum idem eſſe, ſecundùm quod cauſat. & ideo veriſſimè & ad propoſitum articuli, negat, Origenem loqui de cauſa eſſendi: affirmat autem loqui de cauſa inferendi, cùm non minùs verè affirmare potuiſſet, loqui de cauſa denominandi, vel terminandi, quia illa viſa eſt facilior, & intelligibilior.

Maneat igitur, quod probatum eſt ſupra, concluſ. 10. Patres in vtraque cauſali loqui de cauſalitate ſeu prioritate terminationis; qua ſcilicet, ſcientia viſionis non eſt prior futuro, ſed contra potius, futurum eſt prius ſcientia viſionis. Et propterea in hoc ſenſu veriſſimè dicunt, non ideo aliquid eſſe futurum, quia illud futurum ſcit Deus: ſed è conuerſo, ideò ſcit Deus aliquid eſſe futurum, quia illud ex aliis cauſis eſt futurum. 100. *Vera Patrum interpretatio.*

Quam vltimam interpretationem ex Thomiſtis Dominicanis ſequitur Nazarius hîc controuerſ. 1. concl.6. & fatetur Zumel tom.1. var.diſp. concl. 1. §. *Hanc aſſertionem.* ſed nimis liberè addit, ſe id tenere contra Origenem, & alios Patres Græcos: neque enim fas eſt moderno Theologo apertè contradicere grauiſſimis Patribus, quos vniuerſi Theologi, & veteres, & recentiores, reuerenter interpretantur. Nazarius. Zumel.

## *Obiectiones Ripæ, & Nazarij.*

Obiicies præterea vnicum fundamentum Ripæ infra, art.13. dub.14.cap.1. omiſſis noſtrorum Theologorum omnium contemptu, & contumeliis, quibus ferè ſolis vir ille contra nos pugnat. Sic igitur arguit: Res cauſantur à ſcientia ſimul cum voluntate, ergo à ſcientia viſionis, & non à ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ quæ voluntatem præcedit. Hac, vt ipſe quidem exiſtimat, certiſſima demonſtratione ſic concludit. *Quamobrem iuxta communem, certámque antiquorum doctrinam, quæſito huic, nullo negotio reſpondetur: & videlicet, ſcientia viſionis noſſe Deum futura; & hanc eamdem ipſorum cauſam eſſe.* 101. *Fundamentum Ripæ.*

Reſpondeò, concedo antecedens, quod eſt de fide; nego conſequentiam, quæ ſupponit vnum apertiſſimè falſum in omnium Theologorum ſententia, etiam recentionem Thomiſtarum, & ipſiuſmet Ripæ, ſi conſequenter loqui velint: nempe, ſcientiam viſionis non eſſe aliud niſi ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſimul cum voluntate. Primò quia Aluarez, Nazarius, & alij Thomiſtæ 102. *Reſpondetur probãdo ſciẽtiam viſionis non eſſe ſciẽtiã ſimul cũ voluntate.*



ſuprà citati dicunt, ſcientiam viſionis ſequi & ſupponere voluntatem. & ipſemet Ripa cum S. Thoma & reliquis omnibus fatetur, ſcientiæ viſionis obiectum eſſe futura. hoc poſito, ſic vrgeo. Omnis ſcientia practica, quæ eſt cauſa ſui obiecti, priùs reſpicere debet ſuum obiectum vt cauſabile, quàm vt cauſatum ſiue vt effectum, vt conſtat ex terminis; omnis enim cauſa non poteſt præſupponere id quod cauſat, ſub ratione qua cauſatur, ſed ſub alia ratione, qua eſt cauſabile. Ergo ſi ſcientia viſionis cauſat futurum vt futurum, non poteſt præſupponere futurum vt futurum: præſupponere autem debet aliquod obiectum cauſabile vt cauſabile: ſed ſcientia viſionis ſecundùm Ripam & vniuerſos Theologos, nullum aliud habet obiectum niſi futurum vt futurum. Ergo præſupponere debet futurum: ergo etiam volũtatem; & conſequenter, non poterit cauſare futurum, vt futurum. Secundò à priori, quia ſcientia viſionis, vt diſtincta ſcientia à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, debet ſuprà hanc addere aliquid pertinens ad rationem & genus intellectiui, ſed voluntas ad hoc genus non pertinet. Ergo inſufficientiſſimè diſtinguitur ſcientia viſionis, in ratione ſcientiæ & viſionis, per additionem ſolius voluntatis; hæc enim additur etiam omnipotentiæ cauſanti in actu ſecundo, & tamen non diſtinguit aliam omnipotentiam ab ea cui additur.

103. *Reſponſio Ripæ & Nauarrete confut.*

His aliiſque noſtrorum argumentis abundè ac facilè ſatisfacere ſe putat Ripa c. 4. cum Nauarrete controuerſ. 59. §. 1. concluſ. 7. & 8. dicens, quòd *viſionis ſcientia non vno modo, ſed duobus verſetur circa res ipſas futuras, primò, vt effectrix: ſecundò, vt ſpeculatrix.* Primo modo ait, eandem ſcientiam eſſe ſe ipſa priorem; ſecundo autem modo poſteriorem. Verùm hoc faciliùs dici quàm intelligi poteſt. Quis enim vnquam, aut Theologus, aut Philoſophus aſſeruit ſcientiam priùs ratione efficere, quàm cognoſcere? ne in diuinis quidem, priùs eſt generare, quàm intelligere: & in humanis, quis fingi poteſt artifex, niſi planè ſtultiſſimus, qui potiùs artificioſè operetur, quàm præconcipiat quod artificioſè poteſt, ac debet operari? ſemper igitur tenetur Ripa in priori ſigno rationis aſſignare ſcientiæ aliquod præcedens obiectum, quòd non ſit ab ea cauſatum. Ergo ſi ab eo vult cauſari futurum vt futurum, tenetur fingere aliud viſionis obiectum, præter futurum vt futurum; & tunc incidet in abſurdum, quod contra nos infert, & non probat; ſcilicet, de ſcientia viſionis ſentiet contra omnes Doctores, & antiquos, & modernos, qui nullum aliud obiectum ſcientiæ viſionis tradiderunt, niſi futurum, & vniuerſaliter, ens actuale extra cauſas, ſiue futurum, ſiue præſens, ſiue præteritum. *Scientia practica priùs cognoſcit, quã cauſet.*

104. *Obiectio Nazarij.*

Obiicies etiam ex Nazario hîc controuerſ. 1. concluſ. 1. & 2. Vera eſt hæc cauſalis; quia Deus liberè voluit, hoc eſſe futurum, ideò ſciuit hoc futurum; falſa contraria, quia ſciuit, ideò voluit.

*Reſponſio.*

Reſpondetur longè aliam eſſe controuerſiam huius loci. Neque enim Patres, neque S.Thomas in hoc articulo, neque alij Scholaſtici, in his propoſitionibus cauſalibus loquuntur, de voluntate reſpectu ſcientiæ, nec de ſcientia reſpectu voluntatis; ſed ſolùm de ſcientia reſpectu futuri, & de futuro reſpectu ſcientiæ, vt patet ex omnibus ſuperioribus dictis: illæ verò cauſales longiſſimo, & grauiſſimo indigent examine, de quo infrà, articul.13. Cætera quæ ibidem affert Nazarius, vel non ſunt nobis contraria, vel ſuperiùs ſoluta, & confutata ſunt.

## *Obiectiones Gonzalez contra quartam concluſionem ex S. Thoma.*

105. *Obiicitur ex 1. loco S.Thomæ.*

Demum ex Thomiſtis, omnium nouiſſimè, & copioſiſſimè inſurgit contra nos Fr. Gonzalez diſput. 38. ſect. 2. vbi in 1. concluſ. arguit primò ex S. Thoma infrà artic. 16. ad 1. dicente, *Quòd ſcientia Dei eſt cauſa actu, eorum quæ ſecundùm aliquod tempus fiunt; cauſa verò virtute, eorum quæ poteſt facere, & tamen nunquam fiunt.* Hinc Gonzalez deſumit hoc argumentum, quod vocat efficax. *Scientia ſimplicis intelligentiæ ſolùm eſt eorum quæ poteſt Deus facere, & tamen nunquam fiunt; ſed ſcientia diuina eorum quæ poteſt facere, & tamen nunquam fiunt, non quidem actu, ſed virtute eſt cauſa: igitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ non actu, ſed virtute eſt cauſa rerum. Conſequentia eſt infirma. Maior eſt definitio ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Minor eſt D.Thomæ.* Atque hanc ſcientiam dicit eſſe *antiquorum Theologorum*, quod faciliùs eſt aſſerere, quàm probare; & ideò prudenter eos non retulit.

106. *Reſp. argumentum peccare in forma.*

Reſpondetur, conſequentiam non eſſe in forma. Bonus autem Logicus ſic eam formaret. *Igitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non actu, ſed virtute eſt cauſa eorum, quæ poteſt Deus facere, & tamen nunquam fiunt.* Quod conſequens in aliquo ſenſu ego expreſsè concedo, & probo ſuprà dub. 4. concluſ. 7. cum Suarez & aliis, nec vllus Theologus negat. Præter hoc vitium manifeſtum, eſt in conſequentia aliud vitium, quod ſicut eſt magis occultum, ita eſt magis graue. Scientiæ enim ſimplicis intelligentiæ termini, qui ſunt res poſſibiles, aliter ſumuntur ac ſupponuntur in concluſione, aliter in maiore; in concluſione accipiuntur ſolùm vt formaliter effectus, vt ex verbis ipſius patet: in maiore accipiuntur ſolùm vt formaliter obiectum; nam eam maiorem Gonzalez ſumit vt definitionem illius ſcientiæ traditam à S.Thoma, & ab omnibus aliis Theologis: quilibet verò Theologus, vel mediocriter verſatus in hac materia, non ignorat, illam ſcientiam definiri per poſſibilia, tanquam formaliter obiecta, non tanquam formaliter effecta: vnde & qui negant, & qui affirmant, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe eorum cauſam, dicunt, eam eſſe tantùm poſſibilium; alioqui maior illa, *Scientia ſimplicis intelligentiæ ſolùm eſt eorum, quæ poteſt Deus facere, & tamen nunquam fiunt,* eſſet falſa, & peteret principium: quia ſententia noſtra, quam Gonzalez impugnare intendit, eſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſam omnium rerum, tam poſſibilium, quàm actualium; ſed poſſibilium tantùm, eſſe cauſam in potentia, ſeu virtute, nullo poſito actuali voluntatis decreto: actualium verò eſſe cauſam in actu, adiuncta actuali voluntate. Quapropter peteretur principium, ſi ad hoc impugnandum ſumeretur, ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſolùm cauſa poſſibilium, non actualium.

107. *Ens actuale eſſe effectum, & non obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ.*

Neque dicere poteſt Gonzalez, ſe aliter arguere à ratione obiecti ad rationem effectus ſic. Actualia non ſunt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Ergo neque ſunt effectus; tunc enim facilè negaretur conſequentia, quia ratio obiecti, & ratio effectus, ſunt rationes oppoſitæ, in quantum ratio obiecti eſt prior ſcientia,

ſcientia, ipſum repræſentante, atque exprimente: ratio effectus eſt poſterior cauſa, ipſum producente. Ergo non reſpicere aliquid vt obiectum, malè infert, non reſpicere illum vt effectum. Præterea ſcientia, quæ eſt cauſa, priùs natura quàm actu cauſet, habet ſuam virtutem, qua poteſt cauſare actu; hæc autem virtus in ſcientia eſt ipſa ratio ſcientiæ, quæ non poteſt intelligi ſine aliquo obiecto. Ergo hoc obiectum eſt priùs natura, quàm ſit actualis cauſalitas ſcientiæ. Ergo hæc non eſt obiectum ſcientiæ, & tamen eſt effectus. Ergo ex eo quòd actualia non ſunt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, non licet deducere, non eſſe effectus. Vt igitur intelligamus poſſe actualia cauſari, & actu cauſari ab aliqua ſciẽtia, ſatis eſt, quãtũ ad præſens argumentũ, quòd ſcientiæ obiiciantur actualia, non ſub ſtatu actualitatis, ſic enim obiicerentur vt iam cauſata; antequam eſſent verè cauſata, quod eſt abſurdum; ſed ſolùm ſub ſtatu poſſibilis cauſari, quomodo obiici ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, probatum eſt ſupra num. 10. ad 15. & ſtatim ac ſcientia ſimplicis intelligentiæ, actualiter cauſat, & res quæ antea erant vt poſſibiles tantum, facit etiam eſſe actuales extra cauſam, eo ipſo conſtituit nouum obiectum ſcibile, cui omnes Theologi aſſignarunt nouam diſtinctam ſcientiam viſionis.

108. *Scientia ſimplicis intelligentiæ, ſi eſt cauſa in actu primo, debet etiam eſſe cauſa in actu ſecundo.*

Tandem ex vna parte, quam in primo dicto ſuo concedit Gonzalez: *ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa rerum virtute*, probari efficaciter poteſt alia pars, quam negat, *ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt rerum cauſa actu*, vt contra Aluarez notaui ſupra in fine num. 84. Quæ duo dicta, quà ratione cohæreant, fateor me non poſſe percipere; nam omne id quod eſt cauſa virtute, & potentia cauſandi actu, illud idem poſitis omnibus ad cauſandum neceſſariò prærequiſitis, eſt quòd actu cauſat; vt patet vniuerſaliſſima inductione in omnibus cauſis; & manifeſta ratione, quoniam cauſare actu eſt actus ſecundus, omnis autem actus ſecundus oriri debet à ſuo actu primo, qui eſt eſſentialiter virtus & potentia cauſandi actum ſecundum: ſed per ſe ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt rerum cauſa virtute, ergo eadem ſcientia eſſe debet rerum cauſa actu; & ſi, vt ſit actu cauſa, prærequirat liberam voluntatis determinationem, quæ non eſt ipſa actualis cauſalitas ſcientiæ, ſed actualis applicatio ſcientiæ ad actu & liberè cauſandum, cauſalitate actuali promanante ab intrinſeca virtute cauſandi actu, quam in ſe habet ſcientia, vt ſcientia, independenter à voluntate; & eſt aptiſſimum exemplum, quod propterea non ſemel attuli, & infra etiam afferam, de omnipotentia quæ accedente determinatione liberæ voluntatis, eſt cauſa actu exequens, quia ipſa eadem ante voluntatem, & ex ſe intrinſecè, eſt cauſa virtualiter & potentialiter exequutiua, ergo pari prorſus ratione, ſi ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt ex ſe intrinſecè cauſa, virtualiter, & potentialiter directiua; illa eadem liberè determinata, & applicata à voluntate, eſſe debet cauſa actu dirigens.

109. *Falſa ſentẽtia Gonzalez de ſcientia viſionis.*

Quod tandem fatetur Gonzalez num. 19. ſed preſſus noſtro argumento addit; *Quòd ſcientia futurorum non eſt noua ſcientia diſtincta à ſcientia poſſibilium, ſed ſolùm addit nouum modum per habitudinem ad diuinam voluntatem determinantem illam ad res futuras*, idque tribuit S. Thomæ de verit. quæſt. 3. art. 3. ad 5. Magiſtro 1. diſt. 38. Auguſtino lib. 6. de Trinit. c. 10. vbi nil tale habetur, quod ne ſim longior, & quia clariſſimum eſt, cuilibet legenti conſiderandum relinquo: & præterea qui legit, prudenter animaduertat, quo tandem deuenerint noui Thomiſtæ, qui cùm viderent non poſſe defendi phyſicas prædeterminationes, niſi etiam defenderent ſcientiam viſionis eſſe rerum cauſam, propter hoc negarunt tandem re ipſa, licèt verbis concedant, ſcientiam viſionis: quod longè maius inconueniens eſt, quàm illud, quod nobis obiiciunt de ſcientia media, vt ſuper n. 24. Quod autem omnes planè Theologi, diuidentes ſcientiam Dei in intelligentiam, & viſionem, intellexerint duas ſcientias, ratione diſtinctas in formali ratione ſcientiæ, & non vnam eamdémque formaliter ſcientiam, ſed vel ſine voluntate, vel cum voluntate, eſt faciliùs ex ſe intelligere, ſi attentè conſiderentur, quæ de hac ſcientiæ diuiſione ex omnibus Theologis retuli dub. 1. & 2. quàm probare. *Scientias intelligentiæ, & viſionis, diſtingui in ratione ſcientiæ.* Satis ſit, aduerſarios conuincere, vel ex ipſis harum ſcientiarum nominibus, quibus ipſi etiam vtuntur; & ex obiectis, quæ ipſi etiam aſſignant: vocamus enim ſcientiam intelligentiæ, ſeu notitiæ, & ſcientiam viſionis; intelligere autem, & videre, ad intellectum pertinent, non ad voluntatẽ: vnde aliã ſcientiã diſtinctã, ſolùm per additionem voluntatis vocarunt cum expreſſo ordine ad voluntatẽ, nõ ad intellectum, *ſcientiam approbationis & beneplaciti*; & tamen Gonzalez dub. 38. ſect. 3. num. 40. pronunciat, *ſcientia approbationis, viſionis eſt.* Omnes præterea his ſcientiis tribuimus diſtincta obiecta intelligibilia, cuiuſmodi ſunt poſſibilia, & actualia, quæ diſtinguunt, ſaltem ratione, plures ſcientias, in genere ſcientiæ; ſicut enim volibile neceſſarium, & volibile liberum, præbuerunt nobis fundamentum concipiendi in Deo duas volitiones diſtinctas in genere volitiuo, alteram neceſſariam, alteram liberam: ita ſcibile neceſſarium, & ſcibile liberum, hoc eſt, creatura poſſibilis, & creatura actualis, fundare debent duas ſcientias diſtinctas in genere intellectiuo.

Præterea, omnes dicimus, vnam ſcientiam abſtractiuam, aliam intuitiuam; abſtrahere autem & intueri ſunt differentiæ in genere ſcientiæ. Demùm ſicut omnes ſcientiam approbationis explicant per additionem voluntatis, ita nullus planè eſt, ſi Gonzalem excipias, qui ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis explicet, eſſe ſcientiam ſine voluntate, & cum voluntate. Vnde hypotheſis illa impoſſibilis, cuius ex Origene meminimus ſuprà num. 49. ablata ſcientia viſionis futurorum, adhuc ponit res futuras cauſatas ſcilicet per aliquam ſcientiam cum voluntate. Ergo ſcientia viſionis ſecundùm Origenem non eſt ſcientia cum voluntate tantùm. Videnda ſunt, quæ ad idem propoſitum diximus ſuprà n. 29. & n. 102. contra Aluarez & Ripam, qui in idem inconueniens lapſi ſunt: ſicut etiam Nauarreta contr. 59. §. 1. concl. 7. & 8.

110. *Obijcitur ex ſecundo loco S. Thomæ.*

Deinde Gonzalez affert aliud Sanct. Thomæ teſtimonium, quod ipſe vocat *expreſſius*, ſed tamen videtur minùs expreſſum, quia non loquitur directè de ſcientia, vt prima, ſed de idea. Ait igitur S. Thomas de verit. q. 3. ar. 6. ideam eſſe & poſſibilium tantùm, & actualium; *non tamen eodem modo*, & ſtatim nullam aliam modi diſtinctionem aſſignat, niſi quia idea actualium, *determinatur ex propoſito diuinæ voluntatis*; quam determinationem non habet idea poſſibilium. Hinc duo deducit Gonzalez. Alterum quod iam conceſſum & explicatum eſt, quidquid ſit de deductione; *Quòd in Deo cognitio poſſibilium non ſit factiua actu, ſed ſolùm virtute*: alterum, quòd ſicut idea actualium eſt ipſamet idea poſſibiliũ determinata per voluntatem, ita



ita ſcientia actualium eſt ipſamet ſcientia poſſibilium determinata per voluntatem, ſed hæc ſcientia eſt illa, quam omnes Theologi docent, eſſe rerum cauſam actu; ergo ſcientia quæ eſt actu cauſa, eſt ſecundùm omnes Theologos ſcientia actualium: ſed ſcientia actualium, eſt ſcientia approbationis & viſionis, non ſimplicis intelligẽtiæ, vt habet D. Thom. *q. 3. de veritate, art. 3. ad 6. & 8.* ergo illa ſciẽtia, & nõ hæc, eſt cauſa rerũ. Hãc vim breuiter ac dilucidè habere videtur totus diſcurſus, quẽ Gonzal. fuſiùs, quàm clariùs proponit.

111. *Reſp. tradendo duplicem acceptionem ſciẽtiæ actualium.*

Ad quem ex dictis facilè eſt reſpondere; peccat enim eodem defectu diſtinctionis ſcientiæ, vt cognoſcitiuæ, & vt cauſatiuæ. Igitur ſcientia actualium ſumi poteſt dupliciter. Primò, pro ſcientia actu factiua rerum actualium vt effectuum: & hæc eſt ipſamet ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſimul cum voluntate illam determinante; quæ teſte S. Thoma hîc in fin. corp. *conſueuit nominari ſcientia approbationis*: & correſpondet ideæ actualium, ſicut ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non actu, ſed virtute, factiua poſſibilium, correſpondet ideæ poſſibilium tantùm. *Scientia ſimplicis intelligentiæ correſpondet ideæ.* Secundò, pro ſcientia, actu viſiua rerum actualium, vt obiectorum: & hæc eſt poſt res actuales, ſicut omnis cognitio eſt aliqua ratione, ſaltem terminatiua, poſt obiectum ſuum; & conſequenter, non eſt ſcientia cum voluntate, ſed poſt voluntatem, quam res actuales præſuppmunt, vt effectus cauſam: nec habet correſpondentẽ aliquam ideam, quãuis enim cuilibet ideæ correſpõdere debeat aliqua cognitio per quã idea eſt imitabilis ab agẽte intellectuali; nõ tamẽ contra, cuilibet cognitioni correſpõdere debet aliqua idea; quia non omnis cognitio eſt cauſa rerũ effectiua; ſicut omnis idea eſt cauſa rerum exẽplaris. *Scientia viſionis non correſpondet ideæ.*

112. *Quo pacto intelligenda ſit comparatio inter Deum & ſcientiam.*

Per hanc diſtinctionem reſpondeo in forma ad ſecũdum deductionis membrum; comparationem illam quæ initio affertur, ita eſſe accipiendam: quòd ſicut idea actualium quæ nimirum eſt actu cauſa exemplaris rerum actualiũ, eſt ipſamet idea poſſibilium, determinata per volũtatem; ita à pari ſcientia actualium, quæ nimirum eſt actu cauſa effectiua rerum actualium, eſt ipſamet ſcientia poſſibiliũ, ſeu ſimplicis intelligentiæ, determinata per voluntatem. In hoc ſenſu concedo ſequentem minorem, & etiam conſequentiam, accepta ſcilicet *ſcientia actualium*, eodẽ modo quo accipitur in cõparatione, ſeu maiore. Ad aliam verò minorẽ ſubſumptam, quæ multa inuoluit, partim vera, partim falſa, concedo, illã ſcientiam, vt volũtate determinatã, & vt cauſam actu effectiuam rerum actualiũ, vt effectuũ, eſſe ſcientiã approbationis; nego autẽ non eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, aut eſſe ſcientiam viſionis, quæ eſt rerum actualium formaliter, vt obiectorum, nõ vt formaliter effectuũ.

113. Neque contrarium docet S. Thomas loco cit. nam ad 6. nihil aliud habet, niſi ideam practicam, & ſpeculatiuam, (hoc eſt, rerũ quæ aliquando fiũt, & rerum quæ fieri poſſunt; ſed nunquam fiunt, vt declarat in corp. art.) non eſſe duas ideas, ne ratione quidem diſtinctas; quia diſtinguuntur ſolùm ex eo, quòd *ſecundùm rationem intelligendi, practica addit ſuper ſpeculatiuam, ordinem ad actum.* Quæ doctrina facit potiùs contra argumentantem; quia ſecundùm S. Thomam idea poſſibilium, & idea actualium, non ſunt duæ ideæ diſtinctæ ſecundùm rationem formalem ideæ, quia nimirum ordo ille ad actum, qui ſolùm additur, eſt per voluntatẽ extra genus intellectiui, in quo genere ſunt omnes ideæ: at ſecundùm eũdem S. Thomam, & omnes Theologos, ſcientia ſimplicis intelligentiæ & ſcientia viſionis, ſunt duæ ſcientiæ diſtinctæ, ſecũdùm rationẽ formalem ſcientiæ, in eodem genere intellectiui, per ordinẽ ſcilicet ad diſtincta obiecta ſcibilia; ergo hæ ſcientiæ plus differunt, quàm differãt prædictæ ideæ, & conſequẽter etiã, pluſquàm differant ſcientia ſimplicis intelligentiæ & approbationis, quæ prædictis ideis correſpondent; ergo ſciẽtia viſionis non eſt idẽ quod ſcientia approbationis, ſed eã ſupponit tanquã cauſam ſui obiecti.

Mirum valdè eſt, afferri etiam contra nos reſponſionem ad octauum, quia ibi euidentiſſimè diſtinguuntur, & nominantur tres ſcientiæ, quæ diſtinguuntur etiam ab Alberto, in Sum. tract. 15. q. 61. memb. 2. ad 2. *Prima ſimplex notitia, cum ſolo reſpectu ſcientiæ ad ſcitum. Secunda ſcientia viſionis addens exiſtentiam rerum. Tertia ſcientia approbationis, addens ordinem voluntatis ad res ſcitas producendas.* 114. *Tres ſcientias diſtinctè numerari à S. Thoma.*

Nihil præclariùs contra recentiores Thomiſtas docere poteſt S. Thomas: ſi ſcientia viſionis eſt diſtincta ſcientia à ſcientia approbationis; ergo malè confunduntur, & pro vna ſcientia ſumuntur à Gonzalez ſuprà n. 109. & aliis Thomiſtis, qui ita contra nos arguunt, & nobis reſpondent, ac ſi ſcientia viſionis, nulla alia prorſus ſcientia eſſet, quàm ſcientia approbationis: hinc enim aſſerere non dubitant ſcientiam viſionis ſecundùm omnes Theologos eſſe rerum cauſam, quia ſecundùm omnes rerum cauſa eſt, ſcientia approbationis. *Retorquetur locus S. Thomæ contra Gonzalez.* Contra hoc autem vlteriùs ſic arguo. Per S. Thomam, id quod conſtituit ſcientiam approbationis eſt *ordo voluntatis ad res ſcitas producendas*: & quod conſtituit ſcientiam viſionis, eſt *exiſtentia rerum.* Sed exiſtentia rerum, eſt poſt ordinem voluntatis ad res ſcitas producendas, tanquam effectus poſt cauſam, cùm ex illo ordine pendeat, & cauſetur exiſtentia rerum, ergo ſcientia viſionis eſt poſt ſcientiam approbationis: ſed ſcientia prior approbationis eſt ſecundùm omnes Theologos adæquatiſſimè cauſa in genere ſcientiæ, ergo poſterior ſcientia viſionis ſecundùm omnes Theologos non eſt cauſa rerum, ſed mera contemplatio, ac viſio rerum cauſatarum ab alia antecedenti ſcientiæ approbationis.

## *Obiectiones Gonzalez contra quartam concluſionem ex ratione.*

Arguit Gonzalez ſecundò tali ratione, *ſcientia, quæ actu eſt cauſa rerum, præſupponit determinationem liberam diuinæ voluntatis, ſed hæc ſcientia non eſt ſimplicis intelligentiæ, ergo, &c.* 115. *Argumentum Gonzalez.* *Reſponſio optima Arrubal.* Reſpondet optimè Arrubal d. 32. fin. ſcientiam quæ eſt actu cauſa præſupponere, ſiue exigere voluntatem, ad hoc vt applicetur ad cauſandum futurum, tanquam effectum; & hanc eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu potiùs ſcientiam approbationis, hoc eſt, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, *ſecundùm quod habet voluntatem coniunctam*, vt ait S. Thomas hîc in fin. corp. non autem ad hoc vt repræſentet rem futuram, tanquam obiectum; ſub iſta enim ratione, alia ſciẽtia viſionis præſupponit voluntatẽ; & hoc eſt idẽ cũ eo, quod antea dicebamus, ſcientiã ſimplicis intelligẽtiæ, ſi cõſideretur vt cauſa, actu, & liberè cauſans, præſupponere voluntatẽ; ſi verò cõſideretur, vt formaliter ſciẽtia, ſeu repræſentatio obiecti, nõ præſupponere voluntatẽ, quia addita volũtate, qua determinatur ad cauſandũ, non habet aliud obiectum, ac habebat ante voluntatem, ſemper enim, ſiue ante, ſiue poſt determinationem, conſiderat obiectum vt factibile, ac faciendum tali tempore, modo, &c. & nunquam vt actu factum, licèt

licèt illud actu faciat poſt determinationem, vi cuius ſit ens actuale, quod eſt obiectum alterius ſcientiæ viſionis.

*Contra reſponſionem, Gonzalez arguit primò.*

116. Hanc reſponſionem impugnat Gonzalez primò, *quia implicat in terminis, eo quòd ſcientia, ſeu cognitio, eſt repræſentatio; ergo non poteſt ad aliquid terminari, niſi per repræſentationem.* Reſpondetur, ſi ſolutio, quæ acuta eſt, benè penetretur, nullam eſſe implicantiam: quare ad antecedens dico, illud eſſe diminutum; quia ſcientia practica, de qua diſputamus, quæcunque illa ſit, non ſolùm eſt ſcientia, ſeu cognitio, ac repræſentatio obiecti; ſed etiam eſt cauſa effectus. Habito integro antecedente, diſtinguo conſequens: ſi ſenſus ſit, non poteſt ſcientia practica terminari ad aliquid, tanquam obiectum, niſi per repræſentationem; concedo conſequentiam: ſi verò ſignificet, ſcientia practica non poteſt terminari ad aliquid, tanquam effectum, niſi per repræſentationem, nego conſequentiam: quia repræſentationis terminus, vt ſic, habet formalem rationem obiecti; effectus autem, vt formaliter effectus, non poteſt habere rationem formalem obiecti; quia obiectum vt formaliter obiectum, & comparatum ad ſuam repræſentationem, eſt priùs illa, ſaltem ſecundùm rationem: effectus verò, vt formaliter effectus, & comparatus ad ſuam cauſam, eſt poſterior illa: atque hæc eſſet vera, ac ſolida implicantia, vt aliquid reſpectu eiuſdem repræſentationis; ſub eadem ratione, ſub qua eſt obiectum ac prius, ſit etiam effectus, ac poſterius: damus tamen argumentanti, quod diligenter aduertendum eſt, ſcientiam practicam terminari ad ſuum effectum per repræſentationem ſimpliciter, quia vim cauſandi, ac dirigendi ad opus, habet vt ſcientia ac repræſentatio; non tamen per repræſentationem effectus vt actualis extra cauſam; cùm nulla cauſa in eo priori, in quo cauſat, reſpicere poſſit effectum ſuum, vt in actu poſitum extra ſe, ſed ſolùm vt poſſibilem, ſeu ponendum in actu: terminatur igitur ſcientia practica ad ſuum effectum, per repræſentationem illius, non ſub ea ratione, ſub qua habet eſſe actualiter futurum, in aliqua differentia temporis, quam rationem ego voco rationem effectus poſteriorem ſcientia, eiúſque repræſentatione; ſed ſub alia ratione, ſub qua habet eſſe poſſibile, & conueniens vt fiat in aliqua differentia temporis, & hæc eſt ratio obiectiua, prior ſcientia vt repræſentatione. Atque hac eadem diſtinctione, & ſolutione ruunt cæteræ omnes impugnationes.

*Reſpondetur diſtinguendo in ſcientia practica rationem cognoſcendi, & rationem cauſandi.*

*Ratio obiecti, & ratio effectus diſtinguuntur.*

*Qua ratione ſcientia practica terminetur ad effectum per repræſentationem.*

117. Impugnat igitur ſecundò, ſcientia, cauſa rei futuræ, attingit rem futuram ſecundùm modum actualitatis exiſtendi, ſecundùm quem eſt eius effectus, ergo tanquam ſcitam, ſecundùm eundem modum: alioqui diuina ſcientia concurreret ignoranter, & inſcienter, faciendo effectum, quem non cognoſcit; quod eſt abſurdum.

*Arguit ſecundò.*

Reſpondetur, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Iam enim oſtenſum eſt, quòd dicere ſcientiam concurrere ad cauſandum aliquem effectum, & concurrere ad illum effectum, formaliter tanquam ad ſcitum & obiectum, ſit dicere contradictoria. Ad abſurdum, quo probatur conſequentia, dico, loquendo ſimpliciter & ſecundùm rem, ſcientiam diuinam concurrere ſcientiſſimè, quia cognoſcit quod eſt factibile, & faciendum; & futurum, ſub quacunque intelligibili ratione: tamen reſpectu intellectus noſtri diſtinguentis vnicam Dei ſcientiam in plures ſcientias, aliam factiuam, aliam viſiuam rerum factarum, eſt impoſſibile, conſequenter deinde aſſerere, Deum per ſcientiam præciſè factiuam ſcire & obiicere ſibi res vt factas; ſed ad hoc vt ſapientiſſimè concurrere intelligatur ad rerum factionem, ſatis eſt vt intelligamus, eum perfectiſſimè ſcire omnem modum, quo res poteſt, & conuenit fieri. Quod autem non per hanc eamdem ſcientiam, ſed per aliam, à nobis diſtinctam, ſciat & cognoſcat effectum ſuum extra ſe actu, ſeu rem ipſam prout factam, & ſecundùm eſſe actualis exiſtentiæ extra cauſam, non naſcitur ex imperfectione ſcientiæ Dei, ſed ſolùm ex diſtinctione illius ſcientiæ facta, ob imperfectum noſtrum concipiendi modum.

*Reſp. ex ſupr. dictis.*

*Deus per ſcientiam operatur ſine vlla ignorantia.*

Impugnat tertiò, ſcientia ſimplicis intelligentiæ in eodem ſigno rationis determinatur ad cauſalitatem, & repræſentationem rei futuræ: & contrarium eſt implicatio, quia ſi ſcientia rem vt futuram reſpiceret prius vt cauſa, quàm vt repræſentatio, tunc repræſentatio quæ in primo ſigno conuenire debet ſcientiæ, prout ſcientia eſt, nimirum rei ſolùm vt poſſibilis, eſſet falſa, vel ſaltem imperfecta. 118.

*Arguit tertiò.*

Reſpondetur, illud quod initio ſumitur eſſe manifeſtè implicatorium. Quod ſic demonſtro. Omnis res, priùs ſaltem ratione, habet eſſe in ſe, per ordinem ad ſuam cauſam, quam intelligibilitatem ſeu rationem obiecti cognoſcibilis, per ordinem ad potentiam cognoſcitiuam: eſt enim omnium axioma, quòd intelligibilitas eſt paſſio entis; omne autem ſubiectum eſt prius ſua paſſione, ergo prius eſt, rem in ſe eſſe actu futuram vi ſuæ cauſæ, quàm eſſe repræſentabilem vt in ſe actu futuram, vi alicuius cognitionis ſeu repræſentationis; ſed ſcientia, vt cauſa reſpicit rem exiſtentem in ſe, & à parte rei vt futuram; vt repræſentatio, reſpicit rem obiectiuè repræſentabilem vt futuram; ergo ſicut implicat ex parte terminorum, ea, quæ eſſentialiter ſunt prius & poſterius, eſſe ſimul in eodem ſigno rationis: ita pariter ex parte ſcientiæ reſpicientis iſtos terminos, implicat, ſcientiam vt cauſam, & vt repræſentationem in eodem ſigno rationis reſpicere rem futuram, vt effectum ſuum in ratione entis, & vt obiectum ſuum in ratione cognoſcibilis. Quocirca nulla eſt probatio aſſumpti: quia in illo priori, in quo demonſtratum eſt, ſcientiam concipiendam eſſe vt cauſam, eius effectus, qui eſt exiſtentia exercita rei futuræ, nondum intelligitur habere eſſe actuale extra cauſam, ſed ſolùm eſſe poſſibile in cauſa; ergo ſcientia in illo priori repræſentans futurum, non ſecundùm eſſe actuale, ſed ſolùm ſecundùm eſſe poſſibile, eſt veriſſima ac perfectiſſima ſcientia; quia in illo priori, ſicut eius effectus entitatiuè non eſt actualis, ſed poſſibilis, ita obiectiuè non eſt intelligibilis vt actualis, ſed vt poſſibilis: vnde ſi intelligeretur vt actualis quod contendit obiectio, tunc abſurdum, de ſcientia diuina falſa & imperfecta, recideret in obiicientem.

*Reſp. ſcientiam non poſſe in eodem ſigno rationis determinari ad cauſalitatem & repræſentationem.*

Impugnat quartò, ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt naturalis, & indifferens, ergo ad liberè, ac determinatè cauſandum, determinari & applicari debet per repræſentationem, nimirùm determinatam illius determinati effectus, qui eſt cauſandus: aliter applicaretur vt indifferens, & ſic nihil adhuc poſſes cauſare, ſicut nec ante voluntatem, ob eandem indifferentiam, & haberet ſolùm oſtendere quid eſt factibile, & faciendum; non autem cooperari ad actualem factionem. 119.

*Arguit quartò.*

Reſpondetur, nullitatem conſequentiæ eſſe manifeſtam exemplo omnipotentiæ, cuius naturalitas & indifferentia, applicata eſt ad liberè ac determi-

*Reſp. ſcientiã applicari ad liberè cauſandum, abſque vlla variatione in ratione ſciendi.*



determinatè cauſandum hunc mundum, & non alium, non per aliquam intrinſecam variationem, ſiue additionem in ratione omnipotentiæ, ſed per ſolam extrinſecam liberæ voluntatis determinationem; qua tantum poſita, non intelligitur indifferens vt antea; nec ſolum vt potens exequi, ſed vt actu exequens, in illa differẽtia temporis, ad quam eſt determinata: pari omnino ratione, naturalitas & indifferentia ſcientiæ, ſufficienter intelligitur libera & determinata ad actu cauſandũ, & cooperandum directiuè in ſuo genere, per ſolam volũtatem; & præterea non eſt neceſſaria; imò eſt impoſſibilis, vt probatũ eſt, alia intrinſeca determinatio in ratione repræſentationis & ſcientię; conſequentia igitur, & omnes illius probationes falſæ ſunt.

120. Impugnat quintò, quia ſcientia cum voluntate, eſt exemplar rei futuræ, ſed exẽplar terminatur ad effectum, tanquã ad obiectum: ergo etiam ſcientia.

*Arguit quintò.*

Reſpondetur, nego maiorem, & minorem: nam exemplar, vt ipſemet Gonzalez n. 12. init. rectè dixerat, *eſt terminus diuinæ cognitionis: ſcilicet ipſa eſſentia diuina vt cognita, in quantum taliter imitabilis*; ergo in n. 15. ſcientia non cohærenter dicitur eſſe exemplar. Vnde S. Thomas 1. d. 38. q. 1. art. 1. circ. med. corp. concedit quidem, *quòd ſcientia Dei eſt cauſa per modum efficientis exemplaris omnium ſcientiarum*; non tamen omnium ſcitorum. Eſto autem ſit exemplar, falsò etiam in minore dicitur, exemplar terminari ad effectum tanquam ad obiectum, ſi tamen in exemplari, ſicut in practica ſcientia, diſtingui poteſt duplex habitudo, & ad effectum, & ad obiectum, vt probatum eſt ſupra n. 116. Affert deinde Gonzalez in eodem quinto argumento verba S. Thomæ de verit. q. 2. art. 13. *Scientia Dei, ſecundùm quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantũ eſt exiſtentium in præſenti, præterito, vel futuro.* & infra ſubiungitur, *Per hoc, quòd poſſunt plura eſſe ſcita à Deo per hũc modum ſcientiæ, non ſequitur, quòd illa poſſit variari.* His verbis S. Th. inquit Gonzalez, *Apertè ait, quòd futura, quæ reſpicit ſcientia Dei, in quãtum per voluntatem ordinatur ad opus, ſunt ſcita per eamdemmet ſciẽtiam practicam, & operatiuam ex determinatione voluntatis: ac proinde ſcientia, quæ per actũ liberum terminatur ad futura, reſpicit illa vt ſcita: & ideo per repræſentationem, & non tantùm per cauſalitatem.* Hæc Gloſ. nõ conſonat textui, vt patet vtrũque attentè conſideranti: Gloſſa loquitur de ſcientia ordinata per voluntatem ad opus cauſandum, quæ eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, approbata per voluntatem. Textus verò loquitur aliter de ſcientia, nimirum, *ordinata ad opus, quod facit voluntas*; quod ſignificat potius ſermonem eſſe de ſcientia quæ non facit opus, ſed factum ſupponit à voluntate; quam ſciẽtiam nos cum S. Thoma dicimus, eſſe viſionis, eámque ordinari ad opus, non per cauſalitatem, ſed per meram repręſentationem. Vnde ruunt omnia quæ ex hac falſa Gloſſa deducuntur.

*Reſpondetur cum S. Thoma, ſciẽtiam nõ eſſe exemplar ſcitorũ.*

*Declaratur locus S. Th.*

121. Arguere etiam tertiò poſſumus pro Gonzalez ex iis, quæ habet in 3. & 4. concl. Scientia libera eſt actu cauſa rerum: ſed ſcientia libera eſt ſcientia viſionis; ergo ſcientia viſionis eſt actu cauſa rerum. Ad hoc quid reſpondendum ſit, patet ex dictis, præſertim num. 81. & 102. Quoniam verò hoc argumento continetur præcipuum aduerſariorum fundamentum, ad veritatem noſtræ ſententiæ clariùs ac profundiùs penetrandam; iterum addo, maiorem abſolutè & propriè eſſe negandam; quia nullus Theologus ante Aluarez, Ripam, Gonzalez, alióſque eiuſdem ætatis, quem ego ſciam, vel ipſi referant, ſcientiam actu cauſantem res, vocat, ſcientiam liberam. Gonzalez refert, quòd *Magiſter 1. d. 38. hanc ſcientiam Dei, actu cauſantem res, appellat diuinum beneplacitum.* At verò Magiſter, vt diſtinctè retuli ſupra n. 29. non dicit, nec dicere conuenienter poterat, ſcientia eſt beneplacitum, hoc eſt, actus intellectus, eſt actus volũtatis: ſed ſolum docet, *Nomine ſcientiæ*, nimirum approbationis, vt poſtea eius Scholaſtici vocarunt, *includi etiam beneplacitum.* Quo non obſcurè diſtinguit beneplacitum à ſcientia, vt clarius ſtatim facit, docens ſcientiam, quæ ab Auguſtino dicitur cauſa rerum, eſſe accipiendam, *Non pro notitia ſola, ſed pro notitia ſimul & beneplacito.* Refert etiam S. Th. 1. d. 38. art. 1. & art. præſenti, & q. 3. de verit. art. 3. ad 8. & 1. d. 39. q. 1. art. 1. ad 5. quibus in locis nunquam legitur ſcientia libera, ſed ſolum, *Scientia beneplaciti, & approbationis*, hoc eſt, non ſcientia quæ abſolutè poteſt ſcire, & non ſcire, & eſt ſciẽtia libera, propriè dicta, ſicut volũtas libera poteſt velle & non velle; ſed ſcientia, vt bene explicat S. Th. hîc in fin. corp. *Secundùm quod habet voluntatem coniunctam*: ſcilicet voluntatem liberam.

*Aliud Gonzalez argumentum.*

*Reſpondetur probãdo ſciẽtiam liberam non eſſe actu cauſam rerũ.*

Magiſter.

S. Thomas.

Neque ex hac denominatione ſcientiæ approbationis, & beneplaciti, aut ſcientiæ habentis coniunctionem cum voluntate libera, per quam ſciẽtia liberè determinatur, & liberè cauſat, poteſt probabiliter Gonzalez nominare, *Scientiam liberam.* Primò à priori, quia liberum abſolutè & propriè loquendo, eſt id quod poteſt eſſe & non eſſe, ac ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ, etiã per Gonzalez, liberè determinatur, & vt ſic fit ſcientia approbationis; quamuis poſſit determinari & non determinari, aut cauſare & non cauſare, aut eſſe & non eſſe ſcientia approbationis; tamen non poteſt eſſe, & non eſſe ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſeu abſtractiuè intelligens & non intelligens creaturas: ſicut poteſt eſſe, & non eſſe ſcientia viſionis, ſeu intuitiuè videns & non videns creaturas; quia ſi Deus nihil creare voluiſſet, intellexiſſet quidem abſtractiuè omnia, nihil autem intuitiuè: vidiſſet ſecundò à poſteriori, quia eadem prorſus ratione Deus per coniunctionem ſuæ liberæ voluntatis, approbauit & determinauit, vt omnipotentia liberè cauſaret in actu. Et tamen à nullo Theologo denominatur, aut denominari rectè poteſt omnipotentia libera, ſed ſolùm cauſa libera. Ergo qui dicunt, res actu cauſari à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt perfectio in Deo neceſſaria, ſimul cum voluntate libera, non poſſunt conſequenter aſſerere, cauſari à ſcientia libera; ſed ſolùm cauſari liberè à ſcientia neceſſaria; & ideo non benè dicitur in maiori, ſcientiam liberam eſſe cauſam rerũ, ſed dicendum eſt, ſciẽtiam neceſſariam eſſe rerum cauſam liberam. Hanc veritatem, eodem omnipotentiæ exemplo, egregiè tradidit S. Th. 1. d. 38. q. 1. artic. 1. ad 6. his verbis: *Sicut creaturæ non exeunt à Deo per neceſſitatem naturæ, vel potentiæ naturalis: ita nec per neceſſitatem ſcientiæ: ſed per libertatem voluntatis, in qua completur ratio cauſalitatis.* Vnde duo habentur; alterum, cauſam actualem eſſe ſcientiam neceſſariam, non liberam, ſicut actu cauſat neceſſaria perfectio omnipotentiæ, & non omnipotentia libera: alterum, ſcientiam neceſſariam non actu cauſare, niſi à libera voluntate ad cauſandum applicetur, ſicut omnipotentia, &c. 122.

*Scientia approbationis nõ eſt propriè ſcientia libera, licet liberè cauſet.*

*Probatur exemplo omnipotentiæ cũ S. Thoma.*

Quapropter, ſicut cùm exequutiuè cauſat omnipotentia, illa exequutio immediatè procedit ab omnipotentia neceſſaria: non à voluntate libera; ita cùm ſcientia cauſat directè, illa directio intelligenda eſt immediatè procedere à ſcientia neceſſaria, non à voluntate libera; ſemper enim ac libera voluntas eſt cauſa, non ſuorum effectuum, hoc

eſt volendi, aut nolendi aliquid, ſed effectuum aliarum cauſarum, v.g. potentiæ intellectiuæ motiuæ, &c. eſt quidem cauſa, vt effectus ſit liber: ſed non vt ſit ſimpliciter, nam intellectio vt intellectio, ſeu motio vt motio, eſt ſolùm à potentia intelligente, ſeu mouente.

*In quo ſenſu neganda aut concedenda ſit iſta propoſitio, ſcientia libera eſt ſcientia viſionis.*

123. Ex his conſtat, quid dicendum ſit ad illam minorem, *ſed ſcientia libera eſt ſcientia viſionis.* Vera enim eſt in ſenſu quem propriè verba ſimpliciter prolata ſignificant, ſed falſa in ſenſu ab aduerſariis intento, qui non loquuntur de ſcientia libera in ratione ſcientiæ, ſed libera tantum in ratione cauſæ, tantum neceſſaria in ratione ſcientiæ. Nego igitur minorem ſi facit hunc ſenſum, quem ſignificare videtur Gonzalez, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, determinata & approbata per voluntatem liberam, eſt ſcientia viſionis: ídque latè probaui ſupra num.102. & 109. Nunc præterea ſic vrgeo. Scientia ſimplicis intelligentię determinata per voluntatem liberam, eſt tantum cauſa rerum futurarum: ſed hæc ſcientia ita determinata, non eſt ſcientia viſionis; ergo cauſa rerum futurarum non eſt ſcientia viſionis, ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ determinata per liberam voluntatem, quæ ſcientia ab aduerſariis dicitur, ſcientia libera, non eſt ſcientia viſionis. Conſequentię ſunt in forma neceſſaria. Maior aſſeritur à Gonzalez, Ripa, & omnibus. Minorem probo ſic. Scientia ſimplicis intelligentiæ determinata per voluntatem liberam, eſt cauſa rerum futurarum, vt conceditur; ergo eſt prior, ſaltem natura rebus futuris; conſequentia eſt manifeſta, quia omnis cauſa, etiam vt actu cauſans, eſt ſecundùm naturam prior ſuo effectu; quia tunc etiam effectus pendet à cauſa, non cauſa ab effectu: ſed in illo priori, in quo illa ſcientia intelligitur habere rationem ſciendi cauſatiuam, non intelligũtur res futuræ, quæ tanquam effectus, ſunt rationes poſteriores; ergo in illo priori poteſt quidem intelligi illa ſcientia liberè determinata, habere rationem ſciendi liberam in ratione cauſæ rerum futurarum, non autem liberam in ratione ſcientiæ rerum futurarum, ac proinde non poteſt intelligi, eſſe ſcientiam viſionis quæ ſecundùm omnes, eſt ſcientia libera, in ratione ſciendi, ac repræſentandi res futuras.

*Scientiã ſimplicis intelligentiæ determinatam à voluntate nõ eſſe ſciẽtiam viſionis.*

Quare cum Gonzalez ad illam minorem in prædicto falſo ſenſu probandam ſumit, *Scientiam viſionis conſtitui per habitudinem ad exiſtentiam rerum futurarum.* ſi intelligit habitudinem cauſæ ad effectum, id eſt falſum; quia huiuſmodi habitudinem habet alia præcedens ſcientia ſimplicis intelligentiæ, per liberam voluntatem ad cauſandum determinata: ſi habitudinem puræ ſcientiæ, ſeu repræſentationis ad obiectum, id nos intendimus. Nec eſt cur citet verba S.Thomæ de verit. q.3. art. 3. ad 8. quia ea pro nobis eſſe oſtendimus ſupra numero 29. & num. 114. Tandem mirum eſt Gonzalez poſt tot authoritates, & rationes adhibitas ad probandum, ſcientiam viſionis eſſe rerum cauſam, & cauſare ſuum obiectum, poſtea in d.43. n.16. pronuntiaſſe, *Scientia viſionis, vt ſupra diximus, non facit ſuum obiectum*, ſed ſupra in diſt.38. oppoſitum dixerat, & fuſiſſimè probauerat.

S.Thomas.

## *Aliæ obiectiones Gonzalez contra decimam concluſionem.*

124. Multa alia proponit Gonzalez ſect. 3. contra 10. concl. ſupra, n.73. & omiſſis authoritatibus, & rationibus, quibus ſatisfecimus ſupra à n.86. ſoluendo obiectiones Aluarez, obiici vlterius ex illo poteſt. Primò: Res futuræ præſupponũtur ad ſcientiam, ergo ſunt illius obiectum; non terminatiuum; *quia terminus actionis præcisè vt terminus eius, ſequitur ad illam*; ergo motiuum; quod eſt abſurdũ. Confirmat, quia futurum, & ſcientia futuri ſunt ſimul duratione ab æterno; ergo ſi futurũ eſt prius, ſcientia dependet à futuro, non cõtra, quod omnes negant.

*Prima obiectio.*

*Confirmatio.*

Reſpondetur futurum eſſe prius ſcientia, non quoad actum & entitatem ſcientiæ, ſed ſolũ quoad terminationem ſcientiæ ad futurum. Igitur futurũ, eſt ſcientiæ obiectum non motiuum, ſed terminatiuum; & ad contrariam probationem dico, terminum actionis, qua producitur terminus, ſequi ad illam, v.g. calor ſequitur ad calefactionem: terminum verò actionis, qua cognoſcitur & videtur terminus, præſupponi ad illam; v.g. viſibile præſupponitur ad ipſius viſionem. Quod vltimum adeò verum exiſtimo, vt ne ab ipſis quidem aduerſariis negari poſſit, etiam ſi demus illis, ſcientiã viſionis eſſe cauſam rerum. Enimverò ſcientia cauſans futurum, & videns futurum cauſatum, prius natura terminatur vt cauſa ad futurum, vt effectum, quàm vt viſio ſeu repræſentatio ad futurum, vt obiectum; quia videre, præſupponit obiectum, cauſare non præſupponit effectum, ſed potius præſupponitur ad effectum, ergo non poteſt in eodem ſigno rationis intelligi viſio, vt cauſa, & vt viſio terminata ad rem viſam: eſto igitur, ſcientia viſionis intelligenda ſit in aliquo priori vt cauſa futuri, tanquam effectus, tamen eadem conſiderata formaliter ac præcisè, vt repræſentatio, & expreſſa ſimilitudo futuri, tanquam obiecti, eſt intelligenda in poſteriori ſigno habere terminationem ad futurum, tanquam obiectum purè terminatiuum, & prius in ſe conſtitutum in eſſe futuro, vi ſuarum cauſarum, non autem vt obiectum motiuum. Ad confirmationem, tam nos, quàm Gonzalez, vt probatum eſt, tenemur reſpondere, ſcientiam viſionis, non quoad ſuum eſſe intrinſecum ſcientiæ; ſed quoad extrinſecam terminationem ſcientiæ, præſupponere futurum, vt obiectum terminatiuum. An autem hæc præſuppoſitio, vocanda ſit dependentia, eſt lis de nomine. Tamen prudentis eſſe arbitror, abſtinere ab huiuſmodi vocibus, ſignificantibus inferioritatem & ſubiectionem in Deo reſpectu creaturarum. Dicamus igitur cum Iuſtino ſupra n.48. *Prænotio ſequitur futurum:* non autem, pendet à futuro.

*Reſpondetur futurum eſſe obiectum purè terminatiuum ſcientiæ viſionis.*

*Terminus actionis aliquãdo eſt ante, aliquando poſt actionẽ.*

*Reſpondetur ad confirmationem.*

*Scientia viſionis non pẽdet à futuro, ſed ſequitur futurum.*

Contra datam reſponſionem, & diſtinctionem de entitate ſcientiæ, & de terminatione ſcientiæ, obiicit Gonzalez ſecundò, quia hæc terminatio, vt ſupra n.73. conceſſimus cum Alenſi, & Vaſquez, eſt reſpectus rationis, ſed hic præſupponit terminum cognitionis, vt terminus eſt; ergo & cognitionem ipſam; quia impoſſibile eſt, dum concipitur terminus, vt actu terminans ſui cognitionem, non concipere cognitionem actu terminatam ad illam. 125.

*Secunda obiectio ducta ex terminatione ſciẽtiæ viſionis.*

Reſpondetur hanc difficultatem non eſſe propriam noſtræ ſententiæ, ſed communẽ cum oppoſita ſentẽtia, imò cum omnibus Theologis, & ideo hoc loco præſupponendam, vt monui loco citato. Omnes enim fatemur, Dei ſcientiam ante quodlibet liberum decretum de creaturis futuris, non videre futurum; ſed videre poſt decretum, nulla intrinſeca mutatione, & additione facta in illa ſcientia: ſicut nec in voluntate, cum in poſteriori ſigno liberè voluit creare aliquas creaturas, & non creare alias, vt infra quæſt. 19. Interim, ne videar difficultatem ſubterfugere, dico breuiter & dilucidè, terminationem iſtam eſſe dupliciter conſiderandã, &

*Reſpondetur, difficultatem eſſe communem.*



*Scientiæ viſionis terminatio duplex, fundamentalis & formalis.*

& fundamentaliter, & formaliter. Primo modo, non eſſe aliquid medium inter ſcientiam & futurum, ſed hæc ipſa tantum; & futurum dici fundamentaliter prius ſcientia vidente futurum, in quãtum ſcilicet futurum, eſt terminus viſionis terminatæ ad futurum vt obiectum, & non viſio eſt terminus futuri; ac proinde, ratio cur ſcientia videat, & terminetur ad futurum, eſt, quia eſt futurum; nõ autem contra, ratio cur ſit futurum, non eſt, quia ſcientia videt, & obiectiuè terminatur ad futurum; nam, vt docet Origenes ſupra n.49. ſi Deus futura non videret, futura adhuc eſſent futura. Atque hãc fundamẽtalem prioritatem egregiè explicauit Damaſcenus ſupra n.52. illis verbis, *Vt ea quæ facturi ſumus præſciat Deus, à nobis proficiſcitur.* Secundo modo, terminationem eſſe reſpectum rationis, medium inter ſcientiam & futurum. Quare ad minorem obiectionis, quam ſumit, hunc reſpectum præſupponere futurum terminans cognitionem, & cognitionem terminatam ad futurum, concedo, de terminante & terminato terminatione fundamentali; nego de terminante & terminato terminatione formali.

Origenes.

Damaſcen.

126. Obiicit tertiò, vt ipſe ait, *validiſſimè*, & totus eſt in probanda iſta maiori, quam nos non negamus. *Perfectio Dei eſt, ex ſeipſo poſſe cognoſcere creaturas, vt futuras, abſque eo quòd eius diuina ſcientia, etiam in quãtum eſt de creaturis futuris, pendeat, vt à prærequiſito, vt Deus illam actu habeat ab aliquo diſtincto ab ipſo Deo.* Hoc autem eſſet falſum: ſi vera eſſet noſtra ſententia, quæ, inquit aſſerit, quòd, *creaturæ futuræ præſuppontur, vt Deus habeat cognitionem de creaturis futuris, quã ſi nõ haberet, illas ignoraret.* Sed noſtra ſententia nõ prærequirit futurum, vt Deus habeat cognitionem de futuro; ſed ſolùm vt cognitio Dei independens ab omni futuro, & ſecundùm eſſe antecedẽs omne futurum, habeat terminationem extrinſecam ad futurum; quod in omni opinione pręſupponendũ eſt extra Deum, ad hoc vt intellectio diuina terminetur ad repræſentandum futurum extra Deum; ideo enim in priori ſigno ante liberam voluntatem non repræſentabat futura, quia non præſupponebantur. Vnde, vt optimè docet Scotus 1. d.39. q. vnic. §. *Viſo de contingẽtia*, loquens de diuina cognitione futurorum contingentium, quæ vult non eſſe vera, niſi poſita determinatione voluntatis diuinæ, *Fuiſſent cognita in primo inſtanti, ſi fuiſſent in primo inſtanti.* Quare ſine futuro præſuppoſito, ſi diceretur abſolutè, Deus ignorare futurum, eſſet mala locutio, quia ignorare, abſolutè loquendo, dicitur per carentiam & terminationis, & actus; nos autem, & ni fallor, ipſemet Gonzalez & omnes boni Theologi, ponimus in Deo carentiam ſolius terminationis, & non actus.

*Tertia obiectio.*

*Reſpondetur explicando, propter quid res futuræ, præſupponuntur ad ſcientiã viſionis.*

Scotus.

127. Ex iſta noſtra ſententia fideliter relata cum ſuis formalitatibus, conſtat nos non negare prædictam maiorem, quæ loquitur materialiter de actu, non formaliter de terminatione. Quare non vrgent duę illius probationes, non prima à ſimili de voluntate diuina libera, quæ, vt actu velit nihil extra ſe præſupponit; ergo nec diuina ſcientia, vt actu ſciat aliquid extra ſe: ſed latiſſimum eſt diſcrimen, quia voluntas eſt ſolum cauſatiua, non repræſentatiua futuri; & ante ſe non præſupponit aliam cauſam in actu ſecundo. Vnde ante ſe nõ poteſt præſupponere futurum, ſed tantum facere poſt ſe, tanquam effectum poſt cauſam. At ſcientia videns futurum, vel non eſt cauſa, ſed mera repræſentatio futuri: vel ſi eſt cauſa, eſt eſſentialiter etiam repræſentatio, & vt talis præſupponit futurum, vt à ſe in priori ſigno cauſatum prius, quàm viſum, vt ſupra n.124.

*Cur futurum præſupponatur ad ſcientiam, non ad volitionem.*



Non ſecunda à priori, quia Deus ex ſe habet omnia prærequiſita vt videat futura. Quod ſi veriſſimè reſpondeas, prærequiri etiam extrinſecum terminum, ſiue obiectum terminatiuum poſitum extra Deum in aliqua differentia temporis, ipſe redit ad argumentum factum, & ſolutum ſupra n.124. Hoc igitur validiſſimum argumentum, & probat quod nos concedimus, & nobis tribuit quod negamus, & redit ad rationes antea factas; & demum retorqueri facillimè poſſet contra argumentantem: nam per ipſum etiam, ſcientia ante decretum, non repræſentat futura; poſito decreto, nihil intrinſecum Deo ſuperadditur, & tamen tunc illa ſcientia repræſentat futura: ergo actualis iſta repræſentatio dependet aliqua ratione à præſuppoſito decreto, & creatura futura vi decreti, tanquam ab obiecto terminatiuo: cur igitur ſcientia vt videat futura, prærequirit aliud à ſe, & voluntas vt velit futura, nihil aliud à ſe prærequirit.

*Retorquetur obiectio.*

Obiicit quartò, creaturæ futuræ continentur in cauſalitate Dei: ergo in intelligere, ergo intellectio futuri pręexiſtit in Deo prioritate naturæ, antequã creaturæ ſint futuræ. Confirmat ex eo, quòd apud S.Thomam, & reliquos omnes certum ſit, *Similitudinem exiſtentiæ exercitæ in creaturis, præexiſtere in Deo prioritate naturæ, antequam ſit futura in ipſis rebus: ac proinde Deum cognoſcere res vt futuras, antequam ſint futuræ.* 128.

*Quarta obiectio.*

*Confirmatur.*

Reſpondetur, diſtinguo primum conſequens; duplex intelligere nos in Deo diſtinguimus, alterum cauſatiuum, alterum non cauſatiuum, ſed ſimpliciter viſiuum, & ſpeculatiuum. Ex eo quod creaturæ futuræ contineantur in cauſalitate Dei, vt rectè ſumit antecedens, nihil aliud ſequitur, niſi ens contineri in intelligere cauſatiuo, quam cauſalitatem probauimus eſſe in ſcientia intelligentiæ, non viſionis. Vnde ſecundum conſequens eſt verum, de intellectione cauſatiua futuri, non autem viſiua futuri; alioqui poneretur falſitas in diuina cognitione, ſi in aliquo priori videret intuitiuè rẽ futuram extra ſe, in quo nondum intelligatur res habere eſſe futurum extra Deum. Ad confirmationem reſpondeo cum eadem diſtinctione, concedendo antecedens de ſimilitudine cauſatiua, negãdo de ſimilitudine repræſentatiua futuri. Et quidem, ni fallor, video manifeſtam implicantiam in terminis conſequentis, dum cõcludit, *Deum cognoſcere res vt futuras, antequam ſint futuræ.* Res antequam ſit futura, nondum habet eſſe futurum, ſed hoc habebit; ergo à vero Dei intellectu in illo priori, quod ſignificatur cùm dicitur, *antequam*, in quo dicitur res non futura, non poteſt intuitiuè videri res vt futura, hoc eſt, vt iam habens eſſe futurum: ſicut in eo priori, in quo res non eſt præſens, vel præterita, non poteſt verè intelligi vt præſens, vel vt præterita.

*Reſpondetur creaturas futuras præexiſtere in Dei intellectione cauſatiua, nõ diuina.*

*Reſpondetur ad confirmationem dicere repugnantiæ.*

Obiicit quintò, quod eſt præcipuum fundamentum Nauarrete infra concl.4. ſicut intellectus humanus, vt ſit verus, dependet & menſuratur à rebus; quia non poteſt eſſe in ſe verus, niſi præſupponat res veras, ergo ſi pariter intellectus diuinus non poteſt eſſe verus, niſi præſuppoſitis rebus veris, ille etiam dependet, & menſuratur à rebus. 129.

*Quinta obiectio.*

Reſpondetur, antecedens eſſe ſimpliciter negandum, nam per illud, *quia*, affertur quidem paſſiua dependentia, ac menſurationis cauſa neceſſariò requiſita, non autem cauſa ſufficiens & adæquata: non enim intellectus dependere, ac menſurari poteſt à rebus, niſi hæc aliqua ratione præcedant, & præſupponantur: hæc verò præcedentia

*Reſpondetur, explicando cur intellectus humanus, nõ diuinus, pendeat ab obiecto præſuppoſito.*

dentia ad illud non ſatis eſt, ſed præterea requiritur, vt intelligens non contineat in ſe primum exemplar illarum rerum, quas intelligit, quam continentiam non habet intellectus humanus; ſed diuinus: & ideo diximus, creaturas reſpectu intellectus creati eſſe obiectum non ſolum terminatiuum, ſed etiam motiuum, & ab hoc intellectu videri creaturas in ipſis creaturis, reſpectu autem intellectus diuini, eſſe obiectum purè terminatiuum, & motiuum eſſe ſolùm diuinam eſſentiam, in qua viſa videntur omnia. Intellectus igitur diuinus verus in viſione rerum futurarum, præſupponit res futuras, non propter veritatem, ſed propter ſolam extrinſecam terminationem ad illas: non enim poſſet terminari intuitiuè ad res futuras, niſi eſſent & præſupponerentur res futuræ, ad quas debet intuitiuè terminari. Deinde verò habita huiuſmodi extrinſeca præſuppoſitione ac terminatione, quæ ad omnem repræſentationis veritatem prærequiritur, eſt verus, non propter conformitatem cum rebus futuris prout in ſe ipſis ſunt, ſicut eſt verus intellectus creatus, ſed prout virtualiter & eminenter ſunt in eſſentia ſua diuina, quæ eſt prima participabilitas & imitabilitas, ac proinde regula & mẽſura rerum omnium. Quare Nauarrete contr. 59. concl. 3. minùs fideliter refert noſtrum Vaſquez dicere; *Sciẽtiam diuinam præſupponere futura, quæ cognoſcantur ſecundùm ſe, eo modo quo ſcientia creata præſupponit ſuum obiectum.* Neque hæc verba, neque eorum ſenſus habentur apud Vaſquez d. 68. cap. 4. & 6. vbi de hac materia agit: imò contrarium apertè colligitur ex n. 46.

130\. *Sexta obiectio ex loco Auguſtini.*

Obiicit ſextò, ſi propoſitio illa Origenis, & aliorum Patrum, nempe, *Deum ſcire aliquid eſſe futurum, quia illud futurum eſt*, vera eſſet in ſenſu cauſali, ſeu præſuppoſitiuo, ſequeretur falſam eſſe propoſitionem illam Auguſtini lib. 5. de Trinit. c. 13. med. *Vniuerſas creaturas, non quia ſunt, ideo nouit; ſed ideo ſunt, quia nouit.* Vbi Auguſtinus apertè loquitur de ſcientia, qua præſciuit Deus futuras orationes, *& futura omnia temporalia*, & vniuerſaliter omnia quæ aliquando ſunt: ergo loquitur de ſcientia viſionis, non de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt aliqui exponunt, non tamen verè ad mentem Auguſtini: ſed loquitur etiam de ſcientia practica & actualiter cauſante res; *nam aliàs non verificatur, ideo ſunt quia nouit.* Ergo ſcientia viſionis, & non ſimplicis intelligentiæ, eſt actu cauſa rerum.

*Reſpondetur exponendo Auguſtinũ.*

Reſpondetur benè probatum eſſe, Auguſtinum loqui de ſcientia viſionis, ſed nego loqui de ſcientia vt cauſante, ſiue antecedente ſecundùm cauſalitatem; ſed ſolum de ſcientia, vt antecedente ſecundùm durationem: & illud, *Ideo, Quia*, eſſe notas inferendi præcedentiam, non in cauſando, ſed in durando. Itaque ſi quis attentè leget totum contextum Auguſtini in illo c. 13. plenè perſpiciet, nihil aliud intendi, niſi Deum, vt ſciat res, quæ futuræ ſunt, non indigere, vt res illæ præſentes fiant. Vnde in vtroque membro loquitur in tempore præſenti de creaturis quæ *ſunt*, & non de futuris quæ *erunt*: & ante citata verba ſumit probandum, quòd Deus ea quæ ſcit, *Non aliunde ab aliquo didicit, aut nunciis, vel teſtibus, vt ea ſciret indiguit.* Et paulò poſt; *Nouit quid vobis neceſſarium ſit antequam petatis ab eo: nec iſta ex aliquo tempore cognoſcit, vt noſſet; ſed futura omnia temporalia, ſine initio antea præſciuit.* Atque hoc magis explicans, ſeu probans, addit immediatè poſt, *Vniuerſas autem creaturas, &c.* vt ſuprà. Horum igitur verborum ſenſus eſt hic. Non benè infertur, in aliquo tempore res ſunt, ergo in eo tãtùm tempore & non antea ab æterno Deus nouit res futuras in illo tempore in quo ſunt. Sed benè infertur à cõtrario, Deus nouit ab æterno res futuras, in hoc vel illo tempore, ergo res ſunt in hoc vel illo tempore: & in eodem ſenſu ſtatim ſubdit, *Non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit, ſciuit.* Hoc eſt, non enim neſciuit ab æterno, quæ fuerat creaturus in tempore. Igitur valet iſta conſequentia, ſciuit ab æterno ſe creaturum in tempore; ergo creauit in tempore: non valet autem contraria conſequentia, creauit in tẽpore, ergo in eodem tempore, quando creabat, ſciuit ſe creare, & non antea ab æterno id ſciuit; nam vt ad hoc idem probandum dixerat antea in lib. 6. cap. 10. verbis citatis ſuprà num. 2. *Cùm decedant, ac ſuccedant tempora, non decedit aliquid, vel ſuccedit ſcientiæ Dei: non enim hæc quæ creata ſunt*, &c. vt ſupra. Clariſſimè igitur conſtat, Auguſtinum velle ſolùm, in Deo non incepiſſe cognitionem creaturarum actualium, eo tempore quo creaturæ actu eſſe inceperunt. Hæc fideliſſimè ex Auguſtino, alioqui eſſet ſibi contrarius, in alio loco ſupra numero 51. vbi manifeſtè fauet ſententiæ noſtræ, vt ibi probaui. Quam interpretationem ſignificauit etiam Machin. hìc diſp. 25. ſect. 2. concluſ. 1. fine. & in eodem ſenſu loqui videtur Gregorius citatus ſupra n. 2. fin.

Machin. *Exponitur eodem modo S. Gregorius.*

131\. *Septima obiectio.*

Obiicit ſeptimò *fortius, & ad hominem*, tractando eamdem authoritatem Auguſtini contra eos, qui illam intelligunt de ſcientia approbationis, hæc enim ſi eſſet rerum cauſa, deberet includere liberam voluntatem Dei, quæ ordine cauſalitatis, antecederet liberam volitionem noſtram: quam anteceſſionem ait à Theologis noſtris negari. *Aiunt enim, inquit, decretum liberum Dei, ad talem volitionem terminatum, ſubſequi, vel comitari illam. Ita docent Vaſquez diſp. 99. n. 43. & Arrubal diſp. 54. Suarez verò ſæpius dicit, Deum concurrere ad volitionem noſtram liberam, non quidem per decretum abſolutum ſuæ diuinæ voluntatis, terminatum ad talem volitionem creatam in particulari; ſed per voluntatem quaſi conditionatam, & quaſi expectantem determinationem noſtram liberam. Iuxta quam ſententiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ non applicatur per liberum actum Dei determinatè ad hanc volitionem noſtram cauſandam, potius quàm oppoſitam.*

Vaſquez. Arrubal. Suarez.

132\. *Reſpondetur Theologis Societatis Ieſu tribui aliqua falſa.*

Reſpondeo, ſententiam Patrum noſtrorum non referri ſincerè ac fideliter. Nihil apud illos frequentiùs, ac notius, quàm voluntatem Dei liberam & abſolutam, eſſe rerum omnium cauſam; ac proinde antecedere ordine cauſalitatis quamlibet rem abſolutè futuram, ſiue à ſolo Deo, ſiue etiam à cauſa creata, vel neceſſaria, vel libera. Quod, ne in re leuiſſima immorer, non eſt operæpretium demonſtrare; qui enim de ſapientiſſimis Theologis contrarium refert, aut credit, ſibi potius quàm illis iniuriam facit. Itaque diuina voluntas actu libera, hoc eſt, actualiter terminata ad quamlibet rem futuram, quicquid tandem ſit huiuſmodi terminatio, de qua re infra quæſt. 19. dicitur à Vaſquez & Arrubal comitari volitionem noſtram liberam, & non antecedere ordine cauſalitatis, non quod nõ ſit verè ac propriè cauſa illius volitionis, ſed quia non eſt cauſa alterius rei, ſeu principij antecedentis, ad illam liberam volitionẽ prædeterminantis: omnes enim Societatis noſtræ Theologi indubitanter aſſerunt, liberum voluntatis noſtræ influxum eſſe illum ad quem poſitis omnibus ad influendum prærequiſitis ipſamet voluntas ex innata ſua indifferentia ſeſe determinat: quam determinationem, ſeu determinatum influxum, cauſat diuina voluntas, non antecedenter prædeterminando, ſed concomitanter adiuuando; & in hoc ſenſu dictum eſt, liberum Dei decretum, non antecedens ordine cauſalitatis, ſed concomitans, nimirum eodem ordine cauſalitatis; ita vt hæc concomitantia non excludat immediatam cauſationem effectus, ſed ſolùm mediatam, per aliud antecedens & prædeterminans principium.

*In quo ſenſu Vaſquez & Arrubal doceant, actus noſtros liberos cauſari à diuina volũtate concomitante, non antecedente.*

133\. *Declaratur ſentẽtia Vaſquez.*

Hanc doctrinam, qui ſtudio ſciendi, potius quàm contradicendi ducitur, colligere facillimè poteſt ex Vaſquez paulò poſt locum citatum; nam in n. 52. ſic docet. *Dicere licet, quia Deus vult me conſentire, & mecum ad conſenſum cooperari, conſentio: quo modo loquendi indicatur ſolùm, noſtram operationem pendere ab adiutorio & concurſu diuinæ voluntatis; non quia illa prius in nobis operetur conſenſum, ſed quod ſine illa, tanquam prima cauſa, cui eſſentialiter ſubditur, operari nullo modo poſſumus.* Præterea Arrubal in diſp. 54. quam ſolam citat Gonzalez, docet apertiſſimè totum oppoſitum, quia ne verbum quidem de voluntate diuina concomitante, aut non antecedente. Imò in c. 5. & 6. ſæpiſſimè aſſerit, diuinam voluntatem antecedere ordine cauſalitatis. In n. 14. ait: *Cauſalitas voluntatis diuinæ, ratione eſt prior quàm effectus, qui eſt ipſius terminus:* Et in n. 16. *In ſenſu cauſali, res quæ à Deo efficiuntur, verè ac propriè dicuntur eſſe futuræ, quia Deus vult illas eſſe futuras; nam terminatio diuinæ voluntatis ad ipſas, non ſolùm eſt prior quam illæ habeant rationem entis futuri, ſed etiam ordine cauſalitatis antecedit, etiam ex parte actionis connotatæ.* Idem legitur in ſequentibus numeris, præſertim 25. Fortaſſe Gonzalez citare voluit ex Arrubal diſp. 65. in qua c. 3. ponitur decretum diuinum concomitans & ſubſequens, non antecedens futuram cooperationem cauſæ ſecundæ: ſed in n. 12. ait, illud eſſe reale principium influxus cauſæ ſecundæ. Idem habet diſp. 66. c. 3. ſed n. 11. loquens de actione Dei ad extra, procedente ab abſoluta voluntate & præfinitione Dei, ait, *Quæ actio Dei identificatur cum influxu cauſæ ſecundæ; ac proinde concomitanter eſt ſimul cum illo, ſecundùm ordinem cauſalitatis.* Vbi ponit ſimul concomitantiam & cauſalitatem influxus, quem concomitatur; non autem alterius antecedentis. Vnde in n. 13. probat hoc decretum non eſſe antecedens in ſenſu ſupradicto ex Vaſquez, quia inquit, *Antecedens præfinitio non eſt in voluntate diuina, ſine aliquo effectu antecedente cooperationem noſtram.* & in eodem ſenſu, de præfinitione concomitante, non antecedente loquitur in diſput. 67.

*Declaratur ſentẽtia Arrubal.*

134\. *Suarez ſententia de diuino decreto conditionato & abſoluto.*

Demum pro Suarez nihil profero, quia Gonzalez nullum illius locum citat. Solùm aſſero, apud Suarez poni decretum conditionatum, hoc eſt, non ſolùm paratum, ad concurſum vnius partis, ad quam voluntas ipſa ſe determinat, ſed etiam alterius oppoſitæ partis, ad quam voluntas indifferenter ac liberè agens, poteſt ipſa ſe, & ab intrinſeco determinare; quia tale decretum eſt omnino neceſſarium, ad hoc vt voluntas creata ſit completè conſtituta in ratione cauſæ liberæ. Verùm præter hoc, admittit paſſim alia abſoluta, & efficacia, ac determinata decreta, ad effectus determinatos liberos; & ſolùm negat decretum abſolutum antecedenter determinans voluntatem liberam ad vnam tantùm partem. Vnde lib. 3. de auxiliis cap. 13. num. 12. cùm probaſſet ad actum creatum liberum concurrere Deum per voluntatem ſuam veluti conditionatam, non abſolutam, ſic concludit, *non eſſet ergo neceſſaria, ad prædictum influxum, ſeu dependentiam, illa voluntas abſoluta ac prædeterminans.* Non igitur negat, actus liberos cauſari à voluntate Dei abſoluta, ſimpliciter, ſed ſolùm abſoluta tali, hoc eſt, prædeterminante. Igitur ex noſtrorum Theologorum probatiſſimis ſententiis de libertate, de concurſu diuinæ voluntatis ad volitiones noſtras liberas, modò rectè intelligantur, ac referantur, nullum prorſus ſequitur incommodum circa diuinæ ſcientiæ cauſalitatem reſpectu actionum noſtrarum contingentium ac liberarum.



## *Defenditur Arrubal contra Gonzalez.*

135\.

Denique Gonzalez in tertia concluſ. inſurgit ſpecialiter contra Arrubal optimè dicentem, vt nos etiam ſæpe ſupra diximus, & expreſsè ſentit Machi. hìc diſp. 25. ſect. 2. corol. 2. res futuras præſupponi non ad entitatem, & actum, & quoduis aliud intrinſecum ſcientiæ viſionis, ſed ſolum ad extrinſecam terminationem. Initio igitur diſtinguit Gonzalez duplicem terminationem, alteram actiuam ex parte actus, quam explicat, *per tendentiam in tale obiectum, & non in eius negationem:* alteram paſſiuam, ex parte obiecti, *quatenus eſt terminus tendentiæ actus ſcientiæ in illud: ex eo enim, quòd terminat actus ſcientiæ, conſequitur in illa quædam denominatio; quæ dici poteſt paſſiua terminatio actus ſcientiæ.* Inter has autem terminationes, nullam aliam differentiam eſſe dicit, niſi, *quod actiua terminatio intelligatur intrinſecè in ipſo actu ſcientiæ, antecedens terminationem paſſiuam: nam actus ſcientiæ intelligitur priuſquam obiectum eius terminatiuum, in quantum terminatiuum eſt: terminus enim actionis, vt ſic, intelligitur ſubſequens ipſam actionem: paſſiua verò terminatio intelligitur vt denominatio conſequens ipſum obiectum, in quantum terminat actum ſcientiæ.*

Machin. *Quid ſentiat Gonzalez de terminatione ſcientiæ viſionis.*

136\. *Obijcit Gonzalez primò.*

Supra hoc fundamentum parùm ſolidum fundat tres rationes. Prima, ſi res futuræ antecederent terminationem actiuam, antecederent etiam actum: tum quia antecederent ſcientiam liberam, vt liberam, quæ eſt ipſemet actus ſcientiæ viſionis: tum quia quod antecedit terminationem actiuam, pellit ignorantiam reſpectu creaturarum futurarum. Secunda ex S. Thoma infra art. 15. ad 1. Vnde colligit, *Quòd creaturæ futuræ non præſupponuntur in ſe ipſis, vt intelligantur in Deo: aliàs eſſet falſa illa propoſitio D. Thomæ, ſecundùm hoc eſt vnumquodque intellectum in actu, quod eſt in intelligente.* loquens igitur S. Thomas de ſcientia, quæ importat relationes ad creaturas futuras, quæ ſcientia eſt viſionis, ait, *Eiuſmodi ſcientiam, & eiuſmodi relationem, non præſupponere creaturas futuras, neque ad illas conſequi; ſed eiuſmodi relationem conſequi ad actum immanentem & æternum in Deo, & ideo non variari ex variatione creaturarum ſicut variatur relatio Domini, & creatoris, quia iſtæ relationes conſequuntur ad actionem Dei tranſeuntem, quæ temporalis eſt, & ſupponit ipſaſmet creaturas:* Tertia relatio terminationis præſupponit extrema, ergo præſupponit ſcientiam & ſcitum; ergo præſupponit ipſammet ſcientiam talis ſciti, ergo non eſt relatio terminationis actiuæ, quæ eſt ſimul cum actu ſcientiæ creaturarum, ſed relatio terminationis paſſiuæ, quam antecedit actus ſcientiæ creaturarum futurarum. Demum addit; *quòd terminatio actiua, non eſt relatio rationis in actu voluntatis, ſed eſt realitas cauſæ, vt actu cauſantis, & deinde conſurgit in illa reſpectus rationis.*

*Obijcit ſecũdò ex S. Th.* *Obijcit tertiò.* *Obijcit quartò.*

137\.

Hæc omnia verè nullam aliam difficultatem continent, niſi communiſſimam de terminatione diuinæ ſcientiæ liberæ ad obiectum creatum, vt

monui ſupra n. 125. vbi eam explicaui, quantum ſatis erat ad præſens inſtitutum. Quæ difficultas non naſcitur ex peculiari noſtra ſententia de præcedentia rerum futurarum, imò per hanc fit maximè intelligibilis: quia ſi terminatio actiua præcedit res futuras, vt vult Gonzalez: ergo in illo priori pręcedentiæ, antequam intelligantur res futuræ, intelligeretur ſcientia diuina, cum terminatione actiua tendens ad res futuras: quod de diuina ſcientia nemo non videt inconuenienter dici, vt ſupra n. 128. Si verò dicamus, præcedere res futuras, & ſequi terminationem ad illas, facilè intelligimus, cur ſcientia diuina ſit libera, & in priori ſigno rationis non videt res futuras, in poſteriori videat, & prius potuerit non videre: ſcilicet ex variatione ſolius terminationis, quæ conſequitur res futuras. Sed diſputando cum Gonzalez de iſta terminatione, extra punctum præſentis controuerſiæ.

*Per præcedētiam futuri, explicari facilius ſcientiā viſionis.*

138. Dico contra ſuum fundamentum, me quoque diſtinguere duplicem terminationem actiuam & paſſiuam: actus enim vt videns obiectum dicitur terminari actiuè ad obiectum; obiectum verò, vt viſum ab actu, dicitur terminare paſſiuè actum, vt explico in 1. tom. q. 1. art. 7. n. 1. Verùm nego primò terminationem paſſiuam eſſe ſolùm denominationem conſequentem, qua ſcilicet res futuræ determinantur viſæ. Etenim ipſemet Gonzalez in ſua explicatione rectè admittit duo, dum dicit, *ex eo enim quòd terminat actum ſcientiæ, conſequitur in illo quædam denominatio, quæ dici poteſt paſſiua terminatio actus ſcientiæ.* ante denominationem conſequentem, fatetur terminationem antecedentem, ex qua conſequatur denominatio. Illa autem prior terminatio, quia eſt ex parte obiecti, non poteſt eſſe niſi paſſiua; ergo terminatio paſſiua non dicitur deinde cohærenter conſiſtere totaliter ac præcisè in illa denominatione; ſed partim eſt ipſum eſſe futurum, quatenus ſecundùm ſe independenter ab omni noſtra denominatione, ac rationis reſpectu terminat diuinam ſcientiam, ſeu ſubſternitur, ac ſupponitur illi, quæ dici poteſt terminatio paſſiua fundamentalis & prior; partim etiam extrinſeca rationis denominatio ſeu relatio viſi, quæ dici poteſt terminatio paſſiua formalis, & poſterior; cum prius ſit rem eſſe talem in ſe à parte rei, quàm per intellectum ab illo denominari, vel ad aliud ordinari.

*Duplex ſciētia viſionis terminatio actiua & paſſiua.*

*Terminatio paſſiua duplex.*

139. Nego ſecundò terminationem actiuam ſufficienter explicari, per ſolam tendentiam actus ad obiectum: ſicut enim paſſiua, præter obiectum re ipſa terminans actum, importat denominationem & relationem viſi ad videntem; ita pariter actiua, præter prædictam tendentiam realem, & priorem, ac fundamentalem, importare debet poſteriorem, & conſequentem, ac formalem denominationem extrinſecam, ſeu rationis relationem videntis ad viſum.

*Terminatio actiua duplex.*

140. Nego tertiò terminationem actiuam, abſolutè loquendo, dici rationabiliter eſſe intrinſecam ipſi actui ſcientiæ: quia quod eſt diuinæ ſcientiæ intrinſecum, eſt etiam neceſſarium; ſed actiua terminatio ſcientiæ diuinæ ad creaturas futuras, non eſt neceſſaria, quia ſicut creaturæ potuerunt non eſſe futuræ, ita in diuina ſcientia potuit non eſſe actiua terminatio, ac tendentia ad creaturas, vt futuras, ergo actiua terminatio non debet abſolutè dici intrinſeca, ſed contra potius dicenda eſt extrinſeca, quatenus eſſentialiter inuoluit creaturas futuras, extrinſecas diuinæ ſcientiæ. Nego denique quartò actiuam terminationem eſſe ante paſſiuam: nam ſi comparetur actiua fundamentalis cum paſſiua fundamentali; quæ comparatio facit ſolùm ad noſtrum propoſitum, vt intelligamus propoſitiones cauſales Patrum ſupra à num. 48. ad 54. hæc eſt ratione prior, illa poſterior, vt ſæpè probatum eſt, & ſatis per ſe conſtat, cùm omnes concipiamus, prius eſſe, rem in ſe, & à parte rei talem, quàm aliud terminari ad rem illam, prout in ſeipſa talis eſt, v. g. prius eſt, Petrum eſſe album, currere, &c. quàm videri album, &c. Illud autem, quod ad prædictam anteceſſionem actiuæ terminationis probandum affert Gonzalez de termino actionis ſolutum eſt ſupra n. 124.

*Terminatio actiua nō eſt intrinſeca, ſed extrinſeca.*

*Terminatio paſſiua fundamētalis eſt prior actiua.*

141. Rationes igitur in huiuſmodi falſis principiis fundatæ nullam vim habere poſſunt. Ad primum nego ſequelam; cuius duæ probationes non vrgent: non prima, quia quod antecedit terminationem actiuam ſcientiæ liberæ, prout actu liberæ, non eſt neceſſarium, vt antecedat totum illud quod illa eſſentialiter importat, ſed ſatis eſt, vt inter duos conceptus quos includit, nempe ſcientiæ terminatæ ad obiectum, & obiecti terminantis ſcientiam, hic ſit prior, ille poſterior: ſicut cum dicitur, v. g. ignis cauſans calorem prior calore cauſato ab igne, non intelligitur aliquid potius, aut poſterius omni eo quod importatur per ignem cauſantem calorem, aut per calorem cauſatum ab igne; ſed inter ipſoſmet terminos incluſos attenditur comparatio prioris & poſterioris, alterius ad alterum. Non ſecunda, vt ſupra num. 126.

*Ad primum.*

142. Ad ſecundum ex illo loco S. Thomæ colligi ſolùm, creaturas futuras, vt intelligantur, à Deo, & ſcientia Dei referatur ad illas non præſupponi in ſeipſis, nimirum, tunc actu, & præſentialiter in re exiſtentes, cùm ſcientia Dei ad illas refertur; ſicut præſupponuntur, cùm ad eas refertur Deus vt Dominus, & creator, vt probaui in 1. tomo quæſt. 13. artic. 7. num. 7. Quod non eſt ad rem, quia nos contendimus, ad viſionem diuinam futurarum creaturarum, præſupponi in ſeipſis creaturas, vt futuras, non vt præſentes; nec aliud probat illa propoſitio S. Thomæ, niſi quòd vt creaturæ terminent ſcientiam Dei, nón eſt neceſſarium vt tunc actu ſint extra Deum, cum actu terminant ſcientiam Dei, ſicut ſunt extra Deum cùm terminant relationem Domini & creatoris; ſed ſatis eſt, vt ſint actu obiectiuè & repræſentatiuè in ipſo intelligente: quod nihil prorſus facit ad punctum noſtræ controuerſiæ. Nego præterea dici à S. Thoma, ſcientiam viſionis, eiúſque relationem non præſupponere creaturas futuras, & non conſequi ad illas. Solum dicit in 2. reſponſ. quod relationes Domini, & creatoris, *conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas, ſecundùm quòd in ſe ipſis ſunt.* Aliæ verò relationes ſcientis, & amantis creaturas, *conſequuntur actus qui intelliguntur in Deo eſſe.* Nos non negamus actionem Dei tranſeuntem, & temporalem, quia eſt productiua creaturarum, eſſe priorem creaturis, quas in tempore producit; & præſupponit ad relationem in illa fundatam: neque negamus, relationem rationis, fundatam in immanentibus actibus ſcientiæ, & amoris Dei, reſpectu creaturarum actualium, eſſe poſt illos actus, & poſt creaturas, quod tantùm docet S. Thomas: ſed probamus, creaturas futuras, quæ ab æterno ſunt obiectiuè in ipſo Deo intelligente, eſſe prius, ſecundùm ſe futuras, vi diuinæ voluntatis, & ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ; & omni

*Ad ſecundū.*



omnipotentiæ, quàm vi diuinæ ſcientiæ viſionis videri vt futuras. De qua re nihil prorſus habet S. Thomas loc. cit. nec ex illo licet arguere, quòd ſicut actio tranſiens terminatur ad creaturas, ipſa poſteriores, ita & immanens actio ſcientiæ viſionis: quia ex dictis ſupra num. 124. conſtat, longè diuerſam eſſe rationem termini reſpectu actionis, quæ illum producit, & reſpectu actionis quæ illum repræſentat.

143. Ad tertium, concedo antecedens, & primam, & ſecundam conſequentiam, ſed nego tertiam: relatio enim terminationis non ſolùm paſſiuè, ſed etiam actiuè, præſupponere debet ſuum fundamentum, quod non eſt aliud niſi ipſamet actiua terminatio, ſiue actualis tendentia diuinæ ſcientiæ ad res futuras; ergo non bene dicitur eſſe ſimul cum actu ſcientiæ creaturarum. Ad additum vltimo loco, reſpondeo eamdem eſſe rationem de terminatione actiua in voluntate, & ſcientia diuina libera: ſicut enim ipſemet Gonzalez admittit in voluntate terminationem actiuam fundamentalem, quæ ab ipſo dicitur, *Realitas cauſæ vt actu cauſantis.* & formalem, quæ vocatur, *Reſpectus rationis:* ita pariter philoſophari deberet de ſcientia, & in ea non admittere ſolam terminationem actiuam fundamentalem, quam vocat, *tendentiam in tale obiectum, & non in eius negationem*, ſed præterea formalem, quam nos vocamus relationem rationis, fundatam in prædicta tendentia antecedente: nam vt docet S. Thomas infra artic. 15. ad 1. quem ipſe in ſecundo argumento pro ſe affert, *Huiuſmodi relationes conſequuntur actus qui intelliguntur in Deo eſſe.*

*Ad tertium.*

## *Obiectiones Cabreræ.*

144. Præter Thomiſtas huius temporis, non minus ardenter inuehitur contra nos F. Petrus Cabrera, ordinis S. Hieronymi in 3. p. tomo 3. quæſt. 62. artic. 1. diſputat. 12. Initio igitur in §. 2. num. 58. probat ſcientiam viſionis eſſe practicam. Primò, *quia omnis ſcientia diuina, eſt rerum cauſa, vt inquit D. Thomas p. 1. quæſt. 14. art. 8.* Secundò, *quia omnis ſcientia vel eſt cauſa rerum, vel effectus ſui obiecti.* *Quare cùm ſcientia viſionis nequeat eſſe effectus rerum cognitarum, neceſſe eſt, ſit illarum rerum cauſa; cùm illas res non præſupponat productas.* Deinde ad idem probandum redit in §. 15. num. 352. Et arguit tertiò, *ſententia Suarez eſt omnino falſa, quia ex ea ſequitur, ſcientiam Dei non eſſe rerum cauſam, quod eſt contra fidem.* Sequelam probat, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt cauſa rerum, cum antecedat actum voluntatis: *Sed ſcientia præſuppoſita ad actum voluntatis non eſt cauſa rerum, vt docet D. Thomas 1. part. quæſt. 14. articul. 8.* ergo ſi ſcientia viſionis non eſt cauſa rerum, nulla ſcientia erit cauſa rerum; quia ex dub. 2. omnis diuina ſcientia circa creaturas, vel eſt ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis.

*Scientiā viſionis eſſe practicā probat Cabrera primò.*

*Probat ſecūdò.*

*Probat tertiò.*

145. Antequam ad hæc, & ſequentia argumenta reſpondeam, operæ pretium erit oſtendere, hunc Authorem apertè & ſæpe ſibi contradicere; quia in ſuo primo tomo quæſt. 1. artic. 3. diſputat. 1. §. 1. num. 9. ait, *Ex natura rei prius eſt, aliquam rem eſſe futuram, quam verè cognoſci vt futuram; & totalis cauſa, propter quam res ſunt futuræ; eſt diuina voluntas.* Vnde ſtatim rectè colligit, ſcientiam viſionis eſſe poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & poſt ſcientiam approbationis. Quid quæſo clarius aſſerere poſſent noſtri Theologi contra modernos Thomiſtas. Si futurum, eſt ex natura rei prius ſcientia viſionis, ergo ab hac tanquam à cauſa, pendere non poteſt, quia nullus effectus eſt prior cauſa à qua in ſuo eſſe dependet: Præterea ſi totalis cauſa futuri eſt voluntas; & ſcientia viſionis, vt hic Author ſæpe fatetur, eſt poſt voluntatem: ergo nulla ratione dici poteſt cauſa futuri, quia quod eſt poſt, & conſequenter extra cauſam totalem alicuius effectus, cauſa illius effectus eſſe nequit. Denique ſi ſcientia viſionis conſtituitur poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & approbationis, non apparet quid illi cauſandum ſupereſſe poſſet, quod ab aliis duabus præcedentibus ſcientiis non cauſetur. Sicut enim poſt omnipotentiam, & approbationem, ſeu determinationem voluntatis approbantis exequutionem operis, non multiplicatur, ne ratione quidem aliud principium exequens opus: ita poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cauſatiuam & directiuam operis faciendi, & determinationem voluntatis approbantis directionem eiuſdem operis, nulla ratione multiplicandum eſt aliud principium practicum, actu cauſans, & dirigens opus.

*Multa Cabrera dicta pro ſententia quam impugnat.*

Præterea in ipſomet tomo 3. diſputatione 12. citata, §. 2. num. 32. ſcientia viſionis, inquit, *Ratione eſt poſterior, & ſubſequens determinationem liberam voluntatis diuinæ.* & num. 54. arguendo contra ſe, ſumit hanc propoſitionem vt ſuam, quam propterea in reſponſione non negat, *ſcientia viſionis præſupponit rerum viſarum exiſtentiam.* & num. 18. *Præſupponit ſcientia viſionis actum voluntatis determinantis; ita vt inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis mediet voluntatis actus.* & §. 7. num. 168. ita fatetur, *ſcientia viſionis ex omnium Theologorum conſenſu, non antecedit liberam Dei determinationem, quin potius illam intrinſecè præſupponit: ab ea enim, veluti à prima cauſa, habent res, quod ſint determinatè futuræ, atque adeo, & quòd ſint obiectum ſcientiæ viſionis.* & iterum paulò poſt in num. 175. *Ex communi omnium Theologorum conſenſu, ſcientia viſionis ex eo præſupponit intrinſecè determinationem diuinæ voluntatis, quia ab hac veluti prima cauſa, habent futura, quòd ſint realiter futura determinatè, & ex conſequenti, quòd ſint vera obiecta ſcientiæ viſionis.* & in §. 15. numero 328. fin. *Cognitio futurorum, vt futura ſunt, non præſupponitur, ordine rationis, volitioni eorumdem futurorum, ſed potius ſupponit volitionem.* Qui concedit, ſcientiam viſionis eſſe poſt liberam volitionem, & conſequenter, poſt ſcientiam approbationis; ideóque ſupponere ante ſe rerum exiſtentiam futuram in aliquo determinato tempore; non poteſt cohærenter dicere, illam quoque eſſe cauſam rerum futurarum. Item, ſi omnes Theologi docent, per volitionem liberam haberi prius, quod futura ſint realiter & determinatè futura, & conſtituta vera obiecta ſcientiæ viſionis; & poſterius intelligi, eſſe ſcientiam viſionis illorum obiectorum; non poſſunt docere, ſcientiam viſionis eſſe cauſam ſuorum obiectorum, & quod futura, ſint realiter ac determinatè futura: quod enim præſupponit rem aliquam, non poteſt eſſe eiuſdem rei cauſa ſecundùm illud idem eſſe quod præſupponit. Et viſio præſupponens aliquod obiectum, non poteſt videndo efficere illud idem obiectum; quod præſupponit, vt videre poſſit. De hac igitur ſententia, non tam Suarez, quàm ſua, & S. Thomæ, & omnium Theologorum vt ipſemet veriſſimè confeſſus eſt, non debuit ſingulariter pronunciare 146.

Cabrera

Cabrera, *ſententia Suarez eſt omnino falſa.* Cæterùm maledictis contra præclariſſimos Theologiæ Magiſtros, Molinam, Suarez, Vaſquez, in tota illa longiſſima diſputat. 2. diffuſis, quæ fortaſſe ſuæ clariſſimæ contradictioni videndæ impedimento fuere, libenter vt Religioſi parcimus: falſis verò ipſius contra veritatem dictis, vt Theologi parcere non poſſumus.

147. *Ad primum, Cabreram in ſuis argumẽtis ſumere cõtradictoria.* Itaque ad primum animaduertat quæſo prudens lector, quantum cohæreant iſtæ duæ propoſitiones huius Authoris. Primò, in primo argumẽto, *Omnis ſcientia eſt rerum cauſa, vt inquit D.Thomas* 1.*p.q.*14. *art.* 8. in ſecundo argumento, *Scientia præſuppoſita ad actum voluntatis, non eſt cauſa rerum, vt docet D.Thomas* 1.*p.q.*14. *art.*8. Omnis ſcientia eſt cauſa rerum, aliqua ſcientia non eſt cauſa rerum, ſunt propoſitiones contradictoriæ. Quas quòd Cabrera ſcripſerit, ferri poteſt; quòd autem S. Thomæ in eodem ipſo octauo articulo tribuerit, ferri certè non poteſt. *Non omnis ſcientia eſt cauſa rerum ex S.Thoma.* In illo igitur articulo prima propoſitio manifeſtè negatur: tum quia ibi cauſa rerum dicitur ſcientia indifferens, & liberè determinata à voluntate ſequente: hæc autem non eſt omnis ſcientia; ſed tantum ſimplicis intelligentiæ; quia ſcientia viſionis non eſt indifferens & indeterminata ad futura & non futura, ſicut eſt ſcientia intelligentiæ: tum quia in fine corporis concludit, & teſtatur eſſe communem ſententiam, cauſam rerum eſſe ſcientiam approbationis: quæ non eſt omnis ſcientia, quia & ſecundùm S. Thomam de veritat. quæſt.3. artic.3. ad 8. vt expendi ſupra num. 114. & ſecundùm ipſummet Cabreram pluribus in locis, dantur duæ aliæ ſcientiæ, & ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Tum quia ad primum, exponens illud Origenis, non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum, reſpondeo, Origenem loquutum eſſe de vna ſcientia, non de alia, vt ſupra num. 91. vbi clariſſimè ſupponit, non omnem ſcientiam eſſe cauſam rerum: tum quia idem S. Thomas 1. diſtinct.38. quæſt.1. artic.1. circa medium corporis, primam propoſitionem deducit tanquam abſurdam, ſic, *Aliàs omnis ſcientia cauſa eſſet.*

148. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum diſtinguo antecedens, quoad ſecundam partem de effectu; ſcientia, quæ non eſt rerum cauſa, eſſe debet rerum effectus, vel quoad ſuum intrinſecum eſſe, vt ſcientia creata, vel quoad puram terminationem extrinſecam, vt ſcientia diuina. Illud quod addit, *ſcientia viſionis non præſupponit res productas,* ſi intelligatur de rebus actualiter & præſentialiter iam productis in aliquo præſenti tempore, eſt veriſſimum, quia ſcientia viſionis eſt æterna, res verò productæ ſunt in tempore: ſed inde tantum deduci nequit cauſalitas, quia etiam reſpectu peccatorum, quæ non cauſat, ſcientia viſionis præceſſit æterno tempore: ſi autem intelligatur de rebus ab æterno futuris ſecundùm actualem productionem in aliqua differentia temporis, id eſt falſum, & ab ipſomet Cabrera ſæpe & expreſsè negatum.

149. *Ad tertium.* Ad tertium nego ſequelam; & ad probationem, nego etiam, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non eſſe cauſam. & mirum valde eſt ſumi oppoſitum à Cabrera, nam in eodem num. 352. ita habet: *D.Thomas intendit, quod ſcientia Dei, ante actum voluntatis eſt cauſa in actu primo, poſt determinationem verò voluntatis cauſa eſt in actu ſecundo:* ſed ſcientia ante actum voluntatis eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundùm omnes; & ipſummet Cabreram. ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa, in actu primo ſaltem: imo etiam in actu ſecundo, quia ipſemet aſſerit, ſcientiam in actu ſecundo eſſe ſcientiam determinatam per voluntatem, quæ eſt ſcientia approbationis: ſed ſcientia approbationis, vt tenet Cabrera cum Sancto Thoma hîc, & Magiſtro, & omnibus Scholaſticis, eſt cauſa in actu ſecundo, ergo ſcientia viſionis, quam Cabrera collocat tertio loco poſt ſcientiam approbationis, non eſt cauſa in actu ſecundo: quia quod eſt poſt cauſam in actu ſecundo, cogitari nequit cauſa in actu ſecundo. Vnde ex inſtituto deinde à n. 361. incipit authoritate Sancti Thomæ, & multis rationibus bene probare, *eſſe adeò certum ſcientiam Dei ex ſe, vt antecedit actum voluntatis, habere rationem cauſæ efficientis in actu primo, vel habere virtutem cauſatiuam rerum, vt ſine temeritate affirmari non valeat ſcientiam Dei ex ſe non eſſe cauſam ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid.* Et tamen antea in numero 352. dixerat planè oppoſitum illis verbis, *ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non eſt cauſa rerum, cùm antecedat actum voluntatis.* Neque confugere poteſt ad cauſam in actu ſecundo: nam, vt colligitur ex ipſomet in ſolutionibus argumentorum, & probatum eſt ſupra num. 84. & num. 108. 109. id quod eſt cauſa in actu primo eſſe debet cauſans in actu ſecundo, ſed ſcientia ante voluntatem, quæ per ſe ſupra num. 146. eſt ſimplicis intelligentiæ, eſt cauſa in actu primo, ergo eadem ſcientia, *Secundùm quod habet voluntatem coniunctam,* vt loquitur S.Thomas hic in fine corporis, cauſat in actu ſecundo: ſcientia verò viſionis, per ſe etiam, non habet voluntatem coniunctam, & concomitantem, ſed antecedentem, & præſuppoſitam, & eſt poſt voluntatem non propriè cum voluntate, ergo non cauſat in actu ſecundo.

Probat etiam Cabrera in citato §. 15. à n. 336. ad num. 350. contra Suarez, res futuras non ideo cognoſci à Deo quia futuræ ſunt. 150. *Aliæ Cabreræ obiectiones & cõtradictiones.* Primò ex Auguſtino, & Gregorio, de quibus ſupra num. 130. & in hoc primo argumento repetit clarius, quòd *Deus per ſcientiam approbationis ſeu complacentiæ, tanquam proximam cauſam producit res.* Sed ſcientia viſionis per Cabreram, verbis relatis ſupra n. 145. & 146. eſt poſt ſcientiam approbationis: ergo ſi hæc eſt cauſa proxima producens in actu ſecundo, illa dici conſequenter non poteſt cauſa producens in actu ſecundo; ſic enim ſcientia approbationis eſſet cauſa remota, viſionis verò proxima. Secundò ratione, quia per nos ſequitur, *Rem, vt futuram, eſſe cauſam formalem & obiectiuam ſcientiæ Dei.* Probat ſequelam numerando reliquas omnes cauſalitates & ſupponendo, quod ſanè probandum erat per noſtram ſententiam, futurum habere aliquam cauſalitatem circa ſcientiam viſionis. Nos verò nullam propriè cauſalitatem admittimus, ſed puram præcedentiam ſecundùm rationem: vel ſi largè de cauſalitate loqui velimus, ponimus cauſalitatem extrinſecæ terminationis ſcientiæ viſionis ad futurum, non autem cauſalitatem ipſius ſcientiæ, vt ſupra numero 73. & deinceps.

ARTI



## ARTICVLVS IX.

*Vtrùm Deus habeat ſcientiam non entium.*

### Ad nonum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non habeat, &c.

### SVMMA COMMENTARII.


1 *Deum ſcire res, quæ non ſunt. num.* 1. *&* 2.

2 *Deum diſtinctè, ac propriè ſcire negationes rerum. num.* 3.

3 *Deum non ſcire negationes primariò, & per ſe. n.*4.

4 *Qua ratione ſciat Deus non ens ad motum entis. num.* 5. *ad* 9.

5 *Deum non formare ens rationis. num.* 9.


### COMMENTARIVS.

*Declaratur, & probatur pars articuli affirmatiua.*

1. PEr non entia S.Thomas initio corporis explicat ſe intelligere, *ea quæ non ſunt ſimpliciter, hoc eſt, actu, ſed ſunt aliquo modo, hoc eſt, non actu, ſed in potentia, vel ipſius Dei, vel creaturæ, ſiue in potentia actiua, ſiue in paſſiua, ſiue in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo ſignificandi.*

2. *Prima concluſio.* Prima concluſio. Scit Deus omnia entia poſitiua realia, licèt ea actu non ſint, ſed vel fuerint, vel futura ſint, vel tantùm eſſe poſſint; ſed poſſibilia ſcit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, præterita verò, & futura ſcit ſcientia viſionis. Tota hæc concluſio ſufficienter probata remanet ex dictis ſuprà art. 1. 5. 6. 8. eáque ſola videtur intendi à Sanct. Thoma in toto hoc articulo, vt patet conſideranti attentè omnia: *Mens S. Thomæ in hoc articulo.* in quibus nihil prorſus habetur pertinens ad negationes, entia ficta, & rationis: ſicut nec apud antiquiores interpretes, Caietanum, & Sylueſtrum. Quare per ea, quæ ſunt *in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo ſignificandi,* debent ad mentem S.Thomæ intelligi actus reales iſtarum potentiarum, & non obiecta, quorum nonnulla ſunt ficta, & nec habent nec habere poſſunt eſſe extrà animam, ſed in anima tantùm obiectiuè. Quoniam verò de his quoque tractant communiter recentiores interpretes, & ea etiam propriiſſimè dicuntur non entia, ſint breuiter ſequentes dubitationes.

## DVBITATIO I.

*An, & quomodo ſciantur à Deo negationes.*

3. *Secunda concluſio. Deum diſtinctè ſcire negationes.* SEcunda concluſio. Deus ſcit etiam rerum negationes, ac priuationes proprio, ac diſtincto conceptu, hoc eſt, explicitè terminato non ſolùm ad eſſe, ſed etiã ad nõ eſſe. Ita omnes. Et puto eſſe de fide, quia paſſim in Scriptura dicitur Deus ſcire, videre, cognoſcere, intelligere multas negationes, & priuationes; vt noſtras miſerias, infirmitates, ignorantias, mortem, peccata, noctem, tenebras, &c. Et ſæpiſſimè multa negantur, quidquid autem eſt in Scriptura, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum, reuelatum, & cognitum eſt à Deo. Et ſi creare in tempore, nihil eſt aliud, quàm traducere res de non eſſe ad eſſe, fides docens mundum à Deo conditum fuiſſe in tempore liberè per intellectum, & voluntatem, cenſetur quoque docere, Deum cognouiſſe non ſolùm eſſe rerum factum in tali differentia temporis, ſed etiam non eſſe, & non factum in toto tempore præcedenti ab æterno. Et ideò ad Romanos 4. vocare dicitur *ea, quæ non ſunt.* non eſt autem vocatio ſine cognitione. *Exponitur locus ad Romanos 4.* Præterea per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ nouit Deus de creaturis non ſolùm poſitiuè poſſe eſſe, ſed etiam negatiuè non eſſe in quocumque tempore. Per ſcientiam verò viſionis nouit eſſe in tali differentia determinati temporis, & non in alia aut priori, aut poſteriori. nam, vt acutè aduertit Caietanus hîc in fine. *Caietanus.* *Iſta differentia,* nempe ſcientiarum, *tangit non entia vtroque modo, ſcilicet, in quantum ſunt, & in quantum non ſunt.* Ratio manifeſta eſt, *Ratio concluſionis.* quia non entia habent propriam, & diſtinctam intelligibilitatem oppoſitam intelligibilitati entium: ſicut enim multa, quia verè à parte rei ſunt, aut eſſe poſſunt, ideo poſitiuè intelligũtur eſſe, aut poſſe eſſe: ita à contrario, quia multa non ſunt, aut etiam non poſſunt eſſe, ideo negatiuè intelligi debent non eſſe, aut non poſſe eſſe, præſertim à diuino intellectu, cui nulla veritas intelligibilis, nullo perfecto modo, quo intelligibilis eſt, occulta eſſe poteſt.

4. *Tertia concluſio. Deus ſcit negationes per poſitiuum.* Tertia concluſio. Scit Deus negationes, non per ſe, & primariò, ſed per aliud, & ſecundariò. Hoc probat S.Thomas articulo ſequenti, tum authoritate Dionyſij docentis, *Quòd Deus per ſemetipſum, tenebrarum accipit viſionem, non aliunde videns tenebras, quàm à lumine:* *S.Thomas. Dionyſius.* tum ratione à priori, quia omnis negatio eſt eſſentialiter poſterior re, quam negat, ad quam dicit eſſentialem habitudinem, vt cum S.Thoma oſtendi in 1. tomo, quæſt. 11. art. 1. à num. 35. ad 39. ergo non poteſt intelligi ſine poſitiuo, & niſi priùs intelligatur ipſum poſitiuum, cuius eſt negatio: ſicut enim res ſe habet ad eſſe, ita ad intelligi. Et ideo hic modus cognoſcendi non importat imperfectionem, quia vt de malo docuit S.Thomas art. ſeq. ad 4. ſed propter eandem omninò rationem applicari poteſt reliquis omnibus priuationibus, ac negationibus, *cognoſcere aliquid per aliud, tantùm eſt imperfectæ cognitionis, ſi illud ſit cognoſcibile per ſe: ſed malum non eſt per ſe cognoſcibile; quia de ratione mali eſt, quòd ſit priuatio boni: & ſic neque definiri, neque cognoſci poteſt, niſi per bonum.*

## DVBITATIO II.

*An Deus cognoſcat, & formet entia rationis.*

5. *Quarta concluſio.* QVarta concluſio. Deus per ordinem ad intellectum ſuum non cognoſcit non ens ad modum entis; id autem cognoſcit per ordinem ad intellectum noſtrum; hoc eſt, ipſe per ſe non cognoſcit, ſed cognoſcit nos cognoſcere non ens ad modum entis. vtramque partem Capreolus referens, & ſequens Petrum de Palude, breuiter, ſed expreſsè adnotauit 1. d. 8. quæſt. 4. art. 2. ad 6. *Capreolus. Paludanus.* contra primam concluſionem in §. *& ſimiliter ſciendum;* docens vniuerſaliter, *entia rationis poſſe dici eſſe actu ab æterno in intellectu diuino intelligente omnem diſtinctionem factibilem per intellectum creatum, & omnes conceptus formabiles de ſua eſſentia,* eáque entia ait eſſe actualiter in Deo, *vt intellectum in intelligente:* eſſe verò actualius in creatura, *ſicut in proximo fundamento, ſcilicet in rationibus formatis per intellectum creatum.* Eandémque doctrinam repetit ad nonum penultimo loco. Et ſequuntur Hiſpalenſis *Hiſpalenſis.*

lenſis

lenſis ibidem quæſt. 4. circa finem in reſponſione ad nonum. Vaſquez d.61. cap.2. Suarez 1.p. tractatu 1. lib.3. cap.3. num.7.& 8. & Metaph. d.54. ſectione 2. à.num.13. Arrubal hîc, d.34. Machin. d.26.

Vaſquez. Suarez. Arrubal. Machin.

6\. *Deus per ordinem ad intellectum ſuũ non ſcit ens ad modum entis.*

Prima pars patet, quia ex terminis ipſis ferè apparet, magnam eſſe imperfectionem, apprehendere rationem entis in non ente, ſicut rationem falſi in vero, vel rationem mali in bono; tunc enim inter repræſentatum, & repræſentantem nulla eſſet adæquatio, & conformitas, imò eſſet inadæquatio, & difformitas omnium maxima, vt inter contradictoria, cuiuſmodi ſunt ens, & non ens. Atque hæc imperfectio eſſet longè maior in intellectu Dei, quàm in noſtro; quia apprehenſio Dei cùm ſit quidditatiua, & perfecta, habere dicitur rationem etiam iudicij, noſtra verò imperfecta habet ſimplicem rationem apprehenſionis: difformitas autem cum obiecto eſt propriiſſimè falſitas, & deceptio in actu iudicij ſecundùm omnes, non autem in actu ſimplicis apprehenſionis ſecundùm communiorem opinionem. Neque contrarium docet S.Thomas quæſt. ſequenti, artic.2. ad 3. & 4. ibi enim non loquitur de reſpectibus formalibus, ſed fundamentalibus, qui ſunt quidem reales, non tamen terminati intrinſecè ad ipſummet Deum, vt relationes perſonales, ſed extrinſecè ad creaturam, cuius exemplar eſt diuina eſſentia.

*S.Thomam non eſſe contrarium.*

7\. *Deus per ordinem ad intellectum noſtrum ſcit ens ad modum entis.*

Secunda pars probatur, quia Deus videt proculdubiò realem noſtram cognitionem non entis ad modum entis: non poteſt autem eam videre ſaltem perfectè, & comprehenſiuè, quomodo neceſſe eſt vt Deus videat, niſi videat etiam non ens ad modum entis: aliter videret cognitionem, & ignoraret obiectum illius: & creatura formaret aliquid, quod ſciunt homines, & neſciret Deus, quæ ſunt abſurda. Imò implicat ſimpliciter videre cognitionem creatam ſingularem, ac determinatam, quæ terminatur obiectiuè ad non ens per modum entis, & non videre huiuſmodi obiectum: quia cùm hæc cognitio ſit finitæ, ac limitatæ perfectionis, ad prædictum obiectum terminatur, non extrinſecè, & accidentaliter, qua ratione articulo præcedenti diximus, ſcientiam viſionis Dei ob intrinſecam ſuam perfectionem omninò illimitatam terminari ad res futuras, & ideò poſſe eſſe, & videri ſine rebus futuris, ſed terminatur intrinſecè, & eſſentialiter, quia illa, vt ſupponitur, nullum aliud habet obiectum, niſi non ens ad modum entis; omnis autem cognitio, quia eſt eſſentialiter repræſentatio alicuius obiecti, ſiue creata ſit, ſiue increata, dicit eſſentialem habitudinem ad aliquod obiectum: ergo non poteſt videri talis eſſentia, non viſa aliquo modo eius habitudine, & obiecto; alioqui illa eſſentia videretur, & non videretur, quæ eſt implicantia. Vnde ipſamet ſcientia viſionis Dei, ſi non eſſet eadem omnino in re cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ac proinde terminaretur obiectiuè, non ſolùm liberè ad res futuras, ſed etiam neceſſariò ad res poſſibiles, neque eſſe, neque videri poſſet, ſi non eſſent, & non viderentur res futuræ.

8\. *Deus ſcit entia rationis ſine vlla imperfectione.*

Ex his neceſſariò ſequitur, eſſe obiectiuè in intellectu diuino aliquod obiectum imperfectiſſimum, quod ſcilicet nullum aliud habet, nec habere poteſt eſſe, niſi purè obiectiuum, & fictitium; & propriè putamus eſſe ens rationis. Hoc autem nullam prorſus in Deo imperfectionem ponit, quia huiuſmodi obiectum non habet intellectus diuinus ex modo cognoſcendi ipſius, ſed ex alio imperfecto modo cognoſcendi intellectus creati. Nulla verò imperfectio eſt, imò magna perfectio, ſi cognoſcas obiectum quantumuis imperfectum, modò illa obiectiua imperfectio oriatur non ex tuo imperfecto modo cognoſcendi, ſed ex imperfecto modo cognoſcendi alterius, cognito à te. Sicut igitur non eſt contra veritatem, & certitudinem, atque infallibilitatem diuini intellectus cognoſcere intellectus creati errores, falſitates, incertas, ac fallibiles opiniones, & coniecturas; ita nec contra eius ſinceritatem, ſeu ſoliditatem, & grauitatem eſſe debet, cognoſcere creati intellectus leuiſſimas fictiones, & inania commenta, vt negationes formarum tanquam formas, verbi gratia, tenebras inhærentes aëri, non relationem tanquam relationem, v.g. relationem creatoris ad creaturam; non ſubſtantiam, ſiue eſſentiam tanquam ſubſtantiam, & eſſentiam, v.g. hircoceruum, quæ vniuerſaliter vocauimus non ens cognitum ad modum entis, & ſunt entia tantùm rationis, hoc eſt, per rationem noſtram conficta, & aliter prorſus impoſſibilia.

9\. *Deus non format ens rationis.*

An autem hoc qualecumque eſſe obiectiuum, quod habet ens rationis in intellectu diuino intelligente nos intelligere non ens ad modum entis, ſufficiat ad hoc, vt abſolutè, & ſimpliciter dicere liceat, ens rationis fieri, & formari etiam per intellectum diuinum, eſt in controuerſia, præſertim apud recentiores, inter quos Arrubal d. 34. cap.7. probat partem affirmatiuam. Sed quia negotiũ hoc eſt logicum, breuiſſimè dico, me quamuis iunior in Logica aliter docuerim, nunc inclinare potiùs in partem negatiuam, quia formare, & facere ens rationis, non eſt ſolùm eſſe ſiue exiſtere ens rationis, ſed præterea eſſentialiter importat reſpectum ad cauſam efficientem, quæ eſt tantùm intellectus imperfectus imperfecto modo concipiens. Nego igitur aduerſariis, fieri entis rationis nil aliud eſſe, quàm illud obiici ad modum entis, hoc enim eſt tantùm, eſſe entis rationis: fieri verò addit, obiici ex imperfecto modo concipiendi, qui modus eſt in creatura, non in Deo. Quare dicendum, ex probatis ſequi quidem, ens rationis eſſe in intellectu diuino, quia illi obiicitur: tamen non fieri ab intellectu diuino, quia illi non obiicitur ex imperfecto ſuo modo concipiendi, ſed contrà potiùs, ex perfecto modo concipiendi imperfectum modum concipiendi creaturæ, ad quem dicit eſſentialem ordinem fieri entis rationis.

Arrubal.

---

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm Deus cognoſcat mala.*

**Ad decimum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non cognoſcat, &c.**

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Deum ſcire omnia mala. num. 1.*
2 *Qua ſcientia Deus ſciat mala pœnæ, ac naturæ. n.2.*
3 *Qua ratione dicatur Deus neſcire mala culpæ. n.3.*
4 *Mala culpæ actualia ſciri à Deo ſcientia viſionis. num.4.*
5 *Hoc non poſſe dici à Gonzalez, & aliis non diſtinguentibus ſcientiam viſionis, & approbationis. num.4. ad 9.*
6 *Deum ſcire malum per bonum creatum, & increatum, diuerſo modo. num.9. ad 14.*
7 *Soluuntur obiectiones. num. 14. ad finem.*

COM



### COMMENTARIVS.

#### *Reſponſio articuli affirmatiua.*

1\. *Prima concluſio probatur de malis culpæ.*

PRIMA concluſio ſimpliciter, & vniuerſaliter affirmatiua, eſt de fide. De malis culpæ, de quibus tantùm loqui videtur S.Thomas hîc, vt patet ex argumento, *ſed contra*, & ex reſponſione ad ſecundum, conſtat ex illo Geneſis 6. *Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra.* & Iob 11. *Ipſe nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nónne conſiderat?* vnde in Scriptura frequenter dicitur Deus iudicare, punire, remittere, manifeſtare, prohibere, reprehendere peccata; & incarnatus ad redimẽdum à peccatis; quæ omnia, aliáque ſimilia, intelligi nequeunt, niſi Deus perfectam omnium peccatorũ cognitionem habeat. De malis pœnæ, quia ſæpiſſimè narrat Scriptura, ea fieri à Deo. Et ideo Iſaiæ 45. dicitur, *Ego Dominus creans malum.* & Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* De malis naturæ, ex illo Sapientiæ 8. *Monſtra ſcit antequam fiant, & euẽtus temporum, & ſæculorum.* Ratio eſt eadem cum illa, qua articulo præcedẽti n.3. probaui vniuerſaliter, cognoſci à Deo omnes negationes, & priuationes. Nam, vt docet hîc S.Thomas, & ſæpe alibi, *Hoc eſt eſſe mali, quod eſt priuatio boni.* Et ſi, vt generaliter, & veriſſimè pronunciat initio corporis, *Quicumque perfectè cognoſcit aliquid, oportet quòd cognoſcat omnia, quæ poſſunt illi accidere.* Deus perfectè comprehendens naturam boni, & cuiuſlibet alterius poſitiui, non poteſt non cognoſcere eius dependentiam, ac defectibilitatem, & contrarietatem, vi cuius aliquando non ſit, aut ſaltem poſſit non eſſe.

Geneſ.6. Iob 11. *De malis pœnæ.* Iſai.45. Amos 3. *De malis naturæ.* Sapien.8. *Ratio articuli.*

## DVBITATIO I.

### *Per quam ſcientiam Deus mala cognoſcat.*

2\. *Secunda concluſio de malis pœnæ & naturæ.*

SEcunda concluſio. Mala pœnæ, ac naturæ ſcit Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſi ſint tantùm poſſibilia; ſi verò ſint actualia, ſcit non ſolùm ſcientia viſionis, ſed etiam approbationis. Ita omnes, & patet ex ſuperius dictis de his tribus ſcientiis. Mala enim pœnæ dicuntur à Scriptura ſuprà, creari, & fieri, & immitti à Deo; vnde, vt ait Durandus 1.d.36. quæſt.1. num.7. *Sortiuntur rationem boni moralis.* Mala pariter naturæ, important carentiam naturalium perfectionum, vt malum aquæ eſt priuari frigore per calorem; quas etiam priuationes abſolutiſſimus Dominus, & gubernator naturæ inducere poteſt, ac debet, & dirigere ad aliquem bonum finem. Omnes autem Dei effectus cauſantur per ſcientiam approbationis, & poſt actuale eorum eſſe videntur ſcientia viſionis, vt conſtat ex articulo 8.

Durandus.

3\. *Tertia concluſio de malis culpæ.*

Tertia concluſio. Mala culpæ poſſibilia ſcit Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt ſuprà, & expreſsè docet S.Thomas 1.d.38. quæſt.1. art.4. in fine corporis. Futura verò, vel præſentia, vel præterita non ſcit ſcientia approbationis, vt omnes aſſerunt, iuxta hunc ſenſum intelligentes illud Habacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum; & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* vnde illud Pſalmi 16. *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.* Auguſtinus ibi intelligit, *De peccatis, quæ tanquam tenebræ abſconduntur à lumine veritatis tuæ*, vt Auguſtinum exponunt Magiſter libr.1. ſent. d.36. & Alenſis 1.p. quæſt.23. membro 3.a.3. & Caſſiodor. in eodem Pſalmi loco, ait, *Omne peccatum illi abominabile, atque à conſpectu eius extraneum eſt: quamuis eius notitiam minimè refugere videatur.* & ſtatim ſignificat, idem eſſe, peccatum abſcondi à Deo, cum eo, quod dicitur Pſalm.5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Nam, vt docuit idem Auguſtinus, libr. 83. qq. quæſt. 60. initio. *Cùm dicitur Deus neſcire, pro eo dicitur, quòd non approbat, id eſt, in diſciplina, & doctrina ſua non agnoſcit, ſicut dictum eſt Matth.25. Neſcio vos.* & q.66. paulò poſt medium, *Secundùm hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus Matth. 7. Non noui vos. Non enim eum aliquid latet, ſed quia peccata non inueniuntur in regulis præceptorum, quas habet veritas, ideò ipſa veritas peccatoribus dicit, non noui vos. Sicut enim tenebræ oculis non videntur, ita peccata in mente ignorando ſentiuntur.* Et ratio ſumitur ex S. Thoma, quia, vt dicitur hîc ad ſecundum. *Scientia Dei non eſt cauſa mali.* Sed ex articulo 8. in fine corporis. *Scientia Dei, ſecundùm quod eſt cauſa rerum, conſueuit nominari ſcientia approbationis.* Ergo hæc non eſt de peccatis.

S.Thomas. Habacuc 1. *Exponitur locus Pſ.16.* Auguſtinus. Magiſter. Alenſis. Caſſiodorus. Pſalm.5. Auguſtinus. Matth.25. Matth.7. S.Thomas.

4\. *Quarta concluſio de iiſdem malis culpæ.*

Quarta concluſio. Futura omnia mala culpæ Deus ab æterno ſciuit ſcientia viſionis. Ita omnes; & ſatis conſtat ex dictis ſuprà articulo 8. præſertim ex Patribus citatis ibi à numero 48. ad 54. Nec difficultatem aliquam habere poteſt in noſtra ſententia, diſtinguente cum omnibus Theologis ſcientiam viſionis à ſcientia approbationis, & contendente, ſcientiam viſionis non eſſe cauſam rerum per eam ſcitarum. Moderni verò Thomiſtæ, qui has duas ſcientias non diſtinguunt in ratione formali ſcientiæ, & volunt, res cauſari à ſcientia viſionis, quantum cohærenter, deinde aſſerant, vt Gonzalez hîc, diſput. 40. ſect. 3. numer. 14. *Mala culpæ non cognoſcuntur à Deo ſcientia approbationis, ſed ſolummodò ſcientia viſionis*, non ſatis percipio. Neque enim Gonzalez confugere poteſt ad diuerſas habitudines, quas ſuprà d. 38. ſect. 2. à num. 17. ponit in his ſcientiis, nempe habitudinem ad voluntatem Dei in ſcientia approbationis, & habitudinem ad exiſtentiam rerum futurarum in ſcientia viſionis. Si quidem, vt aſſerit in numer. 19. paulò ante 5. concluſionem, *Scientia ſimplicis intelligentiæ, vt iam determinata per beneplacitum diuinæ voluntatis, induit rationem ſcientiæ approbationis: quatenus verò per eandem determinationem dicit habitudinem ad exiſtentiam rerum futurarum, induit rationem ſcientiæ viſionis.*

*Impugnantur duo dicta Gonzalez.*

5\. Hinc arguo ſic, ſcientia diuina, vt conceditur, non dicit habitudinem ad futurum, nec habet rationem ſcientiæ viſionis, niſi per determinationem diuinæ voluntatis; imò vt anteà dixerat in numer. 14. *In eodemmet ſigno rationis, in quo determinatur per actum liberum Dei ad cauſalitatem exiſtentiæ rei futuræ, determinatur etiam ad repræſentationem eiuſmodi exiſtentiæ, vt futuræ*: ſed diuina voluntas non determinat ad cauſandum peccatum: ergo non datur ſcientia viſionis ad repræſentandum peccatum. Neque dici poteſt cum eodem in citato numero 19. *Quòd licèt ſcientia viſionis, vt ſic, non ſit ſcientia approbationis, & cauſa rerum, tamen aliqua ſcientia viſionis eſt approbationis, & cauſa rerum, nempe ſcientia viſionis rerum, præſupponens beneplacitum diuinæ voluntatis de exiſtentia ipſarum rerum.*

6. His enim verbis tria dicuntur, quæ placere non poſſunt. Primum, dari ſcientiam viſionis, vt viſionis, quæ non eſt approbationis. Quod verum quidem eſt, tamen inde ſequitur, eſſe aliquod futurum, non per determinationem diuinæ voluntatis, ſed voluntatis creatæ; viſio enim eſt de futuro; & viſio, quæ non eſt ſcientia approbationis, non poteſt habere coniunctam determinationem diuinæ voluntatis; nec vllum futurum, habere poteſt rationem futuri ſine aliqua determinatione: ergo datur aliquod futurum per determinationem ſolius creatæ voluntatis; quod nos concedimus, ſed negant aduerſarii, qui aſſerunt, voluntatem noſtram indeterminatam, non poſſe determinatè operari, niſi à Deo prædeterminatam.

7. *Non dari duas ſcientias viſionis.*

Secundùm, dari duas ſcientias viſionis, alteram identificatam cum ſcientia approbationis, alteram ab ea diſtinctam. Quod ſanè nouum eſt, & hactenus inauditum; nam nullus Theologus, vt patet ex omnibus accuratè citatis ſupra articulo 8. meminit duplicis ſcientiæ viſionis, ſed omnes, atque adeò ipſe in primis S. Thomas, ſcientiam viſionis eſſe dicunt, quæ reſpicit futura, præſentia, præterita; neque vnquam aliquid ad eam diuidendam addunt: & quidem eſt omninò per accidens, & impertinens ad viſionem actualium, quatenus ſimpliciter, ac præciſè viſionem actualium, quòd ea ſint actu ex diuina voluntate, vel ex voluntate creata, vel alia ex cauſa, hoc enim facit ad productionem, non ad viſionem formaliter. Vnde non eſt minus nouum dicere, quòd ſcientia viſionis modò ſit cauſa, modò non ſit.

8. *Scientiam viſionis diſtingui à ſcientia approbationis.*

Tertium, ſcientiam viſionis, quæ eſt approbationis, præſupponere voluntatem, & cauſare res. Si præſupponit voluntatem, ergo præſupponit ſcientiam approbationis: hæc enim ſcientia, teſte Sancto Thoma ſuprà articulo 8. in fine corporis, dicitur, *Secundùm quod habet voluntatem coniunctam*, non autem præſuppoſitam: ergo non conſequenter fuit ſupra dictum, quòd ſcientia approbationis in eodem ſigno rationis ſit etiam ſcientia viſionis. Item ſi præſupponit voluntatem, & conſequenter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ergo præſupponit omnem neceſſariam, & ſufficientem cauſalitatem; ergo ipſa ſubſequens, non eſt dicenda cauſa. Quod tandem hac ratione demonſtratur, quia cauſa effectus, eſt prior natura effectu; viſio autem futuri hanc prioritatem habere non poteſt reſpectu ſui vnici obiecti. Reſpondet Gonzalez diſp. 39. ſect. 2. num. 12. *eiuſmodi ſcientiam non antecedere obiectum aliqua prioritate in quo, etiam ſecundùm rationem, ſed ſolùm prioritate à quo; quia nimirùm, obiectum eſt ab illa ſcientia, & illa ſcientia eſt id à quo eſt obiectum illud.* At ne huiuſmodi quidem tenebris, quibus occultiſſimum myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis occulitur, quæ poſuit tenebras, latibulum ſuum ob myſterij altitudinem, abſcondi poteſt falſitas ſententiæ de viſionis ſcientia cauſante futurum. quia prioritas *à quo*, & non *in quo*, introducta eſt à Theologis, ad explicandam ſingularem quandam prioritatem principij, quòd ita principiat, vt tamen habeat eandem prorſus numero naturam cum ſuo principiato, quod propriiſſimum, & vnicum eſt diuinarum proceſſionum, quarum prioritas, & poſterioritas propterea dicta eſt originis, non naturæ; nec cauſalitatis, ſed puriſſimi principij. At diuina ſcientia reſpectu obiecti creati habet diſtinctiſſimam naturam, & veriſſimam, ac propriiſſimam cauſalitatem; ergo ad meram fugam difficultatis fingitur in illa prioritas *a quo*, & negatur prioritas *in quo*: alioqui eadem facilitate gratis aſſerere cuilibet licebit, nullam cauſam antecedere ſuum effectum prioritate *in quo*, ſecundùm naturam, & propriam cauſæ rationem: ídque defendere exemplo diuinarum perſonarum, quo ſolo exemplo nititur Gonzalez ſupra.

*Scientiam viſionis non eſſe cauſam.*

*Reſponſio Gonzalez reijcitur.*

## DVBITATIO II.

### *Qua ratione ſciantur à Deo mala.*

9. *Quinta concluſio. Malum ſcit Deus per bonum.*

QVinta concluſio. Scit Deus malum, non per ſe, & primariò, ſed per aliud, & ſecundariò, hoc eſt, per bonum priùs cognitum; itavt cùm in conceptu mali, hoc eſt, priuationis boni, ſit & eſſe priuationis, & eſſe boni, quo priuat, ratio cognoſcendi priuationem, ſit bonum, non autem ratio cognoſcendi bonum, ſit priuatio. Hic eſt planior ſenſus eius, quod præcipuè intendit S. Thomas in hoc articulo, vt patet ex toto corpore, & reſponſione ad quartum. Et intendunt communiſſimè omnes, aſſerentes, malum cognoſci per bonum. Quem cognoſcendi modum intelligit Albertus 1. d. 36. art. 6. dum cum communi opinione Doctorum illius temporis, vt ipſemet teſtatur, & ſequitur Bonauentura 1. d. 36. art. 3. queſt. 1. num. 28. docet, *Quòd malum ſcitur à Deo per accidens.* Nam, vt explicat in reſponſione ad primum, *ly, per accidens, refertur ad verbum ex parte materiæ actus, hoc eſt, ex parte cogniti, & non ex parte cognoſcentis: & ideo notat defectum in cognito, & non in cognoſcente.* quia ſcilicet, malum, quod cognoſcitur, habet in ſe hunc defectum, vt non ſit per ſe cognoſcibile, ſed per accidens, ſeu per aliud, nempe bonum: alioqui ſi eſſet per ſe cognoſcibile, per ſe etiam à perfectiſſimo Dei intellectu cognoſceretur; vt dicitur etiam hîc ad quartum. Ratio concluſionis eſt eadem cum illa, quæ in communi allata eſt ſupra art. 9. num. 4.

Albertus. Bonauent.

10. *Sexta concluſio. Deus ſcit malum per bonum creatum, & increatum, diuerſo modo.*

Sexta concluſio. Malum immediatè, & ſecundariò cognoſcitur à Deo per bonum creatum: ſed mediatè, & primariò cognoſcitur per bonum increatum. Prima pars eſt omnium, & veterum, & recentiorum, exceptis Ægidio 1. d. 36. 1. p. diſt. quæſt. 2. & aliis, quos refert, & impugnat Durandus 1. d. 36. q. 1. Et ſequuti ſunt Palatius 1. d. 38. diſp. 1. col. 6. fin. breuiter, & fuſiùs Nauarrete hîc, §. 1. concluſ. 3. 4. & 5. Zumel concluſ. 3. qui pro ſe non benè citat Bonauenturam, 1. d. 36. art. 3. q. 1. qui expreſsè docet, malum à Deo cognoſci per bonum, quod eſt, inquit, *ſuum oppoſitum aſſimilabile, quod bonum eſt in Deo, vt in exemplari. Et ideò malum dicitur cognoſci per accidens.* quæ omnia conueniunt ſoli bono creato. Nec Marſilium 1. ſent. quæſt. 38. art. 4. nam ad ſecundum, & tertium contra tertiam concluſionem aſſerit, malum cognoſci à Deo per bonum; quod definit, *Rectitudinem, vel habitum debitum ineſſe.* Hoc autem debitum non eſt niſi boni creati.

Ægidius. Durandus. Palatius. Nauarrete. Zumel. Bonauentur. Marſilius.

11. *Prima pars concluſionis probatur rationibus Durandi.*

Probatur à Durando ſupra cum communi opinione tribus efficacibus rationibus. Prima, quia malum immediatè cognoſcitur per illud bonum, quo immediatè priuat: quod bonum non eſt, niſi debitum ineſſe ſubiecto in quo eſt malum; cùm oppoſitio habitus, & priuationis eſſe debeat circa idem ſubiectum: hoc autem bonum conſtat eſſe bonum creatum, & non poſſe eſſe bonum increatum. Secunda, mala particularia, inter ſe differentia, priuāt immediatè bonis inter ſe differentibus, nam, vt rectè docent Durandus ſuprà, & ante ipſum Ægidius 1. d. 36. 1. p. diſt. quæſt. 2. initio corporis cum Dionyſio, & Damaſceno, & nos probauimus in 1. 2. *Malum nihil aliud eſt, quàm priuatio boni*: ergo ſpeciale malum eſt immediatè priuatio ſpecialis boni. Ergo ideò differunt inter ſe ſpecialia mala, quia differunt inter ſe ſpecialia bona, quibus immediatè priuant: ergo malum in communi, eſt immediatè priuatio boni communis omnibus ſpecialibus bonis, quæ non ſunt niſi bona creata: ergo eſt immediatè priuatio boni creati. Tertia, qua ſoluitur fundamentum aduerſariorum dicentium, Deum cognoſcere mala in quantum diſcordant ab arte ſua; nam hoc ipſum non poteſt Deus cognoſcere, niſi præcognoſcendo modum, quo aliqua concordant, vel concordare poſſunt cum arte ſua, quæ ſunt bona cauſata vel cauſabilia. Sicut nec poteſt cognoſcere deuiationem, & elongationem ab vltimo fine, niſi præcognoſcendo appropinquationem ad vltimum finem; nec peccati mortalis repugnantiam cum gratia, quæ eſt ſpiritualis vita animæ, niſi præcognoſcendo bonitatem grauiter, ac notabiliter debitam, cuius carentia ſoluit diuinam amicitiam, ac gratiam. Et iuxta hanc primam concluſionis partem dixit S. Thom. hîc ad ſecundum, & tertium, Deum cognoſcere mala per bona, quæ cauſat, & clariſſimè 1. contra Gent. c. 71. circa finem, *Si Deus hoc modo ſe ipſum cognoſceret, quòd cognoſcendo ſe, non cognoſceret alia particularia bona, nullo modo cognoſceret priuationem aut malum: quia bono, quod eſt ipſe, non eſt aliqua priuatio oppoſita, cùm priuatio, & ſuum oppoſitum ſint nata eſſe circa idem.*



Ægidius.

*Soluitur aduerſariorum fundamentum.*

S. Thomas.

12. *Probatur ſecunda pars concluſionis.*

Secunda pars eſt etiam omnium communiſſima, & patet ex dictis ſupra de modo, quo cognoſcit Deus alia extra ſe, nimirum per ſuam eſſentiam formaliter, & primariò viſam. Cùm igitur mala, ac priuationes ſint extra Deum; & in Dei eſſentia optima, ac puriſſimè actuali, nullum ſit malum, nulla priuatio, neque ſit virtus ad cauſandum immediatè, & per ſe priuationem, ſed ad remouendum bonum cauſatum; ideo videndo eſſentiam ſuam non videt in ſe immediatè priuationem, nec eſſentiam ſuam immediatè factiuam priuationis, ſed immediatè factiuam boni, & eiuſdem boni remotiuam; prius enim eſt, fieri bonum, quàm remoueri bonum, & conſequenter fieri malum. Confirmatur ex prima parte concluſionis. Deus cognoſcit malum per bonum creatum, ſed bonum creatum cognoſcit mediante ſuo bono increato, tanquam formali, & primario ſuo obiecto: ergo cognoſcit malum mediatè, & primariò per bonum increatum.

13. S. Thomas.

Iuxta hunc ſenſum reſpondet Sanctus Thomas hîc ad tertium, Deum cognoſcere mala per ſuam eſſentiam, *quia licèt malum non opponatur eſſentiæ diuinæ, quæ non eſt corruptibilis per malum; opponitur tamen effectibus Dei, quos per eſſentiam ſuam cognoſcit: & eos cognoſcens, mala oppoſita cognoſcit.* & 1. contra Gent. cap. 71. circa principium. *In Deo*, inquit, *eſt ratio, qua malum cognoſcitur; quia in ipſo inueniuntur omnes rationes bonitatis.* & circa finem, *Quia Deus, cognoſcendo ſe, cognoſcit etiam entia, in quibus nata ſunt eſſe priuationes, neceſſe eſt, vt cognoſcat priuationes oppoſitas, & mala oppoſita particularibus bonis.* & 1. d. 36. quæſt. 1. artic. 2. initio corporis, *Deus nouit & bona, & mala, cognoſcendo eſſentiam ſuam.* quia, vt infra clarius ſe explicat, *Per hoc, quòd Deus cognoſcit eſſentiam ſuam, cognoſcit ea, quæ ab ipſo ſunt, & per ea cognoſcit defectus ipſorum. Si autem eſſentiam ſuam cognoſceret tantùm, nullum malum, vel priuationem cognoſceret, niſi in communi.* Item Altiſiodorenſis lib. 1. c. 8. quæſt. 1. *Malum cognoſcitur per exemplar ſui oppoſiti.* & Alenſis 1. p. quæſt. 23. art. 3. *Deus in ſeipſo ſcit malum.* Vnde poſteà reſpondet, *Quòd malorum ſcientia eſt in Deo, non per cauſam malorum, ſed per cauſam bonorum.* Et in fine ait, ex eo quòd Deus mala cognoſcit in ſe, *non ſequitur, quòd malum ſit in ipſo, ſed quòd bonum, vel exēplar boni ſit in ipſo, per quod cognoſcit bonū, ſicut effectum.* & Bonauentura 1. d. 36. art. 3. q. 1. initio corporis, *ſumma veritas, & lux, & actus, eſt ratio cognoſcendi non tantùm veritatem, & lucem, & actum; ſed etiam obliquitatem, tenebras, & priuationem.* & fortè idem ſentit Ægidius ſuprà, nam ad primum, & tertium ait, Deum cognoſcere malum, non per ſe, & per ideam propriam, ſed per ideam boni. Quod docet etiam Riccardus 1. d. 36. art. 1. q. 2.

Altiſiodor. Alenſis. Bonauentur. Ægidius. Riccardus.

14. *Obijcitur primò Dionyſius.*

Obiicies primò Dionyſium cap. 7. de diuinis nominibus, circa medium, dicentem, *Diuina mens omnia nouit ex ſe, & in ſe per cauſam; quemadmodum lux per cauſam in ſe tenebrarum, notitiam anticipatam habet, quòd non aliundè, quàm ex luce tenebras norit.* Ergo ſicut lux, ſi eſſet cognoſcitiua, non videret tenebras per aliud à ſe diſtinctum; ita nec Deus mala, & tenebras, cæteráſque priuationes videt per bona creata diſtincta ab increato ſuo lumine.

*Reſpondetur ex Durando.*

Reſpondetur cum Durando ſupra num. 16. non agere ibi Dionyſium de modo, quo Deus cognoſcit mala, ſed ſolùm creaturas poſitiuas, quarum ipſe eſt cauſa: mala verò culpæ, de quibus hîc præcipuè loquimur, non cauſat Deus. Et in hoc ſenſu benè procedit comparatio cum luce creata, quia ſicut hæc cognoſceret tenebras, ſeu priuationem lucis, non cognitione prius, & immediatè terminata ad priuationem, ſed ad ſeipſam; ita Deus creaturas cognoſcit, cognitione prius, & immediatè terminata ad ſe, non ad creaturas, quæ Deo comparatæ vocari poſſunt tenebræ, quod probat Durandus ex illo Ioan. 1. *Tenebræ eum non comprehenderunt.* Neque eſt eadem ratio de luce increata, vt hæc etiam in ſe primariò, & immediatè cognoſcat tenebras; quia tenebræ non ſunt priuationes lucis increatæ, ſicut ſunt lucis creatæ.

Ioan. 1.

15. *Obijcitur ſecundò Ariſtoteles.*

Obiicies ſecundò Philoſophum 3. de anima, t. 25. dicentem, malum, & priuationem non poſſe cognoſci ab intellectu niſi potentiali, & habente in ſe ipſo priuationem, & cognoſcentem, cui contraria non inſunt, ſemper actu cognoſcere ſe tantùm. Vnde Auerroes in fine commentarij, contrà doctrinam huius articuli ita deducit, *Si fuerit aliquis intellectus, qui non inuenitur quandoque intelligens in potentia, & quandoque intelligens in actu, tunc ille intellectus non intelligeret priuationem omninò: imò nihil intelligeret extra ſe.*

Auerroes.

*Reſpondetur cum S. Thom.*

Reſpondetur, rectè monere S. Thomam 1. cōtra Gent. cap. 71. ante finem; quòd in hoc loco, *non oportet ſequi expoſitionem Auerrois.* Sed, vt docet etiam hîc ad primum, eſt intelligendus Philoſophus de cognoſcente vnum contrarium, per aliud contrarium, cognitione depēdente, atque accepta ab ipſis rebus contrariis, quomodo cognoſcit homo; & de hoc particulari cognoſcente, verum eſt, quòd debeat in ſe habere potentiam contrariorum ſuſceptiuam; & non poſſit cognoſcere priuationem niſi per potentialitatem, & priuationē in ipſo exiſtentem. Vnde non ſequitur, Deum ſuo intellectu puriſſimè actuali nō cognoſcere vllo modo priuationē, ſed ſolùm non cognoſcere vno particulari modo, nempe, contrario, & priuatiuo, ſeu potentiali, dependente à rebus: cognoſcit autem alio,

alio modo, ſcilicet per cognitionem puriſſimam ſui ipſius, vt cauſæ bonorum, quibus priuationes opponuntur.

16. Obiicies tertiò, eſto malitia, cùm dicat eſſentialem reſpectum ad bonum, cuius eſt eſſentialiter priuatio, intelligi nequeat ſine bono: tamen bonum videtur poſſe intelligi ſine malitia, quia in bono nullus eſt intrinſecus reſpectus ad malitiam. Et ſine hoc reſpectu non poteſt vnum intelligi per aliud, v. g. homo non intelligitur per angelum, ex carentia intrinſeci reſpectus angeli ad hominem: ergo pariter intelligi nequit malum per bonum. Reſpondet Arrubal d.36.n.6.& ſequitur Machin d.27.ſect.2. circa medium, concedendo, bonitatem eſſe in ſe omninò abſolutam, & nullum dicere intrinſecum reſpectum ad malitiam: tamen ad cognoſcendam malitiam per bonitatem, ſatis eſſe ipſam poſitiuam rationem bonitatis, in cuius negatione conſiſtit malitia. Non videtur autem ſatisfieri, quia quòd malitia ſit negatio bonitatis, ſolùm probat, malitiam non poſſe cognoſci ſine bonitate, non autem contra; ſi bonitas viciſſim nullam importat habitudinem ad malitiam. Reſpondendum igitur eſt, dari in bono creato intrinſecum reſpectum ad malum, in quantum ex intrinſeca natura ſua, qua eſt creatum, eſt defectibile, & corruptibile per malitiam. Quem reſpectum non obſcurè ſignificat S. Thomas hîc initio corporis, dicens, *Quicunque perfectè cognoſcit aliquid, oportet quòd cognoſcat omnia, quæ poſſunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere poteſt, vt per mala corrumpantur.* Bonum igitur ſicut dicit intrinſecam oppoſitionem cum malo, ita etiam intrinſecam habitudinem ad malum; & ideo nequit perfectè cognoſci ſine malo: malum verò non eſt ſimpliciter cognoſcibile, niſi per bonum, tanquam obiectum prius cognitum.

*Tertia obiectio.*

*Reſponſio Arrubal, & Machin non probatur.*

*Reſpondetur, in bono eſſe intrinſecam habitudinem ad malum.*

S. Thomas.

17. Obiicies quartò, ſi hoc eſſet, ſequeretur, ſcientiam Dei pendere ab obiecto creato.

*Quarta obiectio.*

Reſpondetur, nego ſequelam, quia, quòd Deus ſciat malum per bonum creatum, non eſt propter dependentiam ſcientiæ à bono creato, quod Deus non in bono, ſed in ſeipſo cognoſcit, independenter à quauis creatura; ſed eſt propter dependentiam vnius obiecti creati ab alio creato obiecto, hoc eſt, mali à bono: ob quam dependentiam, ſcientia diuina, vt intelligatur terminata ad malum, debet, prius ratione, intelligi terminata ad bonum.

*Reſpondetur, diuinã ſcientiam de malo, non pendere à bono creato.*

18. Obiicies quintò, ex dictis art.2. & 5. Deus cognoſcit omnia in ſe ipſo tanquam in obiecto, non ſolùm formali, & primario, ſed etiam immediaro: ergo in ſexta concluſione non benè dictum eſt, malum à Deo cognoſci in ſe mediatè, & immediatè per bonum creatum.

*Quinta obiectio.*

Reſpondetur, cùm dicitur, malum immediatè cognoſci, illud, *immediatè,* accipi poteſt vel ex parte cognoſcentis, vel ex parte rei cognitæ. Primo modo Deus cognoſcit immediatè in ſe ipſo mala, quia vt ea cognoſcat, incipit, vt ita dicam, primò, & immediatè à cognitione eſſentiæ ſuę, antequàm nil aliud cognoſcere poteſt immediatius; & in hoc ſenſu dicit Bagnes hîc, Deum immediatè per ſuam eſſentiam cognoſcere omnia, & bona, & mala. Et ſequitur Trigoſ. 1.p. quæſt.9. art.3. dub.1. concluſ.2. Secundo modo cognoſcit malum immediatè per bonum, mediatè per ſuam eſſentiam; quia reſpectu mali immediatius ſe habet bonum creatum, quàm bonum increatum.

*Reſpondetur, malũ à Deo ſciri immediatè, & mediatè, diuerſa ratione.*

Bagnes.
Trigoſius.

19. Obiicies ſextò, præcipuum fundamentum Zumel ſuprà. *In diuina eſſentia reperiuntur omnes rationes bonitatis: ergo in ipſa eſſentia diuina, vt talis eſt, reperitur illa ratio, qua omne malum cognoſcitur.* Item, Deus per ſuam bonitatem eſt cauſa vniuerſaliſſima omnium bonorum: ergo omnia mala opponuntur bono diuino.

*Sexta obiectio ex Zumel.*

Reſpondetur, hæc probare tantùm ſecundam partem ſextæ concluſionis, ſed non impugnare primam, quam Zumel ibi impugnare intendit. Bona igitur omnia creata, ac limitata, ſunt in Deo, non formaliter, ſed eminenter, tanquam in prima, ac perfectiſſima omnium cauſa. Vnde ſequitur, mala bonis creatis opponi proximè, & immediatè: bono autem increato opponi remotè, & mediatè; ac proinde rationem cognoſcendi mala eſſe in Deo radicaliter, & remotè, non formaliter, & proximè, vt rectè loquitur Suarez 1. p. tractat. 1. libr. 3. cap. 3. num. 11. & intelligit Durandus 1. d.36. quæſt.1. fin. cùm dicit, *Prima ratio cognoſcendi tam bona, quàm mala, eſt eſſentia diuina: ſed proxima ratio cognoſcendi mala, ſunt bona creata, quæ per mala priuantur.*

*Reſpondetur, declarando, quomodo mala ſint in Deo, eíque opponantur.*

Suarez.
Durandus.

## ARTICVLVS XI.

*Vtrùm Deus cognoſcat ſingularia.*

### Ad vndecimum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non cognoſcat, &c.

CONCLVSIO affirmatiua eſt certa ſecundùm fidem; & quantum attinet ad rem Theologicam, ſatis probata remanet ex dictis ſupra artic. 5. & 6. Cæterùm nonnullas inuoluit philoſophicas difficultates, vt, an intellectus noſter cognoſcat ſingularia: an ſpecies noſtræ intelligibiles abſtrahantur à principiis indiuiduantibus: an res ſingulares indiuiduentur per materiam: an materia ſit pura potentia: an, & quomodo materia prima creata ſit à Deo; quarum tractatio hoc loco ſupponi debet ex Philoſophia: etenim quancumque tandem in huiuſmodi controuerſiis partem ſequaris, nunquam impedies, quin Deus perfectiſſimam ſingularium cognitionem habeat.

## ARTICVLVS XII.

*Vtrùm Deus poſſit cognoſcere infinita.*

### Ad duodecimum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non poſſit, &c.

NIHIL hîc dicitur, aut addi poteſt, quod non abundè probatum ſit in ſuperiori tomo. Significabo breuiter difficultates, & indicabo loca, vnde peti poſſint.

Prima concluſio. Abſolutè loquendo de ſcientia Dei, Deus ſcit infinita, imò, infinities infinita; quia ex quæſt. 7. artic. 3. dub. 12. & 13. hæc omnia Deus poteſt facere. In opinione etiam Sancti Thomæ, & aliorum dicentium, Deum non poſſe facere infinita, ſed ſolùm finita in infinitum, Deus ſcit infinita propriè, & ſimpliciter. Hoc multis oſtendo, quæſt. 7. artic. 1. à num. 12. ad 46. & acutè, atque eruditè probant hîc Vaſquez diſput. 63. cap. 2. Arrubal diſput. 37. Gonzalez diſput. 42. Machin diſput. 28. Nazarius, & Nauarrete hîc. & ante ipſos expreſsè tetigit Ægidius 1. d.39. quæſt.3. in fine corporis dicens. *Poteſt Deus infinitas lineas intelligere, quæ ſi omnes componerentur, magnitudinem infinitam efficerent. Poteſt etiam infinita corpora vt infinitos homines, intelligere; qui ſi omnes cõponerentur, infinitũ corpus efficeretur.*

Vaſquez.
Arrubal.
Gonzalez.
Machin.
Nazarius.
Nauarrete.



Secunda concluſio. Scientia etiam viſionis Deus ſcit infinita: quia etſi rerum completarum ſpecies, atque indiuidua non ſint futura, niſi finita determinatè, propter quod 3.p. quæſt.10. art.3. dicitur anima Chriſti, quæ ſcientia viſionis in verbo tot ſcit, quot ſcit ipſemet Deus, vt in illo loco communiter probatur, *non ſcire infinita, eo quòd ſtatus generationis, & corruptionis non durat in infinitum*; tamen futuri actus creaturarum rationalium nunquam corrumpendarum multiplicandi ſunt in infinitum, & conſequenter ſunt infiniti ſyncategorematicè, quorum multitudo eſt propriiſſimè infinita, vt ſuprà, q.7. art.1. à n.12. ad 46.

S. Thomas.

Tertia concluſio. Deus infinita, neque ſcit, neque ſcire poteſt ſucceſſiuè, ſed ſcit ſimul vnico actu. Ita quæſt.7. art.3. dub.10. per totam. vbi etiam examinatum diligenter eſt quicquid habetur hîc in ſolutionibus argumentorum.

## ARTICVLVS XIII.

*Vtrùm ſcientia Dei ſit futurorum contingentium.*

### Ad decimum tertium ſic proceditur. Videtur quòd ſcientia Dei non ſit, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Exponuntur termini controuerſiæ, à num. 1. ad 4.*
2 *Deum ſcire coniecturaliter, & certò, & ſimul futura contingentia abſoluta. à n.4. ad 13.*
3 *Præſcientiam Dei ſtare cum creata libertate. à n.13. ad 31.*
4 *Futura nec eſſe, nec à Deo videri in æternitate. à num.31. ad 99.*
5 *Futura contingentia videri à Deo non poſſe in cauſis liberis. à n.99. ad 120.*
6 *Primam rationem videndi futura contingentia non eſſe ideas diuinas. à n.120. ad 125.*
7 *Futura contingentia non primò, & ſufficienter, & vniuerſaliter cognoſci à Deo in aliquo actu ſuæ voluntatis. à n.125. ad 182.*
8 *Futura contingentia abſoluta videri in ſe ipſis, tanquam in vniuerſali, & ſufficiente ratione videndi. à n.182. ad 209.*
9 *Deum certo aliquo modo ſcire futura contingentia conditionata, fusè probatur à n.209. ad 262.*
10 *An futura conditionata ſciantur à Deo ante actum voluntatis ſuæ. à n.262. ad 447.*
11 *An Deus præſciat etiam ſua decreta futura â numer.447. ad 462.*
12 *In qua ratione ſciat Deus futura contingentia conditionata. à n.462. ad 475.*
13 *An ſcientia conditionalium ſit ſcientia media. à n.475. ad 507.*
14 *An ſcientia media ſupponat vel cauſet infallibilitatem. à n.507. ad 523.*
15 *Quẽ vſum habeat ſcientia media. à n.523. ad 546.*

COMMENTARIVS.

*Exponuntur termini controuerſiæ.*

1. FVTVRORVM contingentium duplex eſt genus. Quædã enim ſunt futura abſoluta, ſiue abſolutè, hoc eſt, quæ verè, & à parte rei erunt præſentia in aliqua differentia temporis ſequentis; vt illud quod Chriſtus Matth. 26. dixit diſcipulis ſuis, *vnus veſtrûm me traditurus eſt.* Et Petro, *ter me negabis.* Quædam verò ſunt futura conditionata, ſeu conditionatè, hoc eſt, per dependentiam ab aliqua præcedente conditione, ita vt verè, & à parte rei eſſent præſentia in aliqua differentia temporis ſequentis, ſi in re poneretur illa conditio: vt illud Matth. 11. *Si in Tyro factæ eſſent virtutes, pœnitentiam egiſſent.* Quanquam autem eadem futura, in quantum conditionata, priora ſecundùm naturam ſunt futuris in quantum abſolutis. v.g. prius natura eſt quòd ſi Paulus haberet talem gratiam conuerteretur, quàm quòd Paulus per talem gratiam conuertetur, vt rectè obſeruarũt Valent. hîc, pũct.5. q.2. §. *tertium eſt,* & Arrubal d.47. n.5. Tamen videtur priùs diſſerendum de abſolutis; tum quia de his tantùm agunt S. Thomas in hoc articulo, & reliqui omnes veteres Theologi; tum quia faciliora ſunt, & minùs controuerſa; atque adeò non nihil iuuare poterunt ad intelligendam difficillimam, ac celeberrimam controuerſiam de futuris conditionatis, noſtra tempeſtate exortam: ob quam Theologi diuerſas in partes abiere. In hac tamen tota diſputatione nihil attingam de diuinæ gratiæ auxiliis, atque efficacitate eiuſdem gratiæ: ſiue quia locus hic id non flagitet: ſiue quia hac de re agere per Sanctam Sedem Apoſtolicam nemini adhuc licet. Ea ſolùm diſputabo, ídque quanta fieri poterit breuitate, quæ de futurorum contingentium etiam conditionata cognitione per Reuerendiſſimos Dominos Aluarez, & Ambroſium Machin, nec non per Fr. Ioannem Gonzalez, alióſque latè ſatis nuperrimè exagitata ſunt: ea interim diſſimulans, quæ de tota controuerſia de auxiliis, diuinæque gratiæ efficacitate parata iam habeo: atq; in aliud tempus reſeruans; cùm facultas (vti ſpero) à Sancta Sede Apoſtolica facta fuerit.

*Duplex futurorũ genus.*

Matth. 26.

*Futura conditionata priora abſolutis.*

Valentia.
Arrubal.

*Cur prius agendum de futuris abſolutis, quàm de conditionatis.*

2. Præterea, futura, ſiue abſoluta, ſiue conditionata dici poſſunt contingentia dupliciter. Primò, extrinſecè per ordinem ad cauſam proximam, non habentem in ſe innatam indifferentiam ad operandum, & non operandum, ſed ſolùm potentem non operari, ſeu potius non operantem ex defectu alicuius extrinſecæ cauſæ, qua ad operandum indiget: & qua poſita non poteſt non operari: ac proinde huiuſmodi futura, ſunt propriè, ac ſimpliciter neceſſaria; & ſolùm impropriè, & ſecũdùm quid cõtingentia, in quantum id, quod neceſſariò prærequirũt ad operãdum, poteſt impediri, & tunc per accidẽs nõ ſequi effectus. De hoc primo cõtingentium genere dicitur hîc ad 1. *Germinatio plãtæ eſt cõtingens propter cauſam proximã contingentem; licèt motus ſolis, qui eſt cauſa prima, ſit neceſſarius.* Secundò, intrinſecè per ordinem ad cauſam proximam liberam, habentem in ſe intrinſecam vim mouendi ſe ad oppoſita; ac proinde poſitis omnibus aliis extrinſecis cauſis ad operandum prærequiſitis potentem non operari. Atque hæc ſunt omnes actus, & opera liberæ voluntatis, quæ ſunt propriiſſimè, ac ſimpliciter cõtingẽtia: ideóq; omnis noſtra de futuris cõtingentibus diſputatio, de his vel ſolùm, vel maximè eſt intelligenda.

*Effectus dicuntur contingentes duplici ratione.*

3. Demum tota hæc controuerſia duas habet partes, alteram, an Deus ſciat futura contingentia tam abſoluta, quàm conditionata; alteram de modo quo illa ſciat. Hæc verò ſecunda pars non erit de modo ſciendi tenente ſe ex parte ſcientis, vt an ſciat in ſe,

*Duplex modus ſciendi futura.*

tanquam in cauſa, vel tanquam in ſpeculo, ſeu ſpecie; &, an ſciat in ſua eſſentia, an in omnipotentia, an in voluntate, an in ſcientia, an in ideis. Hæc enim omnia ſatis ſupérque examinata ſunt ſupra quæſt. 12. art. 8. & in hac quæſt. 14. art. 5. Sed erit de alio modo ſciendi tenente ſe ex parte obiecti ſciti, nam cùm hæc ſint effectus liberi, & contingentes ad vtrumlibet, dependentes non ſolùm à Deo, ſed etiam à creata voluntate omninò libera, & indeterminata, quæ effectus illos poteſt ex intrinſeco ſuo beneplacito ad libitum operari, vel non operari, non videtur aliqua ratio aſſignari poſſe, ob quam huiuſmodi effectus, antequam præſentes ſint, poſſint certò, & infallibiliter ſciri à Deo, & conſequenter in eo formaliter tanquam in obiecto cognito repræſentari, vt futuri potius quàm non futuri; vel è contrà, non futuri potius, quàm futuri.

## DVBITATIO I.

### *An Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta.*

### SVMMA.

1 *Cognoſcuntur ſimpliciter. num. 4.*
2 *Cognoſcuntur coniecturaliter, & infallibiliter. à numer. 5. ad* 8.
3 *An de futuris contingentibus ſit determinata veritas. num. 8.*
4 *Cognoſci ſimul ab æterno. à num. 9. ad* 13.
5 *Exponitur ratio S. Thomæ de æternitate. à n.* 10. *ad* 13.

EX doctrina huius articuli tres omninò concluſiones certæ colliguntur.

4.
*Prima concluſio. Scit Deus futura abſoluta.*
Pſalm. 138. Sapien. 8. Eccleſ. 23. Daniel. 13. Iſai. 41.

Prima concluſio. Futura contingentia abſoluta cognoſcuntur ſimpliciter à Deo. Habetur frequenter, & apertè in Scriptura Pſal. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè: omnes vias meas præuidiſti.* Sapien. 8. *Signa, & monſtra ſcit antequam fiant, & euentus temporum, & ſæculorum.* Eccleſiaſtici 23. *Domino Deo antequàm crearentur omnia ſunt cognita.* Daniel. 13. *Deus æterne, qui noſti omnia antequam fiant.* Vnde Iſaiæ 41. dicitur. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos.* Et ideò dixit Hieronymus Dialogo 3. aduerſus Pelagianos, multò poſt principium, *cui præſcientiam tollis, aufers & diuinitatem.*

Hieron.
*Probatur primò, ex prædictionibus.*

Confirmatur primò, ex diuinis prædictionibus, quæ paſſim leguntur in ſacris literis, & neceſſariò ſupponunt horum futurorum præſcientiam; quam ob cauſam rectè dixit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præſcientia Dei tot habet teſtes, quot fecit Prophetas.*

Tertullian.
*Secundò, cum S. Thoma, ex prouidentia.*

Secundò, cum S. Thoma de veritate q. 2. art. 12. initio corp. ex diuina prouidentia in omnium creaturarum gubernatione, quæ ſine eadem præſcientia eſſe non poteſt.

*Tertiò, ex immutabilitate intellectus Dei.*

Tertiò, ex immutabilitate intellectus diuini, qui cùm ſciat res præſentes, ſi eaſdem etiam vt futuras non præuidiſſet, iam in aliquo tempore inciperet ſcire, & addiſceret, quæ æterno tẽpore ignorauerat; ſicut ſi de nouo Deus vellet aliquid, quod ab æterno non voluiſſet, eſſet mutatus ſecundùm voluntatem. Neque eſt ſimile, quod de facto omnes concedimus, de intellectu diuino præſciente futura in poſteriori ſigno rationis poſt liberum decretum, quæ futura anteà non ſciebat: in illo enim priori ſigno non erant futura, quæ ſciri poſſent: nulla autem eſt ignorantia, non ſcire, quæ ſciri nequeunt: & ſola mutatio extrinſeca ex parte obiecti ſatis eſt, vt concipiamus intellectum diuinum propter infinitatem ſuæ perfectionis prorſus illimitatam abſque vlla intrinſeca mutatione terminari ad aliquid, ad quod antea non terminabatur.

*Deus ſi non ſciret futura, antequàm ſint præſentia, eſſet propriè ignorans.*

Quoniam verò res hodie præſentes erant ab æterno futuræ præſentes hodie, ſi Deus ſciret vt præſentes, & non ſciuiſſet vt futuras, fuiſſet æterno tempore propriiſſimè ignorans, hoc eſt, non ſciuiſſet quod ſciri poterat, ac proinde eſſet propriè mutatus ſecundùm intellectum, nempe de ignorante in ſcientem; ſicut à contrario, ſi nunc non ſciret quæ prius ſciebat, eſſet mutatus de ſciente in ignorantem: vt rectè notauit Altiſiodorenſis lib. 1. c. 9. q. 5. initio, dum impugnat primam opinionem.

Altiſiodor.
*Quartò, ex generali Dei concurſu.*

Quartò, ex vniuerſaliſſima Dei cauſalitate, quæ omnia attingit etiã contingentia, ac libera: attingit autem liberè per ſcientiam, & voluntatẽ, ergo cognoſcit non ſolùm omnia purè poſſibilia quæ nunquam actu cauſat, ſed etiam omnia actualia, quæ aliquãdo actu producit. Quod argumentum multis proſequitur Auguſtinus lib. 5. de Geneſi ad litteram. Vnde cap. 15. omiſſis aliis rationibus, & authoritatibus probãtibus, Deum ſcire omnia, ait, *quanquam ſufficere debeat, vt quiſque nouerit, vel inconcuſſè credat quòd Deus hæc omnia fecerit: non opinor eum eſſe tam excordem, vt Deum, quæ non nouerat; feciſſe arbitretur.* Et c. 16. *neque enim ea faceret, niſi ea noſſet antequam faceret.* Et iterum cap. 17. *Quomodo ea faceret quæ ſibi nota non erant? non enim quicquam fecit ignorans.*

Auguſtinus.
*Quintò, ratione à priori.*

Quintò, ratione naturali, & à priori, quia omne futurũ etiam quatenus futurum, habet aliquam veritatem propter quam verè dicitur futurum, etiamſi comparatione cauſæ ſit contingens, & poſſit non eſſe. Etenim eo ipſo quòd aliqua res ſit in tempore præſenti, ſequitur manifeſtè, vt optimè arguit Philoſophus libr. 1. Perihermen. cap. vltim. potuiſſe de illa in tempore antecedenti veriſſimè dici, *erit*; ſeu, *futura eſt*: ſicut eadem exiſtentia in tempore præſenti, ſatis eſt, vt in tempore ſequenti, quando res non eſt, dicamus verè, *fuit*, ſeu, *præterita eſt*: omne autem verum, quantum eſt ex ſe, eſt intelligibile. Ergo futurum contingens, quatenus futurum, & antequam fiat, debet intelligi ab intellectu diuino omnium perfectiſſimo, & virtutis ſimpliciter infinitæ. Dicamus igitur cum Auguſtino lib. de fide ad Petrum c. 33. ſeu cum S. Fulgentio, qui potiùs illius libri author eſſe videtur, *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, Deo incommutabili non ſolùm præterita, & præſentia, ſed etiam futura omnia incommutabiliter eſſe notiſſima, cui dicitur, Deus, qui occultorum es cognitor, qui ſcis omnia, antequam fiant.*

Fulgentius.

5.
*Secunda concluſio S. Thomæ.*

Secunda concluſio. Eadem futura Deus cognoſcit dupliciter. Primò, coniecturaliter in cauſis ſuis modo mox explicando. Secundò, certitudinaliter, & infallibiliter in ſeipſis, & conſequenter futura contingentia cognoſcit, non ſolùm vt futura, & vt contingentia, ſed etiam vt præſentia, & vt determinata ad vnum. Ita expreſsè S. Thomas, & hoc vltimum conſequens oſtendit ex ſola terminorum declaratione, quia, inquit, *contingens aliquid dupliciter poteſt conſiderari: vno modo in ſeipſo ſecundùm quod iam in actu eſt; & ſic non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens, neque ad vtrumlibet cõtingens, ſed vt determinatum ad vnum. Alio modo, vt eſt in ſua cauſa, & ſic conſideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita.*

*Res à Deo ſciri vt futuras, & vt præſentes.*

Ergo ex prima huius concluſionis parte, dicente, futura contingentia cognoſci provt ſunt in cauſa, ſequitur, cognoſci vt futura, & vt contingentia: ex ſecunda autem dicente, cognoſci



cognoſci provt ſunt in ſe ipſis, ſequitur, cognoſci vt præſentia, & vt determinata ad vnum.

*Prædeterminationem liberi arbitrij pugnare cum doctrina huius articuli.*

Quo in loco operæ pretium erit obiter animaduertere, quam longè abſit mens S. Thomæ à ſententia recentiorum Thomiſtarum de diuino cõcurſu phyſicè prædeterminante voluntatem ad vnum. Oponit enim primò contingens ad vtrumlibet, & determinatum ad vnum: ergo qui ponit liberum arbitrium prædeterminatum ad vnum, non poteſt cum S. Thoma aſſerere, illud eſſe cauſam contingentem ad vtrumlibet, ac proinde eſſe verè liberum arbitrium. Secundò, definit cauſam cõtingentem eſſe illam, quæ *ſe habet ad oppoſita*: cuiuſmodi non eſt cauſa ad vnam dumtaxat oppoſitionis partem prædeterminata.

6.
*Futura ſciri à Deo coniecturaliter.*

Prima concluſionis pars ſic probatur à S. Thoma, *Quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua, habet de eo coniecturalem cognitionem: Deus autem cognoſcit omnia contingentia, provt ſunt in ſuis cauſis.* Quod etiam docet 1. d. 38. q. 1. ar. 5. circa medium corporis. Et 1. contra Gentes c. 67. ratione 2. & clariùs 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. Et teſte Heruæo 1. d. 38. q. 1. art. 1. part. 3. id dicitur *ſecundùm omnes Doctores*, & expreſsè concedunt Capreolus 1. d. 38. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 3. q. 1. art. 2. part. 2. Soncinas 1. d. 38. q. 2. concluſ. 2. ad 1. Aureoli in 1. reſponſione, Antonius Cordubenſis lib. 1. queſt. 55. dubio 5. & alij; ergo habet de illis cognitionem coniecturalem.

S. Thomas. Heruæus. Capreolus. Soncinas. Corduba.

*Cognitio coniecturalis, duplex.*

Vt autem ſciamus quo modo concipienda ſit in Deo cognitio coniecturalis, hæc dupliciter diſtingui debet, vt optimè diſtinguit Heruæus 1. d. 38. q. 1. art. 1. part. 2. concluſione 2, licèt aliis verbis.

*Deo tribui nequit cognitio coniecturalis in actu exercito.*

Quædam enim eſt coniecturalis cauſaliter; & in actu exercito; vt ſi propter coniecturas, quas habeo ad iudicandum, Petrum, verbi gratia, cras eſſe peccaturum, exercitè aſſeram, *Petrus cras peccabit*, & hæc tribui poteſt creaturis, non autem Deo, quia nititur ſolis coniecturis, tenentibus ſe ex parte cauſæ contingentis ad vtrumlibet, potentis non operari, quod exercitè iudicatur operatura, ac proinde tale iudicium poteſt ſimpliciter eſſe falſum; quodlibet autem Dei iudicium implicat eſſe falſum. Et de hoc primo cognoſcendi modo eſt intelligendus S. Thomas de veritate quæſt. 2. art. 12. ante med. corp. dum ait, *contingens, vt futurum eſt, per nullam cognitionem ſciri, cui falſitas ſubeſſe non poſſit. Vnde cùm diuinæ ſcientiæ non ſubſit falſitas, nec ſubeſſe poſſit, impoſſibile eſſet, quòd de contingentibus futuris ſcientiam haberet Deus, ſi cognoſceret ea vt futura ſunt.* Et infra ad 6. *Scientia Dei non poteſt eſſe de futuris contingentibus*, & in hoc articulo, *& ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni.* Quod etiam docet lib. 1. contra Gentes cap. 67. in principio.

S. Thomas.

*Deo tribuitur cognitio coniecturalis in actu ſignato.*

Quædam verò eſt coniecturalis formaliter, & in actu ſignato, qua videntur in cauſa coniecturæ pro re futura, potius quàm non futura, vel è contrà. Atque hæc cognitio, qua iudicatur, eſſe in cauſa tales coniecturas, hoc eſt, indicantes futurum potius, quàm non futurum, & ex natura ſua mouentes ad iudicandum, rem eſſe futuram potius, quàm non futuram, eſt in recto, & formaliter de coniecturis præſentibus, & ſolùm in obliquo, & terminatiuè de re futura: & ideò ſi comprehendantur coniecturæ, vt comprehendit Deus, ita eſt vera, vt non poſſit non eſſe vera: ergo Deo tribui poteſt, ac debet.

*Exponitur locus Sapien. 8.*

Et de hac coniecturali cognitione, ſermo eſſe videtur Sapien. 8. vbi de diuina Sapientia dicitur, *ſcit præterita, & de futuris æſtimat.* Etenim de futuris, provt coniecturaliter continentur in cauſis ſuis, eſt propriè æſtimatio, non ſcientia. Contrà verò de præteritis, ſicut etiam de præſentibus, quia iam ſunt determinata extra cauſas ſuas, eſt propriè ſcientia, non æſtimatio.

S. Thomas.

Eandem cognitionem hoc ſecundo modo explicaſſe videtur S. Thomas de veritate quæſt. 2. artic. 12. ad 9. dum ait, Deum ſcire futura in cauſis ſuis, *in quantum ſcilicet ſcit aliquas cauſas ad aliquem effectum inclinatas.* & 2. 2. quæſt. 171. articulo 6. ad 2. *Diuina præſcientia reſpicit futura ſecundùm quod ſunt in cauſis ſuis; in quantum ſcilicet, videt ordinem cauſarum ad effectus*; Nam vt ex S. Thoma notauit Capreolus 1. d. 38. quæſt. 1. art. 1. concluſ. 8. *eſſe futurum, non eſt aliud, quàm cauſam aliquam eſſe inclinatam ad productionem illius.* Sic enim habet S. Thomas de veritate q. 12. art. 10. ad 7. *Aliquid poteſt dici eſſe futurum, non ſolùm ex hoc quòd ita erit, ſed quia ita eſt ordinatum in cauſis ſuis, vt ſic ſit futurum. Sic enim Medicus dicit, iſte ſanabitur, & iſte morietur; & ſi aliter contingat, non falſum dixit: ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum. Vnde Philoſophus dicit in 2. de Generatione, quòd futurus quis incedere non incedet.*

Capreolus. Ariſtoteles.

7.
*Certitudo ſcientiæ Dei de futuris contingentibus probatur ex S. Thoma.*

Secunda concluſionis pars traditur, & optimè probatur à priori à Sancto Thoma, his verbis. *Deus cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm prout ſunt in cauſis ſuis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſe ipſo.* Futurum autem contingens, *ſecundùm quod iam in actu eſt, non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens; Neque ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum. Et propter hoc, ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni*; quia futurum contingẽs, vt deinde additur in reſponſione ad 2. fi. *Prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ, ſcilicet, prout eſt in ſua præſentialitate, eſt neceſſarium: Quia omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, vt dicitur in* 1. *Periherm.* Senſus eſt, Futura contingentia, non ſolùm habent eſſe poſſibile, & indeterminatum intra cauſas ſuas, ſecundùm quod poſſunt eſſe, & non eſſe; ſed etiam habitura ſunt eſſe actuale, & determinatum extra cauſas ſuas, ſecundùm quod ita ſunt, vt non poſſint non eſſe. Ergo qui videt futura ſecundùm hoc eſſe, videt infallibiliter, & certiſſimè; quia eius obiectum ita eſt verum, vt per nullam potentiam poſſit eſſe falſum; ſicut per nullam potentiam idem poteſt eſſe ſimul & non eſſe. Sed Deus prȩuidet futura ſecundùm omnem eorum actualitatem, præſentialitatem, & determinationem extra cauſas in qualibet differentia temporis præſentis, vt oſtendi ſuprà art. 8. n. 32. & probant authoritates, & rationes allatæ pro prima concluſione; ergo videt infallibiliter, & certiſſimè.

8.
*An propoſitiones de futuro contingenti, ſint determinatæ veritatis.*

Ex hac ratione decidi obiter, ac breuiter poteſt ad mentem S. Thomæ quæſtio illa, quam in Logica ex inſtituto fuſiùs examinauimus, An de futuris contingentibus, ſit determinata veritas? Etenim futura contingentia habent duplex eſſe, alterum indeterminatum in cauſis ſuis, alterum determinatum in ſe ipſis: futurum enim, & præſens, in hoc maximè differunt, quòd futurum, licèt terminetur ad prȩſens, quia omne futurum, eſt eſſentialiter futurum præſens; tamen dum eſt futurum, non habet eſſe in ſe extra cauſam, ſicut habet id, quod eſt iam præſens. Vnde S. Thomas hîc optimè dixit, *quòd contingens conſideratum in ſe ipſo non conſideratur vt futurum: ſed conſideratum vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt futurum.* Igitur propoſitiones de futuris contingentibus, quæ cùm enuncient aliquid futurum in re à cauſa contingente, vtrumque eſſe enunciant, quatenus enunciant futurum ſecundùm eſſe, quod habet in cauſa contingente, in qua indeterminatè continetur, habent veritatẽ

S. Thomas.

indeterminatam, hoc eſt, poſſunt eſſe, & non eſſe veræ, ſicut res provt eſt in cauſa contingente poteſt eſſe, & non eſſe futura; quatenus verò enunciant futurum, provt habet eſſe in ſe extra cauſam, & extra ſtatum contingentiæ, habent veritatem determinatam, hoc eſt, ita ſunt veræ, aut falſæ in ſe, vt non poſſint, non tales eſſe, ſicut res futura, aut non futura, ſpectata in ſe, non poteſt non eſſe talis; quia quicquid eſt, in eo inſtanti in quo eſt, non poteſt non eſſe, licèt per ordinem ad cauſam ſuam contingentem, & indeterminatam poſſit non fieri. Qua diſtinctione vtitur S.Thomas 1. d.38.q.1.art.5.ad 2.& de verit.q.6.art.3. ad 6. ad huiuſmodi quæſtionem explicandam; & conciliari poſſunt diuerſæ Theologorum, ac Philoſophorum de hac re ſententiæ, præſertim Ariſtotelis, quem rectè ſenſiſſe diligenter, & fusè probant Arrubal. hîc, d. 40. & alij, licèt multi contradicant.

Ariſtoteles. Arrubal.

9. *Tertia concluſio. Omnia futura Deus ſcit ab æterno.*

Tertia concluſio. Omnia futura contingentia abſoluta Deus cognoſcit ſimul ab æterno. Hoc efficaciter probant tertia & quinta confirmatio primæ concluſionis: ſi enim aliquo tempore Deus incepiſſet ſcire futurum, de quo anteà, imò ab æterno verum erat dicere, *eſt futurum*, æterno tempore ignoraſſet aliquod verum, & poſtea mutatus verè, ac propriè eſſet de ignorante in ſcientem; nam vt optimè arguit S.Thomas 1. d.38. q.1. poſt medium corporis, *Aliter cognoſceret rem poſtquam eſt, quàm antequam fiat; & ſic ex euentibus rerum aliquid eius accreſceret cognitioni*; &, ſi futurum non incipit in aliquo tempore eſſe futurum, ſed ab æterno eſt intelligibile vt futurum, debet pariter vt tale ab æterno intelligi à diuina virtute intelligendi omnino infinita. Neque poteſt rationabiliter aſſignari aliquod tempus in quo Deus incepit ſcire aliquod futurum antequam fiat. Cur enim non ante, & ante infinitum? ergo ſciuit ab æterno. Præterea nulla creatura eſſe poteſt, niſi per realem dependentiam à Deo realiter influente: Deus autem non influit, niſi velit influere, quia liberè influit; ergo ab æterno habuit actum voluntatis influendi in aliquo determinato tempore: neque enim poteſt de nouo velle in eo tempore in quo realiter influit; ſic enim eius voluntas non eſſet immutabilis: ergo ab æterno etiam ſciuit omnes res futuras in tempore: quia Deus non poteſt ignorare determinationem, & vim propriæ voluntatis, nec conſequenter quid per illam voluerit, & ex illa futurum ſit.

S.Thomas.

10. *Declaratur ratio articuli in fine corporis.*

Probatur quoque ratione articuli in fine corporis, quæ ſi rectè percipiatur, non ſolùm eſt vera, ſed etiam efficax; &, ni fallor, etiam perſpicua; vt cum Sylueſtro expoſui ſupra art.8.num.32.& iterum exponam infra à num.49.cum Ægidio, Heruæo, Sylueſtro; & à S.Thoma 1.d.38.q.1.art.5.poſt medium corporis, tribuitur Boëtio in fine de conſolatione: *Dei*, inquit, *cognitio menſuratur æternitate, ſicut etiam ſuum eſſe; æternitas autem tota ſimul exiſtens ambit totum tempus*: hoc eſt, id quod eſt æternum, non incipit in aliquo tempore eſſe id, quod verè dicitur eſſe æternum; ſed tale eſt in ſingulis, & omnibus totius temporis differentiis. v.g. cognitio, ſi verè eſt æterna debet neceſſariò in omni tempore, ſucceſſiuè correſpondente illi æternitati, cognoſcere id, quod ab æterno cognoſcere dicitur, alioqui illa cognitio non menſuraretur æternitate, hoc eſt, non haberet; vt exponit idem S.Thomas 1.d.38.q.1. art.5. poſt medium corporis, *modum æternitatis, qui eſt, eſſe totum ſimul ſine ſucceſſione. Vnde quamuis tempus ſit ſucceſſiuum, tamen æternitas eius eſt præſens omnibus temporibus vna, & eadem, & indiuiſibilis, vt nunc ſtans. Ita, & cognitio ſua intuetur omnia temporalia, quamuis ſibi ſuccedentia, vt præſentia ſibi, nec aliquid eorum eſt futurum reſpectu ipſius, ſed vnum reſpectu alterius*. Hinc in hoc articulo ſtatim ita infert, *vnde omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt; ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, provt ſunt in ſua præſentialitate*, hoc eſt, provt ſunt in ſe ipſis à parte rei extra cauſas ſuas in hac vel illa differentia temporis præſentis.

S.Thomas.

11. *Ratio eſt intelligenda de præſentialitate reali temporanea.*

Itaque ratio non eſt intelligenda de rerum contingentium præſentialitate obiectiua, ſed reali: quia in fine corporis concluditur, contingentia cognoſci infallibiliter à Deo, *in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem*. Quibus verbis præſentialitas obiectiua, quam explicant illa verba, *in quantum ſubduntur diuino conſpectui*, apertè diſtinguitur ab alia præſentialitate; quæ diſtincta præſentialitas non poteſt eſſe alia, niſi realis, vnde illa dicitur, *præſentialitas ſua*, hoc eſt rerum, quam in ſe res habent; nam præſentialitas obiectiua eſt potius obiicientis, propter intellectionem ipſi intrinſecè præſentem, & extrinſecè tantùm rebus tribuitur; alioqui redderetur hic ſenſus ineptiſſimus, contingentia ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm præſentialitatem obiectiuam, hoc eſt, ſecundùm quod ſubduntur diuino conſpectui. Demum initio corporis dicitur, contingens hanc præſentialitatem habere, *ſecundùm quod iam in actu eſt in ſe ipſo*; quod eſt, eſſe præſens realiter, & non intentionaliter: & hoc eſſe præſens in toto articulo manifeſtè diſtinguitur contra eſſe futurum: ſed hoc eſſe futurum non eſt obiectiuum, quia implicat, aliquid de nouo obiici Deo in tempore futuro. Ergo neque eſſe præſens eſt obiectiuum: neque eſt intelligenda de præſentia reali æterna, ſed temporanea; tum quia ſecundùm hanc præſentiam dicitur contingens *conſiderari in ſeipſo ſecundùm quod iam in actu eſt*, & diſtinguitur à conſiderari, vt futurum in ſuis cauſis: quod non conuenit contingenti, niſi in tempore; tum quia dicitur Deus, omnia contingentia cognoſcere, etiam vt futura; vt ſuprà num.5.& 6.hoc eſt, vt habitura in aliquo tempore præſentialitatem. Præſentialitas autem æterna non eſt futura in tempore; tum quia realis, & æterna rerum contingentium præſentia, non ſolùm non conſonat fidei; ſed etiam eſt ridicula contra euidentem experientiam. Quis enim dixerit, hoc opus, quod nunc contingenter ſcribo, fuiſſe realiter ab æterno in actu in ſe ipſo extra me? Denique hoc ab eodem S.Thoma 1.d.38. q.1. art.5. circa finem corporis, clariſſimè exponitur his verbis. *Deus omnia contingentia in temporibus diuerſis, ab æterno præſentialiter videt, non tantùm vt habentia eſſe in cognitione ſua: non enim Deus cognouit ab æterno de rebus, tantùm ſe cognoſcere ea, quod eſt eſſe in cognitione ſua: ſed etiam ab æterno vidit vno intuitu, & videbit ſingula tempora, & rem talem eſſe in hoc tempore, & in hoc deficere. Nec tantùm videt hanc rem reſpectu præcedentis temporis eſſe futuram, & reſpectu futuri præteritam, ſed videt illud tempus, in quo eſt præſens, & rem eſſe præſentem in hoc tempore, itavt intuitus eius ad rem contingentem referatur, ſecundùm hoc quod præſentialiter in actu eſt, quando eſt iam determinatum, & certitudinaliter cognoſci poteſt*. Docet igitur rerum omnium futurarum præſentialitatem realem, & temporalem fuiſſe ab æterno in obiectiua Dei præſentialitate. Vnde de veritate quæſt.2. articul. 12. circa finem corporis,

*Differentia inter præſentialitatem realem, & obiectiuam.*

*Ex S.Thoma, Deus videt futura, vt realiter præſentia, non in æternitate, ſed in tempore.*



corporis, pro eodem vſurpat, cognitionem menſurari æternitate, & cognitionem ſemper eſſe totam ſimul. Et deinde apertiſſimè ait, *Deus futura inſpicit eſſe tunc quando ſunt*; & de malo q.16. art.7. ante medium corporis, *eius ſimplex intuitus ſuper omnia fertur, provt vnumquodque eſt in ſuo tempore*. Et loco citato de veritate ad 4. ait expreſſiſſimè. *Refertur res ad Dei cognitionem ſecundùm quod eſt in ſua præſentialitate: præſentialitas autem rei non ſemper ei conuenit: vnde res poteſt accipi cum tali diſpoſitione, vel ſine ea*. Præſentialitas, quæ non ſemper eſt, ſed aliquando eſt, aliquando non eſt, æterna eſſe non poteſt; vt ex hoc eodem loco benè notauit Sylueſter parte 1.conflati q.14.art.16.§.*quantum verò ad tertium*. Ergo Deus non videt futura, vt realiter præſentia in æternitate, ſed vt realiter præſentia in hac, vel illa differentia temporis.

Sylueſter.

12. *Clarior prædictæ rationis ſenſus.*

Senſus igitur rationis eſt hic: non poteſt dari aliquod ſcibile, quod ſtatim ac eſt ſcibile, non ſciatur ab intellectu diuino, vt ſupra num.4. & 9. ídque etiam optimè probatur ex eo quòd cognitio diuina menſuratur æternitate, cuius natura eſt, vt quicquid alicui conuenit ex æternitate, faciat etiam conuenire in ſingulis, & omnibus partibus totius temporis, quia æternitas ambit totum tempus, correſpondendo permanenter, & indiuiſibiliter toti tempori ſucceſſiuo, & diuiſibili, vt ſupra quæſt.10. Sed ſi Deus ignoraſſet aliquid, quod antea erat ſcibile, & poſtea inciperet illud cognoſcere, iſta cognitio eſſet verè noua, ac temporanea, & non æterna, vt ſupra num.4. Ergo ſi cognitio diuina menſuratur æternitate, implicat, illam non ſcire aliquid ſtatim ac illud eſt ſcibile. Sed de fide eſt Deum cognoſcere omnia futura contingentia antequam fiant, itavt diſtinctiſſimè, ac perfectiſſimè intueatur non ſolùm ſtatum futuritionis, quem habent in ſuis cauſis, ſed etiam ſtatum præſentialitatis, quem habitura ſunt in ſe ipſis extra cauſas in aliqua differentia præſentis temporis; & ſecundùm vtrumque ſtatum ſcibilia ſunt ab æterno, quia poſito, quòd hodie, v.g. *Petrus peccat*, ſemper ab æterno verum fuit, *Petrum hodie peccaturum*. Nam, vt rectè dixit Antonius Cordubenſis libr.1. quæſt.55. dubio 5. aliquanto poſt principium. *Quod futurum eſt, ab æterno fuit futurum*; & multò ante ipſum Bonauentura 1.d.40. art.2. quæſt. 1. circa finem. *Si aliquid futurum eſt, ſemper verum fuit, ipſum eſſe futurum*. Ergo Deus omnia futura contingentia abſoluta, tam in ſuis cauſis, quàm in ſe ipſis, ſciuit ab æterno; ergo ſimul; licèt contingentia fiant in actu ſucceſſiuè. quia cùm in æternitate non ſit prius æternum, & poſterius etiam æternum, omnia, quæ ſunt in æternitate, non poſſunt non eſſe ſimul. Eandem rationem multò ante tradidiſſe videtur Auguſtinus lib.2. ad Simplicianum quæſt.2. circa principium, illis verbis. *Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* nimirùm ex formali ratione ſuæ æternitatis. *Si enim in ſciëntia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes: ac per hoc non iam præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt*. Negat Auguſtinus res futuras eſſe futuras reſpectu diuinæ cognitionis, ſed vult eſſe ſemper præſentes: non quòd Deus non cognoſcat futura, vt futura, hoc eſt, ſecundùm quòd non ſunt realiter in ſeipſis præſentia in æternitate, in qua cognoſcuntur, ſed erunt realiter præſentia in tempore poſt æternitatem; quo ſimili modo Deus cognoſcit præterita vt præterita, hoc eſt, non exiſtentia realiter in aliquo tempore poſt exiſtentiam realiter habitam in alio priori tempore: ſed ſolùm quia omnis prorſus realis præſentialitas, quam res habituræ realiter ſunt in tempore, eſt ab æterno perfectiſſimè, & diſtinctiſſimè, ac proinde intuitiue ſemper Deo præſens præſentia obiectiua. Vnde hanc Dei cognitionem non vult vocare præſcientiam, quæ eſt propriè futurorum, quia nihil quod futurum eſt realiter, eſt Deo futurum obiectiuè, ſed omnia ſunt illi ſemper ab æterno obiectiuè præſentia. *Sed tamen*, inquit Sanctus Thomas 1. d. 38. quæſt.1.artic.5. poſt medium corporis, explicans Boëtium, eodem modo loquentem, *poteſt dici præſcientia in quantum cognoſcit id, quod futurum eſt nobis, non ſibi*.

Corduba.

*Eadem ratio ex Auguſtino.*

*Quomodo dici poſſit Deus ſcire, & non ſcire futura.*

*Cur ſcientia futurorum nō ſit præſcientia, ſecundùm Auguſtinum, & Boetium.*

S.Thomas.

Ex hactenus dictis remanet abunde explicata doctrina totius corporis Articuli. Porrò argumenta, quæ contra illam obiicit S. Thomas, & non minorem continent difficultatem, non tam impugnant diuinam futurorum contingentium præſcientiam, de qua tantùm directè quæritur in hoc articulo, & quæ ſupponit, dari futura contingentia, quàm ipſamet futura contingentia, quæ cùm in tempore eſſe habeant, & à cauſa fallibili, reſpectu cuius poſſunt non eſſe, non videntur poſſe cohærere cum ſcientia, quæ quicquid cognoſcit, ab æterno cognoſcit, & omninò infallibiliter, itavt implicet contradictionem, poſſe non eſſe id quod ipſa eſſe cognoſcit; tunc enim ſcientia Dei poſſet falli. De qua difficultate ſit

## DVBITATIO II.

*An ſcientia Dei ſtet cum libertate creaturarum.*

### SVMMA.

1 *Concluſio affirmatiua. à num.13.ad 17*
2 *Reijciuntur probationes Gonzalez.num.16.*
3 *Examinatur prima obiectio huius Art.n.17.18.*
4 *Examinatur ſecunda obiectio.à n.19.ad 28.*
5 *Examinatur tertia obiectio.num.28.*
6 *Soluuntur duæ aliæ obiectiones.n.29.& 30.*

13. *Concluſio affirmatiua.*

VNica concluſio. Æterna, & infallibilis præſcientia Dei hactenus explicata de effectibus futuris à voluntate creata, neque tollit, neque vllo modo immutat veram creati arbitrij libertatem, & veram contingentiam effectuum futurorum. Ita omnes Catholici, contra nonnullos Gentiles, & hæreticos, negantes huiuſmodi concordiam inter præſcientiam Dei, & contingentiam futurorum euentuum: quorum aliqui, quoniam contingentiam, vt nimis manifeſtam, negare non poterant, negarunt præſcientiam, vt Tullius lib.2. de Diuinatione, paulò poſt principium, præſertim illis verbis. *Nihil eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quàm fortuna, vt mihi ne in Deum quidem cadere videatur, vt ſciat quid caſu, & fortuitò futurum ſit: ſi enim ſcit, certè illud eueniet; ſin certè eueniet, nulla fortuna eſt; eſt autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla eſt præſenſio*. Quem, vt impium damnat Auguſtinus libr.5.de Ciuitate Dei, cap.9. & nos tota ſuperiori dubitatione ſufficienter impugnauimus, nunc ſatis ſit grauiſſimum illud Auguſtini dictum circa initium capitis, *Confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt*. Contra verò alij, quoniam, vt liberiùs malè agerent, propriam libertatem negare non erubeſcebant, oppoſuerunt illi infallibilitatem diuinæ præſcientiæ, vt olim Stoici, Simon Magus, Manichæi, & deinde Vviclefus, demum Lutherus, Caluinus,

Tullij ſententia.

Auguſtinus.

*Hæreticorum ſententia.*

Bellarminus. Molina. Zumel. Valentia. Suarez. Vaſquez.

uinus, aliíque hæretici, quos eruditè referunt, & impugnant Bellarmin.lib.3.& 4.de gratia,& libero arbitrio.Molina hîc,diſp.1.2.& 3.Zumel diſt.2. Valentia punct.5.q.3.Suarez in Metaphyſic.d.19. Vaſquez hîc,diſp.68. ex quibus,& aliis ſupponenda hîc ſunt,tanquam ad alium locum pertinentia, quæ ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & rationibus faciunt ad probandam creaturarum intellectualium libertatem, ſolùm oſtendam breuiter, quod huius loci propriũ eſt, hanc non lædi ex immutabilitate,& infallibilitate diuinæ pręſcientiæ.

*Prima concluſionis ratio ex* Boëtio *&* Ariminenſi.

14. Primò ex Boëtio lib.5.de conſolatione,Proſ.vltima, ex quo hoc argumentum ſumit Gregorius 1.d.38.quæſt.2.art.3.§.*his præmiſſis.* Hoc eſſe futurum, & hoc eſſe contingens, ſiue poſſe non eſſe futurum, non ſunt conceptus repugnantes ſimul in re ipſa,nec alter ab altero tollitur:quia primus reſpicit, ac dicit præcisè ipſum eſſe actuale rei in aliquo determinato tempore,ante quod non erat: qui conceptus communis eſt futuro contingenti, & futuro neceſſario, & abſtrahit ab omni cauſa: itavt ſi per impoſſibile res, quæ nunc non eſt, poſſet tempore ſequenti incipere eſſe ex ſe, & non ex cauſa,illa nunc propriiſſimè diceretur futura. Secundus reſpicit directè, ac præcisè ipſam cauſam rei futuræ, & re ipſa dicit, cauſam in illo tempore antecedente, quando res non erat, non habere potentiam prædeterminatam ad faciendam rem illam, ſed poſſe etiam, ſi velit, nullam rem facere, vel facere oppoſitam; qui conceptus optimè ſaluatur, etiam de rebus nunquam futuris,ſed ſolùm poſſibilibus. Iſti igitur duo conceptus non ſunt inuicem realiter incompoſſibiles: quod à contrario ſuaderi facilè poteſt, quia ſicut non repugnat, aliquid non eſſe futurum, & ſimul poſſe eſſe futurum, quod omnes planè intelligimus;ita contra,in re non repugnat ſimul, eſſe aliquid futurum,& poſſe non eſſe futurum.Ergo iſti duo conceptus multò minus repugnant eſſe ſimul obiectiuè in intellectu diuino.In iſtis autem duobus conceptibus ſita eſt vera libertas noſtra, & contingentia futurorum. Confirmatur, & explicatur magis ex Alenſi 1.parte q.24.membr.4.ad 5. quia licèt non ſtent ſimul, *Præſcire, & non euenire, ſedere, & ambulare*, tamen ſimul ſtant, *Præſcire, & poſſe non euenire, actus ſedendi, & potentia ambulandi:* ſi præſcientia non tollit potentiam ad oppoſitum eius,quod eſt præſcitum, vtique ſtat libertas cum præſcientia.Eſt enim,inquit Alenſis,*incompoſſibilis concomitantia actus ad actum, non autem concomitantia actus vnius ad potentiam actus alterius:*ille autem actus ab omnibus intelligitur contingens, ac liber, qui proficiſcitur à cauſa habente potentiam ad actum oppoſitum. Quam potentiam ſi concomitatur actus à parte rei factus, multò facilius concomitari poteſt idem actus obiectiuè conceptus à Deo.

Alenſis.

*Secunda ratio ex* Albert. *&* Corduba.

15. Secundò. Si voluntas noſtra eſt libera ex ſe, præſcindendo à præſcientia Dei,vt hoc loco ſupponimus, in quo præcisè tantùm diſputamus, an per ſolam præſcientiam, tollatur libertas, quæ alioquin haberetur, ſi non daretur præſcientia, euidenter ſequitur, voluntatem eodem modo remanere liberam poſita præſcientia: quia illa eſt omninò extrinſeca voluntati, nam, vt ad idem probandum optimè arguit Albertus in ſumma, tractatu 15.quæſt.61.membro 5. initio corporis, & ſequitur Antonius Cordubenſis lib.1.queſt.55. dubio 10.§.*Tum ſecundò.Præſcientia Dei ita eſt ſuper res futuras,quòd non eſt cauſa earum:* imò vt probaui ſupra articulo 8. eſt illis ratione poſterior, eorúmque ſimpliciſſimus intuitus merè ſpeculatiuus, neque cauſat in voluntate aliquid phyſicè prædeterminans ad vnam partem futuram,vt ſuppono ex aliis materiis. Nihil igitur habet quo creatam libertatem lædere vlla ratione poſſit. Quare, vt comparat Auguſtinus libr. 3. de libero arbitrio c.4. Sicut ex eo quòd certò,& infallibiliter quis videat vel audiat me legentem, non ſequitur,me legere ex neceſſitate naturæ, quam neceſſitatem non paterer, ſi nemo me legentem videret, aut audiret; ita, &c. Tertiò, ratione, quam ex Auguſtino ſupra cap. 3. benè vrget Bellarminus libr.4. de gratia,& libero arbitrio c.13. Præſcientia Dei non imponit rebus neceſſitatem, vt præſcientia ſimpliciter,alioquin eandem imponeret præſcientia Angeli,vel hominis,quod nemo dicit: non vt præſcientia Dei, quia Deus etiam præſcit quid ipſe facturus ſit in tali, vel tali tempore,& tamen facturus eſt liberè. Neque eſt aſſignabilis aliqua alia ratio ob quam poſſit rebus neceſſitatem imponere.

Auguſtinus.

*Tertia ratio ex* Auguſtino, *&* Bellarmino.

16. Idem probat Gonzalez hîc,d.43. num.16. Primò, authoritate Concilij Conſtantienſis ſeſſ.8. damnantis Vviclefum,quòd dixerit,pręſcientiam tollere libertatem. Vult autem Gonzalez,Vviclefum, & conſequenter Concilium loqui de præſcientia antecedente omnem conſenſum noſtræ voluntatis,*etiam præſcitum vt futurum*;quia de præſcientia præſupponente futurum,non poterat dubitari, an tolleret libertatem. Quod Gonzalez ideo præmittit, vt paret ſibi viam, ad defendendum, actus diuinos, qui ſunt cauſa rerum futurarum, inter quos ipſe numerat ſcientiam viſionis, non tollere liberum operandi vſum,etiamſi illum omninò antecedant:quod tamen noſtri Theologi falſum eſſe putant,vt ſuo loco demonſtrabo. Vnde ſapientiſſimè Magnus Albertus verbis paulò ante citatis, ſaluat libertatem operum cum præſcientia, quia hæc non eſt cauſa illorum, ſed illa potius præſupponit tanquam obiectum. Et quidem ſi præſcientia eſt cauſa actus, & cauſa omninò illum antecedens, & cauſa qua poſita non poteſt voluntas illum non cauſare, eſt inintelligibile,qua ratione voluntas cauſans illum actum, dici rectè poſſit, cauſare liberè, & contingenter; quia vt docet S.Thomas hîc, circa medium corporis, *cauſa contingens ſe habet ad oppoſita.* Non videtur igitur ſolida coniectura Gonzalez,quia illi hæretico, homini inſipientiſſimo ſatis fuit ad errandum, præſcientiam æterno tempore antecedere res futuras quoad proprium eſſe à parte rei in tempore.Quę antecedentia commouit etiam gentilem Philoſophum Tullium ad ipſammet præſcientiam negandam.

*Reijcitur ratio Gonzalez ducta ex Concilio Conſtantienſi.*

Albertus.

Secundò, arguit Gonzalez authoritate Auguſtini 5.de Ciuitate cap.9.dicentis, *voluntate nos facere quicquid à nobis nonniſi volentibus fieri ſentimus.* Quę verba gloſſans Gonzalez,ait,*vbi pro eodem accepit,liberè operari,& voluntate facere.* Sed iſta gloſſa niſi declaretur, ferenda non eſt: quia ſub illa poteſt latere aliquis error:nam Lutherus, Caluinus, alii hæretici humanæ libertatis deſtructores, non negant,nos,cùm facere aliquid volumus,*voluntate facere:*& tamen negant,nos tunc,*liberè operari:*ergo ex iſta gloſſa Gonzalez, nulla mutata ſententia contra libertatem, ſed mutatis tantùm verbis, dicere poſſent,nos liberè operari. Item in primis voluntatis motibus, in amore beatifico, voluntas facit,ſed non operatur liberè. Ergo cùm dicitur, idem eſſe,*voluntate facere, & liberè operari*,debet ſano modo intelligi de volũtate, prout in communi

*Reijcitur alia ratio Gonzalez ducta ex Auguſtino.*

vſu



vſu loquendi accipi ſolet, & verbis citatis accipit Auguſtinus, pro potentia ad vtrumlibet indifferente,ac proinde indeterminata,& non prædeterminata ad vnum. Quod cùm noui Thomiſtæ negent,ideo in ſuo ſenſu accipiendi ſint, cùm dicũt, pro eodem accipi, *voluntate facere,& liberè operari,* ipſi viderint. Tertiò,in n.17.ideo voluntas creata operatur liberè, quia Deus voluit, & præſciuit eã liberè operaturam; quod patet aliis verbis Auguſtini ſupra. *Quapropter,& voluntates tantùm valent, quantum Deus eas valere voluit,atque præſciuit:& ita quicquid valent,certiſſimè valent;& quòd facturæ ſunt, ipſæ omninò facturæ ſunt,quia valituras, atque facturas ille præſciuit,cuius ſcientia non poteſt falli.*Hæc quoque ratio allata à Doctore prædeterminante liberum arbitrium,declaratione indiget. Quare illa cauſalis, quatenus eſt de præſcientia, eſt omninò falſa contra manifeſtas authoritates Sanctorum, & rationes, vt ſupra art.8. Quatenus eſt de voluntate, eſt inadæquata, quia etſi ad operandum liberè ſit neceſſaria voluntas Dei, tamen nec hæc ſufficit, cùm præterea neceſſarium eſſentialiter ſit principium operandi indifferens, & non prædeterminatum:nec requiritur quęuis voluntas Dei,nam antecedens omnem præuiſionem,etiam conditionatam,effectus futuri,libertatem deſtrueret; ſed eſſe debet conſequens præſcientiam conditionatam. Nec Auguſtinus loquitur de cauſa effectus liberi futuri ſimpliciter,ſed futuri certiſſimè, & infallibiliter: quod vltro concedimus oriri ex diuina præſcientia,& voluntate.Quæ omnia longiſſimis diſputationibus indigent,de quibus infra. Fuerũt tamen hîc breuiter indicanda, ne in probatione certiſſimæ veritatis, huiuſmodi authoritatibus,& rationibus aliqui deciperentur.

*Reijcitur tertia ratio Gonzalez.*

## *Examinatur primum argumentum huius Articuli.*

*Senſus reſponſionis S. Thomæ.*

17. Obiicies primò.Scientia Dei,quæ eſt cauſa omnium futurorum,eſt neceſſaria;ergo omne futurũ, eſt neceſſariò,& non contingẽter futurũ. Reſpõdet S.Thomas hîc ad 1.& omiſſis breuitatis cauſa, quæ pro explicatione, ac defenſione reſponſionis Caietanus fuſiſſimè habet, puto illius ſenſum eſſe hunc. Eſto verũ ſit antecedens,tamen eſſe negandam conſequẽtiam:quia vniuerſaliter inquit; *licèt cauſa ſuprema ſit neceſſaria,tamẽ effectus poteſt eſſe contingens,propter cauſam proximam contingentem.*Deinde in particulari addit, *ſcita à Deo ſunt contingentia propter cauſas proximas,licèt ſcientia Dei,quæ eſt cauſa prima,ſit neceſſaria.* Hæc reſpõſio ſufficiens eſt, modò vera ſit vna ſententia, quam hîc apertè ſupponere videtur S.Thomas,& defendunt Caietan. hîc,& multi alij Thomiſtæ,cõtra Scotum, & Scotiſtas, & alios; quòd poſitis cauſis creatis neceſſariis, & liberis, ſicut de facto tales ſunt, ſi per impoſſibile Deus ageret ex neceſſitate naturæ,adhuc cũ cauſis neceſſariis ageret neceſſariò;cum liberis verò cauſis ageret liberè,hoc eſt,concurſu,neceſſariò quidẽ exhibito ex parte Dei neceſſariò concurrentis, tamen ad intrinſecã exigentiã cauſæ liberæ,ac proinde libero ſimpliciter, quia vt loquitur Caiet.hîc. §.*nec ſuſtinendus.* eſſet modificatus à cauſa ſimpliciter libera,eiq; accõmodatus.*Quoniã cauſa*,inquit Caiet.ſuprà,*cooperans intrinſecè,cooperatur vnicuique ſecũdùm modũ eius cui operatur.*& vt ait S.Thom.1.d.38. q.1.art.5. aliquantò poſt princip. corp. *virtus cauſæ primæ recipitur in cauſa ſecunda ſecundùm modũ cauſæ ſecũdæ.*Poſita igitur hac opinione,benè ſoluit S.Thom.ex eo quòd effectus futuri à cauſa proxima contingente,fierent etiã à ſciẽtia, tanquã a cauſa prima neceſſaria,nõ ſequi,eos non futuros contingenter a cauſa proxima contingente,*ſicut*,inquit,*germinatio plantæ eſt cõtingens propter cauſam proximam contingentem, licèt motus ſolis,qui eſt cauſa prima,ſit neceſſarius.*hæc enim cauſa neceſſaria non tollit à planta intrinſecam contingentiam, ſiue indifferentiam ad germinandum moto ſole, & ad non germinandum immoto ſole.

*An cauſa ſecunda ageret liberè, ſi prima ageret neceſſariò.*

Caietanus.

S.Thomas.

Verùm quoniam huiuſmodi reſponſio, vt ait Syluester hîc ad ſecundũ argumentum notabili 1. *non datur ad veritatem,ſed ad hominem,*hoc eſt,datur ex aliqua ſuppoſitione impoſſibili,nimirũ,ſi ſcientia Dei eſſet cauſa neceſſaria, & Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ; & opinio, quæ inde aſſeritur,non eſt ſatis certa,ac recepta, nempe,tũc Deum acturũ liberè cũ cauſis liberis,ideo reſpondeo ſecundò abſolutè, diſtinguẽdo antecedens, & dicendo,ſciẽtiam Dei eſſe cauſam neceſſariã,quatenus creatura nihil poteſt agere ſine cõcurſu primæ cauſæ,quæ concurrere non poteſt ſine intellectu,& voluntate:nõ autem eſſe ita neceſſariam, vt non poſſit eſſe illa ſcientia de aliqua re, niſi actu cauſet illam rem;ſic enim nullũ eſſet purum poſſibile, ſed omnia eſſent futura. Et in hoc, ſcientia, quæ eſt cauſa directiua,aſſimilatur omnipotentiæ, quæ eſt cauſa exequutiua;quæ pariter eſt cauſa neceſſaria primo modo, non autem ſecundo modo; quia Deus nihil poteſt operari ſine potentia exequutiua, tamen non quicquid per illam operari poteſt,actu operatur. Ex prima verò neceſſitate, quam aliqui vocant,*quoad ſpecificationem,non quoad exercitium,* nulla ſequitur neceſſitas in effectu:quia illa ſcientia, neceſſaria ad cauſationem cuiuſlibet effectus, cognoſcit effectum producibilem, ſeu producendum à cauſa libera, modo accommodato cauſæ liberæ, ſcilicet vt effectus ita procedat à Deo, vt procedat cooperando cũ cauſa intrinſecè indifferẽte,& nõ prædeterminata ad illũ effectum. 18.

Syluester.

*Alia reſponſio abſoluta.*

*In quo ſenſu ſcientia Dei dici poſſit cauſa neceſſaria.*

## *Examinatur ſecundum argumentum huius Articuli.*

Obiicies ſecundò.Huius veræ argumẽtationis, *Deus præſciuit hoc futurum eſſe, ergo hoc erit*; antecedens eſt abſolutè neceſſarium; tum quia eſt æternum, tum quia ſignificatur, vt præteritum: ergo etiam conſequens eſt abſolutè neceſſarium: quia ex principio neceſſario non ſequitur cõcluſio,niſi neceſſaria, vt probatur lib.2. Poſter.ergo nullum præſcitum à Deo,poteſt eſſe futurum contingens. 19.

Reſpondetur,omiſſis multis ſolutionibus,quas referunt, & impugnant S.Thomas hîc ad ſecundum,& in 1.d.38.q.1.art.5.ad 4.& de veritate q.2. art.12. ad 7. Vaſquez diſput.68.c.2.3.& 4. Suarez opuſc.de ſcientia Dei, lib.1.c.9.à n.8.& alij interpretes huius articuli, ſi illud, *abſolutè*, accipiatur pro *ſimpliciter*,& ſine vlla hypotheſi, ſeu ſuppoſitione, negandum omninò eſt cum Alenſi 1.parte q.24.membro 4. in reſponſionibus ad argumenta, Alberto 1.d.8.artic.4.& Boëtio,& Anſelmo apud ipſum,& in 1.part.Sum.tract.15.q.61.membr.5.in corpore,& in ſolutionib. argumentorum. Bonau. 1.d.38.art.2.q.3.in argumentis,*ſed contrà*, & initio corp.Aureolo d.39. q.1.art.1. propoſ.1. Durando 1.d.38.q.3.num.24.& 25.Ægidio part.3.q.1.ad 4. Ariminenſi q.2.art.3.ſæpè negantibus illud antecedẽs eſſe abſolutè neceſſariũ; & idẽ ſentiunt Victoria,Soto,Cano,quos refert Bagnes hîc,§.3.ante cõcluſiones, & vt probabilius ſentiẽtes defendit concl.4.& 5. Vnde Altiſiodorẽſis citatus ſupra n.4.

S.Thomas.
Vaſquez.
Suarez,

*Scientiam Dei de futuro eſſe neceſſariam,non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione.*

Alenſis.
Albertus.
Bonauentur.
Aureolus.
Durandus.
Ægidius.
Ariminenſis.
Victoria.
Sotus.
Canus.
Bagnes.
Altiſiodor.

n.4.ſimpliciter concedit hanc propoſitionem oppoſitam, *Deus contingenter præuidit hoc*, & infra, *ſi Deus præuidet quoddam contingens futurum, cõtingens eſt Deum præuidiſſe illud.* & ratio à priori eſt, quia Dei præſcientia de futuro quatenus futuro, ſiue vt formaliter terminata ad id, quod non eſt realiter, quando ab æterno à Deo cognoſcitur, ſed realiter erit poſtea in aliqua differentia temporis, non eſt niſi ex ſuppoſitione futuri; quòd ſi liberè eſt futurum, debet neceſſariò poſſe ſimpliciter non eſſe futurum; & conſequenter, ſcientia Dei potuit ſimpliciter non terminari ad futurum, ſicut futurum potuit ſimpliciter non eſſe futurum; ſed poſito futuro, Deus neceſſariò illud præſciuit, & non potuit ignorare. Et in hoc ſenſu communiſſimo omnium Theologorum, & veterum, & recentiorum, vt patet ex modò citatis, veriſſimè, & eruditiſſimè dixit Vaſquez ſupra, illud antecedens *eſſe neceſſarium neceſſitate ſequenti.* Quod aduertere libuit, vt omnes legẽtes Nauarret.controu.59.§.3.concl.13. planè intelligant, num zelo ſecundùm ſcientiam acerbè reprehẽdat Vaſq.in hoc dicto, *Quòd loquatur è regione oppoſito modo ei, quẽ hactenus obſeruauerũt Theologi*: an potiùs vanè, ac ridiculè paulò poſt eũdem Vaſq.tunc cùm maximè ſequitur cõmuniſſimum ſentiẽdi, ac loquẽdi modũ, hortetur his verbis, *ſequatur cõmunem doctrinam, atque modũ loquendi.* neceſſitas enim, quæ ſtat cũ libertate, ab omnibus Theologis vocatur *neceſſitas ſequens, & cõſequens*, vt loquitur Vaſq. nã alia, quæ cum libertate pugnat, vocatur *neceſſitas conſequẽtis*, vt referã infra n.24. Si verò *abſolutè neceſſariũ*, accipiatur pro tali neceſſitate, ſecũdùm quã propoſitio ita eſt vera, vt poſtquam incepit eſſe ſemel vera, nõ poſſit, cõſiderata ſub eadẽ forma verborũ, eſſe amplius falſa, concedendũ eſt cum S.Thoma, illud antecedens eſſe abſolutè neceſſarium.

*Defenditur Vaſquez contrà Nauarrete.*

*In quo ſenſu diuina ſcientia futurorum, dici poſſit abſolutè neceſſaria.*

*Quomodo ſcientia Dei dicatur præterita.*

Quamuis enim ſcientia Dei ſecundùm ſe, & realiter non poſſit eſſe præterita, tamen, per coëxiſtentiam ad noſtrum tempus, denominari, & ſignificari poteſt vt præterita, quia coëxtitit cum tempore antecedente, quod verè præteriit. Vnde non ſolùm in præſenti verè dicitur, Deus præſcit hoc eſſe futurum, ſed etiam in præterito; Deus præſciuit hoc eſſe futurum.

20\. *Differentia inter propoſitiones de præſenti, præterito, futuro in materia contingente.*

Qua in re acutè aduertẽda eſt differentia inter propoſitiones de contingẽtibus in præſenti, futuro, & præterito: quia primæ duæ, poſtquã ſunt veræ, fiunt falſæ: v.g. *Petrus peccat*, eſt vera exiſtente peccato, ſed præterito peccato eſt falſa. Itẽ, *Petrus peccabit*, eſt ſemper, & ab æterno vera ante realem exiſtentiam peccati; ſed præſente, & multò magis præterito peccato eſt falſa. At hæc, *Petrus peccauit*, quãdo incipit eſſe vera, per nullam potentiam fieri deinde poteſt falſa; quia iuxta receptiſſimum axioma, *ad præteritum nulla eſt potentia.* hoc eſt, res mutari poteſt de futura in non futurã, de præſente in non præſentem, non autem de præterita in non præteritam. Et ideo hæc propoſitio, *Deus præſciuit peccatum Petri futurum,* quia ſignificat præſciẽtiam diuinam per modum præteriti, ſcilicet per coëxiſtẽtiam ad præteritum tempus, dici poteſt habere veritatem neceſſariam abſolutè, hoc eſt, inuariabiliter, & immutabiliter de veritate in falſitatem; quam neceſſitatem non habet conſequens, *Petrus peccabit,* quia eſt propoſitio de futuro. Atq; in hoc ſenſu vult Suarez ſupra n.12.& 13. S.Thomam hîc ad 2. conceſſiſſe, antecedens propoſiti argumenti eſſe abſolutè neceſſarium; negaſſe verò, eſſe abſolutè neceſſarium conſequens; & eodem ferè modo exponit Caietanus, dum ait S.Thomam cõcedentem eſſe abſolutè neceſſariũ hoc antecedens, *Deus ſciuit hoc contingens futurum*, ſpectaſſe vim propoſitionis de præterito, quæ eſt vera neceſſariò neceſſitate abſoluta, non rẽ ipſam in ſe, quæ per talem propoſitionem ſignificatur, & eſt præſcientia, quæ non eſt neceſſaria neceſſitate abſoluta, ſed ex ſuppoſitione futuri, quod abſolutè potuit non eſſe futurum. Caietanum probabiliter defendit Bagnes hîc, §.3. *Deinceps examinandæ*, concluſ.1, 2.& 3.

*In quo ſenſu dixit S. Thomas, ſciẽtiam Dei de futuro contingente, eſſe abſolutè neceſſariã. Prima expoſitio Caiet. & Suarez non probatur.*

Bagnes.

21\. Sed prætermiſſa huiuſmodi abſoluta neceſſitate, cùm ſit potiùs de verbis, quàm de re, quam tãtùm non eſt probabile ſapientiſſimũ Theologum in tam celebri difficultate reſpexiſſe; præſertim, quia ſi Sanct.Thomas in illo antecedente dixiſſet, quod verè, ac facilè dicere poterat, *Deus præſcit,* fuiſſet propoſitio de præſenti, & conſequenter de eadem omnino præſcientia aſſerere non potuiſſet, eſſe abſolutè neceſſariam; quod non eſt veriſimile. Itaque videtur magis ad rẽ, & pro dignitate S.Thomæ, illum interpretari de abſolutè neceſſario reali, ſeu ſecundùm rem ipſam; quia loquendo de eo, quod eſt à parte rei, quamuis diuina præſcientia de futuro, ſit abſolutè libera, ſeu contingens ſub vna ratione, nimirũ ratione obiecti conſiderati ſecundùm eſſe indeterminatum, quod habet in cauſa, hoc eſt, futuri, quod à cauſa libera poteſt eſſe, & non eſſe futurum: tamen ſub alia ratione dici poteſt, & verè eſt, abſolutè neceſſaria; nimirum ratione eiuſdem obiecti futuri conſiderati ſecũdùm eſſe ſuum determinatum, quod in ſe habet in tali differentia temporis; qua ratione non habet in ſe poſſe eſſe, & non eſſe: quamuis enim cauſa libera poſſit facere, v.g. conſenſum, vel diſſenſum, ſeu non conſenſum, ex eo quòd ſit in ſe intrinſecè indeterminata: tamen conſenſus, ex eo quòd ſit intrinſecè in ſe ens determinatum, non poteſt eſſe conſenſus, vel diſſenſus, ſeu non conſenſus. Et hîc eſt planiſſimus ſenſus illius communis axiomatis Ariſtotelici, *Omne quod eſt, quando eſt, non poteſt nõ eſſe.* Hinc intelligitur, qua ratione præſcientia Dei de futuris contingẽtibus dici verè poſſit neceſſaria abſolutè; in quantum ſcilicet, poſitis omnibus prærequiſitis ad præſciendum futurum, non poteſt diuinus intellectus præſcire, vel non præſcire futurum; ſed abſolutè, & ſimpliciter eſt neceſſarium præſcire, ita vt implicet contradictionem oppoſitum. Quæ eſt verè, ac propriè neceſſitas abſoluta, ſecundùm quam dicimus, v. g. ignem neceſſariò comburere, ſolem neceſſariò illuminare, & alia ſimilia. neque enim probari vllo modo poteſt propoſitio illa Bagnes hîc, §.3. concluſ.6. circa princip. *Deus poteſt ſimpliciter non ſcire, etiam quando ſcit, Antichriſtum fore*, nam in inſtanti in quo Deus ſcit futurum, prius præſupponi debet futurum, quàm intellectus diuinus terminari ad futurum, vt multis oſtenſum eſt ſuprà art.8. in illo autem priori ſigno rationis, non poteſt eſſe liber Deus ad ſciendum, & non ſciendum, quia tũc præſuppoſito obiecto ſcibili, poſſe non ſcire, eſſet propriiſſimè ignorare; quod Deo tribuere nefas eſt; & in hoc ſenſu rectè dixit Euſebius libr. 6. de præparatione Euangelica c.9. circa medium. *Præſcientiam Dei veram non eſſe, impoſſibile ſimpliciter eſt.* At verò effectus futurus à cauſa libera, nullo modo ſub iſta ratione antecedente dici poteſt abſolutè neceſſarius, quia poſitis omnibus neceſſariò prærequiſitis ad cauſandum futurum, adhuc cauſa libera poteſt ſe contingenter, & indifferenter determinare ad cauſandum, vel non cauſandũ futurum. Igitur ſpectatis ipſis realibus naturis, & diuinæ preſciẽtiæ, & futuri contingentis, rectè potuit S.Thomas de antecedente poſito ſupra num. 18. concedere, eſſe abſolutè neceſſarium, & negare de conſequente.

*Secunda expoſitio probabilior.*

*Qua ratione ſcientia Dei de futuris cõtingentibus, dici poſſit abſolutè libera, & abſolutè neceſſaria.*

*Senſus illius axiomatis,* Omne quod eſt, quando eſt, non poteſt non eſſe.

*Reijcitur modus loquendi Bagnes.*

Euſebius.



22\. *Secunda expoſitio nõ recipitur.*

Verùm ne hoc quidem, quod veram, & acutam doctrinam continet, ſatisfacit ad mentem S.Thomæ, qui falsò dicitur à Bagnes hîc §.3. ad 2. poſt 3. concluſionem, & aliis, negare, conſequens eſſe abſolutè neceſſarium, ſic enim habet, *Vnde dicendum eſt, quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè. Nec tamen ſequitur, vt quidam dicunt, quòd conſequens ſit neceſſarium abſolutè, quia*, &c. Quibus verbis negat, conſequens eſſe neceſſarium abſolutè; id autem non negat ex propria ſententia, ſed ex ſententia aliorum, quos impugnat. Vnde poſtea ex propria ſententia id concedit dicens, *& ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens*: ſed de antecedente docuerat, eſſe neceſſarium abſolutè, ergo idem docet de conſequente; videtur igitur ſumere neceſſarium pro immutabili. Et per neceſſarium abſolutè, ſignificare id, quod nullo modo, & per nullam potentiam mutari poteſt. Quod & præſcientia habet ex ſuppoſitione futuri, & futurum ex ſuppoſitione præſcientiæ. Vnde 1. d. 38. q.1. art.5. ad 4. concedit etiam, *quòd antecedens eſt neceſſarium abſolutè, & quòd ſimilis neceſſitas eſt inferenda in conſequente.* Et neceſſitatem antecedentis probat, *ex immobilitate actus*, videntis rem prout in re ipſa eſt determinatè. Neceſſitatem verò conſequentis probat, quia præſcientiæ obiectum eſt res *prout eſt præſentialiter in ſuo eſſe actuali*, quod ait habere *determinationem, & neceſſitatem. Quia ipſum neceſſe eſt eſſe dum eſt.* & idem habet de veritate quæſt.2. artic.12. ad 7.& 1.d.39. q.1. artic.1. ad 3. apertè aſſerit, *Deum neceſſe eſt ſcire dum ſcit: non tamen neceſſe eſt eum ſcire niſi neceſſitate immobilitatis, quæ libertatem voluntatis non excludit.*

*Tertia & vera expoſitio.*

23\. *Futurum cõtingẽs eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione præſcientiæ.*

Si quis autem ſequi voluerit primam reſponſionem, etiam veram, & multò magis communem, quæ ſub alia ratione ex parte obiecti, negat, illud antecedens eſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium, ſed vult eſſe abſolutè contingens, & dumtaxat neceſſarium ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione effectus futuri, addere poterit, ex hac ſuppoſitionis neceſſitate in antecedente, ſequi eamdem neceſſitatem in conſequente. Sicut enim neceſſitas præſcientiæ ſequitur ex poſitione effectus futuri, ita contra, neceſſitas effectus futuri ſequitur ex poſitione infallibilis præſcientiæ de effectu futuro. Hanc enim futurorum neceſſitatem ſuppoſitionis explicant graues Doctores ex ſuppoſitione præſcientiæ, & non ex ſuppoſitione ipſiuſmet futuri, vt faciunt quidam recentiores. Etenim Boëtius, quem refert, & ſequitur Albertus 1. d.38. artic. 4. initio corporis, *Idem futurum, cùm ad diuinam notionem refertur, neceſſarium: cùm verò in ſua natura perpenditur, liberum prorſus, atque abſolutum videri. Hæc igitur futura, ad intuitum relata diuinum, neceſſaria fiunt per conditionem diuinæ notionis: per ſe verò conſiderata abſoluta, naturæ ſuæ libertatem non deſerunt.* & Alenſis 1. part. quæſt. 24. membro 4. ad 3. *De neceſſitate ordinis verum eſt, quæ Deus præſciuit, neceſſe eſt eſſe futura.* Idem Albertus in ſumma, tract. 15. quæſt. 61. membro 5. ad 6. *Deum hoc præſciuiſſe, non eſt antecedens ad hoc, quòd hoc de neceſſitate erit, niſi de neceſſitate conſequentiæ, & non conſequentis: & ideo non ſequitur, quòd ſimpliciter hoc de neceſſitate abſoluta erit. Sed ſequitur, quòd hæc conſequentia eſt neceſſaria, Deus præſciuit hoc, ergo hoc erit.* & membro 8. ad 1. *non eſt inconueniens, quòd idem, non ſecundùm idem, ſubiaceat neceſſitati poſitionis, in quantum eſt præſcitum: & contingentia liberi arbitrij, ſecundùm quod abſolutè, & ſecundùm ſe acceptum eſt.* & 1. diſtinct.38. art.4. ad 2. *Scitum futurum, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid accipit neceſſitatem; ſcilicet, ſecundùm quod cadit ſub ſcientia Dei: hæc autem non eſt niſi neceſſitas conditionis, & non abſoluta.* S. Thomas hîc ad 2. docet, futurum contingens eſſe neceſſarium, *prout ſubeſt diuinæ ſcientiæ.* & de eadem ſuppoſitione loquitur ibi Caietanus, ſicut & Sylueſter 1. parte conflati quæſt. 14. articulo 16. ad 3. Item Ægidius 1. diſt.38. parte 3. quæſt.1. circa principium corporis cum Boëtio, *non eſſe inconueniens, res, in ſe conſideratas, contingentes eſſe; ad diuinam tamen præſcientiam relatas, neceſſitatem quandam contrahere.* & idem in tota quæſtione ſæpè repetit. Et Soncinas 1. diſt.38. quæſt. 2. concluſione 7. *Propoſitio de futuro contingenti, eſt neceſſaria vno modo, ſcilicet, vt ſubſtat diuinæ ſcientiæ: & alio modo eſt contingens, ſcilicet, vt in ſe conſideratur.* idque tribuit S.Thomæ in hoc articulo, & lib. 1. contra Gentes cap.67. circa finem.

Boëtius.
Albertus.

Alenſis.

S.Thomas.

Caietanus.
Syluester.
Ægidins.

Soncinas.

24\. *Diſtinguitur, & explicatur duplex neceſſitas, iuxta omnes Theologos.*

Duplex igitur ab omnibus Theologis, ex Ariſtotele, Boëtio, & Anſelmo, neceſſitas diſtinguitur, vt videre eſt apud Alenſem, & Albertum locis citatis, S.Thomam 1.d.38. quæſt.1. art.5. ad 3. & de veritate quæſt. 24. articulo 1. ad 13. & lib.1. contra Gentes cap. 67. fin.& in hac 1. parte quæſt.19. articulo 8. ad 1. & 3. Ægidium 1. d.38. parte 3. quæſt. 1. ad 2. & 3. Argentinam d.40. quæſt.1. artic.3. ad 8. Durandum 1. d.38. quæſt.3. num.22. Capreolum quæſt.1. art.1. Ad argumenta contra 4. concluſionem §. *Vnde ad melius*, cum S.Thoma 4. diſtinct.17. quæſt.1. artic.2. quæſt.3. & diligenter explicat Vaſquez hîc d.68. cap. 4. Prima tollens libertatem, & ab iiſdem variè nominatur, neceſſitas abſoluta, & per ſe, & ſecundùm naturam propriam in ſe conſideratam; neceſſitas antecedens; neceſſitas naturæ rei, quæ ſequitur rem in ſe; neceſſitas conſequentis; neceſſitas ſimpliciter, ſeu ſimplex. Secunda non tollens libertatem, & variè etiam nominatur, neceſſitas conditionalis, ſeu conditionata, ſeu cum conditione, ſeu conditionis, ſeu ſub conditione; neceſſitas conſequens, ſeu ſequens rei poſitionem; neceſſitas ſuppoſitionis, ſeu poſitionis; neceſſitas ordinis; neceſſitas conſequentiæ, ſiue in conſequendo; neceſſitas ſecundùm quid. Primam eſſe definiunt, *eorum, quæ habent cauſam immutabiliter, vt ſolem oriri cras.* Ita Alenſis citato membro 4. Idem deinde membro 5. *Neceſſitas antecedens eſt ſecundùm præordinatas cauſas rei, ſicut te videre ſolem oriri cras.* Diligentius Albertus in ſumma tract. 15. quæſt. 61. membro 5. *Neceſſitas conſequentis, ſicut quando conſequens ſecundùm eſſe, & cauſam ſequitur ad antecedens. Secundùm eſſe, ſicut omne animal rationabile mortale eſt homo, & hoc eſt animal rationale mortale, ſequitur de neceſſitate abſoluta, quòd hoc eſt homo. Vel ſecundùm cauſam, ſi ſol mouetur in circulo, de neceſſitate ad orientem veniente cras circulo, neceſſe eſt ſolem oriri cras.* & membro 8. *neceſſitas abſoluta, quam vocat Anſelmus antecedentem, eſt ex cauſis proximis ad effectum ordinatis, ſicut ſolem oriri cras, & decollatum interire.*

Alenſis.

Albertus.

Secundam verò definiunt eſſe illam, *quam non propria facit natura, ſed conditionis adiectio.* Ita Albertus citato articulo 4. ex Boëtio. Et paulò poſt ex Anſelmo, *Quæ ſequitur habitudinem rei potius, ex hoc, quod ſic, vel ſic ponitur, quam rem in ſe.* Sed explicatius in ſumma ſupra, membro 5. *Neceſſitas conſequentiæ,*

*quentiæ, quando poſito aliquo non neceſſario ſecundùm ſe, ad poſitionem illius ſequitur aliud, non per neceſſitatem antecedentis, ſed quia oppoſitum conſequentis non poteſt ſtare cum antecedente; & eſt exemplum Boëtij, ſicut ſi ego video te ambulare, tu de neceſſitate ambulas: quia ſi detur quòd tu non ambulas, ſequitur, quòd ego video te non ambulare; & hoc interimit poſitionem antecedentis; poſitum enim fuit, quòd ego video te ambulare.* & iterum paulò poſt, eamdem neceſſitatem eſſe docet, *quando antecedens non ex ſe, ſed ex ratione ordinis, vel poſitionis infert conſequens; & neceſſitatem in conſequentia non facit ex habitudine rei antecedentis ad rem conſequentis, ſed facit eam ex poſitione, ſiue ex ordine tantùm.* Ex modernis Thomiſtis, rem verè, & clarè explicat Nazarius hîc controuerſ.6. notab. 2. dicens, *Neceſſitatem effectus ex aliqua ſuppoſitione, tunc ſtare cum contingentia ſimpliciter, vel libertate eiuſdem effectus, quando ſuppoſitio eſt in poteſtate cauſæ illius effectus; vel ſaltem ſuppoſitio eſt connexa cum aliquo, quod ſit in poteſtate eiuſdem cauſæ.* vt, inquit, neceſſarium eſt me loqui, ex ſuppoſitione quod loquor: vel me ſedere ex ſuppoſitione quòd alius videat me ſedentem. Sed quantum hæc cohæreant cum eiuſdem Nazarij, ac Thomiſtarum huius temporis præfinitionibus, ac prædeterminationibus, conſtabit ex infra dicendis. enimuerò operæ pretium fuit verba ipſa referre, quibus primi, & grauiſſimi Theologi huiuſmodi neceſſitates deſcribunt, quia Gonzalez hîc d. 43. ſect. 1. auſus eſt contra nos aſſerere, quod *huiuſmodi deſcriptiones à recentioribus excogitatæ ſunt, vt ſub aliquo fucato colore ſuam doctrinam introducant ex Anſelmi authoritate.* De qua re fuſiùs infra.

Nazarius.

Gonzalez.

25. His poſitis, aſſero cum citatis Doctoribus, & reliquis omnibus, tam antiquis, quàm modernis, primò, omne futurum, atque adeò futurum ſimpliciter contingens, ac liberum, eſſe futurum neceſſarium ex duplici ſuppoſitione, primò ex ſuppoſitione præſcientiæ infallibilis, vt hactenus dictum eſt, & benè explicat Bagnes hîc, §. 3. verſiculo, *Ad explicandum.* Cuius verba operæ pretium eſt referre, quia continent illuſtre teſtimonium pro ſententia de gratiæ efficacia, quam ſitam eſſe cenſemus in infallibilitate proueniente formaliter ex præſcientia diuina. *Neceſſitas*, inquit, *quam habet res ſcita in ratione obiecti ſciti, nihil eſt aliud, quàm omnimoda infallibilitas, quam habet prout eſt obiectum ſcitum à ſcientia Dei; quæ infallibilitas non prouenit ex eo, quòd diuina ſcientia imprimat aliquid in re ſcita. nam, vt optimè dicit D. Thomas ad 3. ſicut ex eo quòd ego cognoſco Petrum, nihil reale ponitur in Petro; ita ex eo quòd Deus cognoſcit, Antichriſtum futurum, nulla realis diſpoſitio prouenit ipſi Antichriſto.* & infra, verſiculo, *Ad hoc reſpondetur.* ex ſententia S. Thomæ hîc ad 3. & clarius de veritate quæſt.6. art.3. ad 7. & 8. ait, *Quòd vni, & eidem rei poteſt ſimul competere modùs contingentiæ ſimpliciter, id eſt, ab intrinſeco, & ex propria natura; & modus neceſſitatis ſecundùm quid, id eſt, per reſpectum ad extrinſecum.* & rurſus verſiculo ſequenti, *Hæc propoſitio, Antichriſtus erit, eſt ſimpliciter contingens: ſed induit quemdam modum neceſſitatis, prout ſubeſt ſcientiæ Dei.* & omnia iſta verba, more ſuo, ex Bagnes mutuatur Zumel diſputat. 4. concluſ.2. *§. Sed dices.* & magna ex parte ſumpſit etiam Nazarius controuerſ.6. notab.2. §.vltimo, eamdémque doctrinam ſequitur Ariminenſis 1. d. 38. q.2. art.3. ad argumentum principale. & tribuit S. Thomæ, Ægidio, & Boëtio. Secundò ex ſuppoſitione ipſiuſmet futuri, quia poſito, verbi gratia, quòd Petrus ſit peccaturus, non poteſt Petrus non peccare, etiam antequam peccet, alioquin eſſet peccaturus, & non peccaturus, & poſſet componere, ſeu ponere ſimul in aliqua differentia temporis, in qua dicitur eſſe peccaturus, peccatum, & non peccatum; & peccatum eſſet futurum, & ſimul non eſſet futurum: in quo futurum conuenit cum præſenti, & præterito, quæ ſunt etiam neceſſaria ex ſimili ſuppoſitione præſentis, & præteriti: quia, vt omnes, authore Philoſopho lib.1. Periherm. c.vlt. ante finem, pronunciamus, *Quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe*: & multò maiori ratione, *Quod fuit, neceſſe eſt fuiſſe.* Quod explicans Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum, c.4. fin. ait, *Tam non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta præterita.*

*Declaratur neceſſitas ex ſuppoſitione præſcientiæ, cum Bagnez, Zumel, Nazario, Ariminenſi, & alijs.*

*Declaratur neceſſitas ex ſuppoſitione ipſius futuri.*

Ariſtotele

Auguſtin.

Quamuis in hoc non videatur eſſe eadem omnino ratio de futuro, quæ de præſenti, & præterito: etenim cauſa (etiam quando in antecedente duratione verum eſt, quòd operabitur, quia nullam habet phyſicam, & antecedentem prædeterminationem ad operandum, nec adhuc ſeſe liberè determinauit, & quaſi abſtulit illam indifferentiam ad operandum, & non operandum) manet adhuc omnino ſuſpenſa, & indifferens pro illa duratione antecedente. Vnde licèt non poſſimus dicere, *Hoc futurum poteſt non eſſe futurum*, quia hic modus dicendi inuoluit ſuppoſitionem ipſius futuri; tamen de re ipſa ſimpliciter, quam ponamus eſſe futuram, poteſt, & ad ſaluandam libertatem, debet neceſſariò poſſe dici, pro eo tempore, quo verum eſt dicere, illam eſſe futuram, *Hæc res poteſt non fieri, & non eſſe futura*: ſicut parietem album, eſſe album, eſt neceſſarium; parietem verò eſſe album, eſt contingens: nam etiam facta illa ſuppoſitione futuri; licèt non ſit in cauſa poteſtas ad non futurum in ſenſu compoſito, hoc eſt, ſimul cum futuro, quatenus nulla cauſa poteſt facere ſimul duo contradictoria, tamen eſt poteſtas ſimpliciter ad non futurum, ſeu ad non operandum: cùm neque ab intrinſeco, neque ab extrinſeco, neque ex ſe determinata ſit ad futurum, ſed æquè reſpiciat futurum, & non futurum.

26. *Alio modo liberè effect futurus & alio præſei & præteritus.*

Cuius rei ratio à priori eſt, quia futurum, pro nullo inſtanti, quod eſt futurum, habet eſſe in ſe, & extra virtutem, & potentiam ſuæ cauſæ, ergo remanet cauſa cum ſua potentia indifferente ad vtrumlibet. At reſpectu præteriti, quia nulla ad illud manet potentia in cauſa libera, dici ſimpliciter nequit, *Hæc res poteſt non eſſe facta*, ſed ſolùm, *Potuit non eſſe facta, ſeu non fieri.* Reſpectu autem præſentis, quia cauſa actualiter, licèt liberè operando, ſeſe formaliter determinat ad vnum, & ipſe effectus contingens iam eſt extra cauſam, non poteſt tunc dici ſimpliciter, cauſa potens ad vtrumlibet, nec effectus potens, non fieri, nec cauſa potens non operari. & ratio à priori eſt, quia indifferentia, & indeterminatio tollitur per determinationem, quæ in cauſa libera eſt eſſentialiter ipſamet libera ipſius operatio, quæ iam eſt in actu poſita, & in præſenti, & in præterito, non in futuro. Dici autem poteſt de cauſa liberè operante in præſenti, poſſe ceſſare ab operatione, quia hæc ceſſatio habet rationem futuri, non præſentis, vt acutè notauit Vaſquez hîc d. 68. num. 23. in quo effectus contingens de præſenti, differt à ſe ipſo quatenus præterito; quia abſoluta libera operatione, nihil prorſus illius operationis, neque quoad fieri, neque quoad conſeruari, dependet à ſua cauſa. Hinc



Hinc tamen nihil ſequitur contra veram rationem libertatis, non ſolùm in actione futura, ſed etiam in præſenti, & in præterita: etenim veriſſime dicitur, homo liberè nunc peccat, & liberè antea peccauit, non ſolùm quia voluntas in priori tempore erat indifferens ad peccandum, & non peccandum, ſic enim ſumitur actio, vt futura, ſed etiam quia in illo inſtanti in quo peccat, vel peccauit, prius natura poterat peccare, & non peccare, nullámque in illo priori prædeterminationem habebat ad peccandum.

*Cauſa eſt libera, etiam quando operatur.*

27. Aſſero ſecundò cum prædicta duplici ſuppoſitione benè cohærere: futurum abſolutè contingens, ac ſimpliciter liberum: quia ſuppoſitio ipſiuſmet futuri, non eſt ſuppoſitio, aut neceſſitas ex parte cauſæ, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, quam voluntas non poſſit tollere, hoc eſt, non ponit aliquid ante ipſam actionem liberam, quod non ſit in dominio ipſius operantis, & quo poſito ex neceſſitate ſequatur actio; tunc enim ſi non ab intrinſeco, ſaltem ab extrinſeco deſtrueretur libertas in actu primo: ſed eſt ſuppoſitio, & neceſſitas conſequens, ſeu concomitans ex parte effectus, hoc eſt, oritur ex ipſo effectu, & ponitur ſimul cum ipſo effectu, quatenus effectus, ſiue contingenter, ſiue neceſſariò ponatur, quando ponitur vel in futuro, vel in præſenti, vel in præterito, non poteſt non poni: licèt in inſtanti quo ponitur, ponatur à potentia antecedenter potente non ponere, ac proinde ponente liberè. Alia quoque ſuppoſitio præſcientiæ infallibitatis, nihil obſtat libertati; quamuis enim præſcientia ab æterno antecedat omne futurum quoad eſſe actuale præſens in re extra cauſam, quod eſſe nulla res futura habet niſi in tempore; tamen conſequitur omne futurum quoad eſſe formaliter futurum, vt probatum eſt ſupra art.8. dubio 3. & docent Patres ibi citati à num.48. ad 54. De re enim futura in tempore, fuit ab æterno verum, illam eſſe futuram in tempore; & hoc verum æternum præceſſit ratione ratiocinata æternum Dei intuitum terminatum ad ipſum tamquam ad obiectum: ergo hæc etiam ſuppoſitio non eſt antecedens, ſed conſequens effectum liberum: ergo non eſt abſolutè neceſſitans cauſam ad illum faciendum. Quamobrem ſuppoſitio ex præſcientia, ſicut alia ex effectu futuro, eſt etiam verè ſuppoſitio ex effectu futuro, ſed illa effectum futurum ſupponit mediatè, hoc eſt, mediante præſcientia, quæ ſupponit effectum futurum; hæc verò ſupponit immediatè per ipſummet effectum futurum.

*Neceſſitas ex ſuppoſitione effectus non tollit libertatem.*

*Neceſſitas ex ſuppoſitione præſciētiæ nō tollit libertatem.*

## *Examinatur tertium argumentum huius articuli.*

28. Obiicies tertiò. Omne ſcitum à Deo eſt neceſſarium: ergo nihil contingens. Reſpondent optimè S. Thomas hîc ad 3. Alenſis 1. parte quæſt.24. membro 4. ad 5. Ægidius 1.d.38. parte 3. quæſt.1. ad 4. & alij multi eſſe falſum antecedens de neceſſitate rei, & in hoc ſenſu diuiſo, *Omnis res, quam Deus ſcit, eſt neceſſaria*: eſſe verum de neceſſitate dicti, & in hoc ſenſu compoſito, totum hoc dictum, nimirum, *eſſe id quod ſcit Deus, eſt neceſſarium*, hoc eſt, poſita ſcientia Dei, neceſſariò verum eſt dicere, illud quod ſcitur, eſſe ita ſicut ſcitur. Hoc autem non tollit libertatem, & rerum contingentiam, quia non eſt neceſſitas antecedens, ſed conſequens effectum futurum, quem diuina viſionis ſcientia præſupponit, & ſolùm dicit, quod poſita rei futuritione, eſt neceſſarium vt Deus illam ſciat.

*Defenditur reſponſio S. Thomæ, Alēſis, Ægidij, & aliorum.*

Vnde ſi ita arguas: impoſſibile eſt, hoc non eſſe à Deo præſcitum; ergo impoſſibile eſt, hoc non euenire: optimè reſpondet Albertus in ſumma, tract.15. quæſt.61. membr.5. ad 5. *Antecedens non eſſe verum de abſoluta impoſſibilitate, ſed de impoſſibilitate poſitionis, ſcilicet ſi ponatur eſſe futurum.* & ideo negat conſequentiam de impoſſibilitate abſolutè; quia poſſibilitate abſoluta, quod præſcitum eſt à Deo, poſſibile eſt non euenire. Addit acutè hanc propoſitionem, *Poſſibile eſt, præſcitum non euenire, eſſe falſam, ſi prædicatum reddatur ſubiecto cum forma, quia ſenſus eſt; præſcitum, ſecundùm quod præſcitum, & manens præſcitum, poſſibile eſt aliter euenire: & in hoc ſenſu oppoſita eius eſt vera, hæc ſcilicet, præſcitum impoſſibile eſt non euenire, eſſe veram, ſi prædicatum reddatur ſubiecto ſecundùm ſe ſine forma, quia ſenſus eſt, id quod eſt præſcitum, cùm ſit contingens, poſſibile eſt non euenire: & in hoc ſenſu hæc eſt falſa, præſcitum impoſſibile eſt non euenire.* & affert aptum exemplum in hac ſimili propoſitione, *Album poſſibile eſt eſſe nigrum*; quæ intellecta de corpore ſimul cum albedine, eſt falſa; de corpore autem ſecundùm ſe ſine albedine, eſt vera.

*An præſcitū à Deo, poſſit non euenire.* Albertus.

## *Soluuntur duæ aliæ obiectiones.*

Obiicies quartò. Omnis ſcientia Dei eſt certiſſima, & infallibilis: ergo eius obiectum non poteſt eſſe res contingens, hoc eſt, incerta, & fallibilis: *Oportet enim*, vt rectè docet S. Thomas 1. d.38. quæſt.1. artic.5. ante medium corporis, *inuenire, ad hoc quòd ſit certa ſcientia, aliquam certitudinem in ſcito.* Reſpondetur rem contingentem, ſecundùm eſſe quod habet in ſua cauſa, eſſe incertam, & fallibilem: ſecundùm eſſe quod habet in ſe ipſa, eſſe determinatam ad vnum, & conſequenter certam, & infallibilem; in quantum conſiderata in ſe ipſa extra cauſam, non poteſt ſimul habere formaliter eſſe, & non eſſe, ſicut habet virtualiter in cauſa; eſt enim effectus determinatus, ſeu infallibilis, procedens à cauſa indeterminata, & fallibili. Vnde effectus liber, etiam in ſe ipſo conſideratus, ſi conſideretur cum præciſione à cauſa à qua procedit, non poteſt non eſſe, ſcilicet ſe ipſo formaliter, & non per aliquam ſuppoſitionem alicuius tertij, quia ens ſe ipſo formaliter contradicit non enti; ſi verò conſideretur cum comparatione ad cauſam à qua liberè procedit, poteſt eſſe, etiam dum eſt, quia dum eſt procedendo à ſua cauſa, eſt liberè: ergo cum potentia ad non eſſe. Debent igitur accuratè diſtingui iſtæ duæ propoſitiones, *Effectus liber dum eſt, non poteſt non eſſe: Effectus liber dum eſt à ſua cauſa, non poteſt non eſſe à ſua cauſa.* Prima eſt vera ſecundùm omnes; ſed ſecunda eſt falſa, quia effectus liber quando eſt à ſua cauſa, eſſe debet liberè, & contingenter, loquendo abſolutè, & diuiſè; alioqui loquendo ex ſuppoſitione, & cum compoſitione exiſtentiæ effectus, is, etiam dum eſt liberè à ſua cauſa, non poteſt non eſſe: quæ non eſt compoſitio formalis tantùm, ſed cauſalis, & effectiua, quia poſſibilitas illius compoſitionis inter eſſe, & non eſſe non negatur præciſè propter prædictos duos terminos formaliter incompoſſibiles, ſed propter tertium, hoc eſt, cauſam liberam à qua non poſſunt effectiuè componi ſimul illi duo termini. Hac doctrina poſita, quæ eſt ſancti Thomæ hîc in corpore, nego conſequentiam, quia vt idem docet, & conſtat ex dictis ſupra dubitatione

29.

S. Thomas.

*Quomodo ſit certum obiectum ſciētiæ Dei de futuro contingentia.*

*Qua ratione effectus liber, dū eſt, poſſit, aut non poſſit non eſſe.*

ne 1. concluſione 2. ſcientia Dei terminatur ad rem contingentem, non ſolùm primo modo, ſed etiam ſecundo: videt enim Deus ſuo infinito lumine rem in ſe ipſa, & in ſua præſentialitate extra cauſas, ſicut re vera eſt futura, licèt nondum actu talis ſit.

30\. Obiicies quintò. Deus hoc eſſe futurum præſciuit immutabiliter: ergo præſciuit neceſſariò.

Altiſiodor. *Deum futura contingẽtia præſcire immutabiliter.*

Reſpondent primò aliqui apud Altiſiodorenſem lib.1.c.9.q.5. circa principium, dicentes, antecedens eſſe verum ex parte Dei præſcientis, non ex parte futuri præſciti. Quibus fauet Alenſis 1. p. q.24.membr.4. in reſponſione, dicens, *eſt neceſſitas ex parte ſcientiæ, non ex parte rei ſcitæ.* Sed, vt ait Altiſiodorenſis, *hæc ſolutio nulla eſt:* quia impoſſibile eſt, vt præſcientia immutabilis habeat pro obiecto aliquid mutabile; quia ſi mutaretur obiectum, mutaretur præſcientia: ergo ſi poteſt mutari obiectum, poſſet mutari præſcientia, ergo illa non eſſet immutabilis.

*Non tamen neceſſariò.*

Reſpondet ſecundò, & bene, Altiſiodorenſis, negando conſequentiam, quia & ſi omne neceſſarium ſit immutabile, non tamen omne immutabile eſt neceſſarium, ſed poteſt eſſe contingens: vt cum Scoto contra Aureolum oſtendi in 1.tom. q.9. artic.1. n.11, & conſtat ex actibus diuinæ voluntatis circa creaturas, qui ſunt immutabiles, tamen contingentes, non neceſſarij. Poteſt igitur aliquid eſſe, & non eſſe, ac proinde ſi ſit, eſſe contingenter, etiam ſi poſtquam eſt, mutari nequeat de eſſe ad non eſſe. Sic Deus præuidet contingenter, quia ita præuidet vt potuerit non præuidere, ſicut futurum contingens præuiſum potuit non eſſe futurum: ſed poſtquam Deus præuidet, immutabiliter præuidet, quia non poteſt non præuidere; quod verum etiam eſt in aliquo priori ſigno rationis, etiam antequam præuideat, vt ſupra n.20.

*Non ſunt idẽ immutabile, & neceſſarium.*

## DVBITATIO III.

### *An Deus videat futura contingentia abſoluta propter eorum præſentiam in æternitate.*

#### SVMMA.

1 *Explicatio controuerſiæ, & concluſio ſimpliciter negatiua. n.31.*
2 *Authores vtriuſque partis. n.32.33.*
3 *Duplex quæſtionis ſenſus exprimitur. n.34.35.*

Ocham. Ariminenſ. Gabriel. Marſilius.

HInc incipit ſecunda controuerſiæ pars explicata ſupra num. 3. multo difficilior; adeò vt Ochamus 1.d.38.q.vnica, litt. L. & N. Ariminenſis q.2.art.2. §.*Dico ergo.* Gabriel q.vnic.art.2.concluſ.2. §. *Ideo Ocham*, in quorum ſententiam multum inclinat Marſilius in 1. ſententiar. quæſt. 40. ante primum articulum, & clarius artic.3. parte 3. initio, dixerint, quòd, *Modum quo ſcit Deus omnia futura contingentia exprimere, eſt impoſſibile omni intellectui pro ſtatu iſto.* & Cardinalis Bellarminus lib.4. de gratia, & libero arbitrio c.15.ad 6. quòd, *res eſt omnino difficilis, & fortaſſe in hac vita incomprehenſibilis, qua ratione Deus futura prænoſcat.* Cæteri verò omnes Theologi hunc modum naturali ratione demonſtrari poſſe exiſtimant; & ideo illum diligenter inquirunt, & partim aliorum modos confutando, partim proprium modum aſtruẽdo, inueniſſe ſe arbitrantur. Præſtat igitur cum omnibus confidere, quàm cum paucis deſperare.

Bellarm.

31\. *Concluſio negatiua.* Vnica concluſio. Res futuræ, quamuis quando actu exiſtunt, coëxiſtant neceſſariò toti Dei æternitati, quæ neceſſaria, & indiuiſibilis cùm ſit, coëxiſtit etiam neceſſariò, & omnino inuariabiliter tota toti tempori, & tota ſingulis partibus, & inſtantibus temporis, & omnibus, ac ſingulis rebus exiſtentibus in quocumque tempore, vel inſtanti temporis, vt omnes concedunt: tamen antequam ſint in ſua reali, ac propria duratione temporanea, & poſtquam in illa fuerunt, dici rectè non poſſunt realiter coëxiſtere æternitati, & eſſe illi realiter præſentes in ſua actuali exiſtentia: ſed ſolùm dici poſſunt in æternitate Deo præſentes obiectiuè, in quantum quidquid earum futurum eſt in tempore, eſt obiectum, ſeu terminus diuinæ præſcientiæ, quæ menſuratur æternitate; & conſequenter, non poteſt Deus cognoſcere res futuras in earum reali præſentia, & coëxiſtentia cum æternitate antequam fiant: ita vt prius ratione concipiamus futura, antequam exiſtant in ſua propria ratione temporanea, habere actualem exiſtentiam realiter præſentem, & coëxiſtentem diuinæ æternitati; deinde ratione huius præſentiæ videri, & præſciri à Deo.

### *Authores vtriuſque partis.*

32\. *Concluſio eſt Alenſis.* Ita habet multò communior, & grauior opinio, tam veterum, quàm recentiorum, Alenſis 1.parte quæſt.23. membro 4. artic.3. præſertim in fine, vbi clarius ſe explicat, & bene probat, quia *eſſe in æternitate, propriè dicuntur quæ ſuum habent eſſe durans cum æternitate: res autem temporales ſecundùm ſe non ſunt in æternitate;* Bonauenturæ 1.d.39. artic.2. quæſt. 3. in quantum generaliter docet, *falſum eſſe, Deum cognoſcere omnia præſenter, ſi notetur præſentialitas à parte cognitorum.* Vnde antea d. 35. in commentario, dub. 6. Magiſtrum aſſerentem, quòd omnia ſunt Deo præſentia non ſolùm quæ ſunt, ſed etiam quæ præterierunt, ita exponit, *non omnia dicuntur eſſe præſentia ſecundùm veritatem exiſtentiæ rerum, ſed ſecundùm cognitionem, qua actu cognoſcit præſentia, præterita, & futura.* & idem habet d.41. articulo 2. quæſt.1. ad vltimum. Quamobrem, Cabrera, & Trigoſius infra citandi, immeritò referunt Bonauenturam pro contraria ſententia: item Ægidij in caſtigatorio corruptorij, art.3. primæ partis. Vbi etiam quoad rem idem ſentit Author illius corruptorij. Neque Ægidius contrarium habet in 1. d.38.parte 1. quæſt. 1. vt illi attribuit Aluarez lib. 2. de Auxiliis d. 8. §. *Secunda ſententia*, nam vtitur ratione huius articuli, & expreſsè ſignificat præſentiam obiectiuam dicens, *contingentia relata ad cognitionem diuinam præſentia ſunt.* Scoti 1. d.39. quæſt. 1. §. *Contra iſtud.* cuius omnes rationes fundantur in hoc veriſſimo principio, *Æternitas non eſt ratio coëxiſtendi alicui niſi exiſtenti: quia*, inquit Scotus, *illud quod non eſt, nulli poteſt coëxiſtere; quia coëxiſtere dicit relationem realem; ſed relatio non eſt realis, cuius fundamentum non eſt reale.* vbi idem habent Lychetus, Bargius, & Vigerius. Item Aureoli 1. d.36.quæſt.1.artic.1.propoſitione 3. & d.38.quæſt.vnica art.1. propoſitione 4. & artic.2. propoſitione 2. Mayroni 1. d. 38. quæſt.1. artic. 4. concluſ. 3. ſic facilè, & efficaciter arguentis, *Quod in ſe non eſt, imò eſt omnino non ens, alteri præſens eſſe non poteſt; cùm præſens eſſe, præſupponat eſſe. Futurum autem non eſt; ergo*, &c. Heruæi quæſtione 1.artic.1. parte 3. eodem fere modo probantis, *Quia coëxiſtere alicui, præſupponit exiſtere coëxiſtentis. Sed hæc eſt falſa, Res exiſtunt ab æterno, quia ſic exiſtere exigit durationem*

Bonauent. Ægidij. Scoti. Lycheti. Bargij. Vigerij. Aureoli. Mayroni. Heruæi.



*nem infinitam, non habentem principium, neque finem. ergo*, &c. Vnde poſt ſolutionem argumentorum, volens tacitè exponere quod docet S. Thomas in hoc articulo, ita optimè diſtinguit, *Aliquid eſſe præſens Deo, poteſt dupliciter intelligi: vno modo per coëxiſtentiam realem in ſuo proprio eſſe eius quod dicitur coëxiſtere Deo: & ſic non exiſtunt res aliæ à Deo ipſi Deo ab æterno. Alio modo poſſunt res eſſe præſentes Deo vt intuenti, ſiue per intuitionem: & ſic omnia futura, etiam quantum ad ſuas exiſtentias actuales, ſunt præſentia Deo ab æterno ſecundùm talem intuitionem.* Durandi quæſt. 3. n. 13. eadem ratione fundamentali, & euidente arguentis, *Quia quod nihil eſt in ſe, nulli poteſt realiter, & actualiter coëxiſtere; coëxiſtere enim præſupponit exiſtere: ſed futura, ab æterno nihil fuerunt in ſe ſecundùm eſſe actuale, ſed ſolùm in potentia Dei creantis: ergo non potuerunt ab æterno Deo coëxiſtere ſecundùm præſentialitatem ſuæ actualis exiſtentiæ.* Ariminenſis quæſt.2. artic.2. obiter paulò ante finem. Andreæ de Nouo Caſtro quæſt. 5. articul. 2. ante §. *In oppoſitum.* Gerardi Senenſis quæſt. 1. artic. 2. opinione 3. Baſſoli quæſt. vnica, art.1. §. *Iſta poſitio.* qui præcipuè arguit vt ſupra ex aliis. Et tandem concludit, *vnde videtur nunc opinio valde periculoſa.* & ad primum dicit, *Quòd creatura eſt præſens ab æterno ipſi Deo, non realiter in ſe ipſa, ſed in eſſe cognito, & volito.* Gabrielis quæſt. vnica, art.2. poſt ſecundam concluſionem, §. *Alij dixerunt.* Petri de Aquila quæſt.2. art.2. Palatij diſputat.2. colum.8. Syluestri 1. parte conflati quæſt.14. art.16. vbi inter alia, §. *Quantum ad ſecundum.* contrarius ſenſus dicitur *Inexcogitabilis, quem nullus præter vnum*, nimirum Caietanum, cuius ſententiam ibi latè refert, & impugnat, *auſus eſt affirmare: quia ex illo, inquit, videtur ſequi contra fidem, creaturas fuiſſe ab æterno.* Radæ controuerſia 30. articulo 2. & 3. Machin. hîc, diſtinct. 30. ſect. 2. Bellarmini ſupra, Leſſij opuſculo de Auxiliis, cap. 20. num. 8. Henriquez lib. vltim. de fine hominis cap.3. §.4. Fonſecæ 6. Metaph. cap.2. quæſt.4. ſect. 2. 3. quamuis enim videatur pro contraria ſententia, tamen loquitur ad verum ſenſum explicandum infra num. 43. & explicatum ſupra num. 10. 11. & 12. Molinæ hîc, quamuis enim d. 13. videatur Thomiſtis conſentire, tamen d. 14. concluſ. 2. clarè ſe explicat pro nobis, docens, *non eſſe concedendum, res, quæ in tempore fiunt, prius exiſtere in æternitate, quàm in tempore; aut prius præſentes eſſe Deo in æternitate ſecundùm ſuas exiſtentias, quàm in tempore ſint re ipſa præſentes nobis: neque Deum, ex eo capite, quod res exiſtant in æternitate, præcognoſcere certò futura contingentia antequam ſint in tempore.* & paulò poſt expreſsè aſſerit, ſe in d. 13. non fuiſſe loquutum in ſenſu recentiorum Thomiſtarum. Valentiæ puncto 5. quæſt. 1. Vaſquez d. 64. Suarez opuſculo de ſcientia lib. 1. cap. 7. Arrubal d. 41. Becani 1. parte tract. 1. cap. 10. quæſt. 10. Gillij lib.2. tract.20. cap.15. & 17. vbi ſentit nobiſcum quoad realem præſentiam in æternitate, quamuis cap. 16. velit, & ſecundùm veritatem, & ſecundùm S. Thomam prædictam præſentiam eſſe rationem ſeu conditionem obiectiuam, *ſine qua res non ſit præſens Deo intelligibiliter.* Quibus verbis videtur loqui de facto, & veluti materialiter, non autem de poſſibili, & formaliter: quia etſi futura ſint, & à Deo intelligantur præſentia, tum vt exiſtentia in propria duratione; tum vt coëxiſtentia in aliena æternitatis duratione; tamen prima, & non ſecunda præſentia eſt ratio intelligendi: item Albertini tomo 1. folio 283. à num. 13.

Durandi. Ariminenſ. Andreæ de Nouo Caſtro. Gerardi. Baſſoli. Gabrielis. Petri de Aquila. Palatij. Syluestri. Radæ. Machin. Bellarmin. Leſſij. Henriquez. Fonſecæ. Molinæ. Valentiæ. Vaſquez. Suarez. Arrubal. Becani. Gillij. Albertini.



33\. *Cõtra Caietanum.* Quamuis autem dicatur nullus contrarium ſenſiſſe ante Caietanum, teſte Syluestro ſupra, imò eodemmet Caietano hîc, §. *Ad has obiectiones*, vbi ſic habet. *Neminem hactenus vidi, ſiue ſcripto, ſiue verbo, aſſertiuè tueri hoc dictum; & me iam annis fortè quindecim fateor latuiſſe, ſed nudiuſtertius, dum ſuper commentatione huius articuli meditarer, illuxit, vt arbitror, ope Diui Thomæ, veritas plana, & in manifeſto poſita; & ideò pauciſſimis verbis pertranſita.* tamen in contrarium ſunt, Riccardus 1. diſt. 38. q.5. remittens ſe ad dicenda infra in diſt.39. art.1.q.1. vbi defendit problematicè vtramque partem: ſicut etiam quodlib.3. artic.1. principali, q.1.art.2. & 3. & vtrobique ſic acutè diſtinguit: Æternitas poteſt conſiderari dupliciter; primò vt coëxiſtens tempori noſtro præſenti; ſecundò, vt exiſtens infinitè ante noſtrum tempus præſens, & poſt noſtrum præſens tempus in infinitum. Primo modo futura, ſicut etiam præterita, dici non poſſe præſentia realiter æternitati; quia tunc futura, & præterita reſpectu eiuſdem temporis eſſent ſimul præſentia, quod implicat. Secundo modo id dici poſſe, quia illo modo æternitas ambit omnia tempora, & futura, & præſentia, & præterita: & conſequenter res omnes futuras, præſentes, & præteritas: Nullo autem modo eſſe concedendum, futura realiter eſſe ab æterno; *quia*, inquit Riccardus art.3. ad 2. *non ponuntur præſentia æternitati ante mundi conſtitutionem, in quantum æternitas tranſcendit primum inſtans temporis in infinitum à parte ante; ſed in quantum tranſcendit primum inſtans temporis à parte poſt.* Nihilominus concedit probabiliter iſtas propoſitiones. Primò, in citata d.39. ad primum. *Futura, quamuis non ſint, tamen benè coëxiſtunt æternitati; non in quantum æternitas coëxiſtit noſtro præſenti, ſed in quantum ratione ſuæ immenſitatis eſt vltra noſtrum præſens in infinitum.* Secundò, ad 2. *omnia futura fuerunt æternitati realiter præſentia ab æterno.* Tertiò, in citato quodlib. art.3. de mente Anſelmi expreſſa, vt ipſe ait, *Aliqua duratio futura, iam Deo præſens eſt.* Quartò, ibid. ad 3. *Futura, & modò, & ſemper ſunt realiter præſentia æternitati; & ante mundi conſtitutionem fuerunt realiter præſentia æternitati.* Capreolus 1. d.36.q.vnic.art.2. vbi in fin. concluſionis 1. §. *ex iſtis omnibus*. ita aſſerit ex mente S. Thomæ, *Omnia futura, & præterita, ſunt ab æterno Deo præſentia ſecundùm ſuas præſentialitates, & actuales exiſtentias; & non ſolùm in eſſe cognito; quia non ſolùm intellectui, ſed etiam eius æternitati ſunt præſentia: imò non eſſent præſentia æternaliter intellectui, niſi quia ſunt præſentia æternitati.* Fatetur tamen apertè, ſe in toto articulo, nihil aſſeruiſſe ex propria ſententia; nam in reſponſione ad 13. *Ad iſta*, inquit, *diceretur tenendo viam prædictam, quam tamen non aſſero.* & rurſus in fine articuli, *De his autem nihil omnino aſſero, quæ prædixi; ſed videtur mihi fuiſſe illa mens S. Thomæ.* Soncinas obiter 1. d.38. q.2. concluſ.2. præſertim ad 1. Aureoli in 2. reſponſione. & ad 2. in 2. reſponſione. Abulenſis in c.11. Ioſue q.20. 21. 22. & 23. Marſilius in 1. ſententia q.40. artic.2. p.3. ſuppoſitione 6. Refertur etiam à Gillo lib.2. tract.10. c.16. n.6. Hiſpalenſis 1.d.38. q.vnic.ar.3. notab.4. poſt medium: quamuis Molina hîc d.13. Vaſquez d.64. cap.5. Suarez opuſc. de ſcientia lib.1. cap.7. num.4. Henriq. lib. vlt. c.3. §.4. R. & Gonzalez d.34. n.28. eum pro nobis referant. Idem cum Caietano ſequuti ſunt Ferrarienſis lib.1. cont. Gentes c.66. in reſponſione primi dubij contra ſextam rationem S. Thomæ, & c.67. §. *Ad rationem.* diſtinguens, & futuris ac præteritis tribuens

Riccardum. Capreolum. Soncina. Aureol. Abulenſ. Marſil. Hiſpalenſ. Ferrarienſ.

 dupli

Catherin. Raynerium. Viguerium. Carthagen. Cordubam. Bagnes.

duplicem præſentiam, alteram obiectiuam reſpectu diuini intellectus, alteram realem reſpectu diuinæ æternitatis. Ambroſius Catherinus opuſculo de præſcientia, & prouidentia Dei cap. 3. & 4. Raynerius in ſumma, verbo, *Præſcientia diuina*, cap.16. Ioannes Viguerius, inſtitutionum cap.20. §.7.verſiculo 1. in fine, Carthagena de prædeſtinatione, diſcurſu 4. dicto 2. ad 3. Antonius Cordubenſis lib.1. quæſt. 55. dub.8. opin. 2. qui falsò citatur pro nobis. Bagnes hîc §. 2. qui initio 1. concluſionis, non benè ait, præter S. Thomam, Capreolum, Ferrarienſem, & Caietanum, cæteros omnes Scholaſticos eſſe contra ipſum, vt patet ex multis aliis pro ipſo citatis. Neque pro ipſo eſt S.Thomas, vt mox dicam; neque Capreolus, vt modò dixi. Aluarez lib.2. de Auxiliis, diſput.8. Nauarrete hîc controuerſ.52. Zumel diſt.1.initio, & concluſione 3. & tomo 1. variarum diſputationum concluſ. 4. Ripa dubio 1. Nazarius controuerſ.3. qui ſatis diminutè refert, Syluestrum, Molinam, Valentiam, Vaſquez, Suarez, negare, æternitatem *actu coëxiſtere toti tempori, ſed coëxiſtere tantùm præſenti*. Dicunt hi quidem hoc ſecundum; ſed ſimul etiam apertiſſimè docent primum, nempe, *æternitatem actu coëxiſtere toti tempori*, ſcilicet, dum exiſtit tempus. Quis enim capiat, vnum coëxiſtere alteri non exiſtenti: falsò etiam in fine controuerſiæ refert pro ſe noſtrum Pererium lib. 9. Phyſ.cap.3. vbi de hac re nil aliud habetur, niſi obiter hoc, *Omnia futura præſentantur Deo in illa ſua æternitate tamquam præſentia, & ſecundùm determinatam, & actualem exiſtentiam, quam habitura ſunt*. quæ clariſſimè dicta ſunt de præſentia obiectiua, non de reali. Gonzalez diſt.43. ſect. 3. & 4. Trigoſius in Bonauenturam 1.p.q.10.art.4. dub.2. Cabrera tom.1.in 3.p.q.1.art.3. diſp.1.§.1.num.8. & §.22.num.377, & fuſius tomo 3. quæſt.62. art.1. diſput.13.§.6.

Aluarez. Nauarrete. Zumel. Ripam. Nazarium. Gonzalez. Trigoſium. Cabreram.

## *Duplex quæſtionis ſenſus exponitur.*

*Futura dici poſſunt coëxiſtere æternitati, primò adæquatè.*

34. Antequam probetur concluſio, ad tollendam controuerſiæ ambiguitatem, quæ ſola videtur hac in re difficultatem, & opinionum diuerſitatem peperiſſe, diſtinguendi ſunt duo ſenſus, in quibus dici poſſunt, futura eſſe realiter præſentia, & realiter coëxiſtere æternitati. Hoc enim poteſt intelligi primò de præſentia, ſeu coëxiſtentia adæquata, & perfectè totali, ita vt quælibet res futura præſens ſit, & coëxiſtat non ſolùm toti æternitati, ſed etiam totaliter; hoc eſt, in quocumque tempore, & inſtanti præſens eſt, & exiſtit æternitas, in eodem etiam ſimul cum illa præſentes ſint, & exiſtant res futuræ. Atque hunc coëxiſtendi modum Heruæus, & Syluester, qui illum refert, & ſequitur p.1.conflati quæſt.14.artic.16. paulò poſt principium, rectè vocant, *coëxiſtere toti æternitati comparatiuè ad extra*. Quod, inquiunt, *eſt coëxiſtere cuilibet durationi, cui æternitas poteſt coëxiſtere*. Secundò de præſentia, ſeu coëxiſtentia inadæquata, & quodammodo partiali, itaut futura coëxiſtant quidem æternitati, ac proinde toti, quia illa eſt in ſe indiuiſibilis, nullas habens formales partes, tamen non coëxiſtant æternitati totaliter, hoc eſt, omnibus, ac ſingulis partibus virtualibus ipſius, quas virtuales partes eſſe in æternitate declaraui, & cum communi opinione probaui in ſuperiori tomo, quæſt.10.art.1.concluſ.5.& 6. quia ſcilicet, etſi res futuræ, pro aliquo determinato tempore, quo realiter ſunt præſentes, & exiſtunt, ſint etiam realiter præſentes, & coëxiſtētes æternitati, tamen pro infinitis aliis temporibus, quibus æternitas exiſtit, & præſens in ſe eſt, illæ non ſunt realiter præſentes, & coëxiſtentes æternitati. Quod Heruæus, & Syluester ſupra vocant, *coëxiſtere toti æternitati ad intrà, accipiendo totalitatem pro perfectione tota ſimul.*

Heruæus. Sylueſter.

*Secundò, inadæquatè.*

35. *Primus coëxiſtentiæ modus omninò reijcitur.*

Primus ſenſus eſt apertiſſimè falſus, quia non ſolùm contra fidem, quæ ponit rerum creationem incepiſſe in tempore, ante quod æternitas præcedebat duratione infinita; ſed etiam includit manifeſtam implicantiam in ipſiſmet terminis propoſitionis: nam futura ſunt, quæ nondum habent in ſe realem præſentiam, ſiue exiſtentiam, ſed illam poſtea habebunt: ergo dicere, futura ſemper realiter exiſtere cum ipſa æternitate, eſt verè dicere, futura, & non futura: quod enim nunc non eſt, ſed poſtea erit, eſt futurum; quod verò nunc, & antea, & poſt, & ſemper eſt, nunquam eſt futurum. Et ideo nulla ratione veriſimile eſt, ab aliquo Theologo ex citatis num.33. fuiſſe intentum primum ſenſum, quem omnes expreſsè negant, vt Riccardus verbis ſupra relatis, Capreolus §. *Imaginor enim*. & ad 2. 3. 7. 14. & 15. Ferrarienſis c.66.§.*Conſiderandum tertiò*. & ſequentibus. vbi de primo ſenſu bene ait, *contradictionem implicare*. & idem cap.67. Hiſpalenſis art.4.ad 8. contra 3. concluſionem. Cordubenſis in reſponſione ad primum, &, vt alios omittam, ipſemet Caietanus §.*Præterea ſi inſtans*. de hoc primo ſenſu paulò ante, dicens, *Hunc ſenſum acceperunt, quantum videtur mihi, aduerſarij ex verbis S. Thomæ, ſed errauerunt; hoc enim nunquam ſomniauit Thomas, imò manifeſtè implicat contradictionem*. Quamuis plerique omnes ex citatis pro concluſione num. 32. S. Thomam, Thomiſtas, & alios impugnant in primo ſenſu; & quidem non ſine aliqua occaſione à Thomiſtis data; tum quia vſurpant multas propoſitiones, quæ ex propria, atque expreſſa ſignificatione primum ſenſum important, de quibus infra: tum quia nimis exaggerant difficultatem ſententiæ, quam defendunt, præſertim Caietanus, vt patet ex eius verbis relatis ſuprà num.33. Vnde antea in §.*Circa dicta*. ait, ſe illam defenſurum, *Cum Dei lumine, ac D.Thomæ ſuffragijs*. & Ferrarienſis ſupra, *Hæc pars profectò difficultatem maximam videtur pati*. & Bagnes concluſ. 4. *Vix poſſumus intelligere, qua ratione futura contingentia ſint præſentia in æternitate extra ſuas cauſas*. & Nauarrete controuerſ.52.§.2.circa fi. *Nobis apparet difficile intellectu, quod res ſint in æternitate, antequam intelligantur eſſe in tempore*. & Carthagena ſupra ait, *Hic dicendi modus multis Doctoribus videtur intellectu difficilis*. Quamobrem niſi ſunt intendere, non ſecundum ſenſum, omnibus, vel leuiter in Philoſophia verſatis, manifeſtiſſimum, ſed primum, vel aliquem alium adeo proximum primo, vt quamplurimis, & præſtantiſſimis Theologis viſus ſit nihil ab illo differre. Saltem tot inſolitæ Dei, Sanctorúmque inuocationes, quibus in ſuæ ſententiæ explicatione, ac defenſione viſus eſt intrepidus Caietanus præter ſolitum expauiſſe, magno argumento ſunt, ſententiam eſſe vel falſam, vel in intelligibilem.

Cū Riccardo. Capreolo. Ferrarienſi. Hiſpalenſi. Corduba. Caietano.

*Cur Thomiſtis tribuatur primus coëxiſtentiæ modus.*

*De quibus rebus agendum ſit.*

Verùm omiſſis improbationibus primi ſenſus, & probationibus ſecundi, quia illis abundant omnes Authores ſupra citati, & facillimæ ſunt, & nullum verè habent aduerſarium, & quicquid in illis explicatione indiget, conſtat ex dictis de æternitate, in quæſt.10.art.1. tria ſuperſunt diſcutienda. Primum de modo loquendi, quænam ſcilicet aduerſariorum propoſitiones in hac materia ferendæ ſint, quæve non ferendæ. Secundum de

re



re ipſa, An illa cum æternitate coëxiſtentia, quæ rebus futuris verè competit, ſit intellectui diuino ſufficiens ratio videndi illas. Tertium de mente S. Thomæ; ad quem ſcilicet finem tum hîc, tum alibi, loquens de diuina ſcientia futurorum, ſemper doceat, æternitatem totam ſimul exiſtentem ambire totum tempus: & omnia, quæ ſunt in tempore, eſſe Deo ab æterno præſentia.

# DVBITATIO IV.

## *Quomodo loquendum ſit de præſentia rerum in æternitate.*

### SVMMA.

1 *An dici poſſint, futura eſſe ſimul in æternitate.n.36.*
2 *An dici poſſint, futura eſſe ſemper in æternitate.n.37.*
3 *An dici poſſint, futura ab æterno eſſe in æternitate. num.38.*
4 *An dici poſſint futura iam, & nunc eſſe in æternitate.n.39.*
5 *Au dici poſſint futura coëxiſtere æternitati, etiam antequam ſint, n.40.*

36. QVoad primum conſiderari poſſunt ſequentes propoſitiones. Prima, futura ſunt ſimul realiter præſentia, ſeu coëxiſtunt æternitati. Secunda, futura ſunt ſemper realiter præſentia, &c. Tertia, futura ſunt ab æterno, ſiue ex æternitate realiter præſentia, &c. Quarta, futura ſunt iam, vel nunc realiter præſentia, ſeu iam, vel nunc realiter coëxiſtunt æternitati. Quinta, futura, antequam ſint, coëxiſtunt realiter æternitati. Sexta, futurum eſt præſens realiter, ſeu realiter coëxiſtit æternitati: vel res, quæ eſt futura, verbi gratia, Antichriſtus, eſt realiter præſens, ſeu realiter coëxiſtit æternitati.

*Non rectè dicitur, futura ſunt ſimul realiter præſentia æternitati. Contra,* Abulenſem. Molinam. Gonzalez. Bagnes. Nauarrete. Zumel. Ripam. Nazarium. Trigoſium. Cabreram.

Prima propoſitio eſt Abulenſis in cap.11.Ioſue, quæſt.20. & 21. Molinæ hîc diſput.13. circa initium, ita explicantis ſententiam S.Thomæ, & Capreoli de præſentia rerum in æternitate, *vt quæ in tempore ſucceſſiuè fiunt, in æternitate ſint ſimul quoad eſſe, quo ſucceſſiuè in tempore fiunt*. Gonzalez diſt.43. num.45. Bagnes hîc §.2. ad 3. Nauarrete controuerſia 52. §.2. concl.3. in prima probatione, & in quarta, & §.4. concluſ.8. Zumel diſt.1.notabili 2. & 3.Ripæ dub.1.cap.1. Nazarij controu.3.concl.3. Trigoſij in Bonauenturam 1. part. quæſt.10.art.4. dub.2.notab.2. Cabreræ citato §.6. num.66. Sed negatur ab omnibus Authoribus noſtræ concluſionis, quia illud, *ſimul*, eſt idem quod, *non ſucceſſiuè vnum poſt aliud*. Sed ſi futura coëxiſtunt æternitati, proculdubio coëxiſtunt ſucceſſiuè, vnum poſt aliud, v. g. prius annus ſequens 1627. & omnia, quæ in eo fient, poſterius annus 1628. & alia in eo futura: ergo nulla ratione dici verè poſſunt, omnia futura ſimul coëxiſtere æternitati. Illud enim, *ſimul*, non cadit ſupra æternitatem, quæ verè tota ſimul eſt præſens omnibus ſibi ſucceſſiuè præſentibus, ſed cadit ſupra res futuras, quæ non ſunt ſimul in propriis durationibus, ſed ſibi ſuccedunt: certum eſt autem, etiam apud aduerſarios, vt notaui ſupra num. 35. rem futuram cras, non eſſe hodie pręſentem realiter æternitati, quia quod hodie non eſt ſimpliciter, non poteſt hodie eſſe alteri realiter præſens. Ergo ſi, *ſimul*, negat iſtam ſucceſſionem, propoſitio aſſerens, omnia futura, ſimul, & ſine tali ſucceſſione coëxiſtere æternitati, cenſeri debet ſimpliciter falſa. Confirmatur, & explicatur, quia duo ſimul coëxiſtere æternitati, non eſt, coëxiſtere æternitati, quæ tota ſimul ſemper exiſtit, & omnibus coëxiſtit; ſed propriè eſt, duo ita coëxiſtere, vt quando coëxiſtit vnum, tunc etiam aliud coëxiſtat eidem æternitati, quod eſt manifeſtè falſum. Quis enim dixerit, duos eidem loco, regno, officio, cathedræ ſuccedenes, coëxiſtere ſimul eidem loco, regno, &c. vel duas vndas eamdem nauim ſucceſſiuè tangentes, tangere ſimul illam nauim; vel omnes iuſtos, qui Deum ſuper omnia amauerunt ſucceſſiuè à principio mundi vſque ad hanc diem; amauiſſe ſimul, quia idem Deus totus ſimul in ſe eſt, quem omnes ac ſinguli amauerunt?

*Argumentū Aureoli contra Thomiſtas.*

Demum vrgeri Thomiſtæ poſſunt ad hominem, argumento, quod contra S.Th. proponit Aureolus 1. diſt.38. quæſt.1. art.2. propoſitione 2. & ſumit Molina hîc diſp.14. concl.2.§. *Poſtremò moueor*. & Aluarez lib.2. de Auxiliis diſt.8.num.9.dicitur *Difficile*; nam cogitationes beatorum. & damnatorum multiplicantur in infinitum per æternitatem à parte poſt: ergo ſi hæc futura iam ſunt ſimul omnia actu realiter præſentia in æternitate, iam daretur in actu aliqua multitudo infinita actu, quæ eſſet actu realiter, & ſimul præſens in aliqua reali duratione; quod infiniti genus Thomiſtæ negant. Reſpondet Aluarez, diſparitatem eſſe, quia hæc infinita, *non ſunt præſentia ſibi, licet ſint præſentia in æternitate*: implicare autem illam infinitam actu multitudinem non hanc, quia illa, inquit, *non eſſet proportionabilis ſpeciebus numerorum*. Sed qua ratione alia multitudo infinita actu extra cauſas ſuas, præſens actu realiter tota ſimul in ęternitate, ſit proportionabilis ſpeciebus numerorum, prudenter non explicauit, quia verè explicare non poterat.

*Iupugnatur reſponſio Aluarez.*

37. *Non rectè dicitur, futura, ſunt ſemper realiter præſentia æternitati. Contra* Riccardum. Abulenſem. Ferrarienſ. Caietanum. Gonzalez. Aluarez. Molinam. Ripam. Cabreram.

Secunda propoſitio eſt Riccardi verbis citatis ſupra num.33. Abulenſis ſupra, Ferrarienſis lib.1. contra Gentes cap.66.§.*Si autem quæratur*. Caietani hîc, §.*Præterea ſi inſtans*. Gonzalez diſt.43.num.42. 44. Aluarez lib.2. de Auxiliis, diſt.8.num.5. Molinæ hîc diſp.13. §. *Illud tamen*. Ripæ dubio 1.cap.2. init. Cabreræ ſupra num.70. Verùm reiicitur non ſolùm ab Authoribus citatis, pro noſtra concluſione, ſed etiam à Capreolo 1. d.36.quæſt.vnic.art.2. §. *Imaginor ſecundò*. Nam quamquam paulò ante dixerat, *Quòd æternitas eſt tota ſimul præſens cuilibet parti temporis, & cuilibet, quod ſit in aliqua parte temporis*: tamen loquens deinde de creatura præſente æternitati, docuit, *Quod nulla creatura, præſens, præterita, vel futura, præſens fuerit Deo ſic, & iſto modo, quòd ſimul ſit in tempore quolibet, præſenti, præterito, & futuro: Antichriſtus enim non fuit Deo præſens tempore Adæ, nec Adam fuit Deo præſens tempore Antichriſti: nec mundus, aut cœlum tempore imaginabili ante mundi creationem*. Quod nihil eſt aliud, quàm nihil creatum, eſſe ſemper præſens æternitati. Idem colligitur ex S.Thoma lib.1.contra Gentes cap.66. num.6. nam cùm docuiſſet, Deum in tota ſua ęternitate intueri omnia quaſi præſentia, ſic addit limitando, *Nec tamen quod quadam parte temporis agitur, ſemper fuit exiſtens*. Ratio eſt, quia illud, *Semper*, additum æternitati, & modificans, ſiue efficiens coëxiſtentiam creaturæ cum æternitate, debet addere, & ſignificare aliquid, quod non ſignificat æternitas, per ſe conſiderata. Terminus verò, *Semper*, vel, vt docent Auguſtinus lib.12. de Ciuitate c.15. Alenſis 1.part. quæſt.12.membr.1.art.1. idem importat quod, *omni tempore*; vel, vt tradunt Anſelmus in Monologio cap. 24. initio, Alenſis ſupra, Bonauentura 1. diſt.37. art.2. quæſt.2. initio corporis, idem quod, *Æternè eſſe, & nunquam non eſſe*,

*Quibus contradicūt Capreolus, & S. Thomas.*

*Quid ſignificet,* Semper, *ex* Auguſtino. Alenſi. Anſelmo. Bonauent.



ſed

*ſed ſine principio, & ſine fine eſſe.* Falſum eſt autem, creaturam, quæ aliquando eſt, aliquando non eſt, eſſe realiter præſentem æternitati omni tempore, vel æterno tempore: ergo falſum eſt dicere ſimpliciter, omnia futura ſemper coëxiſtunt realiter æternitati. Sicut enim falsò diceretur, v.g. de pede, qui in determinata parte humani corporis eſt pręſens toti animæ, eſſe præſēs animæ in capite; ita pariter falſum putandum eſt, creaturam, quæ non niſi in aliqua determinata parte temporis eſt realiter præſens toti æternitati, eſſe realiter præſentem toti æternitati, etiam in aliis omnibus temporis partibus, & antecedentibus, & ſubſequentibus, ac proinde ſemper.

*Soluitur argumentum Abulenſis.*

Abulenſis igitur ex eo quòd quælibet res creata, ſit aliquando præſens toti æternitati, non rectè arguit, illam eſſe ſemper præſentem æternitati: nihil enim coëxiſtit adæquatè, & totaliter toti æternitati, ſed ſolùm inadæquatè, & partialiter, vt ſupra n.34. æternitas enim ob ſui infinitatem, ac virtualem diuiſibilitatem, & partium multiplicitatem, non ſolùm tota coëxiſtit tempori, quo illi præſens ſum, ſed etiam reliquis temporibus, quibus illi præſens non ſum. Abſurdum autem ex ipſis terminis videtur, ſi res exiſtens hodie tantùm, dicatur, ſemper, & hodie & cras coëxiſtere alteri rei exiſtenti & hodie, & cras. Quare quamuis creatura coëxiſtit quidem Deo ſecundùm totam Dei durationem actualem, non tamen virtualem; & ideo de nulla creatura exiſtente ſolùm in aliqua differentia temporis, dici verè poteſt, toti Dei durationi coëxiſtere ſemper, hoc eſt, omni tempore, quo præſens eſt, & exiſtit illa duratio.

*Non rectè dicitur, futura ab æterno ſũt realiter præſentia æternitati. Cõtra Riccardum. Capreolum. Hiſpaléſem. Caietanum. Ferrariéſem. Molinam. Gonzalez. Aluarez. Zumel. Ripam. Nazarium. Cabreram.*

38. Tertia propoſitio eſt Riccardi citati ſupra n.33. Capreoli ſupra §. *Ex iſtis omnibus.* Hiſpalenſis 1. diſt.38.quæſt.vnic.art.3.notab.2.verſus finem. Caietani, Ferrarienſis, Molinæ locis ſupra citatis, Gonzalez diſt.43. num.39. 41.47.48.58. Aluarez de Auxiliis lib.2.diſt.8.num.1.& 5.& 6.Zumel hîc diſt.1. notab.4. & concl.3. & tom.1. variarum diſputationum fol.22. col.2. med. Sed contra dicit in fol.29. columm.2. ante med. Ripæ dub.1. cap.1. & 2. Nazarij controu.3.concluſ.1. Cabreræ ſupra: ſed communius, & rectius non probatur. Quia eſſe æternitati præſens *æternaliter*, vt loquitur Ferrarienſis, vel, *ex æternitate*, vt loquitur Molina, vel, *ab æterno*, vt loquuntur Riccardus, Capreolus, Hiſpalenſis, Cabrera, ſupra præſentiam ſimpliciter in æternitate, expreſsè addit peculiarem quemdam præſentiæ modum, qui alius probabiliter aſſignari non poteſt, præter talem præſentiam, quæ ſit abſque principio exiſtendi, & conſequenter coëxiſtendi alicui antecedenti per aliquam durationem; nihil enim præcedere duratione poteſt, id quod in duratione principium non habet. Nam, vt ait Bonauentura 1.diſt.31.art.2.quæſt.3.initio corporis, & nos oſtendimus ſupra quæſt.10.art.1.num.2.

*Quid ſignificet Æternũ, ex Bonauentura.*

*Æternum eſt quod principio caret.* Nulla autem creatura de facto abſque principio durationis coëxiſtit æternitati: ergo non coëxiſtit ab æterno, ſiue æternaliter, ſiue ex æternitate. Confirmatur, & explicatur magis, quia nulla creatura fuit ab æterno in ſe ipſa realiter præſens, & exiſtens: ergo de nulla poteſt dici, quòd fuerit ab æterno realiter præſens, & coëxiſtens alteri. Quia præſentia, & coëxiſtentia realis reſpectu alterius, præſupponit neceſſariò realem præſentiam, & exiſtentiam abſolutam reſpectu ſui ipſius, vt ex ſe patet, & tamquam per ſe manifeſtum aſſumunt Alenſis, Scotus, Aureolus, Heruæus, Durandus, & alij citati ſupra num.32.

*Non rectè dicitur, futuræ iam, vel nũc coëxiſtunt realiter æternitati. Cõtra Riccardum. Bagnes. Nauarrete. Trigoſium.*

39. Quarta propoſitio eſt Riccardi ſuprà num.33. Bagnes immediatè ante primam concluſionem, & in prima concluſione, & ad 2. vbi concedit hanc propoſitionem in apparentia nimis falſam. *Antichriſtus iam eſt creatus in æternitate.* Item Nauarrete contr.52.§.2.concl.3.probat.3.Trig.ſupra concl.1. probat.3. Sed ab omnibus, etiam aduerſariis, negari debet; quia omnes negant, futura, & præterita eſſe realiter præſentia, & realiter coëxiſtere æternitati in aliquo præſenti tempore, in quo ipſa non ſunt ſimpliciter præſentia, & exiſtentia. Qui autem affirmat, *ea iam eſſe præſentia*, ex vi illius particulæ, *iam*, manifeſtè affirmat, eſſe præſentia eo ipſo præſenti tempore, quo profertur propoſitio; in quo tamen futura, & præterita, non ſunt præſentia. Similiter ſi non ſolùm dicas, *futura eſſe præſentia æternitati*, ſed addas, *nunc eſſe præſentia*, vel *modò eſſe præſentia*, vt loquitur etiam Bagnes ſupra, pręter ęternitatem per illud, *nunc*, ſignificatur tempus præſens. Sicut enim ſi dicatur, *Antea fuerunt præſentia æternitati*, vel, *Poſtea erũt præſentia æternitati*, præter æternitatem ſignificatur tempus præteritum, & futurum; ita cùm dicitur, *Nunc ſunt præſentia æternitati*, præter æternitatem, ſeu nunc æternitatis, ſignificatur expreſsè tempus præſens, ſeu nunc temporis præſentis. Neque vrgent verba illa Anſelmi in Proſologio cap.20. in fin. quibus motus Riccardus aſſeruit, quartam propoſitionem eſſe *expreſsè de mente Anſelmi.*

*Exponitur dictum Anſelmi.*

Volens igitur Anſelmus aſſignare rationem, cur Deus dicatur, eſſe vltra omnia, & tranſire omnia, etiam æterna, quæ ſcilicet finem non habebunt, cuiuſmodi ſunt angeli, & animæ noſtræ, ait, *Quia tua, & illorum æternitas tota tibi præſens eſt; cùm illa nondum habeant de ſua æternitate quòd venturum eſt, ſicut iam modò habent quod præteritum eſt. Sic quippe ſemper eſt vltra illa, cùm ſemper ibi ſit præſens, ſeu, cum illud ſemper ſit tibi præſens ad quod illa nondum peruenerunt.* Sed hæc verba, quia contra communem opinionem videntur admittere ſucceſſionem in æuo, communiter in alio ſenſu exponuntur, & exponit ipſemet Riccardus 2. diſt.2. art.1. quæſt.3. ad 1. contra primam opinionem, quam vt probabiliorem ibi defendit; & nos in 1. tomo quæſt.10. art.5. num.7. aliter cum Henrico expoſuimus, nimirum de præſentia, non ſecundùm durationem præcisè, ſed ſecundùm virtutem durandi, qua ſemper in ſe Deus, & non angelus, actu, & præſentialiter habet, poſſe ſemper, & independenter ab alio durare, & correſpondere, ſeu coëxiſtere cuilibet tempori, præterito, præſenti, futuro, & poſſibili.

*Riccardus.*

*Non rectè dicitur, futura antequã ſint, coëxiſtunt æternitati.*

40. Quinta propoſitio eſſe debet eorumdem, qui ſupra dixerunt, futura coëxiſtere æternitati *Semper*, & *ab æterno*, & *iam*; hæc enim omnia ſignificant, *antequam ſint.* Sed eadem ratione ſunt reiiciendi, quia illud, *antequam ſint*, idem expreſsè ſonat quod, in tempore antecedente futurorum exiſtentiam, in quo non poſſunt alteri realiter coëxiſtere, cùm tunc in ſe ipſis realiter non exiſtant.

*An dicere liceat, futura coëxiſtunt realiter æternitati.*

Sexta propoſitio communiter admittitur, nec impugnatur ab Authoribus citatis pro noſtra concluſione, qui ſolùm impugnant S. Thomam, & Thomiſtas de coëxiſtere in temporibus in quibus res coëxiſtentes non exiſtunt. Quare nec ego contradicam, quia in hac ſexta propoſitione nihil eſt, ſicut in præcedentibus propoſitionibus, quod cogat, eſſe intelligendam propoſitionem de coëxiſtentia in illo præſenti tempore, in quo propoſitio profertur, niſi ipſummet verbum præſentis temporis, *eſt, coëxiſtit*; hoc autem verbum, vt bene aduertit Capreolus 1. diſt.36. quæſt.vnic. art.2. ad 2. & poſt ipſum Caietanus hîc, §. *His prælibatis*, Ferrarienſis 1. contra Gentes cap.66. §. *Sed tamen.* Bagnes ad 1. Zumel diſt.1. notab. vltim. Nazarius controu.3. Gonzalez diſt.43. num.31. Trigoſius ſupra notab.3. Aluarez ſupra num.2. notando 1. & optimè explicant Molina diſt.13. & Gillius lib.2. tract.10.cap.15.num.4. & 5. accipi ſolet, *generaliter, pro eſt, fuit, & erit.* Futurum igitur verè coëxiſtit æternitati, nimirum eo tempore quo exiſtet: ſimiliter præteritum verè coëxiſtit æternitati, nimirum eo tempore quo exiſtit. Sicut igitur de omnibus, v.g. maris vndis, tam ad ſcopulum accedentibus, quàm recedentibus à ſcopulo, dicere in præſenti tempore ſolemus, omnes abluere, & tangere ſcopulum, quamuis illæ tangant, hæ tetigerint: & ſicut de præſenti aſſerimus, omnia ſunt, & fiunt in tempore, & coëxiſtunt extrinſeco tempori primi mobilis, quamuis quædam ſint futura, quædam præterita; & de his, qui ſolent ſcribere, canere, ſtudere, &c. etiamſi non præſentialiter ſcribant, &c. de præſenti aſſerimus, hos eſſe qui ſcribunt, ſtudent, &c. ita pariter de rebus omnibus, quæ verè aliquando coëxiſtunt æternitati, quamuis ſint futuræ vel præteritæ, licebit affirmare per verba præſentis temporis, eas coëxiſtere, & præſentes eſſe æternitati.

*Verba præsẽtis temporis accommodari rebus futuris & præteritis. Ex Capreolo. Caietano. Ferrarienſi. Bagnes. Zumel. Nazario. Gonzalez. Trigoſio. Aluarez. Molina. Gillio.*



Ratio autẽ prædicti vſus eſſe potuit, quia cùm res dicantur futuræ, & præteritæ per ordinem ad aliquod tempus præſens, in quo illæ erunt, hæ fuerunt, viſum eſt futuris, & præteritis poſſe aptè accommodari aliqua in tempore præſenti, non reſpiciendo tempus præſens in quo profertur oratio, ſed ad aliud tempus præſens quod eſſentialiter reſpiciunt præterita, & futura quando ſcilicet aliquid de præſenti verè, & realiter eſt, licèt antea erat futurum, & poſtea fuit præteritum, v.g. datur aliquod præſens tempus in quo de Antichriſto verum erit dicere, nunc coëxiſtit æternitati: & de Adamo verum fuit dicere, nunc coëxiſtit æternitati; & hoc tempus præſens eſſentialiter reſpiciunt Antichriſtus, vt futurus, & Adamus vt præteritus. Nunc ergo verè affirmare poſſum, Antichriſtus, Adamus, ſeu futurum, præteritum coëxiſtit æternitati, non per ordinem ad tempus præſens in quo loquor, ſed per ordinem ad tempus præſens in quo verè coëxiſtunt.

*Cur verba temporis futuri, & præteriti, nõ poſſint ita generaliter ſumi, ſicut verba præſentis temporis.*

In quo differt verbum præſentis temporis, quod poteſt applicari futuro, & præterito, à verbo temporis futuri, quod non poteſt applicari præterito, & à verbo temporis præteriti, quod non poteſt applicari futuro; quia futurum non dicitur per ordinem ad præteritum, nec præteritum per ordinem ad futurum, ſicut futurum, & præteritum dicuntur per ordinem ad præſens; futurum enim eſt eſſentialiter futurum in aliquo præſenti tempore, & præteritum, eſt eſſentialiter præteritum ex aliquo præſenti tempore: at verò futurum, eſſet verè futurum, etiamſi poſtquam eſt præſens, numquam deficeret ac fieret præteritum; & præteritum, eſſet eſſentialiter præteritum, etiamſi numquam fuiſſet futurum, ſed præſens ſemper, modò concipiatur deficere ex illo præſenti.

## DVBITATIO V.

### *An Patres aliquando dixerint, futura, vel præterita coexiſtunt æternitati.*

SVMMA.

1 *Examinantur multa Patrum dicta.n.41.42.*
2 *Cur Patres interdum negent Deo præſcientiam.ibid.*

Dicendum breuiter, ſextam propoſitionem vix requiri apud aliquem grauem Doctorem, quamuis Thomiſtæ multos pro illa referant. In primis refertur Anſelmus in Monologio, vbi in c.20.21.22. nil aliud ad rem habetur, niſi iſta propoſitio, *Dei natura ſimul tota in omnibus locis, ac temporibus præſens eſt.* Sed ex verbis ipſis, & ex toto illo Anſelmi diſcurſu, manifeſtum eſt, illud *ſimul*, tenere ſe ex parte diuinæ æternitatis, in qua negat ſucceſſionem, & actuales, ſeu formales partes; non ex parte creaturarum ſuccedentium: aliter redderetur ſenſus impugnatus primæ propoſitionis.

*Anſelmus.*

Referuntur quoque Auguſtinus lib.2. ad Simplicianum quæſt.2. circa principium, Boëtius lib.5. de conſolatione, Proſa vltim. Gregorius lib.20. moralium cap.25. ſuper illa verba Iob cap.30. *Mutatus es mihi in crudelem*, Anſelmus de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cum libero arbitrio, cap.2. circa medium, & Dialogo de caſu Diaboli c.21. ante med. Hugo Victorinus in ſumma ſententiarum, tract.1. c.12. circa principium, dicentes, præſcientiam non dici propriè de Deo, quia nihil eſt ei futurum, ſed omnia præſentia; frequenter enim Patres aſſerunt, præſertim Auguſtinus in illud Pſalm. 49. *Et pulchritudo agri mecum eſt.* Et lib.83. qq. q.17. Reſpectu Dei omnia eſſe præſentia, & nihil eſſe præteritum, aut futurum.

*Auguſtinus. Boëtius. Gregorius. Anſelmus. Hugo de S. Victor.*

Quæ omnia intelligi commodiſſimè poſſunt de præſentia obiectiua, non de reali, de qua eſt quæſtio noſtra. Quod Auguſtinus loco citato Pſalmi, clariſſimè expreſſit illis verbis, *cum illo ſunt omnia cognitione quadam ineffabilis ſapientiæ Dei in verbo conſtituta.* Et infra, *Et quare apud ipſum omnia? quia & antequam eſſent omnia, aut crearentur, ei nota erant omnia.* Alioqui idem Auguſtinus lib.12. de Ciuitate c.25. fin. realem præſentiam rerum in æternitate ſatis clarè videtur excludere his verbis. *Et ſi potentiam ſuam, vt ita dicam, fabricatoriam, rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent non fuerunt: ſed ante dico, æternitate, non tempore.* Item Gregorius lib.2. moralium c.20. in id Iob, c.1. *Quadam die cùm veniſſent filij Dei*, loquens de luce diuinæ ſapientiæ, ait, *Sic in ſe tranſeuntia condidit, vt apud ſe tranſire nequaquam poſſint: nec tempus intus in conſpectu eius defluit, quod apud nos foris decurrit. Vnde fit, vt in æternitate eius fixa maneant ea, quæ non fixa exterius ſæculorum volumina emanant.* Ex immediatè dictis apparet, idem eſſe apud Gregorium, tranſitoria fixa manere in æternitate, & fixa manere in conſpectu de æterno, & omnino immutabili, & lib.4.c.32. in id Iob, c.3. *Cum regibus, & conſulibus terræ*, ait, *Fuiſſe, vel futurum eſſe æternitas non habet, cui nimirum neque præterita tranſeunt, neque quæ futura ſunt veniunt, quia cuncta per præſens videt.* Præſentiam rerum in æternitate refert ad præſentiam in æterna Dei viſione, quæ eſt præſentia obiectiua. Idem lib.9.c.35. in id Iob c.10. *Æternitati*, inquit, *nec tranſacta prætereunt, nec adhuc ventura, quaſi quæ non appareant deſunt: quamuis, qui ſemper eſſe habet, cuncta ſibi præſentia conſpicit; cumque aſpiciendo poſt, & ante, non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.* & lib.20. cap.25. cit. *Scimus quia Deo futurum nihil eſt, ante cuius oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis fuit, & erit, in eius proſpectu præſto eſt: & omne quod præſens eſt, ſcire poteſt potius, quàm præſcire.* hoc eſt cognoſcere diſtinctè vt præſens, non confusè vt futurum, vt ſupra num.12. & clarius infra num.61. & 62. eadem Gregorij verba vſurpat Petrus Damianus epiſtola 4. de omnipotentia Dei, cap.8.

*Cur Patres interdũ negẽt Deo præſcientiam.*

Putant

42. Iſidorus.

Putant etiam aliqui grauius vrgere primò verba illa Iſidori lib. 1. ſententiarum de ſummo bono c.8. *Omnia tempora præcedit diuina æternitas: nec in Deo præteritum, præſens, futurúmve aliquod creditur, ſed omnia præſentia in eo dicuntur, quia æternitate ſua cuncta complectitur, alioquin mutabilis eſt Deus, ſi ei ſucceſſiones temporum aſcribantur.* Additur paulò poſt, quòd de Deo dicitur ſolùm in præſenti, omnia *tenet*, non autem, *tenuit ac tenebit*. Sed hoc quoque verè, ac facilè accipi poteſt de præſentia obiectiua reſpectu cognitionis diuinæ, reſpectu cuius omnia ſemper ita ſe habent ac ſi eſſent realiter in ſe præſentia, non de reali præſentia ipſarum creaturarum in æternitate. Tum quia initio dicitur, *Tempora præcedit æternitas.* Si verò eadem tempora eſſent præſentia in æternitate, æternitas non præcederet, ſed eſſet ſimul cum illis. Tum quia eſſet impertinens ratio qua prædicta præſentia probatur; ſi enim creaturæ modò eſſent realiter præſentes æternitati, modò non eſſent, mutarentur creaturæ, non mutaretur Deus: ſed ſi Deus nunc non videret creaturas, poſteà videret, mutaretur, vt ſupra n.4. Tum quia Iſidorus clarè loquitur de præſentia, quam in Deo ſemper, & ab æterno habent creaturæ: hæc autem eſt obiectiua, non realis, vt ſupra num. 38. Tum quia illam ſententiam Iſidorus, vt notatur in margine libri, ſumpſit ex Gregorio lib. 20. paulò ante relato, vbi ipſemet Gregorius ſe ſe explicat de præſentia in cognoſcendo: etſi in alio loco citato dicere licuit Gregorio, *Omnia fixa manere in æternitate*, propter ſolam præſentiam obiectiuam, vt ipſe declarat; multò facilius exponere licebit eodem modo verba illa Iſidori, quæ eamdem obiectiuam præſentiam magis ſignificant, *Omnia præſentia in Deo dicuntur.* Demum additum illud nihil vrget, quia nihil ibi de æternitate, ſed ſolùm de rebus quando in tempore exiſtunt; eas enim, dum ſunt, non dicitur Deus, modò tenere, modò non tenere, ſicut dicimur nos, modò tenere aliquid, v.g. librum, modò non tenere.

Riccardus de S.Vict.

Secundò verba illa Riccardi Victorini lib. 2. de Trinitate cap. 23. vbi loquens de inuariabilitate diuinæ æternitatis, ait, *Sicut eorum, quæ nondum ſunt, nihil eſt ei futurum, ſic eorum, quæ iam non ſunt, nihil eſt ei præteritum: ſic eorum omnium, quæ iam præſentialiter ſunt, nihil eſt ei tranſitorium. Eſt igitur in omni tempore inuariabiliter*; Sed hæc non ſolùm ſunt vera de præſentia obiectiua, ſi enim Deus creaturas aliquando non cognoſceret, aliquando cognoſceret, æternitas diuinæ cognitionis eſſet variabilis, vt ſupra n.4. 11. & 12. Sed etiam falſa ſunt de præſentia reali: quia *quæ nondum ſunt*, tunc quando non ſunt, verè ac realiter præſentia in æternitate, ſed erunt in tempore futuro. Similiter, *quæ iam non ſunt*, non ſunt iam præſentia realiter in æternitate, ſed fuerunt. Et præſentia, ſicut de eſſe tranſeunt ad non eſſe, ita de præſentia reali in æternitate tranſeunt ad non præſentiam realem in æternitate. Vnde in ſacris literis diuinæ æternitati tribuitur prioritas, ac proinde præſentia realis in ſe ſine præſentia reali, & coëxiſtentia creaturarum, vt Pſalm. 89.

Pſalm. 89. Prouerb. 8. Eccleſ. 24. Ioan. 8. *Ad* Epheſ. 1.

*Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo, & vſque in ſæculum, tu es Deus.* & Prouerb 8. *Ab æterno ordinata ſum, antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram*, &c. & Eccleſiaſtici 24. *Primogenita ante omnem creaturam.* & Ioann. 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* & ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.*

*Auguſtinum malè citari à Nauarrete.*

Tertiò, inquit Nauarrete hîc, controuerſ. 52. §. 2. concluſ. 3. *Videtur expreſſa mens* Diui Auguſtini, ſermone 11. de verbis Apoſt. circa illud ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem.* Vbi ait Auguſtinus, *Non vanè elegit eos, quos ab æterno habuit in ſua præſcientia, & in ſua præſentia*, hoc eſt, inquit Nauarrete, in eſſe obiectiuo, & in eſſe reali. Verùm cùm non ſemel diligenter legerim in variis impreſſionibus ſermonem Auguſtini, non potui inuenire verba, quæ citat Nauarrete, ſed hæc alia, expreſſè contraria ſententiæ ipſius, *Habet Deus electos apud ſe ipſum, non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua.* Sed eſto reperiantur alia verba, tamen longè alius eſſe debet ſenſus Auguſtini, qui cùm alibi docuiſſet, vt ſupra num. 41. & infra num. 61. ad 67. Deo præſcientiam propriè non tribui, quia Deus de rebus futuris non ſolùm videt futuritionem, ſed maximè præſentialitatem ipſam realem, & temporalem quam habebunt in tali differentia temporis; & hoc loco nominaſſet præſcientiam, ne videretur negare, Deum ab æterno videre prædictam præſentialitatem, addere voluit ſupra præſcientiam, *& in ſua præſentia.* Quare non ſignificat præſentiam realem ab æterno realiter præſentem æternitati, præſcindendo à cognitione, ſiue ab eſſe obiectiuo reſpectu cognitionis, ſed præſentiam realem coëxiſtentem realiter æternitati in tempore tantùm, & non ab æterno, ſed ſolùm ab æterno cognitam à Deo, ac proinde ab æterno præſentem æternitati, eique coëxiſtentem in eſſe obiectiuo tantùm. Quod eſſe obiectiuum apertè ſignificat Gregorius Neocæſarienſis illis verbis, quæ idem Nauarrete circa finem §. 2. affert ad illud excludendum. *Quæ autem futuræ ſunt, iam ſecundùm præſcientiam extiterunt.*

Gregorius Neocæſarienſis.

## DVBITATIO VI.

### *An idem aliquando dixerit S.Thomas.*

SVMMA.

1 *Concluſio negatiua probatur explicando multa loca S.Thomæ. n.45.*

2 *An futura coëxiſtant æuo, ſicut æternitati. n.44.45.*

NEque etiam ſexta propoſitio videtur expreſſè poni à S.Thoma, quamuis à Thomiſtis cenſeatur primus aut præcipuus illius author. Non enim reperitur in locis, quæ pro illa citat Capreolus 1. d.38. quæſt. vnic. art. 2. citat primò verba lib. 1. contra Gentes, cap. 66. num. 6. *Cuilibet tempori, vel inſtanti temporis præſentialiter adeſt æternitas.* Non dicitur, res præſens æternitati, quam propoſitionem inquirimus; ſed contra, æternitas præſens rei, quod non negamus. Sed & gloſſandum cum Syluest. infra, in primo dicto S.Thomæ. *Non quia ſemper adſit æternitas; ſed quia adeſt eis, quando illa ſunt.* Et in quinto dicto, explicans quod hîc docet S. Thomas, *Æternitas ambit totum tempus*, ait, *non intelligitur, quaſi æternitas ſit præſens alicui tempori, antequam illud ſit, ſed quia eſt præſens cuilibet tempori, quando illud eſt.* Imò locis citatis contra Gentes, verbis ſequentibus ſtatim ſignificatur præſentia non realis, ſed obiectiua. *Quicquid in quacumque parte temporis eſt, coëxiſtit toti æterno quaſi præſens.* & paulò poſt, de viſione eiuſdem obiecti dicitur, *Diuinus intellectus in tota ſua æternitate intuetur quaſi præſens.* Bis appoſita limitatio illa, *quaſi præſens*, ſatis clarè ſignificat, illam præſentiam non eſſe veram, ac realem, quæ eſt propria, ac perfecta præſentia, & non quaſi præſentia: ſed eſſe præſentiam intentionalem, quæ non eſt præſentia abſolutè, & ſimpliciter, ſed reſpectiuè, & ſecundùm quid: quæ tamen

43. *Concluſio negatiua probatur explicando loca S. Thomæ, quæ affert Capreolus. Primus locus 1. cont. Gent. c. 66.* Syluester.



tamen reſpectu intellectus diuini perfectiſſimè videntis ab æterno quicquid rei futurum eſt præſens in tempore, ita ſe habet ac ſi res eſſet verè, ac realiter præſens in tota æternitate. Vnde cum eadem limitatione docet in 1. d.38. quæſt. 1. artic. 5. poſt medium corporis, Deum intueri omnia temporalia, *vt præſentia ſibi.*

*Secundus locus huius articuli.*

Citat ſecundò verba huius articuli, *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia.* Quæ verba nimis probant, nimirum tertiam propoſitionem impugnatam ſupra num. 38. ſed ſtatim, vt notat Syluester infra, verba ſequentia, quibus redditur cauſa veritatis propoſitionis, exprimunt præſentiam obiectiuam: *quia*, inquit, *eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate*, nimirum reali, & temporanea, vt probaui ſupra num. 11. & 12. quæ tamen præſentialitas non eſt præſens realiter æternitati, ſed eſt præſens obiectiuè, & intentionaliter æternæ Dei cognitioni. Quod ſecundum præſentiæ genus optimè exprimunt Ægidius, Heruæus, & Syluester infra citandi, & Fonſeca 6. metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 3. & 4. dicens, & in rei veritate, & in ſententia S.Thomæ, futura habere ab æterno præſentiam non obiectiuam tantùm, ſeu purè obiectiuam, ſed obiectiuam realem.

Fonſeca.

Neque vim habet coniectura Aluarez, qua probat, prædicta verba non eſſe intelligenda de præſentia obiectiua, quia hæc ſatis explicata fuerat verbis illis immediatè antecedentibus, *Omnia ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt, ſed quia eius intuitus*, &c. nam illud, *rationes rerum*, non ſignificat res ipſas extra Deum, ſed rerum ideas, quæ ſunt in Deo, & ipſemet Deus, vt interpretatur Caietatus hîc, §. *Ad huius difficultatis ſolutionem.* Zumel diſp. 1. initio, Rada dubit. 2. initio, Valentia punct. 5. quæſt. 1. ad 1. Bagnes §. 1. concl. 4. paulò poſt principium.

*Quid in hoc art. ſignificetur per rationes rerum.* Caietanus. Zumel. Rada. Valentia. Bagnes. *Tertius locus de verit. q. 2. art. 12.*

Citat tertiò verba de veritate quæſt. 2. art. 12. in medio corporis. *Ordo diuinæ cognitionis ad rem quamcumque eſt, ſicut ordo præſentis ad præſens.* Vbi cùm coniungatur præſentia cum cognitione, expreſſè conſtat, ſermonem eſſe de præſentia obiectiua reſpectu cognitionis: alioqui non debuiſſet dicere limitanter, & comparatiuè, *ſicut præſentis ad præſens*, ſed ſimpliciter, & abſolutè, *Præſentis ad præſens*; & paulò poſt, *Diuinæ viſioni, quæ non in tempore, ſed extra tempus eſt, nihil eſt futurum, ſed præſens.* nimirum obiectiuè reſpectu viſionis, de qua ſemper in eo loco ſermo eſt.

*Quartus locus 1. d.38. q.1. art.5.*

Citat quartò verba in 1. diſt. 38. q. 1. art. 5. quæ non differunt à præcedentibus. Sicut etiam de malo quæſt. 16. art. 7. & in compendio Theologiæ, lib. 1. c. 135. & in hac 1. part. quæſt. 57. art. 3. & ſecundo ſent. d. 7. quæſt. 2. art. 2. circa medium corporis, *Futurorum præcognitio in ſe ipſis, vt præſentia ſunt, ſolius Dei eſt, cui ab æterno præſentia ſunt*, nimirum præſentia in cognoſcendo, non in eſſendo. Tum quia expreſſè loquitur ibi S.Thomas de cognitione: tum quia nulla creatura habet ab æterno realem præſentiam in eſſendo. Demum omiſſis aliis locis, quæ poſſent afferri, ſatis ſit locupletiſſimum Syluestri teſtimonium, verſatiſſimi in S. Thomæ doctrina, cuius accuratiſſimum

*De Syluestri conflato.*

conflatum compoſuit, annum iam agens ſexageſimum, poſt quadraginta duos annos in ſtudio prædictæ doctrinæ poſitos, vt ipſemet teſtatur initio conflati; hic igitur part. 1. quæſt. 14. art. 16. multò poſt principium ait, *Numquam inuenitur in S.Thoma, loquendo in eſſe reali, vt iſti loquuntur, quòd futura ſemper, aut ab æterno ſunt præſentia æternitati, niſi ſubiungendo aliquid, per quod innuit, ſe loqui in eſſe obiectiuo. Dicit tamen, quòd quæ ſunt in aliqua parte temporis, ſunt ei præſentia; quia ſcilicet quando ei coëxiſtunt, coëxiſtunt tanquam præſenti*, hoc eſt, de rebus præſentibus, pro eo tẽpore, quo præſentes ſunt; dicit quidem in præſenti, quod omnes fatemur, *coëxiſtunt æternitati:* tamen de futuris, & præteritis numquam dicit in præſenti, etſi probabiliter dicere potuiſſet, *coëxiſtunt æternitati.* Vnde idem Syluester poſtea in §. *Quantum verò ad tertium.* notat, S.Thomam lib. 1. contra Gentes c. 66. num. 6. dicentem, *Quicquid in quacumque parte temporis eſt, coëxiſtit æterno:* ideo dixiſſe in præſenti; *eſt, non autem, fuit, vel erit, quia ſcilicet talia præſentia ſunt æternitati, quando ſunt, non ante, vel poſt.* Idem teſtatur Suarez opuſculo de ſcientia lib. 1. cap. 7. num. 19. Suarez.

### *Soluuntur duo argumenta contra prædictam propoſitionem.*

Contra ſextam propoſitionem, quam ſupra num. 40. defendimus, dices primò, quia eadem ratione ſequeretur, poſſe rectè dici, futura, & præterita ſunt realiter præſentia, & realiter coëxiſtunt æuo, nam hoc etiam, ſicut æternitas, eſt duratio permanens, indiuiſibilis formaliter, virtualiter diuiſibilis, ac proinde tota præſens, & coëxiſtens toti tempori, & tota etiam ſingulis eiuſdem temporis partibus, & inſtantibus, vt cum S.Thoma, & Thomiſtis probatum eſt ſupra quæſt. 10. art. 5. 44. *An futura coëxiſtant æuo, ſicut æternitati.*

Reſpondetur nonnullos, vt Syluestrum part. 1. conflati quæſt. 14. art. 16. multò poſt principium, dare ſequelam. *Affirmat Syluester.*

Sed reliqui omnes, & pro concluſione, & contra concluſionem ſupra citati, eam rectius negant. *Rectiùs alij negant.*

Quia ad veritatem ſtabilem illius propoſitionis, non ſolùm requiritur indiuiſibilitas, & permanentia durationis, cui res coëxiſtunt, ſed etiam omnimoda neceſſitas, atque independẽtia. Quamuis enim de facto Antichriſtus, futurus ſit præſens realiter æuo, & Adamus fuerit præſens realiter æuo; tamen de poſſibili hæc præſentia poteſt non eſſe, quia æuum, cùm ſit aliquid ſimpliciter creatum, & à Deo dependens, poteſt ſimpliciter non eſſe. Si igitur hodie nullum eſſet æuum, & hodie crearetur Antichriſtus, verum eſſet dicere, *Antichriſtus non coëxiſtit æuo:* ergo in tempore antecedente affirmare, *Antichriſtus coëxiſtit æuo*, non eſt veritas per ſe & infallibilis, ſiue neceſſaria; ſed per accidens, & fallibilis, ſeu contingens. Tunc etiam dicere, *Adamus coëxiſtit æuo*, eſſet ſimpliciter falſum; quia & ſi tempore præterito, quo exiſtebat, coëxtiterit æuo, vt ſupponimus; ac proinde ex ſuppoſitione non poſſit non coëxiſtere, tamen ſi non exiſteret hoc die, in quo ſupponimus, nullum eſſe æuum, falsò diceretur, *coëxiſtere æuo:* nam ad veritatem propoſitionis de præſenti, quando extenditur ad præteritum, requiritur præſentia ſaltem alterius termini: neque enim nunc verè dicitur, *Iudas eſt realiter præſens Pilato.* & deſtructo hodie primo mobili, poſtea non verè diceretur, *Res præteritæ coëxiſtunt tempori primi mobilis.* Contra verò res habet in æternitate, quæ eſt omnino neceſſaria, & independens, cui quæuis alia duratio non poteſt non realiter coëxiſtere.

*Examinatur ſecunda ratio Gillij.*

Nonnulli vt Gillius lib. 2. tract. 10. cap. 15. n. 12. & 13. eamdem ſequelam negant alia ratione, dicentes, æternitatem ſemper, ac neceſſariò eſſe eamdem; æuum verò mutari continuò de potentia in actum conſeruationis paſſiuæ: eſſe enim angelicum, v. g. ita menſuratur æuo, vt pendeat à Deo ſemper liberè conſeruante, ac proinde in quouis temporis inſtanti, habet paſſiuam potentiam

*Quid ſit, æuũ cõtinuò mutari de potẽtia in actum cõſeruationis paſſiuæ.*

tiam vt conſeruetur in tempore ſequenti. Vnde numquam eſt idem æuum, cui coëxiſtunt præterita, præſentia, & futura. Hæc autem ratio, niſi illi addatur ratio à nobis allata, non videtur omninò ſufficiens; quia actus ille continuæ conſeruationis nihil intrinſecum mutat in æuo, neque eſt nouus actus, ſed ſolùm noua, & extrinſeca connotatio eiuſdem actus. Idem enim angelus creatus in hoc inſtanti, ex eo ſolùm quòd non annihilatur in tempore ſequenti, dicitur de potentia paſſiua conſeruationis tranſire ad nouum actum conſeruationis paſſiuæ; vbi nihil aliud de nouo interuenit, niſi extrinſeca connotatio noui, & actualis temporis ſequentis. Hæc autem extrinſeca variatio, & mutatio non ſatis eſt, vt ſpectando ipſum eſſe æui intrinſecum, falſum ſit dicere, *Futura, & præterita coëxiſtunt æuo*; ſicut communiter dicimus, ſpectando idem intrinſecum eſſe æui; illud coëxiſtere totum toti tempori, & totum ſingulis partibus, & inſtantibus temporis. Confugiendum igitur eſt cum Molina hîc, d. 14. circa finem, ad coëxiſtentiam accidentalem temporum, & rerum temporalium reſpectu æui, eſſentialem reſpectu æternitatis; nam ſi nullum daretur æuum, adhuc tempora, & temporalia exiſterent; at omnes creatæ durationis, & res omnes in iis durantes, dependent eſſentialiter à duratione diuinæ æternitatis, vt probaui ſupra quæſt. 10. art. 1. concluſ. 6. Bagnes quoque hîc §. 2. ad 6. ſequens Caietanum hîc, §. *Ad tertiam.* cum Aluarez lib. 2. de Auxiliis d. 8. ad 6. eamdem ſequelam negat ex eo quòd æuo menſuretur quidem eſſe angeli, non autem cognitio, quæ *menſuratur tempore diſcreto; in quo reperitur vera ſucceſſio.* Sed hoc non videtur ſufficiens, quia inſtans temporis diſcreti eſt etiam totum ſimul indiuiſibile formaliter, virtualiter diuiſibile, permanenter correſpondens alicui tempori ſucceſſiuo. Ergo in æternitate præter indiuiſibilitatem, & permanentiam, conſiderandum eſt aliud, ratione cuius prædicta propoſitio verificetur de æternitate, non de æuo, aut de quauis alia duratione indiuiſibili, & permanente.

Molina.

*Examinatur tertia ratio Caietani, Bagnes, Aluarez.*

45. Dices ſecundò, ita ſe habet æternitas ad omne tempus, & res in tempore exiſtentes; ſicut immenſitas ad omnem locum, & res in loco exiſtentes: ſed loca, quæ actu non exiſtunt, dici non poſſunt coëxiſtere realiter diuinæ immenſitati: ergo nec tempora dum actu non exiſtunt, dici debent realiter coëxiſtere diuinæ æternitati. Reſpondetur, in hac comparatione poſſe comparari vel tempora cum locis, vel res exiſtentes in tempore, cum rebus exiſtentibus in loco. De prima comparatione eſt manifeſta diſparitas, quia loca non ſunt futura, & præterita, ſicut ſunt tempora: omnia enim loca ſemper ſunt præſentia, quia continentur huius mundi ſpatio, quod fuit, & eſt, & erit ſemper idem. Quocirca ſi loca etiam eſſent futura, & præterita, eodemque modo ſuccederent, ſicut ſuccedunt tempora, de locis pariter futuris, & præteritis diceretur, *coëxiſtunt immenſitati*, ſicut de temporibus dicitur, *coëxiſtunt æternitati*. De ſecunda comparatione eſt omnimoda paritas: nam ſicut res ſunt futuræ, & præteritæ reſpectu temporis, quia erunt in tempore, vt Antichriſtus, & fuerunt in tempore, vt Adamus; ita ſunt futuræ, & præteritæ reſpectu loci; quia res futuræ, erunt in loco, res præteritæ, fuerunt in loco. Sicut igitur de futuris, & præteritis reſpectu temporis, non poteſt rectè dici, *Coëxiſtunt æternitati in aliquo tempore in quo non ſunt*, quem falſum ſenſum exprimunt quinque propoſitiones ſupra reiectæ; ita nec de iiſdem futuris, ac præteritis reſpectu loci, *Coëxiſtunt immenſitati in aliquo loco in quo non ſunt.* Sed benè dicitur ſimpliciter, & abſolutè, *Coëxiſtunt æternitati*, ita pariter, *Coëxiſtunt immenſitati*, ſcilicet non adæquatè, & totaliter pro omni tempore, & pro omni loco, ſed inadæquatè, & partialiter pro aliquo tempore, & pro aliquo loco. Aliter reſpondet Zumel hîc d. 1. ad 1. quem ſequitur Gonzalez d. 43. num. 32. negando paritatem antecedentis, ex eo quod æternitas ſit menſura omnium temporalium, eáque contineat: *Immenſitas verò non eſt menſura locorum, & non continet futura.* In quo vltimo ſentiunt contra omnes Scholaſticos, & Patres, qui loquentes de immenſitate, quam Dei magnitudinem vocant, docent oppoſitum. Magnus Diony. de diuin. nom. c. 9. init. ait, *Dei magnitudo locum omnem continet.* Origenes lib. 1. in Iob ſuper illa verba, *Factum eſt quaſi dies illa, & venerunt*, &c. *Cuncta eius continet magnitudo.* & propter hanc continentiam omnium locorum dixit Auguſtinus lib. 83. qq. quæſt. 20. *In illo ſunt potius omnia, quàm ipſe alicubi.* & Tertullianus l. aduerſus Præxeam cap. 16. *In quo omnis locus, non ipſe in loco.* Item Gregorius lib. 2. moralium cap. 8. initio exponens illud Iſaiæ 40. *Quis menſus eſt pugillo aquas*, & de Deo ratione ſuæ immenſitatis ait, *ſurſum regens, deorſum continens*, & S. Thomas in cap. 9. de diuin. nomin. lectione 1. *Deus dicitur eſſe ſimpliciter magnus ſecundùm locum, in quantum continet omnem locum.* Idemque probant omnes authoritates ſcripturæ, & ſanctorum docentium, Deum per ſuam immenſitatem replere omnia, vt oſtendo in 1. tom. quæſt. 8. art. 2. num. 4. & ſanè non poteſt vlla probabili ratione ſuaderi, cur æternitas ſit menſura omnium temporum, & temporalium, eáque contineat, & non idem dici poſſit de immenſitate reſpectu omnium locorum, & locabilium.

*An ita ſe habeat æternitas ad tẽpora, ſicut immenſitas ad loca.*

*Reÿcitur aliæ reſponſio Zumel, & Gonzalez.*

*Immenſitas continet omnia loca, & locabilia.*

Dionyſius.

Origenes.

Auguſtinus.

Tertullian.

Gregorius.

S. Thomas.

## DVBITATIO VII.

### *An præſentia rerum in æternitate ſit ratio videndi illas.*

#### SVMMA.

1. *Probatur concluſio ſimpliciter negatiua. n. 46.*
2. *Idem probatur admiſſa æterna rerum præſentia in æternitate. n. 47.*
3. *Reÿciuntur probationes Aureoli contra S. Thomam. num. 48.*

QVoad ſecundum propoſitum ſupra in fine num. 35. ex declarata, & probata rerum præſentia reali in æternitate, euidenter ſequitur, vt benè infert Syluester 1. part. conflati quæſt. 14. art. 16. multò poſt principium, illam non poſſe eſſe ſufficientem cauſam, ſeu rationem, ob quam Deus eas ab æterno, & ſimul ſemper videat, etenim huiuſmodi præſentia non eſt niſi ſucceſſiua, non ſolùm intrinſecè, ex parte rerum ſuccedentium, ſed etiam extrinſecè ex parte æternitatis, quæ per extrinſecam coëxiſtentiam ſuccedit rebus ſucceſſiuis: eſt etiam in ſingulis rebus pro aliquo determinato tempore in quo ſunt, & non pro aliis temporibus in quibus non ſunt: ergo non poteſt eſſe ratio eas videndi ſimul, & ab æterno. Explicari clariſſimè poteſt exemplis. Hodie, v. g. Antichriſtus, & quæuis alia res futura, non coëxiſtit realiter æternitati, & numquam antea coëxiſtit: ergo Deus non poteſt, propter hanc coëxiſtentiam, hodie, & antea per æternitatem habere cognitionem Antichriſti: quod enim à parte rei nihil prorſus eſt, non poteſt

*Concluſio negatiua Syluestri.*

*Probatur primò ex eo quòd iſta præſentia ſit ſucceſſiua, & temporanea.*



eſſe à parte rei ratio videndi realiter aliquid & cùm hodie, & ab æterno non minus futura ſit coëxiſtentia Antichriſti cum æternitate, quàm ipſemet Antichriſtus, ſi Deus videret hodie, & ab æterno, Antichriſtum propter iſtam coëxiſtentiam, profectò non videret futurum propter præſens, ſed potius vnum futurum propter aliud futurum. Quod aſſerere, ridiculum eſſet, quia adhuc remaneret integra difficultas de ipſa coëxiſtentia, ab æterno, & hodie, non præſente, ſed futura, qua ſcilicet ratione hodie, & ab æterno videatur à Deo. Similiter in præteritis, v. g. Troiana vrbs habuit quidem coëxiſtentiam cum æternitate; ac proinde, eſto pro eo tempore, quo illam habuit, potuerit videri à Deo propter illam; tamen hodie, & per totam æternitatem à parte poſt, quando etiam videbitur, illam non habet. Ergo hodie, & in æternum, videri non poteſt propter coëxiſtentiam cum æternitate; quod enim ex eo præciſè, quia præſens eſt, eſt ratio alicuius effectus, non poteſt ceſſante, & præterita illa præſentia, eumdum effectum cauſare; alioqui vt argumentati ſumus, in futuro non videretur præteritum propter præſens, ſed videretur vnum præteritum propter aliud præteritum. Et tunc de hoc alio præterito reſtaret à capite inquirendum, qua ratione videatur. Idem denique in præſentibus, v. g. Vrbanus VIII. hodie præſens æternitati (cui etiam cum ſempiterna felicitate ob Sanctæ Eccleſiæ gubernationem præſens eſſe mereatur) ſi hodie videtur à Deo propter præſentiam cum æternitate, ergo non videbatur antea, quando iſta præſentia non fuit; neque videbitur poſtea, quando iſta præſentia non erit. Vnde ſequitur, Deum ab æterno fuiſſe, & in æternum futurum eſſe propriiſſimè ignorantem.

47. Idem probo ſecundò, etiam ſi admittamus, fortaſſe cum aduerſariis, res futuras, & præteritas eſſe realiter præſentes æternitati ſemper, & ab æterno, & in æternum. Prius natura eſt, rem eſſe realiter præſentem in ſe, ſeu exiſtere ſimpliciter in ſe ipſa, quàm eſſe præſentem alteri, & realiter coëxiſtere reſpectu alterius: nam hæc præſentia manifeſtè præſupponit illam, non autem illa hanc. Vnde inter aduerſarios, Zumel tomo 1. variarum diſputationum folio 93. circa principium, ita concedit, *Quoniam res eſt futura in tempore, idcirco eſt præſens in æternitate*; Vbi, inquit, *cauſalis importat conditionem neceſſariò prærequiſitam*: ergo prima præſentia debet eſſe Deo ratio videndi ſecundam, non ſecunda primam: quia quæ eſt ratio prior, in eſſendo, eſſe etiam debet ratio prior in cognoſcendo, ſi res perfectè cognoſcitur, quomodo cognoſcat Deus neceſſe eſt: alioqui non cognoſceret Deus res veluti à priori, ſed modo imperfectiore, veluti à poſteriori: ergo peruerſo ordine rectè, ac perfectè cognoſcendi dicitur Deus cognoſcere rerum præſentiam in ſe ipſis propter præſentiam earumdem cum æternitate; quia ſcilicet, vt ex ſententia S. Thomæ loquitur Capreolus 1. d. 36. quæſt. 1. art. 2. aliquantò poſt principium, *Omnia futura, & omnia præterita, & generaliter quæ ſunt, vel erunt, aut fuerunt, non eſſent præſentia æternaliter intellectui, niſi quia ſunt præſentia æternitati.* Sed contra potius dicendus eſt, cognoſcere poſteriorem præſentiam cum æternitate propter priorem præſentiam in ſe ipſis. Confirmatur, quia in illo priori naturæ, in quo præſupponitur, & præconcipitur res præſens, & exiſtens in ſe ipſa ſimpliciter, & abſolutè, illa eſt aliquod ens in ſe ipſo determinatum ad vnum, ergo intelligibile, etiam ab intellectu infallibili, & diuino. Ergo ſe ipſa debet neceſſariò intelligi à perfectiſſimo illo intellectu, cuius intellectioni nullum intelligibile eſſe poteſt actu ignotum. Ergo non debemus concipere, diuinum intellectum indigere poſteriori alio intelligibili, vt actu intelligat prius illud intelligibile. Confirmatur vlterius, quia ſi per impoſſibile res actuales exiſterent in ſe ipſis, & non coëxiſterent æternitati, vel ſaltem præſcindamus à tali coëxiſtentia, adhuc res eſſent intelligibiles: ergo ab intellectu diuino eſſent actu intellectæ. Ergo quòd ab eo intelligantur actu, non oritur ex præſentia cum æternitate, quam res de facto habent, tanquam ex conditione ſine qua non ſunt intelligibiles. Tertiò optimè arguit Molina hîc d. 14. concluſ. 1. quia Deus ſcit etiam futura contingentia conditionata, quæ neque fuerunt, neque ſunt, neque erunt, ac proinde nulla ratione dici poſſunt exiſtere in æternitate, vt certum eſt ex probandis infra; ergo hæc exiſtentia non eſt vniuerſalis ratio cognoſcendi omnia futura.

*Probatur ſecundò etiã ſi prædicta præſẽtia ſit æterna, & permanens.*

*Prior natura eſt præſentia rei in ſe, quàm in æternitate.*

Zumel.

Capreolus.

*Maior explicatio ſecundæ rationis.*

*Probatur tertiò, ex Molina.*

48. Facta eadem impoſſibili ſuppoſitione realis præſentialitatis rerum ab æterno, minus efficaciter contra S. Thomam, vt ipſe putat, Aureolus 1. d. 38. quæſt. vnic. art. 1. propoſitione 4. arguit primò, *Diuinus intellectus nullo modo terminatur ad aliquid extra ſe, ſed tantùm ad eſſentiam ſuam.* Secundò: *Futurum vt præſens cum hoc indiuiduo tempore, non dat diuino intellectui, vt certitudinaliter ipſum cognoſcat; aliàs vileſceret diuinus intellectus, & menſuraretur à rebus cùm traheret certitudinem ab ipſis; ergo nec vt præſens æternitati.* Tertiò: *Quamtumcumque res futuræ ſint præſentes æternitati, adhuc reſtat quærere, ex parte diuini intellectus, quid eſt ſibi ratio attingendi actualitatem futuri poſiti in ſua præſentialitate; & oporteret dicere, quòd eſſentia, vel idea, vel voluntas, vel aliquid aliud.*

*Idem minus efficaciter probat Aureolus tripliciter.*

Ad hæc reſpondere facilè poſſent Thomiſtæ, vt reſpondet Capreolus 1. d. 38. q. 1. art. 2. ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem. Ad primum. Si illud, *nullo modo*, ſignificat neque vt ad formaliter obiectum, neque vt ad formaliter terminum, eſt falſum, vt ſupra artic. 5. ſi verò ſignificat non eſſe obiectum formale, eſt verum, vt ſupra artic. 2. dub. 2. neque in hac controuerſia ſit vis in hoc puncto, ſed in alio, vt expoſui initio huius articuli, num. 3.

*Soluũtur argumẽta Aureoli ex Capreolo.*

Ad 2. conceditur totum; neque enim Thomiſtæ volunt, præſentiam cum æternitate eſſe cauſam certitudinis, aut alterius perfectionis intellectus diuini; ſed ſolùm rationem quandam neceſſariò prærequiſitam ex parte obiecti, ad hoc vt Deus in ſe repræſentet vnam determinatam partem contingentiæ, potius quàm aliam oppoſitam, quam potuiſſet etiam in ſe Deus repræſentare, ſi cauſa contingens, quæ, vt docet hîc S. Thomas, *ſe habet ad oppoſita*, ad illam ſe determinaſſet. Diuina igitur cognitio, vt cum S. Thoma notat Capreolus ſupra ad 3. non recipit ſuam certitudinem ab obiecto creato, ſed ſolùm, quia in ſe, & ex ſe eſt eſſentialiter certa, *requirit certitudinem, & determinationem in ſcito*, & ideo tam hîc, quàm ſæpiſſimè alibi docet S. Thomas, contingentia non poſſe à Deo cognoſci certitudinaliter prout ſunt in cauſis ſuis, ſed prout ſunt in ſe ipſis, extra ſuas cauſas.

Ad tertium dico ſicut ad primum, hîc non quæri modum videndi ex parte videntis, quem modum dumtaxat reſpicit Aureolus; ſed ex parte obiecti, rationem videndi vnum oppoſitum ex duobus ad quæ ſe habet cauſa contingens. Arguit præterea Syluester ſupra, quia, *Alioquin æuiterna*

*Alia Syluest. ratio minus efficax.*

*cognoſcerent futura, cum eis futura contingentia coëxiſtant iſto modo: ſunt enim tota ſimul, ſicut & æternitas.* Sed iam ſupra num. 44. ex communi ſententia oſtendimus diuerſam in hoc rationem eſſe de æuo, & de æternitate.

## DVBITATIO VIII.

### *Quid ſenſerit S.Thomas de præſentia, & viſione rerum in æternitate.*

SVMMA.

1 *Exponuntur multa loca S.Thomæ, à n.49. ad 54.*
2 *Exponuntur authoritates Scripturæ contra concluſionem tertiæ dubitationis, à n.54. ad 60.*
3 *Exponuntur Patrum authoritates, à n.60. ad 67.*
4 *Exponuntur authoritates S.Thomæ, à n.67. ad 71.*
5 *Soluuntur obiectiones, Gonzalez, Bagnes, & Aluarez, à n.71. ad 84.*
6 *Soluuntur obiectiones Nauarrete, & Nazarij, à n.74. ad 99.*

49. *S.Thomas docet ſolũ æternitatem totã ſimul eſſe omnibus præſentem.*

QVoad tertium de mente S.Thomæ: dico primò, illum numquam aſſerere, futura eſſe realiter præſentia, & realiter coëxiſtere æternitati; ſed ſolùm dicere, æternitatem indiuiſibiliter, & omninò inuariabiliter eſſe ſemper totam ſimul realiter præſentem omnibus futuris: & futura eſſe ſemper per æternitatem à parte ante, & à parte poſt, obiectiuè præſentia diuino intellectui quoad ſuas actuales exiſtentias, & reales præſentialitates, quas in ſe ipſis habent in aliquo præſenti, ac determinato tempore extra cauſas. Hoc apud me eſt valde certum; & manifeſtum eſſe poterit cuilibet, qui attentè legere, & perpendere voluerit omnia loca hactenus citata; præſertim in num.43. ad hoc ipſum ex inſtituto oſtendendum, ex eo autem, quòd à S.Thoma dicatur æternitas eſſe tota ſimul præſens omnibus, non rectè colligitur, omnia eſſe ſimul præſentia æternitati: nam, vt optimè docuit Ægidius citatus ſupra num.32. circa principium reſponſionis, *Æternitas eſt tota ſimul cum temporis cuiuſcumque differentia; non quòd partes temporis omnes ſimul exiſtentes, æternitati coëxiſtant, vt ipſi putant, & falsò, Thomam ſenſiſſe; ſed quia ipſa æternitas eſt tota ſimul cum ſingulis partibus temporis, non ſimul exiſtentibus, ſed ſibi inuicem ſuccedentibus:* ſicut ex eo quod anima ſit tota ſimul in omnibus partibus corporis, non ſequitur, eſſe eodem modo ſimul omnes partes corporis; alioqui ſimul eſſent pedes, & caput. Quod valde clarè docuit Heruæus ſupra n.32. exponens ſententiam S.Th. his verbis. *Simul, & ab æterno intuetur Deus exiſtentiam actualem omnium; ita quòd ſimultas referatur non ad res viſas, ſed ad ipſam viſionem; vt ſit ſenſus, quòd in ipſa viſione ſit ſimultas, quia viſio Dei non prius eſt de vna re, quàm de alia, licèt res viſa habeat ſucceſſionẽ. Videt enim Deus vna viſione indiuiſibili, & ſimul exiſtente ſucceſſionem omnium temporum, & temporaliũ; & ſic exiſtentiæ rerũ ſunt intuitiuè præſentes Deo ab æterno.*

*Inde non ſequi præſentiã omniũ ſimul in æternitate ſecũdũ Ægidiũ, & Heruæum.*

50. *S.Thom. nũquam probat, Deum ſcire futura, ex præſentia in æternitate.* *S.Thomas per æternitatem nõ probat diuinæ ſcientiæ certitudinẽ.*

Dico conſequenter ſecundò, S.Thomam numquam probaſſe diuinam ſcientiam rerum futurarum ex reali illarum præſentia in æternitate. Tum quia Thomiſtæ nullum locũ afferunt, qui hoc ſatis explicet, vt patet ex multis ſupra allatis, & aliis infra afferendis; tum quia talis probatio fuiſſet inſufficiens, vt oſtenſum eſt ſupra n.46. & 47. Tum quia S.Th. in omnibus locis ſupra citatis in quibus de hac materia tractat, præſertim clariſſimè in hoc art. duas veritates diſtinctè probat; primam, Deum certò cognoſcere futura contingentia: ſecundam, Deum omnia hæc futura, quæ ſucceſſiuè fiunt in actu, non ſucceſſiuè cognoſcere, ſed ſimul ab æterno. In prima probatione nullam prorſus æternitatis mentionem facit: ſed ſolùm docet, cognitionem illam eſſe certam, & infallibilem, quia fertur in futura vt præsẽtia, hoc eſt, vt ipſemet explicat, *Prout vnumquodque eorum eſt in actu in ſe ipſo, determinatum ad vnum.* Et ne verbum quidem habet de æternitate: ergo in ſententia S.Th. ſcientia Dei de futuris, prout eſt ſimpliciter cognitio certa, non addendo vlterius, prout eſt cognitio certa ſimul habita de omnibus in re ſucceſſiuè futuris, non eſt probanda ex reali futurorum præſentialitate cum æternitate, ſed ex alia reali præſentialitate propria, quam in hoc articulo, ter vocat, *Præſentialitatem ſuam*; nimirum cum aliquo determinato tempore. Quod multò clarius expoſuit locis, & verbis citatis ſupra n.11. vt 1.d.38.q.1.art.5. *Videt illud tempus, in quo eſt præſens,* ſcilicet res, *& rem eſſe præſentem in hoc tempore; itavt intuitus eius ad rem cõtingentem referatur, ſecũdùm hoc, quòd præſentialiter in actu eſt.* & de verit.q.2. art.12. *Deus futura inſpicit eſſe tunc, quando ſunt.* & de malo, q.16. artic.7. *Eius intuitus ſuper omnia fertur, prout vnumquodque eſt in ſuo tempore.* Ad perſuadendam certitudinem ſimpliciter diuinæ cognitionis de futuris contingentibus, facit apertiſſimè vim in propria præſentialitate cum ſuo tempore, quod eſt ſolùm præſens, tunc quando ſunt; & non in alia communi præſentialitate cum æternitate, quæ eſt præſens, etiam quando futura, & præterita, verè ac realiter non ſunt; ſolùm in ſecunda probatione æternitatem ſpectat, non tamen in ſenſu, quem multi Thomiſtæ conſiderarunt, ſed in alio longè diuerſo, explicato ſupra num.10.11. & 12. & mox magis explicando.

51. *S.Thomas per æternitatem probat tãtùm diuinæ ſcientiæ ſimultatem.*

Dico tertiò, S.Thomam probare, diuinam cognitionem ſimul ferri ab æterno, ſuper omnia ſucceſſiuè futura in tempore, non ex eo, quòd futura ſint realiter præſentia, vel, quod peius eſt, ſint ſimul realiter præſentia in æternitate; ſed ex eo, quòd illa cognitio menſuratur æternitate, tota ſimul, & omnino inuariabiliter ambiente omnia, ſiue tempora, ſiue temporalia, quantumuis ſucceſſiua, & variabilia: ſi enim Dei cognitio res creatas videret tunc ſolùm quando præſentes in re ſunt, ſiue vniuerſalius, aliquando non videret, aliquando videret proprias præſentialitates, actualéſque exiſtentias, & conſequenter coëxiſtentias cum æternitate, quas in aliqua temporis differentia res habituræ ſunt, vel habuerunt, illa cognitio non eſſet tota ſimul, vnica, & ſimpliciſſima, menſurata tali æternitate, ſed ſuſciperet variationem; vt deductum eſt ſupra art.8.n.32. & in hoc art.num.10. & 12. & rectè notauit Syluester ſupra; quare cùm S.Thomas loquitur de præſentia rerum æterna, ſiue ab æterno, illa eſt tantùm obiectiua, quæ nihil eſt aliud, quàm ipſamet æterna Dei cognitio, quæ ab æterno, & ſimul habuit creaturas omnes actuales pro obiecto, quamuis in ſe temporales, imò etiam ſucceſſiuas: cùm verò loquitur de reali rerum præſentialitate, illa non eſt in ſe æterna, & ſimul, ſed temporalis, & ſucceſſiua, ad quam tamen æterna Dei cognitio ab æterno, & tota ſimul terminata eſt. Quas duas præſentialitates acutè diſtinguit Ægidius infra in ſententia S.Thomæ, dicens, *Eius intuitus ſuper præſentialitates, quas omnia in ſe ſucceſſiuè habent, fertur præſentialiter, quia æternaliter intuendo,* illud *præſentialiter,* explicat præſentiam obiectiuam intuitus.

*Duplex præſẽtialitas diſtinguẽda eſt in S.Th. ſecũdùm Ægidium.*





52. *Prædicta S. Thomæ mens probatur primò ex verbis ipſius.* Valentia. Suarez.

Hæc expoſitio ſuaderi poteſt primò, quia verba S.Thomæ in omnibus locis, maximè in hoc articulo manifeſtè illam exprimunt, vt patet ea attentè conſideranti: adeo vt ſatis percipere nequeam, quod prudenter animaduertit etiam Valentia hîc punct.5.quæſt.1.§. *Falſa igitur.* & Suarez opuſculo de ſcientia lib.1. cap.7. num.5. cur non ſolùm ij, qui Thomiſtæ non ſunt, vt Scotus, & Scotiſtæ omnes, Author corruptorij doctrinæ S.Thomæ, Riccardus, Aureolus, Durandus, Baſſolus, Zumel, Trigoſius, Palatius, & alij ſupra citati; ſed etiam ex Thomiſtis Capreolus, Caietanus, Ferrarienſis, Soncinas, Hiſpalenſis, Catharinus, Viguerius, Bagnes, Aluarez, Nauarrete, Gonzalez, Ripa, Nazarius, interpretati ſint S.Thomam in ſenſu contrario falſo, ac difficili, & non in hoc ſenſu vero, ac facili. Nam, vt ait Syluester part.1. conflati, q.14.art.16. ſatis poſt principium, *eſt mirabile, quòd S.Thomas voluerit vno verbo talem opinionem fundare, quam quiſque experitur ſe non poſſe imaginari, vel intelligere.* & multò poſt, *ex præſentia ad æternitatem vt ſic, id eſt, vt diſtinguitur ab intellectu, S. Thomas numquam infert cognitionem futurorum contingentium, neque inferri poteſt.* quare hæc expoſitio non caret grauiſſima authoritate: illam enim vt germanam S.Thomæ tradunt Ægidius, ipſiuſmet auditor, ac proinde hac in re teſtis omni exceptione maior, in caſtigatorio corruptorij, artic.3.1. part. vbi inter alia, ad 5. loquens de iis, qui contrarium S. Thomæ tribuunt, *Manifeſtum eſt, quòd falſum dicunt apertiſſimum. Quod patet cuilibet recto oculo reſpicienti dicta Thomæ. Cùm enim dicit Thomas, quòd omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo præſentia, prout ſunt in ſua præſentialitate; intendit dicere, & ſatis clarè, quod diuinæ notitiæ præſens eſt omnium, quæ ſunt ſucceſſiuè in tempore, præſentialitas, & actualis exiſtentia, ab eo æternaliter cognita, non cum eo æternaliter, exiſtens in natura propria.* Heruæus, cuius verba citauimus ſupra num.32. & fuſiſſimè Syluester 1. parte conflati, quæſt. 14. art.16. referens, & ſequens interpretationem Heruæi. Vnde multò poſt; ſenſus S.Th. hactenus traditus, meritò dicitur à Syluest. *Planiſſimus, & apertiſſimus:* quem etiam S.Thomæ tribuunt Gerardus Senenſis 1.d.38.q.1. art.2. opin.3. Henriquez lib.vlt. cap.3.§.4.5. & 6. Fonſeca 6.metaph.c.2.q.4.ſect.3. Valentia punct.5.quæſt.1. Vaſquez d.64.c.5. Suarez, opuſculo de ſcientia lib.1. cap.7. num.19. Arrubal d.41. cap.4. Albertinus tom.1. fol.286.n.24. Leſſius opuſculo de Auxiliis cap.20. num.8. Machin hîc, d.30.ſect.vlt.

Syluester. *Eam S. Thomæ mentem tradũt Ægidius.* Heruæus. Syluester. Gerardus. Henriquez. Fonſeca. Valentia. Vaſquez. Suarez. Arrubal. Albertinus. Leſſius. Machin.

53. *Probatur ſecundò ex eo quod S. Thomas loquatur de præſentia obiectiua.*

Secundò, quia ſemper S.Thomas non obſcurè loquitur de illa præſentia, cuius immediata ratio eſt diuina cognitio, quæ præſentia eſt obiectiua: etenim in hoc articulo circa finem corporis, volens probare ſeu potius explicare, quo modo *omnia, quæ ſunt in tempore, ſint Deo ab æterno præſentia,* ait, *Quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate,* ſcilicet reali, ac temporanea: præſentiæ ab æterno nullam aliam rationem affert niſi intuitus ab æterno. Vbi præter dicta ſupra num.10.11.12. & 43. notandum etiam eſt, in hoc articulo ter dici, Deum cognoſcere ab æterno noſtram præſentialitatem, abſolutè, non autem noſtram præſentialitatem æternam: ſicut veriſſimum eſt, Deum ab æterno cognouiſſe hanc horam; ſed ridiculum eſt, inde colligere, horam eſſe in ſe æternam. Et clarius ſupra art.9. volens probare, cognitionem diuinam non ſolùm de præſentibus, ſed etiam de præteritis, & futuris, eſſe viſionem intuitiuam, ait, *Quia præſens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ ſunt in quocumque tempore, ſicut in ſubiecta ſibi præſentialiter.* & non dicit, *ſicut in coëxiſtentia ſibi realiter,* vel etiam *æternaliter.* Si præterita, & futura ideò ſunt Deo præſentia, quia eſt *præſens intuitus,* ergo eſt præſentia obiectiua. Præterea futura, & præterita dicit, *eſſe in tempore,* & non dicit, *eſſe in æternitate.* Denique illorum verborum, *ſicut in ſubiecta ſibi præſentialiter,* ſi ſpectentur intentum, & verba S.Thomæ, non poteſt afferri alius probabilior ſenſus, niſi hic, res futuræ, & præteritæ, ita clarè, ac perfectè ſubiiciuntur diuinæ cognitioni in æternitate, ſicut ſi in eadem æternitate præſentes exiſterent; & ideo illa cognitio eſt intuitiua, pertinens ad ſcientiam viſionis, quo ſenſu aſtruitur præſentia obiectiua, & excluditur realis præſentia in æternitate. Et infra, quæſt.86. artic. 4. ait, *In ſe ipſis futura cognoſci non poſſunt niſi à Deo, cui etiam ſunt præſentia, dum in curſu rerum ſunt futura, in quantum eius æternus intuitus ſimul fertur ſupra totum temporis curſum.* Illud, *in quantum,* valde expreſsè declarat, futura nullam aliam reſpectu Dei habere præſentiam ab æterno, niſi obiectiuam, prouenientem ex æterno intuitu, quo illa ab æterno videntur. Demum, vt ait Syluester ſupra, *ita expreſsè tenet, & ſe declarat S.Thomas 1.2. quæſt.91. artic.1. ad 1.* his verbis, *Ea, quæ in ſe ipſis non ſunt, apud Deum exiſtunt, in quantum ſunt ab ipſo cognita, & præordinata.* De futuris ait ſimpliciter, *In ſe ipſis non ſunt.* & tamen Thomiſtæ contendunt, in ſe ipſis eſſe in æternitate. Præterea docet, futura ideo exiſtere apud Deum, quia exiſtunt in cognitione Dei, quod eſt exiſtere obiectiuè, non realiter.

*Cur diuina ſciẽtia futurorum, ſit intuitiua, ex S.Thoma.*

### *Exponuntur authoritates Scripturæ, contra concluſionem tertiæ dubitationis.*

Thomiſtæ, præſertim recentiores, multas congerunt authoritates, & rationes pro reali præſentia, & viſione futurorum in æternitate. 54.

Obiiciunt primò authoritates Scripturæ. Primò Iob 14. *Numerus menſium eius apud te eſt.* vbi Gregorius ait, *Quoniam apud omnipotentem Deum, etiam labentia ſtant, apud eum eſſe numerum noſtrorum menſium perhibet.* Sed, vt ait Gonzalez d.43. n.39. *Non poſſunt labentia ſtare, niſi quatenus ea, quæ ſucceſſiuè fiunt, ſtabiliter ſint Deo præſentia ab æterno in menſura ſuæ æternitatis.* Secundò, Eccleſ.39. *Opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditũ ab oculis eius à ſæculo, vſque in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius.* Quibus verbis ſignificatur notitia ab æterno intuitiua, quæ, inquit Gonzalez ſupra, *ſolùm eſt de re præſenti realiter, neque ad illam ſufficit ſola præſentia obiectiua.* Tertiò, ad Hebr. c.1. *Per quem fecit, & ſæcula,* quæ, inquit Aluarez l.2. de Auxiliis diſp.8.num.4. *Dicuntur eſſe facta à Deo, quoniam in æternitate omnia ſunt præſentia.* Quartò Iſaiæ 45. *Dicitur de Deo,* vt ait Aluarez ſupra, *quòd fecit ventura, ſiue quæ futura ſunt, vbi futura in ſe ipſis dicuntur facta à Deo, quia in æternitate eius, omnia ſunt præſentia tamquam facta; nec reſpectu illius eſt aliquid futurum, aut præteritum.* Quintò, ad Romanos c.4. vbi dicitur de Abraham, *Patrem multarum gentium poſui te ante Deum, qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt.* & hîc ad Aluarez ſupra dicitur, *locus notandus pro ſua ſententia,* vbi de paternitate illa futura, *Quia in æternitate Deo erat præſens, ideo dixit, poſui te. Et ideo de futuro loquitur per modum præſentis, quoniam futura ſunt Deo præſentia*

Gregorius. Gonzalez. Aluarez.

*in æternitate; & eodem modo intuetur quæ ſunt facienda in tempore noſtro, ſicut quæ facta ſunt, aut fiunt. Sic explicat locum illum Ambroſius, & alij plures Doctores ſancti.*

55\. *Exponitur locus Iob. 14.* Reſpondetur ad primum, omnia ab æterno eſſe, & ſtare apud Deum, non realiter, ſed obiectiuè in æterna Dei cognitione, qua ab æterno, & ſimul ſemper cognoſcuntur. Et ſanè ſenſus, & verba Iob id ſatis clarè ſignificant: nam non dicit ſimpliciter, eſſe apud Deum menſes, ſed *numerum menſium*: habere autem apud ſe numerum aliquarum rerum, eſt ſcire, quotnam res illæ ſint; quæ ſcientia eſſe poteſt non ſolùm de rebus realiter præſentibus, ſed etiam realiter futuris, & præteritis. Vnde immediatè poſt addit Iob verba, quæ ſcientiam manifeſtè important, *Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non potuerunt*; docente Anſelmo l. de concordia, cap. 1. circa med. *Quoniam Deus non fallitur, nec videt niſi veritatem, dicitur, conſtituit apud ſe immutabiliter.* Eamdemque ſcientiam ſpectare Gregorium conſtat ex iis, quæ paulò poſt in eorumdem verborum explicationem addit, dicens; *Nam cuncta Deus ſequutura præſciens, ante ſæcula decreuit qualiter per ſæcula diſponantur.* & aliis locis ſupra num. 41. allatis oſtendimus, apud Gregorium idem eſſe, aliquid manere fixum in æternitate, & manere fixum in æterna cognitione. Mirum valdè eſt quod ſubiunxit Gonzalez, labentia, ſeu ſucceſſiua, non poſſe alio modo ſtare, ſeu permanere, niſi realiter in æternitate. Nam præterquam quòd eſt alius modus verus, communiſſimus, & facillimus, ſtandi obiectiuè, modus ille ſtandi realitèr vel implicat contradictionem, vel non affertur ad rem. Enimverò ſi ſucceſſiua ſtant realiter in menſura æternitatis; ergo in illa verè ac realiter ſunt extra cauſas; implicat autem ſucceſſiua, vt tempus, eſſe à parte rei extra cauſas, & permanere: quod enim eſſentialiter eſt ſucceſſiuum in actu exercito, non poteſt non ſuccedere in actu exercito, etiam ſi contingat, illud coëxiſtere alteri extrinſecæ durationi permanenti, vt æternitati, & æuo; quæ coëxiſtentia non tollit intrinſecam, & eſſentialem ſucceſſionem: ſicut non tollitur permanentia æternitatis ex eo quòd coëxiſtat ſucceſſiuis; nec diuiſibilitas corporis, aut indiſibilitas animæ, ex eo quòd inuicem coëxiſtant informatiuè. Si verò dicantur ſucceſſiua ſtare realiter in reali menſura æternitatis, quia ſtat æternitas in qua eminenter continentur, & cui realiter coëxiſtunt omnes creaturæ ſucceſſiuæ, id quidem verum eſt, tamen non eſt ad rem, quia hæc ſtabilitas non eſt futurorum, de qua diſputamus, ſed ſolius æternitatis, cuius proprium perfectionis prædicatum, malè tribuitur enti imperfectiori, quod illi coëxiſtit: alioqui corpus noſtrum diuiſibile denominari poſſet indiuiſibile, propter indiuiſibilitatem animæ, à qua informatur: & omnia loca coëxiſtentia diuinæ immenſitati indiuiſibili dici poſſent indiuiſibilia. Præterquam quod addit Gonzalez, *ſucceſſiua ſtare realiter in æternitate ab æterno*, hoc eſt, ſine principio in infinitis temporibus, quod tolerabilem aliquem ſenſum habere nequit: ſicut enim falſum apertiſſimè eſt, locum huius cubiculi coëxiſtere immenſitati in omni loco cui adeſt immenſitas, ita pariter, tempus huius diei coëxiſtere æternitati in omni tempore cui adeſt ęternitas. Similem abſurditatem, & fortaſſe maiorem, ſaltem in modo loquendi, continet quod concedit Nazarius hîc, controu. 3. in reſponſionibus ad argumenta, & ſequitur Gonzalez d. 43. n. 48. ad 4. & 5. *Res iam redactæ in nihilum, adhuc remanent ſecundùm actualem ſuam exiſtentiam in æternitate.* Remanet quidem æternitas, quæ fuit cum rebus annihilatis; quando erant exiſtentes; tamen eamdem adhuc remanere etiam cum rebus annihilatis, & remanere ſecundùm actualem rerum exiſtentiam, ac proinde res eodem modo remanere in æternitate, eſt prorſus intelligibile, modò verba ſignificent id quod expreſsè ſonant.

*Non bene dici à Gonzalez, ſucceſſiua ſtare in æternitate.*

*Ex eo quod ſtet æternitas, dici non poſſunt, ſtare ſucceſſiua.*

*Duæ abſurdæ propoſitiones Gonzalez, & Nazarij.*

56\. *Exponitur locus Eccleſiaſtici 39.* Ad ſecundum, verba ipſa clariſſimè exprimunt ſolam præſentiam obiectiuam. Vnde Auguſtinus Pſalmo 49. circa illa verba, *& pulchritudo agri mecum eſt*, ait, *Omnia apud Deum eſſe dicuntur, quia antequam eſſent, omnia ei nota erant.* & Iſidorus excludens hunc ſenſum Thomiſtarum realis præſentiæ temporum in æternitate, ait, l. 1. ſententiarum de ſummo bono, cap. 8. *Si ſemper eſſent cum Deo tempora, non eſſent tempus, ſed eſſent æternitas; nec mutarentur tempora, ſed ſtarent.* Neque vrget motiuum Gonzalez de notitia intuitiua, quæ, inquit, *Solùm eſt de re præſenti realiter*, hoc enim verum eſt, ſi intelligatur de re præſenti per terminationem notitiæ, hoc eſt; notitia intuitiua habere debet pro termino rem ſecundum omnem præſentialitatem, quam actu in re habet pro aliqua differentia temporis, quem terminum de rebus futuris, antequam actu ſint, ſola notitia diuina habere poteſt, vt ſupra artic. 8. num. 32. non eſt autem verum ſi intelligatur de re præſenti per coëxiſtentiam realem cum notitia, quod, niſi velimus ludere verbis, fateri tenemur omnes fideles; quia fides docet, Deum videre, & intueri ab æterno omnes creaturas actuales. Docet quoque, nullam creaturam extitiſſe ab æterno, & conſequenter, nec alicui coëxtitiſſe realiter ab æterno, quia lumine naturali notiſſimum eſt, nihil, quod in aliqua duratione non habet in ſe realem exiſtentiam actu ſimpliciter, poſſe in eadem duratione habere realem coëxiſtentiam actu cum alio. Ergo euidens concluſio Theologica eſt, ac proinde de fide, modo explicato in ſuperiori tomo quæſt. 1. artic. 2. concluſ. 4. Ad notitiam Dei intuitiuam non requiri realem rei præſentiam per coëxiſtentiam cum notitia, ſed ſatis eſſe realem præſentiam obiectam notitiæ, ſeu ad quam terminetur notitia; quæ eſt realis præſentia exiſtens in tempore, non in æternitate, vt apertiſſimè docet S. Thomas locis, & verbis citatis ſupra num. 11. & 53.

Auguſtinus. Iſidorus.

*Quomodo cognitio intuitiua ſit de re præſenti.*

57\. *Exponitur locus ad Hebræos c. 1.* Ad tertium, ex illo loco poſſe probabilius colligi oppoſitum: ſi enim Deus fecit ſæcula, ſcilicet in principio temporis, non ab æterno, vt docet fides, ergo ſæcula, *Secundùm realem præſentiam, & actualitatem*, vt vult ipſemet Aluarez in concluſ. num. 3. & vt ait Bagnes hîc, §. 2. ante primam concluſionem, *Secundum illudmet eſſe, quod habebunt extra ſuas cauſas in tempore futuro*; & vt idem habet in concluſione 2. *Secundùm eſſe, quod habent in ſemetipſis extra ſuas cauſas*, & vt loquitur Nauarrete controuerſia 52. §. 2. concluſ. 3. *Secundùm ſuas proprias & particulares exiſtentias, & non ſolùm præſentialitate in eſſe obiectiuo*; ſicut etiam loquitur Cabrera tomo 3. in 3. parte quæſt. 62. articulo 1. diſputat. 13. §. 6. num. 66. non fuerunt ab æterno, & ſemper præſentia realiter Deo in æternitate. Conſequentia eſt manifeſta, quia quod fit de nouo in tempore, non poteſt ante illud tempus, in quo de nouo fit, alteri realiter coëxiſtere. Etenim productio ſubſtantialis maximè terminatur ad eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale rei, nõ autem ad durationem, quę eſt accidens. Ergo illud eſſe verè fit in tempore, & non tantùm fit, vt illud eſſe ſit in menſura ſuæ durationis; alioqui periret omnis productio ſubſtantialis, & conſequenter corruptio. Ergo illud eſſe, antea non præexiſtebat in æternitate, neque illi realiter coëxiſtebat: eſt enim inintelligibile, *Omnia futura actu exiſtere in æternitate*, vt loquitur Aluarez ſupra d. 6. num. 7. §. *Ad confirmationem.* ac proinde, dari aliquod eſſe extra cauſas diſtinctum à Deo, & realiter coëxiſtens æternitati ab æterno, & tamen non eſſe productum, nec exiſtens in aliqua ſua propria, & intrinſeca duratione: ſicut enim eſt impoſſibile, rem, quæ non ſit realiter producta, nec in aliquo loco, coëxiſtere realiter loco alterius; ita pariter, rem non realiter productam, & in nulla duratione realiter exiſtentem, coëxiſtere realiter durationi extrinſecæ alterius.

Aluarez. Bagnes. Nauarrete. Cabrera.

*Præſentia rerum in æternitate, impugnatur ex rerum productione.*



Aluarez.

58\. *Exponitur locus Iſaiæ. 45.* Ad quartum, dici, Deum feciſſe quæ futura ſunt, non quòd verè ab æterno creata ſint, vt videntur ſonare verba: nec propter realem eorumdem præſentiam, ſeu coëxiſtentiam cum æternitate, ſed tum propter æternam, atque omnino immutabilem, & efficacem Dei voluntatem, qua creaturas facere diſpoſuit in hac vel illa differentia temporis; vt exponit Fulgentius lib. 1. ad Monimum, multò ante medium, docens; ideo Prophetam dixiſſe de Deo, *Qui fecit quæ futura ſunt*, quia Deus in Chriſto *ex æternitate diſpoſitionis ſuæ, in prædeſtinatione iam fecit quæcumque effectu operis ſui, tempore congruo facienda diſpoſuit.* Tum etiam propter æternam, & omnino inuariabilem Dei cognitionem, qua ita clarè, ac diſtinctè videt ſemper omnes reales præſentialitates, quas vniuerſa entia actualia habitura ſunt, vel habuerunt in aliqua differentia temporis, ſicut ſi ſemper, & in omni differentia temporis eſſent actu factæ, & realiter præſentes in ſe ipſis extra cauſas.

Fulgentius.

59\. *Exponitur locus ad Romanos 4.* Ad quintum. Nihil in eo loco apparere notatu dignum pro Thomiſtis: quoniam vox illa præteriti temporis, *poſuit*, non refertur, vt ſupponit argumentans, ad aliquid futurum, in actu realiter poſitum pro eo ſtatu, & tempore, quo eſt futurum; hoc enim, vt modò probaui, manifeſtam implicantiam continet. Quis enim concipiat, Abraham factum iam fuiſſe actu realiter patrem, quando futurus erat pater, necdum habebat paternitatem, & filios. Itaque illud, *poſuit*, ſicut eſt præteriti temporis, ita refertur ad rem præteritam, ſiue ab æterno factam, hoc eſt, ad liberum Dei decretum ab æterno factum, de Abraham futuro patre multarum gentium, & ſenſus eſt, *poſui*, hoc eſt, conſtitui, ſeu ſtatui, ac decreui, futurum te patrem multarum gentium. Sicut cùm Ioan. 15. dicitur, *ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis*, &c. illud, *poſui*, clarè accipitur pro elegi, & iungitur itineribus, & fructibus diſcipulorum, non præteritis, aut præſentibus, ſed futuris. Vnde Geneſ. 17. quem locum citat Paulus ad Romanos 4. non habetur, *poſui*, ſed, *conſtitui*, imò adduntur, *ponam*, & aliæ voces futuri temporis: *Patrem multarum gentium conſtitui te; faciamque te creſcere, & ponam te in gentibus*, &c. Quibus apertè ſignificatur totum oppoſitum, nempe, ſtatutum, ſeu decretum Dei æternum, non fuiſſe de aliqua re ſemper, ac realiter præſẽte æternitati, ſed de re futura in tempore poſt æternitatem. Denique dicitur Deus vocare *ea quæ non ſunt*, non quia præſupponuntur eſſe realiter præſentia æternitati, ſic enim vocaret *ea quæ ſunt*, ſed ſolùm quia non minorem cognitionem, poteſtatem, & authoritatem habet diſponendi de non exiſtentibus, & non præſentibus, quàm de exiſtentibus, & præſentibus. Vnde multò probabilius colligere poterant Aluarez, & Bagnes hîc §. 2. concluſ. 2. qui eodem teſtimonio vtitur, futura non habere eſſe in ſe ipſis, realiter præſens æternitati, diſtinctum ab eſſe præſens obiectiuè; ſed potius habere non eſſe ſimpliciter, ſic enim ſincerius verificatur dictum Pauli, *Vocat ea quæ non ſunt.* Saltem Thomiſtæ ſcire, & ſequi debent S. Thomam, qui 1. 2. quæſt. 91. art. 1. ad 1. hæc verba intelligenda eſſe docuit, non de eſſe realiter in ſe ipſis, ſed de eſſe obiectiuè in intellectu, & voluntate Dei, dicens, *ea quæ in ſe ipſis non ſunt, apud Deum exiſtunt, in quantum ſunt ab ipſo cognita, & præordinata, ſecundùm illud Roman. 4. Qui vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.*

*Exponitur locus Io. 15.*

*Exponitur locus Gen. 17.*

S. Thomas.

## *Exponuntur Patrum authoritates.*

Obiiciunt ſecundò authoritates Patrum. Referam ſolùm eas, in quibus magis confidunt, nam aliæ ſimiles explicatæ ſunt ſupra num. 41. & 42. vel etiam clariores, exponi facilè poſſunt de præſentia obiectiua. Primò, inquit Aluarez ſupra, *eſt inſignis locus* Auguſtini in ſoliloquiis cap. 26. ex quo multa verba referuntur, & tandem Aluarez vim facit tantùm in his, *Quod ego per ſucceſſus dierum, & temporalium, hinc ad mille annos huius temporalitatis expecto, in conſpectu æternitatis tuæ iam factum eſt; & quod futurum eſt, iam factum eſt.* Hæc verba, vt arguit Aluarez, *explicari non poſſunt de ſola præſentialitate obiectiua: nam futura, ſi ſolùm eſſent obiectiuè præſentia in æternitate, non dicerentur iam eſſe facta in eadem æternitate.* 60.

*Arguit Aluarez ex Auguſtino.*

Reſpondeo, præſentialitatem obiectiuam expreſsè indicari illis verbis, *In conſpectu æternitatis tuæ iam factum eſt*, hoc eſt, ita clarè, & diſtinctè conſpicitur à Deo ab æterno, ac ſi iam ab æterno factum eſſet. Et contendere, verba illa eſſe intelligenda de vera, ac reali factione rerum ab æterno, eſt velle tribuere Auguſtino ſententiam planè hæreticam de rerum creatione ab æterno. Dicuntur igitur ab Auguſtino, & aliis Patribus, apud Deum eſſe ab æterno facta, quæ futura erant in tempore, nimirum, non propter realem creationem æternam, ſed ſolùm propter æternam, & efficacem voluntatem creandi in tempore, & propter infinitam cognitionis ſuæ vim, qua omninò immutabiliter ab æterno, & in æternum videt clariſſimè, ac diſtinctiſſimè omnia futura in quacumque differentia temporis, non minus ac ſi illa iam ab æterno, & ſemper eſſent realiter facta, & præſentia in ſe ipſis.

*Reſpondetur.*

Secundò Gonzalez ſupra num. 40. ſcribit eſſe *vim maximam*, in Patribus citatis ſupra num. 41. docentibus, in Deo non eſſe propriè præſcientiam, ſed ſcientiam; ídque probantibus ea ſola ratione, quia præſcientia eſt propriè futurorum, ſcientia verò præſentium, Deo autem nihil eſſe futurum, ſed omnia præſentia: vt patet ex verbis Auguſtini relatis ſupra num. 12. 61.

*Arguit Gonzalez ex Patribus negãtibus in Deo præſciẽtiam.*

Arrubal hîc, diſp. 41. cap. 9. exponit Patres de præſcientia *ſecundùm ordinem ſucceſſionis præteriti, & futuri, quæ ita antecedit ſuum obiectum, vt tranſeat, & deſinat eſſe adueniente obiecto: eſſe autem in Deo præſcientiam propriè dictam ſecundùm durationem permanentem, quæ antecedat exiſtentiam obiecti, non autem tranſeat illo adueniente, ſed ſimul cum illo exiſtat.*

*Expoſitio Arrubal.*

Hanc interpretationem, ait Gonzalez ſupra num. 41. *apertè pugnare* cum verbis Patrum; & arguit primò referendo iterum verba iam paulò ante relata, & ſolùm ſimpliciter concludendo, Patres negare præſcientiam, *propriè ſumptam*: Arrubal verò admittere præſcientiam, *propriſſimè ſumptam.*

*Prædictã expoſitionẽ impugnat Gonzalez primò.*

Secundò. Tertiò.

Secundò, *quia ex ſecundo membro ſequitur primum: nam adueniente obiecto iam deſinit cognitio futuri.* Tertiò, *quia ſancti negant antecedentiam diuinæ ſcientiæ ad res futuras in menſura ipſius diuinæ ſcientiæ: alias enim non dicerent, nihil Deo eſſe futurum, quia omnia ſupergreditur tempora.*

*Defenditur expoſitio Arrubal, contra Gonzalez.*

62. Hæc tamen nihil imminuunt veritatem acutæ interpretationis, ſi paulò clarius explicetur, vt poſſit melius percipi, & recipi ſine contradictione. Præſcientia noſtra, quæ dicta eſt propriiſſimè præſcientia, reſpicit mutabiliter, ſeu variabiliter res futuras. Nam toto antecedente tempore, quo res ſunt futuræ, eas reſpicit imperfectè, non cognoſcendo multa, quæ res illæ habituræ ſunt, quando erunt præſentes, vt declaraui ſupra art.8. num.32. & vel ipſa experientia notiſſimum eſt: in alio autem ſequenti tempore, quando res in ſe ipſis præſentes realiter exiſtunt, iam iiſdem rebus, multa nobis apparent de nouo cognoſcenda. Præſcientia igitur propriiſſimè ſumpta, eſt illa, quæ mutat obiectum; quo mutato, ipſa quoque mutetur neceſſe eſt. Nam præſcientia durat vſque ad illam temporis differentiam, in qua res de eſſe futuro tranſit in eſſe præſens; & tunc adueniente alio nouo obiecto præterit, & eſſe deſinit præſcientia, & aduenit noua ſcientia de re præſenti. Atque hæc eſt illa præſcientia, quam Arrubal paulò obſcurius vocat, *ſecundùm ordinem ſucceſſionis præteriti, & futuri*, hoc eſt, quæ aliquando eſt præſcientia de futuris, & nonſcientia de præſentibus: aliquando verò eſt ſcientia de præſentibus, & non præſcientia de futuris. Et ita præteritæ præſcientiæ de futuris ſuccedit futura ſcientia de præſentibus.

*Præſcientia propriiſſimè dicta, importat imperfectionem.*

*Ad primum Gonzalez.*

63. Declaratis terminis, reſpondetur ad primum. Expoſitionem Arrubal maximè concordare cum verbis Patrum; quia Patres, vt ipſemet Gonzalez verè refert, ob nullam aliam proprietatem negant, ſcientiam Dei eſſe præſcientiam, niſi quia hæc eſt propriè de futuris, ſcientia verò Dei eſt de præſentibus. Quoniam verò futura, vt futura, ſecundùm quòd diſtinguuntur à præſentibus, non ſunt cognoſcibilia niſi imperfectè, hoc eſt, non ſecundùm omnes determinationes, & præſentialitates, quas à parte rei habitura ſunt in aliqua differentia præſentis temporis, ideo quando eſt præſens præſcientia de rebus futuris, futura eſt ſcientia de rebus præſentibus, quando verò præſens eſt ſcientia de rebus præſentibus, eſſe deſinit, & fit præterita, præſcientia de rebus futuris. Itaque idem eſt, non eſſe in Deo præſcientiã *ſecundùm ordinem ſucceſſionis præteriti, & futuri*, vt loquitur Arrubal, & non eſſe in Deo præſcientiam de futuris, in quantum futura diſtinguuntur à præſentibus, vt loquuntur Patres, cuius locutionis expoſitio Arrubal cauſam reddit. Patrum igitur mens penetrari certò, ac facilè poteſt, ſi ſciamus, quid ſignificare voluerint nomine futuri, cùm illud eſſe docent obiectum cognitionis noſtræ, non Dei: & quid nomine præſentis, cùm illud tribuunt cognitioni diuinæ, non noſtræ. Equidem poſt diuturnam, accuratámque Patrum lectionem, & conſiderationem, indubitanter exiſtimo, apud illos idem materialiter obiectum, quatenus eſt indeterminatum, & indiſtinctum, quod eſt eſſe confuſum, & imperfectum, dici propriè futurum, quod, inquit S.Thomas hîc, *vt futurum, conſideratur vt nondum determinatum*, quia, vt ait quæſt.16. de malo, art.7. ante medium corporis, *Futura prout futura ſunt, nondum habent eſſe in ſe ipſis*: quatenus verò eſt in ſe ipſo determinatum, ac diſtinctum, & iam perfectum, dici propriè præſens: verè enim eadem res dum eſt in ſtatu futuritionis, quo intra ſuas cauſas continetur, & quaſi confunditur, habet indeterminationem, atque imperfectionem; dum verò eſt in ſtatu præſentialitatis, quo in ſe ipſa ponitur, & quaſi explicatur, ac diſtinguitur extra cauſas ſuas, habet omnimodam determinationem, ac perfectionem. Volunt igitur Patres, obiectum diuinæ cognitionis non eſſe futurum vt futurum, hoc eſt, præſcindendo à præſentialitate, ita vt Deus de re futura cognoſcat ſolam futuritionem, & non præſentialitatem, quomodo cognoſcunt creaturæ; & ideo hanc cognitionem creaturarum, & non Dei, eſſe propriiſſimè præſcientiam; ſed eſſe futurum, vt præſens, hoc eſt, ſecundùm omnes determinationes, circumſtantias, & præſentialitates, quas verè, & à parte rei aliquando habet; & ideo cognitionem Dei de futuris eſſe propriiſſimè ſcientiam, non præſcientiam. Et ſanè qui abſque ſtudio contradicendi perpendere voluerit Patrum dicta, euidenter deprehendet, eos loqui de rebus præſentibus, duplici tantùm præſentia, & reali in tempore, & obiectiua in æternitate; & numquam prorſus loqui de præſentia reali in æternitate, quam tertiam diſtinctam præſentiam aliqui Thomiſtæ immeritò introduxerunt; nam quotieſcumque Patres tribuunt rebus futuris, & præſentibus præſentiam æternam, ſemper, & expreſsè eam referunt ad æternam Dei cognitionem, vt notaui ſupra n.12. 41. & 42. reſpectu cuius illa rerum æternitas eſt tantùm obiectiua, non realis, licèt rerum præſentia realis in tempore ſit obiectum cognitionis æternæ. Vnde habet eſſe æternum intentionale, & obiectiuum. Falsò igitur dicit Gonzalez, Patres negare Deo præſcientiam propriè ſumptam, Arrubal verò concedere præſcientiam propriiſſimè ſumptam; nam tam Patres, quàm Arrubal negant propriiſſimam, hoc eſt, ſcientiam antecedentem obiectum ſecundùm durationem, & ſimul etiam de obiecto futuro, vt præciſè futuro: concedunt verò propriam, hoc eſt, antecedentem tantùm obiectum ſecundùm durationem, licèt eius obiectum ſit futurum vt præſens. Quam ſcientiam vocant abſolutè præſcientiam Iuſtinus, Origenes, Hieronymus, Cyrillus, Auguſtinus, Damaſcenus, Euſebius, Boëtius, citati ſupra artic.8. à num.48. ad 54. & S.Thomas 1.d.38.quæſt.1.art.5.poſt medium corporis, exponens Boëtium negantem præſcientiam propriiſſimè, videtur eam adhuc concedere, ita limitans, *Sed tamen poteſt dici præſcientia, in quantum cognoſcit id quod futurum eſt nobis, non ſibi*, hoc eſt, reſpectu cognitionis noſtræ, non Dei, & S.Bonauentura 1. d.39.art.2.quæſt.3. in primo argumento *ſed contra*, ait, *In Deo eſt præſcientia propriè, quia eſt propriè ſcientia, & propriè anteceſſio reſpectu cogniti.* & in fine corporis, *Deus iudicat aliquid eſſe futurum, ſed non futurum ſibi. Et omnia præſenter cognoſcit, & nihilominus præſcit.* Imò ipſamet Scriptura interdum ita loquitur. Sap.19. *Præſciebat enim, & futura illorum.* & ad Rom.8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*, & cap.11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.*

*Futura, vt futura, cognoſci imperfectè.*

*Vera mens Patrum negantium in Deo præſciẽtiam.*

*Quid ſecundùm S.Thomam ſit futurũ, vt futurum.*

*Patres præter præſentiam obiectiuã in æternitate, & realem in tẽpore, non dãt tertiam præſentiam realem in æternitate.*

*Nomine præſcientiæ vtũtur multi Patres, &*

S.Thomas.

S.Bonauent.

*Et Scriptura.*

*Ad ſecundũ Gonzalez.*

64. Ad ſecundum. Illa ſequela eſt apertè mala. Et ad probationem, dico, obiectum, quod eſt, res futura, aduenire quidem materialiter, dum in re ipſa tranſit de eſſe futuro in eſſe præſens: ſed formaliter vt obiectum, aduenire quidem reſpectu noſtræ cognitionis, quæ fertur in futurum, vt futurum, non vt præſens; tamen non aduenire reſpectu cognitionis increatæ, quæ fertur in futurum, vt præſens, non vt futurum. Semper autem cum S.Thoma, cuius loca manifeſta citaui ſupra, n.11. & 43. intelli



intelligo præſens præſentia reali in tempore, quando res eſt, non autem præſentia reali in æternitate quando res non eſt, vt intelligunt multi Thomiſtæ.

*Ad tertium Gonzalez.*

Ad tertium. Diuinam ſcientiam per æternitatem antecedere res futuras, nimirum anteceſſione reali, quia ab æterno datur Dei præſcientia actu, & realiter in ſe ipſa; res autem futuræ, eſſe actu realiter in ſe ipſis, non habent ab æterno, ſed tantùm in tempore: non autem antecedere anteceſſione obiectiua, quia ab æterno res futuræ fuerunt obiectum ſcientiæ Dei, non ſecundùm futuritionem præciſè, ſed etiam ſecundùm omnem earum præſentialitatem realem in tempore. Idque efficaciter probatur à S.Thoma ex æternitate ipſiuſmet diuinæ ſcientiæ; eámque probationem ſignificarunt Patres docentes, *Nihil eſſe Deo futurum, quia omnia ſupergreditur tẽpora*, vt ex Auguſt. notaui ſupra, n.12.

*Defenditur alia expoſitio Vaſquez, & Suarez, contra Gonzalez.*

65. Præterea Gonzalez, eadem d.43. num.41. refert aliam interpretationem Vaſquez d. 64. num. 24. Patres negare in Deo præſcientiam propriè ſumptam pro cognitione imperfecta, quæ interpretatio, inquit Gonzalez, *minus congruit verbis ſanctorum.* Quod nulla alia ratione probat, niſi quia Patres, præſcientiam Deo negant ſolùm ex eo capite, *Quia ei futurum eſt nihil; præſcientia autem eſt futurorum ſcientia.* Verùm hæc ſecunda expoſitio maximè congruit verbis, & rationi Sanctorum, ſicut prima à qua in re non differt. Nam præſcientia, *Secundùm ordinem ſucceſſionis præteriti, & futuri*, quam Arrubal explicat, eſt cognitio imperfecta: nec Vaſquez aliam imperfectionem tradit, niſi illam, qua aliter, & per aliam nouam cognitionem, priori ſuccedentem, ſciatur res quando eſt præſens, ac antea quando erat futura. Et ratio vtriuſque eſt, quia præſcientia, in communi modo loquendi ſumitur pro cognitione tendente ad futurum vt futurum formaliter eſt, quod non eſt cognoſcibile niſi cum prædicta imperfectione, vt ſupra. Eamdemque interpretationem tradit Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib.1.c.7.n.18.

*Nihil Deo eſt futurum, & præteritũ obiectiuè, ſed realiter.*

66. Vt autem idem clarius percipiamus, & penetremus mentem Patrum docentium, nihil Deo eſſe futurum, & præteritum, ſed omnia præſentia, ſcilicet obiectiuè, nam realiter res futuræ, & præteritæ ſunt, etiam reſpectu Dei; v.g. Antichriſtus nunc non coëxiſtit realiter Deo, ſed coëxiſtet; Adamus nunc non coëxiſtit realiter Deo, ſed coëxtitit, addendũ eſt vlterius; futurum, & præteritum non dicere in ſe formaliter, & primariò eſſe præſens, cum ab illo expreſsè diſtinguantur, ſed tantùm connotatiuè, & ſecundariò. Conueniunt igitur inter ſe, in quantum dicunt formaliter non eſſe in ſe cum ordine ad eſſe; differunt verò in quantum futurum importat non eſſe in tempore antecedente, & connotat eſſe in tempore ſequente: præteritum autem importat non eſſe in tempore ſequente, & connotat eſſe in tempore antecedente: ac proinde, futurum vt futurum, ita habet non eſſe in ſe, vt ſimul habeat eſſe in cauſa: præteritum verò nullum habet eſſe, neque in ſe, neque in cauſa, ſed tantùm habuit eſſe in ſe extra cauſam. Cognoſcere igitur futurum vt futurum, & præteritum vt præteritum, eſt cognoſcere per ſe, & directè, ac primariò non eſſe rei, & indirectè ac ſecundariò, ſeu connotatiuè eſſe rei: quæ cognitio eſt imperfecta, & conſequenter non ponenda in Deo; tùm quia eſt abſtractiua, ac proinde confuſa, cùm non videat eſſe in ſe ipſo, ſed in non eſſe, dicente ſolùm habitudinem ad eſſe ſibi extrinſecum, & maximè oppoſitum; tum quia eſt indirecta, cùm ex probatis ſupra art.9. & 10. prius ſit eſſe, quàm non eſſe, & Deus negationes cognoſcat per affirmationes, non contra. Ergo dicendum, Deum cognoſcere quidem futurum, & præteritum, vt probat Capreolus 1.d.38. quæſt.1.art.2. concluſ.3. quia cognoſcit ſimpliciter quicquid hæc importat, nimirum, non eſſe cum ordine ad eſſe, ſiue intra, ſiue extra cauſas, & in hac vel illa differentia temporis, ſiue prioris, ſiue poſterioris; Deus enim, inquit S.Thomas 1.d.38. quæſt.1.art.5. circa finem corporis, *videt hanc rem, reſpectu præcedentis temporis eſſe futuram, & reſpectu futuri præteritam*: non autem cognoſcere futurum, vt futurum, ſed vt præſens; nec præteritum, vt præteritum, ſed vt præſens: quia ratio cognoſcendi præteritum, & futurum, ſeu, rem non eſſe in hac vel illa differentia temporis, eſt, quia cognoſcit præſens, ſeu, rem eſſe in ſe ipſa extra cauſas in alio tempore, ante quod res non eſt, ſed eſt futura; & poſt quod res non eſt, ſed eſt præterita, v.g. poſt factum ab æterno decretum de creatione Adami, & Antichriſti in tali tempore, prius ratione, cum fundamento in re, fuit, Deum videre eos præſentes, & eſſe realiter in tali tempore, quàm non eſſe in aliis temporibus cum ordine ad eſſe in tali tempore. Hoc igitur ſignificare intendunt Patres cùm docent, Deum non videre futura, & præterita, ſed præſentia; quia rerum præſentialitas eſt ratio videndi earumdem futuritionem, & præteritionem, non contra.

*Quomodo differant futurum, præteritũ, & præſens.*

*Cur Deus nõ ſciat futurũ vt futurũ, & præteritũ vt præteritum.*

*Deus ſcit futura, & præterita.*

Capreolus.

S.Thomas.

*Cur dicant Patres, Deũ non ſcire futura, & præterita.*

## *Exponuntur authoritates S.Thomæ.*

67. Obiiciunt tertiò authoritates S. Thomæ, de quibus ſatis, ſupérque dictum eſt in ſuperioribus. Sed præterea omnium nouiſſimè Gonzalez d.43. à num.37. probat S.Thomam in hoc articulo, non poſſe exponi de ſola præſentia obiectiua, cùm docet, *Futura omnia ab æterno eſſe Deo præſentia.* Primò, futurum contingens, ex S.Th. hîc, non eſt certò cognoſcibile vt futurum, ſed vt præſens, hoc autem intellectum de ſola præſentia obiectiua, quæ nihil eſt aliud, quàm obiectum certò cognoſcibile, redderet ſenſum implicatorium, nempe, futurum non eſſe, & ſimul eſſe, obiectum certò cognoſcibile. *Mens ergo D.Thomæ*, concludit Gonzalez, *apertiſſima eſt, nempe, quia diuinus intuitus, qui æternitate menſuratur, ab æterno pertingit præſentialiter ad ipſum futurum, vt habet eſſe in ſe ipſo in tali tempore, ideo futura contingentia ab æterno ſunt ab illo certò cognoſcibilia.* Confirmat, quia noſtræ Societatis Theologi omnes tenent contra S.Thomam, *quòd futurum contingens, etiam ſub ratione futuri, eſt certò cognoſcibile.* Quod nobis etiam grauiter obiicit Nauarrete controuerſ.52. §. 8. concluſ. 17. *Secundò. D.Thomas ex præſentia, quam habent futura contingentia cum cognitione diuina, quæ æternitate menſuratur, probat, illa eſſe certò cognoſcibilia*: ergo loquitur de alia præſentia reali, non de obiectiua. *Tertiò. D.Thomas illam coëxiſtentiam, quam negauit rebus labentibus comparatis inter ſeſe, conceſſit rebus labentibus comparatis Deo ſecundùm menſuram ſuæ æternitatis.* Sed illa eſt realis, ergo & hæc. Maiorem probat illis verbis de veritate quæſt.2.art.12. *Hoc enim, quod à Deo viſum eſt, futurum eſt rei alteri, cui ſuccedit in tempore: ſed ipſi diuinæ viſioni, quæ non in tempore, ſed extra tempus eſt, non eſt futurum, ſed præſens.* Confirmat, quia cum S.Thomas hanc coëxiſtentiam cum Deo, & non cum aliis rebus futuris, probat ex eo quòd Deus eſt extra omne tempus, & extra omnem ordinem rerum, intendit declarare coëxiſtentiam phyſicam. *Quartò, quia hoc ipſum expreſſiſſimis verbis habetur de veritate, quæſt.2. artic. 12. ad 1.* vbi ait S.Thomas,

*Præterea Gõzalez ex S. Thoma obiicit*

Primò.

Nauarrete.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

S. Thomas, *Licèt contingens non ſit determinatum, quandiu futurum eſt; tamen ex quo productum eſt in rerum natura, veritatem determinatam habet; & hoc modo ſuper illud fertur intuitus diuinæ cognitionis.* Ergo S. Thomas, *apertè ait, quòd intuitus diuinæ cognitionis attingit præſentialitatem phyſicam ipſius futuri.* Idemque probat ex verbis ad 2. & ad 6. eiuſdem articuli, & 1. d. 38. quæſt. 1. art. 5. in corp. & ad 2. 4. & 6. vbi ſæpius repetit, quod ſcientia Dei non attingit rem futuram, *niſi prout eſt in eſſe actuali ſuo præſentialiter, quod non habuit ſemper.*

68. *Ad primum.* Ad hæc facillimè reſpondetur. Ad primum cùm S.Th. circa finem corporis, dicit, *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo præſentia ab æterno,* eſt intelligendus de præſentia obiectiua, tum quia contra fidem eſt, & cõtra ipſoſmet propoſitionis terminos, omnia, quæ ſunt in tempore, habere aliam realẽ præſentiam ab æterno: eſſe enim realiter in tempore, & eſſe realiter ab æterno, inuicem pugnant: cohærent ſolùm, eſſe realiter in tempore, & eſſe obiectiuè tãtùm ab æterno. Tum quia ſtatim id probatur per præſentiam æternæ cognitionis, vnde in obiecto prouenit ſolùm præſentia æterna obiectiuè. Cùm verò circa principium corporis, dicit, futurum certò cognoſci, *non vt futurum, ſed vt præſens,* ſiue, vt ter poſtea dicit, *Secundùm ſuam præſentialitatem,* eſt intelligendus de præſentia reali, vt probaui ſupra n. 11. ex ipſomet S.Th. & num. 43. & 49. ad 54. cum Ægidio, Heruæo, Sylueſtro, & aliis recentioribus. Atque ipſemet Gonzalez in concluſione huius primi argumenti deducit hanc ſolam præſentiam realem in tempore; & tamen expreſsè propoſuerat probare præſentiam realem in æternitate, & ab æterno, quæ non deducitur ex eo quòd futura, antequam ſint, ſeu quando futura ſunt, videantur ab æterno ſecundùm ſuam præſentialitatem; quia ab æterno videntur vt realiter præſentia, non præſentialitate reali in æternitate, ſed ſolùm præſentialitate reali temporanea, quæ tamen ab æterno, & in æternum ſit obiectum ſcientiæ diuinæ.

*In quo ſenſu dici poſſit, ſciri à Deo futurum, vt futurum.* Ad confirmationem; cùm nos aliquando dicimus, futurum, vt futurum, cognoſci à Deo, illud, *vt*, ſumi poteſt, vel vt reduplicans rationem formalem cogniti, quæ ſcilicet conſtituit formaliter futurum in ſua formali ratione entis futuri: vel vt reduplicans rationem formalem cognoſcendi ex parte cognoſcentis. Nos igitur illud non affirmamus in hoc ſecundo ſenſu, in quo negatur à S. Thoma, imò omnes expreſsè aſſerimus, rationem cognoſcendi infallibiliter res futuras, non eſſe præcisè futuritionem, ſed præſentialitatem realem in ſe ipſis in aliquo determinato tempore. Sed illud affirmamus in primo ſenſu cum S. Thoma, & Capreolo, ſupra num. 66. & puto à nullo bono Theologo poſſe negari, aliter Deus ignoraret propriam eſſentiam, & formalitatem futuri, quam nos ipſi *S. Thomas.* ſcimus. Vnde ipſemet S. Thomas lib. 3. contra Gentes, cap. 154. ante medium, cùm vellet oſtendere, Deum ſcire futura diuerſo modo, quo ſcit creatura, ait, creaturam ſcire futura, *non quidem in quantum futura ſunt, ſed in quantum in cauſis ſuis præexiſtunt.* Deum verò ſcire futura *in ſe ipſis.* Vnde euidenter ſequitur, Deum in ſententia S. Thomæ ſcire futura in quantum futura: & futura à Deo cognoſci vt futura, & ſimul in ſe ipſis. Quia nimirum cognoſcuntur futura ſecundùm eorum formalem rationem, ſed ratio cognoſcendi eſt eſſe, quod habent ſecundùm præſentialitatem in ſe ipſis, non ſecundum futuritionem in cauſis ſuis. Quod opti- *Capreolus.* mè, & clariſſimè expreſſit Capreolus 1. d. 38. q. 1. art. 4. ad 7. Aureoli contra ſecundam concluſionem, dicens, *Deus cognoſcendo futurum, duo cognoſcit, ſcilicet, eſſe rei futuræ, quod habet in ſe ipſa, & eſſe, quod habet in ſuis cauſis, propter quod dicitur futura. Hæc autem propoſitio, Antichriſtus erit, eſt de futuro, & eſt ſcita à Deo, non ratione futuritionis ſuæ, ſed quia ſcit illam de præſenti, Antichriſtus eſt: futuritio enim non ſubeſt certitudini ſcientiæ diuinæ, niſi quia præſentialitas ſubeſt.*

Ad ſecundum. Illud antecedẽs non poſſe aſſumi 69. ab aliquo vero Thomiſta, quia S.Th. in hoc art. & *Ad ſecundũ.* omnibus aliis locis ſupra citatis perpetuò, & expreſsè docet, futura eſſe certò cognoſcibilia, non *ex præſentia, quam habent cum cognitione diuina,* vt vult Gonzalez, hoc enim verè eſſet, vt ex ſe patet, probare idem per idem, quod ipſe contra nos in vanum obiicit; ſed ex præſentia reali temporanea, quam vnumquódque eorum habet prout eſt actu determinatum in ſe ipſo in tali differentia temporis: ex qua præſentia reali determinata, & certa, habent futura, vt poſſint certò cognoſci, ſeu, quod idem eſt, vt poſſint habere præſentiam cum cognitione diuina.

Ad tertium, negatur maior: prima enim coëxi- *Ad tertium.* ſtentia quam vnum futurum non habet reſpectu alterius, eſt realis in tempore. Secunda verò coëxiſtentia, quam omnia futura habent, comparata Deo ſecundùm menſuram ſuæ æternitatis, non poteſt eſſe alia niſi obiectiua ab æterno: quam ſolam ſignificat S. Thomas citatis verbis de veritate, quia expreſsè loquitur de illa futuri præſentia, qua futurum, ipſi diuinæ viſioni non eſt futurum, ſed præſens. Præſentia quæ habetur ratione viſionis, non eſt realis, quæ viſionem præcedit, ſed obiectiua, quæ viſionem conſequitur. Ad confirmationem, euidenter ſequitur totum oppoſitum; quia ex eo quod Deus ſit extra omne tempus, & ordinem rerum temporalium, ſequitur, ſcientiam Dei non pendere à tempore in quo res ſunt, neque ab ordine ſucceſſionis, vt ſicut res inuicem ſuccedunt, ita ſuccedant in Deo rerum cognitiones: vnde habetur ſolùm æterna rerum coëxiſtentia cum diuina cognitione, & conſequenter coëxiſtentia, non realis, ſed obiectiua, quam expreſſit S. Thomas 1. *S. Thomas.* 2. quæſt. 91. artic. 1. ad 1. *Ea quæ in ſe ipſis non ſunt, apud Deum exiſtunt, in quantum ſunt ab ipſo cognita.*

Ad quartum. Illa verba eſſe contra Thomiſtam 70. argumentantem. Si intuitus Dei fertur ſupra futu- *Ad quartũ.* rum, in quantum *productum eſt in rerum natura,* vt docet S. Thomas, ergo non fertur in illud, vt ab æterno, & ſemper coëxiſtens, & realiter præſens æternitati, vt dicit Gonzalez, & probare nititur in ſua quarta concluſione; quia futurum non habet eſſe productum ab æterno, & ſemper coëxiſtens, & realiter præſens æternitati. Cùm autem ex his verbis concludit Gonzalez, *ergo ſcientia Dei attingit præſentialitatem phyſicam ipſius futuri;* id vltrò concedimus: verùm nodus controuerſiæ noſtræ non eſt hic, ſed ſolùm, quomodo hæc phyſica præſentialitas realiter coëxiſtat æternitati, an ſemper, vt vult Gonzalez cum ſuis, an aliquando, vt nos cum S. Thoma tuemur, dicentes, realem futurorum præſentialitatem æternitati coëxiſtere; ſemper quidem obiectiuè, ſed non niſi aliquando realiter. *Diſtinguitur, & declaratur duplex rerum præſentialitas obiectiua, quæ eſt in æternitate; & realis, quæ eſt in tempore.* Quod vltimum clariſſimè exprimitur illis aliis verbis ibi relatis à S. Thoma, *ſcientia Dei non attingit rem futuram, niſi prout eſt in eſſe actuali ſuo præſentialiter, quod non habuit ſemper.* Si res futura ſuum eſſe præſentialiter actuale non habuit ſemper, nempe, per realem exiſtentiam in ſua propria duratione: ergo neque per realem coëxiſtentiam in æterna duratione Dei. Ex omnibus iſtis reſponſionibus



nibus intelligere poſſunt Gonzalez, & alij aduerſarij, nos cùm interpretamur S. Thomam de ſola præſentia obiectiua, id ſolùm aſſerere de iis locis *Duplex rerũ præſẽtialitas.* in quibus S. Thomas rerum præſentiæ tribuit æternitatem, quæ rerum æterna præſentia non poteſt eſſe alia niſi obiectiua: per hoc tamen non negare, obiectum, ſeu terminum huius præſentiæ obiectiuæ æternæ, quæ realiter eſt ipſamet æterna, & ſemper præſens Dei cognitio, eſſe præſentiam phyſicam, ac realem in tempore: quas duas præſentialitates, qui in hac materia non diſtinguunt, in ſuis diſputationibus confundantur neceſſe eſt probantes, & impugnantes quæ nemo negat.

## *Diluuntur oppoſitæ rationes Gonzalez, Bagnes, & Aluarez.*

71. *Prima obiectio ducta ex indiuiſibilitate æternitatis.* Iam verò ex ratione cum eodem Gonzalez, à num. 41. ad 47. obiicies primò rationem, quam Gonzalez vocat, *efficaciſſimam,* æternitas eſt infinita ſimpliciter, & indiuiſibilis tota ſimul, *quæ ſine aliqua ſucceſſione cõtinet omne tempus, præſens, præteritum, & futurũ: ergo omnia futura nobis ſunt illi actu realiter præſentia.* Probat conſequentiam, *quia aliàs non contineret indiuiſibiliter, & ſine ſucceſſione omnes differentias temporis: ſi quidem aliquando eſſet realiter præſens alicui rei temporali, cui tamen ab æterno non fuerat realiter præſens.* *Reſpondetur explicando modum, quo æternitas cõtinet tẽpus.* Reſpondent optimè, ac facillimè Suarez, & alij noſtri Theologi, negando conſequentiam: quam malam eſſe fiet omnibus manifeſtum, ſi diſtinguatur illa continentia, quę ponitur in antecedente, & in qua confusè accepta totum ſuum efficaciſſimum diſcurſum fundat Gonzalez, ſicut *Nauarrete. Nazarius. Cabrera.* etiam ante ipſum Nauarrete hîc controuerſ. 52. §. 1. Nazarius controuerſ. 3. Cabrera tomo 3. in 3. part. quæſt. 62. art. 1. diſp. 13. §. 6. num. 68. loquendo igitur de continentia in ratione præſentiæ, & coëxiſtentiæ, de qua ipſemet Gonzalez loquitur, vt patet ex probatione conſequentiæ, & quæ ſola facit ad præſentem controuerſiam, in qua inquirimus de futurorum præſentia, & coëxiſtentia cum æternitate, nam de alia continentia, qua æternitas in ratione exemplaris, & menſuræ continet om- *Diſtinguitur duplex continentia.* nes creatas durationes, tractatum eſt ſupra in quæſt. 10. nec illa ſpectat ad hunc locum, dico, æternitatem in ſe ipſa continere omnia tempora, & temporalia, non continentia formali, ſiue actuali, ſed virtuali, ſiue potentiali; hoc eſt, Dei æternitas, quantum ex vi intrinſeca naturæ ſuæ, poteſt ab æterno, & ſemper, eſſe actu realiter præſens, & coëxiſtens omnibus temporibus; tamen aliquando caret hac actualitate, non ex defectu ſui, ſed temporum, quæ non ſemper ſunt: implicat autem actu realiter coëxiſtere iis, quæ actu realiter non exiſtunt, vt omnes grauiſſimi Theologi clamant verbis citatis ſupra num. 32. & vel ex ipſis terminis, ſi penetrentur, manifeſtum apparet. Et poteſt clariſſimè explicari ſimillimo exemplo diuinæ immenſitatis, quæ in ratione loci, ſeu præſentiæ locatiuæ, cogitari rectè non poteſt ab æterno, & hodie actu realiter præſens, v.g. Antichriſto, qui neque hodie eſt in loco, neque vnquam antea fuit. Mirum autem eſſe non debet, tribui Deo aliquam præſentiam actualem, realem, nouam, & ſucceſſiuam, quia hæc non tribuitur per aliquam rationem realem exiſtentem formaliter, & intrinſecè in ipſo, ſed per ſolam extrinſecam exiſtentiam creaturæ: ſicut enim ſi res ſit futura, viſio Dei illam actu realiter repræſentat: ſi non ſit futura, non repræſentat: ita ſi tempora, & loca, ſeu temporalia, & locata, ſint actu in ſe ipſis, diuina æternitas, & immenſitas eſt actu realiter illis præſens, ſecus ſi illa in ſe ipſis actu non ſint. Et ſane ex inaduerten- *Inſtãtia Cabreræ reiycitur, declarãdo naturam temporis.* tia naturæ temporis procedit inſtantia Cabreræ ſupra, dicentis, hinc ſequi, nihil temporis coëxiſtere æternitati, niſi inſtans, *Quod,* inquit, *ſolùm eſt præſens.* quaſi verò nulla in rebus creatis ſit alia exiſtentia, ac præſentia niſi indiuiſibilis, aut diuiſibilis tota ſimul: præter quam ſine dubio datur exiſtentia, & præſentia diuiſibilis, & ſucceſſiua; reſpectu cuius ſe habet tota æternitas, ſicut anima indiuiſibilis reſpectu totius corporis diuiſibilis.

Hæc reſponſio, quæ eſt eadem cum illa, quam 72. Suarez, & alij tradiderunt, ſed ſolùm occaſione *Alia inſtantia Gonzalez, & Cabreræ, ducta ex infinitate æternitatis.* nouæ contradictionis eſt paulò diſtinctius, & clarius explicata, &, ſi percipiatur, dici non poteſt, *nullius momenti,* vt eam vocat Gonzalez, ab eodem impugnatur, *Quia cùm æternitas ſit tota ſimul, & ſimpliciter & infinita, implicatio eſt, quòd in tempore incipiat continere aliquid præſentialiter, quod ab æterno non continebat: quia tunc ab æterno non pertingeret omnes differentias durationum, & ita non eſſet ſimpliciter infinita in genere durationis; & aliquid ei accreſceret ſucceſſu temporis, pertinens ad propriam rationem durationis infinitæ, ſcilicet, actu præſentialiter continere omnem aliam inferiorem durationem.* Et eodem modo impugnat Cabrera ſupra num. 70. ſed ex dictis conſtat, hanc impugnationem æquiuocare ex de- *Æternitatis continentia virtualis, eſt infinita; actualis, eſt finita.* fectu diſtinctionis continentiæ; nam virtualis continentia in actu primo eſt tota ſimul, & ſimpliciter infinita, & non incipit in tempore, & virtualiter pertingit omnes durationes, tam factas, quàm factibiles infinitas, & nihil ei poteſt accreſcere: at verò continentia actualis in actu ſecundo eſt in tempore, & aliquando incipit, & patitur variationem, & non neceſſariò eſt infinita, ſed eſſe poteſt finita, & maior, & minor; imò nulla ſimpliciter eſſe poteſt, & nulla de facto fuit per totam æternitatem vſque ad creationis principium. Et ſanè, ni fallor, vera implicatio, prorſus inintelligibilis, eſt, aliquid actualiter in actu ſecundo, & realiter, & præſentialiter continere, ac pertingere aliam rem, quæ quando hoc modo continetur, ac tangitur, nullam in ſe actualitatem habet, & ſimpliciter nihil eſt in ſe ipſa. Quis enim concipiat, æternitatem diuinam hodie realiter in actu ſecundo continere, & attingere Antichriſtum, & diem iudicij; alioquin ego ſimiliter aſſeram, omnipotentiam diuinam ab æterno realiter, & actualiter attigiſſe productionem huius mundi, imò omnium ſimpliciter poſſibilium. Quod impugnari poteſt vlterius hac ratione, quia quando inceperunt tempora, & temporalia, proculdubio Dei æternitas, ſicut etiam immenſitas, incepit habere aliquam actualem coëxiſtentiam cum creatura extrinſeca, quam antea non habebat: ſi enim illam incepit habere creatu- *Actualem æternitatis continẽtiam incepiſſe, cõtra Nazarium.* ra, ergo etiam Deus, quia relatio coëxiſtentiæ, quæ eſt eſſentialiter inter duos terminos, non poteſt incipere ex parte vnius termini, quin etiam incipiat ex parte alterius: hæc autem coëxiſtentia eſt illa, quam vocamus continentiam actualem. Neque dici poteſt cum Nazario hîc, controuerſ. 3. ad 1. Valentiæ, quòd res incipiunt quidem eſſe in tempore, tamen non incipiunt eſſe in æternitate, in qua, inquit, verè exiſtunt antequam exiſtant in ſe ipſis; nam ſi hoc ſignificat tantùm, exiſtere æternitatem, qua actualiter menſurantur tempora, & temporalia, quando hæc actu exiſtunt, verum eſt: ſi verò ſignificat præſentia, quod verba ipſa expreſsè ſonant, ipſa quoque tempora, & temporalia quando actualiter non ſunt, actualiter menſurari æternitate, & actualiter in ea eſſe, manifeſtum

niſeſtum eſt ex terminis, eſſe ſenſum contradictorium. Sicut etiam cum paulò poſt ad quintum, de iiſdem rebus dicit, *Inceperunt exiſtere, non tamen inceperunt coëxiſtere.* Coëxiſtentia eſſentialiter ſupponit exiſtentiam, ergo eſt impoſſibile, incipere exiſtentiam, & non incipere coëxiſtentiam, vel, dari coëxiſtentiam ſine exiſtentia. Denique in hoc primo argumento inuehitur Gonzalez contra exemplum allatum à Suarez, & aliis antiquioribus, & recentioribus communiter, de baculo immobiliter fixo in flumine; ſed nihil habet dignum noua reſponſione, quia redit ad eamdem continentiæ æquiuocationem, additque, quod ridiculum eſt, nos, *Curtè de æternitate Dei cogitare.* Sed nimis longè de temporali creatura cogitat, qui eam æternitati actu, & realiter coëxiſtentem ſemper facit: & ſatis curtè de æternitate cogitat, qui eius naturam indiſtinctè, & confusè concipit: neque eſt curta cogitatio de æternitate, quando non concipitur illa habere longitudinem, quæ manifeſtam implicat contradictionem.

*Secunda obiectio ducta ex paritate immẽſitatis.*

73. Obiicies ſecundò. Ita ſe habet immenſitas ad omnia loca, ſicut æternitas ad omnia tempora, vt ſupra num. 45. ſed immenſitas *non poteſt non continere actu præſentialiter phyſicè omnes differentias loci:* ergo æternitas *non poteſt non continere actu præſentialiter phyſicè omnes differentias temporis.*

*Reſpondetur declarando paritatem.*

Reſponſio communis, & optima eſt, concedere minorem de locis præſentibus actu in ſe ipſis, negare de futuris. Sic pariter concedere conſequens de temporibus actu in ſe præſentibus, negare de futuris.

*Inſtantia Gonzalez, & Zumel.*

Inſtat Gonzalez, iuxta id quod tangit Zumel hîc d. 1. ad 1. quia *immenſitas non eſt menſura durationis loci, ſed extenſionis eius: ergo ad infinitatem immenſitatis non pertinet continere loca futura, niſi ratione æternitatis.* Sed iſta conſequentia eſt apertè mala: quaſi verò in locis futuris, & in quauis alia re futura, nihil aliud ſit futurum, niſi ipſa duratio; cùm præter hanc, quæ vix aliquid eſt, multò magis futura ſint exiſtentia, eſſentia, proprietates, cæteráque omnia rerum accidentia.

*Retorquetur inſtantia.*

Sic igitur euidenter argumentor: in loco præſenti, duo ſunt, vt ipſemet Gonzalez bene diſtinguit, & præſens duratio loci, correſpondens æternitati, & præſens extenſio loci, correſpondens immenſitati; ergo in loco futuro duæ futuritiones diſtinguendæ ſunt, altera durationis loci, altera extenſionis loci. Sed immenſitas realiter, & in actu ſecundo non coëxiſtit futuræ extenſioni loci antequam illa extenſio in ſe actu præſentialiter, & phyſicè exiſtat, ergo neque pariter æternitas realiter, & in actu ſecundo coëxiſtit durationi futuræ loci, antequam illa duratio in ſe actu præſentialiter, & phyſicè exiſtat; vt contra hanc opinionem arguit

*Scotus.*

Scotus 1. d. 39. quæſt. 1. §. *Contra iſtud.* Quo patet, opinionem Thomiſtarum maximè labefactari eo argumento, quo contendunt illam probare. Inſtabis cum quibuſdam apud Heruæum 1. d. 38. quæſt. 1. artic. 1. parte 3. ſimul coëxiſtunt immenſitati ſitus orientis, & ſitus occidentis: ergo etiam præteritum, & futurum tempus ſimul coëxiſtunt æternitati.

*Soluitur cum Heruæo alia inſtantia.*

Reſpondet acutè Heruæus, quod iſta ratio, *procedit æquiuocando de ſimul.* Nam duo ſitus exiſtunt ſimul ſimultate temporis, non autem ſimultate ſitus; ergo pariter duo tempora non poſſunt coëxiſtere ſimul ſimultate temporis.

*Tertia obiectio ducta ex paritate angeli, & animæ.*

74. Obiicies tertiò. Angelus indiuiſibiliter præſens eſt loco diuiſibili, ſicut etiam anima noſtra, indiuiſibiliter præſens eſt corpori diuiſibili: ergo etiam æternitas eſt indiuiſibiliter præſens durationi diuiſibili, eiuſque partibus præſentibus, præteritis, & futuris.

*Reſpondetur, partim concedendo, partim negando, paritatem.*

Reſpondeo, concedendo conſequentiam de ſucceſſiuæ durationis partibus præſentibus, ita tamen vt ſicut exiſtentia illarum partium præſentium eſt ſucceſſiua, ita pariter coëxiſtentia æternitatis ad illas ſit ſucceſſiua, nimirum non per ſucceſſionem intrinſecam æternitati, ſed per ſolam æternitatis exiſtentiam indiuiſibiliter permanentem ſimul ac exiſtunt illæ partes habentes intrinſecam ſucceſſionem: negando autem de partibus durationis præteritis, & futuris, vt ſic, hoc eſt, quando non concipiuntur exiſtere ſucceſſiuè in ſe ipſis.

*Quomodo æternitatis coëxiſtentia ſit ſucceſſiua.*

In quibus diuerſa ratio eſt de angelo, & anima in ordine ad partes loci, & corporis, quæ omnes ſimul realiter exiſtunt, quando angelus, & anima illis realiter coëxiſtunt.

*Retorquetur obiectio contra Bagnes.*

Hoc etiam argumentum, quod Bagnes hîc, §. 2. concluſione 1. *optimum* vocat, poteſt retorqueri: nam angelus, qui in ſua ſphæra, v. g. bipalmari, fit ſucceſſiuè præſens per motum continuum, vel in inſtanti huius horæ fit præſens primo palmo, & deinde in inſtanti alterius horæ fit præſens ſecundo palmo, dici rectè nequit, eſſe ſemper præſens duobus palmis; & anima nunc informans pueri corpus paruum, deinde magnum adulti, non dicitur eſſe ſemper actu realiter informatiuè præſens corpori magno: ergo pariter, quando res ſimpliciter non exiſtunt, nemo dixerit, Deum eſſe illis actualiter, & realiter præſentem.

*Quarta obiectio ducta ex totalitate æternitatis.*

75. Obiicies quartò. Cùm æternitas ſit tota ſimul, quicquid comparatur ad æternitatem, comparatur ad totam æternitatem: ergo quod non eſt in æternitate, non eſt in tota æternitate. Ergo ſi res futuræ, & præteritæ non ſunt in æternitate, non ſunt etiam in tota æternitate; ergo æternitas non eſt infinita.

*Reſpondetur, æternitatem eſſe totam, & negatiuè, & poſitiuè.*

Reſpondetur, æternitatem dici *totam*, non negatiuè tantùm, ſicut dicitur, *totum*, punctum continui, *Cuius pars*, inquiunt Mathematici, *nulla eſt*, ſed etiam poſitiuè; quamuis enim nullam habeat formalem diuiſibilitatem, nullas formales, & actuales partes, habet tamen diuiſibilitatem virtualem infinitam, & infinitas virtuales partes, vt plenius explicaui, & probaui in ſuperiori tomo quæſt. 10. de æternitate; & intelligi facilè poteſt exemplo animæ noſtræ, quæ eſt indiuiſibilis formaliter, virtualiter diuiſibilis.

*Quo modo res ſint in tota æternitate.*

Quicquid igitur reſpicit æternitatem ſimpliciter, non poteſt non reſpicere totam negatiuè, hoc eſt, non poteſt reſpicere vnam partem formalem, & non aliam, ſed neceſſariò reſpicere debet omne id quod in ſe formaliter eſt æternitas: poteſt autem non reſpicere totam poſitiuè, hoc eſt, reſpicere ſecundùm quaſdam illius partes virtuales, non ſecundùm alias. Atque hoc eſt quod communiter dicitur, omnia eſſe in tota æternitate, non adæquatè, & totaliter, ſed inadæquatè, & partialiter. Cùm igitur futura, & præterita, quæ, quando futura, & præterita ſunt, non ſunt realiter præſentia in æternitate, ſed tunc ſolùm erunt, & fuerunt, quando erunt, & fuerunt in ſe ipſis realiter præſentia in tempore, dicuntur, *non eſſe in tota æternitate*, vel poteſt ſimpliciter concedi, & negari vltima conſequentia; quia licèt pro ſtatu futuritionis, & præteritionis, quando ſimpliciter non ſunt, neque ſint, neque eſſe poſſint præſentia æternitati; tamen pro alio ſtatu præſentialitatis, quando verè, & realiter ſunt in ſe ipſis, ſunt realiter in tota æternitate; quod ſatis eſt ad infinitatem æter-
nitatis:



nitatis: vel poteſt diſtingui, concedendo de non eſſe in tota adæquatè, ſecundùm omnes partes virtuales, nam quando aliqua ſunt futura, & præterita, non coëxiſtunt illis æternitatis partibus, quibus coëxiſtunt alia, quæ eodem tempore ſunt in ſe ipſis realiter exiſtentia: negando autem de non eſſe in tota, etiam inadæquatè, quia futura, & præterita, quando erunt vel fuerunt præſentia in tempore, erunt vel fuerunt præſentia in æternitate ſecundùm aliquas illius partes.

*Cur, quod aliquãdo coëxiſtit æternitati, non neceſſariò coëxiſtit ſemper.*

Igitur, vt veriſſimè dicunt aliqui, licet eorum reſponſionem Gonzalez velit eſſe *nullius momenti, quia res non ſunt præſentes æternitati adæquatè, & intrinſecè, neceſſarium non eſt, vt ſi aliquando ei coëxiſtunt, ſemper, & ab æterno ei coëxiſtant.*

76. Hoc impugnat Gonzalez, & primò contra illud, *intrinſecè*, quia, *Quod æternitas ſit extrinſeca menſura, impertinens eſt*, cùm hoc non impediat æternitatis infinitatem, & continentiam omnium ſimul aliarum durationum.

Reſpondetur, immeritò dici *impertinens*, quod à priori demonſtrat intentum. Intendebant prædicti authores probare non eſſe neceſſarium vt ſi res coëxiſtit æternitati, coëxiſtat ſemper, idque optimè probant ex eo quòd æternitas eſt rei extrinſeca; ſi enim eſſet intrinſeca, eſſet omninò neceſſarium, Deo ſemper coëxiſtere. Neque æternitatis infinitas, & continentia quidquam probant, vt ſupra. Secundò contra illud, *adæquatè*; ſed redit ad idem argumentum de infinitate, & continentia, quod ſupra oſtendimus nihil vrgere. Vbi ſic arguit, *Actus continendi, eſt actus coëxiſtendi æternitatis ad totum tempus: atqui actus coëxiſtendi æternitatis eſt indiuiſibilis, & totus ſimul, cùm ſit ipſemet actus exiſtendi: ergo etiam actus continendi.*

*Actualem æternitatis continẽtiam, & coëxiſtentiam eſſe tẽporalem, diuiſibilem, & ſucceſſiuam.*

Reſpondetur, maiorem veram eſſe, eáque bene explicari continentiam illam, quam ſupra num. 71. vocaui actualem. Minor verò eſt euidenter falſa, quod à priori ſic demonſtro. Actus ſecundus coëxiſtendi, importat eſſentialiter vnum exiſtere ſimul, ac exiſtit aliud (aliter eſſet actualiter exiſtere, non autem actualiter coëxiſtere) ſed durationes creatæ non exiſtunt ſimul, nec ab æterno, nec indiuiſibiliter, ſed ſucceſſiuè, in tempore, diuiſibiliter: ergo hoc ſecundo modo, & non primo illæ coëxiſtunt æternitati, & æternitas illis.

*Coëxiſtere, & exiſtere differunt.*

Quare probatio illa minoris, *quia actus coëxiſtendi eſt ipſemet actus exiſtendi*, eſt diminuta, quia nemo eſt qui non plus concipiat nomine coëxiſtentiæ, quàm nomine exiſtentiæ ſimpliciter. Vnde omnes de fide credimus, Deum ab æterno actualiter exiſtere, & ſimul eadem certitudine fatemur, Deum ab æterno nulli creaturæ actualiter coëxiſtere. Igitur Deum coëxiſtere creaturæ, eſt Deum exiſtere ſimul cum creatura, ſeu, quando exiſtit creatura: ſed totum hoc eſt temporale, diuiſibile, ſucceſſiuum, ſcilicet propter temporalitatem, diuiſibilitatem, & ſucceſſionem creaturæ, non Dei: ergo coëxiſtere Dei eſt temporale, diuiſibile, ſucceſſiuum: ſcilicet non ratione partium formalium, ſed virtualium infinitarum.

*Quinta obiectio ex S. Thoma exemplo de vidente ſimul tranſeuntes ſucceſſiuè.*

77. Obiicies quintò rationem, quæ à Gonzalez vocatur *validiſſima*, ex S. Thoma de verit. quæſt. 2. artic. 12. Videns multos ſucceſſiuè tranſeuntes per viam, ideò *non videt omnes ſimul præſentialiter, quia totum ſuæ viſionis non eſt totum ſimul.* Ex his S. Thomæ dictis, ſic arguit Gonzalez; *ſi viſio huius tota ſimul poſſet exiſtere, ſimul præſentialiter coëxiſteret omnibus tranſeuntibus, quamuis non omnes ſimul tranſirent: ergo ſimiliter, quia æternitas eſt duratio infinita tota ſimul exiſtens, ſimul coëxiſtit omnibus labentibus, quamuis inter ſe ſucceſſiuè ſint.*

*Reſpondetur declarando exemplum.*

Reſpondetur, exemplum S. Thomæ eſſe accommodatiſſimum, ſed allatam Gloſſam deſtruere textum, mutando verba. S. Thomas habet, *Omnes ſimul præſentialiter videret*, quæ verba clarè exprimunt ſolam præſentialitatem, & coëxiſtentiam obiectiuam: nec in rei veritate, ea quæ in ſua reali præſentialitate ſunt entia ſucceſſiua, poſſunt habere aliam ſimultaneam præſentialitatem præter obiectiuam, hoc eſt, ex eo quòd vna viſio in inſtanti tendit ad omnem illam ſucceſſionem temporaneam. Gonzalez verò idem aliter accipit, ſic, *ſimul præſentialiter coëxiſteret omnibus tranſeuntibus:* quæ verba etſi poſſint verè intelligi de coëxiſtentia intentionali, & obiectiua, tamen clarius intelliguntur de coëxiſtentia reali, de qua & falsò, & contra S. Thomam ipſe intelligit.

*Heruæi laus ex Syluestro.*

Præſtabat ſequi Heruæum, antiquiſſimum, &, vt eum vocat Syluester 1. parte conflati, quæſt. 14. art. 16. §. 1. circa principium, *nobiliſſimum Thomiſtam*, qui, inquit Syluester, *cognomen ſibi ſubtiliſſimi, nec immeritò, vendicauit: & quem vbique inueni profundiſſimè S. Thomæ mentem penetraſſe.* Heruæus igitur 1. d. 38. q. 1. artic. 1. parte 3. poſt ſolutionem argumentorum ſic habet. *Simul, & ab æterno intuetur, & intuitus eſt Deus exiſtentiam actualem omnium; ita quòd ſimultas referatur non ad res viſas, ſed ad ipſam viſionem: vt ſit ſenſus, quòd in ipſa viſione ſit ſimultas; quia viſio Dei non prius eſt de vna re, quàm de alia, licèt res viſa habeat ſucceſſionem. Videt enim Deus vna viſione indiuiſibili, & ſimul exiſtente, ſucceſſionem omnium temporum, & temporalium: & ſic exiſtentiæ rerum ſunt intuitiuè præſentes Deo ab æterno.* Quare non erat cur illa ratio diceretur *validiſſima*, quæ ſolùm valet ad conuincendum authorem ſuum. Si enim vna viſio in hoc inſtanti videret quatuor tranſeuntes ſucceſſiuè per vnam horam, coëxiſteret quidem obiectiuè ſimul omnibus, non tamen ſimul omnibus coëxiſteret realiter: nam illi tranſeuntes videntur ſimul in inſtanti, ſed realiter non ſunt tranſeuntes ſimul in inſtanti, imò ſunt realiter tranſeuntes ſucceſſiuè in tempore, & vt tales videntur ſimul in inſtanti. Non poſſum autem mihi perſuadere, quamuis id paſſim legam, dici, & concipi à Thomiſtis, me in hoc inſtanti, non ſolùm realiter videre tranſeuntes ſucceſſiuè, quod ad exiſtentiam obiectiuam ſpectat, ſed etiam realiter, & actualiter coëxiſtere tranſeuntibus, qui non exiſtunt realiter in illo inſtanti: & conſequenter, eoſdem non exiſtentes realiter in illo inſtanti, nihilominus in illo eodem inſtanti non ſolùm à me realiter videri, ſed etiam realiter, & actualiter coëxiſtere viſioni meæ.

*Sexta obiectio ex alio S. Thom. exẽplo de punctis circumferentiæ.*

Obiicies ſextò aliud exemplum S. Thomæ lib. 1. contra Gentes cap. 66. quo *egregiè* ſententiam ſuam confirmari ait Gonzalez, de punctis circumferentiæ, quæ omnia ſimul coëxiſtunt, non inter ſe, ſed reſpectu centri: & de centro quod ſimul coëxiſtit omnibus punctis circumferentiæ, licèt hæc puncta non coëxiſtant ſimul inter ſe. 78.

*Reſpondetur probari ſolùm præſentialitatẽ obiectiuam ab æterno.*

Ita, inquit S. Thomas, *Quicquid in quacumque parte temporis eſt, coëxiſtit toti æterno, quaſi præſens eidem, etſi reſpectu alterius partis temporis ſit præteritum vel futurum.* Sed & illud, *quaſi*, vt expendimus ſupra num. 43. & verba immediatè ſequentia, ſatis exprimunt coëxiſtentiam per ordinem ad intellectum æternum, quæ eſt coëxiſtentia æterna, non
realis,

realis, ſed obiectiua. *Quicquid igitur per totum decurſum temporis agitur, diuinus intellectus in tota ſua æternitate intuetur quaſi præſens: nec tamen quod quadam parte temporis agitur, ſemper fuit exiſtens.* Quæ vltima verba ad eum finem addita videntur, ne quis ſcilicet, ex eo quòd dictum fuerat, futura, & præterita ſemper eſſe præſentia intellectui diuino, ſuſpicari poſſet, id dictum non ſolùm de præſentia obiectiua, ſed etiam reali: & tamen recentiores Thomiſtæ de hac loquutum eſſe S. Thomam certò ſentiunt.

*Prædictum exēplum applicari à Gōzalez contra mentē S. Thomæ.*

Præterea aduerto, Gonzalez ita gloſſare citata verba S. Thomæ, ac ſi comparentur centrum, & omnia puncta, cum æternitate, & omnibus temporibus; cùm tamen illa comparentur ſolùm cum intellectu Dei æterno. Quæ variatio eſt notabilis in hac materia, quia comparatio cum æternitate eſt in eſſe phyſico, ac reali, quod Gonzalez intendebat probare, & tribuere S. Thomæ, & ideo eius verba mutauit; comparatio verò cum intellectu eſt in eſſe intentionali, & obiectiuo, quod ſolùm cum veritate, & cum S. Thoma cohæret. Denique poteſt hoc exemplum retorqueri, vt acutè facit Molina hîc d. 14. §. *Exemplum eſt*, quia ſicut centrum non actu reſpondet puncto circumferentiæ A, niſi poſt ductam lineam ab A ad centrum, quod idem in ſe prorſus inuariatum modò correſpondet, modò non correſpondet aliis circumferentiæ punctis, prout ſcilicet modò ducuntur aliæ lineæ, modò non ducuntur: ita æternitas actu correſpondet rebus quando actu ſunt productæ in tempore, non antea, neque poſtea quando per corruptionem ceſſant eſſe actu in tempore.

*Retorquetur exēplum cum Molina.*

79. Obiicies octauò rationes quibus idem Gonzalez d. 43. ſect. 4. contra Vaſquez, & Molinam, probat, præſentiam realem rerum in æternitate, eſſe rationem proximam certitudinis diuinæ ſcientiæ circa res futuras; quod, inquit, *ita manifeſtum eſt, vt gratis, & ſolùm ex nimio ardore nobis contradicendi oppoſitum dicatur.*

*Octaua obiectio probans, rationē certitudinis ſciētiæ Dei, eſſe præſentiam realē in æternitate.*

*Primò,* Prima ratio, Diuina cognitio ideo eſt certa, attingens futurum, in quantum eſt realiter præſens, & determinatum actu in ſe ipſo, ſub qua ratione futurum certò cognoſcibile eſt, quia menſuratur æternitate, vt expreſsè docet S. Thomas in præſenti articulo: ergo *æternitas eſt ratio proxima cognoſcendi res certò in ſe ipſis ex parte rei cognitæ.*

*Secundò.* Secunda ratio. *Vnumquodque eſt certò cognoſcibile, in quantum habet in ſe ipſo eſſe determinatum, & realiter præſens cognoſcenti: ſed æternitas eſt ratio quare res futuræ attingantur à diuina cognitione in ſe ipſis, quatenus habent eſſe determinatum, & præſens realiter cognoſcenti: ergo præſentia rerum futurarum in æternitate, vt ſe tenet ex parte ipſius æternitatis, eſt ratio proxima certitudinis diuinæ ſcientiæ de rebus futuris, vt cognitis in ſe ipſis ex parte rei cognitæ.*

*Tertiò.* Tertia ratio probat ex S. Thoma, ideo non tolli contingentiam futurorum contingentium, quia Deus, *ea inſpicit tunc quando ſunt*, vt ait S. Thomas de veritate quæſt. 2. artic. 12. circa finem corporis: ergo *præſentia realis eſt proxima, & ſufficiens ratio concordiæ certitudinis ſcientiæ Dei cum libertate noſtri arbitrij.* Confirmat, quia *per eamdemmet* contingentem productionem, & exiſtentiam, per quam res fiunt, & ſunt in tempore, coëxiſtunt ab æterno ipſi Deo in menſura ſuæ diuinæ cognitionis, quæ eſt æternitas.

80. Reſpondetur, Vaſquez, & Molinam, alioſque Theologos noſtros non moueri *ex nimio ardore contradicendi*, ſed ex nimia euidentia falſitatis, quam à nonnullis Thomiſtis, præſertim noſtro tempore, defendi vident contra S. Thomam; & vt hanc euidentiam rebus oſtendam; dico ad primum, antecedens eſſe falſum, & grauiter peccare ex defectu intelligentiæ huius articuli, & confuſione duarum quæſtionum, quæ ſatis diſtinctè, quamuis breuiter, vt notaui ſupra num. 50. & 51. tractantur à S. Thoma, eaſque rectè diſtinxit Vaſquez hîc d. 64. c. 5. & d. 65. c. 1. Prima eſt, vnde habeat diuina cognitio vt certò cognoſcat ea, quæ non ſunt certa, hoc eſt, futura contingentia? Secunda, vnde habeat diuina cognitio vt ſimul, & ſemper videat futura contingentia? Gonzalez igitur ſequutus Ferrarienſem 1. contra Gentes cap. 66. ratione 6. §. *Pro ſolutione.* Zumel hîc, diſputat. 1. initio, rationem, quam S. Thomas tradidit ad reſolutionem ſecundæ quæſtionis, accipit pro reſolutione primæ quæſtionis, & confundit ſimul vtramque rationem.

*Ad primum diſtinguitur duplex quæſtio huius articuli, cum Vaſquez, cōtra Ferrariēſem, Zumel & Gōzalez. Scientiā Dei non eſſe certā ex eo quod menſuretur æternitate.*

Quare nego cum S. Thoma, cognitionem Dei de futuro cōtingente, eſſe certam ex eo quòd menſuretur æternitate; tum quia æternitas ſecundùm ſe præciſè eſt indifferens ad videndum vnam partem contingentiæ futuram, vel aliam oppoſitam; nam eadem æternitate, qua de facto præuiſa eſt, v. g. negatio Petri, æquè benè, & indifferenter præuiſa eſſe poterat confeſſio Petri: tum quia præciſa æternitate, modò conſideretur Deus, vel creatura hodie videns, v. g. diſputationem ſecundùm eam realem præſentialitatem, quam habitura eſt cras, viſio adhuc eſt certa, quia habet certum, ac determinatum obiectum. Ratio igitur cur Dei cognitio de futuro contingente, non ſit contingens, & fallibilis, ſed certa, & infallibilis, eſt, quia in illud fertur, inquit S. Thomas, *Secundùm quòd iam in actu eſt in ſe ipſo, & non vt futurum, ſed vt præſens, neque ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum: & propter hoc ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni.* Nihil ſanè clarius dici poterat contra Gonzalez. Quia illud, *propter hoc*, expreſsè affert cauſam, & refert ad proximè dicta, in quibus nulla prorſus æternitatis mentio: & tamen Gonzalez ſemper huius certitudinis cauſam affert ex ſola æternitate, non ex ſenſu S. Thomæ, ſed ſuo.

Ad ſecundum, maior vel eſt falſa, vel nihil dicit: nam ſi illud, *& realiter præſens cognoſcenti*, intelligitur de præſentia reali, quam res ſemper habeant cum æternitate, diſtinctam à præſentia obiectiua, eſt falſa ex ſupra dictis: ſi verò intelligitur, vt videntur ſonare verba, de præſentia obiectiua, quatenus eſt præſens cognitio, quæ realiter ab æterno fertur in præſentialitatem realem, quam res habebunt in tempore, tunc ſenſus eſſet hic ineptiſſimus, *Vnumquodque eſt certò cognoſcibile ſecundùm quod cognoſcuntur.* Minor quoque falſa eſt; quia ratio certò cognoſcendi futura, prout in ſe ipſis determinata ſunt, eſt infallibilitas, & infinitas cognitionis diuinæ in ratione formali cognoſcendi, & repræſentandi; non æternitas, ſiue infinitas in ratione formali durandi, ac permanendi: nam hæ infinitates ſunt diuerſi generis, altera pertinens ad genus intelligendi, altera ad genus eſſendi, ſiue exiſtendi; & ideo ratione poſſumus vnam ab alia præſcindere, conſiderando vnam, & non aliam: ſi verò conſideretur infinitas in genere intellectiuo, non in genere duratiuo in eſſe; & conſequenter, ſi per impoſſibile illa infinitas daretur ſine hac, adhuc cognitio 81.

*Ad ſecundū.*

*Ratio certò cognoſcendi ex parte Dei eſt infinitas intellectionis, non æternitatis.*

Dei



Dei de futuro contingente eſſet certa: ergo huiuſmodi certitudo non oritur præciſè, & formaliter ex æternitate. Præterea in conſequente, cùm concluditur, quòd ratio certò cognoſcendi ſit præſentia in æternitate; modò hæc ratio dicitur æternitas, modò præſentia in æternitate. Sed quicquid ſit de huiuſmodi ambiguitate, vtraque ratio eſt falſa, & contra Sanctum Thomam.

*Ad tertium. Cur certitudo ſcientiæ Dei non excludat contingentiam, ex S. Thoma. Quomodo, eſſe in tempore, ſit ratio coëxiſtendi æternitati.*

Ad tertium, admiſſo antecedente, diſtinguo conſequens; ſi intelligatur de præſentia reali in æternitate, eſt falſum: ſi de præſentia reali in tempore, quæ tamen fuerit ab æterno obiectum diuinæ præſcientiæ, eſt verum: & hanc temporalem præſentiam clariſſimè exprimunt verba illa, *tunc quando ſunt.* vnde 2. 2. quæſt. 171. artic. 6. ad 1. ait de prædicta concordia, *Certitudo diuinæ præſcientiæ non excludit contingentiam ſingularium futurorum, quia fertur in ea ſecundùm quod iam ſunt præſentia, & iam determinata ad vnum*; quod habent futura, etiamſi non concipiantur coëxiſtere æternitati; & idem docet Sanctus Thomas quodlib. 12. articulo 3. ad 1. quibus in locis ne verbum quidem de æternitate. Ad confirmationem, non poſſe ſatis percipi, quomodo fieri, & eſſe in tempore ſit ratio propter quam res temporalis coëxiſtat ab æterno in æternitate: benè percipitur, quòd ſit ratio coëxiſtendi æternitati pro eo tempore, in quo fit, & eſt. Quòd autem ſit ratio coëxiſtendi æternitati ab æterno, & pro qualibet duratione extra illud tempus, in qua neque fit, neque eſt, videtur prorſus inintelligibile: eſſe enim in principio temporis, & eſſe ab æterno ſine vllo temporis principio ſunt conceptus omninò oppoſiti, ergo vnus eſſe nequit alterius cauſa.

82. Obiicies nonò ex Bagnes hîc, §. 2. concluſione 2. Si Deus non cognoſceret futura contingentia, provt ſunt illi præſentia in æternitate, *ſequeretur, Deum aliter cognoſcere, etiam ex parte cognoſcentis, rem quando eſt, & quando non eſt.* Sequelam, quam omnes negamus, probat, quia *Deus cognoſcit rem, quando eſt, per modum præſentialitatis in ſua æternitate; & cognoſcit illam, quando non eſt, per modum futuritionis.*

*Nona obiectio Bagnes, ex immutabilitate diuinæ ſcientiæ.*

*Reſpondetur, Deum videre præſentiam rerum in æternitate, vt* quod, *non vt* quo.

Reſpondetur, ſi illud, *per modum præſentialitatis in ſua æternitate*, ſignificat rem cognitam, conceditur; quia Deus cognoſcit rerum præſentialitatem, non ſolùm intrinſecam in propria duratione, quam habent in tempore, ſed etiam extrinſecam in aliena duratione æternitatis ſuæ, quam præſentialitatem tunc ſolùm realiter habent, quando habent intrinſecam, & non in aliis temporibus in quibus ſimpliciter non exiſtunt exiſtentia reali, & hanc præſentialitatem ſemper Deus eandem cognoſcit, ſiue res ſint præſentes, ſiue præteritæ, ſiue futuræ. Si verò ſignificat, rationem cognoſcendi, negatur: hæc enim ratio eſſe debet præſentialitas in ſeipſo, quæ eſt intrinſeca, & prior; non præſentialitas cum alio, quæ eſt extrinſeca, & poſterior. Similiter illud, *per modum futuritionis*, ſi ſignificat rem cognitam, conceditur iuxta dicta ſupra num. 68. ſi ſignificat rationem cognoſcendi, negatur, vt ſuperius probatum, & declaratum ſæpe eſt. Quare Deus nunquam aliter cognoſcit res quando ſunt præſentes, & quando ſunt futuræ ſeu præteritæ, tam ex parte rerum, quàm ex parte ſui; quia de rebus futuris contingentibus ſemper cognoſcit idem, & ſub eadem ratione.

Obiicies decimò ex Aluarez, libr. 2. de Auxiliis, diſputatione 8. num. 4. §. *probatur tertiò.* Nauarrete hîc, controuerſia 52. §. 6. concluſione 15. verſiculo, *ex iis infertur.* Cognitio diuina futurorum eſt intuitiua: *ergo illa ſunt præſentia in æternitate ſecundùm propriam exiſtentiam, & non tantùm in eſſe obiectiuo, ſiue in eſſe cognito.* 83.

*Decima obiectio Aluarez, & Nauarrete ex cognitione intuitiua.*

Reſpondetur, negatur conſequentia, quia præter illam præſentiam extrinſecam, & poſteriorem cum æternitate, datur alia intrinſeca, & prior in tempore, quæ ſatis eſt ad ſaluandam rationem intuitiuæ notitiæ, ita vt ſi per impoſſibile hæc tantùm daretur, vel ſi hæc tantùm concipiatur, & cognitio tendat ad illam, erit cognitio intuitiua, vt ſupra num. 53. Quare illud, *tantùm in eſſe obiectiuo*, eſt verum, ſi excludat ſempiternam futurorum præſentiam in æternitate: eſt falſum, ſi excludat præſentiam realem in tempore, quæ ab æterno habuit eſſe obiectiuum, & cognitum in mente Dei.

*Reſpondetur ad intuitionem ſatis eſſe, cognoſci præſentiam rei in ſe.*

## *Soluuntur argumenta Nauarrete, & Nazarij.*

Obiicies vndecimò ex Nauarrete hîc, controuerſia 52. §. 1. concluſione 1. argumentum, quod ipſe vocat *efficaciſſimum*, & poteſt breuius, & clarius redigi in hanc formam. Æternitas menſurat omnia: ſed *implicat æternitatem de nouo menſurare aliquid, quod antea non menſuraret, alioqui menſuraret vnum poſt aliud, atque adeò eſſet menſura ſucceſſiua*: ergo implicat, aliquid de nouo coëxiſtere æternitati, quod illi antea non coëxiſteret: ergo omnia ab æterno coëxiſtunt æternitati. 84.

*Vndecima obiectio Nauarrete ex æternitatis menſuratione.*

Reſpondetur, maiorem vel eſſe falſam, vel impropriè loqui: nam etſi æternitas ſit menſura omnium creatarum durationum, vt ex inſtituto oſtendi tomo 1. quæſtione 10. articulo 1. concluſione 6. tamen illas non menſurat: menſurare enim eſt opus intellectus cognoſcentis quantitatem menſurati mediante menſura. Nam, vt docet Philoſophus 10. Metaphyſic. cap. 2. initio, *Menſura eſt id, quo quantum cognoſcitur.* Vnde non dicimus, vlnam menſurare pannum, ſed nos vlna pannum menſurare. Hac improprietate manifeſtata, iam apparet, nullam in argumento efficaciam eſſe: nam ſenſus minoris eſſe debet hic, implicat intellectum diuinum ſua æternitate menſurare de nouo aliquam creatam durationem. Vnde non ſequitur coëxiſtentia realis ab æterno cum æternitate, ſed tantùm, æterna omnium durationum coëxiſtentia obiectiua cum æterna Dei cognitione.

*Reſpondetur, æternitatem eſſe menſuram; ſed non menſurare.*

Ariſtoteles.

Obiicies ex eodem duodecimò. Res futuræ, antequam ſint præſentes æternitati reſpectu intellectus diuini, ſunt æternitati præſentes reſpectu eſſentiæ diuinæ: ergo præter poſteriorem præſentiam obiectiuam in æternitate, habent in eadem æternitate præſentiam realem. 85.

*Duodecima obiectio eiuſdem.*

Sed reſpondetur, ſi antecedens non intelligatur de præſentia rerum in eſſentia diuina ſecundùm eminentialem continentiam,





ſed

*Reſpondetur, futura, ante præſentiam obiectiuam habere in diuina eſſentia præſentiam eminentialem, non formalem.*

ſed ſecundùm formalem continentiam, quoad ſuas proprias, & particulares exiſtentias reales, atque actuales, vt ipſemet Nauarrete §. 2. poſt ſextam probationem notat ſe intelligere, eſt adeò falſum, vt hinc vel maximè prudens Lector euidenter iudicare poſſit, falſam etiam contrariam ſententiam. Quod ex contrario fundamento conuinci poteſt, ſic: res futuræ, antequam à nobis concipiantur ſciri à Deo, ac proinde ab æterno habere eſſe obiectiuum, ſecundùm proprias, formales, & actuales exiſtentias extra cauſas ſuas, non habent in eſſentia Dei æterna eſſe ab æterno præſens realiter, & realiter contineri ſecundùm proprias, formales, & actuales exiſtentias extra cauſas ſuas, ſiue in ſe ipſis formaliter, & actualiter acceptis, prout habent in ſe eſſe determinatum ad vnum; ſed tantùm contineri in potentia virtualiter, & eminenter, vt probaui in ſuperiori tomo quæſt. 4. artic. 2. cum omnibus Patribus, & Scholaſticis, qui omnes id cenſent tanquam certum de fide, ergo omnis realis præſentia cum æternitate ab æterno in rebus futuris, præter obiectiuam, eſt planè commentitia.

Confirmat Nauarrete: realis præſentia rerum antecedit cognitionem diuinam: nam *cognoſcibile quodcumque, vt cognoſcibile eſt, antecedit cognitionem: ergo cognoſcibile, vt præſens, antecedit cognitionem talis præſentiæ. Ergo in Deo omnia cognoſcibilia, vt præſentia, antecedunt cognitionem; ſed non antecedunt ſecundùm ſuas menſuras proprias: ergo antecedunt ſecundùm menſuram æternitatis.*

*Diuerſa ratione præſentia rerum eſt prior, & poſterior æterna Dei cognitione.*

Reſpondetur, argumentum æquiuocare circa illud, *realis præſentia*, &c, *cognoſcibile, vt præſens*. Nam ſi accipiatur de præſentia iam realiter exercita, & præſente in ea præſenti duratione, in qua cognoſcitur, eſt falſum; tunc enim probaretur, non poſſe cognoſci futurum vt futurum ex parte rei cognitæ, vt ſupra num. 68. Si verò accipiatur de præſentia futura in alia ſequente duratione poſt illam in qua cognoſcitur, eſt verum, & eſt id, quod ſæpe nos conceſſimus Deum ab æterno videre præſentialitatem futuram in tempore. Vnde ſequitur, præſentiã iſtam antecedere vt futuram, anteceſſione quidem naturæ, non durationis: vt præſentem verò ſequi poſt ęternam durationem, in qua præſens fuit diuina cognitio talis præſentiæ futuræ. Quare concedo vltimam argumenti minorem, ſed nego conſequentiam: arguens enim ita diſcurrit, ac ſi nulla alia daretur antecedentia niſi ſecundùm durationem; ſed præter hanc datur antecedentia ſecundùm naturam, quæ ſatis eſſe debet ad explicandam prioritatem obiecti ante cognitionem, etiam in opinione Nauarrete, & aliorum ponentium, futura, ſecundùm eorum eſſe actuale determinatum, realiter præſentia, & coëxiſtentia æternitati. Quare contra ipſum etiam eſt id quod deducit in vltima concluſione, *ergo antecedunt ſecundùm menſuram æternitatis*: quibus verbis ſignificatur, res eſſe cognitione Dei priores duratione æterna, cùm tamen ipſe teneatur aſſerere ſolam anteceſſionem ſecundùm naturam in eadem æterna duratione.

86. *Decimatertia obiectio Nauarrete.*

Obiicies decimotertiò ex eodem, *Res ſunt in æternitate, ad modum ipſius æternitatis*, aliter non diſtinguerentur res prout exiſtentes in æternitate, & prout exiſtentes in ſe ipſis in tempore: *ſed æternitas eſt tota ſimul: ergo res debent habere ſimul ſuas proprias exiſtentias.*

*Reſpondetur,*

Reſpondetur, maiorem eſſe apertè falſam; nam res, quæ alteri præſentes ſunt, & coëxiſtunt, debent coëxiſtere ad modum proportionatum propriæ naturæ, non ad modum proportionatum naturæ alterius cui extrinſecè coëxiſtunt. Neque minus abſurdum eſt, res coëxiſtere æternitati ad modum æternitatis, quàm æternitatem coëxiſtere tempori ad modum temporis. Sicut igitur ineptè diceretur, corpus noſtrum præſens animæ ad modum ipſius animæ, hoc eſt, indiuiſibiliter, & locus diuiſibilis angelo locato præſens indiuiſibiliter ad modum ipſius angeli; quia tam corpus reſpectu animæ, quàm locus reſpectu angeli, eſt præſens diuiſibiliter per partes extra partes: ita pariter, tempus præſens æternitati indiuiſibiliter ad modum ipſius æternitatis. Et ad maioris probationem in qua fundat etiam Nauarrete ſuam quintam probationem, dico, res per eandem propriam, & intrinſecam durationem, qua exiſtunt realiter in ſe ipſis, coëxiſtere alienæ, & extrinſecæ durationi ęternitatis Dei. Quare res prout coëxiſtentes in æternitate, differunt à ſe ipſis, prout ſunt exiſtentes in tempore, per ipſam æternitatem, quam extrinſecè connotant, & non per alium intrinſecum modum, quo aliter ſe habeant in ordine ad ſeipſas, aliter in ordine ad æternitatem.

*res non eſſe in æternitate ad modum æternitatis.*

In idem manifeſtum inconueniens lapſus eſt Nauarrete in ſua ſexta probatione, in qua falsò aſſumit, *Res ſunt præſentes Deo in æternitate ad modum ipſius Dei, non ad modum ipſarum rerum.* hoc eſt, inquit, *abſque ſucceſſione, & futuritione.* De rebus ſucceſſiuis, in tempore realiter productis, aſſerere eas ſecundùm proprias, & formales exiſtentias, eſſe ſimul, & ab æterno realiter, & actualiter præſentes æternitati, imò prius eſſe in æternitate, poſterius in tempore, vt poſtea addit idem Nauarrete, ferri ſolùm poteſt à fidelium auribus, quia id dicitur à Doctoribus Catholicis; cùm tamen verba peruerſum alium ſenſum præ ſe ferre videantur, quem omnes citati ſupra num. 32. contra hanc opinionem obiiciunt: adeo vt inter ipſoſmet Thomiſtas, Syluester ibidem citatus, dixerit, *ex illo ſenſu videtur ſequi contra fidem, creaturas fuiſſe ab æterno.* & Palatius 1. d. 38. diſp. 2. ſæpe aſſerat, id quod tenent Thomiſtæ, *eſſe inintelligibile.*

Syluester. Palatius.

87. *Decimaquarta obiectio eiuſdem probans, res non priùs eſſe in tempore, poſteriùs in æternitate contra Molinam, & Machin.*

Obiicies decimoquartò cum eodem Nauarrete §. 3. contra Molinam benè docentem, res prius eſſe in tempore, poſterius in æternitate. Quod tenet etiam Machin hîc, d. 30. ſect. 2. confirmatione 2. & 3. & d. 31. ſect. 2.

Primò, quia res ſunt in tempore, tanquam in menſura ſimpliciter, non tanquam in cauſa. Sunt verò in æternitate tanquam in menſura præhabente in ſe omnes perfectiones rerum temporalium.

Secundò, *menſura æternitatis eſt prior abſolutè, quàm menſura temporis, quia vniuerſalior, & continet ipſum tempus: ergo res menſuratæ prius menſurantur æternitate, & ſunt in æternitate.*

Tertiò, quia *æternitas menſurat res immediatè per ſe ipſam independenter à tempore.*

Quartò, quia, *res eſſe in tempore, neque eſt ratio formalis, neque conditio neceſſaria, vt menſurentur æternitate, & ſint in illa.* Quod fusè probat, & tota vis conſiſtit breuiter in eo, quòd ſi ad hanc menſurationem præſupponeretur aliquid ex parte rerum, *illud adueniret ab extrinſeco, & non communicaretur à Deo, ac proinde*



*inde Deus non haberet res præſentes ab intrinſeco; & ratio præſentialitatis non procederet à Deo, ſed potius ab extrinſeco res dicerentur aduenire præſentiæ diuinæ*: quod, inquit, *eſt chimericum, & omnino ridiculum.*

88. *Defectus prædictarum rationum.*

His verò argumentis non videtur tangi punctum præſentis controuerſiæ, vel potius, vt ſententiæ abſurditas minus appareat, confunditur tenebris quorundam terminorum vniuerſalium, indiſtinctè acceptorum; nimirum *menſuræ*, & *continentiæ*: nam, vt docet præcipuus Thomiſta Ioannes de Neapoli, Quæſtionum variarum quæſt. 32. puncto 1. menſura multiplex eſt; alia perfectionis, vt primum ens omnis entis; alia extenſionis quantitatiuæ, vt vlna; alia multiplicationis, vt vnitas, & numerus; alia durationis, vt tempus, æuum, & æternitas. Similiter continentia multiplex eſt, alia actiua, alia exemplaris, alia localis, alia durationis: & vnaquæque iſtarum vel eſt virtualis, vel actualis; v. g. hic mundus in diuina omnipotentia continebatur virtualiter ante creationem, poſt creationem continetur actualiter: eſſentia diuina dum non producuntur res, eſt cauſa exemplaris virtute, actu autem dum producuntur: cœlum lunæ nunc actu localiter continet omnia ſublunaria, ſi verò nihil eſſet intra lunæ concauum, contineret virtute: & pariter tempus cœleſte, actu continet omnes durationes ſucceſſiuas rerum temporalium, quas virtute contineret, ſi non darentur. Noſtra igitur controuerſia eſt de vno tantùm menſuræ, & continentiæ genere, nimirum in ratione durationis: & non virtuali, ſed actuali: an ſcilicet, res omnes actuales, antequam actu realiter ſunt, & durant in propriis, ac finitis durationibus temporalibus, prius ſint, & durent actu, & realiter in communi, & infinita æternitatis duratione. Huiuſmodi diſtinctione, & explicatione præmiſſa, intelligi facilè poteſt æquiuocatio omnium contrariarum rationum, & falſitas ſententiæ, quam probare intendunt.

*Menſura multiplex ex Ioanne de Neapoli.*

*Continentia multiplex.*

89. *Ad primum exponitur, quo modo æternitas ſit menſura præhabens.*

Ad primum, cùm dicitur æternitas, *menſura præhabens*, diſtinguendum eſt illud, *præhabens*; nam ſi intelligatur de præhabere *effectiuè*, eſt falſum; quia efficere non eſt æternitatis formaliter, ſed omnipotentiæ: ſi de præhabere *exemplariter*, eſt verum, quia æternitas, cùm ſit duratio omnium prima, ac perfectiſſima, & ex libr. 10. Metaph. cap. 2. *primum in vnoquoque genere ſit menſura reliquorum*, eſt proculdubio menſura perfectionis omnium creaturarum durationum. Sed non eſt ad rem, quia diſputamus de menſura durationis, non quoad perfectionem, ſed quoad quantitatem, & extenſionem durationis. Si denique de præhabere, vt ita loquar, *duratiuè*, quod ſolùm facit ad propoſitum, tunc rurſus eſt diſtinguendum; nam ſi intelligatur de præhabere in actu, eſt falſum, & petit principium; ſi de præhabere in virtute, eſt verum, ſed non concludit intentum; quia in cauſis liberis, qualis eſt Deus reſpectu rerum ad extra, non licet ex virtualitate deducere actualitatem, v. g. omnipotentia præhabet omnes creaturas in virtute, ergo præhabet in actu; non eſt bona conſequentia: ergo neque hæc ſimilis, quæ ab aduerſariis intenditur: æternitas in genere durationis continet virtualiter omnes creatas durationes: ergo continet actualiter.

Ariſtoteles.

90. Ad ſecundum, nego conſequentiam, quia antecedens verum eſt de menſura æternitatis comparata ad ſuum menſuratum intrinſecum, quod eſt eſſe diuinum, vt cum communi opinione probaui in ſuperiori tomo quæſtione 10. articulo 1. concluſione 7. falſum autem de eadem comparata ad menſuratum extrinſecum menſuratione actuali in genere durationis; omnis enim actualis menſuratio in quocumque genere, eſſentialiter præſupponit eſſe actu id, quod actualiter per illam menſuratur; implicat enim, aliquam menſuram actualiter, ac realiter applicari ad menſurandum id, quod in ſe actualiter, ac realiter non eſt. Neque hunc ſecundum ſenſum impugnant vniuerſalitas, & continentia, quæ afferuntur ad probandum antecedens. Non vniuerſalitas, quia quòd æternitas ſit vniuerſalior, ſolùm infert, eam eſſe omnium menſuram, & in actu primo præſupponi ad omnia menſurata; non autem infert, quoad actualem etiam menſurationem in actu ſecundo præſupponi ad aliquod menſuratum. Sicut enim implicat, Antichriſtum, qui nunc ſimpliciter non eſt, per immenſitatem contineri nunc actu localiter, ſcilicet, repletiuè, ita etiam per æternitatem contineri duratiuè, hoc eſt, duratione ſuperexcedenter coëxiſtente ſuæ propriæ, & intrinſecæ durationi. Non continentia; quia hæc in actu quidem primo præcedit, in actu tamen ſecundo ſubſequitur: omnis enim actus ſecundus, qui ex propria ratione ſua petit exerceri inter duos terminos actu realiter exiſtentes, præſupponere neceſſariò debet illos duos terminos in rerum natura. Vt igitur intelligatur menſura ęternitatis, actualiter, & realiter menſurare, & continere tempus, debent præintelligi, & pręſupponi in eſſe actuali, & reali æternitas, & tempus.

*Ax ſecundum, æternitatem diuerſa ratione eſſe priorem, & poſteriorem tempore.*

Ad tertium, & quartum, concedo, vt æternitate actu menſuretur, & contineatur tempus in ſuo genere durationis, eſſe præſupponendum tempus in actu: quæ præſuppoſitio non eſt propriè dependentia æternitatis à tempore, quia tempus præſupponitur tanquam terminus paſſiuus, vt recipiat, hoc eſt, menſuretur, & contineatur; non tanquam terminus actiuus, vt faciat aliquid circa æternitatem; ac proinde eſt potius præſuppoſitio dependentiæ temporis, & temporalium ab æternitate, quàm æternitatis ab illis. Neque abſurda, quæ in quarta probatione exaggerantur, vim aliquam habent niſi ad terrendum puſillos in hac doctrina. Quando igitur ex eo quod dicimus, tempus, & temporalia præſupponi ad actualem æternitatis commenſurationem, & coëxiſtentiam, infertur primò; *ergo adueniunt ab extrinſeco*, ſi ſenſus eſt, *ergo ſunt extrinſeca æternitati*, concedo, quia omnis in actu creatura, eſt extra Deum, & extrinſeca cuilibet rationi formaliter diuinæ. Si verò ſenſus eſt, *ergo efficiuntur ab alia cauſa, & non à Deo*, qui ſenſus clarè exprimitur, cùm infertur ſecundò, *ergo non communicantur à Deo*, nego conſequentiam, quæ eſt ſimillima huic: vt Deus per ſuam potentiam motiuam moueat actualiter cœlum, debet neceſſariò præſupponi cœlum in ſuo eſſe reali actuali: ergo cœlum non eſt factum à Deo. Infertur tertiò, *ergo Deus non habet res præſentes ab intrinſeco.* concedo de non habere in actu ſecundo, nego de non habere in actu primo; omnes enim creaturæ actuales, quoad earum actualitatem, ſunt extra Deum, atque adeò præſentes illi ab extrinſeco; 91.

*Ad tertium, & quartum, res præſupponi ad æternitatem menſurantem illas.*

quoad virtutem verò eas producendi, ſunt intra Deum, atque adeò præſentes illi ab intrinſeco. Infertur quartò, *ergo ratio præſentialitatis non procedit à Deo*, negatur conſequentia, vt ſupra, & eſt ſimile ſi dices, Præſentialitas mundi in ſe ipſo præſupponitur ad hoc vt Deus per ſuam immenſitatem realiter illi coëxiſtat repletiuè in actu ſecundo, ergo illa præſentialitas non procedit à Deo. Infertur quintò; *ergo res ab extrinſeco adueniunt præſentiæ diuinæ*: ſi illud, *ab extrinſeco*, ſignificat, non factæ à Deo, ſed ab alia extrinſeca cauſa, negatur: ſi verò ſignificat, poſitæ, & productæ extra Deum, conceditur: illa enim præſentia non eſt niſi per extrinſecam commenſurationem, & coëxiſtentiam. His accuratè conſideratis, prudens lector diiudicare facilè poterit, an de eo quod docet Molina, vel potius de eo quod obiicit Nauarrete, dici meritò poſſit, *eſſe chimericum, & omninò ridiculum*; vt contra Molinam loquitur Nauarrete.

92. *Defenditur contra Gonzalez, res prius eſſe in tempore, quàm in æternitate, non ſolùm prius* à quo, *ſed* in quo.

Poſteà verò Gonzalez d. 43. num. 52. volens fortaſſe conciliare vtramque ſententiam, dixit, res eſſe priùs in menſura propria, & adæquata, quàm in menſura aliena, & excedenti, *Si ly, prius ſolùm denotet inſtans à quo*; quia, inquit, *rem eſſe in propria menſura, abſtrahendo ab hoc, quòd talis menſura ſit præſens, vel præterita, vel futura, eſt conditio vt res ſit in menſura æternitatis: quia ideo eſt in æternitate, quia in aliqua differentia temporis habebit eſſe.* Non autem *Si ly, prius, deſignet inſtans in quo.* Sed hæc, ſi magis explicentur, non poſſunt ſubſiſtere. Primò, quia menſura propria comparatur ad res menſuratas, tanquam id in quo res ſunt. Ergo ſi res ſunt prius in hac menſura, erunt priùs prioritate *in quo*, & non ſolùm prioritate *à quo*. Secundò, prioritas *à quo*, eſt prioritas principij, quæ eſt prioritas naturæ ſi applicetur rebus creatis, vt applicatur in caſu noſtro, quia eſſe in tempore, & eſſe in æternitate, eſt eſſe creatum: ergo eſt prioritas *in quo*, quia inter duas creaturas, quarum vna eſt cauſa, alia effectus, ſemper cauſa eſt prior in inſtanti *in quo*, nimirum in quo prius concipi debet eſſe cauſa, quàm effectus; ergo ſi eſſe in tempore eſt prius *à quo*, erit etiam prius *in quo*. Tertiò, omnis res eſt futura ex vi decreti diuini, quo Deus primariò, ac directè vult rem eſſe in tali differentia temporis, & conſequenter vult eſſe in æternitate; & non contrà, directè, & primariò in æternitate, indirectè, & ſecundariò in tempore: ergo eſſe in æternitate, pendet ab eſſe in tempore, non contrà. Et rem eſſe in præterita menſura, & eſſe futuram in tempore, reſpiciunt tale determinatum tempus, & non aliquod tempus abſtrahendo ab hoc, vel illo, vt vult Gonzalez; quia hoc eſſe res habet vi diuini decreti, quod non decernit operari in tempore confusè accepto, ſed diſtinctè in tali tempore. Neque dici poteſt res prior vt futura in tempore, quàm vt præſens in æternitate, quod probatur præcedenti argumento: tamen prior vt præſens in æternitate, quàm vt præſens in tempore: quod voluiſſe ſignificare videtur Gonzalez per prius in inſtanti *in quo*. Tum quia tunc ineptè dictum eſſet, eſſe prius in inſtanti *in quo*, cùm ſit prius æterno, & infinito tempore, tum quia hoc eſſe præſens, non eſt eſſe ipſiuſmet æternitatis, quia illud poteſt eſſe, & non eſſe, ſicut res poſſunt eſſe, & non eſſe futuræ: & in priori ſigno rationis intelliguntur non eſſe, in poſteriori eſſe, non ſic autem æternitas. Eſt igitur eſſe creaturæ diſtinctum ab eſſe futuro: at verò non ſolùm commentitium, ſed etiam erroneum videtur, ponere ab æterno abſque vllo principio in creatura quoddam eſſe realiter, & actualiter præſens diſtinctum à Deo, eiúſque æternitate, & ab eſſe futuro eiuſdem creaturæ.

93. *Benè probat Molina tolli libertatem ex rerum præſentia in æternitate.*

Præterea Nauarrete ſupra, valde contemnit duo argumenta Molinæ, de illis dicens, *Multùm ſuperficialiter attingunt profunditatem doctrinæ Diui Thomæ, & ſcholæ eius.* Verum enimverò ea habent hanc vim, ſanè non contemnendam. Si futura in tempore à cauſis liberis, ſunt iam ab æterno realiter, & actualiter, quoad formales, & peculiares eorum exiſtentias, præſentia in æternitate antecedenter, & omninò independenter, etiam tanquam à conditione ſine qua non, vt vult Nauarrete, ab eſſe præſentialiter in tempore, quod eſſe habent actione cauſæ creatæ liberæ, ſequeretur, voluntatem, v. g. quæ hodie elicit conſenſum A, circa peccatum, ita elicere, vt non poſſit non illum elicere, & non poſſit elicere diſſenſum illius peccati: ergo ſequeretur, voluntatem tunc non conſentire liberè. Prima ſequela videtur manifeſta, quia ſi voluntas vel non conſentiret, vel diſſentiret, iam conſenſus, qui præſupponitur præſens æternitati, & videri à Deo, non eſſet illi præſens, & non videretur à Deo: & è conuerſo, diſſenſus, qui non eſt præſens æternitati, & non videtur à Deo, præſupponeretur præſens æternitati, & videri à Deo. Sed implicat, voluntatem creatam, & temporalem poſſe facere, vt quod omninò independenter ab ipſa, eſt præſens æternitati, & infallibiliter videtur à Deo in æternitate, non ſit præſens æternitati, & in ea à Deo non videatur; vel contra, facere poſſe, vt ſit præſens, & videatur quòd non eſt præſens, & non videtur, cum omnimoda independentia à voluntate: ergo implicat, voluntatem illam conſentientem poſſe non conſentire, vel poſſe diſſentire. Secunda quoque ſequela patet, quòd nimirum hinc deſtruatur libertas conſentiendi, quia quotieſcunque poſito aliquo antecedente, quod nullo modo pendet à voluntate, voluntas non habet potentiam neque ad diſſentiendum, neque ad non conſentiendum, illa profectò non conſentit cum indifferentia, & libertate, ſed cum maxima determinatione, ita vt oppoſitum implicet contradictionem.

94. *Impugnatur reſponſio Nauarrete, & Nazarij.*

Reſpondet primò Nauarrete, & ſequutus eſt Nazarius controuerſia 3. in 1. ſolutione huius argumenti, quòd, *eadem libertas, quæ eſt in tempore, reperitur in æternitate; & idem prorſus quod homo poteſt liberè operari in tempore, poteſt operari, & operatur in æternitate; & æternitas ipſa continet libertatem illam eo modo, quo libertas futura eſt in tempore; licèt priùs natura reperiatur eadem libertas in æternitate, quæ in tempore.* His verò (eſto ſupponantur vt vera, & intelligibilia, cùm tamen manifeſtè conſtet non eſſe, teſte Syluestro doctiſſimo, ac fideliſſimo Thomiſta, verbis relatis ſupra num. 32. & 52.) non reſpondetur ad argumentum. Eſto enim idem ſit conſenſus, qui elicitur à voluntate in tempore, & in æternitate, tamen poſito, quòd, *prius natura*, vt in reſponſione expreſsè conceditur, eliciatur in æternitate, quàm in tempore, ſequitur neceſſariò, & euidenter, cùm in poſteriori naturæ elicitur ille conſenſus, non poſſe intelligi, elici liberè, quia in illo poſteriori implicat non elicere in tempore, quod prius præſupponitur elicitum in æternitate.



Præterquam quod ſi conſenſus habet prius eſſe in æternitate, poſterius eſſe in tempore, non video, qua ratione hæc reſtringantur ad prius, & poſterius ſecundùm naturam, & non potius amplientur ad prius, & poſterius ſecundùm infinitam, æternámque durationem. Neque iuuat confugere ad eandem libertatem, quæ ſit in æternitate, & in tempore; nam argumentum probat, id verbis duntaxat dici, re tamen vera nullam eſſe libertatem, neque in æternitate, neque in tempore; quia ſi actus futurus in tempore, præſupponitur prius eſſe in æternitate, is per ſummam neceſſitatem, vt demonſtratum eſt, habere debet eſſe in tempore: quòd ſi, actum eſſe in tempore, non eſt liberum; neque erit liberum, actum eſſe in æternitate. Efficaciter igitur arguit Molina, libertatis humanæ gratiæ præſidio adiutæ propugnator acerrimus, deſtrui vſum liberi arbitrij, ſi omnia futura ponantur habere prius eſſe in æternitate, quàm in tempore.

95. *Impugnatur alia reſponſio Nauarrete.*

Reſpondet idem Nauarrete ſecundò, *Chimericum eſſe (quia non licet pro nunc alio nomine ſimiles falſitates notare) quòd ſcientia Dei reſpectu craſtinæ lectionis non habeat certitudinem vſque ad diem craſtinum.* At verò huiuſmodi falſitas non eſt Molinæ, ſed reſpondentis; ac proinde reprehenſio in ipſum recidit: etenim Molina id non aſſerit ex propria ſententia, ſed deducit tanquam magnum abſurdum ex ſententia Nauarrete. Sic enim arguit: lectio cras futura, ſi conſideretur hodie, quia hodie nō habet eſſe in ſe determinatum, ſed indeterminatū in cauſa, eſt hodie indifferens, vt cras ſit, vel non ſit; & conſequenter, vt ſit, vel non ſit in æternitate: nam, vt ipſemet Nauarrete ſimul ſæpe explicat; res eædem, & eodem modo ſunt in æternitate, & in tempore. Ergo ſi in tempore hodierno eſt indifferens lectio vt cras ſit, vel non ſit, erit eodem modo indifferens in æternitate. Ergo Deus ab æterno non potuit in æternitate certò videre lectionem craſtinam, ſed ſolùm certò videre eam poterit cras, quando tam in æternitate, quàm in tempore habebit lectio ſuum eſſe determinatum, ac certum. hoc autem eſt abſurdum; ergo pariter abſurda eſt opinio

*Impugnatur tertia reſponſio Nazarij.*

vnde ſequitur. Reſpondet tertiò Nazarius ſupra, *liberum arbitrium in ſenſu compoſito non poſſe aliud efficere, ſuppoſito ſcilicet, quòd illud ſit ab ipſo libero arbitrio in tali tempore efficiendum; poteſt tamen in ſenſu diuiſo aliud efficere.* Sed non ſatisfacit, nam probatum eſt, & conceditur à Nauarrete, eſſe ſenſum compoſitum cum eo, quod eſt prius vſu liberi arbitrij, & ab eo independens: quia ſecundùm ipſos, actus voluntatis prius habet eſſe in æternitate, quàm in tempore: & non ideo eſt in æternitate, quia eſt faciendus in tempore; ſed contra potius ideo faciendus eſt in tempore, quia eſt in æternitate: omne autem antecedens actum voluntatis, & ab eo independens, cum quo compoſitum liberum arbitrium non poteſt non operari, tollit libertatem operationis, vt ex ipſo communi libertatis conceptu, quem omnes homines formant, eiúſque eſſentiali definitione manifeſtum eſt.

96. *Decimaquinta obiectio Nauarrete, probans, præſentiam in æternitate eſſe Deo rationem cognoſcendi.*

Obiicies decimoquintò rationes, quibus idem Nauarrete controuerſia 52. §. 5. intendit probare, non poſſe futura cognoſci à Deo, niſi ſint illi præſentia in æternitate. Primò, *Menſura cognitionis diuinæ eſt æternitas: ergo impoſſibile eſt, quòd aliquid cognoſcatur à Deo, niſi ſit præſens ipſi Deo in æternitate.* Secundò, *Impoſſibile eſt quòd Deus cognoſcat rem aliquam vt ſibi futuram: ergo neceſſariò cognoſcit omnem rem vt ſibi præſentem.* Tertiò, *Quando res cognita, eſt præſens in tempore, non cognoſcitur nouo modo à Deo: ergo ante etiam cognoſcebatur vt præſens: ſed non poteſt cognoſci ex parte Dei vt præſens in tempore, quia cognitio diuina ex ſe abſtrahit à tempore: ergo debet cognoſci vt præſens in æternitate.*



97. *Ad primum, probari tantùm præſentiam ab æterno obiectiuam.*

Reſpondeo ad primum, negando conſequentiam; ex eo enim quòd menſura cognitionis, qua cognoſcitur futurum, ſit æternitas, non ſequitur, futurum habere realem præſentiam in æternitate, ſed ſolùm obiectiuam: ſicut ex eo quòd ego in menſura huius diei recordor, & cognoſco rem heri geſtam, non ſequitur, rem illam hodie eſſe realiter, ſed ſolùm obiectiuè, præſentem in menſura huius diei, in qua cognoſcitur, vt realiter præſens heri, non hodie.

*Quid ſignificet S. Thomas cùm docet, Deum videre omnia in æternitate.*

Et in hoc ſenſu dicit Sanctus Thomas infrà, quæſt. 57. artic. 3. poſt medium corporis, *Deus videt omnia in ſua æternitate.* & libr. 1. contrà Gentes, cap. 66. num. 6. fin. *Quidquid per totum decurſum temporis agitur, diuinus intellectus in tota ſua æternitate intuetur.* & hoc articul. ad 3. *Ea, quæ temporaliter in actum reducuntur, à nobis ſucceſſiuè cognoſcuntur in tempore, ſed à Deo in æternitate.* Quibus in locis manifeſtè accipit æternitatem, non vt menſuram obiecti cogniti, in qua ſcilicet realiter in ſe ipſo exiſtat obiectum cognitum, ſed vt menſuram cognitionis, quæ ab externo habet ſibi obiectiuè præſentes res omnes futuras in quouis tempore. Quare apud Sanctum Thomam idem eſt, Deum videre omnia in æternitate, cum eo, quod docet hîc circa finem corporis, Deum videre omnia per ſuam cognitionem æternitate menſuratam. Neque aliud docet libr. 3. contra Gentes cap. 154. ante medium, illis verbis, *Futura contingentia ſoli diuinæ cognitioni ſubſunt, quia in ſe ipſis videt, cùm ſint ei præſentia ratione ſuæ æternitatis.* Quo loco maximè mouetur Gillius libr. 2. tract. 10. c. 16. num. 4. vt aſſerat Sanctum Thomam eſſe in contraria ſententia, ſed ſatis conſtat ex prædicta explicatione præſentis articuli, ſenſum Sancti Thomæ eſſe, ſolum Deum videre futura in ſe ipſis, hoc eſt, non videre confusè antea quando futura ſunt, nec diſtinctè poſtea quando præſentia ſunt, vt vident creaturæ, ſed ſemper ſimul, & eodem modo videre quicquid ſimpliciter viſibile eſt, quia eius viſio menſuratur æternitate.

*Ad ſecundum, res eſſe Deo futuras realiter, non obiectiuè.*

Ad ſecundum. Diſtinguo antecedens, Deus cognoſcit rem vt ſibi futuram realiter, quia de quacunque re producenda in tempore futurum eſt, non ſolùm vt incipiat realiter exiſtere in tempore, ſed etiam vt incipiat realiter coëxiſtere æternitati, ſeu præſens eſſe Deo æterno: non autem poteſt Deus cognoſcere rem vt ſibi futuram obiectiuè, quia quæcunque realis præſentialitas futura in quocumque tempore, ſemper ab æterno eſt Deo præſens obiectiuè, hoc eſt, obiicitur ſcientiæ diuinæ.

*Ad tertium, Deum ab æterno videre præſens in tempore, non in æternitate.*

Ad tertium, conceſſo antecedente, diſtinguo primum conſequens: *antea cognoſcebatur vt præſens*, hoc eſt, ſecundùm præſentialitatem realem, quam habet in tempore, & concedo: ſecundùm præſentialitatem realem, quam habet in æternitate ab æterno, & nego. Quare nego minorem ſubſumptam: & ad illius probationem, dico, cognitionem diuinam abſtrahere à tempore in eſſe reali, quod nullo modo pendet à tempore, in quantum non menſuratur à tempore, & ita coë-

xiſtit tempori, vt non ſuccedat, nec vllo alio modo varietur per ſucceſſionem, & variationem temporis: non tamen abſtrahere à tempore in eſſe obiectiuo, quia ab æterno Deus cognouit omnia tempora, & temporalia.

*Decimaſexta obiectio Nazarij contra Vaſquez.*

98. Obiicies decimoſextò ex Nazario hîc, controuerſia 3. concluſ. 3. argumentum, quo, inquit, *conuincitur falſitas expoſitionis Vaſquez*, Æternitas habet ex natura ſua, *vt ſimul coëxiſtat omnibus partibus temporis, & contineat, vt excedens menſura totam temporis latitudinem: ergo ſimul continet etiam quæ tempore continentur, ac menſurantur.*

*Reſpondetur æquiuocari in particula,* ſimul.

*Heruæus à Syluestro præfertur Capreolo.*

Reſpondetur, hoc tam conuincens, & demonſtratiuum argumentum, vt dixit Thomiſtarum præſtantiſſimus, Heruæus 1.d.38. quæſt.1. artic.1. parte 3. quem Syluester prima parte conflati, quæſt.14. artic. 16. §.1. circa principium ipſimet Capreolo præfert, *Procedit æquiuocando de ſimul.* Si enim hoc ſe teneat ex parte temporis, antecedens eſt manifeſtè falſum; nam tempus eſt eſſentialiter ſucceſſiuum; ergo dicere, tempus eſſe ſimul, eſt dicere, tempus non eſſe tempus: quod verè aſſerit, ſaltem verbis, qui contendit, omnes partes temporis, futuri, præſentis, & præteriti, ſimul eſſe, & contineri actu, ac realiter in æternitate, vt ſupra num.55. Si verò ſe teneat ex parte æternitatis, concedo antecedens, & conſequentiam. Sed nihil ad rem. Nemo enim negat, æternitatem ſimul totam indiuiſibiliter coëxiſtere ſucceſſiuis, ſed nos cum communiſſima opinione contra aliquos Thomiſtas defendimus, omnia ſucceſſiua ſimul, & indiuiſibiliter non coëxiſtere æternitati: ſicut anima noſtra tota ſimul indiuiſibiliter coëxiſtit corpori; tamen corpus animæ coëxiſtit diuiſibiliter per partes extra partes.

*Repugnat, tempus eſſe ſimul in æternitate.*

## DVBITATIO IX.

### *An Deus videat futura contingentia abſoluta in cauſis ſuis.*

### SVMMA.

1 *Probatur concluſio negatiua. num. 99.*
2 *Referuntur authores vtriuſque partis. numer.* 100. *&* 101.
3 *Probatio concluſionis ex S. Thoma. à numer.* 102. *ad* 106.
4 *Idem probatur rationibus. à num.* 106. *ad* 114.
5 *Satisfit contrariis argumentis. à n.* 114. *ad* 120.

99. *Concluſio negatiua.*

VNica concluſio. Effectus contingentes, ſiue actus liberos, futuros, procedentes immediatè à voluntate creata, non poteſt Deus certò, & infallibiliter cognoſcere in ipſa voluntate; & conſequenter, ratio, cur ex duobus effectibus contingentibus, & oppoſitis, quos cauſa libera ad vtrumlibet, producere poteſt, Deus videat vnum determinatum futurum, & non alium, non poteſt eſſe aliquid tenens ſe omninò antecedenter ex parte cauſæ.

*Effectus dicuntur contingentes ab extrinſeco, & ab intrinſeco.*

Dixi, *ſiue actus liberos*, nam hîc non agimus de effectibus contingentibus extrinſecè, qui ſunt quidem ſimpliciter naturales, habentes determinatam cauſam ex neceſſitate, & intrinſeca virtute propriæ naturæ, tamen ex aliquo extrinſeco impedimento poſſunt non fieri; vt contingens eſſe poteſt, graue deſcendere deorſum; hos enim cognoſci poſſe in ſuis cauſis completis, non impeditis, nemo negat, teſte Valentia hîc, puncto 5. quæſt.2. aſſertione 1. & aſſertione 3. §. *ſed quicquid*, & de his intelligendus eſt S. Thomas 1. contra Gentes cap.67. ratione 3. dicens, *Ex cauſa contingenti completa, ſi non impediatur, ſequitur effectus certitudinaliter; ſed Deus ſcit non ſolùm cauſas contingentium, ſed etiam ea, quibus poſſunt impediri: ſcit igitur per certitudinem, an contingentia ſint, vel non ſint.* Nam, vt ibi interpretatur Ferrarienſis, *Iſta cognitio, qua cognoſcuntur cauſæ contingentes, & quòd non impedientur, vel quòd impedientur, non eſt cognitio contingentis vt contingens eſt, ſed vt habet neceſſitatem, & intelligitur de effectu cauſarum naturalium; quia fortaſſis de effectibus voluntatis, cognitio cauſarum, & impedimentorum non ſufficit ad certitudinem cognitionis, niſi cognoſcatur ipſa cauſa, vt actu vltimatè operans, non impedita; quod eſt cognoſcere effectum, vt iam eſt in ſuo eſſe, non autem ſolùm vt eſt in cauſis.* Agimus igitur de effectibus contingentibus ab intrinſeco, qui non ſunt niſi actus liberi voluntatis.

Valentia.

*Contingentiæ ab extrinſeco videntur in cauſa non impedita, ſecundùm Sanctum Thom. Ferrarienſem, & alios.*

*Concluſio intelligitur de contingentibus ab intrinſeco.*

### *Authores vtriuſque partis.*

Contrarium huius concluſionis, primus omnium, tum inter Thomiſtas, tum inter cæteros Theologos, inuexiſſe videtur Dominicus Bagnes hîc, §.1. concluſione 2.3.& 4. vbi vult, Deum cognoſcere futura contingentia in ſuis cauſis, non quidem indeterminatis, & completis, &, vt addit initio concluſionis quartæ, *etiam ſi Deus non cognoſceret futura contingentia tamquam præſentia in ſua æternitate, ſed ſolùm in cauſis ipſorum, eius cognitio eſſet certa, & infallibilis.* Et ſtatim explicat, ſe hoc intelligere *de omnibus futuris contingentibus, etiam de illis, quæ pendent ex ſola libera voluntate.* Eandem ſententiam deinde ſequuti ſunt Aluarez libr.2. de auxiliis, diſput. 12. Cabrera tomo 1. in 3. parte quæſt.1. artic.3. diſput.1. §.22. num.377. & aliis ſequentibus. Gonzalez hîc, d.44. num.21. Ripa hîc, dubit.1. cap.4. Nazarius controuerſia 2. concluſione 4. Et ſequi tenentur reliqui omnes, qui voluntatem noſtram liberam contendunt à Deo ad vnam tantùm partem antecedenter prædeterminari, vel in omnibus operationibus, tam bonis, quàm malis; vel in bonis tantùm, ſiue naturalibus, ſiue ſupernaturalibus; vel in bonis ſupernaturalibus tantùm: in huiuſmodi enim prædeterminatione maximè fundatur opinio de viſione futurorum contingentium in cauſis liberis ad agendum prædeterminatis; & propter hanc prædeterminationem, quam cauſæ neceſſariæ habent à natura, omnes fatemur, effectus futuros neceſſarios videri à Deo in cauſis ſuis neceſſariis. Pro iiſdem Thomiſtis contra nos referri ſolent ex antiquioribus Argentina 2.d.40. artic.3. ad argumenta, & Ariminenſis 1.d.38. quæſt.2. vbi nihil ad rem; & Durandus 1.d.38. quæſt.3. num.9. qui videtur multum fauere: nam ait, *Cognita cauſa indifferente, ſi cum ea cognoſcantur omnia, quæ eam determinare poſſunt, & determinabunt, poteſt infallibiliter cognoſci, quis effectus eueniet.* Debet autem intelligi, non de determinatione in actu primo, quæ eſt principium actionis, quo modo determinata eſt cauſa neceſſaria; ſed de determinatione in actu ſecundo, quæ eſt ipſamet actio, per quam cauſa libera, ipſa ſeſe determinat, vt infallibiliter faciat talem determinatum effectum. Quod explicare videtur Ferrarienſis 1. contra Gentes cap. 67. §. *aliter etiam*, dicens, *Non poteſt certitudinaliter cognoſci cauſa nullo modo impediri à productione effectus, niſi quando cognoſcitur vſque ad ipſam productionem effectus incluſiuè, quod non impeditur; in quolibet enim inſtanti præcedenti poteſt impediri.* Eadem ratione accipien-

100. *Contra concluſionem ſentiunt* Bagnes.

Aluarez. Cabrera.

Gonzalez. Ripa. Nazarius, *& alij qui prædeterminant liberum arbitrium.*

*Effectus neceſſarios videri in cauſis, ſecundùm omnes.*

*Non benè referuntur Argentina, & Ariminenſis.*

*Quid ſentiant* Durandus, Ferrarienſis, & Valentia.



accipiendus eſt Valentia hîc, puncto 5. quæſt. 2. aſſertione 3. vbi ſequitur modum loquendi Durandi, ſed in fine aſſertionis, iuxta ſuam & Durandi ſententiam, explicat, in illa cauſa libera, proximè determinata videri poſſe infallibiliter effectum, *quæ iam ſic conſideratur cum habitudine in actu ſecundo ad effectum contingentem liberum.* Vnde paulò ante in §. *ſecundum eſt.* hanc concluſionem apertè ſequitur, ſicut etiam antea ad primum. Item ex recentioribus referuntur Vaſquez hîc, dub. 1. vt ait Machin d.32. ſect.1. Sed Vaſquez huiuſmodi dubium non habet, & in diſp.65. cap.4. §. *deinde infertur*, nobiſcum apertè ſentit. Et Molina hîc, diſp.14. in qua tamen, cùm eam accuratè legerim, id non inuenio, nec ſanè cohærenter ad alias ſuas ſententias de certitudine diuinarum prædefinitionum, & de efficacia gratiæ ex præſcientia Dei conditionata, & non ex prædeterminatione liberi arbitrij, id aſſere poterat. Solùm habet, Deum ex altitudine ſuæ ſcientiæ penetrare, & comprehendere liberum arbitrium, & quicquid ex illo futurum eſt, tam abſolutè, quàm conditionatè: quod eſt quid diuerſum ab eo de quo diſputamus, vt dicam infra num.126. & 464. quamuis in contrario ſenſu à multis impugnetur, præſertim à Zumel tomo 1. variarum diſputationum à pagina 35. §. *poſtrema ſententia.* & pag.63. & pag.108. & ſupra, pag.15. & infra, pag. 120. concluſione 3. Verdù folio 24. fin. Nauarrete hîc, controuerſia 56. §. 4. col.4. Nazario controuerſia 1. §.4. Cabrera tom.1. in 3. partem quæſt.1. art.3. d.1. §.22. num.350. & tomo 3. quæſt.62. artic.1. d.12. §.7. à num.176. & d.13. §.1. & 4. Gonzalez hîc, d.45. ſect.4. Cantarello q.23. §. *ad opinionem Molinæ.* Verùm idem Zumel eandem Molinæ ſententiam aliquando amplectitur, vt in 1. parte, quæſt.14. articul.1. concluſ. vnica, ſic etiam Cabrera tomo 1. in 3. partem quæſt.1. art.3. d.1. §.22. num.389. & 392. & 393.

*Quid ſentiant* Vaſq. & Molina.

Zumel.

Verdù. Nauarrete. Nazarius. Cabrera.

Gonzalez. Cantarellus.

101. Concluſio autem noſtra expreſsè eſt Ægidij in caſtigatorio, art.3. ad 4. Aureoli 1.d.38. q. vnica, art. 1. propoſitione 4. circa finem, Heruæi artic.1. parte 2. concluſione 2. Capreoli q.1. art.2. concluſione 1. & clariùs in reſponſione ad argumentum Durandi contra eandem concluſionem. Additque egregiè contra ſenſum modernorum Thomiſtarum, ideò effectus futuros non poſſe ſciri certitudinaliter in humana voluntate, quia, inquit, *Ipſa poteſt ſe impedire, quantumcumque ſit ad eliciendum volitionem inclinata.* idque confirmat euidenti authoritate S. Thomæ quæſt.16. de malo. art.7. illis verbis, *Quæ ſunt ad vtrumlibet, non poſſunt cognoſci in ſuis cauſis determinatè, ſed ſub diſiunctione, vtpote, quòd erunt, vel non erunt; ſic enim habent veritatem.* Vnde concludit Capreolus, *quòd voluntate cognita, & quibuſcumque cauſis ad actum volitionis concurrentibus, non poteſt certitudinaliter cognoſci, an ipſa producet illum actum, vel non producet, an impedietur vel non: quia ipſa voluntas, quæ ad illum actum concurrit, nullo modo eſt determinata plus ad producendum, quàm ad non producendum. Et ideò ad hoc quòd actus eius futurus certitudinaliter cognoſcatur, oportet quòd videatur in ſe, & non ſolùm ſecundùm eſſe, quod habet in cauſa ſua.* Et clariſſimè in reſponſione ad ſeptimum argumentum Aureoli contra ſecundam concluſionem, Caietani hîc, §. *quoad ſecundum.* Vnde §. ſequenti, *aduerte.* loquens de ſtatu, quem effectus contingens habet in cauſa ad vtrumlibet, ait, *eſt ſtatus indeterminationis:* eſſet autem ſtatus determinationis, ſi, vt volunt aduerſarij, ille effectus nunquam prodiret niſi à cauſa determinata. & §. *ad obiectiones autem. Futura comparata ad cauſas determinatas ad productionem alicuius magis, quàm oppoſiti, vel cum excluſione oppoſiti, declinant à contingentia, ſecundùm quòd determinatio cauſarum ad alteram partem magis, vel minus, vel totaliter exigit.* Determinationem contingentiæ omninò opponit; itavt, quantum augetur determinatio, tantùm minuatur contingentia. Qui igitur voluntatem totaliter ad vnum determinat, eius contingentiam, ac libertatem ſecundùm Caietanum totaliter deſtruit. Et §. *nec ſuſtinendus*, docet idem Caietanus, quomodo intelligendum ſit, quod ſæpe S. Thomas, & alij communiter aſſerunt, cauſam ſecundam operari vt motam à cauſa prima; non enim, inquit, intelligi debet, *de motione præuia propriæ actioni, ſicut aqua calefacit calefacta ab igne*, ſicut paſſim volunt moderni Thomiſtæ, qui noſtra ætate introduxerunt motionem, quæ voluntatem noſtram natura ſua indifferentem ad duo oppoſita, phyſicè prædeterminet ad vnum; *ſed de motione cooperante intrinſecè ad propriam actionem.* Et de tali cooperatione primæ cauſæ, inquit, *ſcriptum eſt, quòd attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Quæ verba ad fortitudinem, ſeu potiùs neceſſitatem præuiæ motionis, ac prædeterminationis perſuadendam detorquent Bagnes aliquantò ante finem huius articuli, aliíque Thomiſtæ eius ſectatores. Præterea infra quæſt.57. art.3. §. *aduerte*, docet, *eſſe per ſe notum exercitatis, quòd futurum contingens, in ſua cauſa, vt ſic, ſit penitus ignotum.* Eſt etiam Ferrarienſis, quem ipſemet Bagnes ſupra, pro hac concluſione contra ſuam opinionem eſſe fatetur 1. contra Gentes, cap.67. §. *aliter etiam*, in principio, & in fine. & §. *aduerte*, verbis citatis ſupra num.99. Idem ſequuntur noſtræ Societatis Theologi, Valentia, Vaſquez, Molina, de quibus ſupra, Bellarminus libro 4. de gratia, & libero arbitrio, cap.15. quamuis addat ad 6. videri in cauſa moraliter determinata. Salmeron tomo 4. parte 3. tract.14. §. *ad ſecundam quæſtionem.* Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib.1. cap.3. Becanus 1. parte, tractatu 1. cap.10. quæſt.7. concl.2. Albertinus tomo 1. fol.281. Arrubal hîc, diſputat.42. Item ex aliis Zumel hîc, diſputat.1. concluſ.6. & 7. & diſput.7. in 1. dub. & tomo 1. variarum diſput. concluſ.2. Alphonſus Mendoza in controuerſiis Theologicis, quæſt.7. Scholaſtica in 2. parte quæſtionis, in 1. concluſione, dum agit; an propoſitio de futuro contingenti ſit determinatè vera, & Ariſtotelem, ac S. Thomam, qui videntur aliquando ſignificare contrarium, explicans, ait, quòd effectus contingentes, *à cauſis proximis contingenter, & impedibiliter procedunt.* & in fine quæſtionis, idem habet ad primum, Diotalleuius pag.208. & 266. ad 6. Trigoſius in Bonauenturam 1. parte quæſt.10. art.4. dubio 2. concluſione 4. Nauarrete hîc, controuerſia 52. §.6. concluſ.14. & §.8. concluſione 16. vbi addit contra omnes, quòd etiam ſi Deus voluntatem determinet ad vnum, adhuc non poterit in tali voluntate videre effectum futurum, quia, inquit, *in cauſa libera, antequam cauſet, ſemper reperitur indifferentia ad iſtum, vel illum effectum, licet in cauſando, & ex ſuppoſitione, determinetur ad vnam partem; & effectus conſequatur neceſſariò ſecundùm quid.* Quæ duæ res non videntur ſatis cohærere: nam ſi prædicta determinatio, quædum, *in cauſando, & ex ſuppoſitione*, non eſt antecedens effectum, ne prioritate quidem naturæ, ſed concomitans effectum in ſe ipſo determinatum; tunc profectò in voluntate taliter determinata non poteſt non videri effectus; cùm huiuſmodi determinatio ipſum effectum eſſentialiter inuoluat: ſi verò antecedit effectum ſaltem natura, ſeu cauſali

*Pro concluſione ſunt,* Ægidius. Heruæus. Capreolus.

Caietanus.

*Quid ſit, cauſa ſecunda operatur vt mota à prima.*

Bagnes.

Ferrarienſis.

Valentia. Vaſquez. Molina. Bellarminus.

Salmeron. Suarez. Becanus. Albertinus. Arrubal. Zumel.

Alphonſus Mendoza.

Diotalleu. Trigoſius.

Nauarrete.

*In voluntate determinata videri effectum contra Nauarrete.*

cauſalitate, vt cõtendunt Nauarrete, cæteriq́ue aſſertores phyſicæ prædeterminationis, adhuc videri infallibiliter poterit effectus in volũtate, nõ ratione eius innatæ indifferentiæ ad vtrumlibet, ſed ratione adiunctæ determinationis ad vnũ, ex qua infallibiliter ſequitur effectus, non minus quàm effectus neceſſarius ſequitur ex cauſa neceſſaria.

*Prædeterminatio in libertate non cohæret.*

Quòd autem talis determinatio, & neceſſitas vocetur, *ex ſuppoſitione*, & *ſecundùm quid*, facit ad ſaluandam libertatem verbis, non rebus: nam hæc ſuppoſitio non eſt aliud ſecundùm aduerſarios, niſi ipſa cauſalis, & antecedens determinatio, poſita ſupra voluntatem, & independens à noſtra libertate, eámque coarctans ad vnam partem: & illud, *ſecundùm quid*, non ſignificat aliud niſi neceſſitatem ortam non ex innata indifferentia voluntatis, ſed ex ſuperaddita, ſeu ſuppoſita determinatione prædicta. Cùm igitur hæc determinatio cauſet effectum infallibiliter, & non poſſit non cauſare, effectus erit neceſſarius neceſſitate deſtruente libertatem; non ſecus ac eſt neceſſaria calefactio, quam facit aqua calida ex ſuppoſitione caloris, quamuis ea calefactio conſequatur neceſſariò *ſecundùm quid*, hoc eſt, non ex natura aquæ, ſed ex calore adiuncto. Et ideò idem Nauarrete deinde in controuerſia 55. probauit ſententiam Bagnes, & defendit contra Molinam.

*Reijcitur ſententia Gonzalez.*

Similiter reiicienda eſt ſententia Gonzalez hîc, d.44. num.40. dicentis, non poſſe certò cognoſci effectum in determinatione cauſæ contingentis proximæ, *quia quantumcumque ſit naturalis, & omninò determinata ad productionem illius effectus, impediri poteſt per voluntatem primæ cauſæ.* Sed contra, primò, quia hac ratione Deus ne effectus quidem neceſſarios ſcire poſſet in cauſis neceſſariis; quod omnes negant. Secundò, quia prædeterminatio intrinſeca cauſæ liberæ deſcendit ab extrinſeca prædeterminatione decreti diuini: ergo non poteſt impediri à contrario decreto primæ cauſæ.

## *Probatur pars negatiua ex S.Thoma.*

102\. Huius concluſionis veritas præſcindendo nunc ab efficacia gratiæ, & ſolùm agendo de ſcientia actuum, in quibus quocumque modo Deus concurrit cum liberis creaturis, etiam ad actus naturales, oſtendi poteſt, primò, auctoritate S.Thomæ, quam propter Thomiſtas diligenter expendam.

*Affertur præcipuè doctrina huius articuli.*

In hoc igitur articulo ſic diſcurrit: omne contingens, conſideratum *in ſeipſo ſecundùm quod iam in actu eſt*, ac proinde, *non vt futurum, ſed vt præſens, non eſt ad vtrumlibet contingens, ſed determinatum ad vnum; & propter hoc, ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni: conſideratum verò, vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum; quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem: Deus autem cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm provt ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam provt vnumquodque eorum eſt in actu in ſeipſo.*

*Reijcitur reſponſio Bagnes, & Aluarez.*

Quod non poteſt cum Bagnes hîc, §. 1. fin. intelligi de cauſis contingentibus, *provt ſunt indeterminatæ, & incompletæ*; quo modo intelligitur etiam ab Aluarez libr. 1. Reſponſionum, cap.2. num.7. & cap.5. num.17. Gonzalez hîc, d.44. num.21. Primò, quia S.Thomas ex inſtituto tractans, an in cauſa contingente poſſit certitudinaliter videri effectus, ſi putaſſet, cauſam contingentem conſiderari poſſe, & remotè, quatenus natura ſua indeterminatam, hoc eſt, abſque vlla ſuperaddita determinatione, complente illam in ratione cauſæ; & proximè, quatenus completam in ratione cauſæ per aliquam præuiam motionem, ſeu qualitatem inhærentem, phyſicè prædeterminantem ad vnum; fuiſſet valdè diminutus ſpectando ſemper illam cauſam, vt incompletam, & indeterminatam, ac proinde ſemper vt cauſam remotam, & nunquam vt cauſam proximam, hoc eſt, determinatam, & completam. Omnia enim, quæ hîc dicuntur, conueniunt cauſæ contingenti, vt indeterminatæ; vt, *contingens, vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt nondum determinatum ad vnum: cauſa contingens ſe habet ad oppoſita. Quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem*: ergo euidens ſignum eſt, S. Thomam non cognouiſſe cauſam contingentem, & determinatam ad vnum; alioquin loqui maximè debuiſſet de cauſa contingente vt determinata, quia vt ſic, comparatur ad effectum ſuum vt cauſa completa, & proxima in eſſe cauſæ: & tunc contra aſſerere debuiſſet; contingens in cauſa eſſe determinatum, ac proinde in cauſa poſſe certò cognoſci; & cauſam contingentem ſe habere ad vnum determinatè: & ſicut accuratè diſtinxit de effectu contingente, quatenus determinato, & quatenus indeterminato: ita certè diſtinxiſſet de cauſa contingente, quatenus determinata, & indeterminata. Vnde ſicut de effectu in ſeipſo, quia erat determinatus, dixit, *& propter hoc ſic infallibiliter ſubditur certæ cognitioni*; ita de effectu in cauſa, ſi eam quoque determinatam exiſtimaſſet, erat omninò docendum, ſubdi certæ cognitioni, & tamen docet negatiuè, & vniuerſaliter, non ſubdi cognitioni, niſi coniecturali. Secundò, vt notaui ſupra, num.5. iiſdem verbis opponuntur contingens, & determinatum: *Non eſt*, inquit, *ad vtrumlibet contingens, ſed determinatum ad vnum.* & paulò poſt, cauſa contingens definitur, *Quæ ſe habet ad oppoſita*, hoc eſt, non eſt determinata ad vnum, ſed indifferens ad plura oppoſita. Etſi eſſe cauſæ contingentis, vt omnes, etiam aduerſarij, fatentur, eſt eſſe natura ſua indeterminatum, quo apta intrinſecè eſt mouere ſe non ad vnam tantùm partem, ſed etiam ad aliam, manifeſtum eſt, eſſe contra naturam cauſæ contingentis, ita antecedenter determinari ad vnam partem, vt iam non poſſit ſe mouere ad aliam, ſicut è contrario, eſt contra eſſentiam cauſæ naturalis, ac neceſſariæ, vt in actu primo fiat indifferens, & indeterminata ad vnum, ſed reſpiciat oppoſita.

*Determinatio ad vnum eſt contra naturam cauſæ contingentis.*

103\. Præterea in hoc eodem articulo ad tertium, *Futura*, inquit, *contingentia, quæ ſunt ſcita à Deo, oportet eſſe neceſſaria ſecundùm modum, quo ſubſunt diuinæ ſcientiæ, vt dictum eſt:* hoc eſt, provt ſunt in ſua præſentialitate, ſecundùm eſſe actuale, & determinatum quod in ſe habent; *non autem abſolutè, ſecundùm quod in propriis cauſis conſiderãtur.* & 2.2. q.171. artic.6. ad 2. *Quamuis contingentia futura, provt ſunt in ſeipſis, ſint determinata ad vnum; tamen, provt ſunt in ſuis cauſis, non ſunt determinata, quin poſſint aliter euenire.* & tamen Bagnes, aliíque noui Thomiſtæ, verbis etiam ipſis contradicentes S.Thomæ, aſſerunt futura contingentia eſſe determinata in cauſis ſuis. Et libr.1. contra Gentes cap.67. num.6. *Ordo contingentium ad ſuas cauſas proximas, eſt vt contingenter ex eis proueniant.* Si effectus contingens ex ſua cauſa proxima prouenit contingenter, hoc eſt, indeterminatè; ergo cauſa proxima contingentium eſt indeterminata: ſed cauſa proxima eſt cauſa completa, & perfecta in genere cauſæ; ergo



cauſa contingens non completur, nec fit cauſa proxima in genere cauſæ per ſuperadditam aliquam præuiam determinationem. & in d.38. q.1. art.5. circa medium corporis, *Quædam cauſæ ſunt, quæ ſe habent ad vtrumque, & in iſtis cauſis effectus de futuro nullam habent certitudinem, vel determinationem; & ideo contingentia ad vtrumlibet in cauſis nullo modo cognoſci poſſunt: ſed quando iam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in ſe ipſis eſſe determinatum; & ideo quando ſunt in actu, certitudinaliter cognoſcuntur.* Et quamuis deinde ſubdat, Deum vnumquodque contingentium, ab æterno ſcire, non ſolùm provt eſt in cauſis ſuis, ſed etiam provt eſt in eſſe ſuo determinato: tamen in fine corporis, rationem certitudinis cognitionis diuinæ, omiſſo penitus primo modo cognoſcendi in cauſis, refert ſolùm in ſecundum cognoſcendi modum in ſe ipſo, dicens, *Deum habere certam ſcientiam contingentium ad vtrumlibet, cùm intuitus eius ad rem contingentem referatur ſecundum hoc, quòd præſentialiter in actu eſt, quando iam determinatum eſt, & certitudinaliter cognoſci poteſt.* In quo clariſſimo locõ aduertendum eſt illud, *nullam habent determinationem*, hoc eſt, neque naturalem, neque accidentalem, & neque intrinſecam, neque extrinſecam. Si enim aliquam haberent, præſertim neceſſariò requiſitam ad conſtituendam cauſam contingentem, vltimatò completam ad poſſe proximè cauſare, vt volunt aduerſarij, fuiſſet ſimpliciter falſum de cauſis contingentibus vniuerſaliter docere, *nullam habent determinationem.* Item illud, *in cauſis nullo modo cognoſci poſſunt.* At aduerſarij contradictoriè aſſerunt, cognoſci poſſe in cauſis aliquo modo, ſcilicet provt ſunt determinatæ, & completæ. Demum ſi propter determinationem, quam effectus contingens habet in ſe ipſo, docet S.Thomas illum in ſe ipſo ſciri certò poſſe, ſi in cauſa etiam haberet aliquam determinationem, facilè potuiſſet, imò & debuiſſet, docere propter eandem determinationem ſciri etiam certò poſſe in cauſa; & tamen, perpetuò aſſerit, non poſſe certò ſciri in cauſa quia in ea nullam habet determinationem.

104\. Ibidem ad ſecundum, eadem claritate ait, *Futurum contingens non eſt determinatè verum antequam fiat, quia non habet cauſam determinatam; ſed dum eſt in actu, determinatè verum eſt.* Et ad tertium, *Futurum contingens relatum ad Dei cognitionem eſt neceſſarium, quia ad ipſam non refertur niſi ſecundùm quod eſt in eſſe actuali*: ergo ad illam non refertur ſecundùm quod eſt in eſſe potentiali cauſæ. Vbi etiam, cùm rationem aſſignat, cur ſcientia Dei de futuro contingenti ſit certa, nihil planè habet de eſſe in cauſa, ſed ſolùm de eſſe in ſeipſo. Et multò clarius ad 5. *Res futura*, inquit, *ſubiacet diuinæ ſcientiæ, ſecundùm quod habet eſſe determinatum in actu.* Sed quacumque ratione conſideretur provt eſt in cauſa, non eſt in actu: ergo nulla ratione provt eſt in cauſa, ſubiacet Dei ſcientiæ, ſeu certæ cognitioni. Vnde paulò poſt, de eadem re futura ait, *Iſta res, vt eſt in cauſis, antequam ſit in actu, ibi non habet neceſſitatem, nec ibi eſt ſcita à Deo futura eſſe. Non enim ſcit Deus, effectum contingentem eſſe determinatum in cauſa ſua, quia eſſet falſa ſcientia, cùm in cauſa ſua determinatum non ſit.*

*Idem apud S.Thomam ſunt eſſe determinatum in cauſa, & eſſe neceſſarium.*

Docet S.Thomas, futurum contingens non ſciri à Deo in cauſa; & probat, quia in cauſa non eſt determinatum, ſiue non habet neceſſitatem, quæ duo pro eodem vſurpat, quia certum omninò eſt apud ipſum, quod expreſsè docuit infra quæſt.23. art.1. ad 1. *Prædeterminationem nominare impoſitionem neceſſitatis.* Docent ex aduerſo citati Thomiſtæ, futurum contingens ſciri à Deo in cauſa; & probant, quia in cauſa eſt determinatum: nihil ſane magis oppoſitum aſſerere poſſent Scotus, Aureolus, Durandus, aliíque qui aduerſantur doctrinæ S.Thomæ. Vbi obiter prudens, ac doctus Lector animaduertere debet, quòd etiam in alio caſu notaui ſupra artic. 8. num. 36. & 80. in hæc incommoda lapſos eſſe modernos Thomiſtas, quia ſibi perſuaſere gratiæ efficacitatem ſitam eſſe in quadam qualitate phyſicè prædeterminante liberum arbitrium ad vnam partem. Atque hinc maximè intelligat, quantum huiuſmodi opinio conſona ſit principiis Sancti ipſorum Doctoris; qui præterea loco proximè citato, ad ſextum, explicans modum, quo Deus certò cognoſcit rem contingentem futuram, ait, *Non attingit eam, niſi provt eſt in eſſe actuali ſuo præſentialiter conſiderata.* Illud, *non niſi*, manifeſtè excludit omnem alium attingendi modum. Ergo qui introducunt alium attingendi modum in cauſa, ſiue in eſſe potentiali cauſæ, quacumque ratione conſideratæ, apertè recedunt à doctrina S.Thomæ. Et deinde addit, idem multò magis declarans, *Curſus ſortis, ſecundùm quod erat in potentia tantùm, non erat ſubijcibilis certitudini diuinæ ſcientiæ. Si enim Deus vidiſſet ipſam cauſam, vt ſortem, & non vidiſſet immediatè effectum in eſſe ſuo, nunquam potuiſſet iſtud ſcire.*

105\. Similiter de veritate quæſt.2. artic.12. ante medium corporis, docet, & probat, non poſſe ſciri à Deo, *contingens vt futurum*, ſed, vt exponit in hoc articulo, *contingens, vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt futurum*: ergo contingens, vt eſt in ſua cauſa non poteſt ſciri à Deo. Neque hîc diſtingui poteſt de cauſa indeterminata, & determinata, vt ſupra num.102. ex Bagnes, & Aluarez; nam effectus contingens conſideratus in cauſa, quantumuis determinata, non habet rationem præſentis, ſed futuri. Vnde infra quæſt.57. art.3. & quæſt.86. artic.4. docet, effectus vt futuros, eſſe, & certò cognoſci in cauſis neceſſariis, quæ ſunt cauſæ omninò determinatæ; ergo quòd effectus contingens ſit in cauſa contingente determinata, non tollit ab illo effectu eſſe futurum. Sed S.Thomas vniuerſaliter docet, non poſſe certò ſciri contingens, vt futurum, & hanc rationem futuri conuenire effectui provt habet eſſe in cauſa: ergo futurum contingens non poteſt habere in cauſa ſua eſſe determinatum, alioqui poſſet certò ſciri, vt futurum: ergo determinatio in cauſa contingente, eſt contra S. Thomam. Præterea ibidem ad primum, ait, *Licèt contingens, non ſit determinatum quandiu futurum eſt, tamen ex quo productum eſt in rerum natura veritatem determinatam habet; & hoc modo ſuper illud fertur intuitus diuinæ cognitionis.* Sic arguo. Futurum contingens, quamdiu, ſeu, ſemper ac eſt futurum, non eſt determinatum: ſed futurum contingens ſemper ac eſt in ſua cauſa quocumque modo conſiderata, eſt futurum: ergo futurum contingens ſemper ac eſt in ſua cauſa quocumque modo conſiderata non eſt determinatum, ac proinde cauſa futuri contingentis in nullo priori ante productionem effectus conſiderari poteſt vt determinata. Maior, & minor ſunt expreſsè S.Thomæ: conſequentia eſt in forma.

## *Eadem pars negatiua ſuadetur rationibus.*

106\. Prima concluſionis ratio à priori ſumitur ex verbis Sancti Thomæ 1. 2. quæſt.10. articul.4. in corpore. Ad diuinam, inquit, prouidentiam ſpectat, omnia mouere ſecundùm eorum conditionem, *ita quod ex cauſis neceſſariis, per motionem diuinam*

*Prima ratio S.Thomæ ex indeterminatione cauſæ contingentis.*

*diuinam ſequuntur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus ſequuntur effectus contingentes. Sed voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa:* ergo, *ſic Deus ipſam mouet, quòd non ex neceſſitate ad vnum determinat, ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter mouetur:* ergo non poteſt in cauſa, quæ ſit voluntas libera, neque ſecundùm ſe, neque vt ab ipſo mota præuidere aliquem effectum determinatè. Idem fundamentum aliter tradidit Aureolus 1. d. 38. quæſt. vnica, artic. 1. propoſitione 4. circa finem, his verbis. *In actibus liberi arbitrij poteſt contingere vtraque pars contradictionis ex ſola determinatione voluntatis. Huius autem determinationis Deus cauſa non eſt effectiuè, & determinatiuè immediatè, ſed tantùm mediante voluntate: voluntas autem penitus indeterminata eſt, & poteſt ad vtramque partem; & ſic ea cognita à Deo, neſcitur ad quam partem contradictionis determinabitur.* Sic etiam eandem veritatem probat Ægidius ſuprà num. 101. ex eo quod, *effectus contingentes indeterminatè exiſtunt in ſuis cauſis proximis.* Ita quoque probat Trigoſius in Bonauenturam parte 1. quæſt. 10. artic. 4. dub. 2. concluſ. 4. dicens, *Quia voluntas noſtra in actibus liberis nunquam determinatur neceſſariò ad actum, nec per iudicium intellectus, nec per aliam cauſam extrinſecam.*

*Eadem ratio eſt* Aureoli.

Ægidij.

Trigoſij.

107. Secunda ratio ſit, quia prædeterminatio phyſica voluntatis abſtrahendo nunc ab operibus gratiæ, & ſiſtendo intra fines operum vel malorum, vel moraliter tantùm bonorum, pleraque quæ fiunt ſine gratia, non eſt medium idoneum ad cognoſcenda futura contingentia. Prorſus enim nouum, & inauditum eſt ante Bagnes, cauſam contingentem liberam, & conſequenter intrinſeca ſua natura indeterminatam, fieri determinatam ante productionem effectus, itavt per talem determinationem conſtituatur completa, & proxima cauſa, potentiam abſque alio prærequiſito producere determinatum effectum. Quod nunc ſuaderi breuiter poteſt, quia determinatio opponitur contingentiæ, ac libertati, vt oſtendi ſupra num. 5. & 102. ex Sancto Thoma, & num. 101. ex Caiet. Vnde Sanctus Thomas hîc, contingens conſideratum in ſua cauſa contingente, ait conſiderari, *vt non determinatum*, quia ſcilicet, ipſa cauſa non eſt in ſe determinata. & Zumel hîc, diſput. 1. concluſione 4. poſt medium, (quem, quia in aliis opinionibus huius temporis controuerſis, de ſcientia media, prædefinitionibus, ac prædeterminationibus, à nobis diſſentit, pro hac opinione libenter refero) *Cauſa*, inquit, *quò magis determinata eſt, tanto minuit de contingentia. Et idcirco ſi cauſa eſt magis determinata ad eſſe, quàm ad non eſſe, ſecundùm hoc, illud eſt minus contingens, & habet minorem ſtatum contingentiæ.* Quod ante ipſum docuerat Caietanus verbis allatis ſupra num. 101. ergo ſi cauſa contingens totaliter determinetur, remanebit quidem eius ſubſtantialis contingentia ſimpliciter, tamen remanebit veluti materialiter, non formaliter in ratione cauſæ, hoc eſt, non influet in effectum determinatum vt potens facere plures oppoſitos effectus, quod formaliter eſt influere contingenter ac liberè, ſed vt potens tantùm facere illum determinatum effectum, ad quem faciendum determinata ponitur; itavt ſi per impoſſibile non eſſet potens facere alium oppoſitum effectum, eodem prorſus formali modo ageret: ſicut de facto ſecundùm omnes, cùm voluntas noſtra, ſubſtantialiter libera, elicit aliquos actus neceſſarios, agit quidem voluntas, quæ eſt libera, ſeu concomitanter cum ſua ſubſtantiali libertate, non autem vt libera, ſeu formaliter pro ſua libertate.

*Secunda ratio ex conceptu determinationis oppoſito contingentiæ.*

Zumel,

*Cauſa contingens determinata, agit liberè materialiter, non formaliter.*

Confirmatur, quia eſſe cauſæ, in ratione formali cauſæ, ſpectandum maximè eſt ſecundùm id, quo formaliter conſtituitur in eſſe cauſæ completæ, ac proximæ, ſiue immediatæ: ſed hoc per aduerſarios eſt eſſe determinatum ad vnum: ergo cauſa contingens agit formaliter vt cauſa determinata, ac proinde vt cauſa neceſſaria, non vt contingens, ac libera: ergo qui cauſam contingentem, antequam agat, prædeterminat ad vnum, verè tollit contingentiam, ac libertatem in formaliter cauſando: ſemper enim actio intelligetur formaliter, ac præcisè prodire à cauſa vt determinata ad vnum, non vt libera, & indifferente ad vtrumlibet: nam quis concipere in ſe ipſo poteſt indifferentiam ad vtrumlibet, & ſe ex duobus oppoſitis agere quod ſibi libet, ac placet, ſi ipſemet non ſe determinat ad agendum hoc potius, quàm illud, ſed determinatur ab alio extrinſeco independenter à ſuo libero arbitrio? Ideò enim potentia viſiua, verbi gratia, indifferens ad videndum album, & nigrum, quando videt album, non videt liberè, quia ipſamet non ſe determinat ad videndum album, ſed ad id prædeterminatur ab alio, hoc eſt, ab obiecto per ſpeciem albi, immiſſam ante viſionem albi.

*De conceptu cauſæ liberæ eſt, ſe determinare, & non determinari ab alio.*

Ad hoc argumentum reſpondet Bagnes hîc, §. 3. verſiculo, *ſed eſt notandum.* & ſequuti deinde ſunt alij multi, determinationem non opponi contingentiæ; & rationem reddit his verbis, quæ tranſcripſit Zumel diſput. 4. concluſione 3. notabili 2. *Concurſus primæ cauſæ, ita eſt efficax ad determinandum cauſas ſecundas, quod ſimul eſt ſuauis, conformans ſe cum naturis ſecundarum cauſarum: itavt cum cauſa neceſſaria neceſſitatem efficiat, & cum contingenti contingentiam.* Et in fine articuli, *Concurſus primæ cauſæ, licèt determinet realiter cauſas contingentes, & liberas efficaci determinatione; determinat tamen ſuauiter, & proportionabiliter ad naturas ipſarum cauſarum.* Quam quidem ſuauitatem nulla alia ratione ſuadet Bagnes, & ad verbum ſequitur Zumel ſupra, niſi primò, *quoniam Deus eſt author totius naturæ, & idcircò poteſt mouere naturam quamlibet iuxta modum eius; ita quòd ſimul ſaluetur efficacia primæ cauſæ, & modus operandi proprius cauſæ ſecundæ.* Secundò, quia prima cauſa, ex ſumma eius efficacia, in agendo, vt docet Sanctus Thomas infra, quæſt. 19. articul. 8. *non ſolùm poteſt producere effectum, quem intendit, quantum ad eius ſubſtantiam, ſed etiam quantum ad omnem modum, quò ipſa vult producere, videlicet, neceſſariò aut contingenter: ergo determinat meam voluntatem ad legendum, non vtrumque, ſed ad liberè legendum.* 108.

*Reſponſio Bagnes, & Zumel.*

Verùm huiuſmodi ſuauitas, ſi non verba, ſed res verbis ſignificatas perpendere velimus, minimè ſuauiter, ſed duriſſimè percipitur. Enimverò natura contingentiæ conſiſtit in potentia ad plures effectus, & in indifferentia, ſiue indeterminatione, ad vtrumlibet, *quia cauſa contingens*, inquit Sanctus Thomas hîc, *ſe habet ad oppoſita:* ergo determinare illam ad vnum, non eſt ſuauis motio conformans ſe cum natura cauſæ contingentis, ſed amara compulſio deſtructiua naturæ illius: ille enim concurſus primæ cauſæ, quo antecedenter prædeterminatur cauſa

*Concurſum primæ cauſæ, ſi prædeterminat, non poſſe eſſe ſuauem, & proportionatum cauſæ liberæ.*





ſecunda, contingens eſt, & ab ipſomet Bagnes ſupra, in verſiculo, *Ad hoc reſpondetur*, dicitur *neceſſarius*, quia ſcilicet, non poteſt non cauſare illum determinatum effectum, ad quem determinatè, ac neceſſariò concurrit; & conſequenter, cauſa, vt ſtat ſub illo concurſu, & vt componens cum illo, non poteſt non ſequi illum concurſum, & non producere eumdem effectum. Sed conceptus neceſſarij pugnat cum conceptu contingentis; & non poſſe non agere, nec poſſe producere alium effectum oppoſitum contradicunt conceptui cauſæ contingenter, ac liberè agentis: ergo eſt concurſus, efficax quidem, & nimis efficax, non tamen ſuauis, & conformis naturæ cauſæ ſecundæ contingentis. Cùm verò dicitur, quòd huiuſmodi concurſu, cauſa prima, *cum cauſa neceſſaria neceſſitatem efficiat, & cum contingenti contingentiam*, eſt inintelligibile: tum quia cauſa prima nullo alio modo efficit neceſſitatem concurrendo cum cauſa ſecunda neceſſaria, niſi præbendo concurſum neceſſarium, & determinatum ad vnum: ergo eiuſdem rationis concurſus non poteſt in cauſa contingenti efficere contingentiam, oppoſitam neceſſitati. Tum quia non minus impoſſibile eſt, per concurſum neceſſarium, & determinatum, effici contingentiam, & indeterminationem in cauſa contingente; quàm contrà, per concurſum contingentem, & indeterminatum, effici neceſſitatem, & determinationem in cauſa neceſſaria. Igitur ex ipſiſmet terminis manifeſtum eſt, non poſſe cauſam primam efficere neceſſitatem, & contingentiam in cauſis cum proportione, & conformitate ad illarum naturas, niſi cauſis neceſſariis, natura ſua ad vnum determinatis, præbendo concurſum determinatum ad vnum; cauſis autem contingentibus, natura ſua indeterminatis ad plura, & indifferentibus ad vtrumlibet, præbendo concurſum indeterminatum, & indifferentem, quo, nimirum parata ſit prima cauſa adiuuare cauſam ſecundam liberam ad productionem illius effectus, ad quem pro ſua innata libertate ſeſe determinauerit. Atque hæc ſanè eſt vera, ac ſolida ſuauitas, & fortitudo primæ cauſæ attingentis à fine vſque ad finem fortiter, & diſponentis omnia ſuauiter. Quam ſignificat Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 10. articulo 4. illis verbis, *Ad prouidentiam diuinam non pertinet, naturam rerum corrumpere, ſed ſeruare. Vnde omnia mouet ſecundùm eorum conditionem; ita quòd ex cauſis neceſſariis per motionem diuinam ſequuntur effectus ex neceſſitate; ex cauſis autem contingentibus, ſequuntur effectus contingenter.* Si contingenter, ergo non per prædeterminationem ad vnum, ſed per indeterminationem, & indifferentiam, *quia*, vt idemmet Sanctus Thomas ſtatim addit, *voluntas eſt actiuum principium, non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa.* Et de malo, quæſt. 3. artic. 2. circa medium corporis. *Attendendum eſt, quòd motus primi mouentis non recipitur vniformiter in omnibus mobilibus, ſed in vnoquoque ſecundùm proprium modum.*

*Cum cauſis neceſſariis, & liberis cauſam ſecundam non eodem modo concurrere.*

S.Thomas.

109. Neque duæ rationes Bagnes ſuadent intentum: non prima, quia non negamus, cauſam primam poſſe mouere cauſam ſecundam contingentem iuxta modum eius, & cum efficacia. Sed noſtra controuerſia eſt magis particularis; an ſcilicet iſte modus ſit, per aliquam præuiam motionem prædeterminantem ad vnum; qui modus planè impoſſibilis, indigebat alia peculiari ſuaſione, quam tamen afferre eſt impoſſibile. Non ſecunda, quia eodem modo vltrò fatemur, Deum eſſe cauſam vt cauſa ſecunda libera non ſolùm operetur ſimpliciter, ſed etiam operetur liberè. Tamen certò negamus, hoc poſſe efficere, concurſu antecedente neceſſario, prædeterminante illam ad vnum. Neque fauet S.Thomas loco citato, imò apertè aduerſatur: quamuis enim aſſerat, ex efficacia diuinæ voluntatis oriri, vt quædam neceſſariò, quædam contingenter eueniant, quod nos non negamus; tamen ſtatim tradit modum, quem adhibet Deus, vt hæc ita eueniant, dicens, *& ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt; quibuſdam autem aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant.* Sed Dei concurſus, ſeu præmotio, phyſicè prædeterminans ad vnum, non eſt contingens, ac defectibilis, ſed potius neceſſaria, & infallibilis: ergo per hunc concurſum Deus non præparat cauſas contingentes ad effectus, quos vult contingenter fieri: ſed per alium concurſum diuerſæ omninò rationis, nempe contingentem, atque indifferentem, vt ſupra, alioqui per illum primum concurſum, ſub quo poſita voluntas non poteſt non operari, operatio non fieret liberè, etiamſi operandi libertas ſit ſimpliciter in voluntate; nam vt ipſemet Bagnes hîc, §. 3. in verſiculo, *pro huius ſolutionis*, verius, quàm cohærentius dixit, loquens de ſcientia Dei, ſed poteſt omninò applicari prædicto concurſui prædeterminanti, quæ verba ex Bagnes tranſcripſit Nazarius hîc, controuerſia 6. §. 3. aliquantò ante finem. *Quid prodeſt, quòd mea voluntas, abſolutè, & ſecundùm naturam ſuam conſiderata habeat libertatem ad legendum, vel non legendum, ſi ſuppoſito concurſu Dei ad legendum, non poteſt non legere, ſed eſt totaliter determinata ad legendum? Quia reuera iuxta iſtum ſenſum voluntas nunquam vtitur ſua libertate, & ex conſequenti nullus effectus eſt liber.* Quamobrem deinde in alio verſiculo, *ad hoc reſpondetur*; minus conſequenter dixiſſe videtur, & dixit etiam Zumel iiſdem verbis d. 4. concl. 2. circa finem, quòd, *non planè poſſimus à priori explicare, quo pacto concurſus primæ cauſæ efficax ſit, & neceſſarius, & ſimul conformetur cum natura cauſæ contingentis, & liberæ.* Cùm per cauſam à priori euidens ſit concurſum neceſſarium & determinatum ad vſum non poſſe conformari cauſæ, natura ſua contingenti, & indeterminatæ ad plura, itavt cauſare poſſit vtrumlibet. Certè rem à priori pleniſſimè explicauit Sanctus Thomas verbis citatis, cùm dixit, ideo effectus contingenter cauſari, quia Deus ad illos præparauit, *cauſas contingentes defectibiles.* Sed qui contra vult, paratas eſſe cauſas neceſſarias indefectibiles; mirum eſſe non debet, ſi, vel ipſo fatente, libertatis rationem reddere nequeat. Nam quòd deinde addit, & ad verbum ſequitur Zumel diſputat. 4. concluſ. 2. fin. *Id à poſteriori eſſe certiſſimum; quoniam ſi concurſus primæ cauſæ non eſſet efficax ad determinandum omnes cauſas ſecundas, nulla ſecunda cauſa operaretur ſuum effectum: quia nulla cauſa ſecunda poteſt operari, niſi ſit efficaciter à prima determinata. Si verò non accommodaretur naturis cauſarum inferiorum, omnem libertatem, & contingentiam auferret à cauſis ſecundis*, nihil verè probat, nam gratis aſſumit, cauſam contingentem non poſſe contingenter operari abſque

*Soluuntur rationes reſponſionis Bagnes.*

*Quomodo voluntas Dei ſit cauſa, agendi neceſſariò, & liberè, ex S.Thoma.*

*Cauſam primam cum cauſis liberis non concurrere prædeterminando.*

Bagnes. Nazarius.

*Poſſe benè explicari modum concurrendi cauſæ primæ cum cauſis liberis, contra Bagnes, & Zumel.*

præuia, ac neceſſaria determinatione, deſtruente naturam cauſæ contingenter operantis, vt probatum eſt. Et non minus certum eſt, per concurſum primæ cauſæ, non accommodatum, & congruentem naturæ cauſæ ſecundæ contingentis, lædi libertatem, vt Bagnes fatetur, quàm, concurſum primæ cauſæ neceſſarium, & indefectibilem, eſſe expreſsè repugnantem prædictæ naturæ; & demum dicere cum Zumel tomo 1. variarum diſputationum, folio 9. ſuppoſitione 4. *Quomodo ſtet liberum arbitrium cum Dei præſcientia, voluntate, & decreto, crede; quia non capis, quomodo Deus ſit trinus, & vnus; & tamen credis*, non euacuat difficultatem. Quid quæſo Zumel iubet nos credere? An eſſe in genere aliquem modum, quo verè ſtat libertas cum intellectu, & voluntate Dei? At hoc quidem omnes credimus. An hunc modum ſciri non poſſe viribus naturæ? vt dicunt nonnulli citati ſupra dubit. 3. initio. At hoc ne ipſemet credit, qui ſæpe, ac fusè hunc modum tradit, & citatos Theologos impugnat infra fol. 12. An denique vult credi modum ab ipſo traditum de diuinis actibus prædeterminantibus omninò antecedenter ad vnam partem? at hoc cùm ſit falſum, non poteſt eſſe fidei obiectum. Igitur cùm nos euidenter demonſtremus, hunc modum non poſſe ſtare cum libertate, & conſequenter cum fide, non eſt obtrudenda fides, ſed conandum potius per rationes Theologicas difficultatibus ſatisfacere; vel potius, quia hoc fieri verè non poteſt, abiiciendæ prædeterminationes, ex quibus veritas liberi arbitrij, vniuerſo generi humano hactenus exploratiſſima, iam facta eſt incomprehenſibilis, & æquiparatur profundiſſimo Trinitatis myſterio; nimirum vt huiuſmodi velamine earum falſitas minus appareat.

110. Vlteriùs, quod in hac ſecunda ratione intendimus, iuuat confirmare vulgata illa definitione cauſæ liberæ, hæc enim eſſe dicitur, quæ poſitis omnibus, neceſſariò prærequiſitis ad operandum, poteſt operari, & non operari; quam præter omnes Philoſophos, ac Theologos ante Bagnes, & poſtea præter omnes noſtros Theologos, & Trigoſium in Bonauenturam parte 1. quæſtione 10. articulo 4. dub. 4. notabili 1. Machin d. 32. ſectione 1. & Nazarium controuerſia 2. §. 2. initio, eam recipit Franciſcus Zumel, ſed quàm cohærenter ad alia, quæ deinde ſcripſit de libertate, ſcientia media, concurſu primæ cauſæ, præfinitionibus diuinis, & efficacia gratiæ, alij viderint. Is igitur in hunc articulum diſputatione 7. in dubio annexo, concluſione 1. *De ratione*, inquit, *cauſæ liberæ eſt, quòd illa poſita, cum omnibus requiſitis, poſſit agere, & non agere.* Et paulò poſt, *Cauſa libera non indiget aliquo determinante, ſed ipſa ab intrinſeco habet, vt poſitis omnibus requiſitis, ipſa ſe determinet ad hoc, vel eius oppoſitum, pro ſua libertate.* additque id patere, *ex definitione cauſæ liberæ, & ex ipſa experientia.* Et infra, contra dicentes, voluntatem determinari infallibiliter à iudicio practico, ait, *hoc eſt impoſſibile, & eſt deſtruere libertatem.* Antea quoque in diſputatione 2. concluſione 3. ita habet, *Quocumque modo agens determinetur ad vnum ſiue ab intrinſeco, ſiue ab extrinſeco, tunc id, quod fit ab huiuſmodi agente, in quantum tale, non fit liberè, & contingenter, ſed neceſſariò.* Et poſtea diſputatione 4. ad 2. his verbis ſequitur doctrinam Caietani infra, quæſt. 19. articulo 8. circa finem, quæ noſtris ſententiis mirificè fauet. *In nullo inſtanti concurrit, & mouet prius Deus, quàm cauſa ſecunda modificet primam. Et ita in nullo inſtanti priori operatur prius Deus, quàm cauſa ſecunda operetur. Et ita actio primæ cauſæ non attingit effectum, niſi modificata in cauſa ſecunda. Et idcircò non attingit prius effectum operatio primæ cauſæ in aliquo inſtanti naturæ, quàm operatio ſecundæ cauſæ.* Et iterum ad 4. *Falſum eſt, quòd cauſa prima prius mouet ſecundam, quàm ſecunda determinet primam.* Et tamen antea in diſputatione 2. ad 5. contra nos pro Bagnes dixerat, *Dei concurſus eſt de præuiis ad operationem; quoniam prius eſt, primam cauſam mouere ſecundam, quàm ipſam operari.* Et paulò poſt, *Dei concurſus præuius eſt ad operationem, & Dei motio præuia eſt, & ad operandum, & ad cauſam ſecundam.* & alia multa contra nos habet diſputatione 6. concluſione 2. Præterea pro nobis in diſputatione 3. ante 2. concluſionem, ſic egregiè diſcurrit pro noſtra ſententia contra Bagnes, & alios poſteriores Thomiſtas. *Cùm voluntas ſuaptè natura ſit cauſa libera, in cuius poteſtate eſt velle, aut nolle, aut continere omninò actum, & nihil velle; in quocumque temporis momento aut puncto exiſtat, in eo priori eiuſdem puncti, in quo, cum fundamento in re, concipitur voluntas, vt naturæ ordine antecedens ſuum actum, in facultate ipſius eſt, vel nihil omninò agere, vel volitionem, aut nolitionem elicere, prout maluerit. Quo fit, vt ad quodcumque temporis momentum deueniat voluntas, prius natura, quàm ſe determinet pro innata ſua libertate ad aliquid prædictorum, poteſtatem, & facultatem habeat, non quidem ad volendum, & non volendum vnum, & idem obiectum ſimul in eodem puncto temporis: ſed facultatem habet pro illo priori, vt indifferenter velit, aut nolit, vel vt ab omni actu pro illo inſtanti ceſſet. Vnde poſterius natura liberè ſe determinat ad vnum illorum. Et hæc eſt ſententia Diui Thomæ, quam etiam ſequitur Scotus in 1. d. 39.* Mirum autem eſſe non debet, hæc verba noſtræ ſententiæ nimis fauere, quia ſunt ipſiſſima verba Molinæ hîc, d. 4. §. *dicendum.* Nimirum ſolemne huic ſcriptori eſt, nunc noſtris, nunc aduerſariorum ſententiis contrariis, propemodum verba ipſa deſcribendo adhærere. Ex quo quanti eius authoritas in eiuſmodi controuerſiis facienda ſit quiuis facilè iudicauerit. In opere etiam variarum diſputationum, quod vltimò ſcripſit, ita pro nobis habet tomo 1. fol. 106. col. 1. fin. *Certa doctrina eſt, quòd voluntas creata, quatenus præſupponitur vt principium ſuorum actuum liberorum, non eſt determinata ad alteram partem circa eos; ſed indifferens ad vtrumque.*

*Libertatis definitio ex* Trigoſio. Machin. Nazario. Zumel.

*Contradictiones Zumel.*

*Verba Zumel ex Molina.*

*Authoritas Zumel in iis controuerſiis.*

111. Tertia ratio ducitur ex futuris peccatorum actibus, qui videri nequeunt in cauſa libera ad illos à Deo phyſicè prædeterminata. Bagnes hîc, §. 1. ad 2. vult, hos etiam actus malos videri infallibiliter à Deo in cauſa, quæ non eſt niſi libera voluntas. Non legitur autem expreſsè concedere, vt notauit Suarez opuſculo lib. 2. cap. 1. num. 4. voluntatem à Deo prædeterminari ad tales actus. Et ideo ad difficultatem, quæ ex his duobus dictis oritur, nempe; quo modo in cauſa indeterminata cognitio Dei certiſſima intueri poſſit effectum determinatum, reſpondet dupliciter, primò, *Quòd malum culpæ futurum cognoſcitur à Deo per ideam boni, cui opponitur,*

*Tertia ratio ex actibus peccatorum ad quos Bagnes expreſsè non dicit prædeterminari voluntatem.* Suarez.

*Duæ reſponſiones Bagnes, Nauarrete, Nazarij, Cabreræ.*

Secundò



Secundò, vt reſpondent etiam Nauarrete controuerſ. 55. Nazarius controu. 2. §. 5. Cabrera tom. 3. in 3. part. quæſt. 62. art. 1. diſp. 12. §. 12. num. 271. & 276. idem malum cognoſci in ſua cauſa, *Quatenus non eſt determinata à prima cauſa ad bene operandum.* quia, inquit, *voluntas creata infallibiliter deficiet circa quamcumque materiam virtutis, niſi efficaciter determinetur à diuina voluntate ad bene operandum.*

Illud verò, quod Bagnes non vult concedere, & ſanè à bono Theologo concedi non poteſt, vt infra oſtendam, ſequitur expreſsè ex dictis eius. Nam hîc, §. 3. verſiculo, *Hactenus explicuimus.* habet hæc verba, quæ leguntur etiam in Zumel d. 4. concl. 3. notab. 2. Riſpolo pag. 63. Cantarello q. 22. ad 2. *Prima cauſa ita determinat omnes cauſas ſecundas ad ſuos effectus producendos, quòd nulla cauſa ſecunda poteſt exire ab eius determinatione.* non poterat loqui vniuerſalius: ergo comprehendit etiam cauſas ſecundas malè operantes. Cum eadem vniuerſalitate clarius loquitur infra, verſiculo, *Ad hoc reſpondetur.* circa finem. *Si concurſus primæ cauſæ non eſſet efficax ad determinandum omnes cauſas ſecundas, nulla cauſa ſecunda operaretur ſuum effectum: quia nulla cauſa ſecunda poteſt operari, niſi ſit efficaciter à prima determinata.* & infra, quæſt. 19. artic. 10. dub. 1. poſt tertium documentum, verſiculo, *primum eſt.* ait, *Diuinæ prouidentiæ infallibilis prædefinitio omnem bonam operationem liberam prædefiniuit, imò & omnem operationem, in quantum bona eſt.* Quæ limitatio videtur addita ad includendum actum malum, qui, quatenus actus, eſt etiam bonus, quam ſententiam iterum non obſcurè ſignificare videtur infra q. 23. art. 3. dub. 2. concl. 3. §. *Secundus ſenſus.* & concl. vlt. ad 6. §. *Pro cuius.* Idem quoque ſequitur ex motiuis, quibus Bagnes, aliique ſectatores aſſerunt, de ratione generalis influxus primæ cauſæ eſſe, omnes cauſas ſecundas prædeterminare, & promouere per aliquid antecedens per modum principij: ideo enim huiuſmodi præmotionem aſtruunt, vt cauſa ſecunda moueatur, & applicetur ad operandum; & in particulari de voluntate libera, & indifferẽte, vt determinetur, & compleatur in actu primo. Vnde Bagnes infra quæſt. 23. art. 3. dub. 3. concl. 9. circa finem ait, *Deus cùm ſit cauſa potius entis, omnia determinat, & à nullo determinatur.* At voluntas non minus indiget motione, applicatione, determinatione, reſpectu actus mali, quàm reſpectu actus boni: nam etiam ad actum malum eſt ex ſe indeterminata, indifferens, & applicata. Præterea influxus generalis eſt ſolùm neceſſarius propter eſſentialem dependentiam, quam habet ens creatum non ſolùm in conſeruari, ſed etiam in fieri, à Deo; ſed actus malus, ſumptus pro materiali, ſeu poſitiuo reali, eſt aliquod ens creatum: ergo pendet eſſentialiter à generali influxu. Ergo habere debet quicquid neceſſariò, & eſſentialiter includit talis influxus: ergo ſi non habet præmotionem, hæc non includitur in generali influxu, ac proinde nulla cauſa ſecunda illam petit propter generalem influxum. Quod ſi includitur, ergo actus malus illam habere debet: etenim cùm influxus generalis detur, ſolùm propter neceſſitatem eſſentialis dependentiæ entis creati à Deo, non ſunt in illo ſuperfluè multiplicanda, quæ non ſunt neceſſaria ad eſſentialem dependentiã entis creati vt ſic, & conſequenter ad eſſentiam cuiuſlibet entis creati: nam propter hãc ſimilitudinem in omnibus effectibus, iſte influxus primæ cauſæ dictus eſt generalis, & vniuerſaliſſimus. Hoc igitur eſſe debuiſſet vrgẽtiſſimum argumentum ad negãdum cognoſci à Deo actus futuros liberos in cauſis ab ipſo determinatis, quod probare conabamur, quia certò videbant, illam in influxu ad actus malos implicare contradictionem. Quamquam non defuerunt ex ſectatoribus Bagnes, qui eius ducti principiis, hanc quoque ad actus malos præmotionem, quæ inde neceſſariò deducebatur, amplexari non dubitauerint, vt inter alios Nazarius ſupra §. 5. Nauarrete ſupra §. 1. initio, qui vtitur nomine prædeterminationis. Quod videtur & amplecti Reuerend. Dominus Aluarez lib. 2. de Auxiliis diſp. 10. n. 3. & clarius d. 11. num. 2. notab. 1. dicens, *Deum ſuo concurſu generali phyſicè prædeterminare voluntatem ad actum peccati, in quantum actus eſt, quamtumuis aliàs ſit intrinſecè malus.* Cabrera tom. 3. in 3. part. quæſt. 62. art. 1. diſp. 12. §. 12. num. 273. & aliis ſequentibus, Riſpolus pag. 62. Verùm huiuſmodi præfinitio ſeu præmotio quàm ſit abſurda contra Scripturam, Patres, Scholaſticos omnes, & naturalem rationem, ſuo loco demonſtrabo.

*Prædeterminatio ad actus malos ſequitur ex dictis Bagnes, & Zumel.*

*Sequitur etiã ex opinione Thomiſtarũ de influxu generali.*

*Prædeterminationem ad actus malos ponunt Nazarius, Nauarrete, Aluarez, Cabrera, Riſpolus.*

Et planè ridiculum eſt, aſſerere cum Nauarrete ſupra, *Non poſſe liberum arbitrium exercere actiones, quibus peccat, quantum ad totam entitatem, quam habent, niſi prædeterminatum à Deo:* ídque, inquit, *nullus ſanæ mentis poteſt dubitare.* & nihilominus ſimul fateri, *Deum non prædeterminare quoad materiale peccati.* Verùm, tanta mentis ſanitas, quæ duo ſimul contradictoria in eadem continenti oratione, vera eſſe, affirmare non dubitat, meritò ſuſpecta eſſe debet. De primo autem, ſanam mentem dubitare non poſſe, probat iſte author, hac, vt ait, *euidenti demonſtratione. Omnis entitas per participationem, reducitur ad ens per eſſentiam, tanquam ad primam, & vniuerſalem cauſam: ergo omnis entitas, quæ eſt in actu peccati, etiam reducitur ad ens per eſſentiam; & conſequenter ad talem entitatem producendam non habet aliquam virtutem ſecunda cauſa, niſi prædeterminetur à prima.* Vt hæc eſſet euidens demonſtratio, deberet eſſe nota lumine naturæ iſta propoſitio, in qua fundatur, cauſa per participationem non poteſt reduci in agendo ad cauſam per eſſentiam, niſi ab hac prædeterminetur ad agendum, in qua tamen propoſitione ingenuè fateor, me nullam prorſus veritatis lucem cernere poſſe, nec habere adeò ſanam mentis aciem, vt in tantis tenebris lumen videam.

*Nauarrete contradictio, & inefficax probatio prædeterminationis ad actus malos.*

112. Hac igitur prædeterminatione ad reales peccatorum actus omninò reiecta, prædictæ duæ reſponſiones Bagnes non videntur ſatisfacere. Non prima, qua cognoſci ait malum in idea boni: quia non eſt ad rem: tum quia hîc non diſputamus de modo ſciendi tenente ſe ex parte cognoſcentis, ſcilicet, an Deus videat in ſe ipſo tamquam in cauſa, vel tamquam idea; de qua re actum eſt ſupra art. 5. ſed ſolùm de modo ſciendi ex parte rei cognitæ, nempe, vnde habeat contingens ad vtrumlibet, vt videri determinatè poſſit futurum ſecundùm vnam partem contingentiæ, non ſecundùm aliam oppoſitam. Tum quia neque diſputamus de cognitione mali culpæ, prout formaliter mali, hoc eſt, formalis malitiæ, quæ cognoſcitur per poſitiuum bonum, ſeu ideam boni creati, cui opponitur; de qua difficultate tractatum eſt ſupra art. 10. ſed de cognitione actus poſitiui, ac realis, qui eſt fundamentum malitiæ, & materiale peccati. Non ſecunda, qua ait cognoſci à Deo voluntatem operaturam malum, quia non eſt determinata ad bonum: quia vt contra Bagnes notant Molina hîc, diſputat. 15. §. *Verùm.* Suarez opuſculo de Auxiliis lib. 2. cap. 5. num. 16. & tom. 1. de gratia. Prologom. 2. cap. 3. num. 6. 7. 8. ſi voluntas

*Impugnatur prima reſpõſio Bagnes.*

*Impugnatur ſecunda reſponſio Bagnes cũ Molina, & Suarez.*

luntas non determinata à prima cauſa, eſt infallibiliter operatura actum peccati, ſequuntur tria grauia incommoda. Primum ad hominem, cauſam liberam ſecundam poſſe operari aliquem effectum abſque eo quòd per generalem concurſum determinetur à prima cauſa ad operandum, contra ſententiam, & verba ipſius Bagnes ſupra. Et ſi hoc non negat Bagnes, vt contendit Nauarrete ſupra, cur quæſo de iſtis actibus peccatorum non dixit etiam, ſicut de cæteris, videri in voluntate prædeterminata, ſed dicere potius voluit videri in voluntate non prædeterminata? Præterea ſicut Deus poteſt non prædeterminare ad actum bonum, ita poteſt non prædeterminare ad actum malum: ſicut igitur ſi non prædeterminat ad malum, hinc non ſequitur futurum infallibiliter bonum: ita à contrario, ſi non prædeterminat ad bonum, non ſequi debet futurum infallibiliter malum. Præterea ſi poteſt voluntas nullum actum elicere (multi enim putant, ad voluntatis libertatem ſpectare, vt poſſit ſuſpendere omnem actum, quidquid ea de re Bagnes ſentiat) non eſt neceſſarium, eſſe infallibiliter futurum malum ex negatione prædeterminationis ad bonum, quia eſt aliquid tertium, nempe, neque eſſe futurum bonum, neque malum.

*Cauſa agens vt indeterminata, & vt potens nõ agere, nõ poteſt agere infallibiliter.*

Secundum incommodum contra Philoſophiam, cauſam indeterminatam, agere prout indeterminatam, & tamen agere infallibiliter, nam cauſa, quæ in agendo non poteſt fallere, eſt cauſa, quæ ita agit, vt non poſſit non agere; alioqui ſi poſſet non agere ſimpliciter, vel agere oppoſitum, poſſet fallere in agendo; quia ſi re ipſa non ageret, vel ageret oppoſitum, re ipſa falleret in agendo: ergo poſſe non agere, vel poſſe agere oppoſitum, eſt poſſe fallere in agendo: cauſa verò, quæ agit vt indeterminata, eſt cauſa, quæ agit vt potens agere oppoſitum eius, quod agit: nam potentia indeterminata in cauſa contingente, ac libera, nihil eſt aliud, quàm potentia ad plures oppoſitos effectus. Ergo cauſa agens vt indeterminata, eſt cauſa agens fallibiliter ſaltem in cauſa, quæ ita agit vt poſſit non agere, qualis neceſſariò eſſe debet cauſa agens vt indeterminata, fundari non poteſt omnimoda certitudo diuinæ præſcientiæ, nimirum conſiderata tali cauſa in ſe præciſè antequam agat; quia vt rectè dixit Zumel hîc diſputat. 7. dubio annexo, concluſ. 1. circa principium, *Scientia Dei eſſe debet ita certa, & infallibilis, vt omninò implicet illi ſubeſſe falſum.* ac proinde non poſſit non eſſe futurum id, quod Deus ſcit eſſe futurum. Sed in cauſa indeterminata, res non habet determinatè eſſe futurum, ſed poteſt eſſe futura, & poteſt non eſſe futura: ergo Deus ſpectando præciſè voluntatem indeterminatam non poteſt cum tanta infallibilitate, quantam diuinus intellectus poſtulat, ſcire peccatum futurum.

*Voluntas non prædeterminata ad bonum, non eſt infallibiliter operatura malum.*

Tertium grauius contra Theologiam, voluntatem creatam liberam, habentem ſufficientes, & completas vires naturales ad liberè operandum ſimpliciter, ſi non vltra vires naturales habeat à Deo prædeterminationem ad bonum actum, numquam prorſus eſſe liberè operaturam niſi actum peccati; imò hunc peccati actum eſſe operaturam adeò infallibiliter vt implicet contradictionem non eſſe illum operaturam, ſicut implicat contradictionem, falli Deum, ſcientem, actum illum eſſe futurum: ac proinde illam ex ſuis intrinſecis eſſe maximè prædeterminatam ad ſemper faciendum malum. Quæ quidem ſententia quantum cohæreat cum vera, & ſana Theologia, vnuſquiſque vel leuiter verſatus in materia de gratia, & libero arbitrio, diiudicare facilè poterit. Et explicant ſufficienter Molina, & Suarez ſupra, qui eam vocat, *dogma Manichæorum, & Lutheranorum: & ſecundùm fidem dici non poſſe.*

113. *Quarta ratio ex conceptu libertatis.*

Quarta ratio quod Deus non cognoſcat futura contingentia in cauſis prædeterminatis, ſumi poteſt ex natura libertatis: ſi enim conſideretur voluntas, vt applicata hîc, & nunc, cum hoc obiecto, hoc iudicio, hac inclinatione, & cum omni alia circumſtantia, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca antecedente actum, quæ illam præmouere, ſeu prædeterminare dicitur ad volendum, quæro, an voluntas poſſit non velle? Si reſpondeas, non poſſe ſimpliciter, iam perit omninò libertas, quæ, ſecundùm omnes, conſiſtit eſſentialiter in potentia ad oppoſitos effectus: ſi reſpondeas, non poſſe, tamen non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, idem ſequitur; quia hæc ſuppoſitio, cùm ſit de rebus concurrentibus ad rationem cauſæ in actu primo ante ipſam productionem actus, eſt antecedens vſum libertatis, & non conſequens ex poſitione ipſius effectus: omnis autem res, à nobis non liberè poſita, ſed poſita ab alio, independenter à libero noſtro conſenſu, ſi talis eſt, vt ea poſita non poſſit voluntas non operari, ac proinde voluntas operetur neceſſariò ex ſuppoſitione talis rei, & in ſenſu compoſito cum tali re, quamuis non tollat intrinſecam libertatis potentiam, tollit tamen liberum vſum huius potentiæ: ſicut enim poſito, v. g. diuino decreto de non concurrendo cum igne Babylonico contra tres pueros, non eſt ablata intrinſeca potentia neceſſaria comburendi illos pueros, ſed tantùm eſt ablatus vſus potentiæ neceſſariæ; ita poſita prædicta re antecedente, non tollitur ipſamet intrinſeca potentia libera, ſed ſolùm tollitur vſus potentiæ liberæ: quia ſcilicet, cùm voluntas operatur neceſſariò ex tali ſuppoſitione, in vſum illius operationis influit quidem materialiter illa potentia, quæ eſt potentia non operandi, tamen non influit formaliter, prout eſt potentia non operandi: idem enim planè effectus ſequeretur, ſi non eſſet potentia non operandi, ſed tantùm potentia operandi. Nihil autem verè prodeſt ad effectum liberum, vt rectè dixerunt ipſimet Bagnes, & Nazarius, verbis relatis ſupra num. 109. libertas, quæ adeſt, ſed non influit, ac proinde ita eſt in cauſa, ac ſi non eſſet. Si denique reſpondeas, poſſe, & ſimpliciter, & ex ſuppoſitione, ſed nihilominus infallibiliter volituram, vt hodie reſpondent multi authores de auxilio gratiæ efficacis omninò antecedente, dicentes, voluntatem poſſe illi diſſentire, etiam ex ſuppoſitione talis auxilij, & in ſenſu compoſito cum illo, tamen illi conſenſuram infallibiliter, hæc reſponſio, ſi termini accipiantur ſecundùm propriam ſignificationem ab omnibus receptam, implicat contradictionem ſatis manifeſtam: nam operari fallibiliter, nihil aliud eſſe poteſt, quàm operari cum potentia ad non operandum. Ergo à contrario, operari infallibiliter, eſſe debet, operari ſine potentia ad non operandum: fallibilitas enim, & infallibilitas potentiam, & impotentiam expreſsè important; ſicut enim falli, & non falli, ſonant actum ſecundùm, ita fallibile, & infallibile ſonant actum primum. Vnde omnes Theologi docentes, præſcien

*An voluntas prædeterminata ad vnũ, poſſit, vel nõ poſſit oppoſitum.*

*Quæ ſuppoſitionis neceſſitas deſtruat libertatem.*

*Implicat, operantem cũ potentia libera, & expedita, ad non operãdũ operari infallibiliter.*



ſcientiam Dei eſſe infallibilem, infallibilia eſſe diuina decreta, diuinam fidem infallibilem eſſe, fallibilem humanam, hæc maximè intelligunt de potentia, & actu primo, non de actu ſecundo dumtaxat: ſicut cùm dicuntur, immutabile, mutabile, inuiſibile, viſibile, & ſimilia. Ergo qui dicit, cauſam poſſe non operari, & ſimul operari infallibiliter, dicit ſimul contradictoria, hoc eſt, poſſe non operari, & non poſſe non operari. Et ne fiat quæſtio de vocibus, ſi rem ſpectamus, iſta infallibilitas in caſu noſtro eſſet antecedens, quia orta ex aliquo antecedente omnem vſum liberum voluntatis, eſſe etiam debet talis, vt in ea fundari poſſit certiſſimus, & omninò infallibilis intuitus Dei. Ergo non debet eſſe cum potentia ad oppoſitum; alioqui diuinus intuitus poſſet falli: & Dei voluntas efficax qua vult vt cauſa libera aliquem actum determinatum producat, poſſet non ſortiri intentum ſuum; ergo in caſu noſtro fingitur talis infallibilitas de vno effectu, quæ ſtet ſimul cum potentia ad effectum oppoſitum. Igitur iure optimo ſemper docuit S. Thomas, nihil planè, ſalua contingentia, ac libertate, reperiri poſſe in ipſa cauſa libera, & ad vtrumlibet ſe habente, vt præciſa ab omni ſuo effectu actuali, vnde Deus certò cognoſcere poſſit futurum aliquem determinatum effectum.

## *Satisfit contrarijs argumentis.*

114. *Prima obiectio Bagnes ex S. Thoma.*

Obiicies primò ex Bagnes ſupra, quia eius ſententia, vt ipſe ait, potiſſimum colligitur ex 1. lib. contra Gentes cap. 67. in 3. ratione. Sed hunc locum non eſſe efficacem conſtat ſupra ex num. 99. Præterea arguit ex eo quòd S. Thomas ſæpè locis citatis ſupra num. 6. aſſignet in Deo duos modos cognoſcendi futura, alterum in cauſis, alterum in ſe ipſis.

*Quo modo videat Deus futura contingentia in cauſis.*

Reſpondetur, ipſummet S. Thomam, vt patet ex locis, & verbis ipſius relatis ſupra à num. 102. ad 106. aliquando tradere ſolùm ſecundum modum; & aliquando expreſsè negare, primum modum eſſe ſufficientem ad ſaluandam certitudinem præſcientiæ diuinæ; ſed docere, cognitionem de futuro, prout futurum habet ſolùm eſſe in ſua cauſa, eſſe tantùm coniecturalem, quæ quomodo poſſit tribui, & non tribui Deo, declaraui ſupra num. 6. Videt igitur Deus futurum, & in cauſa, & in ſe ipſo; & vtroque modo videt certò, ſeu viſione certa; nulla enim diuina viſio, ſeu ſcientia, eſſe poteſt incerta. Verùm primo modo, videt certò, non quòd videat certum, & determinatum effectum, ſed quia videt certam cauſam, quæ reſpectu ſui ipſius, eſt aliquid certum, & determinatum ens, licèt reſpectu effectus, quem in ſe ipſa virtualiter continet, ſit quid incertum, ac indeterminatum. At ſecundo modo, videt certò, ac determinatè, quia videt certum, ac determinatum effectum. S. igitur Thomas quando docet, futura videri à Deo in cauſis, eſt intelligendus de videri primo modo, non ſecundo, hoc eſt, de viſione futurorum ſecundùm eſſe eorum indeterminatum, quod ſolùm habent in cauſa; non de viſione futurorum ſecundùm eſſe eorum determinatum, quod non certò, & infallibiliter habent in cauſa, ſed ſolùm habent in ſe ipſis. Et ideò ſi in cauſa iudices de effectu determinato, ſcientia eſt coniecturalis: ſi de effectu indeterminato, ſcientia eſt certa.

115. Obiicies ſecundò ex eodem Bagnes ſupra, concluſ. 3. *Deus cognoſcit omnia contingentia, ſecundùm omnem modum, quem habent in ſuis cauſis: nam cognoſcit, quòd Antichriſtus modò non exiſtit, & quòd poſtea futurus eſt: ergo cognoſcit, quòd Antichriſtus modò habet eſſe in ſuis cauſis.*

*Secunda obiectio Bagnes.*

*Reſpondetur ex dictis.*

Reſpondetur, contingentia nullum alium modum habere in ſuis cauſis, niſi modum eſſendi indeterminatè. Quamobrem nego, Antichriſtum, prout formaliter cognitum in cauſis ſuis, & non in ſe ipſo, cognoſci ſecundùm eſſe determinatum Antichriſti, ſed ſolùm ſecundùm eſſe indeterminatum, & indifferens, tam ad producendum, quàm ad non producendum Antichriſtum, & ad producendum quodcumque aliud indiuiduum humanæ naturæ.

116. *Tertia obiectio eiuſdem.*

Obiicies tertiò ex eodem ibidem. *Deus cognoſcit futura contingentia in ſuis cauſis particularibus, quatenus ſubijciuntur determinationi, & diſpoſitioni diuinæ ſcientiæ, & voluntatis, quæ eſt prima cauſa: ſed cauſæ particulares futurorum contingentium, quatenus ſubijciuntur determinationi diuinæ ſcientiæ, & voluntatis, ſunt determinatæ, & completæ, & non impeditæ ad producendum ſuos effectus contingentes: ergo Deus cognoſcit futura contingentia, prout ſunt in cauſis determinatis, & non impeditis.*

*Reſpondetur declarando ſubiectionem cauſæ cõtingenter operãtis ad diuinã determinationem.*

Reſpondetur, iſtam propoſitionem, qua totum argumentum nititur, *cauſæ contingentium, dum agunt, ſubijciuntur diuinæ determinationi*, poſſe intelligi de determinatione, vel in ordine ad effectum, vt ſit ſenſus, cauſa contingens illum determinatum effectum producit, quem Deus per ſcientiam, & voluntatem ſuam ab æterno determinauit vt produceret: vel in ordine ad cauſam, vt ſit ſenſus, cauſa contingens, & indeterminata ex natura ſua, prius natura, quàm agat, per ſcientiam, & voluntatem primæ cauſæ recipit intrinſecè in ſe præuiam aliquam qualitatem, ſeu motionem inhærentem, qua phyſicè prædeterminatur ad producendum determinatum effectum à Deo intentum. Primo modo vera eſt prædicta propoſitio, & in eo ſenſu concedo maiorem argumenti, ſed nego minorem, quamuis illa à Bagnes appelletur, *certiſſima*, abſque vlla probatione; quia per illam determinationem primo modo, non ſunt determinatæ cauſæ, ſed tantùm ſunt determinati effectus producendi per cauſas indeterminatas, ſeu, quod idem omninò eſſe putamus, producendi liberè. Neque enim proportionatum medium producendi liberè effectum determinatum, eſt determinatio cauſæ in actu primo, quæ euidenter eſt deſtructiua libertatis; ſed ſunt alia media tam intrinſeca, quàm extrinſeca, non determinantia, cum quibus per ſcientiam Dei mediam, antè omnem diuinam voluntatem in actu poſitam, præuiſa eſt voluntas creata determinatum effectum productura liberè, & infallibiliter, infallibilitate orta, non antecedenter ex aliqua prædeterminatione, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, ſed conſequenter, ex infallibili ſcientia Dei conditionata, præſupponente obiectiuè effectum determinatum liberè, & fallibiliter ſub conditione futurum, ac proinde liberum vſum voluntatis. In qua vera concordia creatæ libertatis cum efficacia diuinæ voluntatis, & prouidentiæ, multa inuoluuntur acuta, ac difficilia, infra vberius explicanda. Secundo modo propoſitio eſt falſa, & in eo ſenſu nego maiorem, & minorem, & totum argumentum. Quapropter efficax intentio Dei qua vult, vt cauſa libera aliquem effectum determinatum infallibiliter producat liberè, non conſiſtit, vt ſumit Al-

*Prima cauſa determinat effectus liberos, non cauſas liberas.*

*Negatur quoddã aſſũptum Aluarez.*

uarez lib.2.de Auxiliis, diſputat.12. num.3.in ſuo ſecundo argumento, *In ipſa motione, qua Deus determinat cauſas ſecundas ad ſuos effectus contingentes, & liberos*, ſed in prædictis mediis infallibilibus præſupponẽtibus liberam determinationem à cauſa libera conditionatè futuram ex intrinſeca, atque innata eius libertate.

117\. *Quarta obiectio Aluarez.*

Obiicies quartò alterum argumentum Aluarez ſupra num. 2. *Effectus certò cognoſcitur in cauſa ſimpliciter neceſſaria, eo quòd talis cauſa habet infallibilem ordinem ad talem effectum: ſed cauſa contingens, completè determinata, & non impedienda, quamtumuis ſit libera, & poſſit non agere, de facto tamen infallibiliter operabitur: ergo etiam in tali cauſa poteſt certò cognoſci eius effectus contingens futurus.*

*Reſpondetur, effectus liberos, & neceſſarios, in ſuis cauſis diuerſo modo cognoſci.*

Reſpondetur primò in vniuerſum, non poſſe ſatis probari, quòd certa viſio effectus liberi in cauſa libera, deducatur ex paritate cum certa viſione effectus neceſſarij in cauſa neceſſaria: erat potiùs deducendum oppoſitum, quia ſicut cauſa neceſſaria, & cauſa contingens, opponuntur in eſſe, & in reali continentia effectus, nam contingens in cauſa continetur indeterminatè; & vt loquar ipſis verbis Sancti Thomæ hîc, *contingens, vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt nondum determinatum ad vnum; quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita:* neceſſarium verò in cauſa continetur determinatè; ergo ita opponi debent in cognoſci. Mirum verò non eſt, ſi huiuſmodi paritate cum cauſa neceſſaria vtantur, qui cauſam liberam ad vnum prædeterminant, quia huiuſmodi prædeterminatio affert in cauſa veram, ac propriam neceſſitatem; ipſomet S. Thoma docente infra, quæſt.23. artic.1. ad 1. *Quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem, impoſitionem neceſſitatis: ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum.* Secundò, concedo ſimpliciter maiorem, ſed ad clariorem intelligentiam falſitatis minoris, addendum eſt, ordinem illum infallibilem, quem habet cauſa neceſſaria ad effectum, fundari eſſentialiter in determinatione, & neceſſitate cauſæ; aliud enim fundamentum non eſt aſſignabile. Hinc nego minorem, in qua præter commune abſurdum aduerſariorum, quo cauſa contingens ad plura, determinatur ad vnum; eſt aliud proprium, quia de cauſa contingente determinata ad vnum, & infallibiliter operatura, in qua propterea Deus poteſt certò videre effectum determinatè futurum, ait, *Poſſe non agere.* Nam poſſe non agere, implicat ſtare cum infallibilitate agendi, & cum certitudine ſcientiæ Dei, vt oſtenſum eſt ſupra, num.113. imò & cum ipſa determinatione: nam concurſus primæ cauſæ determinans ad vnum, eſt cauſa neceſſaria, vt ipſemet Bagnes fatetur, & explicaui ſupra, num. 108. Ergo non poteſt non agere, ergo pariter cauſa contingens illo concurſu informata, eíque ſubiecta, non poteſt cum illo non agere.

S. Thomas.

Damaſcen.

118\. *Quinta obiectio probans, in cauſa moraliter prædeterminata poſſe certò videri effectum, ex Bellarmino, & Machin.*

Obiicies quintò. Interdum voluntas libera, eſt ad aliquem effectum prædeterminata, & neceſſitata, non phyſicè, ſed moraliter, itavt cauſa *numquam ſeparetur ab effectu, licèt ſeparari poſſit*; qua ratione dicitur homo, v. g. in puris naturalibus non poſſe reſiſtere grauiſſimæ tentationi, non poſſe vitare ad longum tempus omnia peccata, & ſimilia alia. Sed in cauſa libera taliter diſpoſita poteſt Deus videre futura contingentia, vt tenent Bellarminus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. ad 6. & Machin hîc diſputat.32. ſectione 1. dicto 2. quam ſententiam falſam eſſe ſed non intolerabilem, nec graui aliqua cenſura dignam, & teneri à quibuſdam recentioribus dixit Leſſius diſputat. de gratia cap.16. num.5. eam probat Machin primò, *Quia in hoc caſu, effectus eſt infallibilis in ſua cauſa.* Secundò, *Quia tales effectus in ſua cauſa, ſunt ſæpius obiectum fidei, & Theologiæ*, vt patet in exemplis allatis, quæ ſunt veritates de fide: *ergo poſſunt etiam eſſe obiectum diuinæ ſcientiæ.*

Leſſius.

Reſpondetur, nego minorem, quam negat etiam Zumel tomo 1. variarum diſputationum concluſ. 2. & iterum fol.36. quia ſicut ad certitudinem diuinæ ſcientiæ non ſatis eſt, vt numquam actu fallatur, ſed præterea requiritur, vt numquam poſſit, imò implicet contradictionem, actu falli: ita ex parte obiecti huius ſcientiæ non debet ſufficere, vt numquam ſit actu falſum, ſed vlterius eſt neceſſarium, vt non poſſit, imò implicet contradictionem, eſſe actu falſum. Quod rectè obſeruauit Albertinus tomo 1. fol.282. initio, & ante ipſum Zumel ſupra. Si enim quod cognoſcit Deus eſſe ſemper verum, poſſet ſimpliciter, ſeu phyſicè, eſſe falſum, ipſe poſſet phyſicè falli in ſua cognitione. Quare reſpõdeo ad primam illius minoris probationem, prędictos effectus in ſua cauſa, eſſe infallibiles, infallibilitate morali, quę eſt inſufficiens; nõ infallibilitate phyſica, quę eſt neceſſaria.

Zumel.

*Reſpondetur, certitudinem diuinæ ſcientiæ non poſſe fundari in phyſica prædeterminatione.*

Albertinus.

Ad ſecundam, nego, effectus contingentes vt cognitos in ſua cauſa, eſſe obiectum fidei, & Theologiæ, ſed ſolùm vt cognitos per reuelationem factam à prima veritate. Neque enim fide diuina, & omninò infallibili credimus, v.g. hominem abſque gratia Dei numquam ſuperaturum grauem tentationem, ex eo quòd videamus in cauſa prauas naturæ humanæ inclinationes grauiter trahentes ad bonum delectabile; ſed ex eo quòd prima veritas illud reuelauit.

119\. *Sexta obiectio.*

Obiicies ſextò, ſaltem in voluntate informata auxilio efficaci diuinæ gratiæ, Deus videre poteſt determinatum aliquem effectum liberè futurum, vt tenet Nauarrete hîc contr.56. init.notab.2. quia gratia efficax habet infallibilem cõnexionem cum determinato effectu libero, quem per illam gratiam efficaciter intendit Deus.

Nauarrete.

*Reſpondetur, effectus liberos non videri à Deo in volũtate informata auxilio efficaci.*

Reſpondetur cum Zumel ſupra, neque hoc eſſe dicendum; primò, quia hîc inquirimus vniuerſalem aliquam rationem, qua poſſit Deus videre contingentia futura; auxilium autem efficax gratię, eſt ratio quædam particularis, cùm non detur ad omnes effectus, tam ſupernaturales, quàm naturales, tam bonos, quàm malos. Secundò, quia, loquendo etiam de particularibus effectibus ad quos datur prædictum auxilium, id quidem dici poſſet in ſententia ponente efficaciam in phyſica prædeterminatione cauſæ liberæ, ſed iam ſatis ſuperque conſtat, hanc ſententiam eſſe omninò falſam. Tertiò, quia in aliis ſententiis de efficacia gratiæ, vel veris, vel minus à veritate recedentibus, id dici non poteſt. Si enim primò dicas, gratiam eſſe efficacem ex euentu, iam in efficacia formaliter, & actualiter inuoluitur ipſamet efficientia effectus, qui propterea non videretur in cauſa in ſeipſo. Si ſecundò, eſſe efficacem ex aliqua circumſtantia prædeterminante, ac neceſſitante moraliter, non phyſicè; quam ſententiam ſupponens Machin ſupra, dict.3. præſertim in reſponſionibus ad argumenta, tenet, poſſe in tali gratia Deum videre effectum liberum; iam in num. præced. probatum eſt, hoc teneri non poſſe, quia Dei ſcientia poſſet falli.

*Probatur diſcurrendo per omnes ſentẽtias de efficacia gratiæ.*

Machin.

Si tertiò eſſe efficacem ex congruitate omninò antecedente, & habẽte infallibilem connexionem cum effectu, tamen nec phyſicè, nec moraliter prędeterminante, cui propterea voluntas, etiam in ſenſu compoſito poſſit & phyſicè, & moraliter reſiſtere, ac diſſentire, quam ſententiam, mihi quidem planè intelligibilem, moderni aliqui capiunt, id partim dici poſſet, partim non dici. Nam in quantum hæc ſententia vult congruitatem tenere ſe omninò antecedenter ex parte cauſæ, & habere connexionem prorſus infallibilem cum effectu, poſſet Deus ſine dubio in voluntate, habente talem congruitatem, videre futurum contingens, non minus quàm in voluntate informata auxilio phyſicè prædeterminante: in quantum verò aſſerit, cum tali congruitate nullo modo prædeterminari voluntatem, ſed poſſe omni modo facere oppoſitum effectum; quæ poſterior ſententiæ pars, apertè contradicit priori parti, idem non poſſet Deus, vt patet ex num. præcedente. Qua etiam ratione impugnantur Aluarez lib.2. de Auxiliis diſputat.10. ad 3. Cabrera tom.3. in 3. part. quæſt.62. artic.1. diſp.12.§.12.num.274. & 317. & fuſius, & clarius tom.2.quæſt.18.art.4. d.2. §.8. à num.309. Zumel ſupra; & fol. 8. initio, & iterum pag.97. fin. & pag.98. §. *Quinto:* & alij ponentes, voluntatem phyſicè prædeterminari ad vnum, & nihilominus in ſenſu compoſito cum tali prædeterminatione poſſe oppoſitum, etiam potentia reducibili ad actum, vt loquitur Zumel vlt.loc.cit. Sed tantùm infallibiliter operaturum effectum prædeterminatum. Si cauſa facit hunc effectum, vt prius natura eſt potens facere oppoſitum, vel non facere hunc effectum; ergo non agit vt in priori naturæ prædeterminata phyſicè ad faciendum hunc effectum. loquor reduplicatiuè, & formaliter. Quia ad liberè operandum, non ſolùm eſt neceſſarium vt operetur voluntas, quæ ſpecificatiuè eſt libera, ſed etiam vt operaretur reduplicatiuè quatenus libera; aliter libertas non influeret in operationem liberam. Sicut potentia viſiua albi, & nigri, prædeterminata per ſpeciem albi, agit formaliter, vt potentia viſiua albi, non nigri: licèt illa etiam potentia ſpecificatiuè, & veluti concomitanter, ſit etiam viſiua nigri. Et dicere cum Zumel ſupra, voluntatem gratia efficaci in actu primo determinari, tamen *determinatione libera, hoc eſt, mutabiliter ad oppoſitum, propter intrinſecam libertatem, quæ eſt ad vtrumlibet*, eſt quidem rectè ſentire, ſed malè loqui. Quia ſi gratia efficax relinquit indifferentiam, & indeterminationem ad vtrumlibet, ergo non benè dicitur illa determinare ad vnum; quod enim determinat ad vnum, tollit indeterminationem ad plura: ſed in voluntate indeterminata ad plura eſt libertas: ergo gratia efficax tollit libertatem. Et vocare determinationem antecedentem, & liberam, eſt ac ſi diceres, quamdam neceſſitatem eſſe liberam, vel quamdam libertatem eſſe neceſſariam.

*Cum prædeterminatione ad vnum nõ poſſe fieri oppoſitũ, contra Aluarez, Cabreram, Zumel. Quid ſit neceſſarium ad liberè operãdum.*

Si quartò dicas, gratiam eſſe efficacẽ ex congruitate, non omninò antecedente, ſed inuoluente ordinem ad actualem effectum, ac proinde voluntatem in ſenſu compoſito cum gratia efficaci, quatenus formaliter efficaci, neceſſariò illi conſenſuram, & non poſſe diſſentire, neceſſitate, & impoſſibilitate conſequente vſum libertatis, iam in hac etiam ſententia, Deus non videret effectum in cauſa, vt præciſa ab effectu antecedenter obiectiuè: quamuis enim hoc quarto modo in efficacia formaliter non includatur ipſemet actualis effectus per ſe, vt in primo modo, tamen idem formaliter includitur per ordinem ad illum; quia hæc ſententia hunc ordinem ponit, non vt eſt proprietas conſequens efficaciam, tunc enim efficacia non differret à phyſica prædeterminatione, à qua abhorrent authores huius quarti modi, ſed vt formale conſtitutiuum efficaciæ; quæ propterea obiectiuè conſiderata in ſua formalitate inuoluit aliquo modo effectum in ſe ipſo. Ergo qui videret effectum, videndo talem efficaciam, non videret effectum in cauſa, ſed in ipſomet effectu.





Si quintò dicas, eſſe efficacem vt ſubſtat diuinæ voluntati infallibiliter decernenti per talem gratiam eſſe à cauſa libera producendum talem determinatum effectum, hæc voluntas, ſi non præſupponit ſcientiam conditionatam, ac proinde effectum conditionatè futurum, eſſet quidem ratio videndi futurum effectum in cauſa, vt ſubiecta prædictæ voluntati: ſed eſſet quædam extrinſeca prædeterminatio, maximè omnium neceſſitatem inferens, & conſequenter deſtructiua libertatis; nam prædeterminationem intrinſecam creatam Deus ſaltem poteſt impedire, extrinſecam autem increatam nec ipſemet Deus impedire poteſt. Si verò præſupponit, vt tenet vera ſententia, iam non eſſet prima videndi ratio, quam nos inquirimus: nam de ipſa ſcientia conditionata, quæ videt effectum conditionatè futurum, reſtat inueſtigandam, vnde habeat, vt ex duobus oppoſitis effectibus, ad quos cauſa libera, atque indeterminata, indifferenter, & ad libitum ſe habet, videat vnum determinatum effectum potius quàm alium.

*Prædeterminationem extrinſecã magis, quàm intrinſecã pugnare cũ libertate.*

Si denique ſextò dicas eſſe efficacem ex diuina præſcientia conditionata, quam de gratiæ efficacia ſententiam omnium probabiliſſimam exiſtimamus, adhuc in tali efficacia non videretur effectus vt in cauſa omninò antecedente effectum futurum; quia iſta efficacia præſupponeret præſcientiam conditionatam, ex qua oritur; & ipſamet præſcientia præſupponeret effectum futurum aliquo modo, ſcilicet ſub conditione, ergo qui videret effectum in voluntate informata tali efficacia, illum quidem videret in cauſa antecedente effectum futurum ſecundùm quid, hoc eſt, vt abſolutè futurum, non tamen videret in cauſa antecedente ſimpliciter, ſed conſequente effectum conditionatè futurum. Quęnam autem harum ſententiarum verior ſit, in materia de efficacia gratiæ diſcutiemus. Nunc maneat, quamcumque harum ſententiarum ſequare, non poſſe effectus liberos à Deo videri in volũtate efficaci auxilio informata.

## DVBITATIO X.

### *An futura contingentia abſoluta videat Deus in ideis ſuis.*

SVMMA.

1 *Concluſio negatiua, & Authores vtriuſque partis.* n.120.121.
2 *Probatur concluſio de ideis ante decretum.* n.122.
3 *Probatur concluſio de ideis poſt decretum.* n.123. 124.

120\. *Cõcluſio negatiua declaratur.*

CONcluſio negatiua, quæ iuxta ſenſum, de quo diſputamus, traditũ ſupra, n.3. nihil aliud intendit, niſi rationem, cur ex duobus oppoſitis effectibus, qui ex cauſa libera futuri eſſe poſſunt, Deus in ſe ipſo videat futurum vnum determinatum potius, quàm alium, non eſſe ideam, quam habet de illo vno futuro, & non de alio. Et loquor tam de idea indeterminata ante actum diuinæ voluntatis, quàm de idea determinata per actum diuinæ

*Eſt Scoti, & Scotiſtarum.* Mayroni. Aureoli. Ochami. Ariminenſ. Baſſoli. Gabrielis. Gerardi. Nouo Caſtr. Cordubæ. Radæ. Bellarmini. Suarez. Vaſquez. Albertini. Becani. Machin. *Contra* Alēſem. Bonauent. Ægidium. Capreolum. Soncinatem. Caietanum. Henriquez. Fonſecam. Molinam. Bagnes. Aluarez. Zumel. Ripam. Trigoſium. Nauarrete. Nazarium. Verdù. Mendozam.

voluntatis. Eſt Scoti 1.d.39.quæſt.1. §. *Circa iſtas.* cum Licheto, Bargio, Vigerio, Petro de Aquila, Tatareto, & aliis Scotiſtis in eodem loco. Item Mayroni 1.d.38. quæſt.1. §. *Quartum.* concluſ.2. Aureoli 1.d.38.quæſt.vnic.art.1.propoſit.3.Ochami quæſt.vnic. littera M.fin. Ariminenſis quæſt.2. art.2. Baſſoli quæſt. vnic. art.2. Gabrielis q.vnic. art.2. ſtatim poſt ſecundam concluſionem. Gerardi Senenſis, quæſt.vnic. artic.1. Andreæ de Nouo Caſtro,d.39.q.5.art.2.ante §. *In oppoſitum.* Antonij Cordubenſis lib.1. quæſt.55. dub.8. opin.1. Radæ controu.30.art.3.concl.3. Bellarmini lib.4.de gratia, & libero arbitrio cap.15. argum.6. iuncta eius reſponſione, Suarez opuſculo de ſcientia Dei c.4. Vaſquez hîc diſput. 65. cap.1. Albertini tomo 1. fol.283. Becani 1.part.tract.1.cap.10.quæſt.8. Machin diſput.82. ſect.4. & aliorum contra Alenſem 1.part. quæſt.23. membr.4. art.3. initio corporis. Nam in membr.3. artic.4. quem locum etiam alij citant,nihil ad propoſitum.Bonauenturam 1.d.39. art.2. quæſt.3. Ægidium in caſtigatorio corruptorij, art.3. immediatè ante ſolutionem argumentorum, & ad 1.2. & 3. Capreolum 1.d.38. quæſt.1. art.2.ad argumenta Aureoli contra ſecundam concluſionem ad 4. Soncinatem quæſt.2. concluſ.2. à §. *Contra hanc reſponſionem.* Caietanum hîc, §. *His prælibatis.* Henriquez lib.vlt.cap.3.§.6.Fonſecam 6. metaph. cap.2. quæſt.4. ſect.5. & 7. Molinam hîc diſp.14.antè 1.concluſ.& diſputat.15. Bagnes §.1. concl.4. Aluarez lib.2.de Auxiliis, diſp.14. Zumel ſupra art.1.d.vnic.concl.5. §. *Ex dictis.* & hîc, d.1. concl.4.& tom.1.variarum d.fol.26.column.2.poſt med. & fol.34. toto dub.2. Ripam dub.2. Trigoſium in Bonauenturam part. 1. quæſt. 10. artic.4. dub.2. concluſ.2. Nauarrete controuerſ. 52. §.6. concl.12. à verſic. *Arguit autem.* & controuerſ.55. Nazarium controuerſ.2. concl.5. Verdù,Relectione contra ſcientiam mediam pag. 12. Alphonſum Mendozam in controuerſiis Theologicis, quæſt.7. Schol. concluſ.4. & alios multos Thomiſtas, putantes ſequi ſententiam S. Thomæ hîc dicentis circa finem corporis, *Omnia quæ ſunt in tempore,ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt; ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia prout ſunt in ſua præſentialitate.*

121. *Pro concluſione eſſe S. Thomam in hoc articulo.*

Sed ex toto diſcurſu corporis, mihi veriſimile eſt,nolle S.Thomam his verbis prædictam opinionem de ideis docere, ſed potius reiicere: nam initio, diſtinctiſſimè explicauerat, futurum contingens cognoſci infallibiliter à Deo, *Vt præſens ſecundùm quòd iam in actu eſt in ſe ipſo:* & ne verbum quidem de præſentia in idea, & deinde iterum in fine reſponſionis ad 2. Futurum contingens, inquit, *Subeſt diuinæ ſcientiæ, prout eſt in ſua præſentialitate.* Et non dixit, *in præſentialitate ideæ.* Et cùm alibi ſæpè,vt patet ex locis citatis ſupra à num.102.ad106. tradat hanc rationem videndi infallibiliter in ipſo Deo determinatum futurum contingens, hoc eſt, indeterminatum,numquam meminit duplicis pręſentialitatis,ac determinationis,& in ipſa re actuali,& in idea; ſed vnius tantùm, in re ipſa. Vnde 1.d.38.quæſt.1. art.5. ad 6. omnem aliam præſentialitatem expreſsè excludit his verbis, *Non attingit rem, niſi prout eſt in eſſe præſentialiter conſiderata.* Senſus igitur verborum, in quibus fundantur aduerſarij, eſt hic: cùm oſtenſum ſit, futura contingentia nullum aliud certum,ac determinatum eſſe habere, propter quod ſubiici poſſunt infallibili Dei cognitioni, niſi prout ſunt actu præſentia in ſe ipſis, hinc ſequitur, illa eſſe ſemper Deo præſentia,non ſolùm, quia ſunt Deo præſentes eorum ideæ, quæ præſentia ad prædictam rationem reddendam non ſufficit,ſed quia præſentialitas, quam res pro aliquo tempore in ſe ipſis habituræ ſunt, diuino intellectui ſemper obiicitur. Et ideo poſt hęc verba,ſtatim prætermiſſa præſentia ideali,tamquam impertinente, ſpectando ſolùm aliam præſentialitatem rerum, in ſe, ſic concludit, *Vnde manifeſtum eſt, quòd contingentia, & infallibiliter à Deo cognoſcuntur, in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem, & tamen ſunt futura contingentia ſuis cauſis comparata.* Illud igitur, *Non ſolùm ex ratione,&c.* idem eſt ac ſi dixiſſet,non propter eam ſolam rationem, ſed propter aliam, nimirum, quia, &c. Legi poſſunt apud Molinam diſp.14. §. *Verum.* aliæ probabiles coniecturæ ad idem probandum. Demum contra eamdem concluſionem Cordubenſis ſupra refert Henricum, ſed non citat locum; Machin verò ſupra citat quodlib.8. quæſt.1. & citare etiam poterat quodlib.7.quæſt.4.& 5. & quodlib.13.quæſt.1.ad 2.vbi docet creaturas in Deo videri ſub ratione ideæ. Verùm his locis de hac re diſputat in alio diuerſo ſenſu, quem tradidi in ſuperiori tomo quæſt.12. artic.8.num.86.90.& 102. Non enim loquitur de creaturis futuris, imò ne de poſſibilibus quidē indiuidualibus, quarum ideas in Deo negat, ſed tantùm de poſſibilibus ſpecificis. Referunt quoque alij Durandum 1.d.38.quæſt.3.vbi ne verbum quidem de ideis, ſicut nec antea in d.38. quæſt.3. vbi ex profeſſo agitur de diuina ſcientia futurorum contingentium. Nec in d.35. quæſt.2. quem locum citat Aluarez ſupra: imò quæſt. 3. num. 14. expreſsè aduertit, ſe non loqui de futuris contingentibus.

*Quid ſentiāt Henricus, & Durandus.*

122. *Probatur cōcluſio de ideis ſecundùm ſe ante decretū, ratione Scoti.*

Hæc concluſio intellecta de idea ſecundùm ſe, prout in priori rationis antecedit omnem liberum actum diuinæ voluntatis, conceditur ferè ab omnibus, etiam iis, qui contra illam citati ſunt: quod efficaciter probat prima ratio Scoti ſupra, ducta ex eo quòd, ideæ ante omnem actum diuinæ voluntatis erga creaturas, *merè naturaliter repræſentant illud, quod repræſentant, & ſub naturali ratione ſub qua aliquid repræſentant.* Certum eſt autem, futura contingentia, ſicut poſſunt non eſſe:ita poſſe ſimpliciter non repræſentari, & non ſciri: ac proinde non repræſentari naturaliter,ſed liberè. Sicut enim ante actum voluntatis Dei, nulla creatura habet eſſe futurum, ſed poſſibile, ita nulla idea eſſe poteſt idea futuri, ſed tantùm poſſibilis: ergo nulla idea ante voluntatem,ſiue vt concipitur pręciſa à voluntate, eſſe poteſt Deo ratio cognoſcendi futura, neque libera, neque etiam neceſſaria. Quænam verò fuerit ſententia Palatij, quem contra hanc partem refert Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib.1. cap.5. initio, conſtat ex dictis ſupra art.8.num.47.

Palatius. Suarez.

123. Intellecta autem concluſio de idea,quatenus,vt ait S.Thomas de veritate quæſt.3. art.6. *Determinatur ex propoſito diuinæ voluntatis*, ſub qua ratione docet eſſe ideam actualium, cùm ante talem determinationem eadem eſſet poſſibilium,idem probant Scotus, & Aureolus ſupra, ex eo quòd non dentur in Deo ideæ rerum contingentium, ſed poſſibilium tantùm.Quoniam verò,& S.Thomas, vt dixi, & alij communiter, contingentium quoque ideas admittunt,nam effectus etiam contingētes fiunt à Deo, & ſunt participationes quædam, & imitationes naturæ diuinæ, ideo ego idem probo,quia vt ſupra art.8.num.113.oſtendi ex S.Thoma, idea practica actualium, & idea ſpeculatiua poſſibi-

*De ideis poſt decretū, ratio Scoti, & Aureoli.*

*Alia ratio firmior.*



lium, ne ratione quidem inter ſe differunt, nimirum in formali ratione ideæ, ſed ſolùm, quia illa, & non hæc, importat coniunctionem cum voluntate, decernente, rem aliquam eſſe futuram in actu: ergo prius ratione eſt, rem eſſe futuram vi voluntatis effectiuè imperatiuè, quàm vi ideæ effectiuè exemplariter; quia cùm omne eſſe futurum,reſpectu Dei,ſit eſſe liberum,id creaturæ primò habere debent per voluntatem, quæ in Deo ſola in ſe formaliter libera eſt; deinde per ideam,& per intellectum,& omnipotentiam: omnes enim rationes cauſandi in Deo, quæ ſunt in ſe neceſſariæ perfectiones, vt ratio ſcientiæ, ratio ideæ, ratio omnipotentiæ, non poſſunt habere habitudinem actualem ad effectum extra Deum, niſi liberum: quod eſſe liberum effectus habet à ſola voluntate:ergo omnes prædictæ rationes cauſandi præſupponunt liberum actum diuinæ voluntatis, quo præſuppoſito comparari poſſunt ad actualiter cauſandum effectum liberum;quod ipſimet aduerſarij concedere videntur. Nam Bagnes verſiculo, *Ex hoc ſequitur*, vult, ideas repræſentare futura contingentia, *tantùm in ſenſu compoſito,id eſt, inquit, ſuppoſita libera diuinæ voluntatis determinatione circa ipſos effectus creatos.* Clarius Aluarez, num.4. *Futura,vt futura,non repræſentantur per ideas ante actum diuinæ voluntatis, ſed ſolùm poſt talem actum.* Et idem habent Trigoſius ſupra, & Nazarius ſupra,§.4.& §.6.concl.5. Hinc ita deduco: ergo prior ratio videndi futurum eſt voluntas Dei libera, quàm libera idea. Ergo potius dicendum eſſet, futurum videri à Deo in voluntate ſua libera, quàm in libera ſua idea. Nos enim hîc indagamus, & ſanè omnes indagare debent, primam radicem,vnde intellectus diuinus habeat, abſque vlla læſione libertatis, atque indeterminationis cauſæ creatæ liberæ, videre ab ea futurum vnum potius determinatum effectum, quàm alium oppoſitum: nam omnes aliæ radices poſteriores,præſupponunt iam viſum effectum vi radicis prioris, ac proinde hanc difficultatem inſufficienter,& inutiliter explicant.An autem voluntas Dei libera,quæ eſt ratio videndi prior reſpectu ideæ liberæ, ſit videndi ratio ſimpliciter prima, examinabimus, & negabimus dubitatione ſequenti.

*Primam in Deo cauſandi rationem, eſſe liberam voluntatem.*

Bagnes. Aluarez. Trigoſius. Nazarius. *Priorem rationem vidēdi futura,eſſe decretum, quàm ideam liberam.*

124. *Eamdem rationem ſignificari à Scoto.*

Hanc probationem ſignificat Scotus ſupra in ſecunda ſua ratione illis verbis, *eodem modo ſunt ideæ poſſibilium non futurorum, ſicut futurorum: quia differentia iſta poſſibilium non futurorum à futuris, non eſt niſi per actum voluntatis diuinæ.* Ex hac vera doctrina ita infert Scotus,*ergo idea futuri poſſibilis non magis repræſentat ipſum futurum eſſe, quàm idea poſſibilis non futuri.* Quod verum eſt, ſi intelligatur de idea ſecundùm id, quod habet in quantum formaliter idea, & per ſe in ſuo genere, non autem ſecundùm id,quod habet quatenus coniuncta cum voluntate à qua determinatur. Verè enim idea coniuncta voluntati, non habet repræſentare futurum, neque eſſe exemplarem cauſam futuri, vt futuri formaliter, ratione, qua idea eſt,ſed ratione voluntatis,cum qua coniuncta eſt. Quod explicari rectè poteſt exemplo omnipotentiæ, quæ liberè determinata à voluntate, reſpicit effectum futurum,non ratione ſui, ſed ratione ſolius voluntatis. Sicut igitur omnipotentia, quæ exequutiuè productura eſt effectum futurum, dici non poteſt ratio videndi futurum,ſed ſolùm voluntas, vnde habet omnipotentia quòd productura ſit effectum futurum; ita neque idea, quæ exemplariter cauſatura eſt, debet eſſe ratio videndi, ſed potius ſola voluntas. Et hoc tantùm intendunt Fonſeca, & Henriquez ſupra. Neque contradicit Molina ſupra, quia non loquitur de ratione cognoſcendi ex parte futuri cogniti, ſed ex parte Dei cognoſcentis: vnde pro eodem indifferenter vſurpat ideas diuinas, & eſſentiam diuinam, in qua cognoſcit Deus quicquid ſimpliciter cognoſcit.Ad quem ſenſum vult loqui Bonauenturam, alióſque veteres Theologos citatos ſupra num.120.contra concluſionem. Vnde Molina in reſponſione ad 3.expreſsè concedit Scoto, *Ideas ſolas diuinas non poſſe eſſe rationem ſufficientem, quòd futura contingentia à Deo certò cognoſcantur ſecundùm eſſe futurum ſimpliciter; ad id námque ſimul requiritur præcognitio diuinæ liberæ voluntatis, qua hunc, vel illum ordinem rerum Deus ſtatuat creare.*

*Qua ratione idea repræsētat futurum.*

*Quid intendant Authores citati cōtra cōcluſionem.*

Contra hanc concluſionem, nulla occurrunt argumenta, quia Bagnes nihil obiicit, niſi authoritatem ſancti Doctoris, de qua dictum eſt: Aluarez verò probat ſolùm dari ideas futurorum contingentium,quod non negamus. Præterea argumenta Trigoſij, Nazarij, & aliorum, non habent tantam vim, vt eorum ſolutio operam noſtram deſideret.

## DVBITATIO XI.

### *An futura contingentia abſoluta Deus videat in voluntate ſua libera.*

#### SVMMA.


1 *Diſtinguitur in Deo quadruplex voluntas libera. n.*125.

2 *De voluntate generali concurrendi. numero* 126. *ad* 129.

3 *De voluntate generali ipſius actus. à num.* 130. *ad* 137.

4 *De voluntate particulari prædefiniente. à n.*137. *ad* 142.

5 *De voluntate particulari permittente. à num.*142, *ad* 146.

6 *Soluuntur obiectiones Zumel.à.n.*146.*ad* 112.

7 *Soluuntur obiectiones Nauarrete.à numero* 112. *ad* 175.

8 *Cauſam liberam non determinari ab alio, quàm à ſe ipſa. à n.*156.*ad* 159.

9 *Quid ſit, cauſam liberam ſe determinare.à n.*159. *ad* 169.

10 *Soluuntur obiectiones Aluarez.à n.*175.*ad* 180.

11 *Soluuntur obiectiones Machin.n.*180. *&* 181.


125. *Diſtinguitur in Deo quadruplex volūtas libera.*

AD faciliorem veritatis inquiſitionem, & intelligentiam, quadruplex voluntas diſtinguenda eſt. Prima generalis, terminata per ſe immediatè ad concurſum ad actum, non ad ſubſtantiam actus; qua ſcilicet Deus, vt cauſa prima, efficaciter decernit, velle concurrere cum omnibus cauſis ſecundis liberis ad omnes liberos earum effectus, tam bonos, quàm malos; tam naturales, quàm ſupernaturales. Secunda etiam generalis, terminata per ſe immediatè ad ſubſtantiam omnium prædictorum actuum. Tertia particularis poſitiua, terminata per ſe immediatè ad ſubſtantiam actus,quia nimirum,Deus efficaciter ab æterno ſtatuit, fieri à cauſis ſecundis liberis vel omnes ſimpliciter actus liberos bonos, futuros, tam ſupernaturales,quàm naturales, vel omnes ſimpliciter ſupernaturales, vel aliquos ſupernaturales,iuxta varias opiniones, de quibus infra in materia de prædeſtinatione; quæ voluntas ab omnibus vocari propriè ſolet prædefinitio, ſeu præfinitio. Quarta particularis negatiua, nimirum ex parte



obiecti,

obiecti, terminata per ſe immediatè ad negationem alicuius poſitiui, quo impediretur actus malus, & fieret actus bonus; quæ communiter dicitur, voluntas permiſſiua, ſeu permiſſio.

## *De voluntate generali concurrendi.*

*Prima concluſio negatiua.*

126. Prima concluſio. Ratio videndi aliquem determinatum effectum, abſolutè, & liberè futurum, potius quàm alium determinatum effectum oppoſitum, poſſibilem fieri ab eadem cauſa ſecunda libera, eſſe non poteſt ſola prima voluntas generalis concurrendi cum cauſa ſecunda libera ad omnes eius liberos effectus. Hoc omnium diſtinctiſſimè, & optimè docuit, ac multis probauit Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 1. cap. 6. n. 9. ad 15. & ſequi tenentur omnes tenentes per concurſum generalem, & conſequenter per diuinam voluntatem, generaliter concurrendi, non poſſe, ſalua arbitrij libertate, voluntatem creatam prædeterminari ad vnum. Quare non contradicit Fonſeca 6. metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 5. quamuis enim ad 1. velit, *Futura contingentia cognoſci à Deo in actu abſoluto, & determinato diuinæ voluntatis ad concurrendum cum cauſis eorum particularibus:* quibus verbis non ſatis diſtinguit inter Dei voluntatem, qua vult actum, & qua vult concurſum ad actum, vt paulò antea expreſsè ac rectè diſtinxerat, dicens, *In Deo non eſſe voluntatem ad actus malos, ſed ſolùm voluntatem concurrendi ad illos.* tamen antea §. *Sed contra.* docuerat, concurſum generalem Dei, eſſe concurſum *indifferentem ad omnia opera libera arbitrij, etiam ſi mala futura ſint.* Certum eſt autem, in concurſu indifferente, & indeterminato, determinatum effectum videri non poſſe. Nec etiam contradicit Molina, phyſicæ prædeterminationis inſectator: etſi d. 14. & 15. non ſemel aſſerat, voluntatem Dei eſſe rationem videndi omnia contingentia abſolutè futura. Tum quia non videtur loqui ratione videndi ex parte obiecti viſi contingentis, quæ ſcilicet, cauſa ſit, vt ex duabus contingentiæ partibus videatur vna determinata pars futura, & non alia; in quo ſenſu talem rationem nunc indagamus; ſed de ratione videndi ex parte ſubiecti videntis, in quo ſenſu probauimus tom. 1. quæſt. 12. art. 8. à num. 110. ad 116. effectus liberos actuales videri tum in omnipotentia, tum in voluntate Dei. Quem ſenſum ſignificat d. 14. concluſ. 1. dum ait, rationem videndi eſſe, *Quia Deus in ſe ipſo, atque in illo ſuo decreto, comprehendit omnia per cauſas ſecundas liberè futura.* & d. 15. §. *Iuxta ea,* vult, à Deo videri omnia futura libera conditionata, *per ideas diuinas, eſſentiamve diuinam cognitam vt obiectum primarium.* Tum quia expreſsè loquitur de videndi ratione, neceſſaria illa quidem, quod hîc non nego; & ideo in concluſione addidi illud, *ſola*; tamen non ſufficiente, & adæquata, ſed inadequata, & inſufficiente. Nam vbi præter voluntatem Dei, ad prædictam rationem vult eſſe neceſſariam præſcientiam conditionatam ante omnem actum diuinæ voluntatis. Vnde d. 15. §. *Etiamſi.* concedit Scoto, Deum videre futura contingentia in ſua voluntate, *tanquam in parte rationis cognoſcendi.* Imò ibidem, ſententiam, quam Scoto tribuit, dicentem, *Determinationem liberam voluntatis diuinæ, eſſe rationem, atque radicem integram, vnde Deus certò cognoſceret, quæ abſolutè, & ſimpliciter ſint futura,* vocat, *Pluſquam periculoſam in fide, quia tollit libertatem, Deumque efficit cauſam peccatorum.* Et clariſſimè pro hac concluſione, in §. *Iuxta ea.* ait, *Arbitramur rationem ob quam Deus certò cognoſcat effectum liberum futurum non eſſe determinationem voluntatis diuinæ, qua liberum arbitrium creatum inflectat, & determinet ad vnam, aut alteram partem; ſed eſſe determinationem liberam, qua liberum arbitrium in hoc vel illo ordine rerum, & circumſtantiarum ſtatuit creare. Neque hanc ſolam determinationem arbitramur eſſe rationem ſufficientem, quod certò cognoſcat, quæ pars ſit futura; ſed hanc vnà cum comprehenſione in ſua eſſentia cuiuſcumque liberi arbitrij creati per ſcientiam naturalem, qua ante illam determinationem certò ſcit, quid tale liberum arbitrium ſit facturum pro ſua libertate, ex hypotheſi, quòd illud creet, & conſtituat in eo ordine rerum,* &c. & iuxta hunc ſenſum §. ſequenti aſſerit futura contingentia videri in cauſis ſuis; quia ſcilicet Deus videt quid facturæ ſint cauſæ ſecundæ liberæ. Quo fermè modo dixit Euſebius lib. 6. de præparatione Euangelica cap. 9. ante med. *Deus, cùm vniuſcuiuſque voluntatem præuideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat.* Illa enim particula, *cum*, non eſt accipienda in ſenſu cauſali, ſed concomitanti; hoc eſt, viſio voluntatis non eſt cauſa videndi liberos illius actus; ſed non poteſt perfectiſſimè videri voluntas, quo modo illam videt Deus, niſi videatur quid liberè factura ſit. Nam non ſolùm effectus poſſibiles, ſed etiam actuales, pertinent aliqua ratione ad cauſam, cùm ſint veri, ac reales illius effectus, ab illa verè, ac realiter pendentes. Quare cum Molina locis citatis, & alibi ſæpè, dicit, Deum altitudine, excellentia, ac perfectione ſuæ ſcientiæ cognoſcere omnia contingentia conditionatè futura: quod etiam vſurpat Fonſeca 6. metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 8. §. *Itaque rem:* non aſſignat rationem ſciendi ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte ſcientiæ; cuius infinitas etiam requiritur ad cognitionem certam futurorum contingentium, vt rectè adnotarunt Vaſquez hîc d. 65. cap. 4. Zumel tom. 1. variarum diſp. fol. 19. col. 1. poſt med. Diotalleuius pag. 218. & ante ipſos Ariminenſis 1. d. 38. quæſt. 2. art. 2. immediatè ante §. *Dico ergo.* Sic rem optimè explicans, *Si per impoſſibile Deus non eſſet volens, eſſet autem intelligens ſicut eſt; & futura eſſent futura; adhuc Deus, propter excellentiam ſuæ intelligentiæ, noſſet quæcumque futura.* Aduerſarij ergo huius concluſionis ſolùm ſunt, qui concurſum generalem primæ cauſæ cum cauſis ſecundis liberis explicant per prædeterminationem voluntatis creatę ad vnam partem; quam prædeterminationem, vt alibi ex inſtituto demonſtraui, & hoc loco, & tempore ſupponendum eſt, introduxit Dominicus Bagnes, & deinde alij eius ſectatores, præſertim Thomiſtæ nonnulli amplexati ſunt.

*Eſt Suarez.* — *Fonſecæ.* — *Molinæ.* — *Decretū, eſt vidēdi ratio neceſſaria, ſed non ſufficiens.* — *In quo ſenſu Molina, & Euſebius dicant, futura videri in cauſis.* — *Quæ ex parte ſcientiæ ſit ratio ſciendi futura, ex Molina, Fonſeca, Vaſquez, Zumel, Ariminenſi.*

*Præcipua cōcluſionis ratio.* — *Quid ſit agere liberè.*

127. Igitur præcipua probatio concluſionis petenda eſt ex contrario fundamento hunc in modum: voluntas cauſæ primæ generaliter concurrendi cum cauſis ſecundis, eſſe debet proportionata, & accommodata naturæ cauſæ ſecundæ: ſed cauſa ſecunda libera eſt huius naturæ, vt agat cum dominio ſui actus, & potentia ad vtrumlibet; qui conceptus eſſentialiter petit, vt cauſa cum eadem prorſus proxima potentia qua facit hoc, quod facit, poſſit facere aliud oppoſitum, quod quidem non faciat, ſolùm, quia facere non libet; alioqui ſi non facit, ex eo quòd non poteſt, ſiue, quod idem eſt, ex eo, quod non habet, nec ex libito ſuo habere poteſt aliquid aliud præuium, neceſſariò prærequiſitum ad faciendum, non poteſt ſanè concipi, facere cum dominio, & indifferentia ad vtrumlibet: ergo voluntas primæ cauſæ accommodata tali cauſæ ſecundæ eſſe debet voluntas concurrendi non ſolùm ad vnam partem, ſed etiam ad aliam oppo-



*Quænam ſit Dei voluntas cōcurrendi cū cauſa libera.*

ſitam: ſicut enim cauſa ſecunda nihil ſimpliciter poſſet agere, ſine vlla voluntate concurrendi cauſæ primæ; ita nec poſſet agere hoc, vel illud, prout libuerit, ſine voluntate cauſæ primæ concurrendi vel ad hoc, vel ad illud. In hac autem voluntate non poteſt certò cognoſci vna pars futura potius, quàm alia: quia per illam poteſt eſſe vna pars, & eadem poteſt non eſſe, ſed eſſe alia oppoſita: ergo etiam poteſt cognoſci, & non cognoſci: ergo non poteſt infallibiliter cognoſci vna pars, itavt implicet non eſſe illam partem, quæ eſſe cognoſcitur; qua infallibilitate cognoſcere debet Deus quicquid cognoſcit. Vtrum autem præter hanc voluntatem concurrendi ad vtramque partem oppoſitam, diſtingui debeat alterum decretum diuinum abſolutum determinatum, ad vam partem, ad quam ſeſe creata voluntas applicauerit, concurrendi, dicemus hac ipſa dubit. num. 170. & dubit. 20. num. 498.

*Neceſſariam rationem, videndi futura, eſſe liberam Dei voluntatem.*

128. Dixi in concluſione, ſolam voluntatem concurrendi non eſſe rationem videndi; alioqui certum apud omnes eſſe debet, quod vniuerſaliter, ſicut ſine voluntate concurrendi primæ cauſæ, nullus effectus, ſiue liber, ſiue neceſſarius, poteſt eſſe futurus, ita neque cognoſci futurus ſine cognitione eiuſdem voluntatis; quamtumuis penetrentur naturæ reliquarum omnium cauſarum: quia ſi ſolùm deſit voluntas primæ cauſæ concurrendi cum cauſis ſecundis, hæ neque agunt, neque agere ſimpliciter poſſunt. In particulari autem effectus liberè futurus videri nequit, niſi videatur voluntas primæ cauſæ concurrendi ad duas partes oppoſitas: quia effectus liberè futurus importat eſſentialiter, eſſe futurum à cauſa, quæ non ſolùm efficere poſſit id, quod futurum eſſe ſupponitur; ſed etiam aliud oppoſitum, quod non ex impotentia, ſed ex libito, facere omittit: ergo eſſentialiter præſupponit in cauſa prima voluntatem concurrendi ad vtrumque: ſicut enim ad liberè agendum, requiritur ex parte cauſæ ſecundæ duplex veluti potentia, hoc eſt, ad duos oppoſitos effectus; ita ex parte cauſæ primæ, ſine cuius concurſu per æternam Dei voluntatem parato in actu primo, nihil effici poteſt à cauſis ſecundis, requiritur voluntas concurrendi quaſi duplicata, hoc eſt, ad duo oppoſita; ergo hæc voluntas videnda neceſſariò eſt, ſi videri infallibiliter debet effectus liberè futurus.

*Dei voluntas cōcurrendi cū cauſa libera, eſt duplex.* — *Potētia libera, eſt duplex potentia.*

## *De voluntate generali ipſius actus.*

*Secunda concluſio negatiua.*

129. Secunda concluſio. Voluntas diuina abſoluta, & efficax terminata per ſe immediatè ad actum, neque eſt vniuerſalis, neque etiam ſufficiens ratio videndi determinatos effectus futuros creaturarum liberarum. Ita Ocham 1. d. 38. quæſt. vnica. littera, I. Ariminenſis quæſt. 2. artic. 2. ante medium. Grabriel quæſt. vnica, art. 2. concl. 2. opin. 3. Gerardus Senenſis quæſt. 1. art. 2. opin. 1. Aureolus quæſt. 1. artic. 1. propoſit. 1. Carthagena de prædeſtinatione, diſcurſu 4. dicto 2. ad 3. & ſentire debent omnes, qui negant, voluntates noſtras à Deo phyſicè prædeterminari per concurſum generalem, contra recentiores, huius prædeterminationis authores, vt Bagnes hîc §. 1. concluſ. 4. ad argumentum Scoti. Zumel diſputat. 1. concluſ. 4. initio, obiter, & fuſius diſput. 7. & tom. 1. variarum diſput. concluſ. 1. & in fol. 57. ad 1. Nauarrete controuerſ. 53. & 55. Aluarez lib. 2. de Auxiliis diſput. 10. Nazarium hîc controuerſ. 2. concluſ. 3. Trigoſium in Bonauenturam part. 1. q. 10. artic. 4. dub. 2. concluſ. 3. Gonzalez hîc diſput. 43. ſect. 4. num. 56. Cabreram tom. 3. in 3. part. q. 62. art. 1. diſputat. 12. §. 12. num. 258. & deinceps. Verdù relectione cont. ſcientiam mediam, pag. 12. Machin hîc d. 32. ſect. 2. Riſpolum pag. 12. & 45. & 72. Cantarellum quæſt. 23. §. *Pro reſolutione.* Si enim prædeterminatio, quam ad extra in tempore facit Deus, eſt abſoluta, & efficax cauſa actus: ergo ab æterno intra Deum fuit voluntas abſoluta, & efficax cauſandi actum per illam prædeterminationem. Quod communiter tribuitur etiam Scoto in 1. d. 39. quæſt. vnica. §. *Viſo de contingentia*, docenti, diuinam ſcientiam contingentium futurorum eſſe certam: *Per hoc quòd intellectus diuinus videt determinationem voluntatis diuinæ, videlicet, illud fore pro A, quia voluntas ita illud determinauit fore pro eo: ſcit enim illam voluntatem eſſe immutabilem, & non impedibilem.* & paulò poſt, *Intellectus diuinus complexionem terminorum contingentium offert, vt neutram; & voluntas eligens vnam partem, ſcilicet coniunctionem iſtorum pro aliquo nunc, in re facit illud determinatè eſſe verum, hoc erit pro A, hoc autem exiſtente determinatè vero, eſſentia eſt ratio intellectui diuino intelligendi iſtud verum.* & 4. d. 37. q. 2. §. *Contra iſtam.* ait, *Deus non habet ſcientiam de futuris contingentibus, niſi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis ſuæ, reſpectu eorum, ad quæ voluntas ſua eſt immutabilis, & inimpedibilis.*

Ocham. Ariminenſ. Gabrielis. Gerardi. Aureoli. Carthagen. — *Contra Bagnes.* Zumel. — Nauarrete. Aluarez. Nazarium. Trigoſium. — Gonzalez. Cabreram. Verdù. — Machin. Riſpolum. Cantarell. — *Quid ſentiat Scotus.*

*Scotum negare prædeterminationē voluntatis creatæ.*

Nihilominus his non cogimur grauiſſimo Doctori tribuere opinionem de prædeterminatione noſtræ voluntatis ad vnum, quæ expreſsè repugnat non ſolùm veritati, ſed etiam aliis eius dictis. Nam 2. d. 25. q. 5. §. *Dico ergo.* ſic habet, *Quod contingenter, hoc eſt, euitabiliter euenit, non euenit à cauſa determinata; quia pro iſto inſtanti, pro quo eſt ſic determinata, effectus non poteſt euenire contingenter: ergo à cauſa indeterminata ad alterutrum oppoſitorum, quæ cauſa poteſt ſe ipſam determinare contingenter, vel non ineuitabiliter, ad vnum illorum, cùm non poſſit in vtrumque ſimul.* & rurſus in fine, ad 4. principale, reſpondens ad illam propoſitionem, *Quod eſt in potentia contradictionis ad aliqua, non ſe determinat ad vnum illorum*, docet, eſſe veram de forma, quæ eſt in potentia *diminuta, & imperfecta quantum ad hoc*; qualis eſt intellectus; falſam verò de alia forma, quæ eſt *in potentia indeterminata, perfecta tamen, & non diminuta, obiecto ſibi præſentato, cuiuſmodi eſt voluntas; & iſta poteſt ſe determinare, & etiam alia.* & paulò poſt, apertiſſimè pro noſtra ſententia contra modernos Thomiſtas ita concludit, *Potentia igitur rationalis perfecta, cuiuſmodi eſt voluntas, quamuis ſit contradictoriorum, poterit determinare ſe obiecto præſente, ad vnum illorum.* & infra, in d. 37. quæſt. 2. §. *Ad ſolutionem iſtorum,* docet, voluntatem diuinam, quando per concurſum generalem ſimul cum voluntate creata concurrit ad cauſandum actum peccati, non peccare, nec cauſare formalem malitiam, hoc eſt, vt ipſemet explicat, priuationem rectitudinis debitæ, quia, inquit, *Voluntas diuina, quantum eſt de ſe, cauſaret, & daret rectitudinem actui, ſi voluntas creata ſecundùm ſuam cauſalitatem cauſaret, & cooperaretur ex parte ſui.* Quæ optima doctrina manifeſtè ſupponit, generalem, & liberam cauſæ primæ voluntatem, qua omnes cauſæ ſecundæ liberæ ad agendum indigent, non determinare ex ſe antecedenter cauſas ſecundas liberas ad vnum determinatum effectum contingentē, nec eligere vnam determinatam contradictionis, ſeu contingentiæ partem, ante omnem determinationem earum; & conſequenter, non eſſe voluntatē abſolutam, & efficacem determinatam ad vnū, ſed conditio-

130.

*Qualis ſit ſecundùm Scotum diuina voluntas cōcurrendi ad actū peccati.*

conditionatam,& indeterminatam ex ſe,ac proinde proportionatam naturæ cauſæ liberæ, hoc eſt, indeterminatæ,& indifferenti ad vtrumlibet, cum qua vult cooperari. Qui enim dicit, *Deus, quantum eſt ex parte ſui, cauſaret actum bonum, ſi cauſaret homo,* debet neceſſariò ſupponere, ex parte Dei nihil deeſſe ad cauſandum actum bonum, ſed deeſſe ſolùm conditionem quamdam ex parte hominis, ſcilicet, ipſius liberam determinationem ad cooperandum diuinæ voluntati, quantum eſt ex ſe, paratiſſimæ,& completiſſimæ ad cauſandum: ergo ad cauſandum actum bonum non eſt neceſſaria ſecundùm Scotum, determinatio diuinæ voluntatis omnino antecedens, qua, ante quamlibet præuiſionem voluntatis creatæ, efficaciter decernat futurum actum bonum, & determinetur voluntas creata ad illum, alioqui hic non poſſet non cauſari à voluntate creata, ſed prærequiri aliqua ratione præcedentem determinationem liberã voluntatis creatæ. Ergo cùm alibi docet Scotus, Deum videre futura contingentia abſoluta in voluntate ſua, non poteſt, abſque aperta contradictione, intelligi de illa voluntate antecedenter prædeterminante.

131. Præterea in 4. ſentent. diſtinct. 1. quæſt. 1. ad vltimum, ait, *cauſam ſecundam agere in virtute alterius, non eſt, recipere tunc aliquid ab illo altero, ſed tantùm habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in ſuo ordine ſimul. Sed inſtrumentum agere in virtute alterius, eſt tunc actualem accipere formam ab eo, per quam agit. Et ex hoc patet, quòd cauſæ primæ in cauſam ſecundam propriè dictam, quando ſimul agunt, non eſt influentia noua, quæ ſit creatio alicuius cauſæ ſecundæ; ſed influentia ibi eſt determinatus ordo iſtarum cauſarum in agendo effectum communem: inſtrumentum autem, quando agit, recipit influentiam propriè ab eo, cuius eſt inſtrumentum, ſcilicet motionem actualem, & in motione, formam per quam agit in ſuo ordine.* Scotus igitur expreſſiſſimè negat, cauſas ſecundas agentes vt eſſentialiter ſubordinatas generali concurſui cauſæ primæ, recipere inhærentem aliquam qualitatem antecedentem, ſeu præuiam motionem prædeterminantem ad vnum, ſicut hodie Thomiſtæ nonnulli tenent. Et conſequenter cenſendus eſt negare, in cauſa prima fuiſſe ab æterno liberam voluntatem omninò antecedentem, vt fierent à cauſis ſecundis liberis illi tantùm determinati effectus contingentes, quos de facto liberè cauſant. Tum quia multò maior vis eſt in increata prædeterminatione diuinæ voluntatis, quàm in creata prædeterminatione qualitatis, ſeu motionis inhærentis. Sed ſecundùm Scotum hęc pugnat cum libertate creata; ergo & illa: tum quia effectus antecedenter prædeterminatus vt fiat per talem cauſam; ita vt, poſita tali prædeterminatione, implicet, illum non fieri per talem cauſam, petit, ſi non eſſentialiter, ſaltem connaturaliter, vt ipſamet cauſa in ſe ipſa phyſicè prædeterminetur ad illum faciendum, & non comparetur proximè ad effectum, vt indeterminata, & indifferens ad vtrumlibet, ſeu potens facere oppoſitum, & non facere illum, quem implicat ab ipſa non fieri. Tum quia efficaci, atque extrinſecæ prædeterminationi voluntatis diuinæ voluntas creata non poteſt reſiſtere: ergo illa poſita, hæc ita debet intrinſecè diſponi, vt non poſſit reſiſtere: ergo intrinſecè prædeterminari: ergo qui hoc negat, debet conſequenter negare illud primum.

*Scotus negãs prædeterminationem intrinſecã, debet conſequẽter negare extrinſecam.*

*Ex voluntate Dei prædeterminante ſequitur intrinſeca prædeterminatio.*

132. *Scotum pro concluſione eſſe in eodem loco, qui contra illam citatur.*

Idem colligo ex eodem loco ſupra num. 129. citato pro contraria ſententia, in 1. d. 39. q. vnica. Nam in §. *Contra iſta.* ſic habet. *Nulla contingentia poteſt eſſe in cauſatione alicuius cauſæ, reſpectu ſui effectus, niſi prima cauſa contingenter ſe habeat ad cauſam proximam ſibi, vel ad ſuum effectum.* Si cauſa prima, cum per concurſum ſuum generalem concurrit cum cauſa ſecunda libera, debet reſpectu illius habere ſe contingenter, hoc eſt, ita concurrens ad vnam partem, vt quantum eſt ex ſe, paratus æquè ſit concurrere ad aliam oppoſitam; ergo debet habere voluntatem, non determinatam ad vnam tantùm partem, qua offeratur voluntati creatæ vnus concurſus determinatus ad vnum effectum, non ad alium; nam cum hac ſola voluntate non ſe haberet contingenter, & euitabiliter, ſed contra potius, ineuitabiliter, cum determinatione ad vnum, & repugnantia ad aliud oppoſitum; ſed indeterminatam, & indifferentem ad duo oppoſita, & conſequenter conditionatam, qua offeratur duplex concurſus, & ſtatuatur quilibet efficaciter re ipſa dandus, ex conditione ſi ad illum creata voluntas pro ſua libertate ſeſe determinauerit, in qua voluntate diuina certum eſt non poſſe videri determinatum effectum. Deinde in §. *De ſecundo dico.* expreſsè docet, cauſam liberam, tunc quando agit, in priori naturæ poſſe non agere id, quod agit. *Actus enim primus*, inquit Scotus, *conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, ita ponit illum in eſſe tamquam effectum ſuum contingenter, quòd, vt prior naturaliter poſſet æquè ponere aliud oppoſitum in eſſe: voluntati enim, vt eſt actus primus, etiam quando producit hoc velle non repugnat, oppoſitum velle; quia cauſa contingens eſt reſpectu ſui effectus.* Ergo in priori naturæ, non poteſt, in doctrina Scoti, antecedenter ad effectum liberum poni voluntas noſtra prædeterminata ad vnum: tunc enim voluntas, vt prior naturaliter, non compararetur contingenter ad effectum ſuum, ſed determinatè cum impotentia ad oppoſitum.

*Explicatur voluntas Dei neceſſaria ad concurrendũ cum cauſis liberis.*

*Voluntas ſecundùm Scotum in eo inſtanti, quo agit, agit liberè.*

Igitur Scotiſtæ tribuere debent Scoto hanc noſtram ſententiam ſæpiſſimè, & clariſſimè inculcatam, & omninò abiicere opinionem contrariam, vix aliquando leuiſſimè ſignificatam, verbis relatis ſupra n. 129. quæ poſſunt explicari, vel primò de effectibus, quos Deus ſeipſo ſolo liberè creauit; hi enim per ſolam liberam determinationem diuinæ voluntatis ab æterno habuerunt eſſe futurum liberum, & conſequenter, ſecundùm hoc eſſe liberè futurum, ex nullo alio capite videri poſſũt niſi ex prædicta determinatione. Semper enim Scotus loqui videtur de illa determinatione, qua Deus ipſe ſe determinat, & non qua determinet cauſas ſecundas liberas, quos vbique docet applicari proximè ad agendum vt indeterminatas, & potentes agere in vno inſtanti oppoſitum eius, quòd in illo inſtanti agunt: quod quidem agere minimè poſſent, ſi quod agunt, agerent vt omninò antecedenter determinatæ per efficacem Dei voluntatem, nullo modo mutabilem, aut impedibilem. Et ita videtur Scotum intelligere doctiſſimus Scotiſta Rada controuerſ. 30. art. 3. Vnde notabili 5. in coroll. 1. loquitur de voluntate, qua *Deus poteſt velle mundum eſſe, & velle oppoſitum.* & coroll. 2. ait, *futura contingentia ſunt ad alteram partem determinata, eo quòd, diuina voluntas ſe ad illa in æternitate determinauit.* Non dixit, *Determinauit alia*, ſed ſolùm, *Determinauit ſe.* Et ipſemet Scotus 4. ſentent. verbis citatis ſupra in fine num. 129. limitanter loquitur, *De determinatione diuinæ voluntatis reſpectu eorum, ad quæ voluntas diuina eſt immutabilis, & inimpedibilis.*

133. *Prima Scotî interpretatio.*

Rada.



*pedibilis.* Et ea tantùm ſunt, quæ à ſola libera Dei voluntate dependent; nam alia, quæ pendent etiam à libera poteſtate cauſæ ſecundæ, ſi liberè fiunt, debent profectò, vt optimè docuit Scotus ſupra, ita fieri, vt, etiam in eo inſtanti, in quo fiunt, poſſint non fieri, ac proinde poſſint mutari, & impediri, poteſtate ſcilicet intrinſeca, & antecedente ipſius cauſæ ſecundæ; quamuis poteſtate conſequente, propter extrinſecam Dei præfinitionem, ſint immutabilia, & inimpedibilia, vt infra in propriis locis declarabitur.

134. *Secunda Scoti interpretatio.*

Vel ſecundò explicari poſſunt verba Scoti de omnibus contingentibus abſolutè futuris, etiam peccatis, quæ omnia Deus libera ſua voluntate, antecedente effectus vt abſolutè futuros, ſed conſequente eoſdem effectus vt conditionatè futuros, determinauit vt eſſent: tamen non determinauit immediatè, nempe per voluntatem antecedentem immediatè terminatã ad omnes, & ſingulos actus liberos, etiam naturales, & moraliter malos, ſed ſolùm mediatè, per voluntatem antecedentem, immediatè terminatam ad hunc mundum cum iſta rerum ſerie, & cauſarum ordine, quem de facto creare ipſi ſoli liberè placuit. Nam per præſcientiam conditionalium (quam etſi Scotus, quod ego quidem nouerim, numquam ſatis expreſſit, tamen neque vmquam negauit, neque veriſimile eſt ingenioſiſſimo, ac ſapiẽtiſſimo viro ignotam fuiſſe, vel ſaltem falſam videri potuiſſe) Deus certò præcognouit, quid vnaquæque cauſa libera, factura liberè eſſet ſi tali tempore, loco, occaſione, ſtatu, diſpoſitione, & ſub aliis circumſtantiis tam extrinſecis, quàm intrinſecis produceretur. Quo poſito, ſi ſolum cõcipiatur Deus ab æterno determinare ſe ad creãdum omnes cauſas liberas, quas de facto creauit cum præſentibus circumſtantiis, nihil prorſus determinando per ſe directè, & immediatè de earum liberis effectibus, iam ſtatim ab æterno omnes, & ſinguli effectus liberi, qui de facto per totam æternitatem futuri ſunt, habent certò, & infallibiliter eſſe futurum abſolutum, & determinatum. Quod ſolùm fuſiſſimè, & acutiſſimè docuit Molina d. 14. & 15. & nos non negamus, ſed vlterius inquirimus, quod difficilius videtur, de alia voluntate per ſe directè, & immediatè terminata ad ipſoſmet liberos effectus, & concurſus. De hac igitur diuina voluntate, determinante immediatè actualem exiſtentiam cauſarum liberarum, nullo autem modo determinante vel actualem exiſtentiam effectuum liberorum, vel ipſaſmet cauſas liberas ad illorum productionem, probabile eſt docuiſſe Scotum, Deum ab æterno, ratione liberæ determinationis voluntatis ſuæ, videre in ſua eſſentia omnes, & ſingulos effectus liberos determinatè, & abſolutè futuros. Et hoc modo ſententiam Scoti explicat, & ſequitur præſtantiſſimus eius diſcipulus Mayronus 1. d. 38. quæſt. 1. artic. vltim. Vel tertiò alio modo explicari poteſt Scotus: de quo infra, num. 316.

Molina.

Mayronus.

135. *Tertia Scoti interpretatio.*

Referuntur etiam contra noſtram ſententiam alij veteres Doctores, vt Riccardus 1. d. 38. art. 1. quæſt. 5. vbi vult, Deum præſcire omnia futura contingentia, tum ratione realis eorum præſentiæ in æternitate; tum ratione ſuæ voluntatis, quia, inquit, *nullum bonum poteſt fieri, niſi ipſo volente, & omne bonum, quod vult fieri, fiet: & nullum malum fiet, quod ipſe vult non fieri; & illa mala, quæ non vult prohibere, euenient.* Quæ omnia ſimpliciter vera ſunt, ſed non contra nos; quia non ſatis diſtinctè explicant de qua voluntate loquantur, an de antecedente vel conſequente liberam determinationem creaturæ: & de qua videndi ratione, an de primaria, vel ſecundaria? nos enim hîc inquirimus rationem videndi primariam, & contendimus hanc non poſſe eſſe voluntatem Dei efficacem circa omnes actus. Cęterùm nullus catholicus negare poteſt, nihil poſſe fieri, quod Deus fieri non vult; & quicquid fit, fieri volente Deo: ac proinde, Deum, qui non poteſt ignorare voluntatem ſuam, non poſſe ignorare omnia futura, & non futura. Item Heruæus 1. d. 38. quæſt. vnic. vbi ſolùm in art. 2. ad rem habet, *Quòd cauſa diuina ab æterno eſt determinata ſecundùm præordinationem ſui intellectus, & ſuæ voluntatis, ad ea, quæ debet producere.* Sed hoc etiam nihil obſtat noſtræ ſententiæ, quia certum eſt, quòd ſicut Deus concurrit liberè ad extra in tempore ad hunc determinatum effectum, & non ad alium, ita ab æterno ad intra habuit determinatam ſcientiam, & voluntatem concurrendi. Et quòd determinata ſua ſcientia, & voluntate præordinauit, & ab æterno diſpoſuit concurrere ad eum determinatum effectum, eóque determinato modo, quo concurrit in tempore. Sed difficultas inter nos & aduerſarios eſt, an iſta determinata præordinatio facta à Deo ſit ante omnem liberam determinationem creaturæ, tam abſolutè, quàm conditionatè futuram, ac proinde, an prædicta præordinatio fuerit intellectui diuino, ex parte obiecti, prima ratio ſufficienter videndi omnes effectus liberos futuros: de qua re nihil expreſsè habet Heruæus, imò videtur pro nobis ſignificare partem negatiuam, in quantum ſtatim addit, cum tali præordinatione ſtare, *Quòd cauſæ inferiores habent ordinem contingentem impedibilem reſpectu ſuorum effectuum.* Quibus verbis non obſcurè excludit à cauſis ſecundis liberis omnem intrinſecam prædeterminationem ad vnum, & conſequenter extrinſecam, vt deduxi pro Scoto ſupra num. 131. Item Durandus 1. d. 38. quæſt. 3. qui tamen loquitur in alio ſenſu longè diuerſo, de videre in cauſis; eiuſque ſententiam non eſſe pro modernis Thomiſtis oſtendi ſupra num. 100. & Ioan. Maior 1. d. 38. & 39. quæſt. 1. art. 4. quem citat Aluarez lib. 2. de Auxiliis diſp. 10. num. 2. Sed in eo neque inuenio articulum quartum, neque aliquid ad propoſitum, niſi in d. 39. column. 7. vbi illud Auguſtini lib. 15. de Trinitate cap. 13. *ideo ſunt, quia nouit*; exponit cum Magiſtro, *De notitia ſimul cum beneplacito.* Vnde ſubdit, non eſſe inconueniens aſſerere, futurum contingens ideo eſſe, quia Deus voluit. Quod, vt patet, ita confusè pronunciatum, nihil facit ad præſentem difficultatem. Maneat igitur, contrariam opinionem, à Thomiſtis hoc tempore introductam, nullius antiqui Doctoris authoritate niti.

*Contra concluſionem nõ eſſe Riccardum.*

*Neque Heruæum.*

*In quo conſiſtat præſens controuerſia.*

*Neque Durandum.*

*Neque Ioannem Maiorẽ.*

Probo nunc breuiter concluſionem rationibus. 136. Et primò quòd illa voluntas non ſit videndi ratio vniuerſalis: primò quia eſſe nequit de actibus moraliter malis, vt bene arguunt Aureolus, & Gerardus Senenſis ſupra. Et ipſimet Thomiſtæ negare non audent, quos tamen impugnat Nauarrete hîc contr. 55. §. 1. prop. 2. Sed nihil indignius contra infinitam Dei bonitatem excogitari poteſt, quàm ante præuiſionem actus mali abſolutè futuri, velle abſolutè, & efficaciter, vt creatura liberè producat talem actum, quem non poteſt liberè producere abſque morali malitia, & offenſa, atque inimicitia ipſiuſmet Dei. *Quæ*, inquit Bell. lib. 4. de libero arbitrio c. 15. ad 5. *eſt hæreſis abſurdiſſima, & aperta blaſphemia.* Eamque ſententiam, vt ait Zumel tom. 1. var. d. fol. 22. col. 2. poſt med. *Nullus ex Theologis catholicis affirmare debet, etiamſi dicãt, Deum prædefinire materiale,*

*Prima concluſionis ratio ex Aureolo, & Gerardo, contra Nauarrete.*

*Cẽſura Theologorum contra opinionẽ de voluntate diuina prædeterminante actus malos.*

Bellarmin.

Zumel.

*materiale, & non formale peccati.* Et valdè miratur, cõtrarium teneri ab vno quodam Authore moderno, quem non nominat. Sed nos ſupra n.111. pro hoc aſſerto plures Thomiſtas adduximus, & ipsũmet Zumel cum ſuo Bagnes, ſi conſequenter ſentire velint: præterea idem Zumel part. 1. quæſt. 22. art. 4. in Appendice. concl. 5. initio id ait, *Non eſſe ſanæ doctrinæ conſonum.* & infra oſtendit quòd, *Si Deus propriè, & per ſe determinaret omne poſitiuum, etiam determinaret malum formaliter: atque adeo non tantùm permiſſiuè, ſed etiam propriè, & per ſe, ſe haberet circa illud, quod eſt contra Concilium.* & paulò poſt, *Nullus hæreticorum dixit, Deum concurrere ad formale peccati, ſed tantùm ad materiale, præmouendo, & prædeterminando arbitrium noſtrum, & nihilominus damnantur.* idque, inquit, *maximè execrantur Sancti, vt Auguſtinus, Damaſcenus, Fulgentius, Thomas.* De eodem ait Suarez opuſculo de Auxiliis lib. 1. c. 14. num. 3. *Hoc & impium eſſe, & ſanæ doctrinæ contrarium, omnibus rectè ſentientibus videtur.* & Machin hîc d. 32. ſect. 3. eſſe *falſiſſimum.* & Alphonſus Mendoza quodlibetis, quæſt. 7. Scholaſtica concluſ. 5. ratione 5. *Impium, ac ſtultum eſt dicere, quòd Deus prædeterminet actum peccati, etiam quoad eius materialem entitatem.* & Molina in concordia, quæſt. 14. art. 13. diſp. 32. circa principium, *eſſe contrarium fidei:* & ante ipſos Ariminenſis 2. d. 34. quæſt. 1. art. 3. in 3. concluſ. probatione, *eſſe blaſphemum.* & Marſilius infra num. 311. *malè ſonare.* Plura afferam infra à num. 338. & à n. 383. Secundò, quia incertum eſt, an ſit de omnibus actibus bonis; ſaltem certum eſſe debet, vt notat Suarez ſupra num. 8. de iis actibus bonis de quibus eſt de facto, poſſe non eſſe de poſſibili: nam ſi illi non præfinirentur, ſed vellet Deus dare media, quæ de facto dat, ad illos faciendos, poſſent eſſe liberè futuri, & vt tales adhuc à Deo infallibiliter præuiderentur, ſine prædefinitione, quo modo de facto præuidentur peccata: ergo præfinitio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad præuidendum vllum effectum liberum, ſicut ſupra num. 128. neceſſariam eſſe probauimus voluntatem concurrendi. Demum quia vt bene arguit Aureolus ſupra in fine propoſitionis, ſi aliquod futurum contingens, vt futurus actus malus, poteſt certò cognoſci in ſe abſque determinatione diuinæ voluntatis; ergo eadem ratione cognoſci poſſunt reliqua omnia. Probo ſecundò quòd non ſit ratio ſufficiens, eſto eſſet ratio vniuerſalis, quia de huiuſmodi voluntate eſt eadem prorſus ratio ac de voluntate prædefiniente actus bonos, quam mox oſtendam non eſſe rationem ſufficientem.

Suarez. Machin. Mendoza. Molina. Ariminẽſis. Marſilius.

## De voluntate particulari prædefiniente.

137. *Tertia concluſio negatiua.*

Tertia concluſio, voluntas Dei, qua ante abſolutam præuiſionem liberi effectus abſolutè futuri, determinatè, & efficaciter prædefinit futurum talem actum bonum, non eſt prima, & ſufficiens ratio videndi actum prædefinitum abſolutè, & liberè futurum. Eſt contra Bagnes, cæteróſque eius ſectatores ſupra relatos, contendentes, huiuſmodi prædefinitionibus voluntatem creatam, & prædeterminari ad vnum, & liberè operari. Si enim hæ duæ res cohærent, poſſet vtique in illa prædefinitione ſufficientiſſimè videri effectus prædefinitus, liberè futurus. Illam verò cohærentiam, & conſequenter ſufficientiam videndi actus liberos in voluntate prædefiniente, noſtri Theologi ſemper vnanimi conſenſu repudiandam eſſe cenſuerunt, præſertim Suarez opuſculo de ſcientia Dei lib. 1. cap. 6. à num. 4. ad 9. Vaſquez hîc d. 65. cap. 2. num. 12. & cap. 5. num. 14. Becanus 1. part. tract. 1. cap. 10. quæſt. 9. Arrubal diſp. 43. Albertinus tom. 1. fol. 282. ſententia 3. Nec aduerſatur noſter Fonſeca 6. Meth. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 5. à §. *Miſſa ergo*, quia etſi contendat, poſſe aliquos determinatos effectus liberè futuros cognoſci, *In actu abſoluto, & determinato diuinæ voluntatis, quo Deus ab æterno decreuit vt fierent*: tamen hoc ipſum ſic expreſsè limitat, *Poſt conditionatam tamen præſcientiam.* clarè ſignificans, huiuſmodi Dei voluntatem, per ſe ſolam, non eſſe ſufficientem rationem cognoſcendi effectum liberum creaturæ. Vnde poſtea in ſect. 6. rectè probat, actus diuinæ voluntatis eſſe determinatos ad concurrendum ad certos, & determinatos actus voluntatis, non autem eſſe determinatiuos voluntatis. Eamdem ſcientiam conditionatam ad decretum diuinum efficax de effectu libero, & bono prærequirunt etiam Molina citatus ſupra num. 126. Leſſius de Gratia, cap. 11. num. 9. reſponſione 2. & cap. 19. num. 19. Vaſquez infra, diſp. 89. cap. 10. fin. & multò fuſius d. 99. cap. 6. & 7. Suarez tomo 1. de gratia. Prolog. 2. cap. 8. num. 19. fin. Bellarminus lib. 4. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. ad 5. & cap. 16. circa finem, & alij noſtri Theologi ſupra citati.

Suarez. Vaſquez. Becani. Arrubal. Albertini. Fonſecæ.

*Præſciẽtiam conditionatã ante præfinitionem poni à Fonſeca, Molina, Leſſio, Vaſquez, Bellarmino.*

138. *Probatur cõcluſio primò ex libertate. Volũtas Dei, libera reſpectu ſui, neceſſaria reſpectu effectus.*

Probatur concluſio primò, ratione præcipua, quia voluntas Dei efficax determinata ad vnum, quamuis reſpectu ſui ſit libera, quia quicquid Deus vult extra ſe, liberè vult, itavt poſſit non velle; tamen reſpectu effectus, quem liberè vult, eſt cauſa neceſſaria, ita vt nulla creatura poſſit illi reſiſtere, & impedire ne fiat, quod Deus efficaciter vult fieri: imò ne ipſemet Deus poteſt voluntatem illam mutare, & efficere vt non ſit futurum, quod ſemel efficaciter ſtatuit eſſe futurum. Quod de fide eſſe, rectè dixit Aluarez lib. 2. de Auxiliis diſp. 10. num. 3. ergo voluntas creata, operans vt formaliter ſubordinata tali neceſſariæ cauſæ voluntatis diuinæ, non poteſt non facere illum determinatum effectum, quem ab ipſa faciendum efficaciter decreuit diuina voluntas: ſi enim actu non faceret, vel etiam faceret alium oppoſitum effectum, redderet irritum efficax Dei decretum; ſed non poteſt hoc irritare; ergo non poteſt non facere quod ab ipſa fieri Deus efficaciter decernit: ergo voluntas creata operans in quantum ſtat ſub tali decreto, non comparatur ad effectum, quem operatur ex vi talis decreti: vt cauſa libera illius: non enim comparatur ad illum, vt potens ad vtrumlibet, ſiue, vt ſe habens ad oppoſita, ſed vt determinata ad vnum, non minùs quàm ad vnum determinata eſt ipſa diuina voluntas, vt ſupponitur: ergo in hac ſua voluntate poteſt quidem Deus videre effectum vt ſimpliciter, & neceſſariò futurum, non tamen vt futurum liberè.

Aluarez.

*Confirmatur ratio ex Ocham, Ariminenſi, Aureolo.*

Confirmatur ex eo quod aduerſarij, præter hanc prædeterminationem extrinſecam diuinæ voluntatis, volunt conſequenter vi illius voluntatem creatam prædeterminari intrinſecè: de quo diximus ſupra dub. 9. Hanc eamdem probationem paulò aliter grauiter vrgent Ocham, & Ariminenſis citati ſupra num. 129. iiſdem ferè verbis. Et ſenſus breuiter, & dilucidè eſt hic: ſi determinatio voluntatis creatæ ſequitur determinationem voluntatis diuinæ, vel ſequitur neceſſariò, vel non: ſi primum, ergo voluntas creata eſſet cauſa naturalis, non libera, quia, inquiunt, *Coageret, nec haberet in poteſtate ſua coagere; & per conſequens, nullus actus voluntatis creatæ eſſet ſibi imputandus.* Nam antiqui, & graues Doctores, pro comperto habent, voluntatem determinatam ad vnum oppoſitorum, non eſſe voluntatẽ liberam; quod obiter aduertendum eſt pro recentioribus contrariũ ſentientibus. Si ſecundum; ergo cognita ſolùm determinatione voluntatis diuinæ non poteſt certò cognoſci determinatio voluntatis creatæ; quia hæc, ſi liberè illam ſequitur, poteſt illam non ſequi, ſed ſequi oppoſitum. Similiter Aureolus apud Capreolum 2. d. 37. q. 1. ar. 2. argum. 2. principali contra 2. concluſ. docet quòd, *Non prius Deus determinat ſe ad agendũ, & voluntas noſtra ſequitur determinationem eius*; idque optimè probat, *Quia tunc voluntas determinaretur à Deo ad peccatum; igitur non ageret à ſe, ſed ab alio, & ita voluntas non peccaret, quia de ſe non haberet vnde eſſet cauſa peccati, quia non liberè; determinaretur enim ab extrinſeco.* Sentit igitur Aureolus per ſolam extrinſecam diuinæ voluntatis determinationem tolli libertatem; ac proinde illam non poſſe eſſe ante liberum vſum creatæ voluntatis.



*Voluntas determinata ad vnum, non eſt libera.*

139. Probatur ſecundò, explicando quid præterea deſideretur, vt prædictum decretum ſtare poſſit cum noſtra libertate, ſiue, vt per illud ſapienter decernere queat Deus de effectu liberè futuro, & conſequenter, vt in eo videri ſufficienter poſſit effectus vt liberè futurus. Requiritur primò antecedenter ex parte diuini intellectus infinita præſcientia omnium conditionalium; niſi enim præconcipiatur intellectus diuinus, ſcire, quid vnaquæque cauſa libera eſſet factura, ſi vellet Deus eam taliter, & taliter creare, eíque offerre paratum concurſum ad duas partes oppoſitas iuxta intrinſecam naturam, & exigẽtiam cauſæ liberæ; ſed ante omnem actum diuini intellectus concipiatur in diuina voluntate efficax decretum de vno ſolo determinato effectu liberè futuro à cauſa libera, tollitur planè omnis creata libertas; ac proinde, prædictum decretum, quo efficaciter ſtatuitur, vt fiat liberè quod implicat liberè fieri, fit non ſolùm imprudens, & temerarium, ſed etiam contradictorium; quod ſic oſtendo. In decreto, quo Deus efficaciter vult, v. g. me liberè conſenſurum, & non diſſenſurum alicui vocationi, ſunt duo, & eſt velle efficaciter talẽ determinatum effectum, ratione cuius efficaciæ implicat non eſſe futurum conſenſum, aut poſſe non eſſe futurum; non minus ac implicat, poſſe aliquam creaturam, imò ipſummet Deum, facere inefficacem voluntatem Dei, efficacem, ſeu facere, vt non impleatur efficax Dei voluntas: & eſt ſimul, velle, vt idem effectus fiat liberè, hoc eſt, à cauſa habente indifferentiam, & poteſtatem ad oppoſitum eius, quod efficaciter decernit Deus. Manifeſta autem implicantia eſt, in eadem creata voluntate ad eundem effectum, hoc eſt, ad non conſentiendum, ſiue ad diſſentiendum, non dari, & dari potentiam; non dari quidem, quia Deus efficaciter decernit vt eliciam conſenſum; & poteſtas ad reſiſtendum diuinæ voluntati antecedenti, ſiue ſit poteſtas moralis, ſiue phyſica, ſiue metaphyſica, ſemper, & omninò implicat: dari verò, quia Deus vult etiam eodem decreto, vt conſenſus, quem efficaciter à me vult, eliciatur à me liberè, hoc eſt, cum poteſtate ad non conſentiendum, ſeu diſſentiendum: ergo tale decretum, ſi ante illud non præſupponatur prædicta præſcientia conditionaliũ, inuoluit euidẽtem contradictionem. Quare Cabrera tom. 3. in 3. par. q. 62. art. 1. diſp. 12. §. 14. n. 317. loquẽs de decreto prædefiniẽte actus liberos ante ſcientiam cõditionatam, falsò dixit, *De multis ita cenſent aduerſarij*; de quocũque enim caſu putamus illud eſſe planè impoſſibile.

*Ad prædefiniendũ actus liberos requiritur primò ſcientia conditionata.*

*Decretum prædeterminans effectum liberum ante ſcientiam cõditionatam, implicat contradictionem.*

Cabrera.

140. *Prædictam contradictionem non poſſe ſaluari reſpectu diuerſorum.*

Dices, hanc cõtradictionem ſaluari reſpectu diuerſorum; nam conſenſum meũ non eſſe futurum, dici poteſt, implicare reſpectu decreti Dei, non implicare reſpectu voluntatis meæ: ſicut in noſtra etiã ſententia de præſcientia conditionata eiuſdẽ conſenſus liberè futuri, cõſenſum illum non eſſe futurum, implicat reſpectu præſcientiæ diuinæ infallibilis, non implicat reſpectu meæ liberæ voluntatis.

Reſpondetur, apertum eſſe diſcrimen, quia in caſu noſtro, implicantia eſt conſequens, non ſolùm ipſammet præſcientiam, ſed etiam ipſummet vſum liberum creatæ voluntatis, quem præſcientia conſequitur, itavt ſi mea voluntas poſita ſub talibus conditionibus ſe liberè determinaſſet ad diſſentiendum; præſcientia Dei, quæ terminata eſt ad conſenſum, eſſet terminata ad diſſenſum; nos enim, vt latè probaui ſupra artic. 8. ponimus obiectum præſcientiæ, antecedens, prioritate ſigni, ſeu rationis, ipſam præſcientiam, eſſe quòd conſenſus meus ſit liberè futurus, ſeu futurus cum potentia ad diſſentiendum, ſeu non conſentiendum: poſt quod obiectum ex ipſa præſcientia, vt iam terminata ad tale obiectum, intelligitur aduenire ſumma infallibilitas, & impotentia in ipſa cauſa libera ad oppoſitum illius, quod præſcitum eſt. At in alio caſu aduerſariorum, eſt implicantia conſequens quidem decretum Dei, tamen omninò antecedens prædefinitum actum futurum, qui non comparatur ad decretum, tanquam obiectum ad actum, ſed ſolùm tanquàm effectus ad cauſam; quæ cauſa talis eſt, vt implicet, aliquod agens poſſe illi reſiſtere: ergo ſi ipſa antecedit, & eſt cauſa, vt mea voluntas operetur conſenſum, ſequitur euidenter, meam voluntatem nunquam poſſe comparari ad illum conſenſum cum libertate, hoc eſt, cum potentia ad oppoſitum; nam, non ante decretum; quia ante hoc, per aduerſarios, nihil poteſt eſſe liberè futurum: non cum decreto; quia ſi effectus decreti eſt, vt ego operer conſenſum, totum hoc reſpectu decreti, non poteſt ſe habere concomitanter, ſed ſolùm conſequenter: omnis enim effectus, vt ſic, eſt conſequens, non concomitans ſuam cauſam; non denique poſt decretum; quia effectus futurus vi efficacis decreti Dei, per nullã prorſus potentiam poteſt impediri: ergo hoc decretũ, remota priori præſcientia conditionata, verè facit inintelligibilẽ vſum libertatis; ac proinde dici quidẽ poteſt, & de facto ab aduerſariis paſſim dicitur; ſed ſi res accuratè examinetur, non poteſt intelligi, eſſe decretũ de conſenſu meo libero; nã in eodem decreto inuoluerẽtur duo cõtradictoria, hoc eſt, cõſenſus liber, quia ita ponitur Deus explicitè velle; & cõſenſus non liber, quia ponitur ſimul Deus ante omnẽ libertatis vſum, efficaciter velle illum conſenſum, & nolle diſſenſum, aut negationem conſenſus; quam diuinæ volũtatis efficaciam, vt eam vocat Auguſtinus lib. de correptione, & gratia, cap. 14. *Omnipotentiſſimam*, nulla prorſus potentia, neque creata, neque increata, irritam facere, aut quocumque modo impedire valet.

Auguſtinus.

Confirmatur, quia conſentire liberè, eſt eſſentialiter conſentire, vel diſſentire, vt docet Auguſtinus referendus infra, n. 160. vel nullum actũ elicere: ſed Deus hoc nõ vult, quia ponimus velle efficaciter vt conſentiam, & nolle vt diſſentiã, aut nullum actum eliciã: poſt quod decretum ipſe non poteſt præbere paratum ſuum concurſum ad producẽdum diſſenſum, vel ad nullũ actum producẽdum, quia ex terminis ferè implicat, Deum velle concurrere ad aliquid in re ponendũ, quod nõ vult in re ponere: ergo per decretũ Dei efficax antecedẽs, & determinatum ad vnũ, volens ſcilicet eſſe illud, & nolens eſſe aliud oppoſitũ, verè nõ poteſt eſſe de effectu liberè futuro, ſed ſolùm per ſummã neceſſitatem futuro.

141. Secundò, requiritur conſequenter ex parte diuinæ voluntatis, decretũ liberum actuale, ac proinde abſolu

abſolutum quidem ex parte voluntatis increatæ, ſed conditionatum ex parte voluntatis creatæ,quo ſcilicet Deus decernat, ſe velle dare concurſum ad conſenſum,ſi volũtas creata determinabit ſe ad cõſentiendum;& ſimul velle dare cõcurſum ad diſſenſum, ſi volũtas creata determinabit ſe ad diſſentiẽdum; & ſimul nolle dare vllũ cõcurſum,ſi voluntas creata ad nullũ actum ſe determinabit. Hoc decretũ,vt notaui ſup.n.127.& 128.eſt neceſſariũ ad hoc vt cauſa creata libera,poſt obiectũ ſibi propoſitum, & proportionatum vſui libertatis,cõpleatur in actu primo in ratione cauſæ liberæ,& conſtituatur vltimatò,ac perfectè potens operari liberè, hoc eſt, ad vtrumlibet ex duabus oppoſitis. Quamobrem hoc diuinũ decretum dici poteſt efficax aliqua ratione; etiã in actu primo,& ante liberã creaturæ determinationẽ,in quantum vi illius,ad quãcumque partẽ ſe determinabit voluntas creata,Deus efficaciter,& à parte rei cõcurret.Dici quoque poteſt efficax abſolutum reſpectu potentiæ voluntatis creatæ, quæ ex vi talis decreti fit abſolutè potens operari liberè duas partes oppoſitas.Eſt autẽ efficax conditionatũ reſpectu determinationis,nã ſi cauſa ſecunda libera non ſe prius determinaret ad agendum , nunquam Deus ex vi illius decreti agere poſſet;quãuis in hoc caſu,quo,creatura non ſe determinãte ad agendum, Deus non agit, inefficacia non eſſet ex defectu virtutis,& voluntatis diuinæ,ad concurrendum paratiſſimæ,ſed ſolùm ex defectu cauſæ liberæ,nolentis operari. Quo fit, vt diuina voluntas concurrendi ad actus liberos,dici ſemper debeat abſoluta,& efficax quantum eſt ex ſe, & vi ſua ; vt concedit Suarez tom.1.de gratia.prolog.2.c.8.n.17.verùm infra dub.20.n.498.ſeſe iterũ dabit occaſio eiuſmodi decreta ſubtilius explicandi,ac diſtinguẽdi. Requiritur tertiò etiã conſequenter ex parte eiuſdẽ diuinæ volũtatis aliud abſolutum,& efficax decretum determinatum, quo ab æterno ſtatuat velle abſolutè ponere in re omnes illas circũſtantias,ſub quarum cõditione per ſcientiã conditionatam,ante quamlibet liberam Dei voluntatem in actu poſitam,præuiderat effectum liberè futurum. Habemus igitur breuiter ex dictis,voluntatem Dei prædefinientem actus liberos bonos,ſiue vniuerſaliter,omninò abſolutam, & efficacem circa quemlibet actum liberum,non poſſe eſſe Deo rationem videndi actus liberos, neque primam, quia ante illam eſt neceſſaria præſcientia conditionata ; neque ſufficientem, quia præter illam requiruntur ſcientia conditionata,& duo alia voluntatis decreta prædicta.

*Suarez.*

*Requiritur tertiò decretum ponendi in re conditionem.*

## De voluntate particulari permittente.

142. Quarta concluſio. Voluntas, qua Deus permittere vult aliquod peccatum,per ſe ſola nõ eſt ſufficiens ratio ſciẽdi futurum illud peccatum.Hoc rectè adnotauit Aureolus 1.d.38.q.1.art.1. propoſ.1. & probat Suarez opuſc.de Scientia Dei lib.1.c.6. à n.15.& opuſc.de Auxiliis libr.2.c.5.à n.16.nec negat Fonſeca 6.Metaph.c.2.q.4.ſect.7.quamuis in §. *Dicendum*,loquatur nõ ſolùm de actu approbatiuo, ſed etiã *de actu permiſſiuo diuinæ voluntatis*:tamen in hoc includit præcedentẽ actum præſcientiæ conditionatæ, vt expreſsè limitat in fine ſect. Sine quo, inquit, *Permiſſio generalis ad bona, & mala opera nullã affert certam cognitionẽ futuri operis.* Idem ſequuntur noſtri Theologi citati ſup.n.137.admittentes præſcientiam cõditionatam in Deo ante omnem liberum voluntatis actum,& negãtes, voluntatẽ creatam liberè operantẽ,poſſe phyſicè prædeterminari ad vnum:cõtra modernos Thomiſtas ex contrariis principiis procedẽtes:vt procedũt Bagnes hîc,§.1. ad 2.Zumel diſp.7.concl.4.tom.1.var.diſp.concl.1. §.*offert*.Nauarrete controu.55.§.1.propoſ.3.& §.2. propoſ.9.& contr.53.§.3. propoſ.2. & controu.59. §.3.& controu.60.Aluarez lib.2.de Auxiliis diſp.11. Nazarius hîc,controu.2.notab.6. & ad 1.contra 3. concluſ.Trigoſius in Bonauentur.part.1.q.10.ar.4. dub.2.concl.3.Cabrera tom.3.in 3.part.q.62.art.1. diſp.12.§.12.à n.258.& §.15.n.343. Gonzalez hîc, d.44.n.24.28.36.37.Riſpolus p.62.nam,ex eo quòd opinãtur,ad faciendum actum bonum,ſeu vitandũ actũ malum,eſſe neceſſariũ, vt Deus ab æterno efficaciter, & abſolutè velit prædeterminare phyſicè in tẽpore voluntatem creatã ad bonum actum , ſequitur neceſſariò,futurum infallibiliter actum malum,ſi Deus nolit dare prædeterminationẽ ad bonum, quod eſt, ſecundùm ipſos , velle permittere malum ; & conſequenter,in tali voluntate permittente poſſe ſufficienter , & infallibiliter videri futurum actum malum. Cum quibus ex parte conſentit Machin diſp.32. ſect.3. nam quamuis contra Thomiſtas neget *auxilium efficax antecedens, & prædeterminans*; & diuinam præfinitionem de materiali peccati,quæ meritò ab ipſo dicitur,*falſiſſima* : tamen peccata,*ad quæ vitanda, neceſſariò requiritur ſpecialis,& efficax gratia,vt ſunt illa in quibus vrget grauis tentatio*, vult infallibiliter cognoſci à Deo in decreto ſubtrahendi talem gratiam.

*Quarta concluſio negatiua.*

*Aureoli, Suarez,*

*Fonſecæ.*

*Contra Bagnes. Zumel.*

*Nauarrete. Aluarez. Nazarium. Trigoſium. Cabreram. Gonzalez. Riſpolum.*

*Machin.*

In contrarium arguo primò generaliter,quia voluntas creata,vt ſtat ſub tali voluntate permittẽte, & ſpectata formaliter in ſenſu compoſito cum hac voluntate, vel primò poteſt operari malum, & bonum ; habendo omnia neceſſariò prærequiſita ad operãdum malum,& bonum;vel ſecundò,nõ poteſt operari bonum,ex eo quòd careat aliqua re neceſſariò prærequiſita ad operãdum bonum;vel tertiò, non poteſt non operari malum,ex eo quòd,ſiue ex propria natura,ſiue ex aliquo adiuncto,habet infallibilem ordinẽ ad productionem actus mali.Ex primo,quod ſolùm dici poteſt verè, docẽte S.Thoma 1.d.47.q.1.art.2.in fine corp.*Poſſe fieri oppoſitum eius quod permiſſum eſt , quia permiſſio reſpicit potentiã cauſæ ad vtrumque oppoſitorum ſe habentem*; ſed à Thomiſtis cohærenter dici nõ poteſt,poſita eorum ſententia, ſequitur primò ad operationẽ bonam,non eſſe neceſſariã prædeterminationẽ primæ cauſæ, quia voluntas Dei permittẽs malum,negat huiuſmodi prędeterminationẽ ad bonum. Sequitur ſecundò voluntatem creatã,ſi eſt completè,& proximè potens operari malum abſque prædeterminatione,habere in ſe intrinſecam vim, pro innata ſua libertate ſeſe determinãdi ad eliciendum actum malum;cur ergo eadem vi,ac libertate nõ ipſa ſe determinat pariter ad bonum, ſed ad hoc indiget extrinſecè determinari à prima cauſa?Si verò huiuſmodi prædeterminatione indiget etiã ad eliciẽdum actum malum,iã Deo ſoli,& non creaturæ tribueretur peccatum,vt nunc ſupponẽdum hîc eſt ex probãdis infra.Sequitur tertiò,quod directè pertinet ad præſentẽ difficultatẽ, non poſſe in permiſſione Dei videri infallibiliter futurũ actum malũ potius quàm bonum;ſi enim poſita permiſſione , adhuc poſſet fieri actus bonus,ergo volũtas habet à prima cauſa prædeterminationẽ ad actum bonũ,ſine qua per aduerſarios nõ poteſt fieri actus bonus,& cũ qua nõ poteſt non fieri actus bonus, ergo videri potius deberet infallibiliter cõtrarius actus bonus,& tamen ſecundùm eoſdẽ per permiſſionem negatur prædeterminatio neceſſaria ad bonũ,& propterea volunt,futurũ bonũ nõ poſſe à Deo videri in ſua permiſſione.Verùm ponamus ſenſum, quẽ puto eſſe Catholicũ, eũ, qui liberè peccat,& conſequenter,qui liberè peccare à Deo permittitur,habere neceſſariã,ac ſufficientem potentiã ad nõ peccandũ,& ad faciendum bonum actum

143. *Probatur cõcluſio primò.*

*Ex S.Thoma, poſſe fieri oppoſitum eius quod Deus permittit.*

*Poſſe fieri bonum , ſine prædeterminatione ad bonum.*

*Si non requiritur prædeterminatio ad actum malum,nec requiritur ad bonum.*



*Cabrera.*

actum reſiſtendi peccato,vt expreſsè concedit Cabrera citato §.12.n.272.inde euidẽter ſequitur,viſa præcisè tali permiſſione non poſſe infallibiliter videri futurũ malum:ſi enim non obſtante permiſſione,malum ita eſt futurũ,vt tamen poſſit nõ eſſe futurum,ſed eſſe futurũ bonum oppoſitum : ergo malũ eſt fallibiliter futurũ,vt rectè dixit Carthagena de prædeſtinatione diſcurſu 4.dicto 2. §.*Reſpondebis*.ex permiſſione diuina nõ ſequitur infallibiliter peccatũ.Ergo nequit cognoſci à Deo infallibiliter futurũ;cuius conſequẽtiæ vis ſufficienter probata eſt ſup.n.113.Hanc vltimam rationem adeò grauiter ac dilucidè tradit Aureolus ſupr. vt cõtra modernos aduerſarios loqui videatur.*Illud*, inquit, *quo poſito,adhuc remanet effectus indeterminatus ad vtrãque partem cõtradictionis, quia poſſibile fieri, vel non fieri,non ducit per certitudinẽ,& determinatè in alteram partẽ contradictionis.Sed voluntate permiſſionis poſita,adhuc remanet volũtas creata indeterminata, & peccatũ poſſibile eſt fieri,vel non fieri; non enim permiſſio determinat ad peccandũ,ſed exigitur vltra hoc determinatio volũtatis creatæ,quæ penitus remanet indeterminata,quantũcumque permittatur:ergo Deus non nouit determinatè peccatũ futurũ in tali nunc,ex hoc,quòd nouit permiſſionẽ ſuæ voluntatis*.Et poſt hãc,& alias rationes ita concludit : *Sic ergo demonſtratiuè concluditur cuilibet fideli , quòd Deus nõ nouit futura omnia per cognitionẽ nutuũ ſuæ voluntatis,& determinationis ipſius.*

*Carthagena.*

*Confirmatur eadem probatio ex Aureolo.*

144. Secundum ſcilicet quod tunc voluntas nõ poſſit operari bonũ,dici nõ poteſt; quamuis illud expreſsè affirmare nõ dubitet Nauarrete ſupr.dũ ait, *Impoſſibile eſt quòd homo adimpleat iſta mãdata,niſi pro illo inſtãti quo currit præceptũ de adimpletione,accipiat à Deo prædicta auxilia.* Inter quæ immediatè ante numerauerat *prædeterminationẽ diuinam*:& permiſſionẽ,in qua vult,Deum cognoſcere peccata futura, definit , *Denegationem liberam auxilij neceſſarij ad actualẽ impletionem illorũ mandatorum.*Et paulò poſt, habet,quòd,*vt homo poſſit cõtinere ſe à peccato, eſt omninò neceſſaria talis determinatio,& concurſus pro omni ſtatu.* Et Riſpolus p.64.inquit,*Hac ſubtractione auxilij relinquitur homo in ſua libertate naturali , quæ in malũ neceſſariò flectitur.* Sed cõtra,nunc breuiter:tũ quia carentia rei neceſſariæ ad operãdum bonum, pugnat cũ auxiliis ſufficientibus, quæ nulli negat Deus ad bona opera:tum quia qui operatur liberè malũ,operatur cum libertate operãdi bonũ oppoſitum:ergo cum potẽtia ſufficiente ad bonũ actum eliciẽdum.Vana enim,& ridicula eſt libertas ad illud, ad quod non eſt potentia ſimpliciter, vel potentia ſufficiens, & omninò cõpleta,atque expedita,vt poſſit in actum prodire ad libitum operãtis. Multò minus dici poteſt tertiũ,quod tunc ſcilicet voluntas non poſſit nominari malum:quod tamen apertè ſequitur ex cõtraria ſententia dicẽte,Deum infallibiliter videre peccatũ in permiſſione,& denegatione auxilij efficacis , prædeterminantis ad bonũ.Sed magis apertè,& intrinſecè pugnat cũ libertate operãdi actum malum.Quamuis enim intelligi aliquando poſſit, operatio libera mala ſine libertate ad contrariã operationem bonam,tamen eſt omninò inintelligibilis ſine libertate ſaltẽ ad non eliciendam illam operationem malam:v.g.Si Deus nollet dare auxiliũ ſufficiens ad amandũ illum ſuper omnia,adhuc eſſet peccatũ odium Dei; quia tunc etſi non eſſet ſufficiens potẽtia,& conſequenter libertas ad amandũ,eſſet tamen ad non odio habendum:ergo qui aſſerit, poſita voluntate Dei de permittendo,ſeu non impediendo peccatũ, hominẽ non poſſe non operari actũ peccati,planè ac totaliter deſtruit vltimũ conceptũ libertatis eſſentialiter neceſſariæ ad exercendũ actum peccati.

*Poſita permiſſione peccati , adhuc voluntatem poſſe non peccare,contra Nauarrete, & Riſpolum.*

*Ex viſione peccati in permiſſione, ſequitur voluntatem non poſſe non peccare.*

*Stare poteſt peccatum ſine potentia operandi bonum, ſed non ſine potentia non operandi malum.*

145. Arguo ſecundò,ſupponendo veram ſententiam de peccati permiſſione,quæ ſcilicet aliud non ſit, niſi volũtas Dei de non dãdo auxilio efficaci,cum quo præuidit per ſcientiam conditionatã, quòd,ſi daretur,creatura nõ ſe determinaret ad peccandũ; ſed de dãdo ſolùm auxilio ſufficienti,cũ quo poſſit volũtas creata nõ peccare,& bene operari,quæ tamen cõditionatè præuiſa eſt;quòd ſi haberet illud auxilium , adhuc cum illo ſe determinaret ad peccandum.Tunc euidenter patet veritas concluſionis, quia ad hoc vt ſit infallibiliter futurũ peccatum,& conſequenter, vt poſſit infallibiliter cognoſci futurũ , non ſolùm eſt neceſſaria voluntas Dei permiſſiua,ſed etiam prærequiritur in intellectu diuino actus ſcientiæ cõditionatæ,præuidẽtis, quòd ſi conſtitueretur voluntas creata ſub his,aut illis circũſtantiis,ac diſpoſitionibus,non peccaret; ſub aliis verò,peccaret:vnde habet volũtas,vt quę antea in priori ſigno,quatenus obiectũ præcedens præſcientiam,erat,& præuiſa fuit, non peccatura, aut peccatura fallibiliter;eadẽ deinde in poſteriori ſigno,quatenus iam viſa,& vt ſic conſequens infallibilem Dei præſcientiã,ſit,& præuideatur,non peccatura aut peccatura infallibiliter , infallibilitate nimirũ cõſequente liberum vſum creatæ voluntatis,ac proinde eius libertati minimè cõtradicente;quæ omnia fuſius infra explicabuntur. Hoc toto præſuppoſito,ſi intelligatur prædicta veritas cõditionata tranſire in abſolutã, nempe per abſolutã & efficacẽ Dei voluntatem permittẽtem,hoc eſt,nolẽtem dare ea cum quibus poſſet creata voluntas quantũ eſt ex ſe peccare,tamen eſſet infallibiliter non peccatura;& volentem dare alia,cum quibus poteſt ſufficienti libertate non peccare,ſed eſt infallibiliter peccatura;ſtatim poteſt infallibiliter præcognoſci peccatũ determinatè futurum, & non futurum aliud cõtingens oppoſitũ.In prædicta autẽ voluntate permittente,ſi ponatur antecedens ad omnem præſcientiã,& vſum libertatis, & per ſe ſola præcisè ſpectetur, non poteſt oſtẽdi peccatũ infallibiliter futurum,imo ne ſimpliciter quidẽ futurum potius quàm nõ futurum;quia hæc voluntas non eſt voluntas decernẽs peccatum infallibiliter futurũ,hæc enim eſſet impia voluntas, Deo indigniſſima,in qua etiã,vt patet ex dictis ſupra à n.138.poſſet quidem cognoſci effectus futurus infallibiliter,non autẽ liberè, & conſequẽter, nõ poſſet cognoſci peccatũ,quod eſſentialiter importat,eſſe effectũ liberum:ſed eſt voluntas ſolùm non impediẽs peccatum,quod tamen datis à Deo omnibus neceſſariò prærequiſitis, & ſufficiẽtibus ad impediendũ peccatum,poteſt iã ſufficienter impedire ipſamet volũtas creata;alioqui ſi poſita voluntate Dei nolẽtis impedire ex parte ſua,non eſſet ex parte voluntatis creatæ potẽtia ſufficiẽs ad impediendum,illa non peccaret non impediendo. Ergo ſi creata voluntas cũ tali potẽtia ponatur in actu,impediendo peccatũ,& nolẽdo actu peccare, nullum ſequi debet abſurdum; nam, vt omnes,& Theologi,& Philoſophi clamãt,& ipſummet naturæ lumen euidẽter docet, *Poſſibile ſi in actu ponatur,nullum ex tali poſitione ſequitur impoſſibile*;alioqui id quod dicitur poſſibile poni in actu, eſſet ſimul impoſſibile poni in actu, quæ eſt aperta contradictio:ergo non debet ſequi, fieri irritam, & vanam voluntatem Dei permiſſiuam peccati : ergo cum hac , quantum eſt ex ſe ſolitariè conſiderata , ſtat tam peccatum futurum, quàm non futurum ſimpliciter : ergo non poteſt in ea videri peccatum futurum,neque infallibiliter,neque ſimpliciter.

*Probatur cõcluſio ſecundò.*

*Quid ſit permiſſio.*

*Quid requiratur ad hoc, vt infallibiliter futurum ſit peccatum.*

*In permiſſione ſi poneretur ante ſciẽtiam conditionatam,non poſſe videri peccatum futurum.*

*Poſſibili poſito in actu, non ſequitur abſurdum.*

## *Occurritur argumentis Zumel.*

146. Obiicies primò cum Zumel hîc, diſp. 7. concl. 2. & repetit tomo 1. variar. diſput. concl. 2. quo etiam argumento maximè nituntur Nauarrete tota ſua contr. 53. Aluarez libr. 2. de Auxiliis. diſp. 10. n. 4. Nazarius controuerſ. 2. concl. 3. Machin diſp. 32. ſect. 2. dicto 1. *Effectus poteſt infallibiliter cognoſci in cauſa determinata ad effectum, efficaci, & infallibili: ſed huiuſmodi eſt voluntas Dei reſpectu cuiuſcumque voliti effectus ab illa abſoluta voluntate: ergo*, &c. & minor in ſententia Zumel, eſt intelligenda de omnibus ſimpliciter futuris contingentibus: quia antea in diſput. 1. concl. 4. initio dixerat, *Omnia, quæ in tempore fiũt, à Deo ſunt prædeterminata, & prædefinita.* Confirmat idẽ in 1. loco: *nã hæc conſequentia eſt euidẽs, Deus vult abſoluta voluntate vt hoc ſit futurũ, ergo hoc erit: ergo in illo ſigno infallibiliter cognoſcitur cõſequens illud.*

*Prima obiectio ex eo quòd voluntas Dei ſit cauſa infallibilis.*
Nauarrete, Aluarez. Nazarius. Machin.

Reſpondetur, maiorem eſſe veram de effectu neceſſario, falsã de libero. Falſa quoque eſt minor intellecta vniuerſaliter, quia voluntas ſanctiſſima Dei optimi maximi, non poteſt prędefinire futura peccata. Intellecta verò particulariter de aliis effectibus, ſi illa voluntas per ſe ſola conſideretur, eſt vera de cauſa effectus neceſſarij, non autem liberi: ſi verò illi voluntati adiungatur præcedens ſcientia conditionalium, eſt vera de cauſa effectus liberi, modo explicato ſupra n. 139. 140. Quapropter idem Zumel diſp. ſeq. 8. concl. 4. falsò imponit Theologis noſtris, ideo nos tenere, *Nullũ actũ liberum noſtri arbitrij cognoſci à Deo in prædefinitione ſuæ voluntatis; quia putant, Deũ non prædefiniuiſſe actus liberos in particulari.* Negamus ſolùm, prædefiniuiſſe ante ſcientiam conditionatam. Sed fatemur, prædefiniuiſſe poſt ſcientiam conditionatam, & ante abſolutam ſcientiam viſionis: quibus prædefinitionibus pleniſſima ſunt Theologorum noſtrorum ſcripta. Nihilominus contendimus huiuſmodi prædefinitiones, per ſe conſideratas, non eſſe rationem videndi liberos effectus, neque vniuerſalem, neque primam, neque ſufficientem.

*Reſpondetur ex dictis.*

*Falsò dici à Zumel, nos negare prædefinitiones actuum liberorum in particulari.*

Similiter dicendum ad confirmationẽ, illa conſequentia deduci effectum futurum neceſſariò, nõ liberè, ex vi præciſa illius voluntatis, niſi addatur, & præſupponatur in diuino intellectu præſciẽtia conditionata. Neque contrarium tenet Vaſquez d. 65. c. 2. quamuis in contrarium referat illũ Nauarrete controuerſ. 53. initio, & fruſtrà impugnet, tanquam dicentem, non cauſari omnia ex diuina voluntate; cùm tamen Vaſquez ibi expreſsè doceat, & probet oppoſitum. Solùm vult, quod ad aliam controuerſiam pertinet, tractatam ſuprà quæſt. 12. art. 8. & in hac quæſt. artic. 5. futura non videri in verbo, ex eo quòd videatur liberum decretum, quod eſt eorum cauſa. Sicut nec videri poſſibilia in omnipotentia, tanquam in cauſa.

*Defenditur Vaſquez contra Nauarrete.*

147. Contra hoc inſtabis cum eodem Zumel in cit. diſp. 1. quia *Deus ex ſumma efficacia ſuæ voluntatis fecit vt eſſent entia contingentia; & dedit modum, quo fierent hîc, & nunc contingenter: ergo in huiuſmodi prædefinitione, & præordinatione efficaci, Deus cognouit quæcumque in tempore facta ſunt, & futura ſunt.*

*Inſtantia Zumel.*

Reſpondeo, opus eſſe maiori claritate, ac diſtinctione in aſſignanda cauſa contingentium, & contingentiæ. Qua in re animaduertenda ſunt duo grauia errata in contraria ſententia. Primò, prędictam cauſam inſufficienter conſiderant ex parte Dei tantùm, & totam refundunt in efficaciam diuinæ voluntatis, miro ſilentio prætereũtes ea, quæ neceſſaria ſunt, etiam ex parte cauſæ ſecundæ liberæ, in qua tamen eſt formalis contingentia, & libertas; cuius quidem ratio habenda maximè eſt, vt ſcire poſſimus proportionatum modum, quem adhibere debet diuina voluntas, ad hoc, vt tanquam cauſa prima vniuerſaliſſima det cauſis ſecundis liberis liberè operari: alioqui certum apud omnes eſſe debet, quòd ſicut ex parte cauſarum ſecundarum eſt maxima differentia inter cauſam neceſſariam, & cauſam liberã, & inter operari neceſſariò, & operari liberè, ita ex parte primæ cauſæ proportionaliter differre debet modus generaliter concurrendi cum cauſa neceſſaria ad operationem neceſſariam, à modo concurrendi cum cauſa libera ad liberam operationem: & ſicut eſt differentia in concurſibus extra Deum in tempore exhibitis, ita ſit differentia in decretis liberis diuinæ voluntatis intra Deum ab æterno factis de concurrẽdo. Secundò, eandem cauſam, etiam conſideratam ex parte ſolius Dei, aſſignant inſufficiẽter. Tum quia efficacia diuinæ voluntatis eſt cauſa communis, qua tam indigent cauſæ neceſſariæ ad operandum neceſſariò, quàm cauſæ contingentes ad operandũ contingenter: ergo ad hoc ſecundũ explicandum, eſt aliquid aliud diſtinctius addendum. Et ideò ſapiẽtiſſimè S. Thom. infra q. 19. ar. 8. cùm tradidiſſet hanc communem cauſam, dicẽs, *ex voluntate diuina efficaciſſima ſequi, nõ ſolùm, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiãt quo Deus ea fieri vult, vel neceſſariò, vel contingenter*: ſtatim ſubdit differentiã generaliũ concurſuum, & cõſequenter diuinarũ voluntatũ. *Et ideo quibuſdã effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſũt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniũt: quibuſdã autẽ aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus cõtingenter eueniãt.*

*Radix contingentiæ eſt tum Deus, tum cauſa ſecunda.*

*Radix contingentiæ inſufficienter aſſignatur, efficacia diuinæ voluntatis.*
S. Thomas.

Ergo ſecũdùm S. Thomam, cauſa ex parte Dei, propter quam creatura operatur contingenter, eſt ſumma diuinæ voluntatis efficacia, quæ liberè ab æterno voluit, non cauſas ſecundas determinare, aut determinare ſimpliciter effectus abſque vlla libera determinatione, orta ex innata libertate ipſiuſmet cauſæ ſecundæ, vt volũt aduerſarij; hoc enim modo eſt cauſa, propter quam creatura operatur neceſſariò: ſed offerre duplicem concurſum ad duas oppoſitas partes, & ex his illum determinatè præbere in actu, ad quem cauſa ſecunda libera ſe determinauerit; & præterea dare talia media, quibus etſi cauſa ſecũda præmoueatur, & inclinetur ad determinatum aliquem effectum, non tamẽ ad illum dumtaxat prædeterminetur. Quare cùm poſtea S. Thomas ibidem ſic concludit, *Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt cõtingenter, quia cauſæ proximæ ſunt cõtingentes: ſed propterea, quia Deus voluit eos contingenter euenire, cõtingentes cauſas ad eos præparauit*: non vult negare, contingẽtiæ rationem pendere etiam ex ipſis cauſis contingentibus, imò hoc expreſsè conceſſit, dum docuit, ad hoc vt effectus euenirent contingenter, fuiſſe neceſſariũ præparari cauſas contingentes, ac defectibiles. Quod etiam clariſſimè tradit aliis locis, & verbis citatis ſupra num. 108. fin. ſed vult negare contra aliquos, quos ibi refert, & impugnat, quòd, vt ipſemet paulò ante dicit, *Diſtinctio contingentiũ à neceſſariis refeatur ſolùm in cauſas ſecundas.* Alioquin idẽ ſæpe docuit, effectũ trahere neceſſitatẽ vel contingentiam à cauſa ſecunda proxima: vt hîc ad 1. *Effectus poteſt eſſe contingens propter cauſam proximam contingentem.* Et infra, q. 23. art. 3. ad 4. *Secundùm conditionem cauſæ proximæ, effectus habet contingentiam, vel neceſſitatem.* & q. 103. art. 7. ad 3. *Dicuntur aliqui effectus contingentes, per comparationem ad proximas cauſas, quæ in ſuis effectibus deficere poſſunt.* & de veritate q. 12. art. 11. circa principium corporis, *Omnis effectus in*

*Qua, ex parte Dei, ſit radix contingentiæ.*

S. Thomas.

*Contingentiam pendere etiam ex cauſis ſecundis.*



*neceſſitate, & contingentia ſequitur cauſam proximam, & non cauſam primam.* & clariſſimè de malo, q. 16. art. 7. ad 15. *Neceſſitas, & contingentia in rebus diſtinguuntur non per habitudinem ad voluntatem diuinam, quæ eſt cauſa communis; ſed per comparationem ad cauſas creatas, quas proportionaliter diuina voluntas ad effectus ordinauit.* & libr. 1. Perheam. lect. 14. ante med. *Sufficiens ratio contingentiæ eſt ex parte potentiæ actiuæ, quòd non ſit omninò determinata ad vnum.*

Negamus igitur, diuinæ voluntatis efficaciam ſimpliciter prædeterminantem eſſe ex parte Dei cauſam operandi contingenter. Quod à poſteriori intelligi maximè poteſt ex peccatorum actibus, quos contingenter operamur, & tamen videtur à pietate alienum aſſerere, nos ad illos ex ſumma efficacia diuinæ voluntatis prædeterminari: ergo radix communis, vnde ex parte voluntatis Dei habeamus, poſſe contingenter operari tam bonum, quàm malum, eſſe debet alia longè diuerſa à voluntate prædeterminante. Quare exceſſit ſanè, & arguendus eſt Nauarrete controuerſ. 53. §. 3. ad 2. cùm dicit, *In determinatione diuina inſpicitur tota libertas, quam voluntas poteſt habere ad operandum.* Quaſi verò ipſamet formalis libertas, cui voluntas primæ cauſæ in concurrendo accommodare ſe debet, non ſit in noſtra voluntate, ſed tota ſit in voluntate diuina, ac propterea vt voluntas noſtra liberè agat, nihil aliud ſit neceſſarium, niſi, vt voluntas diuina, cui noſtra voluntas in agendo ſubordinatur, ſit libera: quòd creatam libertatem peſſundare nemo non videt. Quamuis enim libertatis exemplar ſit diuina voluntas libera, quod Nauarrete gratis aſſerit, *nos nolle aduertere*: tamen hinc perperam deducitur, *totam libertatem noſtram* inſpici in diuinæ voluntatis determinatione: ſed deducitur euidenter totum oppoſitum: quia ſicut diuina voluntas, ex eſſentiali conceptu libertatis habet, vt à nullo prædeterminata, ipſa ſeſe determinet ad volendum hoc vel illud; ita pariter voluntas noſtra, eſſentialiter etiam libera; alioquin exemplatum ſuo exemplari omninò cõtradiceret.

*Nauarrete propoſitio expenditur.*

148. Obiicies ſecũdò ex eodem Zumel d. 7. concl. 3. fin. *Qui negant, Deum poſſe cognoſcere vllum effectum contingentem in prædefinitione ſuæ voluntatis, faciunt Deum, quãtum eſt ex ſe, ignarum rerum contingentium. Quia dicunt Deũ egere præuiſione determinationis cauſæ creatæ cõtingentis, & expectare illã, ad hoc, vt certò, & infallibiliter cognoſcat euentũ futurũ. Quã*, inquit, *expectant etiã homines, & Angeli, vt cognoſcant eadẽ futura.*

*Secunda obiectio.*

Reſpondetur, iam probaui ſupra à num. 138. ad 141. in diuina prædefinitione ſciri quidem poſſe effectum futurum neceſſariò, non tamen futurum liberè. Solùm igitur aduerſarij verè faciunt Deum ignarum effectuum liberorum; quia ſcilicet, reipſa effectus liberos de medio tollunt. Præterea Zumel concl. 4. bene negat, quãuis non conſequẽter, vt conſtare poteſt ex verbis ipſius relatis ſupra n. 109. actus peccatorũ poſſe à Deo prædefiniri: ergo qui vniuerſaliter aſſerit, nullũ effectum futurũ poſſe à Deo ſciri, niſi in ſua prædefinitione, ipſe ſolus eſt, qui verè facit Deum ignarũ omnium futurorũ peccatorum, quorũ prædefinitionẽ in ſe videre non poteſt. Quod autem reſpondet, videri *in prædefinitione permiſſionis peccatorum*, prætérquàm quod impropriè loquitur, quia propriè prædefinitio eſt cauſa poſitiua efficiẽs aliquid, permiſſio verò contra, eſt cauſa negatiua non dans aliquid, hoc eſt, vt ipſemet explicat, *ſubtrahendo auxilia efficacia*, non tollit abſurdũ contra nos propoſitum, quod proponit etiam Nauarrete controuerſ. 53. §. 1. propoſ. 2. & controu. 55. §. 2. propoſ. 6. de videre determinationẽ, expectando illam; nam ſi voluntas Dei permiſſiua non eſt cauſa determinationis peccati, vt idẽ expreſsè fatetur, neque illam cauſat aliquid aliud ex parte Dei, ergo illam cauſat ſola voluntas creata, quæ vt antecedẽter proximè indeterminata, ſeſe ipſa liberè determinat ad peccandum: ergo ita ſe determinat, vt poſſit ſe nõ determinare, etiã poſita ſubtractione quorumlibet auxiliorum, quæ non debent eſſe antecedenter neceſſaria ad hoc, vt poſſit non determinare ſe ad peccandum; aliter per permiſſionem ſubtractis auxiliis, non poſſet non ſe determinare, ac proinde non ſe determinaret liberè, nec poſſet peccare: ergo Deus non poteſt infallibiliter videre talem determinationem, niſi in ipſa determinatione, ſiue, vt vtar verbis Zumel, ad abſurditatem explicandam compoſitis, *egendo præuiſione illius, & expectando illam.* Nam, vt oſtendi, nullum aliud caput remanet videndi infallibiliter: non cauſa creata, quæ neque ex ſe intrinſecè, neque extrinſecè à Deo determinata eſt ad peccandum; non prædefinitio, quæ negatur; non permiſſio, quæ nihil ponit determinans ad peccandum, ſed ſolùm aufert auxilia, quorum ablatio non determinat ad peccandum, ſed relinquit voluntatem creatã cum omnibus neceſſariò prærequiſitis ad hoc, vt proximè poſſit nõ peccare, ſeu non determinare ſe ad peccandũ. Ad inſtantiam de Angelis & hominibus, negãt eos ſcire effectus futuros liberos antequã ſint, quos ſcit Deus: imò nec actus ipſos internos liberos, quando ſunt, niſi Deus reuelet, quare inſtantia non eſt ad rem.

*Reſpondetur, ex contraria ſententia ſequi, Deum ignorare effectus liberos.*

*Differunt prædefinitio, & permiſſio.*

*Abſurdum obiectum à Zumel, & Nauarrete, de expectatione determinationis, eſſe etiam contra illos.*

*Determinatio ad peccandum, eſt à ſola voluntate creata.*

149. Itaque & pro nobis, & pro ipſomet obiiciente, reſpondendum eſt, illam, quam Zumel vocat indigentiam, non eſſe indigentiam, ſed meram, & ſimpliciſſimam quandam præſuppoſitionem obiectiuam, ſine vlla imperfectione; ſicut in aduerſariorum ſententia, quòd intellectus diuinus videre nequeat effectus futuros, ſine præuia, ac libera determinatione diuinæ voluntatis, non eſt indigentia, ſed ratio ſimpliciter præſuppoſita. In caſu enim noſtro non eſt indigentia, quia creata determinatio non præſupponitur, vt aliquid efficiat in actum diuinæ ſcientiæ, ſed vt illum purè terminet; quia nimirum diuinam ſcientiam, ex eo quod ſit infallibilis, terminare non poteſt niſi aliquid determinatum, quod ita eſt, vt non poſſit non eſſe. Nihil autem determinatum eſſe poteſt cauſa omninò antecedens ipſam liberam determinationem, quia omnis determinatio, ſi eſt libera, petit eſſentialiter eſſe à cauſa indeterminata, vt ſupra dub. 9. ergo ſolùm ipſamet determinatio, conſequens creatam libertatem, apta eſt terminare infallibilem cognitionem de futuris contingentibus. Et quoniam hæc ratio eſt eſſentialis viſibilitati infallibili futurorum contingentium, mirum eſſe non debet ſi locum habeat tam in cognitione creata hominum, & Angelorum, quàm in cognitione increata Dei: nam cum hac conuenientia ſtat infinitus intellectualitatis exceſſus ex parte Dei, vt ex ſe notum eſt.

*Liberã determinationem prærequiſitam ad viſionem contingentium, non eſſe indigentiam reſpectu Dei.*

Eadem quoque obiectiua ratio, ſimpliciter pręſuppoſita, impropriè dicitur, *expectatio*: quia determinatio libera, antequã actu in ſe ſit, nõ eſt infallibiliter, ſed tãtùm cõiecturaliter intelligibilis, ex doctrina expreſſa huius articuli. Intellectus verò non intelligens rem pro eo ſigno, in quo res non eſt intelligibilis, ſed pro alio poſteriori ſigno, in quo primùm incipit res eſſe intelligibilis, dicitur quidem prærequirere rem intelligibilem, vt eam actu intelligere poſſit, quod nullũ eſt abſurdũ, imò eſſentialis neceſſitas, vt ſupra artic. 8. à n. 58. ad 62.

*Neque eſſe propriè expectationem.*

*Quamuis in Scriptura ſæpe vocetur expectatio.*

non autem expectare, accipiendo expectationem, vt importat aliquam imperfectionem, ſicut dicimus oculum expectare præſentem ortum ſolis, vt poſſit illum videre: & ignem expectare præſens combuſtibile vt illud comburere poſſit: alioqui nomen ipſum *expectandi*, quod tanquam abſurdiſſimam aliquam blaſphemiam aduerſarij paſſim nobis obiiciunt, Deo expreſsè tribuitur in ſacra Scriptura, volente ex hoc apertiſſimè ſignificare determinationem ad operandum bonum potius, quàm malum, eſſe à noſtro libero arbitrio, non à Deo. Iſaiæ 5. *Expectaui vt vinea mea faceret vuas, & fecit labruſcas*; & paulò poſt, *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas*; & c. 30. *Expectat Dominus, vt miſereatur noſtri*; & Apocal. 3. *Sto ad oſtium, & pulſo. Si quis aperuerit ianuam, intrabo*, &c. aperire ianuam, quod eſt determinare ad cõſentiendum gratiæ excitanti, & pulſanti cor noſtrum, non eſt eius, qui foris eſt, & pulſat, & expectat vt illi aperiatur; ſed alterius, qui eſt intus, & pulſatione illa ad aperiendum excitatur. Neque contrarium habet Arauſicanum Can. 4. docens, Deum in operibus gratiæ non expectare voluntatem noſtram, hoc eſt, Deus non expectat, vt pulſet, & vocet, ſiue vt det primam gratiam; hoc enim ſtatuit Concilium contra Semipelagianos, qui volebant, primam gratiam dari ex aliquo noſtro merito, naturalibus voluntatis noſtræ viribus habito: expectat autem, vt homo vocatus ſeſe liberè determinet ad conſentiendum vocationi præuenienti, quam operatur Deus in nobis ſine nobis. Cuius, inquit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. *Libertatis noſtræ admonemur, cùm in Sacris litteris dicitur, conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Demum ipſemet Bannes, qui primus huiuſmodi expectationem nobis obieciſſe videtur ex prædictis verbis Arauſicani, non vocat eam ſimpliciter expectationem, ſed *quaſi expectationem.* Ait enim infra quæſt. 23. art. 3. dub. 3. concl. 9. quæ verba & leguntur apud Zumel ibidem diſput. 4. concl. 9. *Quidam arbitrantur, quòd Deus in ſua æterna prædeſtinatione, quantum eſt ex parte ſua ſit indifferens, & quaſi expectans inferioris cauſæ determinationem ad effectum inferioris cauſæ futurum producendum*, quod quidem minus fideliter de nobis refert. Neque enim nos dicimus Deum indifferentem in ſua prædeſtinatione, & prædefinitione; ſed maximè certum, ac determinatum ad vnum. Dicimus quidem Deum indifferentem reſpectu alterius decreti, quo concurrit ad effectus liberos, quatenus liberos: atque adeò concurrit ad actum peccati, non prædeſtinando, nec prædefiniendo illum.

*Iſai. 5. & 30.* — *Apocal. 3.* — *Arauſican.* — *Tridentin.*

150. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò ex eodem in concluſione 4. *Dei voluntas eſt vniuerſalis cauſa omnium effectuum futurorum in particulari: nihil enim fieri poteſt, niſi ſuppoſita Dei voluntate, & eſt cauſa infallibilis, & ab æterno poſita ante præuiſionem determinationis cauſarum ſecundarum: ergo impoſſibile eſt, quòd Deus non certò præcognoſcat omnes effectus contingentes in particulari, in prædeterminatione, & prædefinitione ſuæ voluntatis, quatenus antecedit determinationem cauſæ ſecundæ.*

*Reſpondetur, effectus liberos pendere à diuina voluntate, non prædeterminante, ſed conſequente. Auguſtinus.*

Reſpondeo, verum eſſe ſimpliciter, fieri omnia in particulari ex Dei voluntate. *Non fit aliquid*, inquit Auguſtinus in Enchiridio cap. 95. *niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.* Falſum verò eſt, & deſtructiuum libertatis, & propter effectus moraliter malos, repugnans diuinæ bonitati, fieri omnes effectus liberos ex Dei voluntate prædeterminante ante determinationem, & ante omnem præuiſionem determinationis cauſæ liberæ. Sicut enim ſi ipſemet Deus prædeterminaretur à ſuo intellectu, non poſſet liberè ſe determinare per voluntatem; ita ſi cauſa ſecunda prædeterminaretur ad vnum omninò antecedenter, non poſſet conſequenter ſe liberè determinare ad vtrumlibet. Quare non eſt cur aliqui nobis imponant, quòd dicamus, non fieri, Deo volente, omnia in particulari, ſed tantùm in generali. Contrarium expreſsè legere poſſunt in Suarez opuſculo de ſcientia Dei, libr. 1. cap. 6. num. 3. Vaſquez hîc, diſp. 65. cap. 2. Arrubal diſp. 43. cap. 1. & aliis. Negamus igitur pendere effectus noſtros liberos à voluntate Dei prædeterminante ante vllam noſtram determinationem: non autem à voluntate conſequente.

*Falſum eſt nos negare dependentiam omnium in particulari à diuina voluntate, Suarez. Vaſquez. Arrubal.*

Obiicies quartò ex eodem ibidem. *Hæc eſt bona conſequentia, quantum ad illationem præciſè, non tamen quantum ad cauſalitatem, Deus permittit aliquem peccare hîc, & nunc de facto, ergo ille peccat. Ergo valet conſequentia, Deus voluit ab æterno permittere, vt Petrus peccaret de facto, ergo peccabit.* Similem rationem proponunt etiam Nauarrete controuerſia 55. §. 1. propoſitione 3. parte 2. & §. 2. propoſitione 9. Cabrera tomo 3. in 3. parte quæſt. 62. art. 1. diſp. 12. §. 12. num. 258. 151.

*Quarta obiectio Zumel, Nauarrete, Cabreræ.*

Reſpondeo, remota ſecundùm aduerſarios præſcientia conditionata, qua Deus ante omne voluntatis ſuæ decretum in actu poſitum, præuidit, quod Petrus liberè ſe determinaret ad peccandum, ſi conſtitueretur ſub his circumſtantiis, ſub quibus ſufficienter, & proximè potens eſt non determinare ſe ad eliciendum actum peccati, & non conſtitueretur ſub aliis circumſtantiis, ſub quibus ſufficienter, & proximè poſſet peccare, tamen liberè ſe determinaret ad non peccandum, nego illam conſequentiam eſſe bonam, hoc eſt, infallibilem, & neceſſariam, ſed fallibilem, & contingentem, ac proinde ineptam ad terminandam infallibilem Dei præſcientiam. Quod ſi benè explicetur, & penetretur, eſſe debet omnibus euidens. Enimverò neceſſitas prædictæ illationis haberi aliunde nequit, niſi vel primò ex Dei præſcientia infallibili; vel ſecundò ex efficaci Dei voluntate; vel tertiò ex ſubtractione auxiliorum; vel quartò ex natura ipſiuſmet creatæ voluntatis; aliud enim caput talis neceſſitatis, quod præterea aſſignari rectè poſſit, non apparet. Non primum, quia diuina præſcientia non eſt cauſa peccati futuri, ſed illud præſupponit, & cognoſcit tantùm; non ſecundum, quia multò minus voluntas diuina poteſt eſſe cauſa peccati. Et ipſemet Zumel, & Cabrera aiunt, conſequentiam non valere, *quantum ad cauſalitatem*: non tertium, quia ſi poſita illa ſubtractione, voluntas creata adhuc liberè peccat, manifeſtum eſt, nihil poſſe eſſe ſubtractum neceſſarium ad conſtituendam ſufficientem, & proximam potentiam determinandi ſe ad non peccandum. Ergo illa ſubtractio non eſt infallibilis cauſa, ſeu ratio futuri peccati, ita vt fundare poſſit ſummam ſcientiæ diuinæ infallibilitatem de peccato futuro: non quartum, quia natura creatæ voluntatis ea eſt, vt poſita ſub quibuſlibet antecedentibus circumſtantiis, ſiue poſitiuis, & dantibus aliquid, ſiue negatiuis, & ſubtrahentibus aliquid, ſi peccat, peccet liberè, hoc eſt, cum indifferentia, & poteſtate ad vtrumlibet. Ergo ex tali natura haberi non poteſt ſumma infallibilitas peccati futuri; & conſequenter, neque neceſſitas prædictæ illationis, neque infallibilitas præſcientiæ diuinæ. Demum aduerto, me hîc, & ſupra, dixiſſe, ex diuina permiſſione peccati, & ſubtractione efficacium auxiliorum, non ſequi infallibiliter peccatum; imò nullũ eſſe abſurdum, etiam in ſenſu cõpoſito cum tali permiſſione, & ſubtractione, non eſſe peccatum in actu, non quidem abſolutè ex mea ſententia, ponente prædictam præſcientiam conditionatam, cum qua poſt abſolutam peccati permiſſionem, eſt impoſſibile non eſſe futurum peccatum, impoſſibilitate ſcilicet conſequente, non antecedente liberum vſum creatæ voluntatis; ſed ex contraria ſententia negante talem præſcientiam. Quare non eſt cur Nauarrete ſupra, circa finem, §. 2. nobis tanquam grauiſſimum abſurdum obiiciat, Deum permittere hominem peccare, & tamen hominem non peccare: id enim nos aſſerimus vt abſurdum ipſius, non vt noſtrum.

*Reſpondetur, ex permiſſione peccati, non ſequi infallibiliter peccatum, niſi præſuppoſita ſcientia conditionata.*

*Quid in noſtra ſententia dictum de connexione peccati cum permiſſione, contrà Nauarrete.*



## *Diluuntur obiectiones Nauarrete.*

152. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò ex Nauarrete hîc, controuerſiâ 55. §. 1. propoſitione 3. vbi ſingulariter contra omnes, etiam Thomiſtas, duo ſimul dicit, Deum, & decreto ſuæ voluntatis prædeterminare totam entitatem peccati, & tamen in hoc decreto non poſſe cognoſcere peccata futura, *ſed in ſua permiſſione, qua decreuit permittere, hominem deficere.* Sic arguit primò, quia, *non neceſſariò, & infallibiliter annectitur priuatio, quæ eſt in peccato, concurſui poſitiuo Dei, vel prædeterminationi diuinæ, nec etiam actui vt prædeterminato à Deo. Secundò, prædeterminatio diuina eſt cauſa omnis perfectionis actus cauſæ prædeterminatæ, ergo non poteſt eſſe ratio cognoſcendi aliquam imperfectionem ſubſequutam in eodem actu.* Idem deinde ſic confirmat. *Prædeterminatio illa ordinat rem prædeterminatam ad vltimum finem: ergo non poteſt eſſe ratio cognoſcendi aliquam deordinationem ab vltimo fine.*

153. *In decreto prædeterminante actum peccati, poſſe illum videri, contra Nauarrete. Deum prædefinire res in particulari.*

Antequam reſpondeam, probo illa duo non poſſe ſimul cohærere. Primò, quia Dei decretum efficax, & prædefiniens, non eſt de actu ſimpliciter, & in communi, ſiue in confuſo, ſed in particulari cum omnibus ſingularibus circumſtantiis, & conditionibus, cum quibus de facto re ipſa producitur; v.g. prædefinit vt actus negationis Chriſti ſit à Petro, tali tempore, loco, occaſione ancillæ interrogantis, ex timore mortis, &c. ſicut verè à parte rei Deus vt prima cauſa ad illum concurrit; & quidem, vt nos exiſtimamus, cooperando tantùm, non prædeterminando. Sed implicat contradictionem, huiuſmodi actum, factum liberè hîc, & nunc circa talem materiam, eſſe ſine malitia, vt patet ex terminis: ergo qui videt efficax decretum de tali actu, videre omninò infallibiliter poteſt moralem illius malitiam: eſto actus illam malitiam non habeat prout eſt à Deo; ſatis enim eſt, vt habeat prout eſt à Petro; quia diuina voluntas non prædefinit per ſe, & directè, vt ille actus negationis fiat ab ipſomet Deo, ſed vt fiat à Petro; & propterea ſuo tempore prædeterminat realiter, & intrinſecè ipſummet Petrum ad talem actum negandi Chriſtum: ſed talem actum facere non poteſt Petrus ſine malitia, faciendo illum, eo modo, quo de facto fecit: ergo decretum Dei eſt terminatum ad actum cum quo non poteſt non eſſe coniuncta malitia. Ergo decretum viſum vt terminatum ad talem terminum, poteſt eſſe infallibilis ratio videndi malitiam. Secundò, malitia moralis maiorem connexionem habet cum ipſo actu, ſumpto in particulari, vt ſupra, quàm cum permiſſione, ſeu negatione efficacium auxiliorum, quæ peccatum infallibiliter impedirent: nam poſita hac permiſſione antecedente actum, adhuc intelligimus, poſſe eſſe vel non eſſe peccatum, per liberum peccantis arbitrium: poſito autem ipſomet actu, non poteſt non eſſe peccatum: eſt enim malitia immediatè, & intrinſecè annexa actui in particulari, taliter & taliter accepto; nõ autem negationi impedimenti, prohibentis actum: hoc enim impedimentum eſt extrinſecum, & antecedens actum, & vt inde oriatur malitia, debet prius intelligi oriri actus, qui eſt neceſſarium fundamentum malitiæ: ſed Nauarrete putat, poſſe Deum infallibiliter præcognoſcere malitiam in decreto permiſſionis: ergo multò maiori ratione, idem aſſerere debebat de decreto ipſiuſmet actus.

*Malitia neceſſariò iungitur actui conſiderato ſecundùm omnes circumſtantias.*

*Malitia magis connectitur cum actu malo, quàm cum permiſſione actus mali.*

Ex his facilè reſpondetur ad oppoſita. Ad primum, priuationem illam, neceſſariò, & infallibiliter annecti, non concurſui poſitiuo Dei, qui, ſecundùm veram ſententiam, eſt poſt præuiſam determinationem futuram creaturæ ad vnam partem moraliter malam, & ideò malitia, & priuatio rectitudinis tribuenda eſt ſoli creaturæ concurrenti, non concurrenti Deo, paratiſſimo ad cooperandam rectitudinem, ſi ſe ad illam liberè determinare voluiſſet creatura, vt acutiſſimè docuit Scotus relatus ſupra num. 130. ſed annecti prædeterminationi diuinæ, vt probatum eſt, & conſequenter, actui vt prædeterminato à Deo: neque enim illa prædeterminatio eſt de concurſu indifferente, & conditionato, vt ſupra num. 127. ſed de actu ipſo abſoluto, ac determinato. 154.

*Reſpondetur, malitiam annecti prædeterminationi, non concurſui ſimpliciter.*

Ad ſecundum, prædeterminationem illam eſſe cauſam non ſolùm omnis phyſicæ perfectionis, ſed etiam omnis moralis imperfectionis actus. Imò illa poſita, Deus ſolus, & non creatura, eſſet cauſa malitiæ, quia licèt ambo concurrerent ad poſitiuum materiale peccati, tamen, quia ad illud creatura non ſe determinaret, ſed ſine libertate ſua prædeterminaretur à Deo, & Deus liberè ſe determinaret, & prædeterminaret creaturam, priuatio rectitudinis conſequens illud poſitiuum, nullam rationabilem ob cauſam imputari poſſet creaturæ, ſed ſoli Deo, vt infra à num. 379. Ad confirmationem, nego antecedens, quia prædeterminatio illa eſſet efficaciſſima, & ſola cauſa ob quam actus eſt formaliter peccatum, quod eſt inordinabile ad vltimum finem.

*Si prædeterminamur ad actum malum, malitia eſt Dei, non noſtra.*

Obiicies ſextò ex eodem in §. 2. propoſitione 5. probante Deum non cognoſcere futura contingentia in determinatione creatæ voluntatis, ſed diuinæ: quia, inquit contra Molinam, *Chimericum eſt aſſerere, quòd liberum arbitrium ſe ipſum determinet, priuſquam determinetur à Deo*: ídque probat, vt ipſe ait, *breuiter, ſed demonſtratiuè*, hunc in modum: *in illa determinatione, qua liberum arbitrium ſe determinat, operatur tanquam cauſa ſecunda per influxum. Ergo fictitium eſt aſſerere, quòd relicto à Deo eodem libero arbitrio in ſua indifferentia, ſe determinet ante determinationem, & influxum cauſæ primæ. Patet conſequentia: nam cauſa ſecunda in quocumque influxu reali, & phyſico, neceſſariò debet operari cum ſubordinatione ad cauſam primam in eodem genere: ita quòd ſi fuerit influxus phyſicus, etiam phyſicè ſubordinetur prædeterminationi phyſicæ.* 155.

*Sexta obiectio probans prædeterminationem liberi arbitrij.*

## *Cauſam liberam non determinari ab alio, quàm à ſe ipſa.*

Reſpondeo, aſſertionem Molinæ non poſſe dici chimericam, & fictitiam, ſi intelligantur termini, & retineatur verus, & communiſſimus libertatis conceptus. Nihil vſurpatius, ac certius apud omnes, & doctos, & indoctos, quàm maximè proprium eſſe eius, qui liber eſt, & ſuarum actionum dominus, vt tunc dicatur liberè agere, ac libertate ſua vti, cùm ipſemet ſeſe actiuè determinat ad 156.

*Prædeterminatio pugnat cum libertate.*



alteram

alteram partem ex duabus oppoſitis; & nõ paſſiuè tantùm prædeterminatur ab alio, abſque libero ſuo conſenſu talis prædeterminationis: tunc enim non ipſe ſe liberè moueret ad vtrumlibet, ſed ſolùm moueret ſe ex neceſſitate prædeterminationis ad vnam tantùm partem, quam non ipſe, ſed prædeterminans, liberè elegit. Et vt cætera omnia omittam, vrgebo duas authoritates omni exceptione maiores. Alteram Auguſtini, qui cùm in omnibus ſuis operibus totus ſit aduerſus hæreſim Pelagianam, in extollenda gratia Dei, & reprimendis viribus liberi arbitrij, tamen apertiſſima libertatis notione aliquando commotus, determinationem, ad opera etiam ſupernaturalia, expreſsè negauit diuinæ gratiæ efficaci, ac proinde ipſimet Deo, & ſoli voluntati creatæ conceſſit: vt interpretatur Ruardus verbis citandis infra num. 299. qui propterea num. 300. in fine expreſsè fatetur, *quòd determinatio operis à ſolo eſt libero arbitrio.* Igitur Auguſtinus in lib. de Spiritu, & littera, cap. 34. cùm in hoc eodem capite, & præcedenti, non ſemel docuiſſet, bonam voluntatem, non ſolùm eſſe ex gratia, ſed etiam ex libero arbitrio, ſtatim horum duorum principiorum peculiaria munera diſtinctè declarans, ſic habet, *viſorũ ſuaſionibus agit Deus, ſiue extrinſecus, ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem: ſed conſentire, vel diſsẽtire, propriæ volũtatis eſt*; & paulò poſt, iterũ multò clarius, & profundius, *Profectò, & ipſum velle credere Deus operatur in nobis, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos: cõſentire autẽ vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Conſentire vel diſſentire, (quæ verba præcisè, propter eorum grauitatem, diuino quodam inſtinctu, ad erudiendos ætatis noſtræ Theologos pro tuenda ſalute creatæ libertatis, bis repetere voluit ſapientiſſimus Auguſtinus) idem ſine dubio ſunt, cum eo, quod nos dicimus, determinare ſe ad conſentiendum, determinare ſe ad diſſentiendum. Qui enim conſentit, v.g. ex eo quòd in libero ſuo dominio habeat conſentire, vel diſſentire, profectò determinat ſe ad conſentiendum. Sicut à contrario, qui diſſentit, & peccat, ex eo quòd in libertate ſua ſit poſitum diſſentire, & peccare, vel conſentire, & non peccare, determinat ſanè ſe ad diſſentiendum, & peccandum. Vnde ipſemet Deus cùm ab æterno voluit liberè creare mundum; ideò dicitur, determinaſſe ſe ad volendum, quia voluit, ex eo quòd liberum illi eſſet velle, vel nolle: etſi conſentire vel diſſentire, non eſt determinare ſe, quid, quæſo, aliud fingi poteſt, quod ſit? Nihil enim aſſignare poteris, de quo verificari queat illud, quod Auguſtinus affirmat, *propriæ voluntatis eſt.* Hæc igitur determinatio dicitur eſſe opus propriæ voluntatis, vt contradiſtinctæ à Deo, eiúſque gratia. Ergo eſt à ſolo libero arbitrio, & non à Deo, vt latius infrà declarabimus num. 161. Hanc enim vim in vulgatiſſimo, ac propriiſſimo loquendi modo habet particula illa aduerſatiua, *ſed*; vt ſi dicas, Deus creat, & conſeruat liberum arbitrium, & cum libero arbitrio operatur, *ſed* liberum arbitrium peccat: item, Regis eſt legem condere, *ſed* populi acceptare: Iudex fert mortis ſententiam, *ſed* carnifex exequitur: & id genus ſexcenta alia, quibus clarè ſignificamus, nos aliquid ita vni tribuere, vt negemus alteri. Quoniam verò attributa huiuſmodi determinatione ſoli libero arbitrio, videri cuipiam poterat, nimium tribui naturæ, & derogari gratiæ Dei, huic obiectioni occurrendum duxit Auguſtinus, eandémque determinationem vt propriam creaturæ, non Dei, acutiſſimè confirmat his verbis, immediatè poſt verba vltimo loco citata. *Quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt, quid enim habes quòd non accepiſti? verùm etiam confirmat: accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc, quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem, & habere, vtique accipientis, & habentis eſt.* Per Auguſtinum, ſicut quod creatura accipit, eſt Dei donantis, non creaturæ accipientis; ita ipſum accipere, eſt creaturæ accipientis, non Dei donantis. Sed ex eodem, hoc accipere nihil eſt aliud niſi conſentire, ſcilicet liberè, quod eſt determinare ſe ad conſentiendum: ergo ex veriſſima, & grauiſſima Auguſtini doctrina, non ex chimerica Molinæ fictione, liberam creaturam ad liberè conſentiendum non determinat Deus, ſed ipſamet pro intrinſeca ſua libertate ſe determinat: & tam falſum eſt, Deum, & non creaturam, determinare ad conſentiendum; quàm falſum eſt, quod ex terminis ipſis ridiculum eſſe apparet, Deum, & non creaturam, accipere gratiam Dei. Et de hac determinatione Iuſtinus citatus ſupra art. 8. num. 48. poſt explicatam libertatem noſtram, quam in poteſtate eligendi virtutem aut vitium ſitam eſſe vult, ita concludit. *Non igitur cauſa eſt Deus virtutis noſtræ aut vitij, ſed propoſitum noſtrum & voluntas.* Et Chryſoſtomus, hom. 65. in Matth. in med. inquirens cur ex vocatis à Deo per gratiam, vnus pareat, alius non, ait, *à voluntate vocatorum hæc differentia deſcendit.* Et Damaſcenus, Dialogo aduerſus Manicheos non multò ante finem, *Id quod à nobis futurum eſt, à Deo cauſam non habet, ſed à libera noſtra voluntate.*

*Auguſtinus determinationem tribuit ſoli libero arbitrio ex Ruardo.*

*Vis particulæ aduerſatiuæ, ſed.*

Iuſtinus.

Chryſoſtom.

Damaſcen.

157\. Alteram authoritatem contra Thomiſtas vrgeo ex S. Thoma, qui ſæpiùs & non minus clarè idem docuit: nam 1.2. quæſt. 9. art. 6. ad 3. *Deus,* inquit, *mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor. Et ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle; ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc vel illud.* Ex eo quod Deus ſuo generali concurſu moueat, ſed homo determinet, duo euidenter habentur; alterum, determinationem eſſe ſolius hominis, non Dei, vt ſupra ex Auguſtino deduximus: alterum, generalem cauſæ primæ motionem, non eſſe determinationem cauſæ ſecundæ liberæ; nam illa motio apertè contra diſtinguitur à determinatione, & illa tribuitur cauſæ primæ, non ſecundæ; hæc contra, cauſæ ſecundæ, non primæ. Clarius, & diſtinctius in 2. d. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 3. *Deus operatur in omnibus: ita tamen, quòd in vnoquoque ſecundùm eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur, ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi ſibi miniſtret; & ipſo operante, liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & finis, in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur, vnde remanet ſibi dominium ſui actus; licèt non ita, ſicut primo agenti.* Quod vltimum addidit, quia liberum arbitrium habet illud dominium dependenter à prima cauſa, non quidem prædeterminante, quod paulò ante expreſsè negatur, ſed creante, conſeruante, dante virtutem, & cooperante: cauſa verò prima ſui actus dominium habet abſque vlla dependentia ab alio. Igitur S. Thomas primæ cauſæ tribuit munus determinandi reſpectu cauſæ ſecundæ neceſſariæ, non autem reſpectu liberæ; imò reſpectu illius addit, quòd, *Determinatio in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur.* Ergo ſecundùm ipſum, determinatio non eſt à cauſa prima, ſed à ſola ſecunda libera. Deinde infra, in d. 28. quæſt. 1. art. 1. paulò

*S. Thomas determinationem ſæpe nobis tribuit, non Deo.*

*Libertas diuerſo modo conuenit Deo & nobis.*

paulò



paulò poſt principium corporis, docens, quòd, *Iouiniani, & Manichæi penitus liberum arbitrium deſtruant*, hanc à priori optimam rationem aſſignat, *Non enim eſſet homo liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret, vt ex proprio iudicio eligeret hoc aut illud, vt ſupra dictum eſt.* Si ad liberum arbitrium pertinet ſe determinare ex proprio iudicio liberè eligente; ergo huiuſmodi determinatio non habetur ex cauſa prima extrinſeca independenter à proprio iudicio, & libera electione humani arbitrij. Si enim prima cauſa, prius, ſaltem natura, prædeterminaret noſtram voluntatem, hæc non poſſet agendo ſe determinare, & conſequenter, agere liberè: quia agere, ſe determinando, ſeu determinare ſe per actionem, præſupponit immediatè ante actionem, eſſe rem indeterminatam, quæ per illam actionem applicetur ad vnum illorum, ad quæ eſt indifferens; & ſic tranſeat; ſeu mutetur, ex indifferentia, ſeu indeterminatione, ad determinationem. Hoc autem patet fieri non poſſe à voluntate agente, ſi immediatè ante actionem præſupponatur prædeterminata ad vnum; tunc enim non ex indeterminatione applicaretur, & moueretur ad vnum determinatum, ſed potius ex præuia determinatione ad vnum determinatum ageret id, ad quod, non à ſe, ſed ab alio eſt prædeterminata: ſicut, v.g. potentia viſiua, indifferens ex ſe ad videndum album, & nigrum, quia ante viſionem debet per ſpeciem prædeterminari ad videndum album, vel nigrum, non dicitur determinare ſe, ad videndum; & propterea non eſt facultas formaliter libera ad videndum album, vel nigrum. Igitur Nauarrete, cæteríque prædeterminatores noſtræ liberæ voluntatis ad vnum, non poſſunt cum veritate aſſerere, id, quod nemo eſt qui non aſſerat, voluntatem noſtram, cùm liberè agit, determinare ſe ad agendum; ſicut ignis, v.g. aut quæuis alia cauſa neceſſaria, non ſe determinat ad calefaciendum, aut ad aliam ſimilem operationem neceſſariam, quia illa actio intelligitur prodire à principio iam antecedenter prædeterminato ad agendum vnum determinatum, & non aliud. Demum in 1.2. quæſt. 80. art. 1. ad 3. *Deus,* inquit, *eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana; & à diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis.* Apertè diſtinguit cauſare à determinare. Deus, inquit, cauſat motum malum, ſed voluntas ad illum ſe directè determinat. Quòd ſi hæc determinatio ad actum malum ſoli voluntati tribuitur, ex eo quòd ille actus liberè fiat; ergo idem ſentiendum vniuerſaliter de reliquis omnibus liberis actibus.

*Voluntatem ab alio determinatam, non poſſe ſe determinare.*

158\. Plura addere facilè poſſem ad oſtendendum, voluntatem liberam, cùm liberè agit, à nullo alio, quàm à ſe ipſa, & innata ſua libertate determinari, ſed prætermitto, quia ad hunc locum directè non ſpectant. Hæc autem viſa ſunt neceſſaria, tum quia non ſunt aliena à præſenti controuerſia, vbi huius determinationis frequenter mentio fit, vt patet ex dictis, & fiet etiam infra in materia de præſcientia conditionata, & de prædeſtinatione: tum quia hoc loco nobis obiiciuntur ab aduerſariis: tum præcipuè, vt omnes planè intelligant, obiectionem Nauarrete ſup. n. 155. quam ipſe vocat, *demonſtrationem*, non eſſe contra chimericam, & fictitiam opinionem Molinæ, vt ipſe immeritò dixit, ſed contra expreſſam, & indubitatam doctrinam Sanctorum, Auguſtini, & Thomæ. In ea igitur præſtantiſſima demonſtratione, latent tres graues fallaciæ. Prima eſt, quia ſupponit, nullum creatum influxum poſſe ſubordinari generali primæ cauſæ concurſui, niſi prædeterminanti: de cuius opinionis falſitate, præſertim in cauſis liberis, quantum ad præſens inſtitutum conducebat, ſufficienter dictum eſt in hac dubitatione 11. & antea in 9. Secunda eſt, quia ſupponit, liberum arbitrium, poſt prædeterminationem factam à ſola prima cauſa, poſſe liberè ſe determinare ad eandem determinatam actionem, ad quam iam præſupponitur antecedenter, & ſufficientiſſimè, & efficaciſſimè prædeterminatum vi ſolius primæ cauſæ. Quod extremo numero præcedente impugnatum eſt; & ex terminis ipſis, ſi attentè, & prudenter conſiderentur, conſtat eſſe falſum. Quis enim, quæſo, conceperit, agens ex determinato ad faciendum A, tendere vt determinetur, ſeu, quod idem prorſus eſt, determinare ſe, ad faciendum A? Sicut à contrario in paſſiuis, materiam primam per præuiam diſpoſitionem caloris vt octo paſſiuè prædeterminatam ad recipiendam formam ignis, ipſa receptione formæ ignis determinari paſſiuè ad eandem ignis formam recipiendam?

*Determinare ſe, pugnat cũ prædeterminari ab alio.*

## *Quid ſit, cauſam liberam ſe determinare.*

159\. Tertius, & præcipuus error, quamuis tolerabilior, quia eſt de re obſcuriore, ac difficiliore, eſt, quia putat, determinationem, de qua loquimur, nihil eſſe aliud, niſi ipſummet realem voluntatis creatæ influxum, & actum præcisè; hinc enim maximè arguitur ad probandum, eſſe neceſſariam, non ſolùm cooperationem primæ cauſæ, verùm etiam prædeterminationem. Nos verò contendimus cum Sanctis citatis, & reliquis omnibus Theologis, præter paucos huius temporis, determinationem, *quatenus formaliter determinationem*, eſſe à ſola cauſa ſecunda libera, ſiue potius per reſpectum ad ſolam cauſam ſecundam liberam; ſed haud facile eſt explicare, quid ſit illud, quo determinatio conſtituitur in ſuo formali eſſe determinationis. Neque enim videtur eſſe poſitiuum rationis, quia cauſa libera realiter operans, realiter ſe determinat: non aliquid negatiuum, quia hæc determinatio eſt in actu ſecundo per poſitiuum influxum cauſæ: ergo non remanet aliud, quod eſſe poſſit, niſi aliquid poſitiuum reale; ergo ad illud concurrit cauſa prima per generalem influxum.

*Determinatio, & influxus diſtinguuntur.*

160\. Ad hoc breuiter dicendum mihi videtur, in formali, & completo conceptu determinationis includi duo. Primum, ipſum poſitiuum, & realem influxum, qui idem prorſus eſt à voluntate creata libera, vt cauſa ſecunda, & à Deo, vt à cauſa prima. Et ratione huius, determinatio non ſolùm pendet ſimpliciter à Deo, ſed etiam multò magis à Deo, quàm à creatura, quia ita pendet à creatura, vt creatura etiam pendeat à Deo in ipſa quoque influendi ratione, & non ſolùm in creatione, & conſeruatione ipſius cauſæ, & virtutis cauſatiuæ: niſi enim iſtum influxum operaretur Deus, non poſſet ſimpliciter operari illum creatura: à Deo autem ita pendet, vt tamen Deus non pendeat à creatura, ne in ipſa quidem influendi ratione, in quantum Deus poteſt ſimpliciter agere, & operari ſe ſolo abſque vlla creatura. Et de hoc primo conceptu vera eſt ipſa cauſalis, ideò agit ſimpliciter voluntas vt cauſa ſecunda, quia agit Deus vt cauſa prima; non contra: cùm voluntas, ſicut quæcumque alia cauſa ſecunda, agat dependenter à prima, non contra. Atque hæc omnia locum

*Determinatio eſſentialiter importat primò realem influxum.*

*Determinatio, ratione influxus, magis pendet à Deo, quàm à creatura.*

locum

locum habent in quocumque creato influxu, ſiue neceſſario, ſiue libero; quia tam cauſæ neceſſariæ, quàm cauſæ liberæ, producunt effectum determinatum; ergo, ratione huius præcisè, non minus dependenter à cauſa prima, agunt cauſæ liberę, quàm cauſæ neceſſariæ.

161. *Importat ſecundò connotationem cauſæ liberæ.*

Secundò, includitur extrinſeca connotatio cauſæ liberæ, hoc eſt, cauſæ habentis quandam potentiam perfectè completam in actu primo ad duo oppoſita, ſed in ſe indeterminatam, & indifferentem ad vtrumque, itavt habeat intrinſecam, & ſufficientem vim, abſque vllo prædeterminante, mouendi, & applicandi ſe ad vtrumlibet. Ex hac enim connotatione habetur, vt ille idem realis influxus, de quo ſupra, qui eſt aliquid in ſe ipſo determinatum, denominetur etiam *determinatio*, in quantum ſcilicet, eſt à cauſa indeterminata, quæ cùm æquè poſſet illum facere, vel facere alium, vel nihil facere, facit tamen hunc. Quod non habet influxus cauſæ neceſſariæ, qui, quamuis ſit etiam in ſe quid determinatum, tamen ex extrinſeca connotatione ſuæ cauſæ non denominari poteſt *determinatio*, quia non connotat cauſam indeterminatam ad plura, ſed determinatam ad vnum.

*Adæquatus conceptus determinationis.*

Igitur hos duos conceptus in vnum totalem colligendo, determinatio voluntatis nihil eſt aliud, niſi ipſemet actualis influxus ſiue actus, non ſimpliciter, & præcisè, ſed connotando ſuam cauſam perfectè, & completè potentem facere aliud oppoſitum eadem prorſus potentia, qua facit hoc, & *tamen non facientem*; ac proinde ſe ipſa, & nulla alia ratione niſi quia eſt in ſe indeterminata, & indifferens, hoc eſt, libera, ex pluribus oppoſitis ab ipſa poſſibilibus eligentem, & quaſi ſegregantem hoc vnum determinatum, & omittentem alia: ex hoc enim habet ille actus, ſiue influxus, vt dicatur, *determinatio*, hoc eſt, vnum ex pluribus acceptum, ac determinatum, & veluti ſignatum.

*Quid ſit, voluntatem ſe determinare.*

Item, voluntatem ſe determinare, eſt, agere hoc in ſeipſo determinatum, non ſimpliciter, ac præcisè, quia omnis cauſa, etiam neceſſaria, agit id, quod in ſeipſo determinatum eſt, & tamen ſola voluntas libera, & nulla alia cauſa, dicitur ſe determinare; ſed prætεrea determinatum ex ſe, ſeu vi libertatis ſuæ, qua abſolutè potens facere aliud, nihilominus facit hoc, *& non aliud*; cuius determinationis ratio alia eſſe nequit, niſi libertas, & indeterminatio cauſæ. Et hos duos conceptus, breuiter, ſed clarè tradit Suarez opuſculo de ſcientia Dei, libr. 1. c. 8. num. 12. his verbis, *Determinatio in humana voluntate, nihil eſt aliud, quàm ipſamet actio per quam elicit conſenſum liberum, quatenus ab ipſa eſt.* Suarez.

162. *Reſpondetur ad ſextam obiectionem, influxum liberum confundi cum neceſſario.*

Hinc reſpondeo in forma ad obiectionem factam ſupra num. 155. Antecedens illud, *Liberum arbitrium operatur determinationem, tanquam cauſa ſecunda per influxum*, eſſe diminutum, & valde imperfectum: nam cùm noſtra controuerſia ſit de cauſa libera, eam ita explicat, ac ſi eſſet cauſa neceſſaria: enimverò de igne, v. g. ſimiliter dicimus, ignis operatur calefactionem, tanquam cauſa ſecunda per influxum: ergo, pro noſtra libertate explicanda, ac tuenda, addi debet, liberum arbitrium operatur determinationem, tanquam cauſa ſecunda per influxum promanantem à potentia habente vim intrinſecam completam fundendi, vel alium influxum, vel etiam nullum: hoc enim certò putamus eſſe liberum arbitrium, quod, vt patet, ſtare nequit cum prædeterminatione ad vnum.

*Quid ſit, influere liberè.*

Antecedente ita conſtituto, manifeſta eſt prauitas conſequentiæ: imò ſi liberum arbitrium non relinqueretur à Deo in ſua indifferentia, ſed prædeterminaretur ad vnum, non poſſet poſtea intelligi, liberum arbitrium ſe determinare ad vtrumlibet, quod eſt, liberè agere, præſertim, quia non ſolùm ſe determinat ad agere, ſed etiam ad non agere. *Nam*, vt optimè diſcurrit Mayronus, 1. d. 38. quæſt. 1. part. 2. circa initium in 3. ratione, *voluntas noſtra eſt contingens, non ſolùm reſpectu contrariorum, ſcilicet velle, & nolle, ſed reſpectu contradictoriorum, habet velle, & non velle; ſcilicet in ſuſpenſione actus: ſed in tali ſuſpenſione voluntas diuina nihil poteſt agere*; & tamen ad hanc ſuſpenſionem etiam voluntas ſe liberè determinat: ergo libera determinatio eſt à ſola voluntate liberè agente. *Ex Mayrono, repugnat nos à Deo prædeterminari ad liberè non agere.* Ad probationem conſequentiæ, reſpondeo, eam peccare dupliciter; primò, quia concurſum cauſæ primæ cum cauſis ſecundis liberis explicat per phyſicam prædeterminationem, libertati operum nimis contradicentem. Secundò, quia, ſicut in primo antecedente, determinationem, qua cauſa libera ſe determinat ad agendum, non explicat niſi per influxum præcisè.

163. *Quomodo determinatio non ſit à Deo.*

In determinatione igitur quicquid reale eſt, ſubordinatur primæ cauſæ, vt ſupra num. 160. à ſola autem cauſa ſecunda libera, & non à Deo, eſt *connotatio* cauſæ ſecundæ liberæ, qua compleri diximus formalem conceptum determinationis; ex eo enim quòd hic effectus connotet cauſam ſecundam liberam, ſiue ex eo, quòd huius effectus cauſa ſit libera, hoc eſt, per ſeipſam, ex ſola vi intrinſeca libertatis ſuæ, potens mouere, & applicare ſe ad vtrumlibet ex duobus oppoſitis, oritur vt ipſa cauſa ſecunda libera, & non cauſa prima, quæ cum cauſis ſecundis concurrit iuxta naturalem, ac præſuppoſitam exigentiam earum, ſit ratio vt fiat hoc, *& non fiat aliud oppoſitum*, aut nihil fiat. Ex quo vltimo determinationis conceptu, quem tribuimus ſoli cauſæ ſecundæ, non habetur in effectu aliquid poſitiuum reale, ſed duntaxat quid *negatiuum* in re; nempe, *negatio alterius oppoſiti*, ad quod faciendum ita eſt completa, & expedita cauſa libera liberè operans, ſicut ad faciendum id, quod facit. *In effectu libero quædam negatio eſt à ſola creatura.* Nullum autem eſt abſurdum in rebus dari aliquam negationem dependenter ſolùm à creatura nolente liberè agere hoc; & non à Deo, ſimpliciter parato agere hoc. Ex qua negatione haberi poteſt ſufficiens ratio, cur Deus non ſit cauſa peccati, vt ſupra num. 130. tetigi ex Scoto, & fusè probaui in proprio loco. Quamuis igitur idem omninò influxus, quoad omnem ſuam realitatem, ſit à cauſa prima, & à cauſa ſecunda; tamen, quia hæ cauſæ ſunt in ſe realiter diſtinctiſſimæ, poteſt eadem actio habere aliquam extrinſecam denominationem, ſeu negationem, per ordinem ad vnam cauſam, & non per ordinem ad aliam; v. g. eadem actio creata, provt eſt à Deo, eſt prior natura, eſt independens, eſt influxus generalis; provt eſt à creatura, eſt poſterior natura, eſt dependens, eſt influxus particularis; quia primam denominationem habet per habitudinem ad primam cauſam vniuerſalem, & independentem; ſecundam verò per habitudinem ad cauſam ſecundam dependentem, & particularem. *Declaratur quomodo idē influxus, ſit determinatio reſpectu cauſæ ſecundæ, non primæ.* Ita pariter idem influxus, v. g. conſenſus, provt eſt à cauſa ſecunda libera, & non à Deo, denominatur *determinatio*, quia cauſa ſecunda libera, & non Deus, eſt ratio ob quam fiat potius conſenſus, quàm diſſenſus, aut nulla ſimpliciter fiat operatio. Vnde rectè docet Molina hîc, d. 17. ad 1. futura contingentia habere à libero arbitrio, *vt ſint potius hæc, quàm illa.* quia Deus, quantum eſt ex parte ſua, paratus eſt facere diſſenſum, & illum faceret, ſi voluntas Molina.



voluntas ſicut facit conſenſum, ita faceret diſſenſum.

164. *Idem declaratur ex cauſa neceſſaria.*

Quod à contrario declarari vlterius poteſt exemplo cauſæ ſecundæ neceſſariæ, hæc enim, & non Deus, eſt ratio prima, & præſuppoſita, ob quam influxus creatus, ſit neceſſarius; ex eo enim quòd Deus concurrit cum cauſa ſecunda neceſſaria, præbet concurſum neceſſarium, præbiturus liberum concurſum, ſi concurreret cum cauſa ſecunda libera: eſt etiam eodem modo ratio, ob quam influxus creatus ſit huius ſpeciei non alterius; verbi gratia, Deus quantum eſt ex ſe, æquè potens eſt influere calefaciendo, & frigefaciendo: ergo ratio cur concurrens cum igne, influat calefaciendo, non frigefaciendo; & cur contra, concurrens cum niue, concurrat frigefaciendo, non calefaciendo, eſſe non poteſt Deus, ſed vel ignis, vel nix. Similiter in caſu noſtro, ratio cur Deus cum voluntate creata liberè conſentiente, concurrat ad conſenſum, non ad diſſenſum, non eſt ipſemet Deus, æquè paratus ex ſe ad diſſenſum concurrere cum eadem voluntate; ſed eſt ſola voluntas, quæ completè potens vel conſentire, vel diſſentire, vel nullum elicere actum, ipſa nullam aliam ob cauſam, niſi, quia libera intrinſecè eſt, applicat ſe ad conſenſum; quam applicationem, ſeu determinationem facere intelligenda eſt, non aliquo præuio, ſed ſolùn ipſo actu, ſiue influxu conſentiendi, elicito à potentia faciendi oppoſitum, & ſolùm non faciente, quia non vult.

165. *Prædictus determinationis conceptus traditur ab Ariminenſi.*

Hanc determinationis explicationem de qua rurſum dicturi ſumus dub. 17. punct. 4. num. 351. eodem ferè modo tradit Ariminenſis, quem refert Capreolus 2. d. 37. quæſt. 1. art. 3. ad 2. Aureoli principale contra ſecundam concluſionem, *Deus*, inquit Ariminenſis, *ſequitur determinationem voluntatis: non quòd determinatio voluntatis ſit aliqua entitas diſtincta à voluntate, & actu eius, quæ primò fiat à voluntate; nec quòd prius natura voluntas agat actum illum, quàm Deus propriè loquendo de priori natura; quoniam tunc ſequitur, quòd poſſet illum actum agere, Deo non coagente, ſicut patet ex definitione prioris ſecundùm naturam. Sed ad hunc ſenſum dico, Deum ſequi determinationem voluntatis creatæ, quoniam ideo Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non, ideò, quia Deus agit illum, voluntas agit illum. Et ideo magis propriè dicitur, Deus coagere voluntati in cauſando talem actum, quàm voluntas dicatur coagere Deo.*

*Non aduerſari Capreolum.*

Quam doctrinam non improbat Capreolus, licèt addat aliam reſponſionem ad argumentum Aureoli, quam vocat meliorem, in qua cùm dicit quòd, *Motio Dei determinat voluntatem creatam ad illud, quod eſt ſecundùm ſe bonum ex natura ſua, licèt ſit malum quoad deformitatem, quam habet relatum ad cauſam ſecundam*: non loquitur de motione, ac determinatione antecedente omnem influxum creaturæ, quo prædeterminetur creatura ad materiale peccati, hinc enim euidenter ſequeretur, vel Deum ſolum, vel multò magis Deum, quàm creaturam eſſe cauſam deformitatis, quod negat Capreolus; ſed loquitur de motione concomitante, quæ eſt ipſemet creaturæ influxus, quem cauſare etiam debet prima cauſa, non propter dependentiam ſuam à cauſa ſecunda, ſed propter dependentiam cauſæ ſecundæ ab illa; & propter hanc ſolam extrinſecam connotationem, ſiue habitudinem ad cauſam primam, ille idem influxus à Capreolo ibidem appellatur, *motio prior*, qua Deus prius mouet cauſam ſecundam, ac proinde eam quodammodo determinat, quatenus ſcilicet, cauſa ſecunda non poteſt agere, niſi ipſamet actio ſua dependeat à Deo concauſante, & niſi præſupponatur ab æterno voluntas Dei efficax concurrendi modo accommodato cauſæ ſecundæ.

166. *Quomodo vſurpandæ ſint cauſales propoſitiones in hac materia.*

Ariminenſis igitur per cauſalem illam particulam, *ideò*, vult ponere ſolum prioritatem, non ſtrictam, cauſæ in rigore acceptæ, ſed largam, rationis ſimpliciter præſuppoſitæ, nimirum motiuæ, ſeu determinatiuæ ex parte creaturæ reſpectu Dei, in quantum propter illam liberam voluntatis determinationem, & applicationem ab æterno præuiſam, vt futuram in tali differentia temporis, mouetur, & determinatur Deus ad hunc determinatum concurſum, non ad alium. Qua in re, diſtingui acutè debent duæ cauſales; vt diuino concurſui, & creatæ libertati, tribuamus quod proprium vniuſcuiuſque eſt. Prima, ideò voluntas facit hoc, quia Deus facit hoc; loquendo de hoc ſimpliciter, & præcisè. Quæ cauſalis eſt vera, & communis omnibus cauſis tam liberis, quàm neceſſariis, vt notaui ſupra num. 160. Secunda, ideò voluntas agit hoc, & non aliud, quia Deus agit hoc, & non aliud. Et hæc eſt falſa, & deſtructiua libertatis, quia ſenſus eſſet, voluntatem non ſe determinare ad vtrumlibet, ſed determinari à Deo ad vnum. Vera igitur eſt hæc alia contraria cauſalis: ideò Deus agit hanc partem, non aliam oppoſitam, quia voluntas libera, ſiue indifferens, & completa in actu primo ad vtramque partem efficiendam provt illi libuerit, agit liberè hanc, non aliam. Idem planè ſequutus eſt, & diligentiſſimè explicauit, illuſtriſſimus Bellarminus libr. 4. de gratia, & libero arbitrio c. 15. vbi initio, *Deus*, inquit, *operatur, quia voluntas operatur: non contra.* *Traditur etiam à Bellarmino.* Et hanc determinationis prioritatem acutiſſimè vocat, *Prioritatem inſtantis, non in quo, ſed à quo*; quia ſcilicet, etſi in nullo ſigno concipi poſſit velle liberum eſſe à voluntate creata, & non à Deo, cui, tamquam cauſæ primæ, velle illud, ſecundùm omnem ſuam rationem, eſſentialiter ſubordinatur; tamen quòd illud ſit velle, & non ſit nolle, aut non velle, habetur per ordinem ad voluntatem creatam, & non ad Deum. Idque ad 4. probat illis verbis S. Thomæ 3. contra Gentes cap. 66. num. 5. *Secunda agentia ſunt quaſi particulantes, & determinantes actionem primi agentis.* S. Thomas.

*Retorquetur ſexta obiectio contra Cabreram, & alios aduerſarios.*

Denique obiectio retorqueri poteſt contra aduerſarios, quia Cabrera tomo 3. in 3. partem quæſt. 62. artic. 1. diſput. 12. §. 12. num. 274. concedit Suarez, voluntatem ſe determinare ad actionem peccati, vt eſt quoddam malum, quamuis prædeterminetur ſecundùm ipſum à Deo ad eandem actionem, vt eſt quoddam ens. Nam præterquam quod difficillimum eſt, ne dicam impoſſibile, declarare intelligibiliter, in quo conſiſtant iſtæ duæ diſtinctæ determinationes, & qua ratione eſſe queat prædeterminatio ad actum intrinſecè malum, & non ad malitiam; & è contra, determinatio ad malitiam, & non ad actum à quo eſſentialiter pendet malitia: certè illud, *ſe determinare ad malitiam*, cùm ſit aliquis effectus cauſæ realiter agentis, qui nunc eſt, & antea non erat, eſſe debet aliquid à parte rei, ac proinde ſubiectum eſſentialiter primæ cauſæ; quam realitatem ipſemet clariſſimè explicat in fine num. cit. his verbis, *Voluntas ſeipſam moraliter determinat, inducendo, præcipiendo, & conciliando ſibi actum peccati.* Qua igitur ratione dicit Cabrera, quòd tenentur dicere alij Thomiſtæ, &, ni fallor, omnes Catholici, fatentes libertatem neceſſariam ad peccandum, talem determinationem eſſe à ſolo libero arbitrio peccante, & non à Deo?

Duæ

## *Duæ inſtantiæ contra doctrinam traditam.*

167. Dices primò, nos volumus, ideo determinationem eſſe à ſola voluntate, quia ſola voluntas ita facit hoc, ita vt *non faciat* aliud. Totum autem hoc videtur eſſe etiam à Deo; quia Deus, non minus quàm voluntas facit hoc: qui autem facit hoc, eo ipſo ita facit hoc, vt non faciat aliud oppoſitum, vt ex ſe patet.

*Quid ſit, hoc ita fieri, vt nõ fiat aliud.*

Reſpondetur, illud, *ita*, poſſe accipi, vel primò, vt ſe tenet ex parte effectus, qui cùm non poſſit non eſſe in ſe aliquid determinatum, eſt hoc, & non eſt aliud; & conſequenter, qui facit hoc, debet neceſſariò, neceſſitate orta ex parte effectus, ita facere hoc, vt non faciat aliud; & hoc conuenit etiam Deo. Vel ſecundò, vt ſe tenet ex parte cauſæ, quæ eſt completa, & ſimul indifferens, ſeu libera, ad poſſe facere vel hoc, vel aliud oppoſitum: tamen ex ſua intrinſeca libertate facit hoc, & non facit aliud, & totum hoc conuenit ſoli voluntati, quæ eſt ratio, ob quam Deus etiam, (quia vt prima cauſa cooperatur voluntati) faciat hoc, & non faciat aliud. In hoc igitur inſtanti, in quo voluntas conſentit, non eſt diſſenſus ex duplici capite. Primò, ex eo quòd eſt conſenſus, qui incompoſſibilis eſt cum diſſenſu, quæ negatio fundata in effectu, daretur, etiamſi conſenſus non eſſet liber, ſed neceſſarius. Secundò, ex eo quòd voluntas potens cauſare in hoc inſtanti vel conſenſum, vel diſſenſum, applicat ſe ex mera ſua libertate ad cauſandum conſenſum, *non diſſenſum*. Et hæc ſecunda *negatio* fundata in libertate cauſæ ſecundæ, non prima fundata in determinatione effectus, eſt illa, vnde ſupra, n. 163. arguimus, & declarauimus, determinationem eſſe à voluntate, non à Deo.

168. Dices ſecundò, nos quoque voluimus, determinationem eſſe à ſola voluntate, ex eo quòd voluntas influxu ſuo particulari liberè concurrat: ſed Deus etiam per generalem influxum ſuum liberè concurrit: ergo determinatio eſſe etiam debet à Deo.

*Diuerſa ratione concurrunt liberè cauſa prima, & ſecunda.*

Reſpondetur, cauſam ſecundam liberam, & cauſam primam, non concurrere liberè eadem ratione. Cauſa ſecunda concurrit liberè, tam voluntate libera, quàm modo libero: cauſa verò prima concurrit quidem liberè voluntate ſimpliciter libera concurrendi, non tamen modo libero. Quamuis enim diuina voluntas concurrendi indifferenter cum cauſa libera, ſi ſecundùm ſe conſideretur, ſit ſimpliciter libera, quia poterat ſimpliciter Deus ſe determinare ad nunquam concurrendum, vel ad concurrendum ad vnam tantùm partem: tamen conſiderata, vt principium concurſus generalis ad extra, dici debet neceſſaria, non ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam, ſed ex ſuppoſitione, & quoad modum, hoc eſt, non determinans ſe, nec determinans voluntatem creatam, ſed potius à volũtate determinatus. Enimverò, etſi Deus poſſit de potentia abſoluta facere quodcumque illi placuerit; tamen vt cauſa prima, ſub qua ratione neceſſe eſt vt coagat iuxta connaturalem exigentiam cauſarum ſecundarum, modo concurrendi accommodato naturis, & proprietatibus earum, non poteſt de potentia ordinaria, & ſine miraculo, facere cum voluntate, liberè operante, niſi illam partem, quam voluntas eligit facere. Qua in re habet ſe influxus cauſæ generalis, veluti influxus cognitionis, in opinione dicẽte, cognitionem actiuè influere in actum liberum voluntatis; & veluti influxus habitus voluntatis, in communi opinione dicente, habitum efficienter influere ad eundem actum: quia ſicut hæ cauſæ ad influendum applicantur, & determinantur à voluntate, & ideò ſunt cauſæ neceſſariæ; ita voluntas diuina indifferens, determinatur ad hoc, non ad illud, ex libera determinatione voluntatis creatæ: ergo influxus generalis in actum liberum, procedit à prima cauſa modo neceſſario, non libero. Quo eodem modo procedit in effectus neceſſarios, v.g. cum igne, determinatus Deus à natura ignis, concurrit ad talem actionem ex connaturali exigentia naturæ ignis, & non ad aliam eidem naturæ improportionatam: quamuis ex diuina libertate, & potentia, poſſit ſimpliciter concurrere cum igne ad quamcumque aliam actionem ſimpliciter poſſibilem. Quod non leue ſignum eſt, huiuſmodi cauſæ primæ libertatem, communem tam cauſis liberis, quàm cauſis neceſſariis, nihil poſſe conducere ad explicandam determinationem propriam ſolius cauſæ liberæ.

## *Aliæ obiectiones ex eodem Nauarrete.*

169. Obiicies ſeptimò, quòd Nauarrete ſupra, aliquantò ante finem §. 2. tangit contra Vaſquez, & proponi poteſt efficacius contra omnes, hunc in modum: Deus in tempore, efficaciter, & determinatè concurrit ad totum actum poſitiuum malum, qui eſt materiale peccati, & non concurrit ad contrarium actum bonum: ergo ab æterno habuit efficacem, & determinatam voluntatem taliter concurrendi: ergo, inquit Nauarrete, *Deus cognoſcit infallibiliter malitiam per poſitiuum peccati, quod neceſſariò conſequitur malitia.*

*Septima obiectio de cognitione actus mali.*

Inferre etiam grauius poterat, vt infert Aluarez libr. 2. de Auxiliis, diſp. 10. num. 3. ergo diuina voluntas, quæ ab æterno eſt efficax, & determinata cauſa omnium, quæ deinde efficaciter, & determinatè cauſat in tempore, prædeterminat creatam voluntatem antecedenter, tum duratione æterna, tum cauſalitate, ad poſitionem actus mali, & negationem actus boni. In quod tandem deuenire videtur Zumel tomo 1. variarum diſputationum concl. 1. folio 14. in 2. reſponſione: nam etſi nonnunquam aſſerat, Deum non prædefinire actum peccati, tamen ait, *Deus prius ratione hoc vult, quàm præſciat abſolutè effectum eſſe futurum.*

*Illatio Aluarez.*

*Contradictio Zumel.*

170. Reſpondeo, primam conſequentiam à nonnullis concedi ex eo, quòd poſt decretum explicatum ſupra num. 127. 128. 141. concurrendi indifferenter ad vtramque oppoſitionis partem iuxta determinationem liberam creaturæ, putans eſſe multiplicandum aliud decretum concurrendi ad vnam determinatam partem, & non ad aliam: quia primum decretum eſt indifferens, & conditionatum, vi cuius Deus ad nullam determinatam partem comparatur, ſed vtramque partem oppoſitam æquè reſpicit, nullam excludendo: ſed præter hoc requiritur decretum efficax, & determinatum, vi cuius reſpiciat Deus vnam determinatam partem, & excludat aliam oppoſitam; quod ſecundum decretum, ex ſe conſtat eſſe diſtinctum à primo. Hoc igitur ſecundum decretum eſſe admittendum, probant, quia per externos concurſus, quos Deus per ſuam omnipotentiam re ipſa confert in tempore, nos diſtinguimus internos concurſus, quos ab æterno per ſuam voluntatem paratos habet; ſed in tempore Deus realiter concurrit ad vnam determinatam partem, & non ad aliam. Ergo ab æterno habuit efficax, ac determinatum decretum volendi concurrere ad hanc partem, & volendi concurrere ad aliam. Verùm hic diſcurſus non

*An ad effectus liberos concurrat Deus per decretum abſolutum diſtinctum à conditionato.*

*Affirmant aliqui.*



non videtur neceſſarius, quia totum hoc, vt rectè notat Suarez tom. 1. de gratia, Prolegom. 2. cap. 8. n. 17. & 18. habetur ſufficienter per primum decretum conditonatum, quod poſita conditione, hoc eſt, libera determinatione, quæ ex ſupra probatis, ponitur à ſola creatura, tranſit ipſummet in abſolutum, & determinatum: nam illud eſt verè decretum de concurrendo ad hoc, & non ad illud, ſi voluntas ſe liberè determinauerit ad hoc, & non ad illud: ergo poſita tali determinatione, eodem prorſus decreto Deus vult efficaciter, & determinatè concurrere ad hoc, & non ad illud. Alioqui poſt primum decretum nõ poſſet adhuc præſcire Deus, hoc eſſe liberè futurum, & conſequenter non eſſe futurum aliud: quod eſt abſurdum, quia per immediatam dependentiam à prædicto decreto conditionato voluntas proximè habet perfectam ſuam libertatem, & potentiam completam in actu primo ad oppoſitos effectus; & impoſſibile eſt vt ex potentia taliter conſtituta non ſit futurum vel hoc, & non illud, vel illud, & non hoc: quia ſecundùm omnes, veritas futurorum contingentium ſub diſiunctione eſt determinata, & neceſſaria, alioquin, vt acutè infert Suarez ſupra, & latè probat, hoc ſecundum decretum determinatum, neceſſarium antecedenter ad vnum determinatè faciendum, eſſet decretum prædeterminans, contrarium libertati: ergo illud non ſolùm eſt ſuperfluum, ſed etiam impoſſibile, ſalua libertate. An autem præter hoc decretum abſolutum & determinatum, quod hîc reiicimus, quodque concipitur quaſi conſequens poſt decretum conditionatum, & indeterminatum, ponendum ſit aliud decretum, abſolutum quidem, ſed indeterminatum ad omnes oppoſitionis partes, & quaſi antecedens decretum conditionatum, & dicemus infra dub. 20. n. 498. & diximus ſupra num. 127. & 141.

*Suarez, & alij probabilius negant.*

171. Conecdo igitur primam conſequentiam, ſed ſine multiplicatione alterius decreti. Secunda verò conſequentia Nauarrete eſt imperfecta, & vt iacet, debet negari, licèt poſſit in bono ſenſu cóncedi, ſi illi aliquid addatur. Falſum enim eſt, malitiam ſequi neceſſariò ex actu poſitiuo ſimpliciter, quia tunc illius cauſa eſſet Deus magis, quàm creatura, cùm cauſa poſitiui ſit magis Deus, quàm creatura, ſequitur igitur malitia ex libera determinatione ad illum actum poſitiuum, ac proinde ex actione creaturæ non ex concurſu Dei, quia, ex ſupra probatis, illa determinatio eſt à ſola creatura non à Deo. Neque vnquam Vaſquez, aut alius ex noſtris Theologis, quem ſciam, aſſerit, videri malitiam in poſitiuo ſimpliciter, ac præciſè, poſſet enim idem prorſus poſitiuum eſſe à ſtulto ſine vlla malitia formali, & tunc videndo poſitiuum, non videretur malitia; ſed dici poteſt, videri in illo poſitiuo vt ſubſtat liberæ determinationi voluntatis.

*Malitia non ſequitur ex actu ſimpliciter, ſed ex determinatione ad actum.*

Neganda verò omninò eſt tertia, & vltima conſequentia Aluarez, quia abſoluta illa præfinitio de actu libero, imò de ipſo reali, ac materiali actu peccati, ita eſt abſoluta, vt non ſit antecedens, ſed ſolùm conſequens præcedentem liberam voluntatis determinationem, poſtquam idem decretum conditionatum tranſit in abſolutum, quare non prædeterminat voluntatem, ſed potius ab illa prædeterminatur. Vnde non eſt ſufficiens ex ſe, abſque præuia voluntatis determinatione oſtendere vnam aliquam partem determinatè futuram. Neque vt conſideratur iam abſolutum, & determinatum circa poſitiuum actum malum, & non bonum, repugnat diuinæ pietati, & ſanctitati; quia ad actionem materialem peccati, ita ab æterno abſolutè, determinatè, & efficaciter decernit Deus concurrere, vt id non decernat ex ſe, omninò antecedenter, ſed ſolùm conſequenter poſt liberam applicationem voluntatis creatæ, & ab illa determinatus, & ex parte ſua paratus eodem decreto concurrere ad actum bonum, vel ad nullum actum concurrere, ſi voluntas liberè ſe applicaſſet ad actum bonum, vel ad nullum actum, neque malum, neque bonum.

*Reſpondetur ad illationem Aluarez, actum malũ pẽdere à Dei volũtate abſoluta, non antecedente, ſed conſequẽte.*

172. Obiicies octauò ea, quibus Nauarrete controuerſ. 53. §. 3. propoſitione 1. impugnat Suarez, optimè docentem, dari in Deo de effectu liberè futuro decretum aliquod efficax, non autem prædeterminans. Primò, *quia efficax Dei voluntas tendit in futura bona, tamquam prima cauſa eorum, & tamquam principium omnis efficaciæ, quæ reperta fuerit in cauſa ſecunda, ad productionem eorum: ergo debet abſolutè concedi, quòd, Deum velle alia futura, eſt eſſe principium eorum; atque adeò, quòd eadem voluntas eſt prædefiniens:* apud ipſum autem idem eſt voluntas *prædefiniens*, & voluntas *prædeterminans:* atque hinc vult etiam Deum ſuo decreto prædefinire peccata.

*Octaua obiectio Nauarrete contra Suarez.*

Reſpondeo, cùm de productione liberorum effectuum agitur, perperam refundi totam producendi virtutem in primam cauſam, & nihil omninò proferre de cauſa ſecunda libera, vt notaui etiam ſupra, num. 147. contra Zumel. Concedo igitur in antecedente, diuinam voluntatem eſſe primam cauſam futurorum contingentium; ſed cùm additur, *eſſe principium omnis efficaciæ cauſæ ſecundæ*, ſi per efficaciam ſignificatur prædeterminatio, petitur principium; ſi efficientia, & actualis influxus, cuius immediatum principium ſit ſola cauſa prima, & non cauſa ſecunda, dici non poteſt à Catholico. Si demum ipſa virtus effectiua, quæ formaliter eſt in cauſa ſecunda libera, bene habet. Sed tunc negatur conſequentia de voluntate prædeterminante: nam virtus cauſæ liberæ, eſſe eſſentialiter debet indeterminata, ad hoc vt operetur liberè, & ad vtrumlibet.

*Reſpondetur, declarando, quo modo volũtas Dei ſit principium omnis efficaciæ cauſæ ſecundæ.*

Secundò, *Voluntas Dei efficax comparatur ad rem futuram, vt prima cauſa, & primò influens in eamdem*, ergo vt prædeterminans.

Reſpondetur, nullam eſſe conſequentiam; neque enim illa voluntas eſt primò influens, ex eo quòd, ante actionem cauſæ liberæ influat præuiam aliquam motionem, aut qualitatem phyſicè prædeterminantem; ſed ſolùm ex eo quod influat vt prima, ac ſuperior cauſa, à qua reliquæ omnes cauſæ eſſentialiter pendent in eſſe, & in operari.

*In quo ſenſu voluntas Dei dicatur, primò influens.*

Tertiò, per voluntatem efficacem Deus non ſolùm vult, effectum eſſe ſimpliciter, ſed etiam eſſe liberè à ſua cauſa: *ſed Deum velle aliquid eſſe, eſt, Deum cauſare illud: ergo talis voluntas eſt prædefiniens*, ſeu prædeterminans, *tam actum, quàm principium producens ipſum.*

Reſpondetur, concedi poſſe maiorem in noſtra ſententia admittente voluntatem Dei efficacem poſt præſcientiam conditionatam, non autem in contraria opinione, vt ſupra num. 139. & 140. Minorem quoque concedo iuxta verum ſenſum maioris, hoc eſt, Deum cauſare quidem vt ego liberè operer, tamen hoc non cauſare, prædeterminando voluntatem meam ad vnum, ſed contra potius, offerendo indifferenter plures concurſus ad plura oppoſita, vt voluntas creata pro ſua innata libertate determinare ſe poſſit ad vtrumlibet.

*Quo modo volũtas Dei cauſet effectum liberũ.*

Quartò, pugnant inter ſe voluntas efficax, & non prædeterminatiua cauſæ liberæ. Si efficax, ergo effectus efficaciter ſequitur, & cauſa ſecunda efficaciter mouetur: ergo prædeterminatur; alioquin eſt impoſſibile quòd voluntas diuina efficaciter feratur in illud, quod non eſt executioni mandandum ex vi ipſius, ſed eſt neceſſarium expectare concurſum cauſæ, quæ poteſt illud exequi, & non exequi. Neque enim Deus reſpicere efficaciter poteſt effectum, quem voluntas creata, quæ eſt principium talis effectus, reſpiciat inefficaciter.

*Dari in Deo decretum efficax, ſed non prædeterminans.*

Reſpondetur, nego illam pugnantiam. Ad probationem, nego ſecundam conſequentiam, & ad impoſſibile quod infertur ex negatione ſecundæ conſequentiæ, dico, illud verè eſſe impoſſibile, tamen ſecundùm nos, impoſſibilitate conſequente vſum liberum à Deo ſub conditione præuiſum; quæ cum noſtra libertate, & ſumma diuinæ voluntatis efficacia mirificè concordat: ſed, ſecundùm aduerſarios, impoſſibilitate omninò antecedente omnem vſum liberum, quæ euidenter pugnare videtur cum libertate, poſtulante eſſentialiter poſſibilitatem perfectè, & proximè completam ad vtrumlibet, vt ſupra num.127. & 140. & 143.& 144. & 161. Ad id, quod ſimul additur, de neceſſitate expectandi concurſum noſtrum, ad hoc vt voluntas diuina poſſit illum efficaciter velle, dictum eſt ſupra num. 149. Nam cùm voluntas ſit cauſa efficax, vnde concurſus noſter habet eſſe abſolutè futurum, non illa hunc, ſed potius hic illam expectat. Et prærequirere ſcientiam conditionatam de eo quod eſſet futurum liberè ex voluntate creata, his vel illis mediis præmoneretur, non eſt expectare concurſum prædefiniendum, qui non eſt prædefiniendus ſub ſtatu conditionato, ſub qua ratione præſupponitur; ſed ſub ſtatu abſoluto, ſub qua ratione efficitur, non præſupponitur; ſed ſolùm eſt præhabere in intellectu ſuo modum, neceſſariò prærequiſitum ad hoc vt voluntas ſapienter decernere poſſit effectum futurum efficaciter ſimul, & liberè. Demum ad id, quod habetur in vltima parte obiectionis, dico, effectum liberum à Deo efficaciter volitum reſpici etiam efficaciter à voluntate creata, quæ ſecundùm ſe ſpectata poteſt non concurrere; ſpectata verò vt ſubſtat decreto diuino efficaci de concurrendo, non poteſt non concurrere, impoſſibilitate conſequente vt ſupra.

*Voluntas Dei non expectat concurſũ noſtrum.*

*Quod Deus efficaciter vult, voluntas efficaciter exequitur.*

173. Deinde ait Nauarrete in propoſitione 2. fin. Facilè ſolui argumentum, quo Suarez probat, Deum non poſſe infallibiliter cognoſcere futurum peccatum in ſuo decreto permiſſiuo, quo ſtatuit negare auxilium efficax ad vitandum peccatum. Quia, inquit Nauarrete, *auxilium efficax non inducit neceſſitatem, licèt prædeterminet voluntatem: ergo ex decreto denegandi tale auxilium, non cognoſcit Deus, quòd voluntas neceſſitetur ad non operandum, ſed quod culpa ſua deficiat.*

Reſpondetur, non poſſe dici facilem ſolutionem, in qua inuoluuntur multa falſa, & non cohærentia. Primò repugnant hæc duo non eſſe neceſſitatum ad operandum bonum, & ſimul eſſe prædeterminatum ad operandum bonum. Etenim, vt nunc reliqua omittam, ex S.Thoma 3.p.q.18.art.4. ad 3. Quia voluntas Chriſti eſt determinata ad bonum, non eſt in Chriſto liberum arbitrium ad malum: quoniam verò, *non eſt determinata ad hoc vel ad illud bonum, ideò pertinet ad Chriſtum eligere per liberum arbitrium.* Ergo non poteſt tenere Thomiſta, cum prædeterminatione ad operandum bonum, ſtare liberum arbitrium ad operandum bonum, & malum. Secundò, ſi auxilium efficax non inducit neceſſitatem ad bonum, vt conceditur, ergo voluntas vt formaliter informata tali auxilio, & in ſenſu compoſito cum illo, eſt in actu primo completè præſens, & proximè expedita ad malum oppoſitum: ergo eſt antecedenter indifferens ad vtrumlibet, hoc eſt, bonum vel malum; non prædeterminata ad vnum, hoc eſt, ad bonum tantùm. Et ſi talis potentia ad malum, poneretur in actu, nullum ſequi deberet impoſſibile; & tamen ſequeretur maximum impoſſibile, ſcilicet, non impleri voluntatem Dei efficacem, imò impleri totum oppoſitum. Tertiò ſi remoto auxilio efficaci, voluntas non neceſſitatur ad peccandum, ſed culpa ſua peccat, vt rectè dicitur: ergo voluntas ſine auxilio efficaci ad non peccandum, eſt completè potens, & proximè expedita ad non peccandum; & conſequenter nulla re caret neceſſaria ad non peccandum. Conſequentia eſt tam euidẽs, quàm euidens eſt definitio libertatis, etiam ſecundùm aduerſarios, vt ſupra num. 110. Inde verò ſequuntur duo abſurda, alterum ſimpliciter, nimirum, non poſſe Deum præcisè in ſuo decreto permiſſiuo ſubtrahente auxilium efficax, videre peccatum futurum infallibiliter, ſaltem tanta infallibilitate, quanta neceſſaria eſt ad certitudinem diuinæ ſcientiæ, quæ ſine dubio ſtare non poteſt cum completa, & proxima potentia, expedita ad peccatum non futurum, ac proinde cum periculo falſitatis, & incertitudine illius ſcientiæ. Alterum ad hominem, quia idem Nauarrete in alio loco, cuius verba retuli ſupra numero 144. ait, ſine auxilio efficaci prædeterminante, *eſſe impoſſibile implere mandata*, ergo non implere non eſt peccatum, quia, vt ſentit totum genus humanum, ad impoſſibile nemo tenetur. Ait etiam ibidem, *Vt homo poſſit continere ſe à peccato, eſt omninò neceſſaria talis determinatio:* ergo qui caret tali auxilio prædeterminante ad non peccandum, caret re omninò neceſſaria ad poſſe non peccare. Quis autem concipiat, libertate, & culpa ſua peccare eum, qui abſque vlla libertate, & culpa ſua, non habet aliquid neceſſariò prærequiſitum ad poſſe non peccare? Ex quibus ſatis apertè conſtat, Suarez argumentum probans, non poſſe infallibiliter ſciri peccatum futurum, videndo ſolam negationem auxilij efficacis, aut decretum talis negationis, non eſſe intelligibiliter ſolubile, ſi attentè vis illius penetretur.

*Ex S.Thoma prædeterminatio ad bonum, tollit libertatem ad bonum.*

*Pro Suarez contra Nauarrete defenditur, in negatione auxilij efficacis videri non poſſe peccatum.*

Obiicies nonò ex eodem ibidem in propoſitione tertia probando, præfinitionem diuinam ſolam, eſſe rationem ſufficientem cognoſcendi infallibiliter effectus liberos futuros; quia ante præfinitionem, nihil eſt, in quo infallibiliter contineatur illud futurum. 174.

*Nona obiectio Nauarrete.*

Reſpondetur, hanc continentiam non eſſe neceſſariam, imo eſſe impoſſibilem; quia neceſſe eſſet, hoc infallibiliter continens eſſe aliquid antecedenter prædeterminans cauſam liberam, ac proinde libertatem impediens. Ad ſcientiam igitur infallibilem ſatis eſt, vt effectus futurus, ſit in ſe ipſo aliquid determinatum, vt ex S. Thoma hic non ſemel & ſuperius, & inferius notatur.

*Reſpondetur ex dictis.*

Confirmatur primò. Quicquid in Deo antecedit liberam voluntatem, eſt neceſſarium: ergo non poteſt eſſe ratio cognoſcendi futurum liberè.

Reſpondetur, nego antecedens, quia præſcientia contingentium, conditionatè futurorum, quæ, vt infra oſtendam, antecedit omnem liberum

decretum



*Qua ratione ſcientia conditionata ſit libera.*

decretum, in actu poſitum, eſt ſcientia libera, in quantum ita terminatur ad vnam partem, vt eadem terminari potuiſſet ad aliam partem oppoſitam, ſi ad illam conditionaliter determinaſſet ſe cauſa libera.

*Qua ratione ſcientia conditionata ſit libera.*

Confirmat ſecundò. Futurum contingens abſolutum cognoſcitur practicè: ergo dependenter à libera Dei voluntate, ergo independenter ab alia re antecedente.

Reſpondetur, negatur ſimpliciter vltima conſequentia, quia abſolutè, & liberè futurum, non poteſt eſſe effectus voluntatis diuinæ efficacis, niſi præſuppoſita in intellectu diuino ſcientia eiuſdem futuri ſub conditione, vt ſupra num. 139. quod etiam dici poteſt præſciri practicè, hoc eſt, dependenter à libera Dei voluntate, non abſolutè exiſtente, ſed exiſtente ſub conditione: nam inter alias conditiones, ſub quibus præſcientia Dei conditionata terminatur ad effectus conditionatè futuros, vna eſt, eáque præcipua, libera Dei voluntas.

*Futurũ ſub conditione præſciri practicè.*

Confirmat tertiò. *Quicquid antecedit voluntatem diuinam, habet ſe indifferenter ad eſſe vel non eſſe futuri contingentis:* Ergo non poteſt neceſſariò prærequiri, ad cognoſcendum eſſe vel non eſſe illius determinatè.

Reſpondetur, negandum ſimpliciter eſt antecedens, quamuis enim præſcientia conditionata antecedens voluntatem, ſit indifferens ad eſſe vel non eſſe futuri abſolutè, tamen non eſt indifferens ad eſſe vel non eſſe futuri ſub conditione. Etenim ſicut ante actualem, ac liberam Dei voluntatem, futurum ſub conditione, eſt determinatè futurum, non quidem determinatione exiſtente in cauſa, ſed in ſe ipſo ſecundùm eſſe ſuum actuale, ita etiam præcognoſcitur à ſcientia conditionata.

*Obiectum ſcientiæ conditionatæ eſt determinatũ ante actualẽ Dei volũtatem.*

## *Soluuntur argumenta Aluarez.*

175. Obiicies decimò ex Aluarez lib. 2. de Auxiliis diſputat. 10. numero 4. multa loca S. Thomæ, quibus intendit probare, quòd, *Deus in decreto abſoluto, & efficaci ſuæ voluntatis prædeterminantis in particulari omnia futura, etiam libera, cognoſcit illa certò, & infallibiliter, & ſufficienter.* Sed proponit primò verba ex lib.1. contra Gentes cap.66. poſt ſextam rationem; quæ repetit lib.1. Reſponſionum cap. 5. num. 11. in quibus nihil ad rem, quia ne verbum quidem de Dei voluntate abſoluta, & prædeterminante, quam authoritate S.Thomæ ſuadendam ſuſceperat. Ibi igitur S. Thomas docet, res actuales cognoſci à Deo, *Secundùm quòd ſunt in potentia ſua, & in proprijs cauſis, & in ſeipſis.* Per potentiam non intelligit voluntatem actualiter liberam, de qua diſputamus, ſed illam in qua immediatè antea dixerat, cognoſci res poſſibiles; cùm enim res actuales, ſint eſſentialiter, etiam res poſſibiles, non poſſunt perfectè cognoſci, niſi cognoſcantur etiam in omnipotentia Dei, à quibus pendent. Et eſto dicat, cognoſci in ſua voluntate libera, tamen non dicit hanc eſſe abſolutam, aut prædeterminantem, aut rationem ſufficientem: ſatis enim eſt eſſe rationem neceſſariam, vt conceſſi ſupra num.128. Vnde ſecundum caput cognoſcendi aſſignat, *in proprijs cauſis*, in quibus tantùm, teſte S.Thoma hîc, nullus habet de effectu libero, *niſi coniecturalem cognitionem.*

*Decima obiectio ex S. Thoma.*

*Declaratur locus ex l.1. contra Gentes c.66.*

Secundò proponit verba ibidem, ex cap. 68. ratione 4. & repetit alio loco citato. Sed neque ea ſunt ad rem noſtram: quia in illis ſermo eſt de *cauſis ſecundis*, hoc eſt, vt in præcedenti loco dicit, *proprijs,* & nullum omninò caput cognoſcendi aſſignatur ex parte Dei. Neque erat cur afferrentur etiam alia verba in fine capitis, quibus ait S. Thomas, *Deum cognoſcendo ſe ipſum, cognoſcere motus noſtræ voluntatis*; quia ibi non agitur de modo cognoſcendi ex parte cogniti, de quo nunc diſputamus, ſed ſolùm ex parte cognoſcentis, de quo actum eſt ſupra art.5. neque ſit vlla diuini decreti mentio. Potuiſſet autem eo loco Aluarez aduertere aliquid euidenter contrarium ſententiæ ſuæ, nam Deum in ſeipſo videre actus noſtros liberos, probat ibi S.Thomas, ex eo quòd eorum etiam cauſa ſit Deus. Quoniam verò videri cuipiam poterat, contra libertatem eſſe, ſi liberæ operationes cauſarentur ab alio, quàm ab ipſomet liberè operante, hoc ita explicat, vt liberæ voluntatis extrinſecam determinationem planè neget, his verbis, *Dominium autem quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate, velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam cauſæ exterius agentis: non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari. Et ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ Deus eſt reſpectu motuum voluntatis; vt ſic Deus, ſe ipſum cognoſcendo, huiuſmodi cognoſcere poſſit.* Qui dicit, liberum voluntatis dominium non excludere generalem influxum cauſæ primæ, ſed excludere voluntatis determinationem ad vnum; &, *vt ſic*, hoc eſt, cum excluſione determinationis ad vnum, remanere cauſalitatem cauſæ primæ erga actus liberos, euidenter docet, primam cauſam per influxum ſuum generalem non prædeterminare ad vnum cauſas ſecundas liberas. Imò, hanc prædeterminationem eſſe contra rationem dominij, & libertatis ad plura.

*Inſignis locus S.Thomæ cõtra influxum generalẽ prædeterminantem.*

Tertiò proponit verba ex lib. 1. contra Gentes cap.67. ratione 3. quæ repetit lib.1. Reſponſionum c.5. num.11. ſed explicata ſunt ſupra num.99. cum Ferrarienſi. Quartò ex 2. 2. quæſt.171. art.6. ad 2. refert hæc, diuerſis characteribus ſcripta, vt verba præcisè S.Thom. *Quod Deus dupliciter intuetur effectus contingentes, & futuros: vno modo, vt ſunt in ſe ipſis præſentes in æternitate: alio modo, vt ſunt in ſuis cauſis ſecundis determinatis.* Ad quem locum, nimis clarum contra nos, nihil habeo quod reſpondeam; niſi, neque huiuſmodi verba, neque ſententiam, quam hæc verba ſignificant, haberi in textu S.Thomæ, ſed tantùm hæc alia verba longè diuerſa, quæ contrariam ſententiam expreſsè ſignificant; cùm enim præmiſiſſet, futura contingentia videri, *ſecundùm quòd ſunt in ſe ipſis, & ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſis*, ſtatim ita ſubdit. *Quamuis contingentia futura, prout ſunt in ſe ipſis, ſint determinata ad vnum; tamen prout ſunt in ſuis cauſis, non ſunt determinata, quin poſſint aliter euenire.* Credendum piè eſt illa alia verba non eſſe deſcripta ab Aluarez, ſed ex aliquo errore in eius librum fuiſſe inſerta. Alioquin intolerabilis profectò deceptio eſſet, in re tam graui, referre S.Thom. in eo loco verbis ſuis dicentem, *cauſas liberas eſſe determinatas*, in quo contradictoriè dicit, *non eſſe determinatas.* Sequitur Aluarez, idem quod verbis à ſe citatis habetur in 2.2. haberi etiam in hoc articulo. Quod etiam falſum eſt, vt oſtendi ſupra n.5. & n.102. Præterea obiicit quędam verba Iſ.14. quibus effectus liber à Deo decretus, dicitur futurus infallibiliter. Quod nemo negat, ſed probandum

*Locus ex 2. 2. quæſt.171. artic.6. ad 2. malè relatus ab Aluarez.*

bandum erat, tale decretum, per ſe ſolum, abſque præuia ſcientia conditionata, eſſe ſufficientem cauſam effectus liberi. Sicut etiam S. Thomas, in tractatu de prædeſtinatione cap. 3. circa finem, quem locum etiam pro ſe citat Aluarez, nil aliud docet, niſi, *Quòd voluntas habet completam rationem cauſæ.* nimirum in comparatione ad præſcientiam, quam ibi etiam poni eſſe omnium rerum cauſam; ſed præſcientia, vt cauſet, indiget determinatione voluntatis, voluntas autem, vt cauſet, non indiget determinatione præſcientiæ, vt ſupra art. 8. & ideo non præſcientia ſed voluntas dicitur, *cauſa completa.*

*Volũtas Dei, & non ſcientia, habet rationem cauſæ completæ.*

176. Obiicies 11. cum eodem Aluarez d. 11. probante, Deum omnia peccata videre infallibiliter, *in decreto, quo ſtatuit prædeterminare voluntatem creatam ad entitatem actus peccati*; & permittere peccatum, non dando auxilium efficax ad illud vitandum. Arguit primò, quia Scriptura, Concilia, & Patres definiunt, nos abſque adiutorio gratiæ Dei infallibiliter peccaturos, & non poſſe non peccare. Quo etiam argumento nititur Machin diſp. 32. ſect. 3. concl. 1. Reſpondeo, ex probatis in lib. 2. in q. 109. de neceſſitate gratiæ, ſuppono, his authoritatibus probari ſolùm infallibilitatem, & impotentiam moralem, non autem phyſicam, ſi enim omnes authoritates docent, ſine gratia hominem peccare, ergo neceſſariò ſupponunt in peccatore libertatem ad non peccandum; ergo potentiam, ſaltem phyſicam, & ſufficientem in actu primo ad non peccandum. In negatione igitur ſupernaturalis auxilij ad non peccandum, & conſequenter, in decreto præcisè negandi hoc auxilium, quia remanet libertas ſufficiens ad peccandum, vel non peccandum, niti non poteſt ſumma certitudo diuinæ præſcientiæ de peccatis futuris, quæ neceſſariò poſtulat aliquam omnimodam impotentiam, & inſufficientiam ad contrarium eius, quod præſcit: aliter diuina præſcientia ita eſſet vera vt poſſet ſimpliciter eſſe falſa.

*Vndecima obiectio probãs in decreto videri peccata.*

Machin.

*Homo ſine gratia efficaci non poteſt non peccare, impotentia morali, & efficaci, nõ autem phyſica, & ſufficiẽte.*

177. Inſtabis ex Machin ſupra, quia peccatum infallibiliter ſequitur *ex ſubtractione alicuius neceſſariò requiſiti, ſicut ignem non comburere, ſequitur infallibiliter ex negatione applicandi materiam combuſtibilem igni.*

*Soluitur inſtantia Machin.*

Reſpondetur, hoc vel nimis probat, vel non probat intentum. Si enim auxilium eſt ita neceſſarium ad non peccandum, ſicut præſentia combuſtibilis ad comburendum; ergo qui ſine culpa ſua caret auxilio, non poteſt peccare: nemo enim cenſeri prudenter poteſt peccare, ſi careat aliqua re neceſſaria ad non peccandum. Sicut igni, ſi eſſet liber ad comburendum, non poſſet vitio verti, quòd non comburat ea, quæ propter diſtantiam comburi ab ipſo non poſſunt. Si verò non eſt ita neceſſarium, ſed homo ſine auxilio remanet in ſe completè, & proximè potens non peccare, vt in rei veritate tenemur omnes dicere, ergo in negatione talis auxilij, quæ ſtat cum potentia expedita ad non peccandum, non poteſt fundari ſumma infallibilitas ſcientiæ Dei.

Arguit ſecundò Aluarez, *Deus certò ſcit, quod ſi non conſeruaret creaturas in ſuo eſſe, ſtatim redigerentur in nihilum: quoniam creatura ſe ipſam conſeruare non poteſt, creatore ſuo illam non conſeruante. Ergo etiam ſcit, quòd ſi ipſe non conſeruaret hominem in bono rationis, homo ipſe non conſeruabit ſe. Ergo in decreto, quo Deus ſtatuit, non dare auxilium efficax, quo bonum rationis conſeruet, certò ſcit, quòd homo peccando deficiet.*

*Soluitur paritas Aluarez.*

Reſpondetur, huiuſmodi comparationem eſſe ſano modo intelligendam: alioqui periculosè ſignificatur, quòd ſicut remota Dei conſeruatione, non remanet in creaturis vlla poteſtas ad ſe conſeruandum; ita remota ſupernaturali gratia Dei, non remaneat in naturalibus viribus liberi arbitrij, ab illa gratia in naturali ſuo eſſe independentibus, vlla prorſus poteſtas, & ſufficientia neceſſaria ad poſſe non peccare, & nihilominus liberè peccet: quod ex ſe patet eſſe abſurdum. Neganda igitur eſt conſequentia, & paritas. Et ratio diſparitatis manifeſta eſt; quia creatura indiget Deo conſeruante in eſſe, ex eo quòd, nullam in natura ſua virtutem intrinſecam habeat ad conſeruandum ſe in eſſe, quia eſſentialiter eſt ens participatum & dependens: liberum verò arbitrium indiget Deo ipſum per gratiam conſeruante ne peccet, non ex eo, quòd nullam in ſe habeat libertatem, & intrinſecam potentiam ad non peccandum, diſtinctam à gratia, ſed ſolùm, quia ex ſe, ſine diuina gratia, tot habet impedimenta ad bonum, & incitamenta ad malum, vt impoſſibile moraliter ſit, illam potentiam, ac libertatem non lapſuram in malum, niſi per diuinam gratiam roboretur in bono. Et ideo non ſequitur cognoſci peccatum in decreto, quo Deus ſtatuit non dare auxilium efficax.

*Declaratur indigentia gratiæ ad nõ peccandum.*

Arguit tertiò. *Sine auxilio efficaci prædeterminante ad actum virtutis, qui eſt in præcepto, numquam homo producet illum actum*: ergo in decreto non dandi tale auxilium, ſcit Deus peccatum omiſſionis actus præcepti. 178.

*Decretũ prædeterminans, ſi ſtat cũ potentia ad oppoſitum, non poteſt eſſe Deo ratio videndi.*

Reſpondetur primò, nego in antecedente, auxilium efficax, eſſe prædeterminans. Secundò, eſto ſit, ſeu dicatur prædeterminans, nego conſequentiam; quia ſicut per Aluarez ſupra n. 119. voluntas in ſenſu compoſito cum illo auxilio poteſt non ſeruare præceptum, quia liberè ſeruat; ita in ſenſu diuiſo ab illo, poteſt ſeruare præceptum, quia liberè non ſeruat, cùm peccat non ſeruando, vt idem Aluarez aſſerit in citata d. 11. ad 1. In hac autem diuiſione cum qua peccatum futurum poteſt non eſſe futurum, impoſſibile eſt fundari præſcientiam Dei omninò infallibilem de peccato futuro.

Aluarez.

Arguit quartò. *In decreto, quo Deus prædeterminauit voluntatem Petri ad actum peccati, certò cognoſcit quòd producet illum actum*, quo Petrus infallibiliter peccat: ergo cognoſcit peccatum. 179.

Reſpondetur, illam prædeterminationem eſſe omninò negandam. Sed eſto admittatur, ſi in ſenſu compoſito cum prædeterminatione, voluntas poteſt non facere actum prædeterminatum, vt vult ipſemet Aluarez, nego cum hoc poſſe ſtare certitudinem diuinæ ſcientiæ, vt ſupra: ſi verò non poteſt non facere, vt volunt alij, eſt quidem futurus infallibiliter ille actus, nullum tamen futurum eſt peccatum ex parte creaturæ prædeterminatæ. Vnde in ſuo decreto prædeterminante poterit quidem Deus infallibiliter videre actum prædeterminatum futurum, non tamen futurum peccatum creaturæ ob libertatis defectum. Demum eſto concedatur totum argumentum, tamen ex illo ſequeretur, peccata futura videri in decreto prædefinitiuo actus mali, quo modo etiam videntur bona opera futura, non autem in decreto permiſſiuo, & ſubtractiuo auxilij efficacis prædeterminantis; quod ſecundum probare intendunt Aluarez, & alij citati ſupra num. 111. qui miſerum hominem prædeterminari à Deo volunt ad eliciendos tales actus, quibus non poſſunt non peccare.

*Diſſoluuntur*



## *Diſſoluuntur rationes Machin.*

180. Obiicies duodecimò ex Machin hîc diſput. 32. ſect. 3. dict. 3. probante quòd, *Omnia peccata infallibiliter cognoſcit Deus in ſuo decreto efficaci, quo cauſet phyſicam entitatem peccati.* Quia, inquit, *entitas phyſica peccati pendet eſſentialiter à cauſa prima: ergo ad illam concurrit Deus: ergo per decretum efficax ſuæ voluntatis. Sed hoc decretum eſt prius natura ipſa futuritione peccati: ergo in illo priori cognoſcitur in ipſo eodem decreto entitas peccati futuri; atque adeò malitia.* & idem argumentum vrgent Cabrera tom. 3. in 3. p. quæſt. 62. art. 1. diſputat. 12. §. 12. num. 270. Zumel tomo 1. variarum d. concluſ. 1. fol. 14. col. 2. & fol. 20. col. 1. circa finem.

*Duodecima obiectio idem probans.*

Cabrera.
Zumel.

Reſpondeo, concedo primam, & ſecundam conſequentiam: diſtinguo autem minorem ſubſumptam. Nam futuritio peccati poteſt dupliciter conſiderari. Primò phyſicè, quatenus eſt realis quædam entitas determinata in ſe ipſa, qua ratione futurum contingens à cauſa ſecunda libera conuenit cum omnibus aliis futuris, etiam à cauſa neceſſaria, vt cum futuritione hodiernæ illuminationis à ſole. Secundò moraliter, quatenus eſt id ad quod liberè ſe determinauit cauſa ſecunda libera: in quo futurum liberum differt à futuro neceſſario, ex quo minorem, qua dicebatur, decretum diuinum concurrendi ad actum peccati eſſe prius natura ipſa futuritione peccati, ſic diſtinguo. Eſt prius natura futuritione peccati primo modo, ſeu phyſicè ſpectati: non autem ſpectati ſecundo modo, id eſt, moraliter. Ac proinde negatur vltima conſequentia qua inferebatur cognoſci in eodem decreto malitiam; quia malitia peccati non eſt annexa inſeparabiliter entitati peccati ſpectati phyſicè: ſed ſolum ſpectati moraliter, prout poſt determinationem liberam voluntatis creatæ, & ex plena aduertentia rationis procedit. Hac enim ratione non poſſe malitiam à peccati actu præcidi, ſupra n. 153. contar Nauarrete adnotauimus. Verùm talis actus, vt à voluntatis humanæ determinatione procedit, non cauſatur à decreto diuino: nam & ipſe quoque Machin, vt mox dicam, negat à decreto diuino cauſari voluntatis humanæ determinationem. Quare non poteſt dicere, ex vi viſionis decreti diuini de phyſica entitate peccati videri etiam eiuſdem malitiam. Quod totum magis declaro, quia malitia, vt notaui ſupra numero 175. ſequitur non ex actu ſimpliciter, ſed ex libera determinatione ad actum, & conſequenter ex actu ſpectato moraliter, non phyſicè. Quamobrem eſto decretum illud efficax, & abſolutum, ſumptum formaliter vt tale, (quod ſupra num. 170. probaui eſſe idem cum decreto conditionato purificata conditione ex parte creaturæ) ſit cauſa antecedens, prioritate naturæ, futuritionem phyſicam peccati, ac proinde hæc ſola, quæ nullam importat neceſſariam connexionem cum morali malitia, in illo decreto cognoſci infallibiliter poſſit; tamen non antecedit futuritionem moralem, hoc eſt, liberam determinationem; vnde ſolùm prouenit malitia, quæ propterea tribuitur creaturæ, non Deo, quia libera illa determinatio eſt à creatura non à Deo, vt in ſuperioribus, quantum ad præſens inſtitutum ſatis erat, oſtenſum eſt. Deus enim eſt prima, & maxima cauſa huius actus, v.g. mali; quòd autem hic actus malus fiat, & quòd non fiat alius bonus, quod tandem nihil eſt aliud niſi negatio actus boni, in qua conſiſtit malitia, non eſt à Deo, per liberum ſuum decretum parato, quantum eſt ex ſe, concurrere ad bonum, & malum, & offerente duplicem concurſum ad oppoſita, ſed à ſolo libero arbitrio ſe determinante, & ob libertatem ſuam eligente operari cum eſſentiali dependentia ab vno concurſu primæ cauſæ ad malum, non ab alio concurſu ad bonum; quo concurſu, ex parte primæ cauſæ, æquè parato, ex parte etiam ſua, æquali libertate vti poterat. Vnde euidenter ſequitur, in nullo ſuo decreto poſſe Deum videre futurum aliquod peccatum, quia in infinita bonitate voluntatis ſuæ ſanctiſſimæ nullum habere poteſt actum, quo, vel efficaciter, vel etiam inefficaciter, velit liberam creaturæ determinationem ad peccandum, ſiue ad producendum actum moraliter malum. Quod tenetur dicere ipſemet Machin, quia antea optimè ſtatuerat, falſiſſimam eſſe ſententiam, *De decreto prædeterminante ante omnem liberam determinationem voluntatis.* & clarius poſt tertium dictum, negat dari in Deo, *Decretum aliquod, quod antecedenter ſit cauſa determinationis actiuæ, voluntatis creatæ*; ergo putat, liberam determinationem eſſe à voluntate creaturæ, non à voluntate Dei: ſed actus peccati, formaliter vt peccati, ſequitur ex libera determinatione ad illum actum: ergo videri nequit in voluntate Dei. Vide quæ de hac eadem re & diximus ſupra n. 171. & dicemus q. 23. art. 4. d. 2. n. 15. in fine. & rurſum eadem dub. n. 31.

*Reſpondetur declarando, quo modo decretum Dei efficax ſit, vel non ſit, prius natura futuritione peccati.*

Deinde Machin circa finem ſectionis, impugnat aliquos, hoc eſt, noſtros Theologos, *Qui recurrunt ad ſcientiam conditionatorum, vt defendant vniuerſaliter, omnia peccata videri in decreto permittendi,* ſicut nos fecimus ſupra, num. 145. quia, inquit, *Neque hoc neceſſarium eſt, neque vitat difficultates huius quæſtionis: nam eædem ſemper manent, loquendo de cognitione peccatorum conditionatorum in decreto conditionato permittendi: quia ad illam non datur alia ſcientia antecedens conditionata, aliàs daretur proceſſus in infinitum.* 181.

*Soluitur aliud argumẽtum Machin.*

Reſpondeo, neceſſitatem ſufficienter conſtare ex ſupradictis. Vitari quoque difficultates, patet, quia in noſtra ſententia, decretum conditionatum permittendi, non eſt decretum in actu poſitum ante actualem ſcientiam conditionatam, ſed conditionatè ponendum in actu poſt prædictam ſcientiam, vt inferius probabo. Quod nunc breuiter ſic explico. Non prius ſua voluntate Deus ita decernit, volo non dare Petro, v.g. auxilia efficacia ad non peccandum, ſi poneretur ſub talibus circumſtantiis. Et deinde intellectu ſuo præſcit, Petrus peccaret ſi poneretur ſub talibus circumſtantiis abſque efficacibus auxiliis ad non peccandum: nam huiuſmodi voluntas antecedens ſcientiam, præter alia incommoda, de quibus infra, nihil iuuat ad ſummam certitudinem diuinæ ſcientiæ de peccatis futuris; quia præcisè velle negare auxilia efficacia ad non peccandum, non tollit à voluntate creata perfectam libertatem, per quam ipſa determinat ſe ad peccandum, ac proinde cum proxima, atque expedita potentia ad non peccandum, quæ ſtare non poteſt cum diuina ſcientia de peccato futuro, vt non ſemel dictum eſt ſupra. Alio igitur modo procedit Deus. Prius intellectu ſuo præuidet, quod ſi Petrus conſtitueretur in talibus circumſtantiis, & ipſe vellet non dare illi hæc auxilia efficacia ad non peccandum, ſed vellet dare alia auxilia ſufficientia ad non peccandum, tunc peccaret liberè, & conſequenter, fallibiliter, hoc eſt, per potentiam indifferentem, & indeterminatam ad peccandum, & non peccandum. Ex qua præſcientia, quia infallibilis eſt, oritur, vt illa potentia libera, quæ ſecundùm ſua intrinſeca, eſſet

*Poſita præſcientia conditionata, peccatum videtur in decreto permittendi abſoluto, non conditionato.*

*Decretũ conditionatum permittendi, non eſt antè ſcientiã conditionatam.*

fallibiliter peccatura, ſecundùm quod ſubſtat extrinſecæ præſcientiæ Dei, ſit infallibiliter peccatura ſub prædicta conditione. Quo fit, vt, purificata conditione, hoc eſt, ſi voluntas Dei libera, ex ſtatu quaſi potentiali, & conditionali in priori ſigno, tranſeat in ſtatum actualem, & abſolutum in poſteriori ſigno, ſi nimirum actu velit conſtituere Petrum in his circumſtantiis, cum his auxiliis, non cum aliis, ſtatim habeat cum huiuſmodi decreto infallibilem connexionem peccatum Petri abſolutè futurum, atque adeò ſciri infallibiliter poſſit ab eo, qui habet ſcientiam illam conditionatam, & aliam abſolutam de ſuo decreto actuali: non quidem infallibilitate orta ex decreto permiſſiuo peccati, ſed ex infallibili præſcientia conditionata antecedente tale decretum. Quæ omnia infra vberius declarabuntur.

## DVBITATIO XII.

### *An futura contingentia abſoluta ſciantur à Deo in ſe ipſis.*

### SVMMA.

1 *Concluſio affirmatiua declaratur, & probatur à num.* 182. *ad* 188.
2 *Soluuntur oppoſitæ rationes à num.* 188. *ad* 209.
3 *Defenditur Suarez contra Nauarrete à num.* 192. *ad* 200.

182. *Concluſio affirmatiua declaratur.*

VNica concluſio. Ratio vniuerſalis, & ſufficiens, requiſita ex parte obiecti, ob quam contingentia abſolutè futura ſciantur infallibiliter à Deo, non poteſt, ſalua creaturæ libertate, eſſe alia, niſi quia, & ſi poſitis quibuſcumque antecedentibus, ſiue intrinſecis, ſiue extrinſecis, tam ex parte primæ cauſæ increatæ, quàm ex parte cauſæ ſecundæ creatæ, poſſint eſſe vel non eſſe, ac proinde ſint infallibiliter futura, & conſequenter, inepta terminare ſcientiam Dei infallibilem: tamen ſpectata in ſe ipſis, hoc eſt, ſecundùm realem eorum præſentialitatem, & actualitatem, quam in ſe ipſis habent, & non ſecundùm eorum futuritionem, & potentialitatem, quam habent in cauſis, ſunt quid determinatum, certum, & prorſus infallibile; in quantum ita ſunt id, quod ſunt, vt ſit omninò impoſſibile non eſſe in ſe ipſis id, quod in ſe ipſis ſunt; aut eſſe in ſe ipſis aliud, quod in ſe ipſis non ſunt: ac proinde aptiſſima ſunt ad determinandam ſummam infallibilitatem diuinæ ſcientiæ.

183. *Probatur ex S. Thom.*

Hæc ſine vllo dubio apertiſſima S. Thomæ doctrina in omnibus locis ſupra ſæpe citatis, & diligenter examinatis, in quibus de hac materia diſputat, præſertim in hoc articulo. Quamuis enim præter hoc caput de cognitione in ſe ipſis, tria alia capita addere videatur, primum frequenter, de cognitione in æternitate; ſecundum, etiam frequenter, de cognitione in cauſis; tertium ſemel in hoc articulo, de cognitione in ideis: tamen primum addit ad probandam ſimultatem, & permanentiam, ſiue immutabilitatem diuinæ ſcientiæ, non autem certitudinem, & infallibilitatem, cuius dumtaxat hoc loco vniuerſalem, & ſufficientem radicem inquirimus, vt ſupra dub. 1. à num. 10. & dub. 8. à num. 50. ad 54. & rurſus num. 80. Secundum non addit vt caput certò cognoſcendi ipſamet futura, ſic enim Deus ea non cognoſceret niſi coniecturaliter, vt hîc dicitur, ſed ſolùm vt caput cognoſcendi inclinationem, ſiue ordinem cauſarum ad futura; nimirum, non iudicando ſimpliciter, ea eſſe futura (quod iudicium fundatum in ſolis cauſis liberis, atque indeterminatis, poſſet eſſe falſum) ſed iudicando, cauſas habere hunc vel illum inclinationis ordinem ad aliquem determinatum effectum producendum vel non producendum, vt ſupra num. 6. & 114. Tertium denique addit, non vt ſuum, probando; ſed vt alienum excludendo.

*Cur S. Th. addat, videri in æternitate.*

*In cauſis.*

*In ideis.*

184. *S. Thomas interdum aſſignat vnam rationē videndi in ſe ipſis, & alias excludit.*

Vnde interdum reliqua omnia capita expreſsè excludit, & ſolùm affert præſens caput cognoſcendi futuros effectus liberos in ſeipſis: nam 1. d. 38. quæſt. 1. art. 5. in fine corporis, totum ſuum diſcurſum, quo hanc veritatem probauerat, concludit his verbis, *Ita patet, quòd nihil prohibet, contingentium ad vtrumlibet certam cognitionem Deum habere.* & ſtatim nullam aliam rationem affert, niſi quam in hac concluſione defendimus, dicens, *cùm intuitus eius ad rem contingentem referatur, ſecundùm quod præſentialiter in actu eſt, quando iam determinatum eſt, & certitudinaliter cognoſci poteſt.* & ibidem ad 3. *Futurum contingens ad Dei cognitionem non refertur, niſi ſecundùm quod eſt in eſſe actuali.* & ad 5. *Res futura ſubiacet diuinæ ſcientiæ, ſecundùm quod habet eſſe determinatum in actu.* & paulò poſt, *Iſta res, vt eſt in cauſis, antequam ſit in actu, ibi non habet neceſſitatem, nec ibi eſt ſcita à Deo futura eſſe.* & clariſſimè ad 6. tradens ex parte obiecti, modum quo Dei cognitio certò attingit rem contingentem futuram, inquit, *Non attingit eam, niſi prout eſt in eſſe actuali ſuo præſentialiter conſiderata. Si enim Deus non vidiſſet curſum ſortis immediatè in eſſe ſuo, numquam potuiſſet iſtud ſcire.* & de veritate quæſt. 2. artic. 12. ad 1. ait, *contingens, ex quo productum eſt in rerum natura, veritatem determinatam habet; & hoc modo ſuper illud fertur intuitus diuinæ cognitionis.* Quamobrem 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad 1. expreſsè loquens de diuinæ ſcientiæ certitudine circa effectus contingentes, eius rationem reddit ex ſola cognoſcibilitate contingentium in ſeipſis, dicens, *certitudo diuinæ præſcientiæ non excludit contingentiam ſingularium futurorum, quia fertur in ea, ſecundùm quòd ſunt præſentia, & iam determinata ad vnum.* & nihil planè de æternitate, de cauſis, de ideis, & de actibus diuinæ voluntatis. Sed deinde ad ſecundum, quia non loquebatur præcisè de certitudine, ſed ſimpliciter de præſcientia, hæc, inquit, *reſpicit futura ſecundùm duo, ſcilicet ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, in quantum ſcilicet ipſa præſentialiter intuetur: & ſecundùm quòd ſunt in ſuis cauſis, in quantum ſcilicet videt ordinem cauſarum ad effectus.* & in citata ſolutione ad 1. ait, *ſicut in primo dictum eſt*, nimirum in hoc articulo, vbi hæc veritas planiſſimè traditur. Nam circa initium corporis, cùm docuiſſet, contingens poſſe conſiderari, *Vno modo in ſe ipſo, ſecundùm quod iam in actu eſt*; quo modo, inquit, *non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens; neque ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum*, ſtatim immediatè ſubdit, hanc eſſe rationem propter quam contingens, tali modo ſpectatum, terminare queat infallibilem cognitionem, his verbis, *& propter hoc, ſic, infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni.* & clariſſimè lib. 3. contra Gentes c. 154. ante med. docet, Deum ſcire futura, *in ſeipſis.*

185. *Idem ſentiūt* Ocham. Gregorius. Heruæus. Capreolus. Ferrarienſis. Suarez. Salmeron.

Eamdem S. Th. ſententiam ſignificant Ocham, & Gregorius infra num. 312. 314. & ſequuntur Heruæus 1. d. 38. quæſt. 1. artic. 1. part. 2. concl. 3. & part. 3. circa finem. & iterum part. 4. Capreolus, & Ferrarienſis verbis citatis ſupra n. 99. fin. & 101. poſt principium. Suarez opuſculo de ſcientia Dei lib. 1. cap. 8. per totum. Salmeron tom. 4. parte 3. *§. Ad*



Henriquez. Fonſeca. Leſſius. Molina. Valentia. Vaſquez. Becanus. Albertinus. Arrubal. Zumel. Diotalleu. Machin. *Contra* Nauarrete. Aluarez. Gonzalez. Cabreram. Nazarium.

§. *Ad ſecundam quæſtionem.* Henriquez lib. vltim. cap. 5. fin. Fonſeca 6. Metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 2. 3. 4. & 5. vt notaui ſupra num. 32. fin. & num. 43. circa medium. Vnde omnes eius rationes hanc concluſionem probant. Leſſius diſput. de Gratia, cap. 16. num. 4. & 5. in eamdem ſententiam bene referens Molinam, de quo ſatis dictum eſt ſupra num. 32. fin. & num. 100. fin. & latius num. 126. Valentia hîc punct. 5. quæſt. 1. §. *Hac igitur ſententia.* & quæſt. 2. ad 1. & ad 2. §. *Tertium eſt.* & aſſertione 4. & quæſt. 3. Vaſquez diſp. 65. cap. 4. Becanus part. 1. tract. 1. cap. 10. quæſt. 6. Albertinus tomo 1. fol. 286. num. 22. Arrubal d. 41. num. 28. & diſp. 43. cap. 3. initio, & reliqui omnes Theologi noſtræ Societatis, quos ſequitur Zumel hîc, diſp. 1. concluſ. 4. & latius tom. 1. variarum diſp. concl. 3. Diotalleuius pag. 207. & 215. & 266. ad 6. Machin diſp. 31. ſect. 1. contra Nauarrete controu. 54. Aluarez lib. 2. de Auxiliis, diſp. 13. Gonzalez diſp. 37. ſect. 1. & diſp. 43. ſect. 2. à §. *Secundus modus.* Cabreram in 3. part. tom. 2. quæſt. 11. art. 1. diſputat. 3. num. 19. & tom. 3. quæſt. 62. art. 1. diſput. 12. §. 15. num. 343. & diſputat. 13. §. 9. num. 220. Nazarium hîc, controu. 2. conc. 2.

186. *Probatur primò ex Patribus.*

Probatur concluſio primò ex Patribus, quorum verba citauimus ſupra art. 8. à num. 48. ad 54. & mentem expendimus ibidem à num. 91. ad 101. docentibus, cauſam propter quam Deus præuidet futura contingentia, eſſe ipſaſmet res futuras, & nullam prorſus aliam mentionem facientibus, aut de æternitate, aut de cauſis, aut de diuinis ideis, aut decretis. Secundò à poſteriori, quia his omnibus ſuperius reiectis, nullum aliud traditur, nec probabiliter tradi poteſt caput, præter hoc, de cognoſcibilitate futurorum in ſe ipſis directè, & immediatè, ſecundùm eſſe proprium diſtinctum, ac præciſum à cauſa, quod habitura ſunt in tali differentia temporis, & cum tali præſentialitate, & coëxiſtentia inadæquata cum æternitate, & cum talibus exiſtentiæ conditionibus ſiue intrinſecis ſiue extrinſecis. Qua ratione ſunt veriſſima, & certiſſima antequam realiter præſentia ſint, imò etiam ſunt neceſſaria, quod rectè probatur hîc ad ſecundum. *Quia omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, vt dicitur in* 1. *Periherm.* verè enim indifferentia illa, & propriè contingentia, eſt in potentia cauſæ, non in effectu determinato, qui determinatè producitur extra cauſam. Vnde optimè Heruæus citata concl. 3. *contingens,* inquit, *quando eſt actu, iam amplius non eſt contingens.* & didicit ex S. Thoma hîc, vbi de contingente conſiderato, *in ſeipſo, ſecundùm quod iam in actu eſt*, ait non conſiderari, *vt ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum.*

*Secūdò à poſteriori. Futura, in ſe ipſis, non eſſe contingētia, ſed neceſſaria.*

S. Thomas.

Heruæus.

187. *Tertiò à priori.*

Tertiò à priori, ratione, qua ſemper S. Thomas vſus eſt, tum in hoc art. tum in aliis multis locis citatis in hac dubitatione, & ſupra à num. 102. ad 106. eamque ſic explico. Futurum cōtingens licèt habeat cauſam indeterminatam, tamen in ſe ipſo, ſiue vt loquitur Heruæus ſupra, *in ſua exiſtentia reali, & actuali*; eſt aliquid determinatum, & conſequenter, determinatè futurum à ſua cauſa indeterminata; hæc enim licèt poſſit efficere duo oppoſita, ſub qua ratione intelligitur habere indeterminationem in ſe, tamen non poteſt hoc & illud in ſenſu compoſito, ſed hoc vel illud in ſenſu diuiſo. Vnde nominari conſueuit potentia ad vtrumlibet, non potentia ad vtrumque; & ideo cùm agit, determinare ſe debet ad aliquod vnum determinatè, ſub qua ratione dicitur habere determinationem in ſuo effectu determinato, eúmque determinatè cauſare. Ergo futurum contingens, in ſe ipſo conſideratum, eſt quid determinatum, & futurum determinatè, etiam per ordinem ad cauſam, in quantum ſcilicet, cauſa indeterminata ſe determinatura eſt ad hoc futurum, non ad aliud: ſicut enim de præſenti verum eſt dicere, nunc hic determinatus effectus eſt à cauſa indeterminata, determinante liberè ſe ad illum, & non ad oppoſitum; ita antea, atque adeò ab æterno, de futuro verum fuit dicere; in tali differentia temporis ſequentis erit hic determinatus effectus à cauſa indeterminata, liberè ſe determinatura ad illum, non ad alium. Si quis igitur quærat, cur ex duobus liberis, & oppoſitis effectibus, quos cauſa ſecunda libera poteſt efficere, intellectus Dei ab æterno in ſua eſſentia infallibiliter viderit futurum hunc, potius quàm alium, aptè reſpondere non poteris aliquid antecedenter ſe habens ad determinationem cauſæ liberæ, quia cum omni tali antecedente, ſi ſtat libertas, ſtet etiam neceſſe eſt potentia indifferens ad vtrumlibet, ac proinde fallibilitas ſcientiæ, & periculum aliquod errandi, ac iudicandi temeritas, ſi omnimoda certitudine affirmetur, aut negetur futurum vnum potius, quàm aliud; ſed ſolùm ſe habens conſequenter, quia nimirum, poſitis omnibus neceſſariis antecedenter prærequiſitis ad liberè cauſandum, re ipſa, ex libera ſolius cauſæ ſecundæ determinatione, futurum eſt hoc, non illud: & hoc, quod eſt futurum, quia eſt in ſe ipſo quid determinatum, eſt infallibile, vt ſupra in fine num. 182. & 186. ergo eſt obiectum ab æterno, & infallibiliter ſcibile; quia intelligibilitas neceſſariò ſequitur ens, & veritatem. Ergo ab æterno actualiter ſcitum ab intellectu diuino, æterno, infallibili, perfectiſſimo, habente ſcilicet infinitam ſimpliciter ſciendi vim, ita vt implicet, eſſe aliquid ſcibile, & non actu, & ſemper, ex neceſſitate ſuæ neceſſariæ perfectionis, ſcire ab illo intellectu.

*Potentia indeterminata, dū agit, debet agere determinatè.*

*Quod nūc eſt præſens, futurum fuit ab æterno.*

### *Soluuntur oppoſitæ rationes.*

188. *Prima obiectio.*

Obiciies primò. Futurum contingens, eſt eſſentialiter futurum à cauſa contingente, & indeterminata: ergo non poteſt perfectè cognoſci niſi per ordinem ad cauſam. Ergo ſi Deus futurum contingens cognoſcit in ſe ipſo, ſine ordine ad cauſam, non perfectè illud cognoſcit.

*Reſpondetur, futurum cōtingens ſcirī à Deo ex cauſa, non in cauſa.*

Reſpondetur; diſtinguo primum conſequens, ſi illud, *per ordinem ad cauſam*, dicit rationem cognoſcendi, nego conſequentiam; quia cùm virtus cauſæ contingentis ſit in ſe indeterminata, nequit eſſe ratio cognoſcendi effectum determinatum: ſi verò dicit rem cognitam, cōcedo conſequentiam, quia, vt acutè docuit Suarez ſupra num. 12. Deus futura contingentia non cognoſcit *ſine cauſa*; quamuis enim ea non cognoſcat *in cauſa*, cognoſcit tamen *ex cauſa, id eſt*, inquit, *non videndo effectum in ſola virtute cauſæ, ſed videndo emanationem eius à ſua cauſa,* & iuxta hunc ſecundum ſenſum neganda eſt vltima conſequentia, quia totum obiectum futuri contingentis, eſt, effectus determinatus à cauſa indeterminata in tali differentia temporis futuri: hoc autem totum Deus perfectiſſimè videt; licèt ratio videndi determinationem actualem cauſæ, non ſit ratio aliqua antecedenter exiſtens in cauſa, qua determinetur cauſa ad vnam aliquam determinatam partem; ſed ipſemet effectus, qui propter intrinſecam determinationem, quam in ſe ipſo habet, ſe ipſo realiter, & formaliter determinat cauſam ſuam. Quamobrem noſtro modo concipiendi formalius, ac directius, dixeris, Deum videre effe-

Suarez.

*Quo modo loquendum ſit.*



ctum

ctum contingentem fieri à cauſa; non autem, cauſam facere contingentem effectum; quia licèt in ratione eſſendi, hoc ſit natura prius, illud poſterius; in ratione tamen cognoſcendi contrario modo ſe habent, illud vt prius, hoc vt poſterius, quia ratio cognoſcendi poſterius, non eſt id, quod eſt prius natura in cauſa; ſed ratio cognoſcendi prius, eſt id, quod eſt poſterius natura ex cauſa.

*Secunda obiectio.*

189. Obiicies ſecundò. Omne futurum pendet eſſentialiter à libera Dei voluntate, tamquam à cauſa prima: ergo qui perfectè cognoſcit futurum, hanc etiam cognoſcat neceſſe eſt, vt ſæpè nos in ſuperioribus conceſſimus, & rectè notat Suarez ſupra: ergo non bene dictum eſt futura contingentia cognoſci in ſe ipſis.

*Reſpondetur, cùm dicitur futurum ſciri in ſe ipſo, excluditur diuina volũtas, vt quo, non vt quod.*

Reſpondetur, antecedens, ex dictis ſupra, eſſe intelligendum de pendere à cauſa concurrente, ſiue etiam prædefiniente, non autem prædeterminante, cùm determinatio, vt formaliter determinatio, ſit à ſola cauſa ſecunda libera, ſiue, vt cautiùs loquar, ſit per reſpectum ad ſolam cauſam ſecundam liberam. Conceſſa igitur prima conſequentia, nego ſecundam: quia cùm dicitur, futurum contingens cognoſci in ſeipſo, non intendimus tradere totum id, quod neceſſariò cognoſcendum eſt, quando futurum contingens, veluti materialiter, cognoſcitur; ſic enim ſine dubio cognoſci debet voluntas diuina, & voluntas humana, à quibus eſſentialiter pendet effectus liber: ſed ſolùm præcisè, & formaliter id, quod eſt ratio ob quam ex duobus oppoſitis, quæ indifferenter, & determinatè facere poteſt voluntas creata libera, Deus cognoſcat infallibiliter vnum determinatè, non aliud. Quam rationem cenſemus neque eſſe voluntatem humanam, neque diuinam, neque quiduis aliud antecedens, cum quo ſtet indifferentia, & libertas: ſed ſolùm ipſummet futurum contingens, in quantum, & eſt in ſe aliquid determinatum, & eſt à parte rei determinatè futurum. Atque hoc totum, ſolùm ſignificare volumus per illud, *in ſe ipſo*, cùm dicimus, futurum contingens in ſeipſo cognoſci infallibiliter à Deo.

*Tertia obiectio de actibus prædefinitis.*

190. Obiicies tertiò, ſaltem de actibus bonis prædefinitis, quos in noſtra ſententia, probabile eſt à Deo per abſolutum decretum efficaciter prædefiniri in ſecundo ſigno, immediatè poſt præſcientiam conditionatam, antequam concipiatur in tertio ſigno poni in actu aliud decretum conditionatum, neceſſarium ad conſtituendam cauſam ſecundam liberam, omninò completam in actu primo, explicatum ſupra num. 127. 128. & 141. non videtur poſſe dici, eos in ſeipſis cognoſci futuros abſolutè: quia primum illud decretum abſolutum, & efficax, non ſolùm eſt cauſa actus ſimpliciter, ſed etiam eſt cauſa actus liberi; illo enim Deus decernit infallibiliter, & determinatè, non ſolùm vt actus fiat ſimpliciter, ſed etiam vt fiat liberè: ergo hic actus, etiam vt liber, quatenus futurus abſolutè, eſt poſt decretum prædefinitiuum, ſicut omnis effectus eſt poſterior ſua cauſa. Ergo prior ratio videndi illum, eſt videre in illo decreto, quàm in ipſomet futuro.

*Reſpondetur primò tranſeat.*

Reſpondeo primò, eſto ita res habeat in hoc particulari caſu, id tamen non eſſe contra concluſionem, in qua loquor de ratione vniuerſali, & ſufficiẽte: decretum autem illud abſolutum, neque eſt vniuerſaliter de omnibus liberis actibus, ſaltem non eſt de actibus peccatorum: neque eſt ex ſe ſufficiens, ſed poſtulat præcedentem ſcientiam conditionatam, vt ſupra à num. 137.

*Reſpondetur ſecundò prædefinitionem non eſſe per ſe propriè cauſam effectus liberi, prout liberi.*

Secundò magis ad rem, illud decretum non poſſe propriè dici cauſam effectus liberi, prout liberi, ſeu liberæ determinationis, tum quia eſt quid determinatum, liber autem effectus eſſentialiter prærequirit cauſam indeterminatam: tum quia ex ſe non ſufficit, ſed poſtulat ante ſe præſcientiam conditionatam cuius vi facta ſint infallibilia media ad infallibiliter habendum effectum liberum prædefinitum, & poſt ſe aliud decretum conditionatum, & indifferens, neceſſarium ad libertatem in actu primo: tum quia ſine tali decreto, modò ponantur reliqua omnia illud antecedentia & conſequentia, haberetur infallibiliter idem prorſus effectus liber; nihilominus negari non poteſt, hoc decretum eſſe antecedens effectum liberum abſolutè futurum, & habere cum illo connexionem infallibilem.

*Prædefinitio, quamuis ſit cauſa effectus liberi, tamen nõ eſt per ſe ſuffiçiẽs ratio videndi illum.*

Et in hoc ſenſu dici aliquo modo poſſe cauſam illius: ſed quia eſt conſequens eumdem liberum effectum conditionatè futurum, præuiſum à ſcientia conditionata, vnde habet poſſe eſſe decretum rationabile de effectu libero abſolutè futuro, non poteſt ipſum, per ſe dumtaxat viſum, eſſe ratio videndi futurum abſolutè, ſed debet prius videri idem effectus liber futurus conditionatè, qui cùm talis ſit ante omne liberum Dei decretum, in actu poſitum, videri non poteſt niſi in ſe ipſo. Ergo ad hanc videndi rationem omnis diuina ſcientia cuiuſlibet effectus liberi abſolutè futuri, quantumuis prædefiniti, reuocanda tandem eſt.

*Quarta obiectio Aluarez, contra Suarez, & Vaſquez.*

191. Obiicies quartò omnia argumenta, quæ proponit Aluarez citata diſp. 13. contra duas ſententias Suarez, & Vaſquez, quos non nominat, ſed num. 1. refert primam dicentem, futura cognoſci, *ſolùm per ſimplicem intuitum veritatis rei, quæ futura eſt:* quæ eſt opinio Suarez, & idem eſt quod cognoſci futura in ſe ipſis. Secundam dicentem, futura cognoſci, *ex veritate futurorum contingentium, & ex infinitate intellectus Dei:* quæ eſt opinio Vaſquez. Horum argumenta refert Aluarez, & ſententias impugnat, ac ſi dicerent, futura contingentia ſciri à Deo ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis.

*Reſpondetur declarando opinionẽ Suarez, & Vaſquez, quæ nõ benè refertur ab Aluarez.*

Reſpondetur, eſſe diſtinguendum, ne iuniores Theologi in huiuſmodi controuerſiis minus verſati confundantur, & noſtras ſententias immeritò malam in partem accipiant. Ad cognoſcenda igitur futura contingentia abſoluta, expreſſiſſimè Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 1. cap. 8. circa finem, in quo capite ponit ſuam opinionem de videre per ſimplicem intuitum veritatis, & Vaſquez hîc diſp. 65. per totam, vbi ponit opinionem ſuam de videre ex veritate obiecti, & infinitate ſcientiæ, docent eſſe neceſſarium cognoſcere aliquod liberum Dei decretum. Ad cognoſcenda verò futura contingentia conditionata, ſicut etiam ad obiectiuam illorum veritatem, non eſſe neceſſarium vllum diuinæ voluntatis decretum, in actu poſitum, ſed ſolùm ſub conditione ponendum, Suarez, & Vaſquez, & alij Societatis noſtræ Theologi, loquendo præſertim de decreto prædeterminante, in quo antecedenter cognoſci à Deo poſſint effectus liberi, conſtantiſſimè tuentur: vt ſequentibus dubitationibus oſtendam, vbi ſoluam argumenta Aluarez, quatenus hanc ſecundam partẽ impugnant; quamuis ipſe in tota ferè illa diſputat. loqui videatur de futuris abſolutis, nam exẽplificat in his propoſitionibus ſignificãtibus abſolutè futurum, *Antichriſtus erit, Antichriſtus non erit: Petrus peccabit, vel non peccabit: virgo concipiet, & pariet filium: ter me negabis.* & in tertio argumento, *omnis*, inquit, *propoſitio de futuro contingenti habet ſuam de ineſſe.* & paulò



paulò poſt, *Aliquando ita erit, ſicut ſignificatur per propoſitionem de futuro contingenti.* Quæ verò de præſenti in re aliquando inſunt, fuerunt ſine dubio antea abſolutè futura. Vnde in prima ſua concluſione apertè loquitur de futuris, quæ *ponuntur, & ponentur in eſſe.* & in ſecunda concluſione de futuris, quæ certò cognoſcit Deus, *quia actualiter exiſtunt in æternitate.* & de quibus dicitur Apoc. 4. *Propter voluntatem tuam erunt, & creata ſunt.* hæc autem conſtat eſſe abſolutè futura.

## *Defenditur Suarez contra Nauarrete.*

*Quinta obiectio.*

192. Obiicies quintò ex Nauarrete hîc, contr. 54. contra doctrinam traditam à Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 1. cap. 8. quem ſi attentè, ac ſedatè conſideraſſet, vtique non dixiſſet, *Laborare in æquiuocatione, & non attingere punctum huius difficultatis.* Sed qua veritate huiuſmodi verba in præclariſſimum ætatis noſtræ Theologum effuderit, planè oſtendent ſequentia eius argumenta, quæ nullius momenti ſunt.

*Arguitur primò.*

Arguit igitur in ſua prima concluſione primò, *Nulla entitas realis datur ex parte futurorum, antequam ſint in ſe, vel in æternitate: ergo nulla cognoſcibilitas.*

*Arguitur ſecundò.*

Secundò, *futura ſecundùm ſe præcisè, non differunt ab entibus, quæ numquam futura ſunt, & nullam habent intelligibilitatem: ergo cum iſta præciſione non ſunt cognoſcibilia.* Probat antecedens, *quia formaliter nihil talia futura, ſicut aliæ res non cognoſcibiles: & ſolùm differunt ab eis ex fundamento, in quo habent intelligibilitatem; in quo; & cauſa creata, non habent intelligibilitatem determinatam.* Per hoc autem fundamentum in ſequentibus explicat, ſe intelligere diuinum decretum producendi futura.

*Ad primum, in futuro, antequam ſit, præſens, eſſe entitatẽ realem futurã.*

193. Ad primum, nego antecedens: nam in futuro, antequam ſit præſens in re, datur entitas realis futura, licèt non detur præſens. Et ſi obiectio, vt videtur, nullam aliam realem entitatem cognoſcit, petitur principium, & non ſatis diſtinctè percipitur natura futuri.

*Quo modo differunt, & conueniunt, futurũ, præſens, & præteritum.*

Si enim res præſens habet entitatem realem in tali tempore (vt ne ipſe quidem Nauarrete negat,) ergo in tempore antecedente habebat futurum in tali tempore. Neque enim differunt futurum, præſens, & præteritum, niſi per extrinſecas diuerſorum temporum connotationes. Nam eadem prorſus entitas realis eſt illa, quæ in hoc tempore eſt præſens, in alio tempore antecedente eſt futura, in ſubſequente eſt præterita. Quare illa particula, *in ſe*, poteſt eſſe cauſa deceptionis: nam ſi limitat entitatem realem præcisè ad ſtatum actualitatis extra cauſam, præſcindendo ab hoc vel illo tempore, omnis entitas realis, ſiue præſens, ſiue futura, ſiue præterita, eſt *in ſe*, hoc eſt, habet ſtatum actualitatis, diſtinctum à ſtatu puræ poſſibilitatis: ſi verò limitat entitatem realem ad tempus, in quo præſens eſt, vt ſignificare videntur verba obiectionis, tunc ſenſus antecedentis erit hic, nulla entitas realis futura, ſicut etiam præterita eſt præſens: hinc verò inferre, eamdem entitatem in ſe, ſiue in ſua actualitate futura, non eſſe cognoſcibilem, eſt ſanè ridiculum: nam inde probaretur pariter, non poſſe cognoſci præterita, pro eo tempore, quo præterita ſunt, quia tunc hæc etiam non ſunt, *in ſe*, hoc eſt, præſentia. Demum in illa diſiunctiua vſurpata in eodem antecedente, *antequam ſint in ſe, vel in æternitate,* latet hoc abſurdum, de quo ſatis, ſuperque ſupra, à n. 31. per multas dubitationes, poſſe eſſe rem præſentem realiter in æternitate, & tamen non eſſe præſentem realiter in ſe ipſa.

*Ad ſecundũ, futura differre à poſſibilibus.*

194. Ad ſecundum, nego antecedens, quod continet duos graues errores in Philoſophia. Alterum, futura non differre à poſſibilibus, quod non poteſt aſſerere, niſi qui non penetrat, quid ſit eſſe futurum, & quid ſit eſſe poſſibile.

*Poſſibilia habere intelligibilitatem.*

Alterum, poſſibilia nullam habere intelligibilitatem: & tamen ea, ni fallor, omnes intelligimus, & intelligunt Beati in Deo, & Deus in ſeipſo. Et profectò, ſi impoſſibilia, quia nullam habent realitatem poſſibilem, non ſunt realiter intelligibilia; à contrario, poſſibilia, quia habent realitatem poſſibilem, eſſe debent realiter intelligibilia.

*Nonnulla abſurda in argumento Nauarrete.*

In probatione etiam antecedentis plura occurrunt, quæ probari non poſſunt: tangam breuiter, quia eorum abſurditas eſt per ſe ſatis manifeſta. Primò, futura formaliter nihil ſunt. Secundò, res poſſibiles, nihil ſunt, & non ſunt cognoſcibiles. Tertiò, futura differunt à poſſibilibus ſolùm per Dei decretum, quaſi verò liberum Dei decretum, nullum in re poſſibili effectum cauſauerit; & tamen vi illius omnes dicimus, etiam ipſemet arguens, rem de ſtatu poſſibilitatis, tranſire in alium diuerſum ſtatum actualitatis, & futuritionis. Quartò, in decreto diuino, non habere futura intelligibilitatem determinatam. Quod etſi nos in aliquo ſenſu affirmare poſſimus, tamen Nauarrete, & alij Authores prædeterminantes liberum arbitrium ad vnam determinatam partem, in nullo ſenſu affirmare poſſunt.

*Arguitur tertiò.*

195. Arguit tertiò in ſecunda concluſione, qua intendit probare, intelligibilitatem futurorum contingentium, ſeu liberorum, *fundari in cognitione diuina, & in decreto voluntatis Dei. Quia,* inquit, *ante illud decretum æquale, erant ſecundùm ſe res futuræ, & non futuræ. Ergo ſicut res non futuræ non habent intelligibilitatem ſecundùm futuritionem, ita neque res futuræ.* Hinc concludit, res omnes, ſiue poſſibiles, ſiue futuras, tam liberas, quàm neceſſarias, nullam habere intelligibilitatem, præſcindendo à decreto diuino, & ab exiſtentia earumdem rerum in intellectu diuino.

*Reſpondetur, ante omnem liberam Dei voluntatem, nihil eſſe abſolutè futurum.*

Reſpondeo, concedo, ante omne liberum Dei decretum, nullam rem eſſe abſolutè futuram, aut non futuram; & ideo, nullam eſſe intelligibilem, vt futuram. Quamquam antecedens, vt proponitur, implicat in terminis; loquitur enim de rebus ante decretum, & tamen eas vocat futuras, & non futuras; cùm ante decretum, nihil ſit aliud niſi purum poſſibile, omninò præſcindens à futuro, vel non futuro.

*Poſſibilia intelligi ante decretum.*

Quod autem vltimo loco concluditur, neque deducitur ex hoc conceſſo, vt patet; neque in ſe verum eſt: tum quia etſi futura abſoluta non poſſint vt talia cognoſci, niſi dependenter ab aliquo actuali Dei decreto, tamen poſſibilia, ſicut ſuam poſſibilitatem non habent dependenter à libero decreto, ita neque intelligibilitatem eiuſdem poſſibilitatis, tum quia, loquendo etiam de ſolis futuris contingentibus, quamuis dici aliquo modo poſſint, pendere in intelligibilitate à libera Dei voluntate, ſicut pendent in eſſe; tamen non ſolùm falsò, ſed etiam ineptè dicuntur, pendere etiam ſecundùm eamdem intelligibilitatem, *ab exiſtentia in intellectu diuino.*

*Futurorũ intelligibilitas non pẽdet ab exiſtentia in intellectu diuino.*

quia hæc exiſtentia nihil eſt aliud, niſi actualis intellectio obiecti, ſiue, quod idem in re eſt, ipſummet obiectum actualiter intelligi, & obiici intelligenti, hoc autem manifeſtè præſupponit entitatem, & intelligibilitatem obiecti: ergo hæc non rectè aſſeritur, fundari in illo, & haberi ab illo.

196. Arguit quartò in tertia concluſione. Futura libera,

bera, *ſecundùm ſe nihil ſunt, præſcindendo à determinatione voluntatis Dei :* ergo cum hac præciſione non ſunt cognoſcibilia in ſeipſis.

*Reſpondetur, futura pendere à decreto cõditionato, & indifferente, non à prædeterminante.*

Reſpondetur, negatur antecedens. Imo futura, vt ſint contingentia, ſeu libera, debent neceſſariò præſcindere à tali Dei decreto prædeterminatiuo, alioqui nihil eſſent in ratione liberi. Nihil autem eſſent ſi præſcinderent ab omni libero Dei decreto, etiam conditionato, & indifferente: & ideò ſine hoc non eſſent cognoſcibilia, vt conceſſi ſupra num. 128. & concedunt Molina hîc, diſput. 15. ad 3. & 4. & Suarez, vt contra Aluarez notaui ſupra num. 191. Hoc tamen non obſtante aſſerimus, rationem ex parte obiecti, ob quam Deus, ex duabus partibus oppoſitis, poſſibilibus ab eadem cauſa libera, videat futuram vnam potius, quàm aliam, nõ eſſe volũtatem, aut increatam, aut creatam, ſed ſolùm eſſe ipſammet actualem determinationẽ creatæ voluntatis, quæ ſicut de præſenti, poſitis omnibus neceſſariò prærequiſitis ad liberè operãdum, ſe ſe ipſa ſponte determinat, & applicat ad operandũ hoc, non aliud; ita de futuro, eſt operatura hoc, non aliud. Ergo hoc in nulla prorſus re videri infallibiliter poteſt antè exiſtentiam ipſiuſmet actualis determinationis ad hoc; quia per nullam rem antecedentem voluntas poteſt determinari ad hoc, & ſimul liberè operari hoc. Ergo futura libera videri infallibiliter non poſſunt niſi in ſe ipſis; quia niſi hoc præſupponatur in ſe ipſo, in nulla alia re ante hoc præſupponi infallibiliter poteſt hoc liberè futurum. Volũtas igitur diuina per ſe, eſt quidem ratio vt poſſit hoc eſſe liberè, non tamen infallibiliter; & ideò eſt ratio videndi completam potentiam faciendi liberè hoc, ſed non videndi infallibiliter futurum liberè hoc.

Molina. Suarez.

*Ratio videndi futurũ liberum eſt ſola determinatio voluntatis creatæ.*

*Voluntas Dei eſt ratio videndi potentiam liberam cõpletam, nõ effectum liberum.*

Deinde Nauarrete in ſua quarta, & quinta concluſione repetit eadem, quibus iam factum eſt ſatis. Solùm addit, ex diuina cognitione futuri contingentis, quæ eſt ſcientia viſionis, cauſari ipſummet futuri contingentis obiectum, & quoad eſſe, & conſequenter quoad intelligibilitatem: in quo, inquit, *maximè deficit Suarez.* Sed quantum ipſe & à veritate, & à S.Thoma, & à Thomiſtis antiquioribus, & à communiſſima reliquorum Theologorum ſententia deficiat, oſtenſum latè eſt ſupra art. 8. dub. 3.

197. *Aliud Nauarrete argumentũ cõtra Suarez.*

Demum in §. *ex dictis.* contendit, *quòd repugnent inter ſe,* duo dicta Suarez; alterum, rationem formalem, ob quam Deus cognoſcit futura contingentia, eſſe in ipſomet Deo, qui ſcilicet ea in ſe ipſo cognoſcit, vt ſupra artic. 5. Alterum, ipſamet futura habere in ſe ipſis propriam cognoſcibilitatem, qua ſecundum ſe terminare poſſunt cognitionem diuinam. Probat repugnare, *quia obiectum materiale non habet aliquam virtutem ad terminandam potentiam, vel ſcientiam, niſi ſecundùm quòd ſequitur ex ratione formali, & intelligitur poſterius illa.* Cuius rei, inquit, *ratio eſt manifeſta; quia tota perfectio, quam habet materia, debet ei prouenire à forma: vnde tota perfectio, quam habet obiectum materiale ad terminandam potentiam, debet prouenire ex ratione formali; & tale obiectum ex ſe, ſolùm habet limitare rationem formalem: ergo ſi res contingentes habent potentiam ad terminandam cognitionem diuinam, neceſſarium eſt, vt prius induant rationem formalem obiecti cognitionis diuinæ. Sed ratio iſta non eſt aliquid extra Deum: ergo res, quæ ſunt extra Deum, non poſſunt habere aliquam intelligibilitatem reſpectu intellectus diuini, niſi prius participent illam ab eodem intellectu, vel à ratione formali talis intellectus. Ergo ſecundùm ſe non poſſunt terminare cognitionem diuinam, ſed tota ratio huius potentiæ ad terminandum, prouenit eis ex eo quòd originantur ab eodem intellectu, à quo cognoſcuntur.* Quam argumentationem lego etiam in Cabrera tom. 3. in 3. part. quæſt. 62. art. 1. d. 12. §. 5. num. 145. Cabrera.

198. *Reſpondetur probando, obiecta materialia habere ſuas virtutes ex ſe, non ex ratione formali.*

Reſpondeo, primam propoſitionem, in qua fundatur tota vis obiectionis, eſſe manifeſtè falſam, quamuis enim obiectum materiale terminare non poſſit actum, niſi illud ſubſtet rationi formali obiecti actus, tamen ipſummet eſt, quod terminat actum per ſuam propriam entitatem, & in hac ipſa propria entitate eſt potentia terminatiua actus, v. g. ponamus, quod ipſimet Nauarrete, & Cabrera admittunt, obiectum viſus materiale, eſſe coloratum, formale verò, eſſe lucidum; nemo ſanè dixerit, ipſam materialem terminationem in colorato, & potentiam materialiter terminandi, eſſe à lucido: tum quia vel ipſo ſenſu manifeſtum eſt, illuminato colorato, videri coloratum, ſecundùm quod in ſe coloratum eſt; ſicut illuminato quanto, conſtat videri quantum, ſecundùm quod in ſe quantum eſt. Ergo ipſamet materialia obiecta, ſecundùm id quod in ſeipſis ſunt, materialiter terminant, & habent potentiam materialiter terminandi actus, qui circa ipſa verſantur, licèt vt hoc præſtent, prærequirant eſſe ſub ratione formali, ſub qua terminantur actus circa ipſa: vnde nos ſupra, quæſt. 1. artic. 7. numero 1. ex omnium Philoſophorum ſententia definiuimus, nomine obiecti materialis eſſe intelligendum omne id, quod terminat, *vt quod,* actum. Tum quia eiuſdem rationis lux eſt, qua fit lucidum album, & fit lucidum nigrum: & nihilominus in his ſunt diuerſæ terminationes, & potentiæ terminandi viſum, qui ſub eodem formali lucis ratione terminatur ad album, videndo illud, ſecundùm quod eſt in ſe album, oppoſitum nigro; & terminatur ad nigrum, videndo illud, ſecundùm quod eſt in ſe nigrum oppoſitum albo: ergo materiales terminationes, & potentiæ terminandi, non ſequuntur ex ratione formali, nec ab illa proueniunt, aut originantur, vt falsò aſſumit obiectio. Cuius aſſumpti probatio nulla eſt, quia tota materiæ perfectio formalis, & ſpecifica, eſt à forma; non autem tota perfectio ſimpliciter, etiam propria materialis, quæ competit materiæ, qua materia eſt: ſicut enim materia, in ratione materiæ, eſt diſtincta realiter à forma, ac proinde, eſto domus materiam recipere actualitatem, & exiſtentiam à forma, tamen propriam, atque eſſentialem ſuam rationem à forma non recipit; ita nec recipit materiales proprietates propriam ſuam eſſentiam conſequentes, v. g. in phyſicis, materia prima quòd poſſit recipere, ac ſuſtentare, & actu recipiat, & ſuſtentet formam, eíque materialiter vniatur, & ſit vnibilis, & vt ſubiectum materialiter terminet actionem agentis, generantis formam, aliáque eiuſdem generis materialia munera, habet ex ſe, & non à forma. Ergo à pari in intentionalibus, obiectum materiale, ſicut in ſe, & ex ſe, non à ratione formali, habet ſuam materialitatem, ita & ſuas materiales proprietates; inter quas vel præcipua, vel ſola eſt, vis terminandi *vt quod* actum. Nam, quod addit arguens, obiectum materiale limitare dumtaxat rationem formalem, eſt valde alienum à vera Philoſophia, qua conſtat, materiam eſſe in ſe quid indeterminatum, & commune ad plures ſpecies, formam verò quid ad vnam ſpeciem determinatum. Nihil autem indeterminatum, & commune limitare poteſt quæ ſunt deter-

*Nõ tota ſimpliciter perfectio, ſeu virtus materiæ, eſt à forma.*

*Obiectũ materiale nõ limitat rationem formalẽ, ſed limitatur ab ea.*



determinata & particularia, ſed ab his potius limitatur. Vnde Porphyrius cap. de differentia, circa finem, genus, & differentiam comparat materiæ, & formæ; ſicut igitur genus limitatur à differentia, non contra, ita materia non limitat formam, ſed ab illa limitatur. Præterea ſi illud, *limitare,* habet obiectum materiale ex ſe, ergo ex ſe habet propriam entitatem, & vim neceſſariam ad limitandum. Ergo idem, & multò congruentius dici poterat de terminatione: nec erat vniuerſaliter pronuntiandum, *totam materiæ perfectionem haberi à forma.*

Porphyrius.

199. *Summa argumenti Nauarrete.*

Vlterius, eſto vera ſit prima illa maior propoſitio, adhuc in progreſſu notabiliter deficit diſcurſus obiectionis: ille enim in hanc breuem, & claram formam reducitur. Obiectum materiale intelligibilitatem, qua actum terminat, habet à ratione formali: ſed ratio formalis, qua Deus cognoſcit futura contingentia, eſt ipſemet Deus vt eorum cauſa; vt ſentit Suarez cum S.Thoma, quod ſuis locis oſtendimus: ergo futura contingentia intelligibilitatem, qua terminant diuinam eorum cognitionem, quæ ſecundùm omnes eſt ſcientia viſionis, habent à diuina cognitione, & viſionis ſcientia. Quod argumentum manifeſtè caret forma, & veritate: forma quidem, quia, quòd cognitio diuina futurorum ſit in Deo ratio formalis cognoſcẽdi futura, neque dicitur in maiore, neque in minore, & tamẽ expreſsè ſupponitur in concluſione: veritate autem, quia hoc ipſum, quod in concluſione ſupponitur, eſt apertè ridiculum, quis enim vnquam audiuit, rationem formalem, ob quam videatur obiectũ, eſſe ipſammet viſionem obiecti? Et quod inde deducitur, de viſionis ſcientia cauſante ipſaſmet res futuras illi obiectas, eſt omninò falsũ, ex probatis ſupra articulo octauo. Poſtremò, intra Deum nõ ſolùm eſt ratio formalis cognoſcendi futura contingentia, ſed etiam ratio formalis cognoſcendi poſſibilia. Ergo ſi ex eo quòd ratio videndi futura ſit intra Deum, deducit Nauarrete, ea potentiam terminandi viſionem diuinam non habere ex ſe, ſed ab intellectu, & voluntatem Dei; ſequeretur pariter, poſſibilia non habere ex ſe, ſed à cognitione, & volitione Dei, potentiam terminandi cognitionem illam, quà à Deo ſimpliciter intelliguntur. Quod eſt euidentiùs abſurdum, quia etſi de entibus actualibus, atque adeo de futuris contingentibus, quæ per intellectum, & voluntatem Dei cauſantur, id aliqua ratione dici poſſe videatur; tamen de entibus poſſibilibus, quæ, vt poſſibilia ſunt, non cauſantur ab actibus cognitionis, & volitionis Dei, ſed præſupponuntur ad illos, id certè nulla ratione dici poteſt.

*Vitia eiuſdẽ argumenti.*

*Poſſibilia vim terminandi ſcientiam Dei, nõ habere ab intellectu, & voluntate Dei.*

## *Aliæ obiectiones Cabreræ, & Nauarrete, Nazarij, Gonzalez.*

200. *Sexta obiectio Cabreræ.*

Obiicies ſextò ex Cabrera tomo 2. in 3. parte, quæſt. 11. art. 1. diſput. 3. num. 19. *futura contingentia in ſe ipſis ſunt indeterminata: ergo nequit haberi determinata, & certa notitia illorum, ſi præcisè in ſe ipſis conſiderentur.*

*Reſpondetur, totam obiectionem eſſe contra S.Th. & veritatẽ.*

Reſpondetur, antecedens, & conſequens, non ſolùm re, ſed etiam verbis ipſis expreſſiſſimè contradicere S.Thomæ in omnibus locis, vbi de hac materia agit, ſupra ſæpe citatis. In hoc enim articulo, vt reliqua omnia prætermittam, ne inutiliter immorer in re clariſſima, ita habet: *Contingens poteſt conſiderari, vno modo in ſeipſo; & ſic conſideratur vt determinatum ad vnum: & propter hoc, ſic, infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni.* Nec in hoc Authore deſunt alia directè contraria S. Thomæ, vt notaui etiam ſupra artic. 8. n. 147. & nihilominus ab eo omnes Societatis noſtræ Theologi paſſim vocantur *Antithomæ:* nimirum, quia moderno Thomiſtæ, in cuius verba ipſe quoque iurare voluit, contradicunt: maximè alioqui laborantes pro demonſtranda, tuendáque veritate, quam S.Thomas, & omnes antiquiores, doctioréſque Thomiſtæ, perſpicuè tradiderunt. Verùm ſapientis Theologi, præſertim religioſi eſt, rebus, ac rationibus agere, non verbis, contumeliis. Nos autem his facilè parcimus, Apoſtolico inſtituti exemplo, quo ait, *Maledicimur, & benedicimus.* 1. Cor. 4.

*Cabreræ maledictum cõtra Theologos Societatis Ieſu.*

Obiicies ſeptimò ex eodem, in tom. 3. quæſt. 62. artic. 1. diſputat. 12. §. 15. num. 343. *Peccata ex ſe non habent proportionem cum cognitione diuina: nec ratio diuinæ cognitionis ſumi debet ex aliquo, quod ſit extra Deum; & propterea peccata non ideo cognoſcuntur, quia ſunt.* 201.

*Septima obiectio eiuſdẽ de ſcientia peccatorum.*

Reſpondetur, nego primam partem antecedentis; quia peccata, ſi ſumantur materialiter pro actu poſitiuo reali, habent proportionem cum diuina cognitione, ſicut habent cum omnipotentia, licèt non habeant cum ſanctiſſima Dei voluntate prædefiniente, & prædeterminante, quam tamen admittit Cabrera ſupra numero 111. Si verò ſumantur formaliter pro malitia, habent etiam proportionem cum diuina cognitione, purè vidente per ſcientiam viſionis, non autem cauſante per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & approbationis, modo tradito ſupra artic. 9. & 10. Secundam antecedentis partem concedo de ratione cognoſcendi ex parte cognoſcentis, nego de ratione cognoſcendi ex parte rei cognitæ: in quo ſecundo ſenſu non in primo eſt præſens controuerſia, vt illius initio ſupra n. 3. monuimus.

*Reſpondetur explicando proportionem, quam habẽt peccata cum diuinis perfectionibus.*

Obiicies octauò rurſus ex Nauarrete controuerſ. 55. §. 2. propoſitione 6. contra Molinam. *Implicat, quòd præſcindendo ab influxu diuino, cauſa ſecunda, magis ſe determinet ad vnam partem, quàm ad aliam: ergo implicat, quòd conſiderando, Deus naturam cauſæ ſecundæ, & præſcindendo à concurſu ipſius Dei, cognoſcat illam cauſam magis determinatam ad vnam partem, quàm ad aliam.* Confirmat ad hominem ex abſurdo: *nam ſecundùm ſententiam huius Authoris,* hoc eſt, Molinæ, *Deus expectat determinationem cauſæ ſecundæ ad vnum, vt cognoſcat effectum futurum: ergo ratio formalis huius cognitionis non eſt aliquid ex parte Dei: ſed ſicut ille qui ſumit ſcientiam à rebus, expectat quid rebus conueniat, vt iudicium ferat circa ipſas; & ita ratio formalis iudicandi ſumitur in eodem iudicio ab ipſis rebus; ſic eſſet dicendum de Deo.* 202.

*Octaua obiectio Nauarrete contra Molinam.*

Reſpondeo, in primo argumento per influxum, & concurſum Dei poſſe duo intelligi. Primò, æternam voluntatem actualiter concurrendi in tempore cum cauſa ſecunda libera; & dici poteſt concurſus in actu primo paratus. Secundò, ipſummet actualem concurſum, in actu ſecundo temporaliter exhibitum. Si ſermo ſit de primo concurſu, hoc eſt, de diuino decreto, implicat determinationem liberam eſſe, & cognoſci præſcindendo à decreto indifferente, & conditionato, quo cauſa ſecunda conſtituitur completè potens liberè operari, atque adeo ſe determinare ad vtrumlibet. Non autem implicat præſcindendo à decreto abſoluto prædeterminante ad vnum; imo determinatio libera cauſæ ſecundæ omninò implicat præſuppoſito tali decreto. Si verò ſermo ſit de

*Reſpondetur declarando, quo modo libera determinatio pendeat à concurſu Dei.*

*Quid ſit cõcurſus in actu primo, & in actu ſecundo.*

de ſecundo concurſu actuali, ſimiliter dico, implicare, determinationem liberam cauſæ ſecundæ eſſe, & cognoſci ſine concurſu primæ cauſæ concomitante, & cooperante, propter dependentiam, atque indigentiam cauſæ ſecundæ: ſed non implicare, eſſe, & cognoſci ſine concurſu primæ cauſæ antecedente, & prædeterminante ad vnum: imò cum tali concurſu illa determinatio implicaret. Et impugnare Molinam, alióſque noſtros Theologos, ac ſi abſolutè dicerent, voluntatem noſtram ſe determinare, quod eſt, liberè operari; ſine vllo diuino influxu, nocet potius referentibus falſa, quàm docentibus vera.

*Deus non expectat liberã determinationem.* Ad confirmationem, iam dixi ſupra num. 149. & 172. circa finem, Deum non expectare, ſed prærequirere liberam determinationem, ſeu liberum effectum, vt poſſit eum cognoſcere. Et quid ſimile tenentur dicere ipſimet aduerſarij; nam in eorum quoque ſententia, intellectus Dei non poteſt cognoſcere effectum futurum, niſi poſt liberum voluntatis ſuæ decretum: & tamen, credo, non concederent Deum expectare decretum, aut creaturam futuram, vt illam cognoſcat. Neganda eſt igitur vltima conſequentia, & comparatio cum cognitione creata prærequirente obiectum creatum actuale: ſicut enim Deus vt cognoſcat futurum quodcumque ſimpliciter, prærequirit liberum ſuum decretum in omnium opinione, & conſequenter, ipſummet futurum, vt probaui ſupra, art. 8. non vt futurum cognoſcat formaliter in ipſo futuro, aut in decreto libero quatenus libero, quod vt ſic nihil intrinſecum addit Deo, quod eſſe queat ipſi Deo formalis ratio videndi, ſed vt cognoſcere poſſit in ſe ipſo, tanquam in cauſa; ita nos pariter dicimus Deum vt cognoſcat effectus liberè futuros à voluntate creata, prærequirere liberam determinationem futuram à voluntate, non quidem excludente generalem influxum cauſæ primæ, ſed ſolùm excludente primæ cauſæ influxum determinantem ad vnam partem, vt expreſsè docet S. Thomas lib. 1. contra Gentes cap. 68. verbis citatis ſupra num. 175. hanc autem determinationem prærequirere, non vt futurum cognoſcat in ipſomet futuro, quod eſſet ſumere ſcientiam à rebus, *Deus nõ ſumit ſcientiã à rebus.* ſed in ſeipſo formaliter tanquam in cauſa. Ex duobus enim oppoſitis, quæ liberè eſſe poſſunt à cauſa indifferente, ad vtrumlibet, non poſſet in ſe ipſo oſtendere vnum determinatè futurum potius, quàm aliud, niſi præſupponeretur illud determinatè futurum, vndecumque tandem habeatur talis determinatio, de qua re ſuperius dictum eſt ſatis.

103. *Prima obiectio Nazarij.* Obiicies nonò fundamentum Nazarij controuerſ. 2. concl. 2. *Contingentium, & liberorum actuum veritas non eſt determinata, niſi dependenter à diuina voluntate: ergo non eſt certò cognoſcibilis niſi per ordinem ad determinationem diuinæ voluntatis.*

*Reſpondetur ex dictis.* Reſpondetur, per diſtinctionem S. Thomæ ſupra, eſt determinata veritas per dependentiam à diuina voluntate determinante, & nego antecedens: à voluntate generaliter concurrente iuxta modum connaturaliter proportionatum virtuti cauſæ ſecundæ liberæ, & concedo antecedens, ſed nego conſequentiam.

204. *Decima obiectio Gõzalez contra Arrubal, & alios defenſores ſcientiæ mediæ.* Obiicies decimò ex Gonzalez diſp. 37. ſect. 1. contra defenſores ſcientiæ mediæ, & præcipuè Arrubal diſput. 54. cap. 3. num. 9. veriſſimè dicentem, *Actus ſcientiæ liberæ, intrinſecè ſolùm includit realem, & neceſſariam perfectionem intellectionis diuinæ: extrinſecè autem connotat veritatem obiecti contingentis.* *Primò.* Arguit primò, quia qui tenent, Deum non alio modo cognoſcere futura contingentia abſoluta, niſi præſuppoſita ſcientia conditionata, antecedente omne decretum liberum Dei, qua ſcilicet illa cognoſcuntur, in ſeipſis, nituntur *infirmo, & falſo fundamento* ſcientiæ mediæ. Secundò, *Secundò.* data hac ſcientia, *non aſſignant aliqui eius defenſores medium aliquod intrinſecum Deo, in quo cognoſcat futura abſoluta contingentia, ſed ſolùm extrinſecum.* Tertiò, *Tertiò.* quia in ſententia Arrubal, *Deus non dicitur intelligere creaturas futuras per intrinſecam, & immanentem determinationem ſui intellectus ad eſſe creaturarum potius, quàm ad non eſſe: ſed determinatur à futura exiſtentia obiecti, vt ſit cognitio futuritionis creaturarum potius, quàm non futuritionis earum.* & in contrarium citat Ariminenſem, & Capreolum in 1. d. 45. Zumel infra quæſt. 19. artic. 3. diſputat. 2. Suarez in metaph. d. 30. ſect. 9. num. 5. Et arguit quartò, *Quartò.* *Diuina intellectio creaturarum, eſt actus immanens, & vitalis: ergo eſt intrinſeca, & vitalis determinatio. Patet conſequentia, quia immanenter, & vitaliter agere circa tale obiectum, nihil eſt aliud, quàm intrinſecè ſe determinare circa tale obiectum; & intelligere aliquid, nihil eſt aliud, quàm vitaliter, & immanenter agere circa illud. Hæc enim eſt definitio intellectionis alicuius obiecti, vt docet Diuus Thomas 1. parte quæſt. 54. artic. 1. ad 2. ex Philoſopho lib. 2. de anima textu 37.* Arguit quintò, *Quintò.* *efficaciſſimè*, vt ipſe dicit, quia ſequeretur, futura eſſe *obiectum motiuum diuini intellectus. Sequela probatur, quia nihil aliud eſt, eſſe obiectum motiuum potentiæ, quàm illam determinare ad tale obiectum, potius quàm ad oppoſitum.* Sed hoc præſtant futura reſpectu diuini intellectus: ergo, &c. Si reſpondeas, intellectum diuinum non determinari ab extrinſeco obiecto futuro, ſed ſuppoſita eius veritate: illud neceſſariò attingere, ex intrinſeca ſua determinatione. Arguit ſextò, *Sextò.* quia *intellectus diuinus eſt indifferens ad cognoſcendum futuram exiſtentiam creaturarum, vel non futuram: ergo vt cognoſcat futuram, indiget aliquo mouente, determinante illum.* Sed hoc, ſecundùm nos, non eſt decretum diuinum; non poteſt eſſe eſſentia diuina, quia hæc eſt indifferens ad repræſentandum futurum, vel non futurum: ergo eſt ipſummet futurum: ergo hoc eſt obiectum motiuum. Septimò, *Septimò.* *ſequitur ex prædicta ſententia, quòd res creatæ, prius eſſent veræ, quàm diuinus intellectus: ac ſubinde, veritas diuini intellectus eſſet exemplata à creaturis futuris, imò & participata ab illis; quæ valde abſurda ſunt.* Octauò, *Octauò.* ſequitur etiam contra S. Thomam lib. 1. contra Gentes c. 57. *quòd diuina intellectio penderet à multitudine intellectorum, ſi quidem illam neceſſariò præſupponeret.*

205. *Ad primum dicetur infra.* Reſpondeo ad primum, infra demonſtrabimus, fundamentum ſcientiæ mediæ eſſe verum, ac ſolidum. *Ad ſecundũ, cùm Deus videt futura contingentia diſtinguendũ eſt duplex videndi medium.* Ad ſecundum, diuinam cognitionem futurorum contingentium haberi ex duplici medio, & extrinſeco ex parte rei cognitæ, de quo nunc diſputamus; & intrinſeco ex parte Dei cognoſcentis, de quo diſputatum eſt ſuprà artic. 5. noſtri Theologi vtrumque diſtinctè tradunt, Primum omnes aſſerunt eſſe ipſummet futurum in ſe. In ſecundo omnes etiam conueniunt: eſſe aliquid intra Deum, quamuis diſcrepent, quodnam illud ſit, vt oſtendi artic. 5. dub. 2. Hæc verò duo media, vel confundere, vel non ſatis diſtinguere, videtur Gonzalez in ſuis argumentis. Ad tertium ne ipſe quidem Gonzalez negare poteſt quod docet Arrubal, modò explicet quid intelligat, *Per intrinſecam, & immanentem determinationem.* Nam in 6. arg. propoſito, ipſe expreſsè fatetur, *Quòd intellectus diuinus eſt indifferens ad cognoſcendum futurum, vel non futurum.* Et ideo, inquit, *indiget aliquo determinante.* *S. Thomas.* Et S. Thomas ſupra art. 8. de omni practica ſcientia, rerum productiua, atque adeò de diuina ſcientia, cuius gratia eam doctrinam tradebat, ita habet, *Non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad vnum per appetitum.* Et, vt cætera omittam, ipſummet nomen ſcientiæ liberæ, ſonat intrinſecam indifferentiam, atque indeterminationem, cui aliqua determinatio ſuccedat neceſſe eſt, poſito determinato obiecto libero ſcibili. Neque vllus ex iis, quos Gonzalez ibi citat, eſt inoppoſitum; quem laborem, ne ſim longior; ſtudioſis Lectoribus relinquo. *Ad quam determinationem ſit indifferens ſcientia Dei libera.* Duplex igitur in diuina ſciẽtia libera, ſecundùm omnes, diſtingui debet determinatio, prima dici poteſt entitatiua, ſeu repræſentatiua ſecundùm ſe; & hæc eſt intrinſeca, immanens, vitalis, qua ſcilicet illa ſcientia ex vi ſua eſſentiali habet intrinſecam virtutem repræſentandi quemlibet liberum effectum: atque hanc non negat Arrubal. Secunda dici poteſt purè terminatiua, quam ſupra primam neceſſe eſt addere; quia vt ex pluribus oppoſitis, quæ futura eſſe poſſunt ex cauſa libera videatur hoc determinatum futurum, & non aliud, non ſolùm eſt neceſſaria, certa, ac determinata videndi, ac repræſentandi virtus ex parte videntis, ſed etiam certum, ac determinatum obiectum extrinſecum, ſeu terminus ad quem illa viſio terminari determinatè debet; alioquin ô poteſt terminari ad vtrumque oppoſitum ſimul, vt ad eſſe futurum, & ſimul ad non eſſe futurum. Atque hæc ſecunda determinatio eſt extrinſeca, eámque Arrubal, ac reliqui noſtri Theologi, certò putant non poſſe aliunde prouenire in libera Dei ſcientia de futuro contingente, niſi ex ipſomet futuro ſecundùm ſe, prout iam in actu eſſe conſideratur, non quidem tanquam ex cauſa, quouis modo influente in eſſe intrinſecum illius ſcientiæ, aut ad illud eſſe, quacumque ratione neceſſario, ſeu prærequiſito; ſed ſolùm tanquam ex pura ratione extrinſecè præſuppoſita, & eſſentialiter prærequiſita ad hoc, vt infinita illa vis, quæ quantum eſt ex ſe, apta eſt repræſentare hoc futurum, & aliud oppoſitum futurum, terminetur potius ad hoc, quàm ad aliud: talis enim determinata viſio prærequirit neceſſariò ex parte extrinſeci obiecti, ſeu termini, hoc determinatum futurum, & non aliud. De hac igitur ſecunda determinatione concedo cum Arrubal quicquid habet Gonzalez in ſuo 3. argum. *Damaſcen.* Nam, vt egregiè pronunciauit Damaſcenus citatus ſupra artic. 8. num. 52. *Vt ea, quæ facturi ſumus, præſciat Deus, à nobis proficiſcitur.*

206. *Ad quartum.* Hinc reliquis obiectionibus facilè poteſt fieri ſatis. Ad quartum, concedo totum de prima determinatione entitatiua, nego de ſecunda terminatiua. Quanquam miſcet ibi Gonzalez nonnulla ſimpliciter facta. Primò, Deum per ſcientiam viſionis immanenter, & vitaliter agere circa ſuum obiectum: quod multis confutatum eſt ſupr. art. 8. Secundò, ſcientiam immanenter, & vitaliter agere circa ſuum obiectum, nihil eſſe aliud quàm intrinſecè ſe determinare circà ſuum obiectum. *Scientia Dei libera non ſe intrinſecè determinat.* Nihil propriè dici poteſt, ſe intrinſecè determinare, niſi quod in ſua intrinſeca natura eſt formaliter liberum. Sola autem voluntas eſt formaliter libera: ergo de ſcientia ſecundùm ſe, non videtur rectè dictum, *intrinſecè ſe determinare*: ſed determinationem habet ab alio extrinſeco. *Intelligere, non eſt agere circa obiectum.* Tertiò, intelligere aliquid, nihil eſſe aliud, quàm vitaliter, & immanenter agere circa illud. Hoc ita vniuerſaliter, & præcisè dictum ſtare non poteſt. Quid enim circa Deum agunt Beati, cùm Deum intelligunt? Quid agimus nos circa cœlos, cùm illos intelligimus? Deus quoque neque agit per ſcientiam viſionis, vt dictum eſt, neque etiam per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ſi ſecundùm ſe præcisè conſideretur, eſt quidem intellectio, tamen non eſt cauſa, vel ſaltem non cauſat in actu ſecundo, vt ſupra art. 8. dub. 4. concluſ. 6. & 7. Quid enim illa agit circa alios mundos poſſibiles, ſed nunquam futuros? Quamuis igitur per actionem intelligendi producatur actus, ſeu verbum, vt ſupra q. 12. art. 2. à num. 5. quod etiam in diuino intellectu abſoluto, de quo nunc loquimur, locum non habet; tamen nihil prorſus producitur circa obiectum intelligibile. *S. Thomas.* Neque S. Thomas loco citato à Gonzalez tradit definitionem intellectionis, ſed ſolùm exponit Philoſophum, non in 2. de anima, text. 37. *In quo ſenſu dicat Ariſtoteles, Actio intellectus eſt vita.* quem locum Gonzalez refert, vbi nil ad rem, ſed in lib. 11. Metaph. text. 39. vt notatur in margine, dicentem, *Quòd actio intellectus eſt vita.* hoc eſt, inquit S. Thomas, non eſſentia intelligentis, ſed actus eius vitalis, in abſtracto ſignificatus; ſicut viuere, eſt idem actus ſignificatus in concreto. Gratis igitur dixit Gonzalez, illam intellectionis definitionem, quam ipſe primus falsò compoſuit, eſſe S. Doctoris, & Philoſophi, qui potius contrarium docet 3. de anima, text. 3. dum ait, quòd ſicut ſenſus à ſenſibilibus, ita intellectus ab intelligibilibus patitur, quia vterque nullam propriam formam habet, ſed eſt formarum ſuſceptiuus.

207. *Ad quintum.* Ad quintum efficaciſſimum, nego ſequelam, nam creaturæ omnes, tam poſſibiles, quàm futuræ, ſunt diuinæ ſcientiæ obiectum terminatiuum, non motiuum, quod ſæpe in ſuperioribus probatum, & declaratum eſt, vt articul. 2. 5. & 8. Ad probationem ſequelæ, nego definitionem illam obiecti motiui: nam libera Dei voluntas, qua ſtatuit creare hunc mundum, determinauit diuinam ſcientiam ad repræſentandum hunc mundum futurum, non alium: & tamen iuxta ſententiam S. Thomæ probatam ſupra articul. 5. obiectum motiuum, quo Deus cognoſcit mundum futurum, non eſt libera Dei voluntas, ſed ipſamet eſſentia diuina, vt formaliter cauſa mundi futuri: ergo nimis amplè dicitur, *Nihil aliud eſt, eſſe obiectum motiuum, quàm determinare.* Omne obiectum motiuum, determinat potentiam: non autem contra, omne, quod quacumque ratione determinat potentiam, eſt obiectum motiuum. Igitur proprium obiecti motiui eſt, determinare intrinſecè, vt principium formale intelligendi, & vniuerſaliter, ſe vitaliter mouendi; quomodo determinat in intellectum diuinum ſola diuina eſſentia, vt ſupra articulo 2. Futura verò non hoc modo determinant, ſed ſolùm extrinſecè, vt purus terminus. *Ad ſextum.* Hinc patet, ad ſextum, negandam eſſe vltimam conſequentiam. *Ad ſeptimum, ſcientia Dei præſupponit futurum, & præſupponitur ab illo, diuerſa ratione.* Ad ſeptimum, quid reſpondendum ſit, patet ex ſolutione ſimilis argumenti ſupra articulo 8. numero 129. Nego igitur ſimpliciter ſequelam: quamuis enim vt diuina ſcientia terminetur extrinſecè ad hoc futurum, non ad futurum oppoſitum, neceſſarium ſit præſupponi hoc futurum, antequam concipiamus illam terminari ad hoc futurum; tamen quicquid entitatis, & veritatis eſt in hoc futuro, præſupponitur eminenter, & virtualiter in diuina eſſentia, & ſcientia, à qua illud dependet, & cauſatur. Quare ad ſcientiam Dei liberam præſupponitur futurum, propter meram termi-

terminationem extrinſecam, quam habere non poſſet illa ſcientia niſi ipſomet extrinſeco termino præſuppoſito, vt ſupra artic. 8. à num. 137. non propter entitatem, & veritatem tranſcendentalem, quam non habet diuina ſcientia dependenter à futuro, ſed è contra. Et ideò falſum eſt, ex noſtra ſententia ſequi veritatem diuini intellectus eſſe exemplatam, aut participatam à creaturis futuris: ſiue res creatas prius eſſe veras, quàm diuinum intellectum. Sicut enim illæ prius eminenter ſunt in diuino intellectu quoad entitatem, ſecundùm quam ab illo cauſantur; ita etiam quoad veritatem, quæ eſt paſſio conſequens entitatem. Ad octauum, ex proximè dictis, conſtat negandam eſſe ſequelam. Hæc non eſt bona conſequentia, ſcientia præſupponit futurum, ergo pendet à futuro. Nam etiam ſecundùm Thomiſtas, ſcientia Dei de futuro libero præſupponit decretum liberum Dei: & tamen perperam concederent, illam pendere ab hoc. Igitur non quælibet præſuppoſitio arguit dependentiam, ſed ſolùm præſuppoſitio prærequiſita ad intrinſecum eſſe rei præſuppoſitæ, & non ſolùm ad extrinſecam illius terminationem, vt in caſu noſtro.

*Veritas prius conuenit diuino intellectui, quàm rebus.*

*Ad octauum, ſcientia Dei præſupponit futurum, ſed ab illo non pendet.*

208\. Obiicies vltimò ex Nauarrete, controuerſ. 53. §. 2. propoſitione 2. parte 2. Primò, quia veritas futurorum contingentium non eſt determinata niſi per diuinum decretum. Secundò, ſequeretur, quòd diuina cognitio præſupponeret futura: hoc autem, inquit, *eſt falſiſſimum.* Primò, quia *Deus per intellectum producit futura: ergo implicat quòd prius ſint in ſe, quàm cognoſcantur à Deo.* Secundò, quia *ſcientia diuina ſumeretur à rebus, & ab illis haberet perfectionem certitudinis.* Tertiò, quia *aliqua certitudo, & veritas determinata eſſet in rebus non participata ab intellectu diuino.*

*Vltima obiectio Nauarrete.*

Reſpondeo ad primum, veritatem illam eſſe determinatam, non propter decretum, quod probatum eſt non poſſe eſſe prædeterminans voluntatem ad liberè operandum; ſed propter determinationem, quam ipſamet futura intrinſecè habent in ſeipſis. Ad ſecundum, concedo conſequens de præſuppoſitione prærequiſita ad ſolam extrinſecam terminationē vt ſupra. Vnde ſequentes huius conſequentis impugnationes nihil vrgent. Non prima, quia ex artic. 8. conſtat, productionem futurorum eſſe tribuendam ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quæ propterea eſt prior futuris, non ſcientiæ viſionis, quæ propriè eſt ſcientia futurorum, & illis poſterior terminatiuè, non ſubiectiuè, ſiue entitatiuè. Non ſecunda, quia res ad Dei ſcientiam præſupponuntur, non propter aliquam illius ſcientiæ dependentiam à rebus, ſed propter meram extrinſecam terminationem: & ideo nulla intrinſeca illius ſcientiæ perfectio dici poteſt ſumi, & haberi à rebus. Non tertia, quia quicquid eſt in rebus futuris, eſt participatum, ſeu cauſatum ab intellectu diuino; tamen per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt repræſentatiua poſſibilium; non per ſcientiam viſionis, quæ eſt repræſentatiua actualium, atque adeo futurorum.

*Vnde habeat determinationem veritas futuri contingentis.*

*Scientia viſionis eſt obiectio prior, & poſterior, diuerſa ratione.*

Atque hæc ſatis de diuina ſcientia futurorum contingentium abſolutorum. Supereſt alia longè difficilior, ac celebrior huius controuerſiæ pars de diuina ſcientia futurorum contingentium conditionalium, quam, ſcientiam mediam, vulgò vocant. Quam quidem diſputationem à Theologis, maioribus noſtris, vel prorſus omiſſam, vel leuiſſimè ſignificatam, in poſtremam hanc Theologiæ ætatem diuina prouidentia ſepoſuit: vt quo tempore articulum libertatis in Eccleſia à Sathanæ miniſtris labefactari maximè permittebat, eo potiſſimum Theologos vniuerſos excitaret, qui omnium copioſiſſimè de libertatis natura differerent; atque adeò de præſcientia Dei conditionata, cuius profundius, vberiúſque explanandæ, nulla alia fuit occaſio, niſi defenſio libertatis. *Nam*, vt teſtatur Suarez de Gratia, parte 1. in Procemio num. 7. *per occaſionem concordiæ gratiæ cum libero arbitrio contentio de hac præſcientia orta eſt.*

*Cur antiqui non agant de ſcientia media.*

Suarez.

## DVBITATIO XIII.

### *An Deus certò ſciat futura contingentia conditionata.*

SVMMA.


1 *Concluſio affirmatiua, eiúſque authores. à num.* 209. *ad* 217.

2 *Prima concluſionis probatio ex Scriptura. à n.* 217. *ad* 229.

3 *Secunda probatio ex Patribus. à numero* 229. *ad* 237.

4 *Tertia probatio ex rationibus. à numero* 237. *ad* 240.

5 *Occurritur aduerſariorum obiectionibus. à n.* 240. *ad* 262.


Concluſio affirmatiua ſimpliciter, hoc eſt, ita in genere concepta, non deſcendendo ad particularia huius ſcientiæ, eſt adeò certa, vt iam negari nequeat abſque aliqua nota: quia ex antiquioribus Theologis, apud quos vel nunquam, vel rarò, & breuiſſimè, de huiuſmodi ſcientia mentio fit, nonnulli eam concedunt, & nullus negat: ex poſterioribus verò Theologis, apud quos nihil frequentius in eorum Scholis auditur, & ſcriptis, ac libris legitur, eam recipiunt non ſolùm Societatis noſtræ Theologi vniuerſi, quorum ingenio, ac labore locupletari, atque illuſtrari primò cœpta eſt, ſed etiam alij ferè omnes, vt veritatem valdè fundatam in doctrina Scripturæ, & Sanctorum. Quamuis enim illam plurimi reiiciant ſub nomine ſcientiæ mediæ, ſub quo peculiarem habet difficultatem, infra tractandam in propria dubitatione; &, quod in idem ferè recidit, vt antecedentem omne actuale diuinæ voluntatis liberum decretum, de qua re in dubitationibus ſequentibus, tamen eandem ſub communi ratione, ac nomine ſcientiæ certæ, atque infallibilis de futuris conditionatis liberis amplexantur. Loquimur igitur de hac ſcientia, non quoad exiſtentiam ſimpliciter, nam eam ſimpliciter dari, ſiue certa illa ſit ſiue coniecturalis, ex omnibus infra dicendis apparebit abſque vllo dubio eſſe de fide: ſed quoad certitudinem præciſè, quicquid ſit de modo huius certitudinis: in quo ſenſu hanc concluſionem, ſi non ad fidem, ſaltem ad ſanam, tutámque Theologiam pertinere exiſtimamus.

209\.

*Concluſio affirmatiua in quo ſenſu, & quantum certa ſit.*

*Nullus ex antiquis negat ſcientiam conditionalium.*

## PVNCTVM I.

### *Referuntur Theologi authores concluſionis.*

SVMMA.


1 *Authores Societatis Ieſu. num.* 210.

2 *Authores ex aliis Ordinibus. à n.* 211. *ad* 217.

3 *Quid ſentiant Sancti Auguſtinus, & Thomas. à num.* 212. *ad* 217.




210\. Hanc ſentētiam ex noſtris Theologis ſequuntur Salmeron tomo 4. part. 3. tract. 14. §. *Ad ſecundam quæſtionem.* & §. ſeq. Cardinalis Bellarminus tomo 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ, c. 17. ad 1. dicens, *Perſpicuum eſſe ex diuinis literis.* & ſignificat lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, c. 12. fin. dum docet, efficaciam gratiæ conſiſtere in tali ſuaſione, *quam videt Deus congruere ingenio eorum, quos efficaciter, & infallibiliter trahere decreuit: & quam certò nouit ab eis non contemnendam.* quæ certa ſcientia, cùm non ſit conſequens effectum futurum infallibiliter ex gratia efficaci, ſed ſit antecedens, ſicut antecedens eſt ipſa efficacia gratiæ, eſſe nequit ſcientia abſoluta, ſed conditionata: quam clariùs explicauit cap. ſequenti 13. ad 2. & manifeſtè ſupponit libr. 4. cap. 15. in 6. argumento. Pererius tomo 2. in Geneſim, libr. 16. diſput. 7. in illud, *Non deſiſtent.* Fonſeca libr. 6. Metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 8. & 9. vbi in §. *Atque hanc*, ait contra aliquos recentiores innominatos, hanc concluſionem, *eſſe omninò amplectendam, ex Patrum communi ſententia, & diuinæ Scripturæ.* Et rurſus in fine ſectionis, *Hæc ſententia*, inquit, *omnibus certa, & indubitata eſſe debet.* Molina hîc, diſput. 14. concluſione 1. Quæ, inquit, *tam certa eſt, vt oppoſitum non dubitem periculoſum eſſe in fide.* & paulò poſt oppoſitum vocat, *Indignum altitudine, & perfectione diuinæ ſcientiæ, imò & impium.* & d. 15. §. *Iuxta ea.* vbi de hac ſcientia conditionata ait, *Quam Patres, luménque ipſum naturæ docent, Deo conuenire, quia Deus eſt, ita vt ſi ei non conueniret, Deus non eſſet.* & diſput. 17. §. *Triplicem.* & diſput. 18. membro 1. §. *Mouent*; vbi in §. ſequenti teſtatur, quòd à noſtris etiam aduerſariis ſententia negans, Deum habere certam notitiam futurorum contingentium conditionalium, dicitur, *Periculoſa, & manifeſtè verbis Chriſti Matthæi* 11. *repugnare.* & membro 2. per totum. Valentia hîc, puncto 5. quæſt. 2. ad 2. vocans oppoſitum, *omninò falſum.* Suarez opuſculo de ſcientia Dei, toto libro 2. vbi in cap. 1. num. 2. hanc ſententiam cenſet, *maximum in Theologia fundamentum habere, & veriſſimam eſſe, & ab omnibus rectè de diuinis ſentientibus docendam.* & iterum poſtea, in 1. tomo de gratia, Prolegomeno 2. per totum; quam cenſuram non tulit Suarez de ſcientia media ante decretum, vt attribuit illi Aluarez libr. 2. de Auxiliis, diſput. 7. initio, §. *Igitur.* Sed de ſcientia conditionata ſimpliciter, præſcindendo ab hoc, vel illo modo. & 1. p. tract. 2. libr. 1. cap. 7. num. 1. ita teſtatur, *Iam ferè nulli ſunt, qui audeant negare Deo ſcientiam hanc, in Scripturis Sanctis ſatis expreſſam, & à Sanctis Patribus paſſim recognitam.* Vaſquez hîc, diſput. 67. vocans ſcientiam conditionatam cap. 2. initio, *vtiliſſimam, & veriſſimam.* Lorinus Actor. 16. verſiculo 6. à quo prudenter dicitur, *ſententia bonorum Theologorum.* Becanus 1. parte tract. 1. cap. 10. quæſt. 1. & latius quæſt. 5. Barradas tomo 3. libr. 2. cap. 11. dicens de contraria ſententia, *& de diuina ſcientia multum detrahere, & Scripturæ multis locis aduerſari.* Leſſius opuſculo de Auxiliis cap. 19. & 20. Arrubal hîc, diſput. 44. Albertinus tomo 1. à folio 291. Cornelius 2. ad Timotheum cap. 2. num. 109. & 110. Colligitur etiam ex Cardinali Toleto libr. 1. Introductionis in Dialecticam, cap. 20. circa finem; vbi præter propoſitionem conditionalem neceſſariam, *in qua vnum ex altero neceſſariò ſequitur*; concedit etiam veritatem propoſitionis conditionalis contingentis, *in qua vnum contingenter ex altero ſequitur.*

Salmeron. Bellarmin. Pererius. Fonſeca. Molina. Valentia, Suarez, *cuius cenſura defenditur contra Aluarez.* Vaſquez. Lorinus. Becanus. Barradas. Leſſius. Arrubal. Albertinus. Cornelius. Toletus.

211\. Conſentiunt aduerſarij, Thomiſtæ recentiores, aliíque eorum aſſeclæ. Aluarez libr. 2. de Auxiliis, diſput. 3. dicens circa principium, id eſſe *certiſſimum*: & num. 23. *Fatemur*, inquit, *Chriſtum certa ſcientia, & infallibili cognouiſſe illud futurum conditionatum, Si in Tyro, & Sidone.* & idem tanquam omninò indubitatum ſæpe concedit libr. 1. Reſponſionum cap. 1. Zumel hîc diſp. 8. concluſione 1. his verbis, *Non eſt tutum negare infallibilem, & certam cognitionem illorum contingentium in Deo.* & contendit eſſe ſententiam Auguſtini, & infra, *Moueor ad præfatam aſſertionem certiſſimè defendendam, quia ſunt pleraque teſtimonia Sacrarum Literarum, quæ apertè dicunt, Deum cognoſcere huiuſmodi futura conditionata, libera, & contingentia.* & idem habet tomo 1. variarum diſputationum folio 26. column. 1. fin. & fuſius fol. 82. concluſione 1. & fol. 96. concluſione 2. vbi hanc concluſionem adeò certam eſſe exiſtimat, *vt ſine nota nemo valeat eam negare, aut de ipſa dubitare.* Cabrera tomo 1. in 3. partem, quæſt. 1 articul. 3. d. 1. §. 22. numero 363. & 364. & tomo 3. quæſt. 62. artic. 1. d. 12. §. 7. à num. 148. vbi de hac concluſione ait, *Quam vt certam omnes homines ab ipſa naturæ ducti ſupponere videntur: nam rogati, quid facerent, ſi in tali eſſent loco, vel quid accideret in vniuerſum, propoſitis talibus conditionibus? reſpondent, Deus ſcit.* Paulò ante in §. 6. initio, in 3. concluſ. ſic ſtatuit, *Futura conditionata, quæ tantùm probabiliter inferuntur, aut nullo modo connectuntur cum conditione, cognoſcuntur à Deo probabiliter tantùm, & ſecundùm efficaciam, & inclinationem conditionis poſitæ.* Quod ſatis ſe probaſſe ait in 1. tomo, quæſt. 1. artic. 3. d. 1 §. 22. à num. 338. vſque ad num. 362. imò in citato §. 7. cùm acerrimè, & fuſiſſimè pro ſcientia conditionata diſſeruiſſet à num. 148. ad n. 216. deinde motus quibuſdam S. Thomæ authoritatibus, nihil vrgentibus, in totum oppoſitum relapſus eſt: quamuis in fine num. 221. teſtetur, ſe contraria non dixiſſe. Sed in iſto Authore, dictorum inconſtantiam ante me aduerterunt, & notarunt Suarez ſuprà, cap. 1. num. 3. & Ledeſma apud ipſum. Nobiſcum præterea ſentit Ripa hîc, dub. 4. quamuis enim tota illa dubitatione ſcientiam mediam reiiciat probroſè potius, quàm ſolidè, tamen ſemel tantùm, & breuiter, veritatem vel inuitus confeſſus eſt his verbis, cap. 5. ante medium, *veriſſimum eſt eiuſcemodi futura Deum noſſe, & pluſquam certò, & omni firmitudine; ac in decreto conditionato ſuæ voluntatis: quemadmodum enim nequit intelligi, vt ſit quidpiam futurum abſolutè, niſi ex decreto abſoluto voluntatis Dei; ita nihil ſub conditione, niſi ex eiuſmodi voluntatis conditionato decreto.* Non negat igitur Ripa, ſcilicet ſimpliciter futura cōditionata, imò hoc fatetur eſſe veriſſimū, & firmiſſimū, ſed ſolùm negat, ſciri tali modo, hoc eſt, independenter ab aliquo Dei decreto; quæ eſt alia quæſtio longè diuerſa. & ideo primus ſenſus tam fuſa, & acri diſputatione, non erat abſolutè damnandus: alioqui potuiſſet pariter contra omnes, & contra fidem ipſam, ſimpliciter aſſerere, & probare, Deum non cognoſcere futura contingentia abſoluta; quia neque hæc, ſecundùm nos, cognoſcit Deus in decreto ſuo abſoluto, ſed in ipſiſmet futuris. Nauarrete controuerſia 56. §. 2. qui vult, ſcientiam conditionatam eſſe in Deo *eminenter*, non

Aluarez. *Quid ſentiant recentiores Thomiſtæ.* Zumel. Cabrera, *cuius inconſtantia notatur à Suarez, & Ledeſma.* Ripa. Nauarrete, *cuius nouus dicendi modus reiicitur.*

non *formaliter*; diſtinctione hactenus inaudita; quam ne ipſe quidem ſatis declarat, ſed videtur eam inueniſſe, ne appareret negare, quod verè negat, contra Scripturas, & omnes Patres, ac Theologos. Per iſtum Authorem, ideo ſcientia conditionalium non eſt formaliter in Deo, quia conditionalia, formaliter ſecundùm ſe, non ſunt certò cognoſcibilia, ſed intrinſecè claudunt imperfectionem obiecti opinabilis, & coniecturabilis. Quo poſito, non video in quo bono ſenſu, actus cognitionis eſſentialiter imperfectus, vt actus opinionis, actus erroris, dici poſſit eſſe eminenter in Deo: quia obiectum eſſentialiter imperfectum, vt obiectum falſum, obiectum dubium, ſiue incertum, neque continetur formaliter, neque eminenter in obiecto diuinæ cognitionis, quod eſt veriſſimum, & certiſſimum. Quis enim vnquam dixit, falſum contineri eminenter in vero, incertum in certo? Eorum enim, quæ explicitis conceptibus ſeſe formaliter excludunt, dici nullo modo poteſt, alterum in altero contineri. Ergo neque cognitio eſſentialiter imperfecta ex parte obiecti, vt cognitio falſa, coniecturalis, ſiue opinatiua, dici rectè poteſt contineri eminenter in alia cognitione eſſentialiter perfecta. Loquutus ſum de cognitione imperfecta, *ex parte obiecti*, quia ſi fuerit ſolùm imperfecta ex parte modi tendendi in obiectum perfectum, vt cognitio diſcurſiua ſcientifica, vel cognitio vera, & certa indicatiua ſecundæ operationis, dici poteſt eſſe in Deo non formaliter, ſed eminenter: quia nimirum, ipſummet diſcurſus, & iudicij obiectum verum, ac certum, eſt formaliter repræſentabile per formalem cognitionem diuinam veram, ac certam, quæ illud repræſentat perfectiſſimo quodam modo, includente eminenter omnem alium imperfectum repræſentandi modum, qui in noſtris diſcurſibus, ac iudiciis reperitur. Ergo cùm Nauarrete contendat, ſcientiam conditionatam eſſe eſſentialiter imperfectam ex parte obiecti, quod vult eſſe eſſentialiter imperfectum, nempe non certum, non poteſt realiter, ſed tantùm verbaliter illam in Deo eminenter ponere: quamobrem verè illam ab intellectu Dei omninò excludit. Item F. Ioannes Matthæus de Riſpolis libr. 1. quæſt. 1. concluſione 2. initio, Nazarius hîc, controuerſia 1. notando 6. & concluſione 7. F. Blaſius Verdù in Relectione contra ſcientiam mediam. pagina 13. vbi eiuſdem ordinis Thomiſta contra prædictam Nauarrete ſententiam hoc fert iudicium, *Non laudo eos, qui affirmant, quòd Deus habeat coniecturalem cognitionem eminenter, vel ſcientiam mediam eminenter: nam, eſt implicare in adiecto; ſicut dicere, quod ſit eminenter ignorans, dubitans, dependens, fallibilis. Quænam, obſecro, poteſt cadere ſupra ipſam imperfectionem vt ſic, eminentia, niſi velis ex conſequenti affirmare, Deum poſſe peccare eminenter? & certè ſi ſcientia media, vt conſtituitur à Neoterico, nullibi eſt formaliter, imò eſt purum nil, & figmentum, non poterit eſſe in Deo eminenter.* & poſtea ipſe addit, *nouiſſe Deum pœnitentiam Tyri, & Sidonis poſſibilem conditionatè, ſimplici intelligentia formaliſſimè, & certiſſimè in ſuo auxilio efficaci.* Quamuis deinde multis impugnet ſcientiam mediam provt à nobis conſtituitur. Guilelmus Cantarellus quæſtione 22. vbi ſæpè concedit, ſciri ſimpliciter à Deo futura contingentia conditionata, quamuis totus ſit in confutanda ſcientia media. Gonzalez ſupra articulo 9. diſputatione 39. ſectione 2. concluſione 3. fin. & ad 5. & in hoc articulo diſputatione 44. ſectione 2. concluſione 1. vbi contendit contra Nauarrete ſupra, hanc ſcientiam eſſe formaliter in Deo; quia inquit, *Virtualis illa cognitio, non eſt ſufficiens ad ſaluanda loca Scripturæ Sacræ, in quibus hæc cognitio tribuitur Deo.* & concluſione 2. vbi refert cenſuras ſupra allatas ex Zumel, & Molina, & non reiicit. & d. 45. ſectione 1. initio, *Scientiam*, inquit, *futurorum conditionatorum Sacræ Literæ, & Sancti Patres docent.* Machin hîc diſput. 33.

*Cognitio eſſentialiter imperfecta ex parte obiecti, non eſt eminenter in Deo.*

*Cognitio imperfecta ſolùm ex modo tendendi, eſt eminenter in Deo.*

Riſpolus. Nazarius.

Verdù, *impugnans ſententiam Nauarrete, ſupra.*

Cantarellus.

Gonzalez, *qui etiam reijcit ſententiam Nauarrete ſupra.*

Machin.

## *Quid ſentiant alij, præſertim Sancti Auguſtinus, & Thomas.*

212. Pro eadem concluſione referri poſſunt alij Theologi Scholaſtici vel antiquiores, qui rem hâc breuiter, & minùs diſtinctè tetigerunt, ex quibus tamen nullus in contrarium reperitur: vel recentiores, qui de eadem re, pro veritate in fauorem noſtrarum opinionum fuſius ſcripſerunt. In primis Sanctus Thomas 3. parte, quæſt. 1. articul. 5. ad 2. reprobat doctrinam illam traditam ab Auguſtino epiſtola 49. quæſtione 2. circa finem, *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales, non quidem omnes, ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum, nec ſuſcitatis ab eo mortuis, credere voluerunt. Quid ergo mirum, ſi tam fidelibus plenum orbem terrarum Chriſtus prioribus ſæculis nouerat, vt eis apparere, vel prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat?* Et ita arguit cum eodem Auguſtino libr. de Bono perſeuerantiæ cap. 9. expreſsè retractante quod citato loco reſponderat. *Numquid poſſumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios, talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credituros non fuiſſe, ſi fierent; cùm ipſe Deus atteſtatur eis, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum illa ſigna virtutum?* Et ſtatim concludit cum eodem Auguſtino ibidem cap. 11. initio. *Proinde, ſicut Apoſtolus ait, non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui his, quos præuidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus voluit ſubuenit, aliis autem non ſubuenit.*

S. Thomas. ex Auguſtin.

Rom. 9.

213. Ex his tria certa habemus. Primum, Sanctos Auguſtinum, & Thomam admittere ſimpliciter in Deo ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum: quia dicunt, quòd aliqui crediſſent, ſi in eorum terris facta fuiſſent miracula; futurus autem actus fidei dependenter à conditione miraculorum, eſt obiectum futurum contingens conditionatum. Secundò, admittere ſcientiam conditionatam de iiſdem futuris, non ſolùm quæ nunquam futura abſolutè ſunt, quia nimirum conditio nunquam purificabitur, ſeu ponetur in eſſe, cuiuſmodi eſt fides Tyriorum, apud quos non facta ſunt miracula; ſed etiam quæ abſolutè futura ſunt; quia prius docent, quod verè prius eſt ex natura rei, Deum præuidiſſe omnes, qui crederent, ſi apud illos fierêt miracula; deinde verò, Deum ex omnibus iſtis præuiſis voluiſſe aliquibus ſubuenire, v.g. Iudæis, nimirũ faciẽdo, ſeu volẽdo abſolutè facere miracula apud illos; aliis autẽ, v.g. Tyriis, & Sidoniis, noluiſſe ſubuenire. Omne enim futurum dependenter ab aliqua antecedente conditione, vt notaui etiam ſupra num. 1. & iterum oſtendam infra, num. 474. eſt prius natura conditionatè futurum, quàm abſolutè futurum: hoc eſt, prius eſt, quòd ſi daretur antecedens, daretur conſequens; quàm quòd dabitur antecedens, & conſequens: nam illud, *ſi daretur*, eſto requirat decretum diuinum prædeterminatiuum effectus conſequentis ex antecedente, quod diſcutietur dubitationibus ſequentibus, tamen ſecundùm omnes non requirit liberum Dei decretum in actu poſitum de dando antecedente, ſicut requirit illud *dabitur*. Quod autem non requirit decretum, eſt ante decretum, & ideo ante illud præſciri poteſt. Vnde pœnitentia Tyriorum, quæ de facto fuit futura ſub conditione ſine decreto miraculorum apud illos, ac proinde nunquam abſolutè futura, ſi in poſteriori ſigno habuiſſet illud decretum, quod ſimpliciter habere poterat, euaſiſſet abſolutè futura poſt futuritionem ſuam conditionatam.

*Omne abſolutè futurũ, vi alicuius conditionis, eſſe prius conditionatè futurum.*



214. Quamobrem nonnulli, vt Machin hîc d. 33. initio, Cabrera tomo 1. in 3. partem quæſt. 1. art. 3. d. 1. §. 18. num. 281. diminutè definiunt, futura conditionata eſſe illa, *quæ nunquam ſunt ſimpliciter futura.* Accuratiùs adnotarunt alij, futura etiam abſoluta, fuiſſe antea futura conditionata; vt Bellarminus tomo 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ, cap. 17. ad 1. dum ait, *Præſciuit Deus primum hominem peccaturum, ſi conderetur qualis conditus eſt.* Fonſeca 6. Metaph. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 8. §. *Itaque rem*; & apertiùs in §. *Tertio loco.* Molina hîc d. 15. §. *iuxta ea*; & ad 3. Valentia punct. 5. quæſt. 2. §. *Tertium eſt.* Suarez opuſculo de ſcientia Dei, initio. Arrubal hîc diſp. 44. initio, & cap. 3. fin. Diotalleuius pag. 181. circa finem. & ex aduerſariis Aluarez libr. 2. de Auxiliis, d. 7. num. 7. ſuppoſitione 3. Zumel tomo 1. variarum diſputationum, fol. 100. col. 2. circa finem. Vnde minùs rectè dixit Gonzalez hîc d. 44. ſect. 3. num. 38. ad 3. vt contra ipſum adnotauit etiam Machin hîc, d. 34. ſect. 2. §. 1. Nullum abſolutè futurum, fuiſſe futurum conditionatè, & vt tale à Deo præcognitum; quia, inquit, *Nullus ordo prioris poteſt aſſignari inter ſcientiam Dei conditionatam de eiuſmodi futuris, & ſcientiam abſolutam eorum.* Sed hæc prioritas manifeſtè fundari poteſt in decreto conditionis, quod in omnium ſententia, vt probabo infra num. 267. eſſe debet conditionatum ex parte actus: omne autem conditionatum ex parte actus, eſt prius ratione ſe ipſo vt abſoluto ex parte actus, v.g. prius eſt, Si Petrus interrogaretur ab ancilla, negaret Chriſtum; quàm, interrogabitur, & negabit. Ergo ſimiliter prius eſſe debet, Si Deus vellet conſtituere Petrum in tali circumſtantia, Petrus peccaret; quàm, *volet*, & *peccabit*. Et ſanè, ſi per Gonzalez, reliquóſque aduerſarios, eſt infallibilis iſta conſequentia, *Paulus ita vocabitur, ergo conuertetur*; fit euidens, eſſe etiam infallibilem hanc, *Si Paulus ita vocaretur, conuerteretur*; ergo per ipſos etiam debet eſſe inſeparabilis veritas abſoluta à veritate conditionata, inter quas veritates, prior natura eſt conditionata; quia ex abſoluta, infertur conditionata; non autem ex conditionata infertur abſoluta. Illud verò prius natura eſt, teſte Philoſopho in Prædicamentis c. de priori, *Quod non conuertitur ſecundùm ſubſiſtendi conſequentiam.* Præterea arguo ad hominem, quia Gonzalez ſupra num. 35. tenet, Deum ignorare decreta ſua abſolutè futura. Et in primo ſigno, antequam intelligatur prædeterminare ea, quæ ſunt abſolutè futura, prædeterminaſſe alia conditionatè futura. Quæro igitur, ſi in primo ſigno neſciebat Deus, hæc eſſe abſolutè futura, illa non eſſe abſolutè futura; quo rationabili fundamento, dici poteſt, prædeterminaſſe hæc, & non alia? Ergo magis conſequenter diceretur, omnia prorſus futura fuiſſe conditionatè prædeterminata in priori ſigno; deinde in ſigno poſteriori, purificata per liberum Dei decretum conditione circa hæc, non circa alia, quædam fuiſſe abſolutè futura, quædam remanſiſſe conditionatè futura. Ex eodem principio obiter fieri poteſt euidens inefficacia argumenti Cabreræ, tomo 1. in 3. partem, quæſt. 1. articul. 3. §. 22. num. 338. contendentis probare contra Suarez, peccatum abſolutè futurum, in cuius remedium, decreta abſolutè, & efficaciter eſt incarnatio Chriſti, *non eſſe præcognitum per ſcientiam mediam, nec cadere ſub obiectum ſcientiæ mediæ, etiam ſi daretur*: quoniam, inquit, *obiectum ſcientiæ mediæ, ex ſententia aduerſariorum, eſt futurum conditionatum, quod revera nunquam erit, quamuis poſſit eſſe, ſi ponatur talis conditio.* Sed hoc oſtendi eſſe falſum, & in rei veritate, & in ſententia Suarez, & aliorum noſtrorum Theologorum, quam probaui eſſe Sanctorum Auguſtini, & Thomæ.

*Futura conditionata, eſſe aliquando futura abſolutè, contra* Machin, Cabreram, *&* Gonzalez. *Cum* Bellarmino, Fonſeca, Molina, Valentia, Suarez, Arrubal, Diotalleuio, Aluarez, Zumel.

*Prius natura ſecundùm* Ariſtotelem.

*Cabreræ inefficaciter arguit contra Suarez.*

215. Tertium quod ex iiſdem Sanctis conſtat, eſt, eos admittere ſcientiam diuinam de futuris contingentibus conditionatis omninò certam, atque infallibilem, quia illis verbis, *Nunquid poſſumus dicere*, &c. manifeſtum eſt, eos reputare abſurdum, prorſus impoſſibile, aſſerere, non futurum ſub conditione, quod ſub conditione futurum prædicit Deus; & vim faciunt in his verbis continentibus vniuerſalem, & optimam huius rei rationem, *cùm ipſe Deus atteſtatur.* Vnde etiam impugnari poteſt ſententia Nauarrete ſupra numer. 215. quam reiiciunt etiam Cabrera tomo 1. in 3. partem. Arrubal d. 44. cap. 6. num. 31. vocans, manifeſtè falſam. Machin d. 33. ſect. 1. §. vltimo; præter Verdù, & Gonzalez ſupra citatos; quia ſi talis ſcientia de tali obiecto eſt infallibilis; ergo eius obiectum eſt formaliter verum, certum, & infallibile; ideóque reuelari à Deo poteſt vt certò, & infallibiliter futurum. Ergo talis ſcientia ponenda formaliter eſt in Deo, & non ſolùm eminenter; alioquin eadem facilitate gratis aſſerere licebit, ſcientiam quoque futurorum contingentium abſolutorum eſſe in Deo eminenter, non formaliter; verùm ferè ex terminis apparet inconueniens, ignorari formaliter à Deo id, quod in ſeipſo formaliter ſpectatum, eſt obiectum verum, certò, & infallibiliter ſcibile.

*Aliud argumentum contra ſentẽtiam Nauarrete, quam reijciunt etiam* Cabrera, Arrubal, Machin.

216. Eandem ſcientiam non obſcurè ſignificat Sanctus Thomas ibidem articulo ſequenti 6. poſt medium corporis, illis verbis, *Venit ergo quando, & ſubueniri debere ſciuit, & gratum futurum beneficium*; hac enim ſcientia, vt paulò poſt explicat, cognouit Deus, quòd ſi Verbi incarnatio dilata fuiſſet vſque in finem mundi, *totaliter Dei notitia, & reuerentia, & morum honeſtas abolita fuiſſet in terris.* Quæ præſcientia futurorum effectuum liberorum, ſine dubio eſt conditionata, præcedens in priori ſigno decretum incarnationis: & ſupponi etiam debet infallibilis, quia per illam præſuppoſitam, certò, & infallibiliter operatur diuina prouidentia in operibus gratiæ. Tenent quoque expreſsè Sotus libr. 3. Summul. cap. 8. lectione 3. §. *Sequitur ſecundò*, & in §. *contra hæc etiam arguitur*, in fine; ita vt ipſemet

S. Thomas *iterum.*

Sotus.

met Aluarez lib.1.Reſponſionum cap.1. num.28. ita teſtetur, *Magiſter Sotus concedit in Deo certam ſcientiam propoſitionum conditionalium.* & in fine ſequentis numeri 29. *Nos cum magiſtro Soto ſemper agnouimus, & agnoſcimus veritatem propoſitionis conditionalis ab æterno certa ſcientia præcognitam à Deo.*

Stapleton.

Stapletonius in Antidotis Euangelicis,in Matt.11. explicans illud, *Si in Tyro,& Sidone,* &c. vbi pro ſe refert noſtros Theologos, Valentiam, & Molinam; & in Antidotis Apoſtolicis, in id Rom.9. n.11.*Cùm nondum nati eſſent,*&c.§.*Deum altitudine.*

Tena. Curiel.

Ludouicus Tena in Epiſt.ad Hebr.cap.4.difficultate 6.in fine. Ioannes Alphonſus Curiel lib.controuerſiarum,in controuerſia 7.quæ eſt 1.in id Sapient.4.*Raptus eſt ne malitia,*&c.Quamuis enim in primis tribus articulis pro vtraque parte problematicè diſputet, tamen articulo 4.probat noſtram vt probabiliorem.

Maſcaregn.

D. Ferdinandus Maſcaregnas, Algarbiorum Epiſcopus, in aureo illo ſuo libello de Auxiliis,diſp.2.parte 3.num.23.& parte 4.n,27. & diſp.3.parte 3. num.8. & parte 4. num.6. qui in citato num.27.ita grauiter,& eruditè pronunciat, *Hæc ſcientia, quæ à quibuſdam dicitur conditionata, ab aliis media,ab iis tantùm repudiari poteſt,qui neque diuinas literas aptè interpretantur, neque doctrinam Patrum perſpectam habent, neque ſatis conſiderant diuinæ prouidentiæ,prædeſtinationis,& gubernationis ordinem.* Quibus verbis,ſanè modeſtis, adeò commoti ſunt Nauarrete hîc,controuerſia 56.§.2.col.6. Cabrera tomo 3.in 3.partem,quæſt.62.art.1.diſp.12.§.3.vt pudeat referre, quæ contra illuſtriſſimum, ac doctiſſimum virum effuderint:præſertim in aſſertione ſcientiæ conditionatæ,cuius negatione Nauarrete ab ipſis etiam Thomiſtis ſuis iure optimo reprehenditur:& quam ipſemet Cabrera ſupra citatus apertiſſimè aliquando ſequitur.

Peſantius.

Nobiſcum quoque ſentiunt Alexander Peſantius hîc, diſp.5. concluſ. 4. vbi in 3. probatione concludit, hanc ſententiam,*eſſe ſolidiſſimam,adeóque firmam,vt meritò Molina oppoſitam ſententiam non dubitet vocare, periculoſam in fide.*

Dioralleu.

Diotalleuius in abſolutiſſimo opuſculo de hac ſcientia, à fol. 106. vſque ad finem libri.

Mendoza.

Alphonſus Mendoza in controuerſiis Theologicis, quæſt.7. Scholaſtica, in concluſione ſic habet, *Non eſt neganda, Deo infallibilis, & determinata cognitio euentuum conditionatorum: & oppoſitum aſſerentes,plurimùm derogant theſauris ſapientiæ, & ſcientiæ Dei:* & in fine quæſtionis refert Mag. F.Ioannem de Gueuara, præceptorem ſuum de Sacra Theologia optimè meritum, qui, *cùm primùm audiret;eſſe quorumdam noſtri temporis Theologorum ſententiam, quòd Deus illa conditionata non certò cognoſceret,vix à ſe impetrare potuit, quin ſtatim reſiliens,& excandeſcens, eam ſententiam vehementer auerſatus, & execratus ſit.* Refertur etiam à Suarez Prolegom.citato,cap.1.num.8.pro eadem ſententia

Lorca.

Lorca 1.2. tomo 1.diſp.4.de actibus humanis,§.*in ſecundo puncto*,circa finem. Et ſequuntur reliqui omnes:nam hodie,vt teſtatur etiam Arrubal d.44.num.7.circa finem. *Nulli iam ſunt,qui hoc non affirment.*

*Contra paucos iuniores Thomiſtas,& Caluinum.*

Saltem pauci illi recentiores, qui in contrarium referuntur, &, vt refert ipſemet Gonzalez d.44. ſect. 2. in 1.ſententia, *Sunt,*inquit,*aliqui iuniores Thomiſtæ,* opinionis ſuæ patronum habent Caluinum,quem referunt,& confutant Stapletonius ſupra,in Matthæum; & Bellarminus tomo 4.lib.2.de amiſſione gratiæ,cap.17. ad 1.Caluini, qui prædicta Chriſti verba, ne ex illis confirmari poſſet libertas, & indifferentia voluntatis dum operatur per gratiam, vult eſſe intelligenda, non de ſcientia certa, ſed tantùm coniecturali ex cauſis,humano modo.

## PVNCTVM II.

### *Prima concluſionis probatio ex Scriptura.*

S V M M A.


1 *Arguitur ex locis in quibus reuelantur futura conditionata.num.*217.

2 *Affertur locus Matthæi* 11.*à num.*218.*ad* 221.

3 *Alius locus Exodi* 34.*num.*221.

4 *Tertius locus* 1.*Reg.*21.*à num.*222.*ad* 225.

5 *Quartus locus Ieremiæ* 38.*num.*225.

6 *Quintus Exodi* 3.*num.*226.

7 *Sextus locus Act.*22.*num.*227.228.


217. PRæcipuum huius veritatis fundamentum eſt authoritas, & in primis Sacræ Scripturæ, in qua ſæpiſſimè, & clariſſimè reuelat Deus futura libera conditionata. Non poteſt autem Deus hoc rerum genus reuelare abſque certa, & infallibili cognitione ipſarum rerum in ſeipſis;tum quia alia cognitio coniecturalis, ob ſui imperfectionem, non poteſt poni formaliter in Deo, vt ſupra n.6. tum quia non poteſt poni eminenter vt ſupra numer.211. & 215. tum quia alia cognitio infallibilis effectuum,non ſecundùm ſe,ſed ſecundùm inclinationem, & diſpoſitionem cauſarum, eſt quidem in Deo, vt ſupra num. 6. tamen omninò improbabiliter accommodatur omnibus locis Scripturæ; nam cùm hæc frequentiſſimè loquatur de ipſiſmet effectibus ſecundùm ſe, & nunquam indicet aliquid, quo ſignificetur inclinatio ex parte cauſæ, eſt interpretatio nimis violenta, & prorſus inueriſimilis, & gratis conficta ad fugam difficultatis,ac veritatis,velle Scripturam ſemper accipere in ſenſu improprio de inclinatione cauſarum, de qua nihil expreſsè aſſerit, & nunquam in ſenſu proprio, quem expreſsè ſignificat, de ipſis effectibus ſecundùm ſe.

*Scriptura, cùm reuelat futura, non debet intelligi ſecundùm inclinationem cauſarum.*

4.Reg.2. & 13.

Præſertim, quia 4.Reg.2.& 13. dicitur conditionaliter futurus duplex Eliæ ſpiritus in Eliſæo,ſi Eliſæus viſurus eſſet Eliam abeuntem: & conditionaliter futura deſtructio Syriæ, ſi quinquies percuſſa eſſet terra:& quid ſimile legitur 1.Reg.14.

1.Reg.14.

Quæ futura,vt patet,nullam habere poſſunt veritatem in inclinatione cauſarum naturalium.

*Quomodo intelligendæ ſint prædictiones comminatoriæ in Scriptura.*

Et confirmatur,quia prædictiones comminatoriæ factæ de ipſis effectibus ſecundùm ſe,ferè ſemper verificantur in proprio ſenſu, & vix aliquando in ſenſu improprio, ſiue implicitè ſignificato; vt illud de morte Regis Ezechiæ, 4.Reg.20. & Iſaiæ 38.*Morieris,& non viues.*

*Exponitur locus 4. Regum 20.& Iſaiæ 38.*

& illa de deſtructione Niniue, Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Nam prima intelligenda eſt,ſecundùm diſpoſitionem cauſarum naturalium. Secunda, ſub tacita conditione, niſi pœnitentiam egerit: quæ interpretationes euidenter colliguntur ex tota hiſtoria, quam de his caſibus ipſamet Scriptura narrat.Sed præter hos,prędicit abſolutè quamplurimos alios effectus, qui etiam abſolutè verificati vel verificandi ſunt.Ergo omnes prædictiones ſub expreſſa conditione factæ de effectibus futuris liberis,non poſſunt, cum aliqua ſpecie probabilitatis,ſemper intelligi reſpectu cauſarum tantùm, & non reſpectu effectuum. Quod ſi vel vna prædictio intelligatur reſpectu effectuum,habetur iam intentum, ſcilicet, dari ſimpliciter in Deo certam notitiam de futuris contingentibus conditionatis.

*Exponitur locus Ieremiæ* 18.

Præterea ex Scriptura habemus, has prædictiones comminatorias includere tacitam conditionem, v.g.niſi pœnitentiam agas, niſi aliud à Deo impetres, &c. nam Ierem.18. dicitur,

*Repentè*



*Repentè loquar aduerſum gentem, vt eradicem, & deſtruam,& diſperdam. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo,agam & ego pœnitentiam ſuper malo,quod cogitaui vt facerem ei.* Ergo ſicut hæc futura,non impleta tacita eorum conditione non implentur, & impleta conditione implentur omninò infallibiliter;ita aliæ reuelationes factæ ſub expreſſa conditione, debent eadem infallibilitate impleri impleta conditione.

Arrubal.

*Differentia inter prædictiones comminatorias, & alias prædictiones.*

Demùm addo, quod acutè aduertit Arrubal d.44.n.24.& 25.alias prædictiones nunquam eſſe ita intelligendas: quia diuerſa eſt ratio de prædictionibus effectuum dependentium à cauſa creata libera, ſicut pœnitentia Tyriorum, & de prædictionibus effectuum dependentium à cauſa creata naturali,ſicut mors Ezechiæ; vel à libera Dei voluntate, ſicut ſubuerſio Niniue: quia ſecundi effectus habent eſſe determinatum vel in cauſa naturali, vel in diuina, voluntate liberè determinata ad talem effectum cauſandum, niſi adſit hæc,aut illa conditio: & ideò prædictiones de illis & fieri, & intelligi rationabiliter poſſunt, ſecundùm determinationem,ac diſpoſitionem cauſarum, ſecundùm quam ipſimet effectus ſunt infallibiliter futuri; vnde infallibilis cognitio in cauſis redundat in infallibilem cognitionem effectuum. At verò primi effectus dependent à cauſis liberis, in quibus nullum habent eſſe determinatum, ac certum: & ideo licèt reſpectu antecedentis diſpoſitionis, & inclinationis cauſarum, poſſit haberi infallibilis cognitio de ipſamet diſpoſitione, tamen hinc haberi nullo modo poteſt infallibilis cognitio de effectu, qui, adhuc poſita illa diſpoſitione,poteſt eſſe vel non eſſe à cauſa liberè operante illum. Quam ob cauſam ſapientiſſimè pronunciauit

S.Thomas.

S.Thomas hîc circa medium corporis,& ſæpè alibi, *Quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem:* ergo qui Deum reuelantem aliquod futurum contingens pendens à cauſa creata libera, de quo potiſſimùm nunc diſputamus, vt initio notaui ſupra num. 2. non vult eſſe intelligendum niſi reſpectu cauſarum, verè non vult tribuere Deo aliam cognitionem huius effectus, niſi coniecturalem, & imperfectam. Vnde hanc ipſam interpretationẽ,quam olim dabat etiã

Caluinus. Stapleton.

Caluinus, meritò vocat Stapletonius ſupra, *corruptelam diuinarum Scripturarum.* Sic enim reuelationes etiam de effectibus liberis abſolutè futuris, poſſent pariter exponi reſpectu cauſarum, non reſpectu ipſorum effectuum,contra ſenſum omnium fidelium.Tum denique,& præcipuè,quia communiſſimè omnes,& Patres, & alij poſteriores interpretes, de ſcientia Dei conditionata, & infallibili intelligunt omnes ſequentes authoritates.

### *Primus locus* Matthæi 11.

218. Prima ſit illa omnium clariſſima,quæ quò vulgatior,eò eſt ad hanc veritatem confirmandam illuſtrior,ex Matth.11.*Si in Tyro,& Sidone facta eſſent virtutes,quæ facta ſunt in vobis,olim in cilicio,& cinere pœnitentiã egiſſent:Si in Sodomis facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te,fortè manſiſſent vſque in hanc diem.* quia ſcilicet pœnitentiã egiſſent,& non periiſſent in pœnã ſcelerum.Hîc manifeſtè ſermo eſt de quodam futuro libero conditionato, hoc eſt, de futura pœnitentia Tyriorum,&c.ſi vidiſſent miracula. Hoc futurum reuelat Chriſtus, ergo cognoſcit, ergo multò magis cognoſcit Deus. Hanc autem cognitionem eſſe omninò certam, docent apertè

Auguſtinus.

Sancti Auguſtinus, & Thomas ſupra num. 215. Vnde Auguſtinus eodem cap.9. de Bono perſeuerantiæ circa principium,hæc verba ait eſſe, *eloquia veritatis:* eámque veritatem certiſſimam eſſe ſic probat in enchiridio cap. 95. *Apertiſſimè námque Dominus dicit:Si in Tyro,& Sidone,*&c.Præterea

Rabanus.

Rabanus Maurus, vt refert S.Thomas in Catena ſuper hæc verba, *Impletum,* inquit, *hodie videmus dictum Saluatoris, quia ſcilicet, Tyrus, & Sidon poſtea euangelizantibus diſcipulis crediderunt.* Quæ verba ante ipſum habet

Beda. Anſelmus.

Beda in cap. 10. Lucæ, & poſt ipſum Anſelmus in hunc locum Matthæi.Quo argumento apertè probare intendunt infallibilem certitudinem illius dicti.

Remigius.

Et Remigius apud eundem S.Thomam. *Ideò Dominus, qui omnia nouit, in hoc loco verbum dubitatiuum poſuit,ſcilicet,fortè, vt demonſtraret, quia liberum arbitrium conceſſum eſt hominibus.* Illud,*Qui omnia nouit,*oppoſitum contra verbum dubitatiuum, liquidò oſtendit, notitiam illius conditionatæ reuelationis fuiſſe certam abſque vlla dubitatione. Beda ſupra, & in hunc locum Matthæi, *Cur nolentibus prædicatum ſit, & non his,qui olim credere voluerunt,ipſius eſt ſcire, cuius vniuerſæ viæ miſericordia,& veritas.* Supponit tanta certitudine verum eſſe,Tyrios fuiſſe credituros Chriſto prædicanti, quanta verum eſt, Iudæos eidem non credidiſſe; & cauſam refert ad ignotiſſimum prædeſtinationis myſterium, ſupponentis omnimodam certitudinem in diuina præſcientia.

Auguſtinus.

Quod ante Bedam docuerat Auguſtinus libr. de Bono perſeuerantiæ cap. 9. poſt principium dicens, *In quibus verbis ſuis Dominus Ieſus altius nobis myſterium prædeſtinationis oſtendit. Si enim quæratur à nobis,cur apud eos tanta miracula facta ſint, qui videntes ea non fuerant credituri: & apud eos facta non ſint,qui crederent,ſi viderent,quid reſpondebimus?* & poſt multa,tandem in cap.11.concludit,nihil aliud reſponderi aptius poſſe,niſi illud ad Rom. 9. *Non volentis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei.*

Ad Rom.9. & 11.

& ad Rom.11. *ô altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.*

Proſper.

Similiter S.Proſper in Reſponſionibus ad excerpta Genuenſium, Reſponſione ad octauum dubium, poſt medium, vbi loquens de Tyriis, & Sidoniis,ait, *Quos credituros fuiſſe ipſa veritas dicit,ſi talia,qualia apud non credentes facta ſunt,virtutum ſigna vidiſſent.* Et cùm docuiſſet, huius prædeſtinationis rationem afferri à nobis non poſſe, ſubiungit,*nos manifeſtiſſimè tamen ſcimus,& verum eſſe quod dixit,& iuſtum eſſe quod fecit.*

219.

Anſelmus.

Item Anſelmus ſupra. *Quare,* inquit,*noluit gratiam offerre eis,qui conſenſuri erant,ipſe nouit,qui omnia nouit.* Loquitur de conſenſu conditionatè futuro ex gratia, vtique efficaci, ex qua conſenſus in bonum eſt infallibiliter futurus.

Theophyl.

Theophylactus in cap.10.Lucæ.Illi,*ſi vidiſſent,credidiſſent vtique.* Quæ particula,*vtique,*certitudinem ſignificans, ponitur etiam à

I.Heſſelius.

*Quomodo ſumatur in Scriptura particula,* fortè.

Ioanne Heſſelio in locum Matthæi, vbi etiam, illud,*fortè manſiſſent,* exponit,*vtique manſiſſent.* Et addit,*Deus gratiam non dedit Tyriis,& Sidoniis,qui tamen,teſte Saluatore,benè erant vſuri.* Teſtimonium Saluatoris ad certiſſimam veritatem confirmandam affertur.

Lyranus.

Eandem certitudinem clarè ſignificat Lyranus, nam probans veritatem illorum verborum,*Quia ſi in Tyro,& Sidone facta.*ait, *Quòd patet, quia receperunt prædicationes Apoſtolorum, & deuotè crediderunt, vt patet Actorum* 21. & ſubdit, quòd eandem infallibilitatem maximè confirmat, *Per hoc non intelligitur aliqua variabilitas in diuina prædeſtinatione, ſed tantùm in hominum voluntate.*

Hugo Card.

Hugo Cardinalis in citata verba Matthæi, *Fortè,notat dubitationem,quæ poſſit in aliis eſſe,non quæ*



*eſſet*

Abulenſis. *eſſet in Deo:vel arbitrij libertatem.* Abulenſis in c.11.
Matthæi,quæſt.52. notat etiam,illud, *fortè,* poni,
*vbi nullum dubium eſt*, vel primò ex conſuetudine
Matth.7. loquendi,vt Matth.7. *Neque mittatis margaritas an-*
*te porcos,ne fortè conculcent eas*; quas tamen porci in-
Matth.5. dubitanter conculcarent; & Matth.5. *Ne fortè tra-*
*dat te aduerſarius iudici, & iudex miniſtris, & in car-*
*cerem mittaris*; quod etiam eueniret ſine vllo du-
Ianſenius. bio. Quod notarunt etiam Ianſenius in concordia
Salmeron. cap.47. Salmeron tomo 4.parte 3.tractatu 14.§. *ad*
Maldonat. *ſecundam quæſtionem.* Maldonatus Matth.11. verſi-
culo 23. *Fortè,* inquit, *hoc loco non eſt dubitantis, ſed*
Barradas. *affirmantis.* Barradas tomo 3.libr.2. cap.11.fusè,&
eruditè. Vel ſecundò ad indicandam libertatem
creaturæ,alioquin, inquit Abulenſis, *Sciebat Chri-*
*ſtus determinatè*, & vt infra habet, *certè quid acturi*
*eſſent Sodomitæ, ſi prædicaretur eis.* Addit autem,
*Exponitur lo-* Chriſtum poſuiſſe,*fortè,*cùm loqueretur de Sodo-
*cus* Matt.11. mitis, & non poſuiſſe cùm loqueretur de Tyriis;
& huius variationis conatur aliquas cauſas redde-
re. Sed fruſtrà laborat,quia ex Græco conſtat, in
vtroque loco eſſe particulam, ἂν, quam Græci ſer-
monis periti volunt eſſe propriè vertendam, *vti-*
Ianſenius. *que,certè. Sed interpres,* inquit Ianſenius ſupra, *hanc*
*coniunctionem & in Pſalmis, & in Nouo Teſtamento*
*vertit per,fortè,vel forſitan, abutens aduerbio dubitandi*
*pro confirmandi.* Quamuis ſtatim ſubiungat aliam
expoſitionem vt probabilem, quam ſequi etiam
Valentia. videtur Valentia hîc, puncto 5. quæſt.2. ad 2. ſed
reliqui omnes negarunt, *Dominum hæc non dicere,*
*tanquam præſcium eorum,quæ futura eſſent, ſed tantùm*
Zumel. *vulgariter.* Quod quidem, inquit Zumel tomo 1.
variarum diſputationum pag.8. *ſuſtineri non poteſt*;
Stapleton. & à Stapletonio ſupra in Matth.dicitur, *Apertiſſi-*
I. Hofmeiſt. *ma verbi Dei corruptela.* Præterea Ioannes Hofmei-
ſterus in cap. 10. Lucæ, eandem infallibilitatem
apertè ſignificat, quærens, *Quare Dominus prædi-*
*caret illis,quos non credituros eſſe certiſſimè præſcierit;il-*
*lis autem quos nouerit credituros, & pœnitentiam actu-*
*ros, ſi prædicatores accepiſſent, non prædicauerit?* Sic
Albertus. etiam Magnus Albertus in cap. 11. Matth. *Quare*
*Dominus his non prædicauit,quos præſciuit fore deuotos;*
*& his prædicauit, quos indeuotos fore præſciuit?* vnde
poſtea ſubdit per illud, *fortè, notare libertatem arbi-*
*trij in Sodomitis,non defectum præſcientiæ Chriſti.* Et
Carthuſian. Dionyſius Carthuſianus exponens illud, *pœniten-*
*tiam egiſſent*, ait, *Quemadmodum Niniuitæ ad prædi-*
*cationem Ionæ.* & ſtatim hanc certitudinem probat
ſic: *Quàm verum ſit hoc, conſtat ex actis Apoſtolorum,*
*vbi fides atque deuotio Tyriorum deſcribitur, qui credi-*
*derunt Apoſtolis, maximè Paulo.* & paulò poſt de
particula,*fortè,*ait: *Dicit autem,fortè,non quaſi dubi-*
*tans,ſed vt ſeruet ſobrietatem ſermonis,& libertatem vo-*
*luntatis deſignet.* Et iuxta hunc communem ſen-
ſum veriſimile eſt eam particulam vſurpari ab Hi-
Hilarius. lario, Matthæi 11. dicente, *Fortè illis credendi*
*fuiſſet effectus, ſi talium virtutum contemplatio con-*
*tigiſſet.*

220. Ex quibus conſtat nullius momenti eſſe præci-
*In Scriptura* puum motiuum aduerſariorum, ex hac particula,
*particula,* *fortè,* arguentium incertitudinem præſcientiæ Dei
fortè,*dicitur* conditionatæ; cùm omnes interpretes expreſsè
*aliquando de* notent,illa non ſignificari incertitudinem. Quod
*rebus certiſſi-* manifeſtum eſt ex aliis Scripturæ locis,affirmanti-
*mis.* bus res certiſſimas cum eadem dubitandi particu-
la. Et omiſſis locis minus certis, quæ attulit Abu-
lenſis ſupra,affero alia certiora,vt illud Ioannis 5.
*Si crederetis Moyſi,crederetis forſitan & mihi.* & infra
Ioan.5. & 8. cap.8. *Si me ſciretis,forſitan & Patrem meum ſciretis.*
Actorum 8. & Actorum 8. *Pœnitentiam age,& roga Deum ſi fortè*
Ioann.4. *remittatur tibi.* & Ioannis 4.vt notat ibi Toletus in
Toletus. illa, *Tu forſitan petiſſes ab eo,& dediſſet tibi aquam vi-*
*uam.* in Græco illud, *forſitan*, iterum ponitur poſt
verbum, *dediſſet*; vbi poni non poteſt ex eo quòd
Chriſtus ignorauerit, quid ipſemet facturus erat.
Vnde cùm Ezechielis 2.dixiſſet Dominus, *Loque-* Ezech.2.&3.
*ris verba mea ad eos, ſi fortè audiant, & quieſcant.*
Deinde ſtatim in cap. 3. abſolutè dicitur, *Domus*
*Iſrael nolunt audire te,quia nolunt audire me.* Quo pa-
tet ſenſum prædictorum verborum fuiſſe hunc
certum, *Loqueris,& non audient.* Et ideò Hierony- Hieronym.
mus exponens verba illa Ieremiæ 26. *Noli ſub-* Ieremiæ 26.
*trahere verbum, ſi fortè audiant, & conuertantur*; ait:
*Verbum ambiguum,forſitan,Maieſtati Domini non po-*
*teſt congruere;ſed noſtro loquitur affectu,vt liberum ho-*
*minis ſeruetur arbitrium, ne ex præſcientia eius, quaſi*
*neceſſitate,vel facere quid, vel non facere cogatur. Non*
*enim ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco fu-*
*turum eſt;ſed quia futurum eſt,Deus nouit.* Cognitio
igitur coniecturalis, quæ propriè ſignificari ſolet
per particulam, *fortè*, eſt,ſecundùm Hieronymum,
contra Maieſtatem diuinæ ſapientiæ:& eadem fe-
rè docet ſuper verba citata Ezechielis 2. quæ ex-
ponens etiam Chryſoſtomus hom. 78. in Matth. Chryſoſtom.
circa medium,ait, *Per Prophetam ambiguè loqui vi-*
*detur, ne prædictio inobedientiam neceſſariò facere vide-*
*retur.* Item Theodoretus in citata verba Iere- Theodoret.
miæ 26. *Dixit, fortaſſe, non quaſi ignorans; nouerat*
*enim illorum incredulitatem:ſed ambigua dictione vſus*
*eſt,ne ſententiæ diuinæ attendentes, deſperarent de ſalu-*
*te. Non abſimile dictum eſt ab Ezechiele, ſi fortè au-*
*diant. Non enim hoc ignorandi verbum eſt:verùm ne di-*
*cant,Prædixit incredulitatem noſtram. Nunquid men-*
*dax eſt? Quî ergo poteſt fieri,vt nos immutemur?* Et eo-
dem modo interpretatur Gregorius homil. 9. in Gregorius.
Ezechielem,multò poſt principium. Egregiè Au-
guſtinus tract. 37.in Ioannem, paulò poſt princi- Auguſtinus.
pium exponens citata verba Ioannis 8.tradit vni-
uerſalem regulam pro omnibus locis in quibus
eadem particula reperitur. *Ille,* inquit, *qui omnia ſcit,*
*quando dicit,forſitan,non dubitat,ſed increpat. Dubita-*
*tionis verbum eſt, quando dicitur ab homine, ideò dubi-*
*tante,quia neſciente;cùm verò dicitur à Deo verbum du-*
*bitationis,cùm Deum nihil vtique lateat,illa dubitatio-*
*ne arguitur infidelitas,non opinatur diuinitas.* Vnde in-
fra notat,eandem ſententiam Ioannis 14.certitu- Ioann.14.
dinaliter à Chriſto proferri, quia non animo in-
crepandi, ſed docendi loquebatur. *Si cognouiſſetis*
*me,& Patrem meum vtique cognouiſſetis.* & infra, *Phi-*
*lippe qui videt me,videt & Patrem.* Eandémque ſen-
tentiam prius fusè explicauerat Euſebius Cæſa- Euſebius.
rienſis libr.6. de Præparatione Euangelica, cap.9.
ante medium. Particula igitur dubitatiua non be-
nè affertur ad ſuadendam diuinæ cognitionis du-
bitationem, quam omnes Patres, & recentiores
interpretes explicant ad eam dubitationem remo-
uendam.

## *Secundus locus* Exodi 34.

Secunda authoritas ex Exodi 34. vbi inter alia 221.
præcepta iubentur Iudæi non accipere in vxores
filias Gentilium, *Ne,* inquit Deus, *fornicari faciant*
*filios tuos in deos ſuos.* Hoc autem dictum eſſe, non
tantùm ratione periculi, quam ſolam rationem
ſpectauit S.Thomas 1.2.quæſt.105. art.4.ad 6. ſed S.Thomas.
etiam ratione certiſſimi euentus præſciti, ſcilicet
ſub conditione prædicti coniugij, patet, tum ex
Deuteronom.7. vbi eadem ratio certitudinaliter Deuter.7.
ita affertur, *Quia ſeducet filium tuum,ne ſequatur me:*
tum clariùs ex 3. Reg. 11. vbi refertur Salomon 3.Reg.11.
accepiſſe vxores Gentiles, *Super quibus dixit Do-*
*minus filiis Iſraël: non ingrediemini ad eas, certiſſimè*
*enim auertent corda veſtra,vt ſequamini deos earum.*



## *Tertius locus* 1.Regum 23.

222. Tertia ex 1.Reg 23.vbi Dauid conſulit Domi-
num, dicens, *Si deſcendet Saul in Ceilam, & tradent*
*me viri Ceilæ in manus eius?* & reſpondet Dominus,
*deſcendet,& tradent.* vbi apertè eſt ſermo de futuro
libero conditionato, tum quia verba ipſa hoc ex-
preſsè ſignificant, vt ex ſe patet; tum quia neu-
trum deinde euenit, ergo non fuit futurum abſo-
lutum:tum quia ita communiter omnes interpre-
Hieron. tantur. Hieronymus in Quæſtionibus,ſeu Tradi-
tionibus Hebraicis in 1. libr. Regum, multò poſt
medium; ſeu quiuis alius eius operis Author fue-
rit,hæc verba ſic exponit, *Ac ſi diceret Dominus, ſi*
*hîc ſteteris,deſcendet: ſi deſcenderit Saul,& hîc te inue-*
Theodoret. *nerit,tradent.* & Theodoretus in ſelectis quæſtio-
nibus in lib.1.Regum, num.54. *Sciſcitatus eſt, num*
*eum eſſent dedituri? & cùm ex eo didiciſſet,eos eſſe dedi-*
Lyranus. *turos,migrauit in alium locum.* & Nicolaus de Lyra,
verbo,*& ait Dominus,*ait,*id eſt, ſi manſeris in ciuita-*
*te,deſcendet,quia non venit illuc, vt poſtea habetur, quia*
*Dauid inde receſſerat.* & clariſſimè, verbo, *& dixit,*
ſic habet, *Si manſeris in ciuitate, & Saul illuc venerit.*
*Ita quod conditionalis eſt vera,quamuis neutrum euene-*
Matt. Thor. *rit.* Quod Matthias Thoryngus etiam ſequitur
Burgenſis. ibidem in ſua Replica contra Burgenſem ibidem,
qui in ſua prima Additione contra Lyranum no-
tat, prædictam conditionalem non eſſe veram,
quia tam antecedens, quàm conſequens, eſt con-
tingens; ac proinde conſequens non ſequitur ne-
ceſſariò, ex antecedente, per vim ſcilicet neceſſa-
riæ illationis Logicæ,ac ſi diceres,inquit, *Si homo*
*currit,baculus eſt in angulo.* ideóque vult eſſe ſenſum
abſolutum de re præſenti, nimirum de eo quod
Saul,& viri Ceilæ *habebant in corde.* Quod poſtea
Cabrera. ad hanc authoritatem reſponderunt Cabrera to-
mo 3.in 3.partem quæſt.62. art.1.d.12. §.8.n.225.
Aluarez. Aluarez lib.2.de Auxiliis d.7.num.21. Cantarellus
Cantarellus. quæſt.22.poſt 5.concluſionem: & alij recentiores
huius concluſionis aduerſarij, fundati etiam in
Chaldaica paraphraſi, quas interrogationes Da-
uid ita exponit, *Num cogitans deſcendere? num cogi-*
*tans tradere?* & reſponſiones Dei, *Cogitat deſcendere,*
Gloſſa. *cogitant tradere.* & in Gloſſa non interlineari,vt re-
fert Aluarez ſupra, quæ nihil tale habet, ſed in
alia gloſſa Rabani poſt verba, *Deſcendet, tradent,*
ita concludentis, *ergo voluntatem eorum indicauit.*
Hugo Card. quam gloſſam ſequitur ibi Hugo Cardinalis.

223. Verùm non poſſumus rationabiliter deſerere
ſenſum conditionalem, & futurum de reali ipſo
effectu deſcendendi, & tradendi: tum quia hîc
ſenſus manifeſtè habetur in textu Hebræo,& pro-
priè exprimitur verbis vulgatæ noſtræ verſionis.
Quibus omninò concordant Septuaginta, & ver-
ſiones Complutenſis, Iſidori, Clarij, Santis Pa-
gnini,Vatabli,& aliæ. Nec licet verba ſignifican-
tia rem, accipere de ſola rei voluntate, alioquin
hac libertate daretur occaſio confundendi,ac per-
turbandi omnes reuelationes,& aſſertiones Sacræ
Scripturæ. Tum quia,ſenſum conditionatum de re
ipſa futura,præter Hieronymum, Theodoretum,
Beda. & Lyranum, ſupra citatos habent etiam Beda
lib.4.allegoricæ expoſitionis in Samuelem, cap.1.
circa medium. *Dauid conſuluit Dominum,ſi venturus*
*ſit ad euerſionem Ceilæ Saul,& ſi tradituri ſe ciues eius.*
Angelomus. Angelomus verba illa, *Deſcendet,tradent,* ita expo-
nit, *Ac ſi diceret,ſi hîc ſteteris, deſcendet Saul, & tra-*
*dent te viri Ceilæ in manus eius.* Quamuis in fauorem
contrariæ ſententiæ ſtatim ita ſubiungat, *eorum vo-*
*luntatem ei indicabat.* Multò clarius Abulenſis Abulenſis.
1.Reg.23.quæſt.13.circa finem. Nam explicans il-
lud, *Deſcendet,*ait,*non eſt intelligendum iſtud verbum*
*Dei abſolutè, quia tunc falſum eſſet, cùm Saul non de-*
*ſcenderit in Ceilam, vt patet infra, ſed intelligitur cum*
*conditione, ſcilicet,* Si hîc manſeris, deſcendet. Et
deinde explicans illud, *Tradent,*ait,*iſtud verbum in-*
*telligendum eſt conditionaliter,ſicut ſupra dicebatur;ſci-*
*licet, quòd ſi maneret Dauid in vrbe, viri Ceilæ trade-*
*rent eum Sauli.* & Dionyſius Carthuſianus ait, *De-* Carthuſian.
*ſcẽdet,id eſt,veniet huc,niſi citò exieris. Tradent,ſi man-*
*ſeris hîc.* Eundem ſenſum conditionatum de re ipſa
verè exprimit etiam Caietanus ibidem,nam in fi- Caietanus.
ne ſui Commentarij ita concludit, *Quocirca nulla*
*reſtat difficultas circa verificationem reſponſionum di-*
*uinarum,eò quòd neuter effectus ſubſecutus eſt:quia tam*
*interrogatio, quàm reſponſio, loquitur Dauide perſeue-*
*rante in Ceila; & propterea, ceſſante perſeuerantia Da-*
*uidis in Ceila,nulla remanet quæſtio.* Noſter quoque
Emanuel Sà eodem modo exponit, *Deſcendet, ſcili-* Emanuel Sà.
*cet,ſi hîc manſeris.* Tum quia ſatis ſupérque conſta-
bat Dauidi, Saulem habere præſentem volunta-
tem deſcendendi, imò publicè præparare exerci-
tum ad deſcendendum cum illo; teſtante Scriptu-
ra ibidem, *Præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam*
*deſcenderet in Ceilam, & obſideret Dauid,& viros eius.*
*Quod cùm Dauid reſciſſet,&c.ait, Domine Deus audi-*
*uit famam ſeruus tuus, quòd diſponat Saul venire in*
*Ceilam,vt euertat vrbem propter me.* Et ſtatim petit,
*ſi deſcendet Saul.* Ergo non eſt veriſimile,Dauidem
petiiſſe de voluntate,& diſpoſitione deſcendendi,
quæ erat præſens, & certiſſima, ſed ſolùm de ipſo
reali deſcenſu,qui erat incertus;quia homines in-
terdum volunt, ac diſponunt multa facere, quæ
poſtea non faciunt. Tum quia Scriptura etſi ſigni-
ficet præſentem Saulis voluntatem deſcendendi,
tamen nihil prorſus dicit de præſenti Ceilanorum
voluntate tradendi Dauidem: imò ex recenti be-
neficio à Dauide accepto liberationis ab obſidio-
ne Philiſtinorum, poteſt probabiliter ſupponi
præſens Ceilanorum voluntas non tradendi libe-
ratorem ſuum. Ergo illud, *tradent,* irrationabiliter
explicatur de præſenti voluntate tradendi.

Neque obſtant in contrarium adducta ex Chal- 224.
dæo,& Gloſſa;tum quia intelligi poſſunt de præ- *In cõtrarium*
ſenti voluntate,non ſimpliciter ac præcisè,ſed de *non eſſe Chal-*
præſenti voluntate effectus re ipſa futuri, poſita *dæum, &*
conditione; tum quia in Chaldæo illud, *cogitans,* *Gloſſam.*
*cogitantes*, eſt participium, quod coniungi poteſt
cum futuro,vt ſit ſenſus, *erit cogitans,erunt cogitan-*
*tes*; & quamuis deinde Dei reſponſiones Latinus
interpres in præſenti vertat, *cogitat,cogitant,* tamen
in textu Chaldæo habentur eadem participia,quę
prius ſunt in interrogationibus Dauid, *cogitans,co-*
*gitantes.* Chaldæi enim,& Hebræi vtuntur partici-
piis non ſolùm ad tempus præſens, ſed etiam ad
futurum ſignificandum, vt teſtantur harum lin-
guarum periti. Itaque tam verba interrogationum
Dauid,quàm reſponſionum Dei,accipi poſſunt in
tempore futuro. Tum quia eſto ſignificent pręſen-
tem voluntatem deſcendendi, & tradendi, tamen
adhuc intelligi poſſunt de ipſo futuro deſcenſu,
& futura traditione; quia communiter homines
quod in futurum facturi ſunt,explicare ſolent per
præſentem voluntatem faciendi. Sic 3.Reg.5.Sa- 3. Regum 5.
lomon, qui ex voluntate, ac teſtamento patris ſui
Dauid, & ex Dei ordinatione omninò erat ædifi-
caturus templum Hieroſolymitanum,dicit, *Cogito*
*ædificare templum nomini Dei Domini mei.* & Iere- Ierem.36.
miæ 36. dicit Deus, *Ego cogito facere eis mala*, &c.
quæ

quæ deinde re ipſa fecit, ac proinde infallibiliter facturus erat. Igitur multò potiori ratione, Chaldaica paraphraſis, & Gloſſæ loquentes de præſenti voluntate rei futuræ, exponi debent de ipſa re futura; quàm ipſamet Scriptura, quæ Hebraicè, Græcè, & Latinè, ſemper loquitur de re futura, propter alienas paraphraſes, & Gloſſas, accipienda ſit de ſola præſenti voluntate rei futuræ. Burgenſis quoque ratio nihil vrget, vt infra fuſius declarabo, quia ad veritatem propoſitionis conditionalis, inter conſequens, & antecedens, eſto neceſſaria ſit aliqua connexio, tamen non eſt neceſſaria connexio phyſica, & infallibilis, ſed ſatis eſt moralis, licèt fallibilis, qua ſcilicet antecedens, moraliter moueat cauſam ad conſequentem effectum, ſuadendo, & inclinando, non autem phyſicè prædeterminando: qualis connexio non reperitur in exemplo, quod obiicitur de curſu hominis, & baculo in angulo. Demum quod prædicta futura conditionata 1. Reg. 23. ſint infallibiliter vera, non tantùm propter cauſarum diſpoſitionem, vt vult Aluarez ſupra, ſed etiam propter ipſoſmet effectus in ſe, præter dicta in generali ſupra n. 217. probatur in particulari ex iſto loco; tum quia Dauid petebat omninò certò ſcire rem ipſam, alioquin eam iam nouerat cum dubio, & quaſi morali certitudine; & Deus ipſe aſſertiuè, ac determinatè reſpondet, abſque vlla clauſula limitante, & indicante aliquam dubitationem, *deſcendet, tradent*; tum quia Dauid, poſt hanc Dei reſponſionem, intellexit rem ipſam eſſe prorſus indubitatam, & infallibiliter futuram: quia nulla interpoſita mora fugit de Ceila cum omnibus ſociis ſuis. Nam audito verbo illo, *tradent*, ſtatim ſequitur Scriptura, *Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti*; tum quia ſi Dauid voluiſſet remanere in Ceila, & poſtea Saul non deſcendiſſet, vel Dauid non fuiſſet traditus, facilè potuiſſent Dauid, & viri eius irridere authoritatem Dei reuelantis. Igitur authoritatibus, & rationibus euidenter conſtat, fuiſſe in Deo infallibilem ſcientiam de illis effectibus contingentibus, ac liberis, ſub conditione futuris, nempe deſcenſu, & traditione: quia effectus reipſa non euenerunt.

*Soluitur obiectio Burgenſis.*

## *Quartus locus* Ieremiæ 38.

225. Quarta authoritas ex Ierem. 38. *Dixit Ieremias ad Sedeciam. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſraël. Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igni, & ſaluus eris tu, & domus tua: ſi autem non exieris, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igni, & tu non effugies de manu eorum.* Et ſtatim ad confirmandam reuelationis infallibilitatem, adduntur preces, & repetitur infallibilis authoritas Dei reuelantis, *Audi quæſo vocem Domini, quam ego loquor ad te; & bene tibi erit, & viuet anima tua.* His verbis manifeſtum eſt reuelari à Deo per Prophetam ipſoſmet effectus liberos futuros ſub conditione, quorum aliqui, nimirum boni, non ſunt impleti, quia non eſt purificata conditio exitus, ſed potius contraria conditio non exeundi, & ideo impleti ſunt oppoſiti effectus mali. Ergo ſi purificata fuiſſet alia conditio, impleti pariter ſine vllo dubio fuiſſent effectus boni. Neque licet in hac prophetia aut confugere ad cauſarum diſpoſitionem, quia Propheta prædicit futuros effectus, & nihil dicit de præſenti diſpoſitione, & præſens inimicorum Chaldæorum diſpoſitio erat potius inclinata ad malos effectus, ideóque Rex timuit, & noluit exire, & ire ad illos; & tamen prædicuntur effectus boni futuri ſub conditione: aut fingere aliquam incertitudinem rerum reuelatarum, quæ adeò grauiter, & aſſeueranter prædictæ ſunt, vt ſi huiuſmodi prophetia eſſet incerta, poſſet quoque de reliquis omnibus prophetiis, & verbis Dei probabiliter dubitari. Vnde ipſemet Deus Deuteronomij 18. petenti, *Quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus?* reſpondet: *Hoc habebis ſignum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non eſt locutus.* Ergo ſi Deus prædiceret aliquid ſub conditione, & poſita conditione ſicut illud poſſet non euenire, ita non eueniret, illa prædictio non fuiſſet Dei; & tamen fuiſſet, vt ſupponitur.

Deuter. 18.

## *Quintus locus* Exodi 3.

Quinta Authoritas ex Exod. 3. *Ego ſcio quòd non* 226.
*dimittet vos Rex Ægypti vt eatis, niſi per manum validam.* Senſus apertè conditionalis eſt hic. Si non percuſſero Pharaonem multis, ac magnis malis, non dimittet vos. Quæ propoſitio eſt de quodam futuro libero, hoc eſt, de nunquam dimittendo populum ſine percuſſionibus. Quod futurum negatiuum nunquam euenit, quia Pharao dimiſit populum propter percuſſiones: ergo non fuit futurum abſolutum, ſed conditionatum. Quòd autem cum omnimoda certitudine cognouerit Deus, illud fuiſſe futurum, patet ex grauiſſimo illo loquendi modo, quem ipſemet Deus vſurpat; *Ego ſcio*; quibus verbis, inquit Theodoretus q. 8. in Exodum, initio, *ſatis aperuit, quòd prænouerat.* quia vt addit Abulenſis in cap. 3. Exodi quæſt. 8. circa finem, *Deus omnia immobiliter cognoſcens, ſciebat rerum contingentes, liberóſque euentus.* Neque hæc ſcientiæ diuinæ certitudo referri ſolùm poteſt ad præſentem diſpoſitionem, ac induratam Pharaonis voluntatem non dimittendi populum, quia Deus non dicit, quòd Rex Ægypti de præſenti, *non vult dimittere*, ſed de futuro, *non dimittet*. & præſens illa voluntas libera non dimittendi, poterat mutari, & dimitti populus ex aliqua alia occaſione, quam *per manum validam*: & tunc verba illa, *Ego ſcio quòd non dimittet, niſi per manum validam*, apparerent indigna non ſolùm Deo, ſed etiam prudente homine.

Theodoret.

Abulenſis.

## *Sextus locus* Actorum 22.

Sexta Authoritas ex Actorum 22. vbi Chriſtus 227.
Paulo ita præcipit, *Feſtina, & exi velociter ex Ieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* Quæ, vt optimè interpretatur Lorinus, *prædictio, eſt ex præcognitione certa, ac indubitata, qualis aliis Scripturæ locis continetur, quam vocant conditionalium, id eſt, eorum, quæ aliis poſitis ſequerentur.* Senſus enim eſt, Si Hieroſolymis prædicares teſtimonium de me, non reciperetur. Illa autem verba, *Feſtina, exi velociter*, ſatis indicant firmam certitudinem futuræ infidelitatis Iudæorum, ſi illis fides Chriſti prædicaretur; ne ſcilicet prædicationis tempus tereret Paulus abſque vlla ſpe fructus; alioqui ſi fuiſſet ſpes aliqua fructus, erat aliquantulum immorandum, & dandum aliquod tempus prædicationi fidei Chriſti. Quare cùm Chriſtus non aſſignet aliam cauſam adeò feſtinæ diſceſſionis, niſi, *Quoniam non recipient*, &c. Idque ſecundùm ſe abſolutè, ac determinatè à Chriſto pronuncietur, non

Lorinus.



poteſt prudenter dubitari de omnimoda certitudine ſcientiæ Chriſti, & multò magis diuini intellectus, de iſto futuro conditionato. Quidpiam ſimile, additis gloſſis Interpretum, habetur antea in cap. 16. vbi de Paulo, & Timotheo dicitur, *Vetati ſunt à Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Aſia.* Quia Spiritus Sanctus, vt ait Gloſſa interlinearis, *præſciebat Aſiæ homines non modò credituros.* & gloſſa Bedæ inquit, *Deus Doctorem remouit ab Aſia, ne cor iniquum de contempta prædicatione grauius iudicetur.* Quæ verba ſumit etiam Hugo Cardinalis in eumdem locum. Multa alia Sacrarum Literarum teſtimonia ad eandem veritatem confirmandam afferri ſolent, quæ legi poſſunt apud alios: hæc enim tum propter ipſamet Scripturæ verba, tum propter multitudinem, ac grauitatem expoſitorum viſa ſunt omnium efficaciſſima.

*Exponitur locus Actorum 16.*

Gloſſa interlinearis.

Beda.

Hugo Card.

228. Solùm in genere videtur addendum, quod acutè obſeruauit Leſſius diſp. de gratia. cap. 19. num. 9. in omnibus reuelationibus de actibus liberis abſolutè futuris, præſertim moraliter malis, vt fuit illa Matth. 26. *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis*, ſupponi neceſſariò in Deo hanc præſcientiam prorſus infallibilem de effectu libero conditionaliter futuro, *Si reuelarem talem effectum liberum, is non impediretur ex reuelatione.* Vbi nequit probabiliter haberi ratio diſpoſitionis cauſæ, quia Petrus, v. g. tempore illius reuelationis erat maximè diſpoſitus ad non negandum Chriſtum; & ex reuelatione rei indigniſſimæ, quam tunc valdè oderat, facillimè poterat adhuc magis diſponi ad rem illam fugiendam. Vnde Petrus audita illa reuelatione reſpondit, *etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Neque in huiuſmodi præcognitione habere poteſt locum aliqua coniectura, ſeu dubitatio: alioqui Deus ſanè imprudenter, & contra ſuam infallibilem in dicendo authoritatem, ab æterno decreuiſſet reuelare, & in tempore reuelaret hos actus liberos, vt abſolutè, & ſimpliciter futuros; nam expoſuiſſet ſe probabili periculo errandi, ac decipiendi alios.

Leſſius.

*Exponitur locus Matth. 26.*

# PVNCTVM III.

## *Secunda probatio ex Patribus.*

### SVMMA.

1 *Referuntur Patres tractantes de Prædeſtinatione. num. 229. & 230.*
2 *Referuntur Patres tractantes de efficacia gratiæ. num. 231. & 232*
3 *Referuntur Patres tractantes de diuina prouidentia. à num. 233. ad 237.*

MVltos attulimus in explicationibus locorum Sacræ Scripturæ, præter quos ſunt alij, vel iidem in aliis locis; & ferè omnes, maioris diſtinctionis gratia, reuocari poſſunt ad quædam capita generalia.

## *Referuntur Patres tractantes de Prædeſtinatione, vel Gratia.*

229. Primò quærunt, cur Deus præſciens aliquos eſſe peccaturos, antequam peccent, tollat è vita, iuxta illud Sapientiæ 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Quæ quidem quæſtio, vt patet, clariſſimè ſupponit in Deo hanc ſcientiam conditionatam, ſi hîc iuſtus viueret vſque ad tale tempus, peccaret, & in peccato ſuo moreretur. Auguſtinus lib. de correptione, & gratia, cap. 8. circa finem; loquens de iis, qui modò iuſti ſunt, ſed poſtea peccant, & damnantur, ait, *Cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrum hoc in poteſtate non habuit? An eorum mala futura neſciuit? Nempe nihil horum niſi peruerſiſſimè, atque inſaniſſimè dicitur.* Scire futura mala iuſti, ſi viueret, eſt ſcientia de effectibus liberis futuris ſub conditione. Hæc igitur ſcientia nonniſi per ſummam peruerſitatem, atque inſaniam, ex Auguſtini ſententia, negatur Deo. Neque poteſt intelligi de cognitione coniecturali; primò, quia idemmet Auguſtinus tractatu 37. in Ioannem, verbis citatis ſupra num. 220. circa finem, ait, Non dubitare niſi qui neſcit, *Ideo*, inquit, *dubitante, quia neſciente.* Cùm igitur pro maximo abſurdo hîc habeat, Deum neſcire prædicta futura, pro eodem abſurdo habere cenſendus eſt, Deum de illis dubitare. Vnde ibi certiſſimè concludit, *Non opinatur diuinitas.* Secundò, quia initio capitis 9. ſequentis, loquens de prædictis iuſtis in peccato morituris, & de eadem præſcientia conditionata, qua Deus ſciuit futura eorum peccata, ſi viuerent, ait, *Non eos dicit filios Dei, præſcientia Dei.* Præſcientia verò, qua Deus ipſe ſibi dicit aliquid, eſt proculdubiò certiſſima cognitio, cui nihil falſi ſubeſſe poteſt. Quamuis enim Auguſtinus loqui videatur de præſcientia abſoluta, quia loquitur de quodam obiecto libero abſolutè futuro, hoc eſt, de iuſtis, qui, inquit, *victuri ſunt impiè, & in eadem impietate morituri*; tamen certum eſſe debet, loqui etiam de præſcientia conditionata, nam quicquid Deus præſcit, abſolutè futurum ex aliqua antecedenti conditione ponenda, præſciuit etiam antea conditionatè futurum, ſi poneretur illa conditio, eſto nunquam illa ponenda ſit. Quod euidenter colligo ex verbis eiuſdem Auguſtini. nam loquitur de præſcientia, qua ita cognouit illos abſolutè morituros in peccato in tali tempore, vt cognouerit etiam eoſdem conditionatè morituros in gratia ſi ante illud tempus raperentur. Totus enim ibi eſt Auguſtinus in admiratione, & exaltatione occultiſſimæ prædeſtinationis, cur ſcilicet præſcitis peccatis futuris prædictorum iuſtorum, noluerit eos rapere tunc, *cùm fideliter, & piè viuerent*, vt de aliis voluit, ſicut dicitur Sap. 4. ſupra; ſed voluerit eos in vita ſeruari vſque ad illud tempus peccati, & finalis impœnitentiæ. Ergo manifeſtè loquitur de ea præſcientia, qua conditionaliter cognoſcebat, illos morituros in gratia, ſi alio tempore rapti fuiſſent; & morituros in peccato, ſi viuerent vſque ad tale tempus, quo de facto voluit eos viuere. Ex quibus probari poteſt tertiò, loqui Auguſtinum de præſcientia certiſſima, quia loquitur de præſcientia antecedente, & quaſi dirigente diuinam prædeſtinationem circa varia media danda electis, vel non electis ad gloriam. Quæ prædeſtinatio cùm certiſſima ſit, prærequirit dirigentem præſcientiam prorſus infallibilem.

*Exponitur locus Sapientiæ 4.*

Auguſtinus.

*Quicquid Deus ſcit futurum abſolutè, præſcit futurum conditionatè.*

De eodem caſu in libr. de Bono perſeuerantiæ, 230.
c. 9. initio ait, *Certè poterat illos Deus, præſciens eſſe lapſuros, antequã id fieret, auferre de hac vita.* Ergo Deus cognoſcit, quòd ſi hoc, quod facere poterat, feciſſet, illi non fuiſſent abſolutè lapſuri; ergo illos eſſe lapſuros cognoſcit conditionatè, nempe, ſi prius non auferret illos de hac vita: hæc enim eſt illa præſcientia, qua facere poteſt Deus, vt qui poſita tali conditione ſunt abſolutè lapſuri, non ſint lapſuri

Auguſtinus *præſcientiam conditionatam non admittit, & dãnat diuerſa ratione.*

lapſuri abſolute,ſed tantùm conditionaliter. Vnde Auguſtinus in eodem deinde toto capite 9. & in ſequenti capite 10. ſemper manifeſtè agit de hac præſcientia conditionata, quam apertiſſimè ſupponit,& tanquam rem ab omnibus conceſſam, & infallibilem docet; licèt contra Pelagianos, vt ſępe aliàs,impugnet,non pręſcientiam ipſam conditionatam,ſed quemdam abuſum illius, probans ſcilicet,homines non eſſe à Deo iudicandos *ſecundùm opera bona vel mala,quæ præſciuit Deus eos perpetraturos fuiſſe,ſi viuerent.*

*Contra authores præſcientiæ conditionatæ,non benè obyci, illam eſſe Pelagianorum contra Auguſtinum.*

Vnde aliqui aduerſarij immeritò occaſionem ſumpſerunt calumniandi ſcientiam conditionalium, & contra nos aſſerendi præſcientiam conditionatam,tanquam prauum aliquod Pelagianorum inuentum, repudiari vbique ab Auguſtino: nam vt liberius nos poſſint impetere, diſſimulant (quod legenti Auguſtinum liquidò conſtat) aliud eſſe ipſam conditionalium præſcientiam, quæ ab Auguſtino, & omnibus Catholicis admittitur; aliud peculiarem quandam præſcientiæ applicationem, Pelagianorum propriam, ad opera meritoria,ac demeritoria,quæ talia eſſe volebant,non ſolùm vt abſolutè futura in re, ſed etiam vt futura præuiſa à Deo ſub conditione.Quare deberent aduerſarij aduertere,Auguſtinum damnantem Pelagianos in prædicta ſententia, non damnare diuinam præſcientiam liberorum operum ſub conditione futurorum, ſed meritum, ac demeritum in liberis operibus, præuiſis à Deo ſub conditione futuris. Tritus enim mos eſt,& priſcis,& modernis ſæculis in Eccleſia Dei, peruerſos homines ipſiſmet fidei articulis abuti, ad alios eiuſdem fidei articulos deſtruendos.Concludamus igitur ad noſtrum propoſitum id, quod in ſimili caſu dixit

Auguſtinus.

Auguſtinus libr. de correptione,& gratia, cap. 15. fin. *Nunquid ergo propter huiuſmodi cauſas, ea quæ de præſcientia Dei vera dicuntur,vel neganda ſunt, vel tacenda?* Ad hoc primum caput ſpectat quod ex Porphyrij ſententia probat Cyrillus libr. 3. contra Iulianum, paulò pòſt medium.

Cyrillus.

*Deus ſciens futurum, ſæpenumerò præuenit, hos quidem propter pietatem, adhuc adoleſcentes è vita eripiens; alios propter futuras in poſterum illis pœnas; alios autem miſerans, quos liberat ab immedicabilibus calamitatibus.* His verbis tribuitur Deo ſcientia futurorum contingentium, quæ nunquam eueniunt, ergo ſunt futura ſub conditione,ſi longius viuerent.Neque in huiuſmodi futuris habere poteſt locum cognitio coniecturalis in cauſarum diſpoſitionibus:nam, vt alia ſuperiùs dicta omittam, quæ diſpoſitio fingi poteſt in infante ad pœnam,ad calamitatem,ad vltimum vitæ peccatum in ſumma ſenectute;ob quam pręſertim diſpoſitionem dici Deus abſolutè poſſit, *ſciens futurum,* vt loquitur Cyrillus? Prætereà Gregorius

Nyſſenus.

Nyſſenus in libr. de Infantibus,qui præmaturè abripiuntur, loquens de eodem caſu, multò ante finem, ſcientiam Dei conditionatam, & infallibilem clariſſimè expreſſit his verbis, *Veriſimile eſt, eum,qui id, quod futurum eſt, æquè, atque præteritum, cognouit, progreſſum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præſcia malum animaduerſum eſt, in eo,qui ita victurus fuiſſet,perficiatur.*

231. Secundò, Patres agentes de gratia efficaci, mentionem faciunt præſcientiæ Dei conditionatæ;

Auguſtinus.

Auguſtinus libr. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. circa medium. *Cuius miſeretur,ſic eum vocat,quomodo ſcit ei congruere,vt vocantem non reſpuat.* Hoc non poteſt intelligi de ſcientia abſoluta viſionis, quia hæc eſt poſt futuram talem vocationem, & diuinam voluntatem ſic vocandi:Auguſtinus verò eſt neceſſariò intelligendus, de ſcientia vocandi ſic, antecedente voluntatem vocandi ſic.Neque enim voluntas, quæ etiam in Deo ferri non poteſt niſi in præcognitum, poteſt velle vocare tali modo, quo vocatus,ſit infallibiliter conſenſurus, niſi intellectus præconcipiat,quòd ſi ille tali modo vocaretur, infallibiliter conſentiret; quæ eſt præſcientia conditionata; eámque ſine dubio ſupponit etiam,cùm ſæpè docet, ad efficaciter, & infallibiliter vocandum prædeſtinatos, eſſe neceſſarium vt Deus infinita ſua ſapientia obſeruet modum,& tempus vocandi, & affectiones, & aptitudinem eius, quem ita vocare vult vt reſpondeat. In hac enim tam exacta obſeruatione neceſſariò includitur ante determinatam voluntatem vocandi, vt præcognoſcat, quòd iſte vel ille homo ſi in talibus circumſtantiis vocaretur, conſentiret; ſi in aliis circumſtantiis vocaretur, non conſentiret,alioqui prædicta obſeruatio, ac diligens veluti inquiſitio, eſſet prorſus vana, ac ridicula. Vnde ſtatim poſt verba citata, quærit Auguſtinus, cur aliqui ſic vocantur vt obediant, alij verò non ſic? Et reſpondet, *Quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret,voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt?* Et paulò poſt,loquens de homine valdè obſtinato, qui diuinis vocationibus non reſpondet, ait, *Quis dicat modum, quo ei perſuaderetur vt crederet,etiam Omnipotenti defuiſſe?* Modus vocandi,qui Deo non deeſt, ſcitur profectò ab ipſomet Deo. Sed Auguſtinus docet,Deo,reſpectu eorum, qui aliquibus modis vocati,non credunt, non deeſſe alios modos, quibus ſi vocarentur crederent: ergo hos modos ſcit Deus.His autem modis continetur futurum contingens conditionatum, vt patet ex ipſiſmet verbis Auguſtini, quæ non ſunt de poſſibili,ſed de futuro,*applicaret,coniungeret,crederet*;& de futuro quod nunquam erit; atque adeò non poteſt eſſe niſi conditionatum. Ergo ex Auguſtino Deus ſcit futura contingentia conditionata,quæ nunquam erunt:& ſcit præſcientia, qua homines prædeſtinari certiſſimè poſſent,quæ pręſcientia eſſe debet pariter certiſſima de ipſomet futuro euentu. Quod etiam paulò ante expreſſerat,nam loquens de vocatis, ſed non electis, qui non obtemperant,ait, *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet,vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.* His tribus vltimis vocibus apertè ſignificatur effectus futurus,non abſolutè,quia nunquam fuit,aut erit: ergo conditionatè,ſi nimirum ita vocarentur.Hunc autem effectum conditionatè futurum ex vocatione conditionata,quia Deus cauſaret infallibiliter,ſi vellet, vt ait Auguſtinus, debet omninò infallibiliter ſcire Deus.Eadem ratione argumentari licet ex illis verbis, lib. de prædeſtinatione Sanctorum,cap. 8. poſt medium. *Si illos, quibus ſtultitia eſt verbum Crucis, vt ad Chriſtum venirent,docere voluiſſet,proculdubiò venirent & ipſi:*ſi,*proculdubiò,* ergo iſta veritas futuri liberi conditionati non eſt coniecturalis,ſed certa.

*Dari in Deo præſcientiam conditionatam ante voluntatem efficaciter vocandi.*

Præterea Ambroſius ſuper illa verba ad Romanos 8. *iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti,* ſic habet, *Hi autem ſecundùm propoſitum vocantur, quos credentes præſciuit Deus futuros ſibi idoneos, vt, antequam crederent,ſcirentur. Iſtos,quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Propoſitum diuinum vocandi ad fidem, & eligendi ad gloriam ponit poſt diuinam præſciētiam fidei futuræ:ergo loquitur de fide futura, non abſolutè, ſic enim futura eſt poſt propoſitum, & decretum 232.

*Exponitur locus ad Romanos 8.*

*Propoſitum vocandi eſſe poſt præſcientiam conditionatam, ſecundùm Ambroſium.*



decretum Dei:ſed conditionatè,quia præter futurum abſolutum, nullum aliud futuri genus fingi poteſt niſi conditionatum: & loquitur de infallibili prædeſtinationis præſcientia.

*Idem ſecundùm Chryſoſtomum.*

Clarius Chryſoſtomus hom. 65. in Matthæum,in medio, agens de tempore vocationis Pauli Apoſtoli,ait, *Quando porrò Deus voluit? Quando certè obtemperaturus erat. Nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet; ſed quia illum renixurum ſciebat,tunc voluit,cùm animum ipſius penetraturum vocationem nō ignorabat. Sic & latronem cùm poſtea vocauit,potuiſſet antea ipſum vocaſſe,ſed vocatus ille non paruiſſet.* Illud,*renixurum*,eſt quoddam futurum liberum, non abſolutum, quia illa vocatio à primis incunabulis,cui renixurum fuiſſe Paulum docet Chryſoſtomus,nūquam fuit:ergo conditionatum, quod à Chryſoſtomo apertè dicitur ſciri à Deo prædeſtinante,ac proinde,ſciri certiſſimè. Idem argumentum fieri poteſt de vocatione latronis, vt patet. Præterea ſi Deus voluit vocare Paulum quando præſciebat cōſenſurum;ergo ante voluntatē vocandi, ac proinde, ante cōſenſum abſolutè futurū,præſciebat Deus conditionatè,quòd ſi vocaret tali tēpore,& modo,Paulus conſentiret.

## *Referuntur Patres tractantes de diuina prouidentia.*

233. Tertiò Patres frequenter inquirunt, cur Deus voluerit incarnari, prædicare, facere miracula eo tempore, & apud eos homines, quos præſciebat non eſſe credituros, omiſſis iis, quos credituros eſſe præſciebat, nimirum infallibili præſcientia conditionata,vt probaui ſupra à num. 218. ex Auguſtino, Rabano, Beda, Anſelmo, Remigio, Proſpero, Theophylacto, Hieronymo, Chryſoſtomo, Theodoreto, Gregorio, Euſebio.

*Præſcientia conditionata ante decretum.*

Quartò nonnulli ſæpe quærunt, cur Deus producere, aut eligere voluerit creaturas, quas malas futuras eſſe præſciebat: vtique ante liberū decretum producendi,& eligendi;alioqui nimiū facilis, ſeu potius nulla eſſet quæſtio, intellecta de præſcientia abſoluta viſionis poſt decretū.Nam rationem dubitandi,& quæſtionē mouendi afferūt Patres ex præſcientia,nullam autem dubitandi materiam dare poteſt in huiuſmodi quæſtionibus præſcientia poſt decretum efficax creandi, v.g. ſi quæratur, cur Deus creauit primum hominem, quem præſciuit peccaturū? ſi illud *creauit*,accipiatur pro ipſa tēporali creatione extra Deum; nihil prorſus ad quæſtionem refert prædicta præſcientia, quia poſt decretum creandi primum hominem eo modo,quo de facto creatus eſt,is futurus erat malus, etiamſi per impoſſibile Deus nō præuidiſſet futurū malum,

Origenes.

*Nam etſi*,inquit Origenes relatus ſupra n. 49. *fingimus, Deum non prænoſcere aliquid,futurū ſine dubio erat,quod ita, vtpote Iudas, proditor factus eſt.* Neque enim viſio futuri abſoluti poſt decretum, poteſt impedire, aut aliquo modo immutare illud futurum abſolutum;ſicut nec ipſum Dei decretū, quod in priori ſigno præſupponit iam factū.Si verò accipiatur pro ipſa Dei æterna,& efficaci volūtate creandi,idem ſequitur,quia poſt hanc volūtatē,ſiue ponatur,ſiue non ponatur conſequens pręſcientia, primus homo futurus erat malus; neque illi volūtati,neque huic futuritioni, obſtare quicquam poteſt illa præſcientia:ergo,vt ſit rationabilis Patrum quæſtio,eſt intelligenda de præſcientia antecedente decretum creandi,& vniuerſaliter faciendi hoc,aut illud; quæ præſcientia futuri, non poteſt eſſe niſi conditionata:hæc enim eſt illa,quæ eſſe poteſt ratio, cur Deus velit facere, & conſequēter faciat hoc aut illud:quia præuidet eſſe futurum hoc conſequens,ſi eſſet futurum illud antecedens:vnde oritur,vt diuina voluntas, ſi illi placeat aut facere,aut non impedire futurum conſequens,decernat antecedens abſolutè futurū;ſi non placeat,nō decernat.Atque hinc verè inſurgit prudens,& grauis dubitatio,cur ſcilicet Deus, qui ob infinitam ſuam bonitatem odit omne malum, & ob infinitam ſuam omnipotentiam omnia mala impedire poteſt, præſciens multa mala futura ſi decernat hanc, vel illam rem facere, poſt talem præſcientiam adhuc liberè voluerit ſe determinare ad condendum decretum de hac, vel illa re facienda,potius quàm non facienda.

In hoc igitur ſenſu Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem, c. 5. hanc ex hæreticis quæſtionē proponit. 234.

Tertullian.

*Si Deus bonus, & præſcius futuri & auertendi mali potens,cur hominem paſſus eſt labi?ſi enim & bonus, qui euenire tale quid nollet, & præſcius qui euenturū non ignoraret, & potens qui depellere valeret,nullo modo eueniſſet.* Quæſtio expreſsè eſt de præſcientia effectus *futuri, & euenturi*,& non ſolùm poſſibilis.Illud autem *paſſus eſt*,de Deo dictum,non poteſt verè aliud ſignificare,niſi æternum Dei decretum de creando homine in tali tempore,& circumſtantiis, & cum talibus auxiliis,cum quibus præſciebat,illum eſſe lapſurum,vtique ſi taliter,& non aliter crearetur, ſeu creandus decerneretur. Atque hanc præſcientiam ipſemet Tertull. ex propria ſententia ſtatim admittit,ac probat vt rem de fide certam non minus quàm bonitatem,& omnipotentiam:addítque illam eſſe, *Qua Deus præſciendo diſpoſuit vniuerſa,* nempe futura, quia purè poſſibilia dicuntur ſciri, non autem propriè præſciri.Præſcientia autem futurorum,qua Deus diſponit de futuris,nequit eſſe alia niſi conditionata, quia abſoluta non diſponit res,ſed tantùm contemplatur res completè diſpoſitas per voluntatē,& aliam præſcientiam antecedentem. Vnde ad quæſtionem reſpondet Tertull. nō obſtante tali præſcientia futuri lapſus, voluiſſe Deū creare hominē;quia lapſus ille nō fuit ex Dei præſciētia,ſicut neque ex defectu bonitatis aut potētiæ,ſed ex ſola ipſiuſmet hominis libertate. Neque in hoc caſu licet aduerſariis cōfugere ad præſcientiā effectus,nō in ſe,ſed in diſpoſitione cauſæ; nā primus homo erat potius ſufficiētiſſimè diſpoſitus ad contrarium effectū vitandi illum lapſum.

Præterea hanc eandē quæſtionem ſub expreſſo nōmine Marcionis, & hæreticorū proponit Hieronymus dialog. 3. aduerſus Pelagianos multò poſt princ. 235.

Hieronym.

Et de hac præſciētia qua cognouit Deus, *hominem in paradiſo poſitum,præuaricaturum eſſe mandatum illius*,ſi vellet illum ita creare;& Saul futurum poſtea Regem impiiſſimū, ſi vellet illū in Regem eligere; quæ præſcientia ante liberū decretum de antecedente cōditione abſolutè ponenda,eſt abſque dubio conditionata,docet Hieronym. *Cui præſcientiā tollis,aufers & diuinitatē.* Vnde ſtatim interrogat, *Cur Saluator Iudā elegerit proditorē? cur ei loculos cōmiſerit,quē furē eſſe non ignorabat?* Et reſpondet, rationē eſſe quia, *Deus præſentia iudicat, non futura; nec condēnat ex præſcientia,quē nouerat talem fore, qui ſibi poſtea diſpliceat.* Deus quē ab æterno videt futurū abſolutè peccatorē,ac proinde, quem præſentē peccatorē in tali differētia temporis ſemper videt, etiā ab ęterno intra ſe iudicat,& dānat,& odit.Ergo nō poteſt rectè intelligi Hieron. de præſcientia peccati abſolutè futuri,ergo futuri conditionatè; hæc enim opera,ſiue bona,ſiue mala, præciſè ſpectata vt cōditionatè futura,verè,& ſolùm ſunt illa propter quæ nullus Deo placet, aut diſplicet; nec ab eo iudicatur dignus pręmio,aut pœna,vt paſſim contra

*Non iudicari à Deo homines ſecundùm opera conditionatè futura.*

contra Pelagianos contendit Auguſtinus; alioqui & omnes beati eſſent odibiles, & condemnabiles; omnéſque dãnati eſſent amabiles, & præmiabiles: quia ſicut nullus eſt beatus, qui ſi ſub aliis circumſtantiis fuiſſet poſitus, non fuiſſet damnatus; ita nullus eſt damnatus, qui ſi ſub aliis circumſtantiis fuiſſet poſitus, non fuiſſet beatus. Imò idem homo, ſi haberet tales operandi occaſiones, benè ageret; ſi haberet alias, malè ageret: vnde ſi attendenda eſſent huiuſmodi opera futura ſub conditione, idem homo eſſet à Deo iudicandus vt bonus, & ſimul vt malus: quæ ſunt ridicula hæreticorum deliramenta. Neque ex eo, quod ibi etiam loquatur Hieronymus de præſcientia abſoluta, vt cùm ibidem paulò poſt dicit, *Neque enim ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat; ſed præſcinit Deus, quaſi Deus, quòd ille erat propria voluntate facturus*, ſequitur, non loqui etiam de præſcientia conditionata: quia iſtæ duæ præſcientiæ ſunt adeò connexæ, vt etſi conditionata poſſit eſſe ſine abſoluta, tamen abſoluta nequeat eſſe ſine conditionata, vt in ſuperioribus non ſemel adnotaui, & infra vberius oſtendam.

236. *Cyrillus.*

Similiter quærit Cyrillus libr. 9. in Ioannem cap. 10. *Si omnia ſcire Chriſtus creditur, cur Iudam, qui futurus proditor erat, elegerit? Cur in Regem, Saulem elegiſti, quem ſciebas, gratiam tuam eſſe ſpreturum? Cur primum hominem formaſti, quem non ignorabas, mandata tua non ſeruaturum? Cur Angelorum naturam creaſti, cùm, vt Deus, præuideris futuram nonnullorum rebellionem?* verba illa, *elegeris, elegiſti, formaſti, creaſti*, accipi debent pro æterna voluntate eligendi, formandi, creandi; tum quia apud Deum, qui *Omnia,*

*Pſalm. 134.*

*quæcumque voluit, fecit*, Pſalm. 134. eadem eſſe debet ratio de temporali factione, & de æterna voluntate faciendi in tempore: & ideò qui quærit, Cur Deus hoc, aut illud in tempore fecerit, cenſendus pariter eſt, imò principaliter quærere; Cur Deus ab æterno decreuit facere hoc aut illud in tempo-

*Auguſtinus.*

re. Vnde Auguſtinus libr. 2. de Nuptiis, & concupiſcentia, c. 16. de voluntate Dei loquitur dicens, *Deus non propterea diabolum creare noluit, quia malum futurum eſſe præſciuit*; vtique ſub conditione, ſi vellet eum creare. Tum quia ex iſtis quæſtionibus ſtatim Cyrillus infert hoc abſurdum, ſequetur vt, præcognitionis cauſa, nihil omninò creare debuerit. Si Deus nihil creaſſet in tempore, nihil etiam ab æterno voluiſſet creare; præcognitio autem, quæ eſt in cauſa, vt voluntas nolit creare, eſt ante voluntatem: ergo in his quæſtionibus vim facit Cyrillus in præſcientia antecedente voluntatem: ſed expreſsè loquitur de præſcientia rerum futurarum, & non merè poſſibilium: ergo loquitur de præſcientia futurorum ante voluntatem, quæ non ſunt futura niſi ſub conditione, ſi hoc aut illud crearetur, ſeu fieret: ergo loquitur de præſcientia Dei conditionata. Vnde poſtea explicat contrarios effectus conditionatè futuros, vtique à Deo præcognitos, qui nunquam fuerunt, dicens, *Primus homo ſeruaſſet prima naturæ bona, niſi crimine inobedientiæ mandata neglexiſſet.* & paulò poſt, *Iudas ſi voluiſſet, non cecidiſſet.* Eadémque in aliis Patribus legere, & obſeruare facilè poſſumus. Sed ſatis ſit in paucis hæc diligenter expendiſſe, quia ex his, quid de cæteris ſentiendum ſit, conſtare poterit.

## PVNCTVM IV.

### *Tertia probatio ex rationibus.*

SVMMA.


1 *Prima ratio ex natura contradictoriorum, n. 237.*

2 *Secunda ratio ex paritate cum futuro abſoluto. numero 238.*

3 *Tertia ratio ex efficacia prædeſtinationis, & gratiæ. num. 239.*


PRima, & potiſſima ratio à priori eſt, quia inter futurum conditionatè, & non futurum conditionatè, tanquam inter puriſſima contradictoria, nullum datur medium. Lex autem irrefragabilis entium contradictoriorum, ex eo quòd carent medio, eſt, vt non poſſit vtrumque ſimul eſſe aut verum, aut falſum: ergo ex neceſſitate alterum eſſe debet determinatè verum, alterum determinatè falſum. Et quoniam noſtra diſputatio eſt de futuris conditionatis contingentibus, hoc eſt, dependentibus quidem à conditione, tamen dependentia libera, ac fallibili, ſecundùm quam res poteſt eſſe, vel non eſſe futura, ideò non eſt neceſſarium vt res ſit ſemper determinatè non futura, & nunquam determinatè futura: ſicut enim videmus, cauſam liberam de præſenti, dependenter ab antecedentibus conditionibus, actu exiſtentibus, modò operari, modò non operari, & modò operari hoc, modò aliud; ita, ratione eiuſdem libertatis, iudicandum eſt de futuro conditionatè, vt ſcilicet aliquando contingat, res eſſe determinatè futuras, aliquando non eſſe determinatè futuras: ergo futurum conditionatè, habet determinatam rationem veri, ergo entis, ergo ſcibilis. Ergo neceſſariò cognoſci actualiter debet ab intellectu diuino, qui propter ſuam omnimodam intelligendi infinitatem, non poteſt non actu ſcire omne ſimpliciter ſcibile.

237. *Probatur primò ex natura contradictoriorum.*

*De futuris contingentibus conditionatis dari determinatam veritatem.*

Secunda ratio, qua præcedens magis confirmatur, & intelligitur. Scit Deus infallibiliter effectum liberum abſolutè futurum dependenter ab aliquo antecedente iam poſito, vel abſolutè ponendo, v. g. ſcit, poſt poſitum ſuum decretum, de creando, & conſtituendo Adamo taliter & taliter, quòd abſolutè futurum eſt, vt in tempore Adamus creetur, & tentetur, &, propter has circumſtantias ponendas, liberè peccet: ergo ſcit, eumdem effectum futurum conditionatè, nimirum dependenter ab iiſdem antecedentibus conditionibus ſeu principiis ſi ponerentur in re. Antecedens eſt de fide ex probatis ſupra dub. 1. Conſequentia videtur manifeſta, quia tota differentia inter rem abſolutè futuram, & eandem rem futuram ſub conditione, eſt ex conditione, præciſè quoad ipſius exiſtentiam vel non exiſtentiam, non autem quoad rem ipſam futuram à conditione dependentem, quæ ſemper quoad ſuam futuritionem eſt prorſus eadem, & ſolùm differt quoad ſtatum; quia ſi conditio exiſtit, res futura habet ſtatum abſolutum; ſi conditio nõ exiſtit, res futura habet alium ſtatum conditionatum; v. g. ſi in ſtatu abſoluto verum eſt, quòd Adam ex tali futura tentatione peccabit, ergo in ſtatu conditionato verum eſſe debet, quòd ſi futura eſſet talis tentatio, Adam peccaret: nam ſi hoc conditionatum eſſet falſum, nunquam intelligi poſſet, illud abſolutum eſſe verum, vt ex ſe patet: ergo omne quod eſt verum, & conſequenter, ſcibile ſub ſtatu abſoluto, eſt etiam verum, & ſcibile ſub ſtatu conditionato. Imò prius ſcibile, quia futuritio conditionata conuenit rebus intra ſtatum potentialitatis, futuritio verò abſoluta conuenit rebus intra ſtatum actualitatis; potentialia autem priora ſunt actualibus: ergo ſi Deus ſcit effectus liberè futuros ex antecedẽtibus conditionibus ſub ſtatu abſoluto, ſcire etiam eoſdem debet ſub ſtatu cõditionali. Quo fit, vt eadem propor

238. *Probatur ſecundò, quia eadem eſt ratio de futuro abſoluto, & conditionato.*

*Quæ differentia ſit inter futurum abſolutè, & conditionatè.*

*Prius natura eſt futurum conditionatum futuro abſoluto.*



proportionaliter ratione naturali, qua à priori probatur, ſcire Deum futura contingentia abſoluta, iam ſupra in prima ratione probauerimus, ſcire Deum futura contingentia conditionata; quia vtraque habent obiectiuam ſuam veritatem, & intelligibilitatem: ſicut enim quia inter futurum, & non futurum abſolutè, nullum eſt medium, ideo altera pars contradictionis, ſeu diſiunctiuæ propoſitionis, ſemper eſt determinatè vera, altera ſemper determinatè falſa; ita de futuro ſub conditione ob eamdem prorſus rationem. Et ſanè, ſi res attentè perpendatur, apparebit, eadem ratione, qua de facto fuit infallibilis prædictio illa Chriſti de futuro abſoluto, *In hac nocte me negabis*, nimirum interrogante ancilla in tali loco, coram talibus perſonis, in tali periculo mortis, &c. futuram fuiſſe etiam infallibilem prædictionem; de eodem futuro ſic conditionaliter propoſito, ſi Petrus hac nocte eſſet in tali loco, & interrogaretur ab ancilla, &c. me negaret. Euidens enim argumentum, & ſignum eſt, hoc ſecundum conditionatum eſſe infallibiliter verum, quia idem purificata conditione factum abſolutum, eſt infallibiliter verum.

239. *Probatur tertiò cum Auguſtino, & Bellarmino ex efficacia prædeterminationis, & gratiæ Dei.*

Tertia ratio valde efficax à poſteriori, quam ex Auguſtino optimè tetigit Cardinalis Bellarminus tom. 4. l. 2. de amiſſione gratiæ c. 17. §. *Sanctus etiam Auguſtinus.* Quia Deus prædeſtinatis, & efficaciter ab æterno prælectis ad gloriam, dat quædam media gratiæ præuenientis, quibus certò ſcit, electos, liberè, ſed infallibiliter, conſenſuros bono. Hęc autem ſcientia non eſt ſolùm de poſſibilitate conſenſus, quia eſt de mediis, quibus ſumus infallibiliter conſenſuri, & non tantùm poſſumus conſentire, & diſſentire. Neque eſt ſolùm de conſenſu abſolutè futuro per talia media: quia hæc ſcientia ſupponit voluntatem dandi talia media vt efficacia, atque infallibilia ad certiſſimam conſecutionem talis finis: ergo etiam ante hanc voluntatem ſupponit aliam ſcientiam cognoſcentem, & proponentem voluntati talia media vt infallibiliter connexa cum tali fine; quia cum ex innumerabilibus mediis, quibus aliquis poteſt liberè conſentire bono, quædam ſint ſufficientia tantùm, quæ, ſi darentur, non perſuaderent; quædam ſint efficacia, quæ ſi darentur, perſuaderent infallibiliter; antequam diuina voluntas eligat dare prædeſtinato talia media infallibilia, debet intellectus diuinus illi repræſentare, quæ ſint media infallibilia, & quæ fallibilia, vt eligat illa, non hæc. Neque enim præuenientis gratiæ media, quæ diuina voluntas efficaciter decernit dare tam prædeſtinatis, quàm præſcitis poſt voluntatem, & ex vi talis voluntatis, fiunt infallibilia pro prædeſtinatis, fallibilia pro præſcitis; ſed præſupponi debent talia, ita vt per voluntatem eligantur, & non efficiantur fallibilia aut infallibilia: quia voluntas diuina dandi, hoc aut illud eſt voluntas, quæ efficit exiſtentiam, & præſupponit naturam, eiuſque proprietates, v. g. voluntas creandi ignem, dat quidem igni exiſtẽtiam, non autem eſſe infallibiliter calefactiuum: quia etiam ignis, quem Deus non vult creare, eſt natura ſua infallibiliter calefactiuus. Debet igitur Dei intellectus ante voluntatem dãdi talia media, præſcire media infallibilia, & alia fallibilia. Neque ſatis eſt de poſſibili tantùm præſcire, hunc hominem per hæc media poſſe fallibiliter conſentire, per illa media poſſe infallibiliter conſentire; ſed neceſſe eſt etiam de futuro præſcire, per hæc eſſe conſenſurum fallibiliter, per illa eſſe conſenſurum infallibiliter: tum quia diuina voluntas præſcitis non ſolùm vult dare, vt poſſint conſentire bono, ſed etiam, non vult dare, vt bono finaliter conſentiant, docente Auguſtino lib. de bono perſeuerantiæ, c. 14. de Tyriis, & Sidoniis; *Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum*: ergo Deus antequam præſcitis velit dare gratiam præuenientem, præſcire neceſſariò debet, illos non ſolùm poſſe liberè conſentire, vel non conſentire gratiæ, ſed etiam non eſſe conſenſuros, ſi daretur; alioqui contingere poſſet, vt eueniret aliquid abſque efficaci Dei voluntate vt eueniat; & ſaluaretur aliquis, quem Deus ad ſalutem efficaciter non prælegit: tum quia, quod ex Scriptura, & Sanctis, præſertim Auguſtino eſt multò certius, & frequentius, Deus prædeſtinatis vult potiſſimum dare per gratiam efficacem ipſum velle, facere, perficere, perſeuerare, &c. & non tantùm poſſe infallibiliter facere, & propter libertatem poſſe ſimul ſimpliciter non facere: ergo præſcire maximè debet, illos per talem gratiam eſſe infallibiliter facturos, ſi illam haberent: ergo ſine præſcientia Dei conditionata non poſſunt rectè ſaluari hominum prædeſtinationes, & reprobationes, & vniuerſaliter diuina prouidentia circa effectus liberos, quos Deus ab æterno infallibiliter voluit eſſe à cauſis liberis tali tempore, loco, modo, &c. Quæ doctrina locum etiam habere debet in ſententia aduerſariorum ponentium media prædeterminantia liberum arbitrium ad vnam partem: nam cùm quædam ſint media prædeterminantia, quædam non prædeterminantia, antequam Deus vult me conſentire, debet præſcire me cum hoc medio prædeterminante, ſi daretur, eſſe conſenſurum.

*Infallibilitatem mediorum eſſe ante diuinam voluntatem.*

*Ante decretum prædeſtinationis præſciri effectum conditionatè futurum.*

*Auguſtinus.*



## PVNCTVM V.

### *Occurritur aduerſariorum obiectionibus.*

SVMMA.


1 *Argumenta Nauarrete à n. 240. ad 251.*

2 *Scientiam conditionatam eſſe formaliter, & non eminenter in Deo. n. 241.*

3 *Soluitur aliud præcipuum argumentum. num. 251. ad 256.*

4 *Tractatur de conditionalibus diſparatis, & indefinitis. à n. 252. ad 256.*

5 *Defenditur Vaſquez contra Cabreram, Zumel, & Gonzalez. n. 258. & 254. & 255.*

6 *Argumenta Cabreræ à n. 256. ad 262.*


### *Argumenta Nauarrete, controu. 56. §. 2.*

ARguit contra concluſionem. Primò, quia, *Cognitio ſub conditione importat intrinſecè imperfectionem*: nam conditionalis particula, *ſi*, vel ſe tenet ex parte Dei, vt ſit ſenſus, v. g. *Si in Tyro factæ fuiſſent virtutes, Deus ſuo auxilio efficaci concurreret cum Tyriis*: vel ex parte rerum, & ſignificetur, *Quòd attenta natura, & conditione illorum hominum, ſequeretur conuerſio.* Primum ponit in Deo imperfectionem, quia facit, *Deum expectare aliquid extra ſe, ad decernendum, quid ipſe facturus ſit.* Non ſecundum, quia Deus in ſola natura liberi arbitrij non poteſt cognoſcere determinatum effectum liberum. 240. *Contra concluſionẽ arguit primò.*

*Arguit ſecũdò.*

Secundò. Iudicium conditionatum, eſt natura ſua practicum, &, quãtum eſt ex ſe, non habet exequutionem operis: ergo eſt imperfectũ. Confirmat authoritate Patrum, Auguſtin. l. de prędeſtinatione Sanctorum cap. 14. illis verbis, *Hoc præſciuit Deus*

*Confirmat authoritate Auguſtini, Proſperi, Damaſceni, Hugonis, negantium præſciẽtiã de futuris conditionatis.*

 *quod*

*quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Et lib. de anima, & eius origine, cap. 12. *Ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit. Quomodo enim dicitur præſciri quod non eſt futurum?* Proſperi epiſtola ad Auguſtinum, quæ habetur initio lib. de prædeſtinatione Sanctorum. *Nouo abſurditatis genere, & non agenda, præſcita dicuntur; & præſcita, acta non eſſe.* Damaſceni Dialogo contra Manichæos. *Si Deus aliquem non condidiſſet, quia præſciſſet peccaturum, non eſſet hac præſcientia, ſed impoſtura. Nam ſicut cognitio, eſt earum rerum, quæ ſunt; ita prænotio, eſt earum rerum, quæ certò futuræ ſunt.* & Hugonis de Sancto Victore, tract.1. de Sacramentis 2.p. cap.14. ad 18. quas authoritates afferunt etiam Cabrera tom.3. in 3.p.quæſt.62. art.1.d.12.§.2.num.29.& alij aduerſarij.

*Arguit tertiò.*

Tertiò, futura conditionata, quæ nunquam erunt, nullum habent eſſe, niſi in cauſis indifferentibus, & indeterminatis: ergo non habent determinatam veritatem in tota æternitate: ergo ex ſe non ſunt certò cognoſcibilia.

*Arguit quartò.*

Quartò, in Deo non ponitur formaliter voluntas conditionata: ergo nec ſcientia conditionata.

*Contra fundamentum concluſionis. Arguit primò.*

Deinde, fusè probat non eſſe efficacem primam noſtram rationem, quam ſibi ex Vaſquez obiicit. Primò, quia non eſt eadem ratio de futuris abſolutis, & conditionatis: nam abſoluta, *habent determinationem ad vnam partem, ſaltem poſtquam ſunt, in tota æternitate:* non ſic autem conditionata, *cùm nunquam futura ſint.* & ideo S.Thomas 1. contra Gentes c.65. aliàs 66. dicit, *ea, quæ non ſunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo ſciuntur, quaſi eius virtuti poſſibilia. Vnde non cognoſcit ea, vt exiſtentia aliqualiter in ſeipſis; ſed exiſtentia ſolùm in diuina potentia;* ergo futura conditionata, quæ nunquam erunt, ſciri tantùm poſſunt in ſuis cauſis vt poſſibilia, ac proinde ſine vlla determinata veritate. Secundò, quia iſtæ ſunt contradictorię, *Petrus peccabit, Petrus non peccabit:* iſtæ non ſunt contradictoriæ, *Petrus ſi poneretur in tali occaſione, peccaret; Petrus ſi poneretur in tali occaſione, non peccaret. Senſus enim,* inquit, *primæ propoſitionis eſt, quòd infallibiliter ſequitur illud conſequens ex antecedenti: ſenſus verò ſecundæ propoſitionis eſt, non quidem quòd conſequens illa non ſit bona, ſed quòd ſi ponatur antecedens eiuſdem, non ponetur conſequens.* Quam doctrinam iiſdem verbis tradit Cabrera tom.3. in 3.part.quæſt.62.art.1.d.12.§.16. num.386. Arguit Nauarrete tertiò, quia, *quamuis vna illarum propoſitionum ſit determinatè vera, & altera falſa, non ſequitur, quod Deus per actum poſitiuum cognoſcat determinatè, & formaliter alteram illarum:* ſicut ſunt contradictoriæ, *Chimera eſt, Chimera non eſt;* & tamen Deus veritatem harum determinatam non ſcit formaliter per actum poſitiuum, ſed tantùm eminenter; *cùm Deus merè negatiuè ſe habeat circa chimeram.* Quartò, quia, *quamuis in futuris conditionatis ſit neceſſaria vna pars contradictionis, tamen non eſt neceſſarium, quòd Deus poſitiuè iudicet de aliqua illa partium.*

*S.Thomas.* *Arguit ſecundò.* Cabrera. *Arguit tertiò.* *Arguit quartò.*

## *Scientiam conditionatam eſſe formaliter, & non eminenter in Deo.*

241. His tamen fundari non poteſt ſententia hactenus inaudita, & propterea ab omnibus planè reiecta, vt notaui ſupra num.211. & 215. de ſcientia in Deo non formali, ſed eminentiali futurorum contingentium ſub conditione. Quam præterea impugno, demonſtrando nullitatem fundamenti, quo ſolo nititur; nulla enim alia ratione probat, ſeu potius explicat, hæc futura ſciri à Deo eminenter, non formaliter: niſi quia, *Quicquid perfectionis poteſt inueniri in cognitione horum futurorum conditionatorum, & omnis certitudo, quæ de illis poteſt haberi, reperitur in Deo.* Si futura conditionata eſſentialiter nullam habent perfectionem, nullam certitudinem, vt iſte Author omnibus ſupradictis argumentis contendit, in vanum dicitur, quicquid perfectionis, & certitudinis de his futuris haberi poteſt, requiri in Deo. Simili fundamento probaretur, velle Deum eminenter, non formaliter, peccatum, & malitiam, vbi verè nulla eſt perfectio, nulla bonitas. Quia quicquid perfectionis, ac bonitatis de peccato haberi poteſt, reperitur in Deo. Sicut igitur quicquid vult Deus, vult formaliter, non eminenter; ita quicquid intelligit, non eminenter, ſed formaliter intelligit. Et vtriuſque veritatis ratio à priori eſt, quia velle, & intelligere, ſi concipiantur ſub vniuerſali ratione volendi, & intelligendi, & verſentur circa propria per ſe obiecta, hoc eſt, bonum, & verum, non circa malum, & falſum, ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, quarum rationes ab omnibus dicuntur eſſe formaliter in Deo. Si verò concipiantur cum aliqua imperfectione, hæc duplex eſſe poteſt, vel ex parte actus, quia, v. g. eſt actus finitus diſtinctus à potentia, accidentalis, &c. ſiue quia eſt volitio pendens à præuiis cognitionibus imperfectis hominum, & angelorum, & eſt intellectio diſcurſiua, iudicatiua, &c. vel ex parte obiecti, quia eſt voluntas mali, & intellectio falſi. Prima imperfectio poteſt eminenter compenſari per volitionē, & cognitionem perfectiorem, quia eſt accidētalis ad præciſam rationem volendi, & intelligendi. Idem enim formaliter obiectum, v.g. hominem eſſe viſibilem ex rationalitate, intelligit per diſcurſum homo, & ſine diſcurſu Deus. Secunda verò non poteſt eminenter compenſari, quia eſt eſſentialis, cùm oriatur ex obiecto, & pertineat ad ipſam præciſam rationem volendi, & intelligendi: quia quæuis voluntas, quatenus voluntas, ſi verſetur circa malum, eſt eſſentialiter imperfecta in quantum voluntas: & quælibet intellectio, quatenus intellectio, ſi rem falsò concipiat, eſt eſſentialiter imperfecta in quātum intellectio. Ergo fingi nequit aliqua volitio, aut intellectio, in qua eminenter contineatur volitio mali, aut intellectio falſi. Sicut ſi per impoſſibile daretur aliquid, quod in ipſa vniuerſaliſſima, & pręciſa ratione entis includeret eſſentialiter imperfectionem, illud dici non poſſet contineri eminenter in alio ente: cuius generis eſſe de facto videntur entia rationis, quæ ob hāc rationem neque formaliter, neque eminenter contineri dicuntur in diuina natura. Sic igitur ſi futurum contingens cōditionatum, in ſua propria, & eſſentiali ratione obiectiua reſpectu cuiuſcūque formalis cognitionis importat imperfectionem, omninò fingitur aliqua cognitio, in qua cognitio futurorum contingentiū conditionatorum contineatur eminēter. Quod vlterius ſic explico, quia v. g. ens finitum, quamuis quatenus finitum ſit imperfectum, tamē quia quatenus ſubſtantia, eſſentia, ens, non dicit imperfectionem, dici poteſt contineri eminenter in aliquo alio perfectiſſimo ente, quod eſt Deus. Sed futurum conditionatum dicitur eſſe eſſentialiter imperfectum, quatenus ſcibile ſimpliciter, quia, vt ait, nulla prorſus formalis ſcientia poteſt in illud tendere abſque imperfectione; ergo quatenus ſcibile non poteſt reuocari ad aliud perfectius ſcibile: ergo eius ſcientia non poteſt eminenter contineri in alia perfectiore ſcientia.

*Impugnatur fundamentū ſentētiæ Nauarrete.*

*Cur quicquid vult, & intelligit Deus, velit & intelligat formaliter, non eminenter.*

*Diſtinguitur duplex imperfectio in volitione, & intellectione.*

*Quæ ex prædictis imperfectionibus compenſetur eminenter in Deo.*

*Ens rationis neque formaliter, neque eminēter eſt in Deo.*

Ad



## *Ad argumenta Nauarrete contra concluſionem.*

242. Expoſita falſitate ſententiæ, facilè eſt ad eius argumenta reſpondere. Ad primum, nego aſſumptum. Ad probationem, dico, illud, *ſi*, neque ſe tenere ex parte Dei tantùm, neque ex parte cauſæ tantùm in ſecundo ſenſu ibi explicato, & bene reiecto; ſed ex parte omniū, quæ includuntur in antecedenti conditione, quam immediatè afficere intelligitur illa conditionalis particula, *ſi*, v.g. in illo futuro conditionato, *Si in Tyro, &c.* tenet ſe ex parte Tyriorum illius temporis cum omnibus circumſtantiis, ac diſpoſitionibus extrinſecis, & intrinſecis, cū quibus tunc viuebant: & ex parte miraculorum, & auxiliorum efficacium, quæ ad fidem, & pœnitentiam ſunt neceſſaria; & conſequenter ex parte decretorum diuinorū ſine quibus nec miracula fieri, nec auxilia dari poſſunt: ita vt ſenſus ſit, ſi talibus Tyriis Deus vellet oſtēdere miracula, & dare auxilia, quæ oſtendit, & dedit Iudæis, illi conuerterentur. Hic autem ſenſus nullam imperfectam expectationē ponit in Deo, vt ex ſe patet. Neque enim, loquendo in genere, vllum eſt inconueniens, non intelligi à nobis, Deum velle vnam rem, niſi præſuppoſita, noſtro concipiendi modo, alia volitione, & viſione alterius rei: vt in probabiliſſima opinione S.Thomę, & Thomiſtarum, ſecundùm quam non decreta eſt incarnatio Verbi, niſi in remedium peccati, prius fuit decretum creandi hominem, & permittendi peccatum, & viſio peccati abſolutè futuri, quàm decretum incarnationis ad tollendum peccatum. Vbi nulla interuenit imperfecta expectatio, aut dependentia decreti diuini à re creata: ſed ſimplex alicuius rei creatæ præſuppoſitio, quæ etiam pendet, & eſſe habet ab alio diuino decreto.

*Ad primum.*

*Deum velle vnam rem præſuppoſita volitione alterius rei.*

243. Ad ſecundum, eſto ſcientia conditionata ſit practica, & ex ſe non habeat actualem coniunctionem cum exequutione operis, tamen nego ſequi ex hoc, illam eſſe imperfectam in ratione ſcientiæ practicæ. Quia actuale praxeos exercitium, non eſt intrinſeca perfectio ſcientiæ practicæ, ſed tantùm extrinſeca pendens à libero Dei decreto; quo modo ſe habet, actu creare reſpectu potentiæ creatiuæ. Alioqui ſi Deus nihil omninò exequi decreuiſſet circa creabilia, non haberet perfectam ſcientiam practicam, & omnipotentiam, quod nemo dixerit. Cæterùm in Nauarrete deſideratur doctrinæ conſtantia; nam antea in controuerſ. 53. ſect.3. ad 1. contra Suarez contendit, ſcientiam Dei conditionatam, eſſe ſimpliciter ſpeculatiuam, & nullo modo practicam. Deinde in controu.56. §.2. ratione 2. conatur probare totum oppoſitum.

*Ad ſecundū.*

*An ſcientia cōditionata, ſit practica.*

*Repugnantia in dictis Nauarrrete.*

244. Ad confirmationem, reſpondent aliqui, Patres negare præſcientiam conditionatam, non ſimpliciter, ſed cum addito; hoc eſt, non negant præſciri à Deo opera libera conditionaliter futura, hoc enim Auguſtinus, & Proſper, qui maximè videntur aduerſari, apertiſſimè docent verbis citatis ſupra num.215.218. ſed negant, præſciri à Deo illa opera, vt habentia rationem meriti, ac demeriti. Quæ reſponſio etſi multis locis applicari queat, vt notaui ſupra num. 230. & notabo infra, num. 404. contra Aluarez; tamen eſt verè inſufficiens pro omnibus; nam in nonnullis apertè reiicitur ipſa præſcientia conditionata, vt præſcientia ſimpliciter, hoc eſt, reſpectu ſui proprij obiecti; ita vt contendant Patres, obiectum præſcientiæ, vt præſcientia eſt, eſſe futurum abſolutum, & non poſſe eſſe futurum conditionatum, ſiſtendo præcisè in ratione futuri abſoluti, & conditionati; & non ſpectando aliam ſuperadditam rationem merendi, ac demerendi. Ita conſtat ex verbis Auguſtini lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. circa principium, dum illud Sap.4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius,* ſic explicat, *Dictum eſt enim ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat; id eſt, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto; non quòd peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Negat, præſciri à Deo peccatum iuſti futurum ſub conditione vitæ longioris, nullam aliam ob cauſam, niſi quia præſcientia non eſt niſi de obiecto abſolutè futuro, cuiuſmodi eſt mors illa immatura iuſti, in qua neque meritum, neque demeritum fuit. Et lib. de Bono perſeuerantiæ cap.12. circa finem, *Hoc autem ſi non dicatur, de mortuorum ſcilicet operibus, quæ facturi erant, ſi viuerent, bonis aut malis, ac per hoc nullis, & in ipſa Dei præſcientia non futuris.* Ex hoc quòd opera conditionaliter futura, ſint nulla, hoc eſt, nunquam abſolutè futura, probat non habere eſſe futurum in Dei præſcientia: quia ſcilicet, hæc propriè non reſpicit niſi futura abſolutè. Quod multò clarius explicauit lib.1. de anima, & eius origine, cap.12. vbi inter alias rationes contra ſententiam dicentium, homines eſſe puniendos propter peccata, quæ nunquam fecerunt, ſed Deus præſciuit futura, ſi viuerent, hac etiam vtitur ratione, *Quid? quòd ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur non erit? Quomodo enim rectè dicitur, præſciri futurum, quod non eſt futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla ſunt,* &c. Aliis rationibus Auguſtinus Theologicè arguit contra prædictam ſententiam, probando non puniri, nec præmiari opera niſi abſolutè futura: & primam gratiam dari, aut negari, non ex operibus futuris vel viribus naturæ, vel etiam viribus gratiæ; hac verò vltima ratione arguit philoſophicè, reſpiciendo præcisè futurum conditionatum, nunquam abſolutè futurum, quod cum propria præſcientiæ ratione cohærere minimè poteſt. Et lib.2. contra duas epiſtolas Pelagianorum c.7. aliquantò ante finem. *Quomodo præſciuit ea futura, quæ, illis in infantia morituris, quia præſcientia eius falli non poteſt, præſciuit potius non futura?* Proſper quoque in citata epiſtola eamdem ſententiam impugnans, circa medium eodem modo ſic arguit. *Sed in tantùm quibuſcumque commētitijs meritis electionem Dei ſubiiciunt, vt, quia præterita non extant, futura, quæ non ſint futura, confingant: nouóque abſurditatis genere, & non agendo, præſcita ſint; & præſcita, nō acta ſint.* Senſus eſt, ſicut Deus eligit ad pręmium gloriæ propter merita præterita, quæ non ſunt in re quādo datur præmium; ita etiam propter merita futura, licèt nūquam in re ſint. Hoc autem eſſe abſurdum nouum, ac proprium Pelagianorum, probat Proſper, ſolùm ex eo, quòd eſſe nequeat præſcientia, niſi de iis, quæ aliquando ſunt. Quibus verbis gratis, & ſine vllo fundamento Gonzalez hîc d.45.n.8. dixit loqui Proſperum, *de præſcientia quorundam futurorum, quam Maſſilienſes cōfingebant, nempè independentem à propoſito, & electione Dei circa illa futura.* Neque Proſper, & Auguſtinus verbis citatis reiiciunt præſcientiam conditionatam, ratione propoſiti ante, vel poſt præſcientiam, ſed ſolùm ratione ipſius obiecti conditionati.

*In quo ſenſu Patres citati n.240. negēt præſcientiam conditionatam.*

*Primus ſenſus inſufficiens.*

*Exponitur ex Auguſtino locus Sap.4.*

Proſper.

Ergo aliter reſpondendum, cum Suarez tom.1. de gratia, Prolegomeno 2. cap.4. num.2. Arrubal hîc, diſp.44. cap.7. ad 2. Auguſtinum, & Proſperum non negare in Deo cognitionem, ſeu ſcientiam futurorum conditionalium nunquam exiſtentium: 245.

*Secūdus ſenſus ſufficiens traditus à Suarez, & Arrubal.*





ſed

ſed ſolùm velle, hanc ſcientiam impropriè vocari à Pelagianis præſcientiam. Quare prædictam eorum ſententiam impugnant, non ſolùm quia malè ſentiunt contra fidem, ſed etiam quia malè loquuntur contra veram, atque vſurpatam nominis rationem. *Quid propriè ſignificet præſcientia.* Etenim præſcientia, non eſt ſcientia ſimpliciter, ſed ſcientia præcedens obiectum ſuum, nimirum reipſa, ſeu prioritate à parte rei, ita vt prius realiter exiſtat ſcientia, poſterius exiſtat res ſcita; alioqui obiectum præcedit ſcientiam prioritate rationis, vt ex ipſomet Auguſtino, & aliis communiter oſtendi ſupra artic.8.n.58. ſicut enim non prædicuntur quæ nunquam poſtea eueniunt, ita nec præſciuntur quæ nunquam poſtea ſimpliciter ſunt: atque hunc præſcientiæ conceptum ſapientes omnes tradiderunt. Damaſcen. Damaſcenus Dialogo aduerſus Manichæos, non multò ante finem. *Prænotio*, inquit, *eſt, ea, quæ futura ſunt, antequam in ortum prodeant, noſſe.* Hugo de Sãcto Victor. Hugo de Sancto Victore lib.1. de Sacramentis part.2. cap.16. vbi probat, quòd, *ſi res futuræ non fuiſſent, ſapientia Dei, ſcientia eſſet; ſed præſcientia non diceretur.* Magiſter ſententiarum lib.1. d.35. §. *Ad hoc. Si nulla eſſent futura, non eſſet in Deo præſcientia; vel non eſſet Deus præſcius: quia nulla eſſent ſubiecta eius præſcientiæ, vnde ipſa poſſit dici præſcientia, vel ipſe præſcius; quod vtrumque dicitur propter futura.* Magiſter. Albertus. Magnus Albertus 1.d.38. art.1. circa medium. *Reſpectu illorum, quæ poſſunt eſſe, ſed non erunt, non poteſt ſumi præſcientia.* & 1. part. ſummæ tract.15. quæſt.61. membr.3. initio corporis, *Res futuræ, ſunt cauſa ſine qua non, ſecundùm dici per nomen præſcientiæ.* Alenſis. Alenſis 1. part. quæſt.23. membr.1. circa finem. *Scientia Dei, ſecundum quòd reſpicit res ſub conditione temporis, ſic eſt præſcientia.* & quæſt.24. initio. *Diuina ſcientia, ſecundùm comparationem ad futura, dicitur præſcientia.* & membr.3. ad 2. *Futurum, ratio eſt, vel cauſa, quare dicatur præſcientia.* Quia, vt addit ad 3. *res temporalis poteſt eſſe cauſa, vt ſic nominetur à nobis.* & idem paſſim alij Scholaſtici cum Magiſtro loco citato.

246. *Patres negare ſcientiam cõditionatã, nõ quoad rẽ, ſed quoad nomen præſciẽtiæ.* Hanc autem nominis proprietatem ſolùm ſpectaſſe Patres, colligo euidenter ex Auguſtino, quia cùm dixiſſet, *exinaniri omninò præſcientiam*, ſi ad futura conditionata, nunquam verè futura, ſe extenderet, id ſtatim nulla alia ratione probat, niſi ex recto loquendi modo, his verbis, *Quomodo enim rectè dicitur, præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Sicut igitur non ſequitur, non eſſe in Deo ſcientiam de puris poſſibilibus, ex eo quòd de illis præſcientiam propriè non habeat; ita ex negatione eiuſdem præſcientiæ non rectè colligitur negatio ſcientiæ de futuris conditionatis; cùm ſcientiæ nomen, longè latius pateat nomine præſcientiæ. *Scientiã conditionatam vocari communiter, præſciẽtiam, etiã ab Auguſt.* Quamuis hodie communi loquentium vſu factum ſit, vt diuinam cognitionem de futuris conditionatis, quam omnes iam admittimus, & linguis, ac calamis frequentiſſimè verſamus, omnes etiam abſque vllo vitio præſcientiam appellemus. Imò ipſemet Auguſtinus verbis relatis ſupra num.212. & 230. ea voce aliquando vſus eſt, & *à S.Thom. & aliis.* vtuntur alij Patres ſuperius adducti, & S.Thomas 3.part. quæſt.1. art.5. ad 2. & ſicut Patres citati ſupra num.41. ne de rebus quidem ipſis abſolutè futuris dari volunt in Deo præſcientiam, quam nihilominus & ipſimet Patres, & alij omnes communiſſimè recipiunt, & tamen ſcientiam non negant, imò ipſum præſcientiæ nomen, & Patres, & alij omnes paſſim vſurpant; ita dicendum de re, & nomine præſcientiæ futurorum conditionalium. *Explicatur interpretatio Auguſt. circa locum Sap.4.* Quando igitur docet Auguſtinus, citata verba Sap.4. eſſe intelligenda, *Secundùm pericula huius vitæ, non ſecundùm præſcientiam Dei,* ſenſus eſt, Deus aliquem rapit, ne peccet; non propter futura ſimpliciter peccata, quæ præſciuerit; ſed ſolùm propter futura ſimpliciter peccandi pericula, in quibus talem hominem peccaturum, ſi diu viueret, certò cognouit. Vnde illud, *Vt tentationum ſubtraheretur incerto,* dictum eſt, propter incertitudinem, quam peccatorum euentus conditionatè futurus habet in cauſa libera, poſitis quibuſcumque tentationibus, non propter incertitudinem ſcientiæ Dei conditionatæ, quæ euentum illum in ſeipſo certiſſimè reſpicit.

Demum Damaſcenũ verbis citatis ſupra n.240. ſpectaſſe meram vocis ſignificationem, patet, quia cognoſcere peccatum nunquam abſolutè futurum, licet futurum ſub conditione, ſtatim ſic probat ex ſolo nomine. 247. *Aperitur mẽs Damaſceni.* *Quemadmodum enim cognitio eſt earum rerum, quæ ſunt; ſic prænotio earum eſt, quæ certò futuræ ſunt.* Vnde & ante hæc verba, & poſt, pro certo ſupponit, Deum cognoſcere, aliquem, ſi non crearetur, non peccaturum: quia totus eſt in tractanda ratione, cur Deus hunc creare voluerit? Et rectè docet, eam rationem eſſe nobis occultiſſimam, & ſoli Deo notam, & non eſſe à nobis inquirendam. *Quis enim*, inquit, *nouit mentem Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Neque enim conſilia omnia ſua nobis patefecit, ſed ea demum, quæ noſtra ſcire intererat: quæ autem ſcire, nihil noſtra referebat, ea occultauit.* At verò ſi futura conditionata nullo pacto cognoſceret, facillimum fuiſſet, ex negatione talis cognitionis, Deum excuſare à peccatis commiſſis ab eo, qui ſi non fuiſſet à Deo creatus, non peccaſſet. Imò ibidem Damaſcenus reſpectu eorum, quæ aliquando futura ſunt, ſed ante Dei præfinitionem, ac voluntatem, antequàm illa non ſunt abſolutè futura, ſed tantùm conditionatè, ponit in Deo præſcientiam, his verbis, *Quæ futura ſunt, prænoſcit, ac, pro ſua præſcientia, præfinit.* *Præſcientia conditionata antè decretũ, ex Damaſc.* Præfinitio facta ex præſcientia antecedente, non præſupponit ante ſe res abſolutè futuras, ſed eas poſt ſe cauſat. Ergo præſcientia illa antecedens præfinitionem, non poteſt in illo priori verſari circa futura abſoluta, ſed tantùm conditionata, nempe ſi crearentur cauſæ liberæ, earúmque actus præfinirentur. Neque poteſt accipi Damaſcenus de cognitione earum rerum vt poſſibilium, tum quia vtitur nomine præſcientiæ, quæ nullo modo dici poteſt eſſe de rebus vt poſſibilibus: tum quia apertè loquitur de præſcientia eorum, *Quæ futura ſunt.* Ex quibus omnibus liquidò conſtat, quantum à Patrum, & grauiſſimorum Scholaſticorum intelligentia aberrauerit Gonzalez hîc d.44. num.21. Gonzalez. cùm hanc reſponſionem dixit, *eſſe friuolam*; & quantum aberrauerit à fidelitate cum d.45. num. 12. omiſſa hac germana reſponſione, quæ verè eſt Suarez, vt citaui initio n.245. tribuat Suarez duas alias reſponſiones minùs probabiles, quòd ſcilicet Auguſtinus loquatur vel de præſcientia abſoluta, vel de præſcientia conditionata in ratione meriti, vel demeriti.

Ad tertium, nego antecedens: nam futura conditionata, non ſunt entia merè poſſibilia, de quibus ſolis dici poteſt, nullum habere eſſe niſi in cauſis, ſed ſunt vera aliqua ratione in ſeipſis futura, nempe, ſi poneretur conditio. 248. *Ad tertium. Futura conditionata habere aliquo modo eſſe in ſe ipſis.* Sicut igitur ſunt entia futura in ſeipſis ſub conditione, ita dici poſſunt, habere aliquod eſſe in ſeipſis ſub conditione. In prima etiam conſequentia latet aliquod vitium, quia ſupponit, quòd, ſi futura conditionata haberent aliquod eſſe extra cauſas ſuas, tunc haberent etiam determinatam veritatem, ac præſentiam



tiam actualem in tota æternitate, antequam actu ſint in tempore. Quod, vt prorſus inintelligibile, repudiatum eſt ſupra à n.31.

249. *Ad quartũ. In Deo eſſe etiam volũtatem conditionatam.* Ad quartum, antecedens eſt apertè falſum, & contra communem Theologorum ponentium in Deo liberam aliquam voluntatem conditionatam, quæ nihil eſt aliud, niſi voluntas vnius rei, non ſimpliciter, ſed ſub conditione, ſi eſſet alia res. Atque hæc eſt illa voluntas de qua 1. ad Timoth.2. dicitur, *Qui omnes homines vult ſaluos fieri.* *Exponitur cũ Ambroſio locus 1. ad Timoth.2.* In qua locutione, inquit ibi Ambroſius, *Conditio latet, ſi accedant ad eum, ſi & ipſi velint:* & vniuerſaliter, ſi rectè vixerint, & non liberè defuerint ſufficientibus auxiliis, quæ Deus propter deſiderium, quod de omnium ſalute habet, nemini negat. *Exponitur locus Ap.3.* Quis enim dixerit, illis verbis Apocal.3. *Sto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit ianuam, intrabo,* non exprimi diuinam voluntatem intrandi? Et tamen eſt voluntas ſub conditione expreſſa, *ſi quis aperuerit.* Illud etiam, quod affert, &, ad libertatem noſtram explicandam, expendit Trid. ſeſſ.6. c.5. Tridentin. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,* clariſſimè includit hanc voluntatem conditionatam, vult Deus ad peccatorem ſe conuertere, ſi ſe conuerterit peccator ad Deum. *Exponitur locus 4. Reg. 13.* Præterea cum 4.Reg.13. dicitur, *Si percuſſiſſes quinquies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem.* Proculdubio ſupponitur Dei decretum conditionatum, de conſummatione Syriæ, ſi Rex Ioas terram iaculo quinquies percuteret. Item clarè, Ezechiel. 24. & Ezechiel. 24. & Luc.13. *Mundare te volui, & non es mundata.* & Luc.13. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Aliáque eiuſdem generis decreta frequentiſſimè leguntur in aliis Scripturæ locis, & in Patribus, ac Scholaſticis. Itáque retorqueri poteſt obiectio; quia ſi in Deo datur libera voluntas conditionata, conditione tenente ſe ex parte rei volitæ; multò magis dari debet ſcientia conditionata, conditione tenente ſe ex parte rei ſcitæ.

## *Ad argumenta Nauarrete contra fundamentum Concluſionis.*

250. *Ad primum. Declaratur, & diſtinguitur determinata veritas, quã in ſeipſis habent futura abſoluta, & conditionata.* Præterea nego, non eſſe eamdem proportionaliter rationem de futuris abſolutis, & conditionatis. Et ad primam probationem in contrarium, dico, vtraque futura, conſiderata ſcilicet in ſeipſis, & non in cauſis, vt ſupra num.248. habere determinationem, ſeu determinatam veritatem; ſed abſoluta abſolutam, conditionata conditionatam; nam ſicut determinata veritas eſt, v.g. quòd Petrus ponendus in tali occaſione, peccabit; ita pariter, ſi poneretur in tali occaſione, peccaret. Sicut enim, *peccabit*, eſt aliquid determinatum abſolutè; ita etiam, *peccaret*, eſt aliquid determinatum conditionatè. Alioquin aliquis negare pariter poteſt, futurum etiam abſolutum, eſſe quid determinatum; quia nondum eſt determinatè realiter præſens extra cauſas. Sed ſicut omnes dicimus, futurum abſolutum, quamuis non ſit actu præſens, tamen eſſe quid in ſe determinatum, quia erit aliquando actu præſens hoc, & non aliud: ita dicendum eſt, futurum conditionatum eſſe quid in ſe determinatum, quia etſi neque erit vmquam actu præſens, tamen veriſſimè eſſet actu præſens hoc, & non aliud, ſi poneretur conditio. Leſſius. Sicut igitur, vt optimè diſcurrit Leſſius opuſculo de auxiliis, cap.20. num.7. fin. *Exiſtentia, quam ſuo tempore illa futura habent, eſt cauſa cur ab æterno ſint obiectiuè determinata, ita ſimiliter, exiſtentia, quam futura conditionata haberent ſuo tempore, poſita hypotheſi, eſt cauſa cur ab æterno ſint obiectiuè determinata.* *Declaratur mens S.Thomæ.* Neque vrget authoritas allata ex S.Thoma, quia loquitur de puris poſſibilibus, quæ, inquit, *non cognoſcuntur vt exiſtentia aliqualiter in ſeipſis.* Vbi illud, *Aliqualiter*, vt ego quidem interpretor, ſignificare videtur, poſſibilia, quæ cognoſcuntur in cauſis tantùm, non cognoſci vt exiſtentia in ſeipſis aliquo modo, nimirum, neque abſolutè, neque conditionatè: *Futura cõditionata in abſolutis includi ab antiquis.* futura enim conditionata in futuris abſolutis fuiſſe incluſa ab antiquis Theologis, adnotarunt non ſolùm noſtri Doctores, vt Suarez opuſculo de ſcientia conditionata, cap.3. num.2. Arrubal d.44. num.7. ſed etiam aduerſarij, vt Zumel, variarum diſp. fol.93. col.1. circa medium. Machin hîc d.33. ſect.2. circa principium. Suarez. Arrubal. Zumel. Machin.

*Ad ſecundũ.* Ad ſecundam probationem dico, eſſe etiam contradictorias conditionales ibi allatas. Nego igitur ſenſum huius propoſitionis, *Petrus, ſi poneretur in tali occaſione, peccaret*, eſſe hunc, *Futurum peccatum Petri, infallibiliter ſequitur, ex poſitione Petri in tali occaſione:* nullum enim liberè futurum, quale eſt peccatum, ſequitur infallibiliter ex voluntate libera poſitis quibuſcumque aliis antecedentibus principiis non deſtruentibus libertatem, ſeu libertatis vſum, vt ſupra num.113. *In conditionalibus etiã eſſe verã contradictionẽ.* Quod ſi admittatur prædictus ſenſus, iam omninò voluntariè dicitur, ſenſus oppoſitæ propoſitionis per adiectionem ſolius negationis ſuprà prædicatum, non eſſe hic, *Futurum peccatum non ſequitur infallibiliter ex poſitione Petri in tali occaſione.* Particula enim *non*, oppoſita prædicato propoſitionis affirmatiuæ, negat illum eumdem ſenſum, quem affirmat propoſitio affirmatiua. Si igitur prædicatum conditionalis affirmatiuæ, affirmat, conſequens ſequi infallibiliter ex antecedente; negatio eiuſdem prædicati negare debet, conſequens ſequi infallibiliter ex antecedente: & ſic erit vera contradictio in conditionalibus, ſicut in abſolutis,

*Ad tertium.* Ad tertiam probationem, euidenter pugnat cum infinita perfectione diuini intellectus, dari vnam propoſitionem determinatè veram, & eam non cognoſci à Deo. Et ſi futurum contingens conditionatum, eſt determinatè verum, vt ſupponitur, nulla eſt ratio cur illud intelligatur à Deo eminenter tantùm, & non formaliter per actum poſitiuum, quo modo intelligitur idem futurum abſolutum, nullam aliam ob cauſam, niſi quia eſt determinatè verum. *Chimeram etiam à Deo cognoſci formaliter, & non eminenter.* Quamobrem idem dicendum de Chimera, quæ ſi cognoſcitur à Deo, vt probaui ſupra art.9. dub.2. non poteſt non cognoſci formaliter per actum poſitiuum. Quid enim ſit, Chimeram cognoſcere eminenter tantùm, neque explicatur, neque poteſt intelligi. Nam ſi in formali, ac poſitiuo actu diuinæ cognitionis relucet proprium, ac formale eſſe chimeræ, hæc cognoſcitur formaliter per actum poſitiuum, non minus quàm quæcúmque alia creatura, licèt in aliis cognoſcendi modis poſſit eſſe diuerſitas, quos loco citato explicaui: ſi verò non relucet, ergo veriſſimè, ac propriiſſimè ignoratur, quod de Deo affirmare, nefas eſt. Quod abſurdum non tollitur, cum dicitur, ſciri eminenter; nam ſi hoc dicitur ſolùm propter infinitum exceſſum perfectionis ſcientiæ Dei, & non ponit in illa ſcientia relucere proprium, ac formale eſſe talis obiecti, non tollit veriſſimam ac propriſſimã illius ignorãtiam. Alioqui opinio dicens, Deum nõ cognoſcere creaturas in particulari, quam vt erroneam confutat S.Th. S.Thomas. ſupra art.6. cũ omnibus Theologis, ſuſtineri poſſet per hanc eamdem diſtinctionem, de cognoſcere non formaliter ſed eminenter. Vnde ipſemet Nauarrete, dari in Deo ignorantiam ſimpliciter de

P 4 Chimera

Chimera, ſatis clarè expreſſit, ſed contra omnes Theologos, vt oſtendi ſupra art.9.dub.2. cùm dixit, *Deus merè negatiuè ſe habet circa Chimeram.*

*Ad quartū.* Ad quartam probationem patet ex dictis, eſſe omninò abſurdum, in futuris conditionatis vnam partem contradictionis eſſe neceſſariam, ſeu determinatè veram; & tamen eam non ſciri poſitiuè à Deo.

## *Soluitur aliud præcipuum argumentum.*

251. *De veritate conditionalis propoſitionis ex S.Th.*

Obiicies ſecundò, quia ex S.Thoma opuſc.48. tractatu de enunciatione, c.vlt. circa fin. quod docent etiam Dialectici, ac Summuliſtæ, *Omnis propoſitio conditionalis vera, eſt neceſſaria.* Quia particula, *ſi,* habet vim illationis, & conſequentiæ, omnis autem illatio, ſeu bona conſequentia, eſſe debet neceſſaria, & importare infallibilem connexionem conſequentis cum antecedente: ex huius enim connexionis defectu non valet, *eſt homo, ergo eſt albus.* Sed futurum contingens, ac liberum, ex quibuſcumque antecedentibus principiis non eſt neceſſariò aut infallibiliter futurum. Ergo futurum contingens non poteſt eſſe conditionatū, ſeu, quod idem eſt, non poteſt ex illo formari vera propoſitio conditionalis. Ergo ſciri non poteſt, quia omne quod ſub aliqua ratione non habet eſſe, ac veritatem, non eſt ſub illa ratione cognoſcibile. Atque hoc fuit fundamentum Burgenſis ſupra num.222.

*Reſpondetur diſtinguendo duplicē acceptionem particulæ, ſi.*

Reſpondeo illud, *ſi*, poſſe ſumi vel logicè, vel moraliter; primo modo ſignificat illationem, & ſpectat ad argumentationem, vnde applicari ſolet etiam materiæ falſæ, & impoſſibili, dummodo conſequentia bona ſit; vt ſi homo eſſet lapis non eſſet rationalis: vt docet S.Thomas infra, quæſt.25. art.3.ad 2.& quæſt.44.art.1.ad 2.fin. & in hoc ſenſu explicatur à S.Thoma ſupra, & Summuliſtis communiter, docentibus, in conditionalibus nullam eſſe veritatem, niſi neceſſariam: ſecundo modo ſignificat moralem cauſalitatem, ſiue influxum aliquem antecedentis in conſequens, vi cuius influxus, ſeu moralis motionis, conſequens verè, & à parte rei eſt dependenter ab antecedente, licèt liberè, & cum potentia ad non eſſe ex illo. Atque hoc modo à nobis ſumitur in hac controuerſia in qua diſputamus de conditionatis liberè, & moraliter futuris; & ſpectat non ad argumentationem, ſed ad certam cognitionem; quia cum tali particula moraliter ſumpta, ſtat determinata veritas conſequentis, non ſolùm ſimpliciter, ſed cum dependentia ab antecedente, per modum cuiuſdam connexionis, non neceſſariæ, & infallibilis, ſed fallibilis, ac liberæ. Quam ſecundam ſignificationem inter ipſos etiam Summuliſtas tradiderunt Toletus citatus ſupra num. 214. fin. & ante ipſum Sotus lib. 3. Summularum cap.8. quem citant, & recipiunt Cabrera tom.3. in 3.p.quæſt.62. art.1.d.12. §.7. num.61. Arrubal hîc d.44.num.40. dicentem, *Ad veritatem conditionalis promiſſiuæ non requiritur, quod antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente; ſed ſatis eſt, quod antecedens non ſit verum ſine conſequente.*

S.Thomas. Toletus. Sotus. Cabrera. Arrubal.

## *De conditionalibus diſparatis, & indefinitis.*

252. *Conditionales diſparatas neque eſſe veras, neque ſcibiles.* Vaſquez. Leſſius. Zumel. Arrubal.

Quo fit, multò probabilius ſentire Vaſquez hîc d.67.num.17.& 23. Leſſium opuſculo de Auxiliis cap.19. circa principium, Zumel tom.1. variarum diſp.fol.126. col.2. & fol.127. col.1. Arrubal hîc, d.45.cap.4.num.9. Albertinum tomo 1. fol.294. aſſertione 2. Aluarez lib.2.de Auxiliis, diſputat.7. num.20. & d.13. concluſ. 2. confirmatione 2. & alios dicentes, futura conditionata per conditiones concomitantes, & diſparatas, quæ ſcilicet nullam ex natura ſua vim habent ad effectum conſequentis, vt, ſi *Petrus hîc legeret, Paulus Romæ curreret,* veritatem non habere, & conſequenter ſciri non poſſe, nimirum ex ſe, & antè omne extrinſecum Dei decretum: quicquid in contrarium dicant Fonſeca 6.met.cap.2. quæſt.4. ſect.10. initio. Machin hîc d.33. ſect.2. ratione 1. Cabrera infra, n.258. Zumel ſupra ſibi cōtrarius in fol.143.col.1. Gonzalez hîc, d.44. ſect.1. concl.3. & ſect.2.not.2. quibus nonnihil fauet Suarez opuſc. de ſcientia Dei lib.2.c.6.ad 2.quia licèt poſſit eſſe, & de facto futurum ſit verum, eodem tempore quo Petrus hîc leget, Paulum Romæ curſurum, tamen conditionalis particula, *ſi*, præter hanc concomitantiam, & coniunctionem, propriè importat aliquam cauſalitatis, ſiue ordinis connexionem, ſeu dependentiam inter conditionem, & effectum, ſiue inter antecedens, & conſequens. Sed talis connexio ex ſe eſſe nequit inter duas res natura ſua diſparatas. Ergo propoſitio, affirmans huiuſmodi connexionem inter illas, per particulam, *ſi*, ſemper eſt falſa; ſiue dicas, ſi Petrus hîc legeret, Paulus Romæ curreret, ſiue non curreret: hæ enim propoſitiones non ſunt contradictoriæ, quia in vtraque vel affirmatur vel negatur conſequens propter dependentiam ab antecedente, quod ſemper eſt falſum. Ergo talis propoſitio ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, ſemper eſt falſa: ergo nunquam ſcibilis. Quare erit vera, & ſcibilis hæc alia verè contradictoria, *Non ſi Petrus hîc legeret, Paulus Romæ curreret: vel non curreret:* quia hæc ſignificat, non eſſe aliquem ordinem connexionis, aut dependentiæ conſequentis ex antecedente, ſicut verè non eſt. Hæc autem eadem futura habere poſſunt veritatem, & ſciri à Deo, poſt liberum voluntatis ſuæ decretum; quemadmodum de facto accidit in illo, quod dixit Deus ore Eliſæi ad Ioas Regem Iſrael, 4. Reg.13. *Si iaculo terram percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, aut ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* Nam illa repetita terræ percuſſio, & Syriæ deſtructio, nullam ex natura rei inter ſe connexionem habent, ſed aliquam, nempe extrinſecam, inceperunt habere poſt decretum conditionatum Dei. Ergo illa propoſitio conditionalis ſciri non potuit niſi poſt decretum. Item in illo 4.Reg.2. *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiſti.* Nam duplex Eliæ Spiritus, quem Eliſæus petierat, nullam, niſi ex diuina ordinatione, connexionem habet cum prædicta Eliæ viſione. Eiuſdem generis futurum conditionatum exiſtimant aliqui fuiſſe illud Geneſ.2. *In quocumque die comederis ex ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris.* quia, inquiunt, comeſtio illa, & mors Adami, & poſterorum nòn habent ordinem alicuius dependentię inter ſe ex propria natura, ſed ſolùm ex libera Dei voluntate: ergo futurū illud conditionatum, importans propriè aliquam dependentiam conſequentis ab antecedente, ſciri non poterat ante liberam determinationem diuinæ voluntatis. Quare ſicut hæc, *Si Ioas ſepties percuteret terram, deſtrueret Syriam,* ante decretum erat falſa, & non ſcibilis; poſt decretum vera, & ſcibilis: ita è contrario, hæc alia contradictoria, *Non ſi Ioas ſepties percuteret terram, deſtrueret Syriam,* ante decretum erat vera, & ſcibilis, poſt decretum falſa, & non ſcibilis. Quod accidit etiam in futuris abſolutis; nam prius ratione quàm intelligatur

Albertinus. Aluarez. *Contra* Fonſecam. Machin. Cabreram. Zumel. Gonzalez. Suarez.

*Quid propriè importet particula, ſi. Cōditionalis diſparata, ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, ſemper eſt falſa.*

*Quæ ſint cōditionales cōtradictoriæ.*

*Cōditionalia diſparata, eſſe vera, & ſcibilia poſt decretū Dei. Exponitur locus 4. Reg. 13.*

*& locus 4. Reg.2.*

*& locus Geneſ.2.*



tur Deus decernere aliquid abſolutè futurum, verum eſt, aliquid non eſſe futurum; & falſum, aliquid eſſe futurum: contra verò poſt decretum Dei abſolutum.

253. *Idem probatur de conditionalibus indefinitis.*

Hæc ipſa, quæ probata ſunt de futuris conditionatis per habitudinem ad conditiones concomitantes, ſeu diſparatas, procedunt etiam de futuris conditionatis per habitudinem ad conditiones antecedentes, & per ſe connexas, ſed indeterminatè, & indefinitè acceptas, hoc eſt, quæ aptæ ſunt ex natura rei ad effectum concurrere, tamen non ſolæ, ſed poſitæ ſimul cum aliis antecedentibus conditionibus: vt in hac propoſitione, *Si crearetur homo, eſſet albus.* Quoniam illud, *ſi*, non importat quamlibet dependentiam conſequentis ab antecedente, ſed dependentiam adæquatam; quia ſimpliciter, atque adæquatè prædicatur futurum in re conſequens poſito antecedente: conſequens autem non habet eſſe in re ſimpliciter, ex vi vnius antecedentis, ſed ex vi omnium antecedentium, quæ in illud per ſe influunt: ergo in huiuſmodi propoſitionibus non eſt ex natura rei iſta adæquata connexio, ſed ſolùm eſſe poſſet ex ordinatione diuinæ voluntatis: ergo ante hanc ſunt falſæ, & non ſcibiles, poſt hanc veræ, & ſcibiles, vt bene docet Suarez opuſculo de ſcientia Dei lib.2. cap.6. ad 2. Arrubal hîc diſp.46. cap.1.& alij omnes, etiam aduerſarij. Tota igitur hæc opinio fundatur in ſignificatione conditionalis particulæ, *ſi,* quæ verè non importat puram concomitantiam, & copulationem, hoc eſt, *Vnum cum alio*, ſiue, *Vnum, & aliud*; vt falsò aſſumit Cabrera infra, num. ſuo 215. & ſequitur Cantarellus quæſt.22. not.3. ſed concomitantiam, & copulationem cum aliqua dependentia, hoc eſt, *Vnum ex alio:* alioquin eſſet planè irridendus qui diceret; ſi Vrbanus VIII. Romæ dormiret, Rex Philippus in Hiſpania loqueretur: ſi Turca ſederet, Indus curreret, & ſimilia, quæ concomitanter, & copulatiuè vera eſſe contingit. Sufficit autem dependentia libera, quam habet, v.g. conſenſus Petri à diuina vocationis gratia: ſicut enim propter dependentiam ab hac vocatione verè, ac determinatè eſt conſenſus de præſenti, & erit de futuro abſoluto, ita etiam verè, & determinatè eſſet de futuro conditionato. Quia ſicut ex eo quòd ſit determinata veritas de præſenti, *Petrus hodie taliter vocatur, & conſentit*, arguitur eſſe ab æterno determinatè verum de futuro abſoluto, quòd Petrus hodie taliter vocabitur, & conſentiet; ita etiam arguitur, eſſe ab æterno determinatè verum de futuro conditionato, quòd ſi Petrus hodie taliter vocaretur, conſentiret. Quoniam propoſitiones de futuro abſoluto, & conditionato, nil aliud verè ſignificant niſi illud idem, quod importat propoſitio de præſenti, nempe hunc conſenſum liberum vi huius vocationis: hunc enim ſolùm dicimus de præſenti, & de futuro abſoluto, & de futuro conditionato. Ergo ſi ſemper eſt idem determinatum ens, erit etiam ſemper idem determinatum verum, & determinatum intelligibile: & differentia ſola erit, in ratione diuerſorum ſtatuum, nempe determinatum in ſtatu de præſenti, & de futuro abſoluto, & de futuro conditionato. In hac autem veritatis determinatione fundari ſufficientiſſimè poteſt certitudo diuinæ ſcientiæ, quam hîc inquirimus, quicquid ſit de bonitate conſequentiæ, de qua ſoliciti ſunt Summuliſtæ. Quamuis Vaſquez hîc d.67. cap.vlt. ad 2. concedat, in conditionalibus etiam propoſitionibus de futuro contingenti, non ſolùm eſſe veritatem, ſed etiam bonam conſequentiam, licèt non neceſſariam. Quod affirmant etiam Machin hîc d. 33. ſect. 3. §. *Sed licèt.* concl.1. Albertinus tom.1.fol.294. num.11. Qua in re, vel impugnanda, vel tuenda, non videtur diutius immorandum, quia logicus labor eſt; minimè neceſſarius ad præſentem veritatem Theologicam de diuina ſcientia infallibili iſtarum propoſitionum: ad hoc enim ſatis eſt veritas illarum determinata, nec præterea requiritur bona conſequentia. Conceſſi autem ſupra in illis propoſitionibus non eſſe bonam conſequentiam, quia ſequutus ſum communem Summuliſtarum ſenſum, & loquendi modum, docentium, conſequentiam bonam, eſſe conſequentiam neceſſariam; quæ duo pro eodem vſurpat Sotus lib.3. Summularum c.8. ſect. 3. dum dicit, *Ad veritatem promiſſiuæ non requiritur, quòd ſit bona conſequentia, ſcilicet, quòd antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente:* & rectè notant Aluarez de Auxiliis lib.2. d.7. num.7.ſuppoſit.2.contra Mendozam; & Cabrera infra, num. ſuo 214. contra Vaſquez: & Cantarellus quæſt.22. notab.3.alioquin in probabilibus, etſi verum ſit, v.g. *Eua peccat, quia tentatur à ſerpente*; falſum tamen omnibus videtur, *Eua tentatur à ſerpente, ergo peccat.* Quamobrem cùm dicitur, ſi Eua tentaretur à ſerpente, peccaret: particula, *ſi*, ita videtur accipienda, vt ſignificet idem quod ſignificat particula, *quia,* non autem quod ſignificat particula, *ergo*; hoc eſt, veram, licèt liberam, dependentiam effectus à cauſa, v.g. peccati à tentatione, non autem conſequentiam, quæ eſt quidem dependentia conſequentis ab antecedente, tamen dependentia neceſſaria non libera. Vnde S.Thomas hîc ad 2. docet, *eſſe conditionalem falſam, cuius antecedens eſſet cauſa remota neceſſaria, & conſequens effectus contingens; vt puta, ſi dicerem, ſi ſol mouetur, herba germinabit.*

Suarez. Arrubal.

*Propoſitio cōditionalis nō ſignificat ſolā concomitantiam, ſine dependentia.*

*Quod verificatur de præſenti, neceſſe eſt verificari de futuro abſoluto, & cōditionato.*

*An in conditionalibus, præter veritē, ſit bonitas conſequētiæ. Affirmant Vaſq. Mach. Albertinus.*

*Melius negant Sotus, Aluarez, Cabrera, S. Thomas, Cātarellus.*

## *Defenditur Vaſquez contra Cabreram, Zumel, & Gonzalez.*

254. *Cōditionatas diſparatas, eſſe ſcibiles probat Cabrera primò.*

Inſtabis cum Cabrera tom.3. in tertiam partem quæſt.62.art.1. diſput.12.§.7. num.210. & 211. tenente contra Vaſquez conditiōnatas diſparatas, eſſe ſcibiles. Primò quia, *Omnes rationes, quæ probant, cognoſci à Deo futura conditionata, æqualiter conuincunt de futuris, quæ nullam habent connexionem per ſe cum conditionibus; & de his, quæ talem connexionem habent.* Secundò, quæcumque conditionis connexio cum effectu liberè futuro, *eſt omninò contingens, & indifferens ad vtrumlibet, ergo ex vi eius, non poteſt futurum, eſſe infallibiliter futurum; & non eſt certum, ac determinatum, futurum eſſe effectum:* ergo prædicta connexio eſt impertinens ad cognoſcēdum futurum: ergo ea ſecluſa poterit cognoſci. Tertiò, quando connexio conditionis cum effectu eſt ex promiſſione, aut reuelatione Dei, vt in caſibus ſupra numeratis ex Scriptura, *Scientia, qua Deus cognoſcit, futurum eſſe talem effectum ſi poneretur talis conditio, præſupponitur ad reuelationem, & promiſſionem:* quia Deus ideò reuelat, quia ſcit, non contra: *ergo reſpectu ſcientiæ Dei, nulla eſt in hoc caſu connexio inter effectum, & conditionem.* Atque hanc totam Cabreræ doctrinam iiſdem penè verbis deſcribit Zumel tom. 1. variarum diſput. pag.193. col.1. & col.2. fin. ſolùm ex ſuo ita addens contra Vaſquez, *Auctor hic non ſatis conſequenter loquitur.* Sed nullam affert, nec ſanè afferre poterat, in hoc dicto Vaſquez diſcordantiam cum alio dicto. Ipſe quidem Zumel ſibi potuiſſet obiicere manifeſtam hac in re contradictionem: quia ſupra pag.126. circa finem, conditionales contingentes non eſſe intrinſecè

*Probat ſecūdò.*

*Probat tertiò.*

*Contradictio in dictis Zumel.*

intrinſecè falſas ſic probat. *Quoniam non dicunt diſparatam connexionem extremorum; ex qua ſola poſſent habere intrinſecam falſitatem.* & pag. ſequenti 127. col.1. poſt medium ſic clariſſimè concludit. *Vnde falſitas in his diſparatis conditionatis ſemper requiritur.* & tamen poſteà loco citato aſſerit, & probat planè contradictorium.

255. *Ad primum. Particulam, ſi, importare aliquam cōnexionem.* Reſpondeo ad primum, conditionatis diſparatis non poſſe applicari præcipuam illam rationem ductam ex propria ſignificatione particulæ, *ſi*, quæ ex communi omnium conceptione, & loquendi vſu, importat aliquam connexionem conditionis cum effectu, qua ſcilicet effectus ſit aliqua ratione ex conditione, & non ſolùm cum conditione. Aliud enim ſine dubio eſt, *Hoc eſt cum illo*, ſeu, *quando eſt illud*; & aliud, *Hoc eſt ſi eſt illud*, ſeu, *quia eſt illud.* In quacumque igitur propoſitione conditionali, ſiue in ea dicatur effectus futurus, ſiue non futurus, ſemper dicitur futurus, aut non futurus propter aliquam dependentiam effectus cōſequentis à conditione antecedente. Sed quoniam *Cur cōditionalis diſparata ſemper ſit falſa.* conditio ſe habet diſparatè reſpectu effectus, non poteſt verè dici, effectus futurus, aut non futurus propter prædictam dependentiam. Ergo omnis propoſitio conditionalis ex terminis diſparatis, & omninò inconnexis, ſemper eſt falſa, & non ſcibilis. Vnde in illa tam poteſt poni particula conditionalis, *ſi*, ſupra vnum terminum, quàm ſupra alium. Qua enim facilitate dicitur, v.g. ſi infans naſcitur, ſenex moritur; eadem dici contra poteſt, ſi ſenex moritur, infans naſcitur. Quod non leue ſignum eſt, propoſitionem verbaliter tantùm, & non realiter eſſe conditionalem, in qua ſcilicet ex natura rei vnus terminus eſſe debet conditio antecedens, & alius terminus effectus conſequens.

*Ad ſecūdum.* Ad ſecundum, nos libentiſſimè concedimus antecedens; qua verò ratione illud vſurpent Cabrera, & alij, qui, inter alias antecedentes conditiones, ponunt prædeterminationem liberi arbitrij ad vnam partem, ipſi viderint. Concedo quoque primam conſequentiam: nego autem ſecundam, & tertiam: quia futurum conditionatum, non eſt quomodolibet futurum, ſed futurum dependens aliquo modo à conditione, quamuis non dependeat neceſſariò, & infallibiliter: ergo non eſt impertinens connexio futuri cum conditione, ad cognoſcendum futurum conditionatum, ſed omninò neceſſaria; alioqui cognoſcentur duo futura abſoluta ſimul, & non futurum verè conditionatum.

*Ad tertium.* Ad tertium, quod obiicit etiam Gonzalez hîc d.44. ſect.2. notab.2. dico, in illis caſibus inſufficienter fieri vim in extrinſeca, ac temporali Dei reuelatione, & promiſſione: ſed eſſe attendendum intrinſecum, & æternum Dei decretum conditionatum, quod in prædictis caſibus præſupponitur ante ſcientiam conditionatam, & multò magis ante reuelationem; quæ non excluditur tanquam ratio non ſimpliciter probans connexionem, & veritatem propoſitionis cōditionalis diſparatæ; in quo ſenſu bene dixit Vaſq. hîc d.67.n.27. *eſſe connexionem ex promiſſione, & verbo Dei*: ſed ſolùm excluditur tanquam ratio, quæ non primò, & ſufficiēter per ſe præciſè id probat: quia reuelatio, vt probet, præſupponit eſſentialiter decretū. Non erat igitur cur Gonzalez ſupra impugnaret hoc dictum Vaſq.

## *Argumenta Cabreræ ab authoritate S.Th.*

256. *Primus locus.* Obiicies tertiò ex S.Thoma, primò in hoc articulo, futura contingentia ſciri certò poſſunt, non in cauſis, ſed in ſe ipſis; & vt præſentia in æternitate. Sed futura contingentia conditionata, quæ nunquam erunt, habent eſſe in ſeipſis; & conſequenter neque in æternitate: ergo nulla ratione ſciri certò poſſunt. Secundò, in hoc eodem articulo ad 2. docet, falſam eſſe conditionalem, in qua conſequens non neceſſariò ſequitur ex antecedente: ergo nullum conditionatum in materia contingente poteſt eſſe verum, ergo nec ſcibile. *Secundus locus.* Tertiò, infra, quæſt.19. art.7. ad 2. exponens illud Hierem. 18. *Loquar aduerſus gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Sed ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malum, quod cogitaui vt facerem ei.* *Tertius locus.* Hier. 18. & illud Iſaiæ 38. quod dictum eſt Ezechiæ, *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues.* Iſaiæ 38. ait eſſe accipiendum, *Secundùm quòd, futurum continetur in ordine cauſarum inferiorum, vtpote ſecundùm diſpoſitionem naturæ, vel meritorum: quod tamen non ſit, quia aliter eſt in cauſa ſuperiori diuina.* Hinc Cabrera tom.3. in 3. part. quæſt.62. artic.1. d.12. §.7. num.198. ita infert. *Si D.Thomas admitteret, conuenire Deo ſcientiam futurorum conditionatorum, facilius reſpondere poſſet, non fieri in eo loco ſermonem de diuina voluntate, ſed de eo quod futurum erat, ſi poneretur hæc aut illa conditio.*

*Cabrerā nec conſtāter, nec conſequenter procedere in hac controuerſia.* Reſpondeo, propter has authoritates Cabrera ſupra à num. 216. incipit defendere ſententiam contrariam illi, quam à num.148. vſque ad iſtum num.216. vt rem certiſſimam, & notiſſimam probauerat ex Scripturis, & Patribus, & rationibus, & ſolutionibus contrariorum argumentorum. His autem nihil planè obſtantibus, facillimè poterat, ſi voluiſſet, in veritatis ſententia perſeuerare: præſertim poſita ipſius, & recentiorum nonnullorum opinione de antecedenti prædeterminatione liberi arbitrij ad vnam partem, neceſſaria ad quamlibet liberam operationem, partim extrinſeca ex diuina voluntate efficaci, partim intrinſeca ex generali concurſu, & efficacibus auxiliis. Hac enim opinione poſita, omnis effectus futurus ſub conditione, poni debet futurus ſub conditione prædeterminationis; ſub hac autem volunt ita eſſe futurum liberè, vt ſit futurus infallibiliter. Ergo per ipſos, omne futurum contingens conditionatum, eſt futurum infallibiliter; hoc eſt, etſi liberè, tamen cum infallibili connexione inter effectum conſequentem, & conditionem antecedentem. Cuius generis futura ſemper fatetur Cabrera cognoſci certò à Deo, ſed debebat aduertere, in eius opinione nullum eſſe futurum liberum, ſiue abſolutum, ſiue conditionatum, in quo non ſit aliqua infallibilis connexio inter cauſam, & effectum: & conſequenter aſſerere vniuerſaliter, ſciri certiſſimè à Deo omnia futura contingentia conditionata.

*Ad primum. Futura conditionata habere eſſe in ſeipſis, & in æternitate.* Quare ad primum patet ex dictis ſupra n. 248. & 250. nempe, futura contingentia conditionata, habere etiam eſſe in ſeipſis, & in æternitate, non tamen eſſe abſolutè futurum, ſed futurum conditionatè: quamuis enim nunquam ſint abſolutè futura in ſeipſis, & in tempore aliquo præſenti, & conſequenter in æternitate; tamen verè, ac realiter ita futura eſſent ſi purificaretur cōditio. *Cur eodem modo philoſophādum de futuris abſolutè, & conditionatè.* Quicquid igitur S.Th. in hoc articulo docet de futuris abſolutis, applicandum omnino eſt ſuo modo futuris conditionatis: quia, vt ſatis declaraui ſupra n.238. & per ſe manifeſtum eſt, nulla prorſus differentia eſt inter futura abſoluta, & conditionata, niſi in ſola conditione purificata, aut non purificata: eadem enim veritas eſt, quæ, non purificata conditione, eſt conditionalis; purificata conditione, eſt abſoluta.



*Ad ſecundum.* Ad ſecundum dico, Sanctum Thomam ibi loqui de propoſitione conditionali per modum argumentationis, & conſequentiæ, non per modum cauſalitatis, & veritatis ſimpliciter determinatæ; vt de alio loco ex opuſculo 48. dictum eſt ſupra num.251.

*Ad tertium.* Ad tertium, S.Thomas eo modo, quo vult Cabrera, reſpondiſſet, non facilius, ſed falsò: tum quia illa reſponſio dicit duo manifeſtè implicantia, nempe, Scripturam non loqui *de diuina voluntate*, & tamen loqui *de eo, quod futurum erat, ſi poneretur conditio.* Quaſi verò poſſit effectus eſſe futurus, aut poni conditio, abſque diuina voluntate; tum quia ibi expreſsè reuelat Deus futuram Regni deſtructionem, & mortem Ezechiæ: nihil autem eſſe, aut *Exponitur locus Ieremiæ 18 & Iſaiæ 38.* dici poteſt futurum, ſine aliquo libero Dei decreto: ergo falsò dixiſſet S.Thomas, in illis locis, in quibus ſermo eſt de rebus futuris, *Non fieri ſermonem de diuina voluntate.* Optima igitur fuit reſponſio S.Thomæ, ſupponendo voluntatem Dei conditionatam, & conſequenter, conditionatam ſcientiam; cuius ſenſus eſt, ex allatis Scripturæ teſtimoniis minimè probari mutationem voluntatis Dei, quia illa voluntas ſignificata illis vocibus de abſolutè futuro, *deſtruam, diſperdam, morieris, non viues*; quæ propterea videri poterat abſoluta, non eſt verè abſoluta, ſed conditionata; v.g. volo deſtruere hos homines propter eorum peccata, ſi non egerint pœnitentiam de peccatis: volo mortem Ezechiæ, ſi non impeditæ fuerint naturales cauſæ mortis. Et hoc eſt, quod docet S.Thomas, iſta futura, & conſequenter diuinam voluntatem de illis accipi debere, *ſecundùm diſpoſitionem naturæ, vel meritorum*; hoc eſt, conditionaliter, ſi nimirum, non tollatur illa morbi diſpoſitio, quæ naturaliter ad mortem ducit; vel non remittantur per pœnitentiam peccata, quæ pœnam illam merentur. Et addit, ideo hos effectus non euenire, *quia aliter eſt in cauſa ſuperiori diuina*, hoc eſt, quia Dei voluntas abſoluta vult efficaciter tollere illam naturæ diſpoſitionem, & illa peccatorum merita. Quare vel hinc maximè Cabrera confirmari poterat in ſententia vſque ad illum locum probata, quia tam Scriptura, quàm interpretatio S.Doctoris, apertiſſimè ponit quædam futura, quæ nunquam eueniunt, ac proinde non poſſunt eſſe alia, niſi conditionata. Sed certum apud omnes eſt, nihil eſſe poſſe conditionatè futurum abſque voluntate, & ſcientia Dei conditionata. Ergo Scriptura, & S. Thomas apertiſſimè docent eſſe in Deo ſcientiam conditionatam de futuris, quæ nunquam erunt.

## *Argumenta Cabreræ ex Scriptura.*

257. Exodi 4. Obiicies quartò ex Cabrera ſupra §.8. initio illud Exodi 4. *Si non crediderint tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris, credent verbo ſigni ſequentis. Quòd ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint, neque audierint vocem tuam, ſume aquam fluminis,* &c. vbi futurum illud abſolutum, *credent*, quia, vt patet ex tertio ſigno ſuperaddito, non euenit, eſt intelligendum, *iuxta efficaciam, & virtutem talis ſigni*; ergo pariter cùm Scriptura in aliis locis prædicit futura conditionata, *debet intelligi ſecundùm inclinationem cauſarum.*

*Exponitur locus Exodi 4.* Reſpondetur, huiuſmodi commentationem ab omnibus Theologis, & ſacrarum literarum expoſitoribus, eſſe penitus explodendam; quia ſi incertitudo diuinæ ſcientiæ, ac reuelationis, non ſolùm de futuris conditionatis, ſed etiam de abſolutis ſemel admittitur, quid quæſo certi in tota penè Scriptura reliquum eſſe poterit? Itaque loquendo de effectibus abſolutè futuris, aut non futuris, omnis Catholicus fateri debet, Deum, ſicut in reliquis prædictionibus, ita in hac Exodi 4. certiſſimè cognouiſſe, cui ſigno abſolutè erant illi credituri, aut non credituri; idque non ſolùm in cauſa, & efficacia, ſeu ſufficientia ſigni, ſed in ipſomet libero, ac determinato effectu credendi, aut non credendi. Itaque ſenſus illius loci planiſſimus eſt hic. Omnes infallibiliter credent alicui ex his tribus ſignis; ſi non primo, credent ſecundo; ſi non ſecundo, credent ſaltem tertio. Quas conditiones non appoſuit Deus propter ſe, quaſi dubitaret de euentu abſolutè futuro; ſed ſolùm propter Moyſem, cum quo loquebatur, & agebat more hominum, qui multiplicare ſolent media, alterum altero efficacius ad certiorem finis aſſecutionem: vt eum hac multiplicatione magis ſecurum, & quietum redderet de fide illi habenda, de qua Moyſes valde dubitabat: Quamobrem initio illius capitis dicit Domino, *Non credent mihi, neque audient vocem meam; ſed dicent, non apparuit tibi Dominus:* cuius dubitationis tollendæ gratia, omnia illa ſigna dedit Deus. Hanc interpretationem tradit Abulenſis Abulenſis. in cap.4. Exodi, quæſt. 2. circa finem, his verbis, *Sciebat Deus certiſſimè, quòd Seniores, & totus populus libenter audirent vocem Moyſis à Deo: tamē loquebatur conditionaliter, tanquam ignorans euentum, & volens omnibus conuenientiis remedium adhibere. Et hoc faciebat ad ſatisfaciendum Moyſi.* Et paulò poſt, *Non loquitur Deus ſub dubio, quaſi neſciens, an alicui iſtorum,* nempe ſignorum, *crederent: ſed more humano, ad valde contentandum Moyſen, loquitur: quia ſciebat Deus, quòd cuicumque ſoli crederetur.* Item Lippomanus Lippoman. ibidem in ſua Catena. *Humano*, inquit, *loquendi modo vbique Scriptura loquitur, & Deus cum hominibus ſermonem habet: agit & ludit veluti pater cum infantulo, vt nunc vno, nunc altero ſigno alliciat ad confidentiam, & amorem ſuum, & vt nunciis ſuis fidem aſtruat: non quòd is quoquo modo noſtra fide indigeat, ſed ad noſtrum prouentum duntaxat.*

Multa præterea obiicit Cabrera tomo 1. in 3. 258. partem, quæſt. 1. artic. 3. diſp. vnica, §. 22. à n.338. vſque ad 363. de quibus infra, quia non impugnant hanc ſcientiam vt conditionatam ſimpliciter, quo modo nunc de illa diſputamus, ſed ſolùm vt mediam; vel impugnant particulares aliquos modos ſcientiæ conditionatæ; vt, quòd ponatur ante decretum, quòd nullo medio ſciri poſſit obiectum ſuum, quòd non ſit neceſſaria, nec vtilis, imò noxia: quæ difficultates ſeparatim tractandæ ſunt, ne earum confuſione, quæ in quorumdam libris reperitur, controuerſia hæc & laborem, & tędium, abſque vllo certæ ſcientiæ fructu, legentibus pariat, ſolùm animaduerſione dignum videtur, Cabreram poſt longiſſimam huius ſcientiæ impugnationem, tandem in num.363. & 364. concludere, illam de facto fuiſſe communicatam Chriſto, Prophetis, & Paulo. Et de Chriſto in particulari ex quibuſdam Scripturæ locis ſic concludit, *Ecce Chriſtus certò, & infallibiliter nouit hos euentus conditionatos, qui tamen nunquam futuri erant; neque cum cauſis, & conditionibus illis habebant neceſſariam connexionem.* *Quædam impugnantia in dictis Cabreræ.* Et paulò ante, talis ſcientia communicata creaturis, dicitur eſſe, *Cognitio futurorum conditionalium infallibilis, & probabilis ſecundùm exigentiam cauſarum, & conditionum.* Si anima Chriſti, ex Dei communicatione, ſcit *certò, & infallibiliter* futura

futura contingentia conditionalia, quæ nunquam erunt, & non habent cum conditione connexionem neceſſariam, ergo multò magis ea Deus ita ſcit. Ergo huiuſmodi ſcientia eſt ſimpliciter concedenda Deo, non ſimpliciter deneganda. Neque poteſt excuſari Cabrera, quòd non neget, Deum ſimpliciter ſcire certò, & infallibiliter per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ſed ſolùm neget, ſcire per ſcientiam mediam: quia ſæpe aliàs dicit, & probat, Deum non ſcire niſi probabiliter: imò contendit non dari huiuſmodi futura, media inter futura abſoluta, & poſſibilia. Nunc verò fatetur, non ſolùm Deum, ſed etiam creaturas, certò ſcire futura conditionata, quæ nec ſunt abſolutè futura, nec purè poſſibilia. Quod repetit, & ex inſtituto probat in tomo 2. quæſt. 11. artic. 1. d. 9. §. 10. Et ſatis diuerſæ quæſtiones ſunt, an hæc certò ſciantur, &, an certò ſciantur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis, vel aliam tertiam, ſeu mediam. Præterea quòd in eadem breui oratione, eadem ſcientia modò vocetur certa, & infallibilis, modò infallibilis, & probabilis, videtur manifeſta repugnantia; certum enim pugnat cum probabili, quod ſemper includit incertitudinem cum formidine partis oppoſitæ. Vnde in eadem ſcientia infallibilitas, & probabilitas ſimul eſſe non poſſunt. Neque poteſt explicare infallibilitatem reſpectu inclinationis cauſarum, probabilitatem reſpectu effectus; tum quia ibi dicit de

*Cognitio probabilis ex Auguſtino repugnat Deo.*

ipſis euentibus, ſciri *certò, & infallibiliter*; tum quia nefas eſt tribuere Deo aliquam cognitionem probabilem, & formidoloſam reſpectu alicuius effectus, clamante Auguſtino tractatu 37. in Ioann. paulò poſt principium, *Non opinatur diuinitas*; tum quia ſcientia terminata præciſè ad inclinationem cauſarum, eſt ſcientia de re præſenti, vel abſolutè futura; Cabrera verò loquitur expreſſè de ipſis conditionatè futuris, cùm dicit, *certò, & infallibiliter nouit hos euentus conditionatos.* Ergo eo duntaxat nomine excuſandus venit Cabrera, quòd adeò euidenter vera ſit ſententia de exiſtentia ſimpliciter, & certitudine ſcientiæ Dei conditionatæ, vt quamuis eam negare maximè cupias, id tamen præſtare nequeas, quin interdum in eam vel inuitus incurras.

## *Rationes Cabreræ contra ſcientiam Dei conditionatam.*

259. *Arguit primò.*

Deinde Cabrera ſupra, à num. 368. incipit impugnare ipſam ſimpliciter ſcientiam conditionatam de effectibus liberis. Primò, quia futura conditionata quę nunquam erunt, nunquam ſunt pręſentia æternitati: *ergo nequeunt certò, & infallibiliter cognoſci à Deo.* ex S. Thoma hîc.

*Reſpondetur.*

Reſpondetur, ſatis eſt, ſi ſint obiectiuè præſentia æternitati cognitionis diuinæ, vt ſupra multis probatum eſt ex ſententia S. Thomæ, præſertim in hoc articulo.

*Arguit ſecundò.*

Secundò, quia *futura conditionata non habent veritatem infallibilem, & determinatam*; quia omnis propoſitio conditionalis habet veritatem illatiuam neceſſariam.

*Reſpondetur.*

Reſpondetur ex dictis ſupra num. 250. & 251. Sed quoniam Cabrera etiam tenet ſciri certò futura conditionata habentia cum conditione connexionem contingentem quidem, ſed infallibilem, cuiuſmodi verè ſunt omnia futura contingentia conditionata in opinione ipſius, vt notaui ſupra num. 260. ipſe infra in ſuo num. 388. hoc idem argumentum contra ſe ita proponit. *Nihil eſt certò ſcibile, niſi quod determinatè habet rationem entis, aut in ſe, aut in ſuis cauſis. Sed futura conditionata neque habent eſſe in ſeipſis, vt conſtat, neque in ſuis cauſis, cùm nullas habeant determinatas ſuæ productionis: ergo à nullo intellectu poſſunt certò cognoſci.* Ad hoc argumentum, quod clariſſimè eſt in optima forma, mirum valde eſt, quomodo Cabrera reſpondeat. Ait, *conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam.* Et ſtatim nulla facta mentione vitij conſequentiæ, affert rationem, qua videtur negare maiorem, quæ veriſſima eſt. *Quia,* inquit, *futura conditionata habent eſſe repræſentabile in diuina eſſentia, & non ſunt omninò expertia entis rationis.* & alia ibi dicit, adeò euidenter falſa, vt non ſit operæ pretium in iis impugnandis immorari. Quis enim capiat creaturam aliquam habere eſſe repræſentabile in eſſentia Dei, & tamen neque habere eſſe in ſe, neque in cauſis? Nimirum his incommodis ſubiacent qui fluctuant in ſcientia Dei conditionata, modò eam negando, modò concedendo.

260. *Arguit tertiò probando. Deum neſcire futura conditionata voluntatis ſuæ.*

Tertiò, *Deus non cognoſcit certò futura conditionata, quæ dependent ex ſua voluntate: ergo neque ea, quæ ex noſtra libertate pendent.* Antecedens probat primò, *quia aliàs Deus ante omnem actum ſuæ voluntatis cognoſceret certò futura abſoluta.* Probat ſecundò, *hæc cognitio futurorum in Deo eſt libera, quia eſt circa creaturas: ergo ſupponit actum diuinæ voluntatis.* Probat tertiò, quia *talis actus intellectus neceſſariò præcederet productionem verbi.* Deinde probat conſequentiam rationis principalis, *Quia ſi conditionales reſpicientes diuinam voluntatem, non cognoſcuntur à Deo, qui cognoſcit omne verum, ideo eſt, quia illæ non ſunt determinatè veræ: ergo multò minùs propoſitiones de futuris conditionatis, à noſtra libertate pendentibus, erunt determinatè veræ.*

*Primò. Secundò. Tertiò.*

*Reſpondetur cũ* Fonſeca, Suarez, Zumel, Vaſquez, Arrubal, Diotalleu. Machin, Riſpolo,

Reſpondeo cum Fonſeca 6. Metaphyſic. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 10. ad 4. Suarez opuſculo de ſcientia Dei lib. 2. cap. 6. ad 4. & cap. 8. per totum. & tom. 1. de gratia. Prolegom. 2. cap. 8. num. 6. fin. & cap. 4. num. 7. & cap. 8. num. 21. Zumel hîc d. 8. concl. 6. & tomo 1. variarum diſp. pag. 116. quem refert, & impugnat Aluarez lib. 1. Reſponſionum c. 4. concluſ. 1. Item cum Vaſquez hîc, d. 67. num. 23. Arrubal. d. 46. cap. 9. Diotalleuio pag. 126. & 247. Machin hîc, d. 34. ſect. 2. §. 1. & ſect. 3. Riſpolo pag. 87. negando antecedens, quicquid ſit de conſequentia. Et quidem videtur neceſſariò negandum ab omnibus, qui tenent, ſciri à Deo futura conditionata, à nobis pendentia: cùm non videantur hæc ſciri poſſe, niſi ſciantur etiam decreta libera ipſiuſmet Dei, conditionaliter futura, quæ in rebus ipſis, futuris ſub conditione, eſſentialiter includuntur; vt rectè obſeruauit Machin ſupra ſect. 2. §. 1. verſiculo, *ſed hæc reſponſio*; v. g. ab æterno ſcit Deus, quòd ſi Adam haberet aliam maiorem gratiam, obſeruaret præceptum. Sed Adam habere non poteſt aliam gratiam, niſi Deus velit illam dare; nec obſeruare poteſt præceptum, niſi velit Deus concurrere ad actum illius obſeruantiæ: ergo cùm illud futurum ex parte Adami ſcit Deus, ſciat etiam ex parte ſua neceſſe eſt: quòd ſi ipſe vellet dare Adamo aliam maiorem gratiam, vellet etiam concurrere ad illam præcepti obſeruantiam. Et ſimilia conditionata Dei decreta ſatis clarè colligi videntur ex illis verbis Pſalm. 80. *Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet; pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem,* &c. & 4. Reg. 13. *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties; percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem.* Ad primam igitur antecedentis probationem, illam ſequelam eſſe manifeſtè falſam: nam ex eo quòd aliqui liberi actus, ſiue humani, ſiue diuini, ſint conditionatè futuri,

*Deum ſcire futura conditionata ſuæ voluntatis.*

Pſalm. 80.

4. Reg. 13.

*Ad primum.*



futuri, & vt tales cognoſcantur, non poteſt in bona conſequentia per neceſſariam illationem deduci illos eſſe abſolutè futuros, & vt tales cognoſci. Vt patet exemplo allato de Adamo, vbi futura illa conditionata, tam ex parte Adami, quàm ex parte Dei, nunquam abſoluta ſunt in re, neque vt talia à Deo ſciuntur. Ad ſecundam, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens. Libera illa Dei ſcientia præſupponit liberum voluntatis actum, non tamen realiter, vt pręſentem, & exiſtentem; ſed obiectiuè, vt futurum, ſcilicet ſub conditione alterius decreti: atque hic actus obiectus, vt futurus ſub conditione, quia eſt formaliter liber, & ita eſt futurus ſub conditione, vt potuerit eo modo non eſſe futurus, ſatis eſt ad denominãdam illam ſcientiam liberam. Ad tertium, negatur ſequela, ſicut enim in ratione obiecti, entia vt futura ſub conditione, præſupponunt entia vt purè poſſibilia; ita in ratione ſcientiæ, nos ex hoc fundamento debemus prius concipere in Deo ſcientiam de poſſibilibus, poſterius ſcientiam de conditionaliter futuris. Cùm igitur productio verbi ſit ex priori ſcientia poſſibilium, non ſequitur, poſteriorem ſcientiam futurorum conditionalium, ſiue ex parte creaturarum, ſiue ex parte Dei, præcedere productionem verbi: vt optimè tetigit Suarez opuſculo de ſcientia, lib. 2. cap. 8. num. 8.

*Ad ſecundũ. Scientia libera præſupponit, ſaltem obiectiuè decretum liberum.*

*Ad tertium.*

*Productionẽ verbi eſſe ante præſcientiam conditionatam.*

Suarez.

261. *Arguit quartò.*

Quartò impugnat in num. 376. *Ad hominem, quia aduerſarij tenent, quòd ſcire infallibiliter futurum, tollit libertatem ad volendum oppoſitum. Ex quo,* inquit, *ſequitur, quòd ſi Deus, antecedenter ad omnem actum ſuæ voluntatis, ſcit quid Petrus faceret in tali occaſione, ex ſuppoſitione non poteſt velle, vt Petrus faciat oppoſitum: ſed conſequens eſt falſum; nam illa ſuppoſitio, quòd Deus ſciat, quid Petrus facere debeat, non pendet à diuina voluntate, cùm antecedat omnem eius actum.*

*Reſpondetur, Cabrerã imponere falsũ.*

Reſpondetur, primum illud falsò nobis imponi: nam neque nos, quos vt aduerſarios impugnat ibi Cabrera, neque vllus Catholicus tenere poteſt, tolli futurorum libertatem per infallibilem eorum præſcientiam. Fortaſſe aſſerit, id à nobis teneri, quia nos contra ipſum, alióſque eiuſdem ſententiæ, dicentes, ſcientiam viſionis eſſe cauſam futurorum actuum liberorum, & hos ideo eſſe futuros, quia ſcit Deus eſſe futuros; non autem contra, ideo Deum ſcire eſſe futuros, quia futuri ſunt, vt ad tuendam libertatem creatam docẽt omnes Patres; argumentamur, per hanc ſcientiam præſuppoſitam ante omnem liberum vſum libertatis, libertatem planè deſtrui. Verùm hinc non fit, hunc errorem eſſe noſtrum, ſed potius ipſius, & modernorum Thomiſtarum, in quorum verba iurare voluit. Repudiato igitur antecedente, in ipſo etiam conſequente Cabrera deficit, quia putat illud eſſe falſum contra fidem, & tamen, ſi rectè explicetur, negari non poteſt; vt aduertit Suarez opuſculo de ſcientia Dei lib. 2. c. 6. n. 5. quia ſi Deus præſcit, quòd Petrus, ſi poneretur in tali occaſione, tempore, cum aliis omnibus circumſtantiis extrinſecis, & intrinſecis, negaret Chriſtum; poteſt quidem ſimpliciter facere vt non neget, nimirum auferendo aliquam circumſtantiam præuiſam, v. g. timorem mortis, vel addendo aliam, v. g. maius lumen in intellectu, maiorem inclinationem in voluntate ad bonum confeſſionis Chriſti; tamen ſi nihil prorſus velit addere circumſtantiis præuiſis, & ex illis demere, eſt inintelligibile, & manifeſtam contradictionem implicans, vt ſi ſub talibus conditionibus pręſcit futuram negationem, poſſit velle vt ſub iiſdem omninò conditionibus non ſit futura negatio: neque enim Dei voluntas poteſt facere vt non ſit verum quod verum eſſe præſcit eius intellectus. Quare ad probationem falſitatis conſequentis, cum dicitur, *illa ſuppoſitio, quòd Deus ſciat, quid Petrus facere debeat, non pendet à diuina voluntate*; id eſt diſtinguendum; de volũtate enim abſoluta in actu poſita, eſt verum; quia loquimur de peccato futuro ſub conditione, quod non poſtulat aliquod abſolutum Dei decretum, aut de peccato futuro, aut de futura conditione: de voluntate verò conditionata, eſt falſum; quia nunquam poſſet illud conditionatè ſcire Deus, niſi conditionatè etiam ſciendo, quòd futurum eſſet illud, ſi ipſe vellet ponere Petrum ſub his circumſtantiis, & vellet concurrere ad poſitiuũ illius negationis actum. Qua explicatione manifeſtum eſt, illam ſuppoſitionem pẽdere etiam maximè à diuina voluntate; vt rectè adnotauit Suarez ſupra. Tandem in vltimo ſuo num. 394. vbi de hac re agit, fatetur Cabrera, docere Auguſtinum, & alios citatos pro hac concluſione, *Deum infallibiliter, & certò cognoſcere huiuſmodi conditionata,* quod tamen hactenus negare viſus fuerat: & ſolùm ait ſe negare, ad huiuſmodi cognitionem requiri ſcientiam mediam; ſed ſufficere ſcientiam naturalem. Quæ eſt alia quæſtio, diſtinctè tractanda inferius in propria dubitat. 20.

Suarez.

*Quo modo poſſit aut non poſſit mutari quod præſcit Deus.*

*Futura conditionata quo modo pẽdeant à voluntate diuina.*

# DVBITATIO XIV.

## *An in Deo ſcientia conditionata ſit ante decretum conditionis, & effectus.*

### SVMMA.

1 *Exponuntur qualitates, & termini totius controuerſiæ. à n. 266. ad 271. 262. ad 267.*

2 *Duæ concluſiones vniuerſales, &c. numero 267. & 268.*

## *Exponuntur qualitates, & termini totius controuerſiæ.*

262. *Grauitas cõtrouerſiæ.*

AGgredimur primam radicem omnium controuerſiarum inter modernos Theologos: etenim ſi Deus, ante omne ſuum decretum de rebus quomodolibet futuris, ſcit quid futurum eſſet à libera creatura, ſi in his vel illis antecedentibus circumſtantiis crearetur; iam liberum noſtrum arbitrium in ſuis liberis operationibus ſiue naturalibus ſiue ſupernaturalibus, ipſum ſeſe determinat ad volendum vel nolendum, & non determinatur ad aliquod vnum iſtorum à diuina voluntate, decernente antecedẽter hoc, non aliud; & multò minus à quacumque alia re creata, cùm nulla res, pręter Deum, innatam liberi arbitrij indifferentiam, atque indeterminationem ad plura oppoſita, coarctare valeat ad vnum, vt probatur 1. 2. quæſt. 10. quia voluntas ſoli Deo obedit: de aliis verò omnibus dicitur Eccleſiaſt. 15. *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui.* Si verò contra, id ſcire non poteſt Deus, niſi ipſe prius efficaciter ſtatuat, vt liberum arbitrium, ex pluribus oppoſitis; quæ poteſt facere, faciat vnum determinatum, & non aliud, iam creata voluntas liberè operabitur prædeterminata ab æterno extrinſecè à Deo, & conſequẽter prædeterminata etiam intrinſecè in tẽpore per phyſicã aliquam qualitatem inhęrentem; ac proinde non ſeſe ipſa determinabit. Quæ quidẽ difficultas huius tẽporis eſt maximè propria: quãuis enim antiquiores Theolo

Eccleſ. 15.

Theologi, vt ſuperius oſtenſum eſt, ipſam conditionatæ ſcientiæ exiſtentiam non obſcurè ſignificauerint, tamen id obiter, ac rarò præſtiterunt; & ideò nec naturam aut aliquam illius proprietatem explicarunt; nec etiam proprio aliquo vocabulo diſtinctè nominarunt. Quam ob cauſam noſtri Theologi coacti ſunt illi nomen imponere, & quàm accommodatiſſimè vocare, ſcientiam mediam, vt inferius demonſtrare conabor.

*Quæſtionis difficultas.*

263. Quo factum eſt, vt circa propoſitam quęſtionem nulla pars euidentes, & directè expreſſas authoritates, & Patrum, & veterum Scholaſticorum, afferre poſſit: quamuis vnaquæque illas ad ſe trahere conetur. Cuius incertitudinis obſcuritas magis augetur ex multis Dei decretis, quæ ad verificanda futura contingentia conditionata conſiderari, ac diſtingui poſſunt. Vnde difficilius ſit dignoſcere, de quo decreto Doctores loquantur; alioqui nemo eſt qui non admittat, eſſe aliquod decretum neceſſarium ad ſcientiam conditionatam, vt mox declarabo. Hac enim in re diſtinctè procedendum eſt, ne confundamur, & inutiliter laboremus: quia pleríque ſunt, qui cùm omnes huius controuerſiæ difficultates in vnum congerant, & multa nobis tribuunt, quæ non dicimus; & nonnulla, quæ abſurda verè non ſunt, in malam partem accipiunt; & pleráque ipſi dicunt, à quibus, ſi maiori cum diſtinctione, & claritate explicarentur, fortaſſe deſiſterent, vt in progreſſu totius diſputationis apparebit.

*Tria conſideranda in futuro cõditionato.*

*Tria futurorum cõditionatorum genera.*

264. Igitur in quouis futuro contingenti conditionato tria ſunt diſtinctè conſideranda. Primò, conditio antecedens. Secundò, effectus conſequens. Tertiò, ipſamet conſequutio, ſeu connexio inter conditionem, & effectum. Duæ primæ res reperiũtur in quouis futuro conditionato, ſiue neceſſario, vt ſi Petrus curreret, moueretur; ſiue contingenti congruo, vt, ſi Paulus vocaretur, reſponderet; ſiue contingenti diſparato, vt, ſi Petrus diſputaret, Paulus comederet. Tertia verò res diuerſa eſt, ſecundùm quod diuerſa ſunt conditionatorum genera: nam in primo neceſſario, eſt neceſſaria: in ſecundo contingenti congruo, eſt libera per dependentiam aliquam ab antecedenti conditione; & ſecundùm nos, qui putamus, liberum arbitrium, ſalua operandi libertate, non poſſe prædeterminari, ſemper eſt fallibilis; ſed ſecundum aduerſarios, qui prædeterminant liberum arbitrium, ſemper eſt infallibilis: in tertio contingenti diſparato, eſt etiam libera, ſed abſque vlla dependentia ab antecedenti conditione; vnde ſecundùm omnes ſemper eſt fallibilis. Iuxta has tres diſtinctas res, & in quolibet futuro conditionato incluſas, diſtinguenda ſunt tria diuinorum decretorum genera, primum pertinens ad conditionem. Secundum pertinens ad effectum. Tertium pertinens ad connexionem. Quæ hunc in modum explico. In quocumque futuro conditionato tria eſſentialiter dicuntur. Primò dicitur, *Quòd ſi eſſet antecedens conditio*; quam, certum eſt, non poſſe exiſtere ſine aliquo libero diuinæ voluntatis decreto: & ideo vocetur decretum conditionis, ſeu decretum antecedentis. Secundò dicitur, *Quòd eſſet effectus*, qui etiam eſſe nequit niſi dependenter à Dei decreto; quod propterea vocari poteſt decretum effectus, ſeu decretum conſequentis. Tertiò dicitur, *Quòd eſſet effectus cum tali conſecutione, ſeu connexione*, v. g. neceſſaria, libera, diſparata: pro nunc enim, ad pleniorem huius controuerſiæ intelligentiam, iuuat inter conditionalia numerare etiam diſparata, quamuis ſupra n. 252. ab hoc numero ſimpliciter reiecta.

*Tria genera diuinorũ decretorum.*

265. Quantum attinet ad decreta circa huiuſmodi connexionem, duo ſunt certa; alterum, non requiri aliquod diſtinctum decretum circa connexionem neceſſariam; quia cum in illo genere cauſa ex neceſſitate naturæ ſit prædeterminata ad talem effectum, hanc connexionem ex ſe ſufficientiſſimè habet in natura ſua intrinſecè incluſam: vnde eo ipſo quòd decernit Deus cauſam illam producere, & iuxta naturalem ipſius exigentiam cum illa concurrere, ſtatim abſque alio decreto intelligitur prædicta connexio, adeo vt impoſſibile ſit illam non eſſe, habitis tantùm duobus decretis de productione cauſæ, & de concurſu ad cooperandum cum illa. Alterum, eſſe neceſſarium tertium diſtinctum decretum circa connexionem diſparatam: quia cum in hac, ex rei natura, non magis pendeat effectus à conditione, quàm conditio ab effectu, vt verificetur propoſitio conditionalis, in qua exprimitur vnum vt conditio independens ab effectu & aliud vt effectus pendens à conditione, neceſſarium omninò videtur, vt Deus vi ſuæ omnipotentiæ decernat, inter duo eſſe extrinſecam connexionem, conditionis independentis ab effectu, & effectus pendentis à conditione. Et ideo hoc decretum vocari aptè poteſt, decretum connexionis, ſeu conſecutionis. Vnum verò aliud tertium, poſitum maximè eſt in controuerſia circa connexionem liberam de conditionibus habentibus ſe ad effectum, non concomitanter tantùm, ſed etiam antecedenter per modum cauſæ aliquo modo per ſe influentis. Etenim cum cauſa libera liberè operans, ſit ſecundum omnes indifferens, & in aliquo ſenſu indeterminata, aduerſarij accipientes hanc indeterminationem per defectum virtutis completæ in actu primo, ſcilicet, tanquam eſſet virtus indeterminata non potens determinatè agere, niſi prædeterminetur; inter alias conditiones antecedenter prærequiſitas ad liberè agendum, introduxerunt quamdam antecedentem cauſæ liberæ prædeterminationem ad vnam determinatam partem, & extrinſecè per decretum diuinum, & intrinſecè per phyſicam qualitatem inhærentem. Atque hoc decretum prædeterminans, ſine quo nullum effectum liberum, ne conditionatum quidem, eſſe, & conſequenter præuideri poſſe contendunt, vocari etiam poteſt decretum connexionis, ſeu conſequutionis. Nos verò eamdem indeterminationem accipientes per exceſſum, & veluti quandam duplicationem virtutis completiſſimæ in actu primo potentis vtrumque facere: ita vt ſit ex ſe, ob intrinſecam ſuam libertatem, abſque vlla prædeterminatione, ſufficiens de duobus oppoſitis, eligere hoc, vel illud, & ſeſe ipſa mouere, vt dici communiter ſolet, *ad vtrumlibet*, huiuſmodi tertium connexionis decretum omninò negamus, quo credimus noſtræ libertatis iacturam fieri. Quapropter tantùm abeſt, illud neceſſariò prærequiri ad præſcientiam effectus liberi conditionatè futuri, vt contra potius, ſi illud præſupponeretur, huiuſmodi ſcientia eſſet planè impoſſibilis. Ex quo patet, hanc difficultatem valde affinem eſſe illi, quam ſupra dubio 11. tractauimus de effectibus liberis abſolutè futuris, an ſcilicet eos videat Deus in ſua voluntate.

*Ad connexionem neceſſariã non requiri diſtinctum Dei decretum.*

*Ad cõnexionem diſparatam requiri diſtinctũ Dei decretum.*

*Punctum cõtrouerſiæ.*

*In quo præcipuè ſita ſit diuerſitas opinionum in hac materia.*

266. Demum aduertendum eſt, aliquod decretum duobus modis dici poſſe, prærequiri neceſſariò ad ſcientiam conditionatam; primò vt exiſtens realiter in actu poſitum: ita vt ſecundùm noſtrum modum concipiendi, prius ſit, voluntatem Dei actualiter decernere, v.g. vt Paulus conſentiat, ſi taliter vocaretur; poſterius verò ſit, intellectum Dei ſcire, quòd ſi Paulus taliter vocaretur, conſentiret. Quomodo decretum eſt conditionatum ex parte obiecti, non ex parte ipſius decreti; quia conditio non cadit ſupra decretum, ſed contra potius, decretum cadit ſupra conditionem: ſicut dicitur ſcientia conditionata, non quòd ipſa ſcientia ſit ſub conditione, nam ipſa in ſe abſolutè exiſtit, ſed quia conditionatum eſt obiectum ab ipſa ſcitum. Secundò, vt exiſtens obiectiuè tantùm in intellectu: ita vt neceſſarium ſit ad ſcientiam conditionatam, intellectum diuinum, inter alias antecedentes conditiones, præconcipere ſub particula conditionali, *Si*, ipſummet decretum ſuum; vt in exemplo allato, Deus ſcit, quòd ſi Paulus taliter vocaretur, & ſi ipſe decerneret, Paulum conſentire, conſentiret. Atque hoc modo certum eſt, poni decretum conditionatum ex parte ipſiuſmet decreti. His poſitis, explicabo prius breuiter certiora, ac faciliora, in quibus conuenimus: deinde fuſius difficiliora, in quibus diſſentimus.

*Decretũ Dei duobus modis prærequiri poteſt ad ſcientiã conditionatam.*

*Decretum dici conditionatum dupliciter.*

### *Duæ concluſiones vniuerſales, & certæ.*

267. Prima concluſio. Ad ſcientiam cuiuſlibet futuri conditionati in quacumque materia, tam neceſſaria, quàm libera, ſiue diſparata, ſiue non diſparata, eſt antecedenter, ex parte ſcilicet conditionis antecedentis, neceſſariò prærequiſitum decretum conditionis; non quidem vt realiter exiſtens, & vt conditionatum ex parte obiecti tantùm; ſed vt exiſtens obiectiuè, & vt conditionatum conditione tenente ſe ex parte ipſiuſmet decreti. Concluſio continet tres partes euidenter certas, quas propterea breuiſſimè declarabo.

*In quolibet futuro conditionato eſſe decretum conditionis.*

Prima pars patet, quia in omni ente reali conditionatè futuro, (hîc enim diſputamus de huiuſmodi futuris realibus, non de fictitiis) conditio antecedens eſt realis, & de ea dicitur, *Si eſſet*; Nihil autem reale fieri, & eſſe poteſt, niſi dependenter à libera Dei voluntate: ergo ad veritatem effectus futuri ſub conditione, ſicut prærequiritur eſſentialiter ipſa antecedens conditio, ita pariter liberum diuinæ voluntatis decretum, quod in ipſa conditione eſſentialiter includitur.

*Prædictum decretum non eſſe actu in re;*

Secunda pars eſt eodem modo certa, quia particula conditionalis, *Si*, nihil ponit in eſſe; ergo quicquid particula illa afficitur, non neceſſe eſt vt aliquando ſit: ſed illa, cadens ſupra conditionem, cadit ſupra omnia eſſentialiter incluſa in conditione. Ergo cadit ſupra decretum diuinum: ergo hoc non debet eſſe in actu poſitum. Alioquin vi huius, conditio eſſet aliquando futura; qua in eſſe poſita, eſſet etiam ponendus aliquando in eſſe effectus, qui dicitur ſub conditione; & conſequenter periret eſſentialis ratio cuiuſlibet futuri conditionati, omniáque eſſent abſolutè futura.

*Sed obiectiuè in intellectu.*

Ex his euidenter ſequitur tertia pars; nam ſi ad quamlibet ſcientiam conditionatam prærequiritur neceſſariò decretum conditionis, & non prærequiritur vt actu exiſtens realiter, ergo prærequiritur vt actu exiſtens obiectiuè. Quælibet igitur ſcientia Dei conditionata, antecedenter ad effectum, debet ſub particula conditionali, *Si*, obiectiuè terminari non ſolùm ad conditionem ipſam creatam, verùm etiam ad increatam, ac liberum decretum ſuum: cognoſcendo nimirum, quòd ſi illud futurum eſſet de tali antecedente conditione in rebus ponenda, futurus etiam realiter eſſet effectus ſub illa conditione. Igitur decretum conditionis, in omni futuro conditionato, pręrequiritur obiectiuè, & conditionaliter, conditione ſe tenente ex parte decreti. Ita ſentiunt Suarez opuſculo de ſcientia Dei. libr. 2. c. 6. ad 3. & tom. 1. de Gratia. Prolegom. 2. cap. 1. n. 6. & c. 4. n. 7. & c. 7. n. 6. & c. 9. n. 3. 4. Vaſquez hîc, d. 67. n. 22. Arrubal d. 45. cap. 2. & d. 46. num. 5. 28. 29.



*Suarez.*

*Vaſquez.*
*Arrubal.*

268. Secunda concluſio etiam vniuerſaliſſima. Ad veritatem, & ſcientiam cuiuſlibet futuri conditionati vt ſupra, eſt neceſſarium, non antecedenter, ſed conſequutiuè, aliud decretum effectus, quod ſcilicet non ſit antecedens effectum, & tenens ſe ex parte conditionis; ſed ſit conſequens conditionem, & tenens ſe ex parte effectus. Patet, quia in conditionatis præter antecedens eſſe conditionis, reperitur eſſentialiter aliud diſtinctum conſequẽs eſſe effectus: ſed ad quodlibet eſſe creaturæ, eſt eſſentialiter neceſſarium liberum Dei decretum: ergo præter antecedens decretum conditionis, eſt neceſſarium aliud conſequens decretum effectus; non quidem quòd præſens realiter ſit, aut ſit futurum realiter præſens; ſed quòd futurum eſſet realiter præſens ſi poneretur conditio: ſicut enim in omni conditionaliter futuro, effectus neque eſt, neque erit, ſed ſolùm eſſet, ſi eſſet conditio; ita decretum effectus, quod in ipſo effectu eſſentialiter includitur, neque eſt, neque erit, ſed eſſet, ſi eſſet aliud decretum conditionis. Quare ſi antecederet decretum conditionis, conſequeretur decretum effectus; & ideo dixi, illud prærequiri antecedenter, hoc eſſe neceſſarium conſequutiuè; & ſi poneretur in actu illud, poneretur etiam in actu hoc; & tunc futurum de conditionato, purificata conditione, tranſiret in abſolutum. Vnde Deus certò ſciens aliquod futurum conditionatum, ſiue id manſurum ſemper ſit in ſtatu conditionato, ſiue in poſteriori ſigno rationis tranſiturum in ſtatum abſolutum, habere debet obiectiuè in intellectu vtrumque decretum, & conditionis, & effectus: illud quidem vt futurum, immediatè affectum particula conditionali, *Si*; hoc verò vt futurum, immediatè affectum ipſa conditione, quæ immediatè ſubſtat conditionali particulæ. Aliud enim eſt dicere, & concipere, *Si eſſet decretum*; aliud verò, dicere, & concipere, *eſſet decretum*; illud pertinet ad futurum decretum conditionis, hoc ad futurum decretum effectus; ex quo duplici decreto conſtat eſſentialiter quodlibet futurum conditionatum; in quo neceſſe eſt ſcire, *quòd ſi eſſet vnum, eſſet aliud.* atque hæc dicta de duobus primis decretis nullam habere poſſunt dubitationem. Iam verò de tertio decreto connexionis, de quo ſolùm eſt difficultas, & controuerſia, & propterea decretum ſimpliciter vocari ſolet, & à nobis etiam inferius vocabitur, ſit

*In quolibet futuro conditionato eſſe aliud diſtinctum decretum effectus, futurum ſub conditione alterius decreti.*

*Differentia inter decretum conditionis, & decretum effectus.*

## DVBITATIO XV.

### *An ſcientia Dei conditionata prærequirat decretum connexionis in materia neceſſaria, & diſparata.*

### SVMMA.

1 *Prima concluſio negatiua in materia neceſſaria. à num. 269. ad 272.*

2 *Secunda concluſio affirmatiua in materia diſparata. num. 272.*

3 *Quæ mutatio in obiecto requiratur ad liberum Dei decretum. num. 273. & 274.*

269. PRima concluſio. Futura conditionata per connexiones antecedentes ex natura ſua neceſſa

neceſſariò connexas cum effectu, vt ſi homo crearetur, eſſet animal; ſi equus curreret, moueretur, & ſimilia, veritatem habent, & certiſſimè à Deo ſciuntur ante quodlibet actuale Dei decretum, tam abſolutum, quàm conditionatum in actu poſitum. Hanc concluſionem Arrubal hîc d. 45. num. 4. rectè dixit eſſe certam: & ſequitur Gonzalez d. 44. ſect. 1. concluſ. 1. quia liberum Dei decretum requiritur reſpectu illius rei, quæ poteſt eſſe vel non eſſe. Sed connexio inter hominem, & animal, inter curſum, & motum, non poteſt eſſe vel non eſſe: ergo propter hanc connexionem præcisè, non requiritur aliquod Dei decretum, ergo illa ſciri poteſt à Deo ante decretum, imò ſine decreto, ſicut ſciuntur omnia alia obiecta neceſſaria, independentia ab actuali Dei decreto, cuiuſmodi ſunt entia omnia poſſibilia.

Arrubal. Gonzalez.

270. Idem omninò dicendum videtur, vt bene aduertit Arrubal ſupra num. 5. de omnibus effectibus liberis conditionaliter futuris, in opinione dicentium, ad hos effectus, inter alias præcedentes conditiones, ſemper eſſe neceſſariam phyſicam quamdam prædeterminationem voluntati inhærentem, ex qua effectus ſequitur, ſaltem infallibiliter, vt ipſimet fatentur; imò neceſſariò, vt ego quidem exiſtimo, licèt ipſi negent; ſed ad præſentem animaduerſionem ſatis eſt conſequutio infallibilis ex rei natura, quam vltrò concedunt. In hac igitur opinione, duo eſſent conſequenter aſſerenda, quæ tamen aduerſarij negant. Alterum, inter omnes conditiones antecedenter, & neceſſariò prærequiſitas ad quemlibet liberum effectum, non eſſe numerandum decretum, quo Deus liberè ſtatuat, vt ſequatur talis determinatus effectus ex illis conditionibus: ſed ſatis eſſe decretum de phyſica prædeterminatione, & decretum de concurrendo cum illa iuxta naturalem illius exigẽtiam. Quamuis enim de potentia Dei abſoluta, poſſit eſſe in voluntate auxilium extrinſeca ſua natura efficax, & prædeterminans, & non ſequi effectus, vt bene concedunt Gonzalez hîc d. 44. num. 8. & alij apud ipſum, tamen eſt prorſus impoſſibile, vt poſito Dei decreto non ſolùm dandi illud auxilium, ſed etiam cum illo concurrendi, prout petit natura illius, non ſequatur effectus. Ergo ſi concipiamus, Deum ſcire, quòd ſi vellet Paulum vocare tali tempore, loco, modo, &c. & dare illi tale auxilium prædeterminans, & vt prima cauſa concurrere cum cauſis ſecundis, & non negare illis concurſum, quem naturaliter exigunt; non poſſumus non concipere, Deum ſcire, quòd Paulus ita vocatus conſentiret; ergo ad ſcientiam conditionatam effectus liberi, præter hæc decreta antecedentia, & conditionata ex parte actus, & tenentia ſe ex parte conditionis antecedentis, non eſt neceſſarium multiplicare aliud antecedens connexionis decretum, vel ſi concedatur, hoc non eſſe multiplicandum, ſaltem non eſt neceſſarium, vt decreta illa prædeterminandi, & concurrendi ponantur in actu vt realiter exiſtentia in diuina voluntate, prius ratione, quàm actu ſit in diuino intellectu ſcientia effectus liberi futuri ſub conditione; quod pleríque omnes aduerſariis negant. Sicut in materia neceſſaria, ad ſciendum, v. g. quòd ſi ſol non moueretur, vehementius calefaceret terram; non oportet ponere quòd Deus prius actu velit, ſolem vehementius calefacere, ſi non moueretur; & deinde in poſteriori ſigno hoc ipſum certò cognoſcat: ſed ſatis eſt, voluntatem Dei ponere in ipſa conditione incluſam, vt obiectum cognitionis; ita vt tantùm cognoſcat Deus, quòd ſi vellet non mouere ſolem, & præbere totum coagendi concurſum, quem ſol in quiete naturaliter poſtulat, vellet etiam, ſolem vehementius terram calefacere.

*In opinione prædeterminante intrinſecè voluntatẽ ad vnũ, non eſt multiplicandum decretũ connexionis.*

*Ex auxilio prædeterminante poteſt, & non poteſt ſequi effectus diuerſa ratione.*

Gonzalez.

271. Alterum in illa opinione aſſerẽdum eſt, in nullo caſu in quo ponuntur omnia neceſſariò prærequiſita ad effectum liberum, hunc ex illis ſequi fallibiliter, ſed ſemper ſequi infallibiliter; ac proinde, eſſe obiectum proportionatum infallibilis ſcientiæ Dei: quia in omni caſu prædicto, etiam quando effectus eſt peccatum, inter alias conditiones antecedentes, volunt aduerſarij prærequiri neceſſariò aliquid prædeterminans liberum arbitrium ad aliquem determinatum effectum liberum, prouenientem infallibiliter ex illo prædeterminante. Vnde oritur, vt non poſſit cohærenter dici, vt perpetuò diſtinguit Cabrera locis ſupra citatis, Deum certò ſcire ea futura contingentia conditionata, in quibus eſt infallibilis connexio inter conditionem antecedentem, & effectum conſequentem: alia verò, in quibus iſta connexio eſt fallibilis, ſcire tantùm coniecturaliter, ac probabiliter in cauſarum inclinatione. Si enim ponitur voluntas libera, nunquam eſſe in actu primo perfectè completa ad agendum hoc, niſi prædeterminata ad hoc; & quando eſt prædeterminata ad hoc, eſt actura infallibiliter hoc: inde euidenter ſequitur, nunquam dici poſſe, quòd ſi voluntas libera poneretur ſub omnibus conditionibus neceſſariò prærequiſitis ad operandum, eſſet fallibiliter actura hoc; ſed ſi eſſet actura hoc, ſemper eſſet actura infallibiliter.

*In eadẽ opinione omnis effectus liber eſt futurus infallibiliter.*

*Quædã Cabreræ diſtinctio reijcitur.*

272. Secunda concluſio. Futura contingentia conditionata diſparata, quæ habent conditionem concomitanter tantùm, & nullo modo antecedenter per ſe connexam cum effectu, nulla ratione vt formaliter conditionata ſciri poſſunt, niſi poſt actuale decretum liberum, conditionatum ex parte obiecti, non ex parte actus, quo ſcilicet Deus actu velit, eſſe vnum ſi eſſet aliud. Hoc ſufficienter declaratum, & probatum eſt ſupra à n. 252.

*Secunda concluſio affirmatiua in materia diſparata.*

273. Solùm poſſet obiici, hoc liberum Dei decretum, cadens ſupra futura conditionata, quæ nunquam erunt, qualia poſita ſunt ſupra num. 252. ex ſacris litteris, eſſe impoſſibile: quia omnis actus liber diuinæ voluntatis, quo hæc de potente liberè velle actu, fit liberè volens actu, cùm non poſſit importare aliquam mutationem intrinſecam in voluntate, neceſſe eſt vt importet mutationem extrinſecam in obiecto pro aliquo tempore, ſed prædicta futura in nullo tempore mutantur: ergo ſupra illa non poteſt intelligi actus liber voluntatis Dei.

*Quæ mutatio in obiecto neceſſaria ſit ad liberum Dei decretũ.*

Reſpondent aliqui, in hoc caſu eſſe ſemper aliquem realem effectum in tempore, nempe promiſſionem, vel comminationem vel promulgationem. Sed non videntur ſatisfacere, tum quia potuiſſet Deus ex ſe decernere aliquem effectum realiter futurum ſi eſſet aliqua conditio diſparata ex natura rei, & nullam extrinſecam promiſſionem, aut comminationem ſuperaddere: tum quia illa promiſſio, aut comminatio, eſt effectus abſolutè futurus, ergo per voluntatem abſolutam Dei. Ergo non poteſt per ſe conducere ad ſaluandam variationem requiſitam ex parte alterius liberæ voluntatis conditionatæ. Tum quia externa promiſſio ſeu reuelatio facta in tempore, ſupponit ęternũ Dei decretũ; ac proinde rem ipſam futurã ſiue abſolutè ſiue conditionatè, quæ eſt effectus illius decreti.

*Non ſufficere promiſſionem vel comminationem.*

274. Reſpondendum igitur cum Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 7. n. 10. & fuſius in 1. parte tractatu

Suarez.



tractatu 2. lib. 1. cap. 15. & ferè ad verbum ſequitur Zumel tomo 1. variarum diſputationum pag. 117. *§. Ob id.* & pag. 126. *§. Ad illud.* & re ipſa admittit Gonzalez hîc, d. 44. num. 23. & expreſsè Machin diſp. 34. ſect. 2. §. 4. verſic. *Ad fundamentum.* contra Arrubal, quod infra, q. 19. art. 3. ex inſtituto oſtendetur, ad liberum Dei decretum eſſe quidem neceſſariam in obiecto aliquam mutationem, vt efficaciter probare videtur obiectio, non tamen mutationem phyſicam, ac realem, ſed ſatis eſſe moralem; vt in opinione valde probabili dicentium, non implicare, remitti peccatum à Deo per ſolam extrinſecam condonationem; quia poſſe hominem moraliter mutari de peccatore in non peccatorem, abſque vlla phyſica mutatione, neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, rectè dixit Suarez tomo 4. in 3. partem diſp. 9. ſect. 4. num. 6. *Optimè, & ſine difficultate ſe intelligere.* Sicut etiam, omnes facillimè intelligimus, poſſe Deum, nulla facta reali variatione in obiecto, ſed morali tantùm, liberè remittere obligationem alicuius voti, vel præcepti, & reatum pœnæ debitæ pro peccato: & potuiſſe ab æterno velle, vt qui hodie, v. g. peccat, ſit obligatus ad pœnam per totũ hunc annum 1624. non ſit autem obligatus elapſo hoc anno: tunc enim nulla eſſet vera contradictio incompoſſibilis; quia contradictoria, vt eſſe in peccato, non eſſe in peccato; eſſe, & non eſſe obligatum ad pœnam, verificarentur ſolùm pro diuerſis temporibus, pro quibus non ſunt incompoſſibilia. Imò de facto, poteſt Deus remittere mihi reatum pœnæ temporalis, orante, & ſatisfaciente pro me aliquo iuſto, ſine alia mutatione in me facta: tunc enim illud opus ſatisfactorium in alio iuſto, eſt quidem motiuum, ſeu ratio, cur Deus velit mihi remittere reatum, tamen illius voluntatis obiectum non eſt opus illud, quod quid reale eſt, & obiectum alterius diuinæ voluntatis, ſed eſt reatus, qui morale quidpiam eſt, & moraliter tollitur ſine vlla reali mutatione nec Dei, nec peccatoris. Præterea aſſero, vbi non eſt mutatio moralis, vt in caſu noſtro, in quo agitur de effectibus realiter futuris, licèt ſub conditione, eſſe neceſſariam in obiecto mutationem realem, tamen non omni modo, ſed aliquo modo; & hanc in conditionali huius concluſionis eſſe mutationem realem, non præſentem, nec abſolutè futuram, ſed futuram conditionatè, quæ ſatis eſſe debet; vt fatentur etiam Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 4. num. 10. ad 4. Cantarellus q. 22. ad 7. Sicut enim omnes tenemur fateri, non eſſe neceſſariam præſentem mutationem, quæ tunc fit, cùm liberè vult eam Deus; nam actus liber, quo voluit creare mundum, fuit ab æterno, & tamen ab æterno illa voluntas nullum habuit effectum, neque phyſicum, neque moralem; ſed ſatis eſſe mutationem realem, quæ aliquando erit poſitis talibus conditionibus: ita pariter dicendum eſt, ſufficere mutationem realem, non quæ realiter aliquando futura ſit, ſed quæ aliquando realiter futura eſſet, ſi ponerentur tales conditiones; quia per hunc etiam vltimum conceptum tranſiret obiectum vi liberæ voluntatis Dei, de priori ſtatu puri poſſibilis ad diuerſum alium ſtatum futuri conditionati. Sicut etiam in probabili Scoti opinione, quam infra ſequemur, de diuina voluntate, quæ ab æterno liberè decreuerit, non ſolùm facere quæ in aliquo tempore facit, ſed etiam non facere quæ in nullo tempore facit; v. g. creare mundum in tali tempore quo de facto creauit, & non creare in alio tempore, ante, vel poſt, res vi talium decretorum, tranſeunt de ſtatu poſſibilitatis ad oppoſitum ſtatum impoſſibilitatis, quia quod ante decretum fieri poterat, poſt decretum fieri eſt impoſſibile. Atque hæc qualiſcumque realis mutatio in obiecto, cenſetur ſufficiens ad ſaluandam immutabilitatem diuinæ voluntatis: ergo multò magis ſaluatur in caſu noſtro, in quo interuenit realior, atque actualior, & intelligibilior mutatio de potentia in realem actum futurum conditionaliter, non autem de potentia in impotentiam, vt in alio caſu.

Zumel.

Gonzalez. Machin.

*Non eſſe neceſſariam mutationem phyſicam, ſed ſatis eſſe moralem, probatur nonnullis exemplis.*

Suarez.

*Decretum Dei conditionatum in materia diſparata quomodo mutet realiter obiectum.*

Aluarez. Cantarellus.



## DVBITATIO XVI.

### *An decretum connexionis prærequiratur actu realiter in conditionalibus liberis ordinatis.*

### SVMMA.

1 *Declaratur, & diſtinguitur concluſio negatiua. numer. 275. & 276.*
2 *Authores concluſionis. num. 276.*
3 *Concluſionis probationes inſufficientes. num. 277. & 278.*
4 *Probabilior concluſionis ratio. à n. 279. ad 282.*
5 *Soluuntur contraria argumenta. num. 282.*

275. VNica concluſio, in qua ſita eſt tota vis præſentis controuerſiæ: Ad veritatẽ, & ſcientiam liberorum effectuum conditionaliter futurorum, in quibus exprimuntur antecedentes conditiones habentes ordinatam aliquam connexionem cum effectibus conſequentibus, nullo modo neceſſarium eſt decretum connexionis; nimirum, neque vt prius ratione ipſo obiecto, & actu ſcientiæ conditionatæ, neque vt antecedenter incluſum in ipſa antecedente conditione, atque adeo, neque vt intrinſecè pertinens ad ipſum obiectum, & actum ſcientiæ conditionatæ; hoc eſt, cùm Deus ſcit, v. g. quòd ſi Iudas taliter vocaretur, conuerteretur; non eſt neceſſarium, vt prius in voluntate præceſſerit hic actus, volo vt Iudas conuertatur ſi taliter vocetur; neque eſt neceſſarium, vt hic idem voluntatis actus antecedenter includatur in ipſa antecedente conditione ſub conditionali particula, *Si*; ita vt ſenſus ſit, Si Iudas taliter vocaretur, & ego efficaciter vellem eius conuerſionem, conuerteretur. Quare perfecta veritas obiectiua, & conſequenter ſcientia, huius futuri conditionati, non habetur per huiuſmodi connexionis conditionatum decretum prædefiniens, ac prædeterminans, neque vt præſens, & in actu poſitum, neque vt futurum ſub conditionali particula, *Si*, quod ita appello, vt diſtinguam ab alio conditionato Dei decreto effectus, v. g. conuerſionis Iudæ, quod ſupra num. 268. probaui eſſe neceſſarium ad quodlibet futurum conditionatum, & vocaui, decretum conditionatum conſequens; hoc enim eſt futurum non ſub particula conditionali, *Si*, ſed ſub ipſa conditione, vt declaraui in fine numeri citati. Quæ varia, ac diſtincta terminorum acceptio diligenter aduertenda eſt, quia in hac ſubtiliſſima materia, communitate, ac confuſione vocabulorum, veritas effici ſolet obſcuriſſima, ac difficillima.

*Concluſio negatiua.*

*Declaratur concluſio.*

276. Concluſio habet duas partes: Prima aſſerit, huiuſmodi decretum non eſſe in re ante actum ſcientiæ conditionatæ. Secunda aſſerit, neque eſſe obiectiuè cognitum in antecedente conditione, ante cognitionem effectus conſequentis. Et quoniam vtraque pars conuenit in hoc, vt dicat, huiuſmodi decretum conditionatum, antecedenter, &

*Diſtinguitur concluſio in plures partes.*

efficaciter prędeterminans cauſam liberam ad producendum vnum determinatum effectum, liberè futurum ſub conditione, nullo prorſus modo eſſe admittendum, ideo in hoc principali puncto probando dubitatione ſequenti toti erimus, oſtenſa interim breuiter prima parte, propter peculiare quoddam abſurdum, propter quod à quibuſdam etiam aduerſariis teneri ſolet, præſertim à Zumel, qui hanc primam partem probabiliter defendit, vt illi tribuit ipſemet Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 4. poſt principium. De hoc enim decreto maximè loquitur Zumel hîc, d.8. concl.3. tum initio dicens, *Deus nihil decreuit de futuritione iſtorum contingentium conditionatorum.* Tum poſt in ſolutione argumentorum poſt ſextam concluſionem, vbi ſæpe dicit, ſciri futura à Deo per ordinem ad decretum ſuum futurum, & non præſens. Tum poſt principium concluſionis tertiæ, vbi cùm retuliſſet, dici à nonnullis, *Quòd licèt Deus non prædeterminauerit futura contingentia conditionata vt ſint, vel vt forent aliquando, nihilominus prædeterminauit vt eſſent, ſi tales apponerentur circumſtantiæ, & cauſæ.* Statim ſic ſubdit, *ridicula ſanè reſponſio, quæ Deum imperfectum reddit.* Eamdémque reſponſionem, & confutationem iiſdem penè verbis ſcribit Cabrera tom.1. in 3.part. quæſt.1. art.3.d.1.§.22.num.349. quamuis eam inefficaciter impugnent, vt mox referam. Vnde Cabrera tom.3.quæſt.62.art.1.d.12. §.7. num.208. & 209. & 290. admittit decretum prædefiniens conditionatum, *non tanquam re ipſa exiſtens in Deo, ſed ſolùm obiectiuè.* & multò clarius antea in num. 169. ait, *Veritas conditionalium non pendet à determinatione diuinæ voluntatis in re poſita, ſed tantùm in eſſe obiectiuo ſub conditione concepta.* & idem Zumel tom.1. variarum diſp. pag.90. col.1. paulò poſt medium, expreſsè admittit, & ex S. Thoma probare conatur, *Scientiam futurorum conditionalium, qua Deus antecedenter ad omnem determinationem liberam ſuæ voluntatis cognouit quid homo facturus eſſet, ſi crearetur cum talibus circumſtantiis.* & pag.102.col.1. poſt medium ait, *Voluntas diuina nihil determinauit de facto circa futuritionem horum futurorum conditionatorum.* & pag.140. ait, quòd reſpectu conditionalium, quæ nunquam ſunt actualiter futura, *prædefinitio poteſt præſupponi, non in exercitio, tanquam actus re ipſa exiſtens in Deo, ſed ſolùm obiectiuè.* Verùm ſtatim addit ſecundam reſponſionem, quam dicit meliorem, de decreto actualiter exiſtente, & conditionato tantùm ex parte obiecti. Et deinde in pag.148. ad 8. non tam ex ſua, quàm ex aliorum ſententia, vt patet ex eo quod dicit in fine illius ſolutionis, idem defendit. Et antea in pag.117.§.*Ob id.* de hoc eodem decreto loqui videtur, cum ex propria ſententia probat, illud neque eſſe impoſſibile, neque etiam ſuperfluum. Et pag.123.concl.5. eſſe etiam *valdè rationabile.* vbi loquitur de decreto conditionato per conditionem incluſam ſolùm in obiecto. Et quod magis mirandum eſt, Cabrera cum in citato num.349. dixiſſet, reſpondere aliquos aduerſarios ſuos, quod, *Licèt Deus nondum decreuerit, vt futura conditionata ſint, vel forent aliquando, prædeterminauit tamen, vt eſſent, poſitis talibus conditionibus, & circumſtantiis:* & ſtatim ſubieciſſet, *Sed hæc reſponſio friuola eſt, & in Deo imperfectionem conſtituit.* Non multò poſt, hanc ipſam reſponſionem, quaſi iiſdem verbis, ex propria ſententia probabiliter amplectitur. Nam num.383. *effectus*, inquit, *pendentes à cauſa omninò libera, & qui nunquam futuri ſunt, cognoſcit Deus in prædeterminatione ſuæ voluntatis; quatenus illos prædeterminauit, non vt ſint, ſed vt eſſent, ſi tales cauſæ, & conditiones apponerentur.* Quod fuſius deinde aſſeruit, & probauit tom.3.quæſt.62. artic.1. d.13. §.5. Idem ſaltem ſignificat Ioannes Alphonſus Curiel. lib. controuerſiarum in controuerſ.7. quæ eſt prima in id Sap.4. *Raptus eſt ne malitia,* &c. nam initio in num.10. ait, pro ſententia negante certam Dei ſcientiam de futuris contingentibus conditionatis, poſſe referri omnes, qui ponunt, Deum cognoſcere futura contingentia in determinatione voluntatis ſuæ, quia, inquit, *Deus nihil circa hæc determinauit.* Riſpolus quoque q.1. concl. 2. initio ait, futura conditionata non videri à Deo, *niſi per ordinem ad ſuam voluntatem, quia ſi talis vel talis occaſio præberetur, voluntas diuina hoc vel illud volitura eſſet.* Voluntas volitura non importat actum realiter præſentem, ſed futurum, & præſentem tantùm obiectiuè. Præterea Machin d.34. ſect.2. initio hoc ipſum expreſsè defendit vt probabile. Sed deinde contrarius dicendi modus ab ipſo defenditur, & dicitur, *abſolutè probabilior.* Quamquam alij omnes aduerſarij citandi infra num.283. admittunt huiuſmodi decretum vt præcedens actu realiter, & non ſolùm obiectiuè. Vt Aluarez lib.2. de Auxiliis, d.7. n.8. & num.21. fin. Sed in num.10. hoc decretum explicat, vt præcedens tantùm obiectiuè. At lib.1. Reſponſionum cap.1. num.41. illis verbis, *Deus ab æterno, actu decreuit conuertere Tyrios, ſi apud illos facta fuiſſent ſigna,* &c. videtur ſatis clarè idem decretum poni realiter. Vnde num. 46. & cap.4. num.10. ad 2. probabile eſſe ait, *Deum ante omnem præſcientiam, omnia contingentia conditionata determinaſſe:* ſed probabilius, *non omnia, ſed aliqua futura ex hypotheſi, eſſe à Deo prædefinita.* Quæ ſententia videtur minus connexa; & reiicitur ab ipſomet Gonzalez hîc d.44. ſect.2. concl.3. tum quia non eſt maior ratio determinandi quædam tantùm, & non reliqua omnia: tum quia, cum per ipſum, nihil poſſit eſſe futurum conditionaliter, niſi prædeterminatum, ſequeretur, Deum non ſcire omnia futura conditionata: tum quia ſi quædam tantùm determinauit, ergo, determinauit finita; præter quæ remanent alia infinita, imò infinities infinita, quæ Deus non determinauit, neque conſequenter ſcit: tum quia ipſemet Aluarez de Auxiliis lib.2. d.13. num.3. circa principium rectè docet, Deum ab æterno decreuiſſe, non ſolùm quid ſit futurum, ſed etiam quid non ſit futurum. Ergo ſi datur aliquod contingens non futurum, Deus ab æterno decreuit, illud non eſſe futurum; ergo de nullo contingenti dicere cohærenter poteſt, illud non eſſe futurum, & tamen non eſſe ad hoc à Deo determinatum. Idem decretum antecedens ponunt realiter, iterum expreſsè ipſemet Aluarez lib.1. Reſponſionum cap.4. Gonzalez hîc, diſp.44. ſect.1. num.4. & ſect.3. num.28. dict.1. & d.45. per totam. Gullielmus Cantarellus, quæſt.22. notab. 1. Nazarius hîc, controuerſ.1. Nauarrete controu.56.§.3. verſiculo, *Suppoſito ergo.*

*Aluarez.*

*Decretũ prædeterminandi quo modo ponatur à Zumel, & Cabrera, ante ſcientiam conditionatam.*

*Sentẽtia Alphõſi Curiel, Aluarez, Gõzalez, Riſpoli, Mach.*

*Impugnatur Aluarez dicens, ante ſcientiã conditionatam quædam prædefinita, quædam non.*

## *Concluſionis probationes inſufficientes.*

Primam igitur concluſionis partem probant Zumel ſupra in primo loco citato, & Cabrera iiſdem verbis, citato num.349. Primò, *Deus non prædeterminauit vt tales conditiones ponerentur: ergo neque etiam prædeterminauit vt eſſent talia futura conditionata.* Hæc ratio non procedit, quia contraria opinio loquitur de decreto, actuali quidem, tamen conditionato, quo non decernitur abſolutè neque exiſtentia effectus, neque exiſtentia conditionis; 277.

*Zumel, & Cabrera arguũt primò. Reſpondetur.*



ſed conditionatè tantùm decernitur exiſtentia effectus, ſi poneretur, ac decerneretur exiſtẽtia conditionis. Ratio verò impugnat decretum actuale abſolutũ. Quare conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia, vel diſtinguendum conſequens, quod falſum eſt de non prædeterminare cõditionaliter, vt ponit iſta opinio; verùm de non prædeterminare abſolutè, vt omnes aſſerimus. Probat ſecundò Zumel, quia *ſequitur, quòd talis voluntas Dei prædeterminans, non eſt efficax, ſed imperfecta.* Sed reſponderi facilè poteſt, eſſe efficacem & perfectam in ſuo genere, nimirum in genere voluntatis conditionatæ: quia vi illius, ſi poneretur conditio, efficaciter, & infallibiliter poneretur effectus. Quare cum contra hanc reſponſionem inſtat Zumel, prædictam voluntatem, *non eſſe prædeterminationem, ſed voluntatem antecedentem, & velleitatem quamdam, in Deo eminenter, non formaliter:* dicere poſſent aduerſarij, ſicut ſcientia conditionata, in opinione ipſiuſmet arguentis, eſt verè, ac propriè ſcientia in Deo formaliter; ita voluntatem, & prædeterminationem conditionatam, eſſe verè, ac propriè voluntatem, ac prædeterminationem, exiſtentem formaliter in Deo; & non ſolam velleitatem, ſeu ſimplicem complacentiam. Probat Zumel tertiò, *Hæc prædeterminatio futurorum conditionatorum, quam iſti fingunt, eſt non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari, de hoc, atque illo futuro conditionato. At voluntas antecedens, quam Theologi conſtituunt, non dicit prædeterminationem in particulari de hoc aut illo ſingulari: ergo iſtorum reſponſio non ſatisfacit.* Ex hoc argumento ad ſummum habetur, prædictam prædeterminationem non eſſe voluntatem antecedentem, quæ ſit ſimplex, & inefficax complacentia, ſeu velleitas. At verò aduerſarij ponunt, eam eſſe voluntatem, ex ſe, & in actu primo efficacem; & ſi actu non efficiat, id non eſſe ex defectu ipſius, ſed ex defectu conditionis, ſub qua, & non aliter, illa voluntas eſt efficax. Præterea gratis aſſumitur, tanquam dogma omnium Theologorum, voluntatem antecedentem, quæ eſt quædam velleitas ſimplicis complacentiæ, non eſſe de ſingularibus. Nam quando Deus dat, v.g. Iudæ, auxilium ſufficiens, dat ſine dubio ex velleitate ſeu complacentia ſalutis Iudæ in particulari.

*Arguunt ſecundò.*

*Reſpondetur.*

*Arguit tertiò Zumel.*

*Reſpondetur.*

*Voluntatem Dei antecedentem ſeu velleitatem, eſſe etiam de ſingularibus.*

278. Probant quartò aliqui Authores noſtræ concluſionis, vt Arrubal hîc, diſputat.45. num.11. & diſp.46. cap.3.4. Albertinus tom. 1. fol.297. à n.4. & ſequitur Nauarrete hîc controuerſ.56. §.3. circa medium. contra Suarez; quia hoc decretum in actu poſitum de futuris conditionatis, quæ nunquam ſunt, nullam ponit in obiecto realem mutationem, neceſſariam ad ſaluandam intrinſecam immutabilitatem voluntatis Dei liberæ: etenim ponere in Deo actuale aliquod decretum liberum, quod ſcilicet poterat poni, & non poni, idque ſine vllo effectu Dei ad extra, & ſine vlla prorſus poſitione, ac variatione, neque intrinſeca ex parte volentis, neque extrinſeca ex parte rei volitæ, videtur omnino inintelligibile; quia vt poſſit de actu libero verificari, ita illum eſſe, vt potuerit non eſſe, in qua indifferentia ad vtrumlibet conſiſtit eſſentialis ratio libertatis, debet neceſſariò, ſi non ex parte ipſius actus, ſaltem ex parte obiecti, eſſe aliquid, quod ita actu, & realiter ſit, vt potuerit non eſſe: quod ſine vllo actuali eſſe extra potentiam cauſæ non poteſt concipi, vt manifeſtum videtur ex terminis. Nihilominus huiuſmodi impugnatione ego non vtor, quam etiam reiicit Suarez tom.1. de gratia. Prolegom.2.cap.8.num.4. & Machin hîc, diſp.34. §.4. verſiculo, *Ad fundamentum,* quia ex probatis ſupra num.274. ſufficere arbitror mutationem realem obiecti de non futuro conditionato in futurum conditionatum: quod eſſe futurum ſub conditione, non eſt mera extrinſeca denominatio ab actu libero Dei, vt dicere videtur Gonzalez hîc d. 44. num. 23. ſed eſt aliquid ſuo modo reale in re ipſa, quam aliquo vero, ac reali modo extrahit à latitudine puri poſſibilis, modo ſcilicet conditionali, non abſoluto. Quamobrem illud eſſe conditionatum non debet conſiderari tanquam denominatio extrinſeca à decreto, ſed tanquam effectus, habitus vi decreti; habitus nimirum ſub conditione. Quod clarè intelligi poteſt ex eo, quod ſi, poſito tali decreto conditionato de effectu, fingamus (quod de facto accidit ſecundùm hanc opinionem omnibus futuris abſolutis, quæ in priori ſigno fuerunt futura conditionata) poni ſolum decretum abſolutum conditionis, cum hoc præciſè, ſtatim in eodem effectu, qui erat conditionaliter futurus, haberetur verum, ac reale eſſe abſolutè futurum, ac præſens ſuo tempore; ídque non vi decreti conditionis, neque alterius noui decreti, ſed vi ſolius decreti prioris conditionati; quod in ſe prorſus immutatum, intellecta tantùm mutatione creatæ conditionis, tranſit de conditionato in abſolutum, & cauſat eſſe abſolutum in effectu: ergo quòd effectus ita ſubſtet decreto conditionato, vt vi cauſatiua illius, ſit in ſe intrinſecè, ac realiter immutandus, ſi ponatur conditio, ad ipſum cauſandum, ſimpliciter inſufficiens, non eſt pura denominatio, ſed vera, ac realis immutatio, non præſens, non futura abſolutè, ſed futura conditionaliter, prout voluntas diuina futuram eam eſſe efficaciter decreuit.

*Arguunt quartò Arr. Albertinus, Nauarrete, ex mutatione requiſita ad actum liberum diuinæ voluntatis.*

*Reſpondetur cum Suarez.*

*Eſſe cõditionatè futurũ vi decreti diuini, eſt in obiecto mutatio aliquo modo realis, contra Gonzalez.*

## *Probabilior concluſionis ratio.*

Ergo proprium abſurdum huius primæ partis, mihi non videtur eſſe aliud, niſi quia huiuſmodi decretum in actu poſitum ante ſcientiam conditionatam, eſt omninò vanum, ac ſuperfluum ſine vlla neceſſitate; cùm omnis effectus, qui illi tribuitur, æquè benè haberi poſſit per idem decretum futurum ſub conditionali particula *ſi*, ſiue vt conditionatum ex parte ipſiuſmet actus; & cum multò maiori conuenientia, ac proportione ad formam futuri conditionati; in quo quicquid pertinet ad conditionem, quæ illa particula immediatè afficitur, non debet poni vt actuale, ſed vt poſſibile, ſi eſſet futurum: ſi daretur autem hoc connexionis decretum prædeterminans, pertineret vtique ad conditionem antecedentem; qua, v.g. dicitur, ſi Deus vellet efficaciter, Paulum bono conſentire, & vocaret illum tali vocatione prędeterminante ad conſenſum, Paulus infallibiliter conſentiret, ſuperfluitatem ſic oſtendo, quia ſi nunquam res ipſa eſt futura, & conditio nunquam ponenda, videtur nullum habere finem, & eſſe otioſum & quaſi puerile decretum, & conſequenter non pertinere ad infinitam perfectionem diuinæ prouidentiæ, vt reſpondit Gonzalez d.45. num.79. velle rem ſi ponatur conditio; cùm Deus certò ſciat, ſe neque rem, neque conditionem vnquam voliturum. 279.

*Decretum in actu, ante ſcientiam cõditionatam, eſſe ſuperfluum.*

Gonzalez.

Neque dici poteſt cum Aluarez lib.1. Reſponſionum c.4. num.10. ad 1. & aliis aduerſariis, ideo hoc decretum poni, vt habeatur veritas futuri liberi conditionati, quam volunt eſſe non poſſe ſine neceſſitate illationis, & conſequentiæ vnius ex altero: eam verò neceſſitatem, cum oriri non poſſit 280.

*Refertur, & impugnatur reſponſio Aluarez.*



ex

ex neceſſaria, ac naturali connexione conditionis antecedentis cum conſequente effectu libero, debere oriri ex aliquo antecedente actuali decreto Dei, prædeterminantis, vt aliquid contingenter ſit, ſi aliqua conditio ponatur. Etenim falſo nituntur fundamento, quia ad veritatem futuri liberi conditionati, vt oſtendi ſupra à num. 255. non eſt neceſſaria veritas, ſeu bonitas illationis, fundata in infallibili connexione inter conditionem antecedentem, & effectum conſequentem; ſed ſufficit alia veritas, quæ à nonnullis, aptè vocatur, *veritas euentus*, qua ſcilicet non dicitur, hoc eſſe ex illo per vim conſequentiæ, ſic enim oporteret, vt vnum in alio, tanquam in cauſa, haberet eſſe determinatum, & non indifferens, ac liberum: ſed ſolùm dicitur, hoc euenire ex illo, non propter connexionem infallibilem, quæ, ſi talis eſt, non poteſt non eſſe neceſſaria, ſed propter libertatem cauſæ, quæ ex influxu huius conditionis antecedentis, & non prædeterminantis, ſeſe liberè determinat ad illum effectum; ac proinde verè dicitur, hoc euenire ex illo, cum connexione libera, & conſequenter fallibili: hæc enim fallibilitas, non facit, vt hoc ſimpliciter non eueniat ex illo, quod ſatis eſt ad veritatem conditionalis; ſed facit tantùm vt hoc ex illo ita eueniat, vt potuerit non euenire, & non eueniſſet, ſi cauſa libera voluiſſet vt non eueniret.

*In futuro contingente conditionato eſt connexio fallibilis, non infallibilis.*

281. Præterea, etiamſi admittamus totum hoc fundamentum, adhuc non probatur intentum, nempe, prærequiri decretum vt habeatur veritas conditionalis. Tum quia iſta veritas haberetur ſufficienter, etiam ſi hoc decretum non eſſet præſens abſolutè, ſeu, non eſſet abſolutum ex parte actus, ſed tantùm eſſet futurum conditionaliter, ſeu, eſſet conditionatum tam ex parte obiecti, quàm ex parte actus: hoc eſt, non minus eſt verum, quòd ſi Paulus vocaretur, conſentiret, ſi prius Dei voluntas actu prædeterminet; Paulum conſenſurum, & deinde intellectus illud videat; quàm ſi abſque vllo actuali voluntatis opere, intellectus tantùm videat, quòd ſi Paulus vocaretur, & Deus vellet illum prædeterminare ad conſenſum, conſentiret: ſicut enim ad ſcientiam illius conſenſus ſub conditione futuri, ſatis eſt ſcire, *Quòd ſi voluntas vellet vocare*, ita etiam, *Quòd ſi voluntas vellet prædeterminare*. Ergo prædicta veritas non eſt neceſſaria ratio multiplicandi in re ipſa infinities infinitos actus liberos diuinæ voluntatis circa infinities infinitas combinationes, quæ fieri poſſunt de futuris contingentibus conditionatis. Tum quia, eſto haberi nequeat veritas futuri contingentis conditionalis abſque decreto Dei antecedente libero actuali, tamen iſtius veritatis nulla eſt neceſſitas. Si enim, vt dicunt, hæc veritas pendet à libera Dei voluntate, ſicut hæc poteſt liberè eſſe, vel non eſſe, & conſequenter nullum eſſet abſurdum, ſi non eſſet; ita & illa. Quare ſicut propter hanc liberam dependentiam, nullum eſſet inconueniens, ſi nulla veritas futuri abſoluti haberetur, ita & de futuro conditionato propter eandem rationem: tunc enim diuinus intellectus ſine vlla imperfectione non ſciret aliquod verum, quod vt verum non eſt ſcibile, quia non eſt, ex eo quòd Deus ipſe illud eſſe non vult. In quo caſu futurum conditionatum neque eſſet certò ſcibile, neque etiam probabiliter. Quod aduerto contra Nazarium hîc, controuerſia 1. tota, præſertim concluſione ſecunda, dicentem, quòd cognitio futurorum conditionalium eſt probabilis tantùm, ſi præſcindat à decreto Dei: hoc enim non videtur conſequenter dictum, quia per ipſum, alióſque Thomiſtas huius ſæculi, ſine hoc decreto eſt impoſſibile, aliquid eſſe conditionatè futurum. Ergo hoc ne probabile quidem eſſe poteſt, quia omne verum probabile, neceſſe eſt vt ſit verum poſſibile.

*Haberetur veritas conditionalium, etiam ſine decreto actuali Dei.*

*Nazarij dictum excluditur.*

## *Satisfit contrariis argumentis.*

282. Dices cum Zumel tomo 1. variarum diſputationum, in fine, fol. 150. Primò, *Huiuſmodi decreta non ſunt ſuperflua, quia ſunt per ſe bona; & hoc eſt ſatis, vt non dicantur ſuperflua.* Secundò, *voluntas diuina circa nullum obiectum per ſe amabile, eſt quaſi ſuſpenſa, & abſque vllo affectu, ſaltem ſimplici: ergo pari ratione, & modo, circa nullum obiectum cognoſcibile, intellectus eius poteſt manere ſuſpenſus.* Ergo circa futura contingentia conditionata, *non poteſt manere ſuſpenſum iudicium diuinum, & decretum conditionatum.* Quo fundamento Nazarius hîc controuerſia 1. §. 2. probat, omnia prorſus futura conditionata fuiſſe de facto prædefinita à Deo. Tertiò, huiuſmodi decretum, *procederet ex perfectiſſima deliberatione voluntatis; & inter futura conditionata, multa ſunt, quæ ſi ponerentur ad extra, includerent gubernationem, & poſtularent prouidentiam exercitam: ergo non eſſet ſuperfluum.* Atque hæc ferè eadem, ad idem probandum, attulerat antea in fol. 117. §. *Sed dices.* vbi addit, quòd non eſſe ſuperfluum hoc decretum, *Etiam fatentur authores oppoſitæ ſententiæ, qui ſui immemores illud non conceſſerunt aliis in locis.* Quod gratis, & immeritò ſcripſit, quia nihil conſtantius apud Molinam, Suarez, Vaſquez, Fonſecam, alióſque Theologos noſtros, quàm non dari ante ſcientiam conditionatam decretum conditionatum ex parte obiecti, quod ſit abſolutum ex parte actus.

*Decretum ante ſcientiam conditionatam, non eſſe ſuperfluum, probat Zumel primò.* *Probat ſecundò.* Nazarius. *Probat tertiò.* *Malè Zumel aduerſariis obijcit inconſtantiam.*

Reſpondeo ad primum, vt decreta Dei libera ponantur in actu ſine ſuperfluitate, non ſatis eſt, vt illa ſint ſimpliciter bona; quia decreta libera creandi plures alios mundos, & ſaluandi plures alios angelos, & homines, eſſent bona, & tamen de facto non ſunt in actu poſita: ſed prætereà requiritur, vt ea ſint neceſſaria ad aliquem conuenientem finem. Sicut decretum illud de conſummatione Syriæ, 4. Reg. 13. fuit neceſſarium ad veritatem reuelationis, quam Deus abſolutè decreuerat ponere in actu; quæque eam veritatem abſque actuali Dei decreto habere non poterat. Et idem de aliis ſimilibus diſparatis, quæ reuelata ſunt hominibus, vel ſub præcepto, vel ſub comminatione, vel ſub ſimplici promiſſione, de quibus ſupra, num. 252. & ideò in iis tantùm caſibus, & non in aliis infinities infinitis, qui fingi poſſunt, ponuntur libera Dei decreta circa futura conditionata diſparata. Quis enim prudenter exiſtimauerit, ſtatuiſſe ab æterno apud ſe Deum, quid faceret de imperio Turcarum, ſi nunc ego currerem; quid de Beatis, ſi nunc omnes huius mundi homines ſimul tuſſirent, aliáſque eiuſdem generis innumerabiles ineptias? & tamen omnia hæc decreta, eſſent ſimpliciter bona. Ergo vt non ſint ſuperflua; neceſſarium præterea eſt, vt ad aliquem alium bonum finem conducant; quem ſanè non habent futura conditionata, quorum neque effectus, neque conditiones, neque reuelationes vnquam ſunt. Imò ipſamet abſolutè futura, quæ prius ratione ſunt conditionaliter futura, non debent in illo priori intelligi cum huiuſmodi decreto prædeterminante, poſito in actu, ſed ſolùm vt futuro; quia cùm illud ſit ex natura ſua efficax, & proprium rerum abſolutè futurarum, minus conuenienter intelligitur abſolutè in actu poſitum in illo priori, in quo res non habent eſſe abſolutè futurum, ſed futurum tantùm conditionaliter; ad quem finem cum multo maiori proportione ponitur decretum Dei vt futurum conditionaliter.

*Ad primum.* *Vt decretum non ſit ſuperfluum, præter bonitatem, requiri aliquam neceſſitatem.* 4. Reg. 13. *Cur in quibuſdam diſparatis ponatur decretum, non in omnibus.* *In abſolutè futuris non eſt prius ponendum decretum conditionatum.*



*Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, concedo antecedens de obiecto ſeu bono neceſſario, cuiuſmodi ſunt ipſemet Deus, & creaturæ vt poſſibiles. Nego autem de obiecto ſeu bono libero, cuiuſmodi ſunt creaturæ vt actuales, quas Deus poteſt nolle, & non amare vt actuales, & conſequenter non producere, vt infra, q. 19. declarabo. Concedo præterea primam conſequentiam, ſed nego ſecundam de decreto conditionato; quia diuerſa eſt ratio de hoc, quod eſt actus liber, & de iudicio, & amore ſimplici, qui ſunt actus neceſſarij.

*Circa quæ obiecta volũtas Dei ſit, vel non ſit ſuſpenſa.*

*Ad tertium.* Ad tertium, nego conſequentiam. Nam ad illam gubernationem, & prouidentiam exercitam, ſatis eſt ſcire, quid diuina voluntas decretura eſſet de effectibus conſequentibus, ſi illa ponere vellet in actu conditiones antecedentes. Et velle abſolutè, & actualiter decernere de effectibus conſequentibus antequam quicquam ſtatuat de conditionibus antecedentibus, eſt quædam anticipata gubernatio, vel planè inutilis, ſi nihil abſolutè, & actualiter futurum eſt; vel ſaltem importuna, & irrationabiliter ſolicita, ſi in poſteriori ſigno faciendum eſt abſolutum decretum de conditionibus; tunc enim, & non antea eſt accommodatum decretum de connexione effectus abſolutè futuri; quod decretum ex natura ſua, vt patet, præſupponit abſolutum aliud decretum de antecedentibus conditionibus. Alioquin in ſapientiſſima, & conſtantiſſima Dei voluntate nimis durè concipi videntur hæc duo decreta, quæ admittit Aluarez lib. 2. de Auxiliis, d. 7. num. 8. Volo vt Tyrij conuertantur, ſi viderint talia ſigna, &, Volo vt Tyrij non conuertantur per talia ſigna, nec illa videant. Hoc enim ſecundo decreto poſito, nimis clarè apparet primum decretum otioſum, ac ridiculum, vt patet ea decreta attentè conſideranti. Sicut hæc alia ſimilia, quæ ex illo Gen. 11. *Cœperunt homines hoc facere, nec deficient à cogitationibus ſuis, donec opere compleant*, admittit Machin hîc d. 34. ſect. 2. §. 2. & 3. contra Arrubal, Volo vt illi homines non deficiant, & vt turrim perficiant, ſi non impedietur; &, Volo vt deficiant, & vt non perficiant, ſed volo impedire.

*Decretũ antecedens in actu, non eſſe neceſſarium ad prouidentiam.*

*Duo decreta otioſè admitti ab Aluarez, & Machin.*

# DVBITATIO XVII.

## *An decretum connexionis prærequiratur ſaltem obiectiuè ad ſcientiam conditionatam contingentium ordinatorum.*

### SVMMA.


1 *Cõcluſio negatiua, eiúſque authores à n. 283. ad 320.*

2 *Decretum prædeterminandum impugnatur ex Scriptura à n. 320. ad 330.*

3 *Decretum prædeterminandi impugnatur ex Patribus à n. 330. ad 342.*

4 *Quid de decreto prædeterminandi ſentiat S. Thomas à n. 342. ad 365.*

5 *Impugnatur decretum prædeterminandi materialem entitatem peccati à n. 365. ad 385.*

6 *Decretum prædeterminandi pugnare cum libertate à n. 385. ad 404.*

7 *Diſſoluuntur contraria argumẽta à n. 404. ad 447.*


283. VNica concluſio negatiua, quæ eſt ſecunda concluſionis pars fusè explicata ſupra, n. 276. initio, defenditur à Societatis noſtræ Theologis, aliiſque non paucis, contra modernos Thomiſtas, alióſque nonnullos eorum ſectatores. Ita Cardinalis Bellarminus tom. 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ, cap. 17. ad 1. Fonſeca lib. 6. metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 8. §. *Vnde apertè*, & ſect. 10. ad 3. Molina hîc d. 14. concluſ. 1. illis verbis, *Priuſquam quicquam ſtatueret.* & iterum in ſecunda probatione, *etiam antequam quicquam libera ſua voluntate ſtatueret.* & d. 15. §. *Iuxta ea.* illis verbis, *Ante omnem actum, & determinationem liberam voluntatis diuinæ.* & idem repetit ad 1. & d. 17. §. *Sciſcitabitur.* Idémque habet in concordia, quæſt. 14. art. 13. d. 50. & tribus ſequentibus; vt ipſemet ſe probaſſe teſtatur ibidem, q. 23. artic. 4. d. 1. membr. vltim. §. *Tertium.* Valentia hîc, punct. 5. quæſt. 2 §. *Tria tamen.* & §. *Nunc his.* in quantum tenet, futura conditionata, non ſciri ſcientia viſionis, & non ſciri in cauſis, & infra, quæſt. 22. punct. 3. §. *Caput.* Suarez opuſc. de ſcientia Dei lib. 2. cap. 7. à num. 51. & cap. 8. num. 8. & magis diſtinctè, ac multò fuſius in 1. tom. de Gratia. Prolegom. 2. à cap. 5. Vaſquez hîc d. 67. cap. 4. ad 1. rationem. Iuſtinianus in cap. 2. epiſt. 1. ad Timoth. num. 4. circa fin. Becanus 1. part. tract. 1. cap. 10. quæſt. 1. num. 4. & quæſt. 2. num. 3. & q. 11. n. 2. & quæſt. 12. n. 2. Leſſius opuſculo de Auxiliis, cap. 19. à num. 18. Arrubal hîc, d. 46. Albertinus tom. 1. fol. 296. dubit. 2. ſequuntur Maſcaregnas de Auxiliis, diſp 2. part. 3. num. 23. & clarius part. 4. num. 27. Diotalleuius opuſculo de hac ſcientia, à cap. 5. Peſantius hîc diſp. 5. concl. 4. contra Nauarrete hîc, controu. 56. §. 1. concl. 3. 4. 5. Ripam dubit. 4. cap. 1. poſt medium, & clarius cap. 5. circa medium, & deinceps. Aluarez lib. 2. de Auxiliis d. 7. num. 10. & lib. 1. Reſponſionum cap. 1. Nazarium controu. 1. §. 2. Riſpolus lib. 1. quæſt. 2. concluſ. 1. §. *Iam igitur.* Verdù in relect. contra ſcientiam mediam. Gonzalez d. 44. ſect. 3. & d. 45. quos ex aliis ordinibus ſequuti ſunt Zumel hîc, d. 8. in fine concl. 3. & concl. 5. & 6. & tom. 1. variar. diſp. pag. 90. col. 1. circa finem, Cabrera tom. 1. in 3. part. quæſt. 1. art. 3. diſp. 1. §. 22. num. 383. & 384. Cantarellus, quæſt. 22. §. *Pro ſolutione.* Machin hîc, d. 34. Alphonſum Mendozam in controuerſiis Theologicis, quæſt. 7. Scholaſtica concluſ. 5. ſed in concluſ. 4. defendit etiam ſententiam noſtram.

*Concluſio negatiua.*

Bellarmini. Fonſecæ. Molinæ. Valentia. Suarez. Vaſquez. Iuſtiniani. Becani. Leſſij. Arrubal. Albertini. Maſcaregn. Diotalleuij. Peſantij. *Contra* Nauarrete. Ripam. Aluarez. Nazarium. Riſpolum. Verdù. Gonzalez. Zumel. Cabreram. Cantarell. Machin. Mendozam.

# PVNCTVM I.

## *Quid de decreto prædeterminandi ſentiant Theologi, præſertim Antiquiores.*

### SVMMA.


1 *Quid ſentiat Henriquez n. 284.*

2 *Quid ſentiat Lorca, & Zumel n. 285. ad 287.*

3 *Quid ſentiat Dominicus Sotus à n. 287. ad 294.*

4 *Quid ſentiat Ioannes Driedo à n. 294. ad 298.*

5 *Quid ſentiat Ruardus Taper à n. 298. ad 301.*

6 *Quid ſentiat Thomas Vualdenſis à n. 301. ad 306.*

7 *Quid ſentiat Marſilius à n. 306. ad 308.*

8 *Quid ſentiant Occamus, & Gabriel à num. 308. ad 310.*

9 *Quid ſentiant Gregorius, & Argentina. num. 310. ad 312.*

10 *Quid ſentiant Ægidius, & Albertus à n. 312. ad 315.*

11 *Quid ſentiant alij, præſertim Scotus, & Corduba à n. 315. ad 320.*


HActenus allati ſunt certi Authores vtriuſque partis. Cæterùm inter hos de multis aliis magna

Aluarez *contra* Suarez.

*Quid ſentiat* Henriquez.

magna eſt contentio,pro qua parte ſtent,Aluarez libr. 1. Reſponſionum cap. 1. ex inſtituto agens contra Suarez, contendit Primò in num. 25. pro ſua ſententia eſſe Henriquez, Societatis noſtræ Theologum, qui libro vltimo de fine hominis, cap. 4. 5. & 6. nonnulla habet, quæ nimis fauent aduerſariis. Verum enimverò,mirum eſſe non debet,ſi inter tot Theologos,qui in nullius Magiſtri verba iurarunt, vnus fuerit, qui in morali ſumma caſuum conſcientiæ,alieno in loco, in has ſpeculationes ingreſſus,antequam illæ, occaſione controuerſiæ inter nos,& Thomiſtas,eſſent in ſtrictiſſimum,ac grauiſſimum iudicium adductæ, & omnium Theologorum ingeniis diligentius examinatæ,contrariam ſententiam breuiſſimè ſignificauerit. Miranda, ac laudanda potius eſſet, & pro non leui veritatis argumento habenda, reliquorum omnium ſumma conſenſio,quam vnius prædicta diſſenſio obiicienda. Qui etiam aliquando reliquis conſentire viſus eſt: nam cap. 3. fin. cùm retuliſſet ſententiam dicentium, hæc futura non præſciri in ideis diuinis,*Præciſa reali ipſius rei extra ſuas cauſas præſentia*, ſtatim ex propria ſententia ait,*Reuera præſcit Deus,poſito eo fundamento in re, per quod propoſitio de futuro eſt determinatè vera: ab eo enim quod res eſt in ſe ipſa, propoſitio aſſertiua de præſenti,aut de futuro,dicitur determinatè vera.* Si propoſitio de futuro contingenti, non eſt determinatè vera,niſi,*Ab eo quod res eſt in ſeipſa*; & hoc eſſe reale in ſe extra cauſas,præſupponitur tanquam fundamentum,ad diuinam præſcientiam de futuro contingenti;ergo hoc non eſt prædeterminatum à diuina voluntate:alioquin illa propoſitio eſſet primò determinatè vera ab iſta prædeterminatione; & Deus, non præſuppoſito eſſe præſentiali, & actuali,quod futura contingentia habent à voluntate Dei prædeterminante, tanquam effectus à cauſa,ſed in priori ipſa voluntate,& cauſa prædeterminante præcognoſceret liberos effectus. & cap.4.§.2.in textu,littera V.ſic habet, *Nec vlla ratio, aut authoritas cogit dicere, quòd Deus actu libero prædefiniuit omnia futura conditionalia: nempe quis effectus, aut qualis operatio humanæ voluntatis ſequeretur, ſi in tali, aut alio ſtatu, & concurſu circumſtantiarum conſtitueretur. Nam hic actus in Deo videtur otioſus, & nihil facit ad rerum productionem, conſeruationémque,aut ad decorem vniuerſi:ac ſubinde in infinitis conditionatis nihil Deus poſitiuo actu definiuit in alterutram partem.* Quæ omnia iuxta noſtram opinionem dicta ſunt, & à modernis Thomiſtis paſſim negantur. Contra eoſdem in cap.5. §.3.comment. littera H.ait, *Generalis concurſus Dei, ſi comparetur ad actionem cauſæ ſecundæ, mutuò ſe præcedunt. Nam Deus, quia independens, & cauſa prima, dicitur prius agere in genere cauſæ efficientis: ſed cauſa ſecunda dicitur prior in genere cauſæ determinantis ad talem effectum ſpecie, & numero.* & in textu,littera K. *Quidam recentiores non verentur concedere,quòd Deus entitatem liberam materialem peccati prouidet, & ad illam prius natura inclinat hominem,quàm homo faciat.* Quod in commento ait eſſe falſum,& contra mentem Tridentini, & communem Patrum, & Scholaſticorum ſenſum.

## *Quid ſentiant Lorca, & Zumel.*

285. Deinde Aluarez num.26.& ſequentibus,oſtendere conatur, non bene à Suarez pro noſtra opinione citari nonnullos. Primò Lorcam, 1. 2. tomo 1.diſput. 4. de actibus humanis, §. *In ſecundo puncto.* circa finem. Hunc ego librum non legi, quia illum in noſtro Collegio non habemus, nec aliunde habere potui. Nihilominus ex Lorcæ verbis, quæ ipſemet Aluarez refert, manifeſtum eſt, immeritò dici,illa Suarez *nullo modo fauere.* Deus præſcit,inquit Lorca apud Aluarez, *quid voluntas operabitur his,vel illis obiectis, vel cogitationibus occurrentibus: ſed id non præſcit in aliqua determinatione ipſius voluntatis,præcedente operationem; ſed quia præuidet operationem ipſam, vt futuram conditionaliter. Præſcit enim Deus futura contingentia conditionata, vt ſub conditione præſentia.* Nihil ſanè clarius pro Suarez contra Aluarez;quia his verbis non ſolùm docet ſimpliciter Lorca, vt ait Aluarez, *Deum præſcire futura contingentia conditionata*; ſed etiam expreſſiſſimè tradit modum,quo præſcit; &,ad omnem ſententiæ ambiguitatem planè tollendam, duo aſſerit; alterum negatiuum, non præſcire in aliqua ipſius voluntatis, quæ operatur, *determinatione præcedente operationem*: ergo nullum agnoſcit Lorca decretum Dei,præcedens creatæ voluntatis operationem, & antecedenter determinans creatam voluntatem ad talem determinatam operationem; alioqui ſine vllo dubio in huiuſmodi determinatione præcedente operationem, præſciret Deus futuram operationem liberam: alterum poſitiuum, quod bis repetit, *Præſcit Deus futura contingentia conditionata, vt ſub conditione præſentia.* Si ratio præſciendi non eſt vlla determinatio antecedens ipſius cauſæ, ſed ſolùm præſentialitas, atque actualitas conditionata ipſius effectus: ergo hæc in ſigno, ac prioritate rationis præſupponitur ad præſcientiam,& ante præſcientiam effectus non præſupponitur determinatum decretum effectus;aliter ratio præſciendi non eſſet effectus conſequens decretum,ſed decretum,duratione,& natura antecedens effectum:ſaltem præſciendi ratio multò potior,& prior, eſſet decretum, quàm effectus; & tamen Lorca abſolutè negat eſſe decretum, & abſolutè affirmat eſſe effectum. Ergo clariſſimè ſupponit,voluntatem creatam, cùm liberè operatur determinatum effectum, à nulla planè re, neque extrinſeca, neque intrinſeca prædeterminari, ſed ſolùm determinari à ſe ipſa: nullam enim aliam ob cauſam dicere potuit Lorca, quod veriſſimum eſt, effectum liberum conditionaliter futurum præſciri, non in aliqua determinatione illum antecedente, ſed in ſua præſentialitate, ſiue in ſeipſo. Quod autem contra hoc obiiciat Aluarez alia verba, quibus Lorca in aliis locis ſcripſerit,per gratiam efficacem phyſicè prædeterminantem non tolli libertatem operandi; imò de facto ſæpe homines illo modo vocari,non excludit ſententiam noſtram citatis verbis apertiſſimè declaratam. Neque enim credibile eſt, quod ſibi contradixerit, cùm hîc indubitanter aſſerat, effectus liberos non præſciri in prædeterminatione; quo vtique modo præſcirentur, ſi voluntas ad illos prædeterminaretur. Sed quantum poſſum coniicere ex paucis iſtis verbis,quæ apud Aluarez lego, videtur Lorca noſtram ſententiam probare vniuerſaliter de lege ordinaria, excipere autem aliquos particulares caſus in quibus Deus extraordinaria gratia,ac beneuolentia quoſdam vocat prædeterminando: ac proinde prædeterminationem non pugnare cum libertate. Hoc autem profectò non eſt, admittere vniuerſaliter decretum ante præſcientiam conditionatam, quod expreſsè negauerat; ſed illud negare alia ratione ab ea, qua nos efficaciter negari putamus; quæ diſcrepantia non eſt in ſententia, ſed dumtaxat in ſententiæ ratione. Cæterùm occaſione huius teſtimonij ad

*Verba Lorca pro ſententia Suarez.*

*In quo differat Lorca à Suarez.*

ſe tra



*Quid Aluarez nobis imponat de efficacia gratiæ.*

ſe trahendi, immeritò Aluarez, de Suarez, aliiſque noſtris Theologis eiuſdem opinionis, ita refatur, *Cenſent auxilium præuenientis gratiæ, ſolùm eſſe efficax ab effectu.* Nos cum Suarez, Molina,Bellarmino, Vaſquez, Fonſeca,Valentia,aliiſque præclariſſimis Theologis verè cenſemus, ſummam efficacis gratiæ infallibilitatem & efficaciam non haberi formaliter ex effectu; ſed ex modo quo datur à Deo ex præſcientia conditionata, qua iam præſcit illam gratiam, ſi detur in talibus circumſtantiis, habituram effectum: ac proinde non ſine ordine ad effectum:qui vt obiectum præſupponitur diuinæ ſcientiæ, quique à diuina voluntate intenditur. Qua de re diſputare, neque eſt huius loci, neque huius temporis: id enim oſtendemus in materia de gratia, & auxiliis, cùm per Sanctam Sedem licebit.

286. Secundò ait Aluarez malè citari Zumel 1. part. quæſt.14.art.13. diſp.8. concl.1. quo loco pro noſtra ſententia à Suarez,*abſque vllo prorſus fundamento allegatur,* inquit Aluarez. Idque probat,quia Zumel ſemper impugnat ſcientiam mediam. Qua probatione videtur non aduertiſſe ad quem finem Zumel eo loco citetur à Suarez; non citatur pro ſcientia media, quam cum Thomiſtis vbique perſequitur, ſed pro ſcientia conditionata ſimpliciter, ſiue ſit media, ſiue extrema, quam Zumel, & ipſemet Aluarez, aliique Thomiſtæ recipiunt, vt rem certiſſimam. Quem locum, aliáque etiam loca, cum verbis, & cenſura ipſius Zumel, nos quoque retulimus ſupra num. 211. circa initium. Quid autem importet ſcientia media ſupra ſcientiam conditionatam, ac proinde, quid tandem illud ſit,quod Zumel,& Aluarez, aliique noui Thomiſtæ tantoperè abominantur, vt conuiciis etiam,ac contumeliis, tanquam execrandum aliquod monſtrum, vbique carpant, dicendum diſtinctè dubitat.20. viſum enim eſt, prius de re ipſa eſſe diſſerendum, quia rei ipſius veritate planè perſpecta, omnia ſeu rerum, ſeu verborum terriculamenta, quæ contra nomen potius, quàm rem ſcientiæ mediæ, afferuntur, facillimè euaneſcent. Affert deinde Aluarez quædam alia loca, in quibus Zumel admittit decretum conditionatum: & alia etiam clariora ego attuli ſupra num.283.fin. ſed ea non negat Suarez, & ſolùm affert cap. 1. num.3. alia verba Zumel expreſsè contra idem decretum conditionatum, quæ ſimul cum aliis eiuſdem verbis habentur ſupra num.276. de quibus tamen nihil dicit Aluarez. Quare qui cum Zumel piè agere voluerit, ſicut etiam cum Cabrera, vt eodem loco notaui, non poteſt illos alio modo excuſare, niſi quod negauerint decretum conditionatum in actu poſitum, quod ſcilicet non eſt conditionatum, ſed abſolutum ex parte actus: conceſſerint verò decretum conditionatum non ſolùm per conditionem in obiecto, ſed etiam per conditionem in ipſo actu. Et ideo eos ego ſupra n.283.refero cõtra concluſionem negantem, prærequiri decretum conditionatũ obiectiuè;& n.276. pro concluſione negãte,idem decretum prærequiri realiter. Quamuis hoc ſecundum mihi ſit valde dubium, vt ibi ſignificaui, quamobrem prædicta excuſatio videri poteſt pia potius,quàm vera. Quod facilè animaduertet is, qui attentè ac patiẽter legere poterit quæ prædicti Authores variis in locis ſatis prolixè, atque indiſtinctè de hac controuerſia ſcripſerunt.

*Zumel rectè allegari à Suarez.*

*Quid de decreto conditionato ſentiant Zumel, & Cabrera.*

## *Quid ſentiat Dominicus Sotus.*

287. Tertiò ait malè citari Sotum lib.2. Summularum cap.8.lect.3.Contra hanc citationem Aluarez num.28.& 29. tria obiicit. Primum, *Quòd locus eſt falſus, forſan errore ſcriptoris vel typographi; quia in præallegato loco non agit de hac materia, ſed in tractatu primo de conditionalibus promiſſiuis cap. 16. lect. 3. num.*1. Secundum,ibi poni quidem à Soto certam ſcientiam conditionalium in Deo: an autem ponatur ante vel poſt decretum, non poſſe ex illo loco colligi. Tertium, quod ex aliis locis, *manifeſtè colligitur*, Sotum ponere decretum Dei liberum ante prædictam ſcientiam, vt lib. 1. cap.16. & 18.de natura,& gratia.

*Sotum malè citari à Suarez, probat Aluarez primò.*

*Probat ſecũdò.*

*Probat tertiò.*

Reſpondeo ad primum, nullius eſſe errorem; niſi quòd ſciendum erat, illas Soti Summulas bis fuiſſe impreſſas; & in ſecunda editione, facta Salmanticæ, 1552. decem annis poſt primam, nonnulla mutata eſſe, vt patet ex Præfatione, vbi Sotus ait, *Solùm mihi conſiderandum eſt, quid eorum,quæ in priori editione Summularum, ante decem annos congeſtarum, omittere, ac recidere poſſim.* Rectè igitur ab Aluarez citari puto primam editionem,quam nunquam vidi, in qua fortaſſe capitum ordo, ac numerus aliter diſponebantur. Rectè etiam, imò melius, citat Suarez ſecundam editionem, poſtremò ab Authore ſuo recognitam, & emendatam, quam ego etiam in ſuperioribus citaui, & paſſim citant alij moderni ſcriptores.

*Ad primum. De editionibus Summularum Soti.*

Ad ſecundum, ſi attentè perpendantur verba 288.
Soti,illam collectionem eſſe efficacem;ſaltem certè non eſt ita inefficax, vt de illa dicere potuerit Aluarez, *Nec id vlla poteſt apparentia ex verbis illius inferri.* Sotus igitur ibi exactè tradens conuenientiam, & differentiam inter conditionalem illatiuam, & conditionalem promiſſiuam, quæ, vt in §.*Sequitur primò.* ipſemet explicat, *eſt contingens,* ſic habet, *conditionalis promiſſiua conuenit cum conditionali illatiua in hoc, quod non ponit veritatem antecedentis, nec conſequentis.* hoc eſt,vtraque ex eo quòd conditionalis ſit, nihil ponit in eſſe abſoluto. *Differt tamen à conditionali illatiua; quia ad veritatem promiſſiuæ non requiritur, quòd ſit bona conſequentia, ſcilicet, quòd antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente: ſed ſatis eſt, quòd antecedens non ſit verum ſine conſequente.* ſiue, vt paulò ante dixerat, *Ad veritatem promiſſiuæ, vt, ſi diſputatione viceris, dabo tibi librum, ſufficit, quòd poſita veritate antecedentis, ſcilicet quòd vincas, ponatur conſequens.* Hinc ita arguo, Sotus in futuro contingenti conditionato nullam aliã veritatem agnoſcit niſi ipſiuſmet euẽtus ſecundum ſe, ſcilicet, quòd poſito antecedente erit ſimpliciter conſequens, ſed ſi veritas futuri contingentis conditionati haberetur per antecedens, & efficax Dei decretum, prædeterminans ad vnum, illa eſſet veritas longè maxima,in cauſa omninò infallibili, cuius vi, poſito antecedente, conſequens erit non ſolùm ſimpliciter, ſed erit infallibiliter, tanta infallibilitate, quanta neceſſaria eſt vt impleatur efficax decretum Dei omnipotentis: quæ nimirum maior eſt qualibet naturali infallibilitate in cauſis neceſſariis, ex intrinſecis naturæ determinatis ad vnum; ex qua naturali infallibilitate conſtant conditionales illatiuæ,quas Sotus à promiſſiuis, & contingentibus diſtinguit. Vnde vlterius argumentor ex alio capite, veritas conditionalis illatiuæ, quam negat Sotus conditionali contingenti, conſiſtit in hoc, *Quòd antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequente.* Sed ſi antecedente ſuo decreto Deus efficaciter prædeterminaſſet, vt in conditionalibus cognoſcentibus, ſi ponatur antecedens ponatur conſequens, iam vi talis decreti, antecedens non poſſet, imo implicaret;

*Ad ſecundũ.*

*Scientia cõditionata ante decretũ, colligitur ex Soto.*

caret; eſſe verum ſine conſequente: ergo conditionalis contingens eamdem, imo multò maiorem veritatem haberet ea, quàm habet conditionalis illatiua. Et tamen Sotus expreſsè docet, veritatem contingentis eſſe multò minorem, nempe, *non eſſe antecedens ſine conſequente,* quæ eſt veritas ſolius effectus; veritatem verò illatiuæ eſſe, *non poſſe eſſe antecedens ſine conſequente*, quæ eſt veritas non ſolùm ex parte effectus determinati, ſed etiam ex parte cauſæ, per ſummam infallibilitatem prædeterminatæ.

289. *Reijcitur reſpōſio Aluarez.*

Neque ſatisfacit Aluarez diſtinguens num. 29. *duplicem neceſſitatem illationis; alteram abſolutam, & naturalem; alteram, quæ fundatur in aliquo, quo præſuppoſito, nunquam contingit, quòd ponatur in eſſe antecedens, quin etiam ponatur & conſequens.* Sotum verò intelligendum de prima, quæ eſt propria conditionalis illatiuæ; non de ſecunda, quæ competit conditionali contingenti. Tum quia, poſito prædicto decreto, ſecundam neceſſitatem non ſatis explicat per illud, *nunquam contingit,* &c. quia hoc non importat aliud niſi ſimplicem quamdam negationem actus ſecundi oppoſiti actui prædeterminato vi decreti diuini: at decretum, præter hanc negationem actus ſecundi, importat in actu primo omnimodam repugnantiam ad eumdem actum per implicationem contradictionis, qua implicat non impleri efficax Dei decretum: nam ipſammet voluntatem in actu primo conſideratam, vt ſubiectam diuino decreto, implicat facere actum oppoſitum illi, quem diuina voluntas efficaciter decreuit vt faceret. Quod paulò poſt, non potuit tacere ipſemet Aluarez, ita ſcribens, *Suppoſito quod Deus ab æterno decreuerat, conuertere Paulum ad orationem Stephani, impoſſibile erat, quòd poneretur in eſſe antecedens illius propoſitionis conditionalis, ſi Stephanus orauerit pro Paulo, Deus conuertet illum, quin poneretur & conſequens.* clarè aſſerit, *eſſe impoſſibile:* quæ impoſſibilitas ex ſuppoſitione omninò antecedente, cuiuſmodi eſt decretum Dei prædeterminans, ſatis, ſupérque eſt ad bonitatem conſequentiæ in omni rigore logico. Quis enim dixerit, talem eſſe hanc conſequentiam, quam omnes admittimus, *Si ſtupa proijceretur in fornacem ardentem, combureretur*; quod tamen non eſt ſimpliciter impoſſibile, vt accidit tribus pueris in fornace Babylonis: talem verò non eſſe illam, qua dicitur, *Si Deus vellet, poſita tali oratione, ac vocatione, conuerti Paulum, Paulus conuerteretur*; cuius oppoſitum eſt ſimpliciter impoſſibile per implicantiam contradictionis? Tum quia Sotus vniuerſaliter docet, proprium conditionalis illatiuæ, per quod differt à conditionali contingenti, eſſe, *non poſſe eſſe antecedens ſine conſequente*; contingentem verò ſolùm habere ſimpliciter, *non eſſe antecedens ſine conſequente.* Sed ſi conditionalis contingens haberet veritatem, vt vult contraria opinio, vi decreti diuini antecedentis, & prædeterminantis, ipſa etiam in aliquo ſenſu vero, ac proprio haberet hoc commune cum conditionali illatiua, *non poſſe eſſe*, ſiue, vt loquitur Aluarez, *eſſe impoſſibile,* eius antecedens, quin ſit conſequens. Ergo non poſſumus probabiliter opinari, Sotum tradidiſſe prædictam differentiam, & tamen admiſiſſe decretum Dei efficaciter prædeterminans, vi cuius habeatur veritas obiectiua futuri contingentis conditionati ante conditionatam Dei præſcientiam.

*Neceſſitatem illationis ex decreto diuino, eſſe omnium maximam.*

290. *Ad tertium.*

Ad tertium, Aluarez vt probet Sotum ponere decretum Dei liberum ante prædictam ſcientiam conditionalium, pro ſe citat quædam verba Soti. Primò ex cap. 16. lib. 1. de natura, & gratia, quæ in meo libero, impreſſo Venetiis 1584. habentur in cap. 15. aliquantò poſt principium, vbi loquens Sotus de generali, & actuali Dei concurſu cum cauſis ſecundis, de illo duo dicit, *Concomitatur actionem cauſæ ſecundæ, & eſt natura prærequiſitus ad agendum.* Deinde contra quoſdam Scholaſticos innominatos ait, *Illo poſito, tunc etiam eſt in facultate voluntatis agere, & ceſſare.* & paulò poſt, *Illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, ſum liber vt tunc agere renuam. Etenim dum liberè moueor, poſſum in ſenſu diuiſo non agere, & tunc ceſſabit concurſus Dei. Tametſi in ſenſu compoſito contra ſe inuicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, & me non agere.* His verbis nihil planè habetur contra nos. Nam quatenus dicunt, concurſum Dei eſſe concomitantem, fauent potius nobis, contendentibus contra Aluarez, concurſum generalem non eſſe aliquid antecedens totam cauſæ ſecūdæ actionem, & prædeterminans ad illam. *Neque enim aliud eſt*, inquit Sotus ibidem col. 10. *me Deum hoc modo mouere, quàm mecum concurrere ad faciendum liberum actum. Veluti in naturalibus, Deum mouere orbem, & ipſum orbem moueri.* Quatenus verò eumdem concurſum dicunt eſſe priorem natura, non ſignificant aliquid diſtinctum ab ipſo influxu creaturæ, qui quatenus eſt à Deo independente, dicitur prior natura ſeipſo, quatenus eſt à creatura dependente; vt docuit inter Thomiſtas illuſtriſſimus Caietanus, tum hîc §. *Nec ſuſtinendùs.* dum vult, quòd, cum dicitur, cauſa ſecunda operari vt mota à cauſa prima, non eſt intelligendum, *de motione præuia propriæ actioni; ſed de motione cooperante intrinſecè ad propriam actionem.* tum fuſius infra, quæſt. 19. art. 8. ad 1. Scoti. Vbi ad 2. acutè addit, quòd, cum dicitur, *Prima cauſa prius natura reſpicit effectum, quàm quæcumque alia cauſa, iſta propoſitio non eſt ſic intelligenda, quaſi ſit aliqua duratio naturæ, in cuius primo inſtanti cauſa prima reſpiciat effectum, & in ſecundo cauſa ſecunda; puerilis enim hic eſt ſenſus: ſed eſt intelligenda quoad independentiam, & intimitatem: attingit enim prima cauſa effectum ſecundæ & independentius, & intimius, quàm ſecunda; & propterea dicitur reſpicere prius.* Quod autem ibidem doceat Sotus, cauſam ſecundam, in eo inſtanti, in quo agit, & conſequenter, in quo concurrit cauſa prima, poſſe non agere, nimirum in ſenſu diuiſo, hoc eſt, in illo priori naturæ in quo intelligitur cauſa prius agere, quàm habere in ſe actionem, manifeſtè contradicit omni antecedenti prædeterminationi cauſæ liberæ, quæ in ſenſu diuiſo ab actione (de quo tantùm ſenſu apertè loquitur Sotus) ſed in ſenſu compoſito cum prædeterminatione ad agendum, non poteſt non agere, vt in ſuperioribus ſæpè oſtenſum eſt. Vnde ipſemet Sotus circa principium eiuſdem cap. 15. *Supponenda,* inquit, *eſt definitio libertatis; illa enim cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere.* Quam definitionem qui prædeterminant liberum arbitrium, in vero ac proprio ſenſu ſuſtinere ſatis non poſſunt, vt alibi oſtendi.

*Sotum lib. 1. de natura, & gratia c. 15. non eſſe contra cōcluſionem.*

*In quo ſenſu ſecūdùm Sotum & Caietanum cōcurſus primæ cauſæ dicitur prior natura cōcurſu cauſæ ſecundæ.*

Deinde Aluarez affert pro ſe hæc alia verba Soti in eodem cap. 15. col. 8. *Omnes atteſtantur, Deum eſſe cauſam conuerſionis, ſalutiſque noſtræ, præmouendo nos.* Vbi Sotus, inquit Aluarez, *loquitur de motione phyſica, qua Deus efficit vt velimus.* Quæ Gloſſa gratis additur; & in ſenſu, quo à gloſſante intelligitur, de motione prædeterminante, eſt omninò falſa, & aliena à Soto; qui prudenter vſus eſt *præmotione,* non *prædeterminatione:* & vt patet ex col. 7. nullam aliam gratiæ præmotionem agnoſcit 291.

*Quæ ſit gratia præmotio ſecūdùm Sotum.*

niſi



niſi actus intellectus, & voluntatis, quos operatur Deus in nobis ſine nobis, hoc eſt, vt ipſemet explicat, *ſine libero aſſenſu, & concurſu noſtro.* Hi autem actus ſunt quidem in ſe quædam phyſicæ qualitates, tamen ad effectus liberos non concurrunt phyſicè per naturalem aliquam prædeterminationem, ſed moraliter per illuminationem, & excitationem: *Neque ego,* inquit Sotus, *contrarium potui vnquam excogitare. Deum enim quempiam illuminare, nihil eſt planè, quàm mentem excitare in aliquem bonum cogitatum: & inſpirare, voluntati ſuggerere bonum motum.* Neque in toto illo capite, neque in aliis ſequentibus, vbi de eadem materia agit Sotus, vllum verbum habet aut prædeterminationis, aut phyſicæ motionis, quæ, in explicatione liberorum effectuum, ſunt vocabula antiquioribus Theologis prorſus ignota. Imo Sotus in eodem capite, præter allata, habet quædam alia manifeſtè repugnantia conceptui prædeterminationis: nam circa initium docet, Deum *alias cauſas naturaliter mouere, & alias liberè; & cum ſingulis modo proprio concurrere.* & ſtatim explicans, ac diſtinguens hunc proprium modum concurrendi, ait, quòd quicquid Deus vult fieri per cauſas neceſſarias, *vult voluntate abſoluta, iuxta illud Rom. 9. Voluntati eius quis reſiſtet? Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, niſi ſalua libera voluntate; quæ idcircò reſiſtere Deo poteſt, vt Actor. 7. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* vbi tria docet Sotus. Primò, modum proprium, quo Deus concurrit ad effectus abſolutè futuros à libera creatura, non eſſe per voluntatem abſolutam, ſed hunc eſſe proprium modum concurrendi cum cauſis neceſſariis: quem tamen poſteà moderni Thomiſtæ extenderunt ad cauſas liberas. Vnde ſequitur, eamdem efficacem voluntatem non poſſe poni conditionatam reſpectu eorumdem effectuum conditionatè futurorum; quia hæc, purificata conditione, tranſit in abſolutam. Ergo qui tenet, cum libertate effectuum abſolutè futurorum non ſtare voluntatem Dei abſolutè prædeterminantem, idem tenere cenſendus eſt de eadem voluntate conditionata reſpectu effectuum conditionaliter futurorum. Secundò, proprium modum concurrendi cum cauſa libera ad effectus abſolutos, & conſequenter ad effectus conditionatos, eſſe per voluntatem conditionatam, qua ſcilicet, vult Deus concurrere ad talem actum ſi voluntas pro innata ſua libertate ad illum ſe determinauerit; vel concurrere ad oppoſitum, ſi ſe ad oppoſitum determinauerit: hoc enim apertè ſignificant illa verba, ſi ſincerè accipiantur vt contradiſtincta à verbis prioribus de voluntate abſoluta, *non vult fieri, niſi ſalua libera voluntate.* Quam voluntatem conditionatam penitus tollunt poſteriores Thomiſtæ, ponentes ante quodlibet futurum voluntatem Dei prædeterminantem ad vnum, poſtquam neque ipſemet Deus, neque conſequenter vlla virtus creata poteſt velle, aut facere oppoſitum, aut ad oppoſitum ſe determinare: quæ impotentia pugnat cum libertate, vt oſtendam infra in puncto ſexto. Tertiò, voluntatem, qua Deus ad noſtros liberos actus concurrit, eſſe talem, cui libera voluntas noſtra *poteſt reſiſtere.* Sed voluntati diuinæ efficaciter prædeterminanti, ante quamlibet actus liberi futuritionem, etiam obiectiuè præuiſam, vt voluntas creata faciat hunc determinatum actum, nulla voluntas creata reſiſtere poteſt, imo ne ipſemet Deus, vt modò dixi, & vberius probaui ſupra à num. 138. & mox iterum tanquam in præcipua ratione huius concluſionis. Ergo voluntas, qua Deus ad liberos actus concurrit, non eſt, ſecundùm Sotum, voluntas prædeterminans.

*Nōnulla Soti dicta contra prædeterminationem.*

Ad Rom. 9.

Actorum 7.

292. *Quid ſecundùm Sotū ſit, nos prius cōuerti ad Deū, quàm Deum conuerti ad nos.*

Præterea Sotus initio columnæ octauæ cum præmiſiſſet multa Scripturæ loca, quæ videbantur contraria, alia in quibus nos petimus, prius Deum conuerti ad nos, vt poſterius nos conuertamur ad Deum; alia in quibus contra, Deus petit, prius nos conuerti ad ipſum, vt poſterius ipſe conuertatur ad nos: & optimè declaraſſet, primum dici propter ordinem gratiæ præuenientis, qui ordo incipit à Deo; ſecundum verò propter ordinem libertatis; hunc ſecundum ordinem ita explicat, *Ordo iſte à nobis inchoat.* Nullus autem in operibus liberis gratiæ, de quibus loquitur Sotus, ordo fingi poteſt, qui à nobis inchoet, niſi ordo liberæ determinationis; ita vt non prius ſit, Deum nos determinare, & poſterius, nos ſequi determinationem Dei; ſed contra potius, iuxta eſſentialem libertatis conceptum, prius ſit, nos determinari à nobis ipſis; & poſterius, Deum ſequi determinationem noſtram, & tanquam primam cauſam, concurrere ad illam determinatam partem, ad quam cauſa ſecunda libera liberè voluit ſe determinare. At verò moderni Thomiſtæ, ponentes decreta Dei extrinſecè prædeterminantia, & qualitates, ſeu motiones quaſdam phyſicè, & intrinſecè prædeterminantes, non poſſunt verè aſſignare aliquem ordinem, qui à noſtra voluntate inchoet, & ratione cuius in ſacris literis dicitur Deus, aliquid à nobis expectare in libero negotio noſtræ conuerſionis, ac ſalutis, vt notaui ſupra num. 149. alioqui non ſunt prudenter intelligibiles quamplurimæ ſcripturarum exhortationes, quibus Deus à nobis petit, vt conuertamur, aperiamus, veniamus, faciamus, &c. Niſi Deus à nobis aliquid expectet, quod aliqua ratione incipiat à nobis, nimirum vt liberè determinantibus. Et tamen hoc ipſum, quod doctiſſimus Thomiſta Sotus apertè docuit, tanquam abſurdum omnium maximum perpetuò nobis obiiciūt, nempe, noſtræ ſalutis inchoationem à nobis eſſe; &, Deum nos expectare, vt ſaluet nos. Quod ſicut in aliquo ſenſu, præuenienti gratiæ contradicente, hæreticorum dogma eſt; ita in alio ſenſu, ſpectante ad libertatis noſtræ ſalutem, ſana eſt Catholicorum doctrina. vnde idem Sotus ibidem col. 5. *Sunt,* inquit, *pleraque multa teſtimonia Scripturæ, quibus liberum arbitrium cum gratia cooperari, imo ipſam antecedere deſignatur: vt illud Matth. 11. Venite ad me omnes. & Zachar. 1. Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Nihil ex parte noſtræ libertatis antecedere poteſt gratiam, niſi libera determinatio. Quam clariſſimè teſtari voluit Sotus in vltimo penè ſpiritu; nam in fine quarti ſent. vbi nonnulla recognoſcit, quæ in ſuis operibus dixerat, inter alia ſic habet, *Cur iſte conuertatur, & non ille, reddi non poteſt cauſa, niſi quia vnus præbet aſſenſum, alter verò minimè.* Nihil clarius ipſemet Molina, aut Suarez, contra Bagnes, alióſque liberi arbitrij prædeterminatores, poſſet aſſerere. Deinde ſtatim Sotus ait, ex hoc dicto id, quod nos hodie à diſcipulis ſuis patimur, ſibi accidiſſe. *Quidam verò,* inquit, *hoc taxare voluerunt, dicentes, quòd nimium tribuerim libero arbitrio in iuſtificationis cauſa, & tamen, ſalua ſemper catholicæ Eccleſiæ cenſura, arbitror neceſſariò ſic dicendum.* Et ſtatim vrgentem rationem tradit, *Quia non aperit Deus nobis corda ex neceſſitate, ſed nobis liberè conſentientibus.* ídque probat ex illo, *Nolite obdurare*

*In quo ſenſu Deus dicatur, aliquid à nobis expectare.*

Matth. 11.
Zachar. 1.

*Inſignis Soti locus pro noſtra ſententia.*

*torda veſtra.* & Ioan. 6. vbi poſtquam dixit Chriſtus, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*, ſubiunxit, *Qui audit, & diſcit, venit ad me.* Quod dictum eſſe vult Sotus, ex eo quòd, *In noſtra poteſtate ſit trahenti aſſentire aut diſſentire:* quod eſt ſe determinare. Ergo Sotus non agnoſcit prædeterminationem factam à Deo. Et demum veriſſimè addit: *Hæc eſt doctrina ſancti Thomæ.*

293. *Sotum l. 1. de natura, & gratia c. 17. nihil habere contra concluſionem, & non rectè citari.*

Demum Aluarez pro ſe citat ex lib. 1. de natura, & gratia in cap. 18. alia verba Soti, quæ in meo libro habentur in cap. 17. circa finem, ſic refert Aluarez, *Haud equidem diffitentur Theologi, entitatis, (ita vocant) quæ eſt peccatum, Deum eſſe cauſam; eo efficientiæ genere, quo cuncta, & animantia, & inanima, ad ſuas naturales actiones præmouet.* Hinc Aluarez ita deducit, *conſtat autem, motionem, qua Deus cuncta ad ſuas naturales actiones præmouet non eſſe moralem, ſed phyſicam.* Aluarez in duobus facere poteſt vim. Primò, in verbo illo, *præmouet*, quo ſignificetur actualis quædam primæ cauſæ motio, antecedens totam aliam ſequentem motionem cauſæ ſecundæ. At hoc nihil eſt: tum quia textus meus non habet, *præmouet*, ſed *permouet*, quo importatur motio perfecta, non antecedens. Et arbitror, ſtandum eſſe huic textui; quia de illo in titulo dicitur, *Opus nunc demum à pluribus, quibus ſcatebat, mendis vendicatum.* Sed deinde vidi aliam priorem editionem factam Lugduni 1581. quam citare videtur Aluarez, quia ibi habentur hæc verba in cap. 18. vt ipſe citat, ſicut & alia in cap. 15. & in hac etiam editione legitur, *permouet*, non autem, *præmouet.* Vidi demum & tertiam editionem omnium, quas legerim, antiquiſſimam, ac ſynceriſſimam Pariſiis 1549. apud Ioannem Foucher: vbi etiam in c. 18. habetur, *permouet.* Quare illud, *per*, fortaſſe inter ſcribendum verſum eſt in *præ*, ex nimio affectu prædeterminationis. Tum quia, eſto dixerit, *præmouet*, quod aliqua ratione dicere poterat, cum ab eodem Soto verbis citatis ſupra numero 290. idem generalis influxus Dei vocetur, *Natura prærequiſitus ad agendum*, id eſt, intelligendum, non de alia præuia motione à ſolo Deo facta, ſed de ipſa eadem cauſæ ſecundæ motione, quatenus à Deo eſt independenter, vt loco citato notaui ex clariſſima, ac notabili doctrina Caietani Thomiſtæ, & ipſius ſancti Thomæ præcipui commentatoris, & antea in num. 160. explicaui. Secundò, in eo quòd talis motio dicitur communis omnibus cauſis, etiam neceſſariis. At hoc intellectum, *Non de motione præuia propriæ actioni, ſed de motione cooperante intrinſecè ad propriam actionem*, vt optimè loquitur Caietanus citatus ſupra num. 290. nihil ad rem facit, quia Aluarez ex his Soti verbis ſumpſerat probare influxum, & voluntatem Dei antecedentem, & prædeterminantem, non cooperantem, & concomitantem; quem generalem Dei concurſum, ſupra num. 160. vltro conceſſi, & probaui non eſſe differentem in cauſis liberis, ac neceſſariis: & nunc etiam addo, & libenter do arguenti, talem motionem, *non eſſe moralem, ſed phyſicam*, modò ante hanc, ad liberos effectus nullam aliam in cauſa libera dari velit præmotionem, phyſicè prædeterminantem ad vnum: neque in voluntate Dei efficax decretum antecedenter ad vnam partem prædeterminans cauſam ſecundam liberè operantem. Quam quidem prædeterminationem, maniſeſtè negare videtur ipſemet Sotus in hoc eodem loco, qui pro illa allegatur. Nam poſt verba citata initio huius numeri, aſſignans rationem, cur Deus, cauſans entitatem peccati, non cauſet malitiam peccati, optime diſcurrit, quoniam & ſi ad illam entitatem concurrat Deus, tamen ad illam non mouet, *lege, ope, conſilio, fauore, vel perſuaſu.* Nimirum, quia concurrit vt determinatus à creatura libera; cui propterea, & non Deo ſimpliciter concurrenti, tribuenda eſt moralis malitia, ac negatio debitæ rectitudinis: alioqui ſi Deus concurreret, phyſicè prædeterminando ad illam peccati entitatem, vt aduerſarij citati ſupra num. 111. affirmare non dubitant, profectò longè magis concurreret, quàm lege, ope, conſilio, fauore, vel perſuaſu. Maneat igitur; Sotum verè citatum fuiſſe à Suarez pro noſtra ſententia, eámque in aliis locis, fruſtra citatis in contrarium, expreſsè etiam haberi, quantum ſcilicet ſatis fuit eo tempore, quo nondum huiuſmodi controuerſiæ erant excitatæ. Vtinam noſtro tempore Sotus, Sotíque ſimiles Thomiſtæ viuerent. Profectò illi eſſe poſſent omnibus veritatis teſtes locupletiſſimi.

*Influxus Dei concomitans, eſt phyſicus, & idem in cauſis neceſſarijs, ac liberis.*

*Sotū loco citato negare prædeterminationem.*

*Cur ſecūdùm Sotum, Deus non ſit cauſæ malitiæ.*

## *Quid ſentiat Ioannes Driedo.*

Contendit præterea Aluarez malè citari à Suarez quartò Driedonem in concord. parte prima cap. 4. ad 3. quia ibi colligitur quidem præſcientia conditionata ſimpliciter, non tamen, inquit Aluarez, *ante omne liberum decretum.* Reſpondeo, ita verè eſſe. Sed Suarez, vt patet ex eius verbis, cùm refert Driedonem loco citato, non fuiſſe ſolicitum de decreto, ſed de præſcientia. Multos enim Authores pro ſe citat ibi Suarez, omnes quidem pro præſcientia conditionata ſimpliciter, non tamen omnes pro præſcientia conditionata ante decretum. Solùm de Driedone loco citato veriſſimè dicit, illum ſcientiam conditionatam ibi non ponere; *in præuio decreto Dei prædeterminante: nam illud ſæpe negat, vt in lib. 5. videbimus.* Illud autem fruſtra conatur Aluarez num. 30. colligere ex loco citato. Primò, nam circa finem eiuſdem ſolutionis explicans Driedo dictum illud Chryſoſtomi, *Deus Paulum, & alios etiam ab initio vocare voluiſſet, ſed præſciuit ab initio, illos fore renitentes: ideo tunc vocauit eos, quando ſciebat eos obedituros*; ſic ſubdit. *Veriſſimè quidem dicit, verùm non ita oportet accipere, quemadmodum Pelagius intelligit; tanquam Deus ſcierit tantummodo, & ceu medicus quidam, omnibus ex æquo propoſitus, expectet homines, qui ad ſe veniant ad accipiendam medicinæ gratiam: ſed intelligit, quòd tunc Deus voluit vocare illos, quando ſciebat, eos obedituros, ex ſua ipſius gratia illuſtratos ad cognoſcendum gratiam; & ita vocationem ſuam penetraturum animas eorum: quos etiam ſic prius vocare potuiſſet, ſi voluiſſet; & prius, ſic etiam vocati, obediſſent. Proinde quod dicit Chryſoſtomus, prius vocati non obediſſent, non intelligit de illa alta vocatione, quæ eſt ſecundùm æternum Dei propoſitum, ſic vocantis, ſicque adiuuantis, qualiter aptum nouit, vt obediant: ſed de alia qualibet vocatione, qua multi vocantur, qui non obediunt.* Secundò, quia ait Driedo paulò poſt. *Sic Auguſtinus ſuam ſententiam, quam aſſeuerat contra Porphyrium, retractat in libro Retractationum. Quod dixi, inquit, tunc voluiſſe Chriſtum apparere hominibus, & apud eos prædicari doctrinam, quando, & vbi ſciebat fore homines, qui in eum fuerant credituri. Veriſſimè quidem, inquit, dixi; ſed non eſt ita accipiendum, quod Deus tantummodo præſcierit, quòd ipſi ex ſeipſis eſſent credituri, & à ſe ipſis fidem habituri: ſed intelligere oportet, quod & Deus præparauit eos, quibus ipſe fidem donaret. Prædeſtinatio ſignificat Deum non ſolùm vt futurorum præſcium, quemadmodum dixit Pelagius, ſed etiam vt cauſam eorum, quorum eſt prædeſtinatio. Veriſſimum quidem eſt, quod ſalus religionis huius, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit: ſed non ita oportet accipere, tanquam quis ſua voluntate ſe dignum faciat abſque gratia, & prædeſtinatione diuina.* Tertiò, quia concludit Driedo in fine pag. 24. *Non igitur quiſpiam eſt prædeſtinatus, quia eſt obediturus; ſed idcirco eſt obediturus, quia eſt prædeſtinatus vt obediret.* Hinc ita ſcribit Aluarez, *In quibus ſanè verbis agnoſcit cum ſancto Auguſtino prædeſtinationem, ſeu determinationem abſolutam diuinæ voluntatis, antecedentem in ſigno rationis præſcientiam obedientiæ humanæ.* Quartò, in pag. 38. inquit Driedo. *Deus non ſolùm inuitat, non ſolùm ſuadet, aut ſuggerit, ſed & voluntatem bonam infundit, ac immittit.* Ex quibus omnibus Aluarez ita concludit, *Vnde apertè facit Driedo pro noſtra ſententia.*

294. *In quo ſenſu Suarez citat Driedonem.*

*Aluarez ex Driedone arguit pro ſe primò.*

*Arguit ſecundò.*

*Arguit tertiò.*

*Arguit quartò.*

295. *Cur Driedo, & Taper ſint contra prædeterminationem.*

Verumenimuerò, ſi quis attentè omnia conſiderauerit, nihil prorſus inueniet in Driedone, ſicut nec in Ruardo Taper, de quo poſtea dicam, pro decreto de liberi arbitrij prædeterminatione ad vnam partem. Et ſanè prudentiſſimè. Cùm enim hi doctiſſimi viri in omnibus ferè operibus ſuis maximè intendant impugnare illius temporis hæreticos, qui ex efficacia diuinæ prædeſtinationis, ac gratiæ, noſtrum liberum arbitrium prædeterminari volebant, atque huiuſmodi prædeterminatione humanam libertatem deſtrui, vt ab hæreticorum ſententia quàm longiſſimè abeſſent, ita debuerunt diuinæ prædeſtinationis, & gratiæ efficaciam aſſerere, vt & libertatem atque indifferentiam arbitrij quàm maximè fouerent, & ab eiuſdem arbitrij prædeterminatione penitus abhorrerent. Quod deinde poſterioris Societatis noſtræ Theologi, eodem prudentiæ, ac ſapientiæ ducti ſpiritu, acerrimè præſtiterunt. Itaque nihil omnino pro Aluarez in citatis locis Driedonis.

296. *Ad primum. In quo ſenſu dicat Driedo, Deū non expectare homines vt ad ſe veniant.*

Non in primo, ibi enim duo tantùm pro ſe aduertere potuit Aluarez. Alterum, *Deus non expectat homines vt ad ſe veniant.* Quod quidem veriſſimum eſt de prima vocatione, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, hoc eſt, liberè conſentientibus, & abſque vllis prorſus meritis noſtris: de qua dicitur Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et Iſaiæ 65. prout refert Paulus ad Roman. 10. *Inuentus ſum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Falſum verò de libera determinatione quam Deus, poſtquam vocauit, non facit in nobis, prædeterminando liberum arbitrium; ſed expectat à nobis, relinquendo liberum arbitrium, diuinitus iam vocatum, in manu conſilij ſui, vt ad libitum conſentiat vel diſſentiat vocanti: quia, vt docet diuinæ gratiæ magiſter Auguſtinus libro de ſpiritu, & littera cap. 34. *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Atque hanc expectationem, non meritorum noſtrorum vt primò vocemur, ſed noſtræ determinationis vt liberè reſpondeamus vocationi, non obſcurè exprimunt Scripturæ citatæ ſupra num. 149. & 292. Driedo igitur illud aſſeruit in primo ſenſu, non in ſecundo, cùm de prima gratia, & vocatione clariſſimè loquatur. Alterum, *vocationi altæ, ſiue efficaci, quæ eſt ſecundùm æternum Dei propoſitum, ſemper homines obedire.* Quod nemo negat, omnes enim concedimus dari gratiam efficacem, eáque Deum vti, cùm ex æterno voluntatis ſuæ propoſito infallibiliter decernit ſaluare electos ſuos. Sed longè aliud eſt quod probare intendit Aluarez. Omnes damus, poſt ſcientiam conditionatam, ante liberum conſenſum ſupernaturalem abſolutè futurum, efficax, abſolutúmque decretum, ac propoſitum diuinæ voluntatis de tali conſenſu; & ad hunc finem infallibiliter conſequendum eligi ab eadem diuina voluntate medium efficacis gratiæ præſuppoſitum infallibile; quæ gratia propterea à Paulo, Auguſtino, & Driedone dicitur, *Vocatio ſecundùm propoſitum Dei.* Probandum tamen erat hoc propoſitum eſſe ante ſcientiam conditionatam. Quod Chryſoſtomus, & Driedo non aſſerunt, imo non obſcurè indicant oppoſitum. Chryſoſtomus quidem, quia ex eius verbis citatis apertè conſtat, Deum, vt efficaciter vocet, attendere tempus diſpoſitionis vocandorum, & alias circumſtantias, quibus conſenſuri ſumus. Ergo attendit, & quaſi expectat, liberam noſtram determinationem ad conſenſum, ad quem per gratiam præuenientem nos excitat. Ergo neque extrinſecè per decretum ſuum, neque intrinſecè per gratiam inhærentem, prædeterminat voluntatem vt conſentiat: ſic enim eſſet impertinens, & ridiculum, vocare hac, & non illa hora; & retrahi à vocando, ex eo quòd ſi vocaret, vocatus non reſponderet; & aſſerere, quòd ſi hac vocatione, qua hodie vocat, & vocati conſentiunt, vocaſſet anno præterito, vocati non conſenſiſſent: quia per aduerſarios nulla vocatio ſatis eſt ad conſentiendum, niſi prius ponatur liberum Dei decretum, prædeterminans vt ſi hic homo taliter vocetur conſentiat. Cui decreto prædeterminanti nemo poteſt non conſentire, ſaltem omnis ſemper, & infallibiliter eſt conſenſurus. Ergo in nullo tempore, de nulla vocatione, & de nullo vocato; ſi adſit tale prædeterminans, dici verè poteſt, non eſſe futurum conſenſum. Driedo verò, quatenus docet, ſemper eſſe cum effectu vocationem Dei, *ſic vocantis, ſic adiuuantis, qualiter aptum nouit, vt obediant.* Quæ verba valde otioſè dicta eſſent, ſi nulla vocatio habitura vnquam eſt effectum, ſine libero Dei decreto vt habeat; quod ſi ſolùm adſit, quæcumque vocatio, quocumque modo fiat, eſt omnino infallibiliter habitura effectum. Itaque tunc vocatio efficax, non fuiſſet explicanda per Deum ſic vocantem, & ſic adiuuantem, qualiter aptum nouit, ſed ſolùm per Deum decernentem vt quis obediat, ſi vocetur. Quid enim præterea opus eſt, iſto modo, & non alio modo vocare? Finge quemcumque vocandi modum, ſufficientem ſimpliciter ad obediendum, ſi Deus decreuerit vt obedias, ſemper cum illo vocandi modo es infallibiliter obediturus: ſi non decreuerit vt obedias, quacumque vocatione poſita, nunquam infallibiliter es obediturus. Ergo ex explicatione gratiæ efficacis tradita à Driedone, quam ex Auguſtino, & Chryſoſtomo didicit, manifeſtum eſt, quàm longiſſimè diſtare ab eius, Sanctorúmque mente, huiuſmodi decreta omnino prædeterminantia liberos effectus.

*Ioan. 6. Iſai. 65. Ad Rom. 10.*

*Auguſtin.*

*Quo modo cōcedenda ſit efficax Dei prædefinitio.*

*Cur vocatio efficax dicatur à Paulo, & Auguſtino, ſecūdùm propoſitum.*

*Ex Chryſoſtomo & Driedone, propoſitum Dei non eſſe ante ſciētiam conditionatam.*

Neque in ſecundo Driedonis loco aliquid eſt pro aduerſariis: quia illa omnia verba planiſſimè ſignificant neceſſitatem primæ gratiæ abſque vllis noſtris meritis, quam negabat Pelagius, vt facilè conſtare poteſt cuilibet ea conſideratè legenti: ita vt mirum valde ſit, ea allata 297. *Ad ſecundū.*

fuiſſe ad probandam neceſſitatem liberi decreti Dei ad veritatem, ac ſcientiam effectuum contingentium conditionaliter futurorum. Etenim illud, *Prædeſtinatio non ſolùm eſt cognitio, ſed etiam cauſa futurorum,* intelligitur de futuris abſolutis, quæ ſimpliciter, & ſine addito vocantur futura; reſpectu quorum non negamus efficax, ac prædefiniens Dei decretum, vt ſupra poſt initium præſentis numeri.

*Ad tertium.*

Non in tertio, quia ibi etiam ſermo eſt de actibus ſupernaturalibus abſolutè futuris, qui à Dei prædeſtinatione, ac prædefinitione habuerunt eſſe abſolutè futurum; ac proinde, non ideo ſunt prædefiniti, quia futuri; ſed contra potius, ideo ſunt futuri, quia prædefiniti. Vnde non poteſt aliud rectè colligere Aluarez, niſi, prædefinitionem abſolutam diuinæ voluntatis, antecedere in ſigno rationis præſcientiam abſolutam, & viſionis obedientiæ humanæ, non autem conditionatam, de qua nunc loquimur.

*Ad quartũ.*

*Expreſſus Driedonis locus cõtra Aluarez, de duobus æqualiter vocatis, & non æqualiter reſpondentibus.*

Non in quarto, vbi tantùm dicitur, vt patet ex contextu, Deus, in operibus ſupernaturalibus, & antecedenter excitare per gratiam præuenientem, & concomitanter concurrere per gratiam adiuuantem ſeu cooperantem. Ex quibus omnibus conſtat, immerito dici Driedonem apertè pro contraria ſententia, ſed potius fauere noſtræ. Certè, libro de captiuitate, & redemptione generis humani, tractatu 4. cap. 2. parte 5. poſt medium, manifeſtè contra Aluarez, alióſque Thomiſtas ſic ſcribit. *Ex duobus impijs, æqualiter indignis, æqualiter diuinis inſtinctibus pulſatis, atque admonitis, aut ad fidem, aut ad cordis pœnitentiam, contingit alterum non reluctari, ſed locum dare pulſanti Deo; alterum verò reſiſtere, & permanere in obſtinatione ſuæ voluntatis. Habuit is, qui ſic vocatus reſiſtit, in poteſtate ſua non reſiſtere; alioqui neque peccaret, neque ſibi meritum ſupplicij faceret reſiſtendo.* Inæqualitatem conſenſus in omnimoda æqualitate ſubiectorum, & gratiæ, tribuit ſolùm libero arbitrio, non diuinæ voluntati, aut auxilio prædeterminanti. Ergo huiuſmodi prædeterminationes non agnoſcit Driedo. Et clariſſimè paulò poſt, ex aurea Auguſtini doctrina explicata ſupra num. 146. ſic ſapientiſſimè pronunciat, *Dei eſt vocare, venire autem, & conſentire, ſeu credere, & obedire noſtræ voluntatis eſt opus.* Id, quod vocatis tribuitur vt contradiſtinctis à Deo vocante, eſſe aliud non poteſt, niſi libera arbitrij determinatio, loco citato declarata. Ergo per Driedonem nulla determinatio eſt à Dei voluntate, aut à gratia, quæ, vt optimè docet Scotus 4. diſt. 49. quæſt. 3. fine. *Non eſt formaliter libera*; ſed à ſola voluntate, quæ ſola habet intrinſecè in ſe formalem libertatem, atque indifferentiam, ſiue determinationem cum perfecta, & completa facultate determinandi ſe ad oppoſita.

*Scotus.*

## *Quid ſentiat Ruardus T per.*

298. *Ruardũ pro ſe eſſe probat Aluarez primò.*

Quintò Aluarez vult non bene à Suarez referri pro nobis Ruardum Taper art. 7. de quo Suarez nihil aliud dicit, niſi ſentire idem cum Driedone. Verùm Aluarez ſupra num. 31. ex Ruardo contra nos affert primò, quia initio articuli ſeptimi, ait, *Si Deus voluntatem ad aliquid moueat, impoſſibile eſt huic poſitioni, quòd ad hoc non moueatur. Nec tamen eſt ſimpliciter impoſſibile, quia eo momento, quo ad aliquid mouetur, poteſt contrarium velle: poſita autem hac motione, & concurſu Dei, quo vult nos velle, & agere, volemus, & agemus.* Quibus verbis Taper, inquit Aluarez, *efficaciæ virtutis Dei mouentis tribuit infallibilitatem cooperationis liberi arbitrij; nec ad huiuſmodi infallibilitatem præſupponit ſcientiam mediam.* Sed hoc nihil eſt, tum quia hanc præſuppoſitionem, ſi hîc non affirmat, certè non negat: tum, magis ad rem, quia manifeſtum eſt, Ruardum loqui de motione, non præuia, qualis eſt motio per gratiam efficacem, quam omnes præuenientem eſſe fatemur; ſed concomitante, ſeu cooperante per generalem concurſum, de quo paulò ante expreſsè eam quæſtionem propoſuerat. Ad quam bene reſpondet, mouente Deo, ſiue actualiter concurrente cum libera voluntate, hanc non moueri, eſſe impoſſibile ex ſuppoſitione, non tamen ſimpliciter impoſſibile: iuxta ſenſum ſupra num. 290. ex Soto explicatum, quem nobis fauere oſtendimus. Etenim Taper etiam ante omnia præmittit, tanquam omnium conſenſu receptam, liberi arbitrij definitionem, valde oppoſitam cuilibet antecedenti prædeterminationi illius. *Liberum,* inquit, *arbitrium eſt facultas, qua poſitis omnibus requiſitis ad eligendum, & agendum, poſſumus non eligere, & non agere: ita videlicet, quod omnibus ſimiliter ſe habentibus, quando eligimus, poſſimus non eligere, imo plerumque refutare; & quando non eligimus, aut refutamus, eligere poſſimus, & refutare.* Et clariſſimè paulò poſt contra prædeterminationem addit, quod ſanè afferendum, & exponendum erat ab aduerſariis; ſed vel non eſt animaduerſum, vel, tanquam nimis contrarium, conſultò prætermiſſum. *Deus,* inquit Taper, *omnia mouet ſecundùm eorum conditionem. Propter quod, liberum arbitrium ſic mouet, vt non ad vnum ipſum determinet, ſed remaneat motus eius contingens.* Contingentiæ, ac libertati opponit determinationem ad vnum. Et Deum mouere determinando ad vnum, docet eſſe proprium modum mouendi cauſas naturales, ac neceſſarias, directè oppoſitum modo mouendi, quem poſtulat propria conditio cauſarum liberarum. Et nonnullis interiectis, cum Auguſtino pro nobis contra modernos Thomiſtas reſoluit celebrem illam de duobus æquè motis quæſtionem, quæ refertur fuiſſe prima omnium harum controuerſiarum origo, his verbis: *B. Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 6. de duobus æqualiter affectis animo, & corpore, viſa eadem vnius corporis pulchritudine, quòd vnus ad illicitè fruendum mouebitur, & alter in voluntate pudica perſeuerabit, quod frequenter experimur, concludit, à ſola pendere voluntate; quia vnus noluit, & alter voluit à caſtitate deficere.* Qui hunc in modum diſcurrunt, nullam planè in liberis operationibus prædeterminationem agnoſcunt, neque extrinſecam æterni decreti Dei, neque intrinſecam qualitatis inhærentis.

*Reſpondetur.*

*Definitio liberi arbitrij ex Ruardo, contra prædeterminationem.*

*Expreſſum Ruardi dictũ cõtra ſententiam Thomiſtarum modernorum.*

*Ruardus caſum de duobus æquè motis reſoluit cũ Auguſtino contra Thomiſtas modernos.*

299. *Probat ſecundò.*

Affert ſecundò Aluarez ex eodem Ruardo art. 7. pag. 295. verba, quæ in meo libro impreſſo Louanij 1565. habentur pag. 217. fin. vbi obiicit ſibi Ruardus, voluntatem, vt inſtrumentum motam à Deo per gratiam non poſſe liberè agere, quia, inquit, *In poteſtate inſtrumenti non eſt, quòd moueatur aut non moueatur, potiſſimum comparatione Dei, cuius poteſtati nemo reſiſtere poteſt; qui, vt omnipotens, plenum in omnia habet dominium, multò magis quàm figulus in vas, quod format, vel in maſſam ex qua lutum ſumit.* Et ſtatim ſoluens ſubdit, *Hæc obiectio non minus aduerſatur libertati voluntatis in naturalibus, & politicis, in quibus etiam per diuinam prouidentiam mouetur, & determinatur ad opus. Cuius propterea prouidentiæ concordia cum libero arbitrio ſuperat omnem intellectum, vt docet Caietanus prima parte, q. 22. art. 4. ita vt magis fide credatur, quàm plenè intelligi poſſit.* Qua inſtantia, ac doctrina data, tradit optimam ſolutionem à priori his verbis. *Illuſtrari poteſt hæc obſcuritas, ſi conſideremus, Deum operari in vnaquaque creatura ſecundùm eius conditionem, & naturam: & propterea agentia libera vt inſtrumenta mouere, atque ad opus applicare ita, vt liberè, & contingenter ipſa operentur.*

*Difficultas cõcordiæ prouidentiæ diuinæ cum libertate.*

*Reſpondetur.*

Ex his verbis, quæ omnia pro ſe affert, nihil pro ſe expreſsè colligit Aluarez, & quidem, quid rectè colligere poſſit, non video; niſi fortè vim faciat in vnica illa voce, *Determinatur,* quam in fauorẽ ſuum trahere poſſet. Sed facilè eſſet aduertere, fauorem eſſe vocis duntaxat, non rei. Nam ſtatim huiuſmodi determinationem Ruardus magis explicans, ſæpè eam nil aliud eſſe dicit niſi ſuaſionem, & inclinationem. Igitur declarans modum; quo Deus liberam voluntatem, vt inſtrumentum mouet, ac determinat, *liberè, & contingenter,* vt in reſponſione dixerat, ſic habet, *Agit enim Deus in cordibus noſtris ſuaſione inclinando, & auertẽdo diſſuaſione. Nouit enim, vt ait B. Auguſtinus, q. 2. ad Simplicianum, vnumquemque vocare, quomodo pro ſuo affectu aptum, & idoneum nouit ad ſequendum.* Nouit vtique antequam vocare decernat: nec ſola notitia conſenſus vt poſſibilis, quia hæc etiam eſt notitia diſſenſus, vt ex eadem libera voluntate poſſibilis, quæ notitia eſt inepta ad efficaciter decernendum tali modo vocare, ad hoc vt voluntas libera determinatè conſentiat, & non diſſentiat; ſed etiam notitia conſenſus vt futuri ſub conditione, ſi tali modo vocaretur: prius enim eſſe debet, ſcire, quòd ſi voluntas tali modo vocaretur, reſponderet, & ſi pro ſua libertate poſſet non reſpondere; quàm prudenter decernere, tali modo eam vocare vt infallibiliter reſpondeat. Et iterum paulò poſt ex Auguſtino libro de ſpiritu, & litera, c. 24. *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus. Et ſicut quod nobis humana perſuaſione ſequendum eſſe videtur, ſequi poſſumus, & non ſequi; ita contingenter ſequimur quod ſuaſi ſumus diuinitus.* Hæc igitur ſuaſio, quia eſt ad vnam determinatam partem, nempe ad bonum, dici à Ruardo vtcunque potuit, *determinatio.* Alioqui hoc ipſum nomen interdum negat, quia negat proprium nominis ſignificatum, vt ſuprà n. 298. circa finem. Vnde poſtea verbis Auguſtini docet, *Operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit.* Inclinare, ſuadere, diſſuadere, & ſimilia, quibus fere ſemper vtitur Ruardus, profectò non important, prædeterminare infallibiliter, quod aduerſarij ſemper addendum eſſe contendunt. Et deinde pag. 221. poſt medium, ſuauem inclinationem, & determinationem ſimul ponit, vt ſcilicet hanc per illam explicet. *Ita, inquit, ſuauiter inclinat, & determinat voluntatem Deus, vt, &c.* Etenim antea cum Auguſtino, & Bonauentura docuerat, *Initium ſalutis noſtræ, Deo miſerante, habemus: vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt. Et, miſericordia præuenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Quæ clariſſimè ſignificant, hominem ſe determinare ad liberè conſentiendum Deo, & non prædeterminari à Deo. Vnde cùm dixiſſet, voluntatem determinari à Deo, ſtatim ita explicat, *Spiritus Chriſti ſuadendo vt ſequamur, ſimul voluntatem afficit placentia quadam rei ſuaſæ, quæ eſt voluntati ratio ſe determinandi.* Suaſio dicitur determinare, non quòd ipſa ex ſe determinet, ſed quia eſt ratio vt voluntas ipſa ex ſe liberè ſe determinet. Et infra pag. 223. propoſitione 7. ait, *Regulariter Deus non flectit voluntatem ad alteram contradictionis partem determinando, niſi ſuaſione, & inſpiratione.*

*Apud Ruardũ determinatio ſumitur pro ſucceſſione, & inclinatione.*

*Ex Auguſtino, & Ruardo colligitur ſcientia conditionata ante decretum.*

*Ruardus cũ Auguſtino, & Bonauentura determinationem tribuit ſoli libero arbitrio.*

300. *Probat tertiò.*

Affert tertiò alia verba, paulò poſt ſequentia. *Suaſio enim ſola, ſiue à Deo fiat, ſiue ab homine, non mouet voluntatem efficaciter, quia ſolùm in genere cauſæ finalis, & obiectiuè; & ſi actiuè, non ſufficienter.* Verùm ex antecedentibus, & conſequentibus, ſatis conſtat, dici à Ruardo, ſuaſionem ſolam non ſufficere ad voluntatem efficaciter, & infallibiliter mouendam, non quòd deſideretur præterea aliquod decretum, aut qualitas aliqua prædeterminans, cuius nullum prorſus extat in Ruardo veſtigium; ſed quia ſuaſio facta eſſe debet eo modo, loco, tempore, affectu, & cæteris, quibus Deus ſcientia ſua conditionata infallibiliter nouit, hominem, ſi taliter ſuaderetur, conſenſurum. Hinc enim ſolùm habet ſuaſio, vt, cùm ex ſe ipſa fallibilis ſit, tamen vt ſubſtat prædictæ ſcientiæ, efficaciter, & infallibiliter habitura ſit effectum. Quæ Auguſtini, & Ruardi, & noſtrorum Theologorum ſententia, veriſſima eſt, ſed hoc loco ſupponenda ex diſputatione de efficacia diuinæ gratiæ: de qua ſuo loco dicemus, cùm per ſanctam Sedem poteſtas facta fuerit. Interim, quantũ attinet ad Ruardum, pro noſtra ſententia bene referri à Suarez, contra Aluarez euidenter oſtendo, primò ex verbis paginæ 223. in 7. propoſitione. *In eo, qui ſequitur vocationem, & in alio, qui negligit, poſſunt eſſe eædem illuminationes, inſpirationes, & ſuaſiones; adeo vt ex ſola eorum libertate vnus negligat, & alter credat. In eo enim qui vult ambulare, Deus cooperatur; & ſi non vult, Deus ei non cooperatur. Nec tamen aliquid poſitiuum abſolutum eſt ante actionem in vno, quod non in alio.* Si hæc differentia eſt *ex ſola libertate,* ergo non ex diuino decreto, prædeterminante vnum, & non alium ad credendum. Si nihil ponitur in vno quod non in alio, ergo qualitas phyſicè prædeterminans, quæ non eſt in eo, qui non credit, nec erit in eo, qui credit: ergo nec etiam decretum prædeterminans, quia ex hoc putant conſequenter aduerſarij oriri, vt voluntas intrinſecè prædeterminetur iuxta extrinſecam decreti prædeterminationem. Secundò idem vberius explicat in decima propoſitione. *Quòd ex ſimiliter tractis, & interius in corde vocatis, vnus credit, & conuertitur; & alius manet incredulus, nec conuertitur, contingere poteſt ex ſola arbitrij diuinitus præparati libertate. Omnibus námque poſitis, quæ præcedunt, & requiruntur ad fidem, & conuerſionem, libera manet voluntas, nulláque inducitur neceſſitas ſe determinandi ad credendum, vel ſequendum vocationem, nec ad oppoſitum.* Poſitis omnibus præmouentibus ad credendum, ideo voluntas credit liberè per Ruardum, quia inter præmouentia nihil eſt quod naturaliter ſeu phyſicè, & conſequenter, neceſſariò prædeterminet ad credendum, ſed volũtas ipſa ſe determinat. Atque eundem caſum de duobus æqualiter tractis, & inæqualiter operantibus, nullam aliam ob cauſam niſi libertatis, ſtatim tribuit Auguſtino l. 12. de ciuitate, c. 6. cuius verba refert, & poſtea rectè addit, *Vbi certum eſt, ad voluntatis libertatem, hanc cauſam Auguſtinum retuliſſe.* Tribuit enim Ioanni Driedoni Magiſtro ſuo, cuius verba habentur ſupra num. 297. & ipſemet Ruardus affert, additque clariſſimè, ac ſapientiſſimè pro defenſione humanæ libertatis contra prædeterminantes, *In opere bono, quamuis ipſum totum ſit à gratia, & libero arbitrio, quòd tamen opus pietatis eſt, à ſola habet gratia: quòd autem opus ſit, & eius fiat determinatio, à ſolo eſt libero arbitrio.* Vbi igitur ſunt in

*Reſpondetur.*

*Ruardũ bene referri à Suarez cõtra Aluarez,*

*Probat primò.*

*Quid dicat Ruardus de duobus æquè vocatis.*

*Probatur ſecundò ex eodem caſu de duobus æquè vocatis.*

*Prædictus caſus tribuitur Auguſtino, ac Driedoni.*

*Clariſſimum Ruardi dictũ cõtra prædeterminationem.*

in doctiſſimis iſtis, gratiæ, ac libertatis defenſoribus, Driedone, & Ruardo decreta Dei de prędeterminando? Vbi prædeterminantes qualitates? Itaque non debuit Aluarez opinionis noſtræ patrocinium illis denegare, ſed potius ſequi iudicium magiſtri Dominici Bagnes, qui opinionibus ſuis aduerſari ſincerè fatetur Ruardum Taper, eúmque pro nobis refert prima parte, q. 23. art. 3. dub. 2. §. *Secùndus ſenſus.* & dubio 3. concluſione vltima §. *Sed circa.* fine. & 2. 2. q. 10. art. 1. documento 3.

*Ruardũ contra ſe eſſe fatetur Bagnes.*

## *Quid ſentiat Thomas Vualdenſis.*

301. Sextò refert pro ſe Suarez Thomam Vualdenſem l. 1. Doctrinalis Fidei c. 24. 25. & affert verba, quæ habentur circa finem cap. 25. vbi cùm duplicem neceſſitatem diſtinxiſſet, alteram libertati contrariam, quæ ab Auguſtino dicitur, *Neceſſitas ab extrinſeco, & non eſſe in poteſtate noſtra*; & ab Anſelmo, *Neceſſitas præcedens, & efficiens, quæ cauſa eſt vt ſit res, vt cùm dicitur, cœlum volui:* alteram libertati cohærentem, quæ ab Auguſtino dicitur, *Intra poteſtatem noſtram*; & ab Anſelmo, *Neceſſitas ſequens, quam res facit, & quæ nihil efficit, ſed fit; vt cùm dico, te ex neceſſitate loqui, quia loqueris: & neceſſitas, quæ ſequitur rei poſitionem, non præcedit.* & poſtea ita ſubiungit Vualdenſis. *Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni viri neceſſitatem iſtam præcedentem ponunt in humanis operibus, etiam eo quòd fluat ex voluntate Dei; maximè cum antiquis Eccleſiæ Patribus nihil conſonans reperire poſſunt, cùm conantur. Et illud, quod adducunt, cor regis in manu Domini; & quocumque voluerit, inclinat illud: ipſe textus exponit ſe, intelligi de neceſſitate tractionis, vel inclinationis; non autem de neceſſitate illa, quæ præcedit ſecundùm Anſelmum, & ſecundùm quam voluntas neceſſariò agit: nec poteſt aliter agere, etiam ſi vellet, ſecundùm Auguſtinum.* Ait igitur Vualdenſis, neceſſitatem antecedentem, deſtructiuam libertatis prouenire, ac fluere, etiam ex diuina voluntate; quæ ſcilicet operis cauſa eſt omninò prædeterminans; cuiuſmodi volunt aduerſarij eſſe decretum conditionatum neceſſariò prærequiſitum ante veritatem, & ſcientiam effectus liberi conditionaliter futuri. Solùm cum libertate admittit antecedentem inclinationem, qua moraliter, & fallibiliter impellimur ad opus; non autem prædeterminationem, qua phyſicè, & ineuitabiliter ad vnum coarctamur. Tandem Vualdenſis habet verba, quæ refert Suarez, quibus docet, fieri non poſſe *concordiam inter neceſſitatem, quam Auguſtinus appellat extrinſecam, & Anſelmus præcedentem, & liberum arbitrium.*

*Suarez pro ſe bene referre Vualdenſem.*

*Prou. 21.*

302. Contradicit Aluarez l. 1. Reſponſionum cap. 1. n. 32. Et dicit primò, Vualdenſem docere, *Quòd efficax Dei decretum non tollit liberũ arbitrium.* Quod falſum eſt de decreto omninò antecedente, & prædeterminante, vt modò oſtendi. Et vlterius confirmo ex eo quod docet cap. 23. ante medium, Deum actuum liberorũ eſſe *cauſam determinatam, ſed non immediatam: liberum verò arbitrium eſſe cauſam immediatam, ita vt vertibilitati electionis ſuæ firmum Dei decretum derogare non poſſit.* Si diuina voluntas eſſet cauſa ante omnia prædeterminans vt hoc ſit futurum, eſſet verè, ac propriè immediata cauſa huius. Ergo cùm docet Vualdenſis, voluntatem non diuinam, ſed humanam, eſſe cauſam immediatam effectuum liberorum, ſatis clarè ſignificat, primam electionis determinationem non eſſe immediatè à diuina voluntate, ſed ſolùm ab humana; quia diuina voluntas ſequitur determinationem voluntatis humanæ; non autem voluntas humana ſequitur determinationem antecedenter factam à diuina voluntate.

*Aluarez obijcit primò. Reſpondetur.*

Dicit ſecundò, quòd Vualdenſis aſſerit, *opera noſtra prouenire neceſſitate conſequentiæ, non antecedentis.* Sed Vualdenſis aliis terminis vtitur, vt ſupra n. 301. & poſito decreto prædeterminante docet oppoſitum, vt iam probaui.

*Obijcit ſecundò. Reſpondetur.*

Dicit tertiò, noſtram ſententiam non cohærere verbis illis, quæ Vualdenſis, tomo 3. lib. de Sacramentalibus, c. 9. fin. refert ex Auguſtino, libro de correptione, & gratia, in principio, *Non ſe itaque fallant qui dicunt, Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc non agimus, ſed id velle, & operari, Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, ſi filij ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt, agant; & cùm egerint, illi, quo aguntur, gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt nihil agant.* Hinc Vualdenſis infert, inquit Aluarez, *Quòd nullus homo debet in ſeipſo, vel in factis proprijs, vel ex parte, vel omninò confidere, aut gloriari; & aſſignat rationem, nam quicquid homo habet, accepit à Deo. At iuxta ſcientiam mediam, aliquid retribuerit ſibi homo, quod non acceperit à Deo, vt à cauſa efficiente, videlicet determinationem, & actualem cooperationem liberi arbitrij, vt ab ipſo emanat, quæ ſolùm præcognita dicuntur à Deo, non autem prævolita abſoluto decreto, & cauſata verè efficienter per auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo efficit vt voluntas ſe determinet.*

*Obijcit tertiò.*

*Auguſtin.*

303. Reſpondeo, in verbis Auguſtini nihil video contra nos, ſed multum video contra prædeterminatores liberi arbitrij. Enimuerò ſi tam ad bonas, quàm ad malas actiones, omninò antecedenter, & efficaciſſimè prædeterminamur à Deo, ex nulla prorſus noſtra libertate, ſed ad libitum ſolius Dei, cui reſiſtere implicat contradictionem, quis quæſo rationabiliter, nobis potius, quàm pecoribus campi prædicauerit, aut præceperit, vt declinemus à malo, & faciamus bonum? Quis vnquam ſufficienter conuincere poterit hæreticos, qui prędeterminatione etiam ſeruitutem arbitrij euidenter demonſtrari contendunt? Quapropter hoc inconueniens, ſalua gratiæ neceſſitate, ſapientiſſimè remouet Auguſtinus dicens, *Nos ſpiritu Dei agi, vt agamus.* hoc eſt, vi gratię præuenientis, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, nos ita agi, vt non prædeterminemur ad vnum, veluti bruta, quæ propterea nunquam propriè, ac ſimpliciter dici poſſunt agere, ſed potius ſemper aguntur; ſed duntaxat præmoueamur illuminationibus intellectus, & inclinationibus voluntatis, vt liberè determinemur ad agendum bonum, quod abſque gratia agere non valemus. Et eſt idem cum eo, quod ex Auguſtino attuli, & expendi ſupra n. 156. *In omnibus miſericordia Dei præuenit nos*; & hoc eſt agi ſpiritu Dei; *conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt:* & hoc eſt agere, propter quod à Deo agimur; & eſt proculdubio, ſeſe ad liberè operandum determinare, vt ibi oſtendi.

*Reſpondetur, Auguſtinum eſſe contra prædeterminationem.*

304. Ad id verò quod infert Aluarez, dico primò, ea verba non haberi in Vualdenſi in fine capitis noni, vt ipſe citat; præſertim illud, *vel ex parte, vel omninò*, quæ exaggeratio eſt propria eorum, qui nobis negant etiam determinationem in operibus liberis, volúntque eam eſſe à Deo prædeterminante, non à libero arbitrio ſe determinante ad vtrumlibet. Dico ſecundò, non erat cur ea doctrina âfferretur ex Vualdenſi: afferri poterat ex Paulo 1. ad Cor. 4. *Quis te diſcernit? Quid habes quod nõ accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* & 2. ad Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quibus

*Vualdenſem non bene referri ab Aluarez.*

*1. ad Cor. 4.*

*2. ad Cor. 10.*



Quibus verbis pleniſſimi ſunt Auguſtini libri, quos ſcripſit de diuina gratia. Dico tertiò ex Auguſtino ſupra num. 156. exponente hæc Pauli verba, clariſſimè habemus, liberam determinationem ad conſentiendum gratiæ, eſſe à libero arbitrio, præueniente gratia excitato; non autem à Deo, nimirum prædeterminante; alioquin certum eſt, hanc etiã determinationem eſſe à Deo prę̨mouente ad illam, & illam perſuadente. Vbi nulla alia poteſt eſſe difficultas, & controuerſia, niſi vt explicetur, & intelligatur quid ſit huiuſmodi determinatio? Et ideo ſupra à num. 159. ad 169. eam diligenter explanandam eſſe cenſui. Quam verbis citatis videtur Aluarez malam in partem accepiſſe, non iuxta ſententiam noſtram. Dico igitur quartò, non ſequi ex ſcientia media, *Poſſe hominem ſibi aliquid retribuere quod non acceperit à Deo, vt à cauſa efficiente*; vt nobis imponit Aluarez: nam ipſamet determinatio, etiam in vero ſenſu accepta, vt ſupra, quamuis ſit à libero arbitrio ſe determinante, & non à Deo vt determinante liberum arbitrium, vt ibi latè declaraui, ac probaui; tamen eſt etiam à Deo, vt ab æterno prædefiniente illam abſolutè futuram; & vt dante in tempore talia gratiæ auxilia, ſub quibus ante omnem ſuam voluntatem prædeterminantem, præuidit infallibiliter per ſcientiam conditionatam, ſeu mediam, liberum arbitrium ſe determinaturum. Dico quintò, liberi arbitrij determinationem, quam nos negamus Deo vt efficienti per prædeterminationem, ſed tribuimus Deo vt efficienti per prædefinitionem, & præmotionem, & concurſum generalem concomitantem, inſufficienter explicari, *Per actualem cooperationem liberi arbitrij vt ab ipſo emanat:* quia totum hoc competit operationi neceſſariæ, v. g. calefactioni, quæ emanat etiam ab igne cooperante ſimul cum Deo. Addendum igitur erat, determinationem, qua liberum arbitrium ſe liberè determinat ad conſentiendum Deo, & gratiæ eius, eſſe actualem cooperationem potentiæ completæ, & indeterminatæ ad vtrumlibet: hinc enim naſcitur, vt ipſa ſit ratio, cur Deus concurrat ad hoc, & non ad oppoſitum, ad quod etiam in actu primo paratus erat concurrere, quia ſcilicet illa potentia pro innata ſua libertate eligit facere hoc, non aliud oppoſitum, quod etiam potuiſſet completè facere, ſi libuiſſet. Atque hoc eſt ſe determinare.

*Qua ratione determinatio ſit, & non ſit à Deo.*

*Determinationẽ inſufficienter explicari ab aduerſarijs.*

*Quid ſit ſe determinare.*

305. Dico ſextò Authoribus ſcientiæ mediæ falsò tribui, *determinationem, & actualem cooperationem liberi arbitrij, eſſe ſolùm præcognita à Deo, non prævolita abſoluto decreto, & non cauſata verè efficienter per auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo efficit vt voluntas ſe determinet.* In nullo quidem Societatis Ieſu Theologo huiuſmodi commenta leguntur. Proinde vel hinc maximè diſcat pius, ac prudens Lector, in hac cauſa, vbi intellectuum diſſenſio, videtur pro humanæ conditionis fragilitate, in voluntatum quoque diſſidia penetraſſe, nemini fidere, niſi ipſorum Authorum locos, & verba in medium proferat. Igitur ſi loquamur de abſolutè futuris, de quibus loqui videtur Aluarez, vt patet ex verbis ipſius, & loquuntur Auguſtinus, & Vualdenſis, quos ipſe citat, & quorum occaſione fecit contra nos prædictum corollarium, multa in prædictis verbis falsò nobis tribuuntur: quia ſecundùm omnes noſtros Theologos, determinatio, & cooperatio abſolutè futura ex gratia, eſt à Deo efficaciter præuolita, eſt præcognita; eſt cauſa verè efficienter per gratiam efficacem; quæ etiam efficit vt voluntas ſe determinet. Solùm diſcrepamus, quia contendimus, non poſſe cum aduerſariis, ſalua libertate dici, ipſammet gratiam efficacem eſſe formalem prædeterminationem phyſicam liberi arbitrij, ſed ſolùm eſſe cauſam efficientem moralem, qua per actus ſupernaturales intellectus, & voluntatis, quos Deus operatur in nobis, ſine nobis, allicitur liberum arbitrium vt ſe determinet ad liberè conſentiendum bono. Si verò loquamur de conditionatè futuris; vltrò fatemur id pro quo in hac quæſtione laboramus, nempe, actus liberos, etiam ſupernaturales, eſſe conditionaliter futuros, dependenter quidem à diuina gratia conditionata, & à diuino decreto conditionato dandi gratiam; tamen independenter omnino à quocumque diuino decreto prædeterminante effectum conditionatè futurum. Quamobrem in hoc etiam ſtatu conditionato, falſiſſimum eſt, quòd Authores ſcientiæ mediæ negent, conſenſum ſupernaturalẽ liberum, *Cauſari verò efficienter per auxilium efficax præuenientis gratiæ, quo Deus efficit vt voluntas ſe determinet.*

*Quãdã falſa tribui Authoribus ſciẽtiæ mediæ.*

## *Quid ſentiat Marſilius.*

306. Præter citatos, qui magis explicitè, & copiosè tractarunt de futuris contingentibus conditionatis, ad noſtram ſententiam reuocari poſſunt primò qui de futuris contingentibus abſolutis tenent non cognoſci à Deo in ſuo decreto, vt Aureolus, Ocham, Ariminenſis, Gabriel, & Gerardus citati ſupra num. 129. & 138.

*Scientia conditionata ante decretum, colligitur ex ijs, qui negãt, futura cognoſci in decreto.*

Inſtat Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 1. n. 33. dicens, nos nõ rectè ita colligere, Authores antiqui negant, futura abſoluta cognoſci certò à Deo in efficaci propoſito ſuæ voluntatis; ergo tenent ſcientiam mediam. Primò, quia *in eorum ſententia abſque ſcientia media poterat Deus ea certò cognoſcere.* Secundò, quia *non agunt de ſcientia futurorum contingentium conditionatorum, ſed futurorum abſolutè: vnde ex eorum dictis non poteſt pro ſcientia media deſumi aliquod argumentum, niſi ab authoritate negatiua; quod eſt inualidum.*

*Aluarez inſtat primò.*

*Inſtat ſecũdò.*

Reſpondeo, collectionem illam eſſe optimam, & fieri à Suarez tomo 1. de Gratia, Prolegomeno 2. cap. 1. num. 11. modò per ſcientiam mediam nihil aliud pro nunc intelligamus, niſi ſcientiam futurorum conditionalium ante quodlibet Dei decretum. Eſt enim euidens, quòd qui negat decretum abſolutum prædeterminans reſpectu actuum abſolutè futurorum, non poteſt cõſequenter concedere decretum conditionale prædeterminans reſpectu eorundem actuum, conditionatè futurorum; quia idem omnino decretum, quod, dum non intelligitur purificari conditio, dicitur conditionatum, purificata conditione tranſit in abſolutum. Ergo eſt impoſſibile, negare decretum abſolutum poſt purificatam conditionem, & non negare decretum conditionatum ante conditionem purificatam. Quare ad primum nego, in ſententia illorum Doctorum, futura contingentia conditionata poſſe certò cognoſci, *abſque ſcientia media*, hoc eſt, abſque ſcientia conditionata ante decretum. Ad ſecundum. Si Doctores illi agerent de ſcientia futurorum contingentium conditionatorum, non opus eſſet collectione. Itaque non argumentamur ab authoritate negatiua, ſed poſitiuè ex vno dicto ad aliud dictum, quod cum illo neceſſariam habet connexionem.

*Probatur prædicta collectio cũ Suarez.*

*Idem eſſe decretum conditionatũ, & abſolutum.*

*Ad primum.*

*Ad ſecundũ.*

307. Præterea Aluarez ibidem pro ſe citat primò Marſilium 1. ſentent. *in diſtinct. 40. in 1. quæſito.* Sed citare voluit quæſt. 40. quam Marſilius mouet circa diſtinct. 38. & 39. in §. *Sed pro quæſito.* vt habetur

*Marſilij ſententia.*

betur immediatè ante primum articulum, vbi docet Marſilius, quòd Deus, *eſt cauſa contingentia futuræ, radicalis, & originalis eo quòd ex largitate ſua dedit arbitrij libertatem: quin imo in omnibus, quæ producuntur liberè, & ad vtrumlibet, concurrit.* Hæc Marſilius. *Per quæ verba,* inquit Aluarez, *ſatis inſinuat, futura contingentia cognoſci infallibiliter in diuina cauſalitate, tam radicaliter, quàm formaliter.*

*Deductio Aluar. ex Marſilio.*

*Prædictã deductionẽ non eſſe efficacem.*

Hæc gloſſa non eſt ad mentem Authoris, quia Marſilius ibi non vult tradere mediũ, in quo Deus ſciat futura contingentia, ſeu modum, quo illa à Deo ſciantur; imo expreſsè, ac modeſtè contendit, hunc modum eſſe difficillimum, & ferè incomprehenſibilem, ideóque fide potius credendum, quàm naturali lumine inueſtigandum. Vnde de hoc modo diſſerit multò poſt in artic. 2. in 3. part. *Sed prius*, inquit, *proteſtor, quòd eſt mihi incomprehenſibile, & penitus inexplicabile: dicam tamen balbutiendo.* Neque dicit, aut dicere rectè poteſt, Deum hæc futura ſcire *in ſua cauſalitate:* quia hæc eſt in tempore; ratio autem in qua Deus ab æterno ſcit, debet eſſe pariter æterna: ſaltem cauſalitas Dei eſt effectus decreti Dei: ergo qui contendunt, Deum ſcire omnia in ſuo decreto, non poſſunt conſequenter pro ipſis dictum accipere, quòd Deus ſciat omnia in ſua cauſalitate. Itaque non docet Marſilius, Deum ſcire in cauſalitate; ſed ſolùm, ſcire ſimpliciter, ídque bene probat à poſteriori ex diuina cauſalitate, vt nos quoque fecimus ſupra n. 4. ratione 4. quia ſcilicet Deus cauſat & libertatem, quæ eſt radix omnium effectuum liberorum, & ipſos etiam omnes liberos effectus, tamquam immediata eorum origo. Vbi nihil pro aduerſariis, ſed potius pro nobis; in quantum voluntas liberè producens, dicitur producere *ad vtrumlibet*; quod putamus apertè contradicere, cùm producere cum prædeterminatione ad vnam tantùm partem, independente à libera voluntate, quæ producit.

*Marſiliũ eſſe cõtra Aluar.*

Sunt præterea in eadem quæſtione quædam alia, in quibus Aluarez ſentire poterat Marſilium ſibi contrarium. Primò in artic. 2. part. 2. concluſione 3. probatione 3. *Dei,* inquit, *voluntas de multis, quorum eſt præſcientia, nullatenus accedit.* Præſcientia, vt ſæpe Marſilius ibi docet, eſt futurorum, ſed per ipſum, multa ſunt contingenter futura, quæ Deus præſcit, & nullatenus vult. Ergo non omnia futura contingentia præſcire poteſt Deus in decreto voluntatis ſuæ. Secundò poſt concluſionem ſeptimam ad 3. bis cõcedit, quòd ad ipſum actum liberum, quem voluntas liberè poteſt facere futurum, & non facere futurum, *ſequitur, Deum præuidiſſe, & non præuidiſſe.* Et tamen aduerſarij volunt, Præſcientiam, ſeu ſcientiam viſionis futurorum, eſſe cauſam futurorum: & futura, non ideo præſciri à Deo, quia ſunt futura; ſed ideo eſſe futura, quia præſciuntur. Tertiò ad 4. *Malè ſonaret dicere, Deum eſſe cauſam occaſionalem peccati.* Et tamen multò plus ſine dubio eſt dicere, Deum eſſe cauſam prædeterminatiuã peccati, quod admittunt Aluarez, alíique noui Thomiſtæ citati ſupra num. 111. Quartò, in parte tertia eiuſdem art. 2. ſuppoſit. 5. *Deus æternaliter præſcit, quid, qualiter, quomodo, & quando cuiuſlibet creata voluntas ſe debeat bene vel malè determinare.* liberam voluntatis determinationem tribuit voluntati ſe determinanti; non autem Deo illam prædeterminanti, ſed tantùm præſcienti. Vlterius quintò in 2. ſent. q. 16. art. 4. concluſ. 2. probatione 3. ait, *Hoc eſt de natura agentis liberi, quòd ſe poſſit determinare: nam ſi ab alio determinaretur, ab alio neceſſitaretur*; ergo apud Marſilium decreta prædeterminantia, & qualitates prædeterminantes, ſunt res neceſſitantes; & deſtruentes libertatem. Et infra ad 3. *Cauſa determinans ad hanc volitionem, eſt ſola voluntas, ſua libertate nunc acceptans quod ante non voluit acceptare, eiſdem exiſtentibus impellentibus.* Nihil clarius contra prædeterminationes tam extrinſecas, quàm intrinſecas. *Si ſola voluntas,* ergo non Deus decretis, ac motionibus ſuis prædeterminantibus. *Si ſua libertate*, ergo prædeterminari ab alio pugnat cum propria libertate. *Si eiſdem exiſtentibus impellentibus,* ergo quando non acceptauit, nullum inter impellentia fuit decretum, aut motio prædeterminans ad acceptandum, alioquin tunc infallibiliter acceptaſſet. Ergo neque quando acceptat. Et ad 7. ait, quòd propoſitis voluntati duobus bonis æqualibus incompoſſibilibus, æqualiter eam inclinantibus, poteſt voluntas ſe determinare ad vtrumlibet. Et addit magis ad noſtrum propoſitum, *Concedo tamen, quod non ſit potior ratio de hoc, quàm de illo, niſi ſola libertas voluntatis.* Quando igitur Suarez ſupra pro ſe refert Marſilium *in 1. quæſt.* 4. credendum eſt, errorem in loco citato contigiſſe culpa eorum, qui librum illum deſcripſerunt, aut typis mandarunt; non autem fuiſſe Authorem illum *malè allegatum*, vt illi obiicit Aluarez; quia ne ipſe quidem poſt hanc obiectionem, & reflexionem bene allegandi, obtinere potuit vt in eius libro locus Marſilij rectè imprimeretur; vt notaui initio huius num. 307.

*Defenditur Suarez ab Aluarez in allegatione Marſilij.*

## *Quid ſentiant Ochamus, & Gabriel.*

Citat ſecundò Ochamum 1. d. 38. quæſt. vnica, & ad longum deſcribit omnia verba, quæ habentur littera M. N. O. ex quibus pro ſe arguit primò, quia Ochamus, *humiliter fatetur, ſe neſcire modum, quo futura Deus cognoſcat.* Secundò, quia deinde, *conſcientia correptus dicit, Fortè hæc cognoſcit in diuinis decretis. Tertiò non recurrit ad ſcientiam mediam, ſed ad naturam contradictoriarum propoſitionum, quarum vna eſt vera, & altera falſa. Quartò venit ad diſtinctionem de ſenſu compoſito, & diuiſo, & eam explicat ſicut à S. Thoma, & eius diſcipulis traditur. Quintò dicit, quòd ſuppoſito quòd ſcientia Dei non eſſet cauſa rerum, adhuc in Deo eſſet cognitio intuitiua talium futurorum. Per quæ verba confitetur, ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum; ac per conſequens, non propterea Deum ſcire aliquid futurum eſſe, quia futurum eſt; ſed è conuerſo: ideo futurum eſſe, quia Deus præſciuit id futurum eſſe. Quæ omnia ſtare non poſſunt cum ſcientia media.* 308.

*Aluarez pro ſe ex Ochamo arguit primò.*

*Arguit 2.*

*Arguit 3.*

*Arguit 4.*

*Arguit 5.*

Reſpondeo ad primum, humilitatem illam non eſſe contra nos potius, quàm contra aduerſarios; quia omnes euidenter putamus tradere modum illum ſciendi; illi in diuinis decretis, vt ſecundùm ipſos tenent Scotus, & Scotiſtæ; nos in ipſiſmet futuris, *Prout vnumquodque eorum eſt in actu in ſeipſo præſens, & determinatum ad vnum, & non in ſua cauſa,* vt expreſsè docet S. Thomas in hoc articulo, & ſequuntur antiqui Thomiſtæ, Heruæus, Capreolus, Ferrarienſis, citati ſupra num. 185.

*Ad primum.*

Ad ſecundum, neque illa verba, neque ſenſum illorum verborum haberi in Ochamo. Etenim antea probauerat contra Scotum, futura non ſciri à Deo in determinatione ſuæ voluntatis. Poſtea, vt indicaret huiuſmodi probationem adhuc non eſſe omnino certam, quia iam non ſemel dixerat, ſe hac in re nihil certi poſſe aſſerere; ita addit, *Scitur à Deo, quæ pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa: & hoc fortè non eſt propter determinationem ſuæ voluntatis.* Non ſunt idem, dicere, Deus ſcit futura, *fortè non in ſuo decreto*; vt loquitur Ochamus; & dicere, Deus ſcit futura, *fortè in ſuo decreto*, vt refert Aluarez; quia Ochamus potuit habere aliquod dubium

*Ad ſecundũ.*



dubium de veritate illius negatiui, non propter veritatem huius affirmatiui, ſed propter veritatem alterius affirmatiui; quod ipſemet ſtatim affert, dicens, *ſciretur à Deo, quæ pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa: & hoc non eſſet, quia futura contingentia eſſent ſibi præſentia; nec per ideas, tamquam per rationes cognoſcendi: ſed per ipſammet diuinam eſſentiam, quæ eſt notitia, qua ſcitur, quod erit falſum, & quod erit verum.* Quo ſignificare videtur noſtrum modum ſciendi in ipſiſmet futuris, prout actu ſunt extra ſuas cauſas.

*Ad tertium.*

Ad tertium, non erat, cur Ochamus recurreret ad ſcientiam mediam; tum quia, non agebat de futuris conditionatè, ſed abſolutè, vt ipſemet Aluarez fatetur in ſuo primo argumento. Tum quia ibi non laborat Ochamus, qua ſcientia Deus ſciat futura, an viſionis, an intelligentiæ, an alia media? Sed ſolùm, quo modo ſciat, an in decreto prædeterminante, quod negat, an alia quapiam ratione? Quòd verò recurrat ad naturam contradictoriarum, ad quæ etiam nos recurrimus ſupra n. 237. fauet potius, vt dixi, opinioni noſtræ, de videre in ipſa veritate obiectiua rei futuræ.

*Ad quartum.*

*Senſum compoſitũ, & diuiſum ab antiquis Theologis, & modernis Thomiſtis diuerſo modo ſumi.*

Ad quartum, diſtinctionem illam de ſenſu compoſito, & diuiſo haberi apud omnes Theologos. Et ab Ochamo explicari ſicut traditur à S. Thoma, & eius antiquis diſcipulis, non autem modernis: quia illi docent, voluntatem liberè operantem, non poſſe non operari in ſenſu compoſito cum aliquo ſupponente, ſeu conſequente vſum libertatis, & in ſenſu diuiſo ab eodem poſſe non operari; quod libertatem bene ſaluat: hi verò aſſerunt, voluntatem in ſenſu compoſito cum aliquo antecedente vſum libertatis, & omnino infallibiliter ad vnum prędeterminante, adhuc liberè operari illud vnum, quia ſi diuideretur ab illo prædeterminante, poſſet non operari illud vnum; quod apud nullum alium Theologum reperitur, quia nimirum libertati contradicit.

*Ad quintum.*

Ad quintum, illam hypotheſim impoſſibilem non poni ab Ochamo de ſcientia viſionis, ſicut accipit Aluarez in ſuâ deductione, ſed de ſcientia Dei ſimpliciter; quod ſolùm faciebat ad intentum Ochami in illo loco, vbi volens probare, ſciri à Deo futura aliunde quàm ex futurorum cauſalitáte per voluntatem, & intellectum, ait, quòd retenta præcisè perfectione repræſentandi, quam habet ſcientia Dei, etiamſi per impoſſibile non haberet aliam perfectionem cauſandi, adhuc repræſentaret omnia futura. Quapropter Aluarez illas cauſales ex citatis Ochami verbis non neceſſariò colligit.

309. Deniq; ſi vult Aluarez cognoſcere, quam apertè contra ipſum ſentiat Ochamus, legat in 4. ſent. quæſt. vlt. 14. ad 2. tertij dubij, littera S. vbi inter alia, ſententiam noſtram clariſſimè expreſſit his verbis, *Poſito omni ſufficienti, & neceſſario requiſito ad actum voluntatis, ſi obiectum cognoſcatur, & Deus velit concurrere cum voluntate ad cauſandum quando placet voluntati, poteſt voluntas ex ſua libertate, ſine omni alia determinatione actuali vel habituali, actum illum, & eius obiectum elicere, vel non elicere. Et ideo reſpectu illius actus non oportet, in aliquo quod determinetur voluntas, niſi à ſe ipſa.* Quid clarius contra quamlibet prædeterminationem dici poſſit, ego non video.

*Expreſſum Ochami dictum contra Aluarez.*

*Aluarez pro ſe arguit ex Gabriele.*

Citat tertiò Gabrielem 1. d. 38. quæſt. vnica; & præter ea, quæ communia habet cum Ochamo, quibus reſponſum eſt, vim facit in concluſione 5. *Deus habet ſcientiam determinatam de futuris contingentibus. Patet, quia determinatè ſcit, quæ pars contradictionis erit vera, & quæ erit falſa.* Ex his ita arguit Aluarez, *certum eſt quòd hoc apud ipſos non eſt propter ſcientiam mediam, nam ad ipſam recurſum habuiſſent; ſed ſuſpicionem habent, ſi alius modus cognoſcendi ſit in archiuio ſapientiæ diuinæ: quem modum dicunt ſe ignorare. Si autem talis modus cognoſcendi eſſet per ſcientiam mediam, talis modus ab ipſis eſſet aſſignatus.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, cùm ipſemet Aluarez fateatur, Ochamum, & Gabrielem non loqui niſi de futuris abſolutè, neſcio qua ratione poſſit nobis obiicere, quòd illi non recurrant ad ſcientiam mediam, quæ non eſt de futuris abſolutè, ſed tantùm conditionatè. Aſſignet quæſo Aluarez, ad quam ſcientiam non recurrant. Nullam ſanè inueniet: quia illi locis citatis non inquirunt, An Deus futura contingentia ſciat per hanc vel illam ſcientiam? Sed ſolùm, An ſciat ſimpliciter? Quod indubitanter affirmant. Et quo modo ſciant? Quem ignorare fatentur. Præterea, ſcire per ſcientiam mediam, non rectè dicitur pertinere ad modum ſciendi. Ipſa ſcientia, & hæc, vel illa ſcientia, ſiue media, ſiue extrema, quæcumque illa ſit, non eſt modus ſciendi; ſed illi conuenit modus ſciendi, vel in decretis, vel in ideis, vel in cauſis, vel in effectibus, vel in præſentia æternitatis. Non igitur efficax eſt argumentum illud, *Si talis modus cognoſcendi eſſet per ſcientiam mediam, ab ipſis eſſet aſſignatus.* tum quia arguam pariter contra Aluarez, & contra omnes, ſi talis ſciendi modus eſſet per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis, ab ipſis eſſet aſſignatus. Ergo Ochamus, & Gabriel certò tenent, futura ſciri à Deo, & tamen per nullam ſcientiam. Tum quia, nec ſcientia media ſpectat ad modum ſciendi, nec ipſi aſſignare intendunt aliquem ſciendi modum; ſed probare potius, non poſſe aſſignari; & impugnare modos ab aliis aſſignatos, præſertim modum videndi in determinatione diuinę voluntatis traditum ab aduerſariis. Quamuis in ipſa probatione ſcientiæ ſimpliciter, nonnihil ſignificent modum ſciendi, à nobis traditum, in actuali ac determinata exiſtentia obiecti. Certè poſtea Gabriel 2. d. 25. quæſt. vnic. art. 3. dub. 3. propoſitione 1. ſequens Ochamum quodlib. 1. quæſt. 16. contra Thomiſtas ita habet, *Stantibus omnibus ad volitionem requiſitis, adhuc poteſt voluntas non velle obiectum; & poteſt poſtea, nulla variatione facta, velle ex ſua libertate.* Ex quo argui poteſt vt ex ſimili dicto Marſilij ſupra num. 307. circa fin.

*Gabriel expreſsè contra Aluarez.*

## *Quid ſentiant Gregorius, & Argentina.*

Citat quartò Gregorium 1. d. 38. quæſt. 2. art. 2. & relatis multis eius verbis, ex illis arguit primò, quia Gregorius, *non recipit reſponſionem Ochami de cognitione in altera parte contradictoriarum propoſitionum.* Secundò, *ſi Gregorius ſcientiam mediam agnouit, quare ad tale medium cognoſcendi non peruenit.* Tertiò malè arguimus, Gregorius negat modum ſciendi in decreto: ergo poſuit ſcientiam mediam. quia nos aſſerimus, *Quòd S. Thomas negat, Deum ſcire futura contingentia in decreto ſuæ voluntatis; & tamen ex hoc non ſequitur, quòd in eius ſententia fiat per ſcientiam mediam, aut ea præſuppoſita: nam ſecundùm S. Thomam eſt alius modus ſciendi in menſura æternitatis.* Quartò, quia *Ocham, Gabriel, & Gregorius ſunt dubij, An Deus cognoſcat futura contingentia in ſuis decretis abſolutis.* 310.

*Aluarez pro ſe ex Gregor. arguit primò.*

*Arguit 2.*

*Arguit 3.*

*Arguit 4.*

Reſpondeo ad primum. Diſtinguo illud, *non recipit,* non explicitè admittit, & concedo. Explicitè aut implicitè reiicit, & nego. Imo implicitè recipit, in quantum dicit, quod ipſemet Aluarez illi tribuit,

*Ad primum.*

tribuit, *Quòd ſicut quando res ſunt nobis præſentes, eas certò ſcimus; eodemmet modo illas res futuras cognoſcit Deus.* Sed nos res præſentes cognoſcimus in ipſa reali, actuali, ac determinata præſentia, quam habent in tempore: ergo eaſdem res futuras cognoſcit Deus in eadem præſentia, quam habituræ ſunt in tempore. Quod verè nil aliud eſt, niſi cognoſcere *in altera parte contradictoriarum propoſitionum,* vt loquitur Ocham. Et eſt idem cum noſtro modo ſciendi in ſeipſis, vt ſupra dub. 12.

*Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, dictum eſt ſupra, ſufficit nobis, ſi ex Gregorio colligamus diuinam ſcientiam de futuris contingentibus conditionatis abſque vllo decreto prædeterminante. An autem hæc ſcientia ſit media, vel alia, tractandum diſtinctè eſt infra in propria dubitatione vigeſima.

*Ad tertium.* Ad tertium, loquendo de ſcientia media in ſenſu iam dicto, illam argumentationem eſſe efficacem, oſtendi ſupra n. 306. & ideo idem bene colligi ex S. Thom. cuius non eſt modus ſciendi in ęternitate, vt cum ipſis antiquioribus, ac doctioribus Thomiſtis latè probaui ſupra dub. 8.

*Ad quartum.* Ad quartum, de dubio Ochami, & Gabrielis dictum eſt ſupra num. 308. ad 2. Idem dubium immeritò tribuitur Gregorio, qui & ſi dubitauerit de affirmatione alicuius modi, quo Deus ſciat futura contingentia, imo cum Ochamo, & Gabriele, & aliis citatis initio tertiæ dubitationis dixerit, *quòd modus iſte incomprehenſibilis, & inexplicabilis nobis eſt:* tamen de negatione modi ſciendi in decretis diuinis, nihil planè dubitauit, nec vtitur particula illa, *fortè,* vt Ochamus, & Gabriel. Imo cùm impugnaſſet rationem quamdam, qua Ocham prædictam negationem probat, ne quis ſuſpicari poſſet, ſe propterea de negatiua concluſione aliquam habere dubitationem, ſtatim eamdem determinatè, & acriter repetit his verbis, *Nihilominus tamen, non ideo Deus nouit ſic futura, quia nouit ſe ſic velle, aut determinationem ſuæ voluntatis, vt imaginatur præcedens opinio: quinimo ſi per impoſſibile Deus non eſſet volens, eſſet autem intelligens ſicut eſt, & futura eſſent futura; adhuc Deus propter excellentiam ſuæ intelligentiæ noſſet quæcumque futura.* Denique Gregorium Ariminenſem eſſe expreſsè contra prædeterminationes, patet ex aliis eius verbis relatis ſupra n. 165.

311\. *Argentinam eſſe cõtra Aluarez.* Citat quintò Argentinam, primò in 1. ſentent. d. 40. quæſt. 1. art. 3. ad 6. contra primam concluſionem, vbi verè nihil pro aduerſariis, ſed multa pro nobis, ita vt meritò Suarez ſupra hunc locum pro ſe attulerit: tum quia Argentina hoc loco docet, *Aliquos effectus eſſe contingentes ex eo, quòd aliquæ cauſæ eorum ſint mutabiles, & impedibiles in cauſando:* quales vtique non ſunt cauſæ prædeterminatæ, ſicut ponuntur ab aduerſariis. Tum quia antea in §. *Ad cuius.* Futurum, inquit, contingens, *non poteſt certificare noſtram cognitionem per ſuas cauſas proximas, eo quòd ad vtrumlibet indeterminatè ſit.* Igitur per Argentinam, cauſa libera proximè operans, non eſt prædeterminata. Ergo cenſendus eſt negare decretum prædeterminans cauſam proximam ad vnum tantùm operandum. Tum quia in §. *Reſtat.* ait, Ideo Deum præſcire, quædam euenire neceſſariò, quædam contingenter, quia, *quædam entia procedunt immediatè ex cauſis determinatis; alia autem procedunt immediatè ex cauſis indeterminatis.* Aduerſarij verò volunt, effectus procedere contingenter, & nihilominus procedere immediatè ex cauſis antecedenter determinatis. Tum quia ad primum docet hanc, *Petrus prædeſtinatus, de neceſſitate ſaluabitur,* eſſe falſam de neceſſitate conſequentis, veram de neceſſitate conſequentiæ: quam ſecundam

*Neceſſitas cõſequentis, & conſequentiæ, aliter ſumitur ab Argẽtina, & ab aduerſarijs.*

neceſſitatem, cohærentem cum contingentia conſequentis, ſtatim explicat per ſenſum compoſitum cum aliquo conſequente vſum libertatis; *Sicut,* inquit, *patet, cùm dicitur, ſi ſortes currit, ſortes mouetur.* Vbi neceſſitas conſequentiæ liberi motus in ſorte, conſequitur ex ſuppoſitione liberi curſus in ſorte. At aduerſarij, neceſſitatem conſequentiæ in effectibus liberis perperam explicant per ſenſum compoſitum cum aliquo antecedente omnem vſum libertatis, v. g. cum diuinis decretis præcedentibus omnem liberum voluntatis vſum, etiam vt ab æterno præuiſum ſub conditione. Quæ eſt vera, ac propria neceſſitas conſequentis, pugnans cum libertate. Tum quia ad 4. ter concedit, *quòd illa propoſitio, Petrus prædeſtinatus ſaluabitur, antequam Petrus eſſet beatus, erat vera veritate indeterminata:* quæ tamen, poſita prædeterminatione æterna ex parte Dei, & temporanea ex parte creaturæ, eſſet maximè vera veritate determinata. Tum quia ad primum, contra Ciceronem, *Contingentia,* inquit, *nullam habent entitatem determinatam in ſuis cauſis proximis.*

Secundò in d. 45. art. 2. concluſione 2. Et videtur Aluarez vim facere in illis verbis Argentinæ, *Illud idem, quod à cauſis ſecundis producitur, intimius ab ipſo Deo attingitur, & perfectius à Deo producitur, quàm ab ipſis cauſis ſecundis.* Quod tamen nemo negat, & expreſsè conceſſi ſupra num. 290. cum Caietano.

Tertiò in d. 38. & 39. quæſt. 1. art. 1. vbi Argentina probat, quod ego quoque probaui ſupra art. 8. *Scientiam Dei, mediante voluntate, eſſe cauſam rerum.* Et artic. 2. vbi Argentina dicit, vt refert Aluarez, *Quòd quædam eueniant neceſſariò, quædam contingenter, hoc prouenire ex efficacia diuinæ voluntatis.* Ex quo Aluarez ſubiungit de Argentina. *Qui certè in hac materia cum S. Thoma conuenit.* Sed quiuis facilè poteſt aduertere in breuiſſimo illo articulo ſecundo, non haberi talia verba, nec talem ſenſum. In fine tantùm articuli dicitur, *Scientia Dei, vt eſt cauſa, cùm determinetur ad effectum mediante libera voluntate, non imponit aliquam neceſſitatem his, quæ futura ſunt, niſi ex conditione, putà, ſuppoſito quòd Deus velit ea ſic, vel ſic euenire.* Fortaſſe Aluarez illud, *ſic vel ſic,* interpretatus eſt, *neceſſariò, & contingenter;* quæ interpretatio non eſt neceſſaria, vt ex ſe patet. Planiſſimus enim verborum illorum ſenſus eſt, ſcientiam non eſſe cauſam neceſſariam futurorum contingentium, niſi ex ſuppoſitione quòd voluntas decernat, ea futura contingentia tali vel tali modo fieri. Et nihil prorſus de radice contingentiæ, & neceſſitatis rerum. De qua quid docuerit S. Thomas contra modernos Thomiſtas, abundè explicatum eſt ſupra num. 147.

*Argentinam non bene allegari ab Aluarez.*

Quartò in 2. d. 25. quæſt. 1. art. 4. probat Argentina, Deum poſſe immutare voluntatem, ex illo Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Idque tripliciter. Primò, *alliciendo, putà, bona promittendo, vel etiam oſtendendo.* Secundò, *inducendo, & comminando mala pœnæ.* Tertiò, *voluntatem melius diſponendo, putà, peccatum expellendo, & gratiam infundendo. Et hoc Deus poſſet facere ita abundè, & copioſè, quòd quamuis voluntatem non cogeret, ipſam tamen in bonis deſiderijs penitus immobilitaret, ſicut videtur feciſſe in Apoſtoli conuerſione.* Ex quibus verbis deducit Aluarez, *Argentinam virtualiter ſupponere decretum diuinæ voluntatis, quo immobiliter voluntas creata futuros actus bonos, & contingentes eſt productura, vt certò, & infallibiliter cognoſcantur à Deo. Siquidem ad efficaciam diuinæ voluntatis reducit infallibilitatem diuinæ ſcientiæ.* Hæc deductio non

Prouerb. 21.



*Impugnatur deductio Aluar. ex verbis Argentinæ.*

non videtur ſufficiens, primò quia omnes modi immutandi, allati ab Argentina, ſunt morales, inclinando, alliciendo, promittendo, oſtendendo, puniendo, comminando, tollendo peccatum, dando gratiam; & nunquam dixit, Deum immutare prædeterminando, quod erat probandum. Quare illud, *penitus immobilitare,* eſt, iuxta prædicta, accipiendum moraliter, ita vt aliquando tanta illuminatione, ac ſuauitate quis trahatur ad bonum, vt penitus impoſſibile moraliter ſit, illum bono liberè non conſentire. Secundò quòd hæc immobilitas non ſit prædeterminatio, manifeſtum eſt, quia Argentina illam ponit in aliqua rariſſima conuerſione, vt Pauli; aduerſarij verò hanc ponunt in omnibus conuerſionibus. Tertiò quod additur de decreto, præſertim ad hoc, vt diuina ſcientia futurorum, ſit infallibilis, eſt prorſus voluntariè dictum; quia in loco citato ne verbum quidem habet Argentina de efficacia diuinæ voluntatis, & infallibilitate diuinæ ſcientiæ. Quartò de re ipſa, ſi Aluarez vult tribuere Argentinæ, decretum efficax, & abſolutum, ab æterno prædefiniens hunc determinatum actum abſolutè futurum à voluntate indeterminata, hoc eſt, libera, id libenter admittimus. Si verò eidem tribuere vult decretum prædeterminans ipſam voluntatem ad actum, ita vt futurus abſolutè ſit actus determinatus à voluntate antecedenter ad illum determinata, quod tantùm eſſet ad rem, id quidem manifeſtè pugnat cum dictis Argentinæ ſupra, ſæpè noſtram libertatem explicantis per negationem determinationis ab alio. Quod in hac etiam quæſtione prima, vltimo loco citata ab Aluarez præſtat. nam in artic. 1. concluſione 2. defendit, *quod voluntas mouet ſe, ſeipſam determinando.*

## *Quid ſentiant Ægidius, & Arboreus.*

312\. *Ægidium eſſe potius contra Aluarez qui illum pro ſe citat.* Citat ſextò Ægidium 1. d. 40. quæſt. 2. vbi, inquit Aluarez, *apertè loquitur de præſcientia, quæ ſequitur decretum voluntatis diuinæ.* Idque non aliter probat, niſi quia Ægidius citat Auguſtinum, qui contra nos ſentit. Verùm Ægidius illud neque apertè, neque obſcurè dicit, vt patet legenti totam illam quæſtionem. Imo apertè contrarium habet in fine corporis, his verbis, *Prædeſtinatio dicit actum voluntatis, ſed præſupponit actum cognitionis oſtendentis finem, in quem voluntas tendit.* idémque bis repetit, & immediatè ante reſponſionem ad primum, & ad ſecundum. Igitur per Ægidium antequam Deus velit prædeſtinatum dirigere infallibiliter in finem per talia media, præſupponitur in intellectu diuino præſcientia, quòd ſi Deus vellet creare talem hominem, & ducere per talia media, is infallibiliter libera ſua voluntate adhæreret fini ſupernaturali. Quòd autem præter hanc præſcientiam antecedentem decretum, detur aliud decretum antecedens præſcientiam, nulla probabilitate tribui poteſt Ægidio loco citato. Neque citatio Auguſtini quidquam facit; tum quia negamus, Auguſtinum eſſe contra nos, vt infra: tum quia Ægidius affert quidem Auguſtinum dicentem, *Prædeſtinatio eſt præordinatio, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt;* tamen illum intelligit de præſcientia antecedente voluntatem, vt patet ex verbis ipſius ſupra.

313\. *Arborei ſententia.* Suarez præterea tomo 1. de Gratia, Prolegom. 2. cap. 1. num. 11. bene citat pro ſe Ioannem Arboreum, qui tomo 1. Theoſophiæ lib. 4. cap. 11. circa medium, referens, & ſequens Auguſtinum, exponit quid ſit illud Dei propoſitum, ſecundùm quod, vt Paulus docet, aliqui vocantur, & ait, *Hoc propoſitum ad præſcientiam, & prædeſtinationem Dei pertinet: nec prædeſtinauit aliquem, niſi quem præſciuit crediturum, & ſequuturum eſſe vocationẽ.* Manifeſtè diſtinguunt Auguſtinus, & Arboreus præſcientiam à prædeſtinatione; & loquuntur de præſcientia futurorum actuum liberorum fidei, & conſenſus; eámque admittunt ante prædeſtinationem. Huiuſmodi verò præſcientia non poteſt eſſe futurorum abſolutè, quia hæc eſt poſt prædeſtinationem: ergo futurorum conditionatè. Sed voluntas Dei libera, determinans vt hic homo, ſi vocaretur, credat, & conſentiat vocationi, pertinet ad prædeſtinationem. ergo ſecundùm Auguſtinum, & Arboreum præſcientia Dei conditionata, eſt ante liberum Dei decretum de futuritione effectus liberi.

Hunc Authorem aduerſari Thomiſtis fatetur ipſemet Aluarez lib. 1. Reſponſionum, cap. 1. n. 36. fin. ſed ait, *eius doctrinam non eſſe admittendam, quia reijcit ſententiam Auguſtini, & ſequitur ſententiam Origenis.* Quo autem fundamento hoc ſcripſerit Aluarez, non apparet. Etenim verba, quæ ex Arboreo refert Suarez ſupra, & quibus Aluarez contra ſe eſſe Arboreum aſſerere non dubitauit, ſunt verba ipſiuſmet Auguſtini, in lib. expoſitionis quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Romanos, propoſitione 55. quæ ipſemet Arboreus Auguſtino tribuit: ita vt mirum valde ſit, aliquem legiſſe Arboreum, & non aduertiſſe, verba illa non eſſe Arborei, ſed Auguſtini; imo dixiſſe, eſſe contra Auguſtinum: cùm tamen Arboreus in toto illo cap. ſit maximè ſolicitus in tradenda, & ſequenda Auguſtini doctrina. Nam initio capitis, *Auguſtiniana,* inquit, *hæc eſt aſſertio, vt ſumus oſtenſuri.* Et ante verba ſuperius allata, ait, *Nunc dabo operam, vt doctrina Auguſtini, noſtra illuſtretur aſſertio.* Neque Arboreus refert Origenem vt cõtrarium Auguſtino, ſed vt conſentientem; nam poſt expoſitam Auguſtini ſententiam, ſtatim ſic habet: *Aſſentitur, & huic ſententiæ Origenes eamdem Pauli difficultatem pertractans.* Verumtamen non ſine ſpeciali Dei prouidentia, vt ego quidem exiſtimo, factum eſt, vt Auguſtinus, Arboreus eſſe crederetur; nimirum, vt dum putant Arborei doctrinam, quam nos ſequimur, repudiandam eſſe affirmare non dubitant, ſe cum veri Auguſtini doctrina, quæ, ipſiſmet ſincerè fatentibus, noſtra eſt, pugnare tandem agnoſcant. Multò facilius, ſi quæ ex S. Thoma in ſuperioribus attulimus, & infra afferemus, ſimili errore ab aliquo alio Theologo dici putarent, S. ipſorum Doctorem pro noſtra ſtare ſententia proprio etiam ore faterentur; quia longè clarius ſententiæ noſtræ fauent verba S. Thomæ, quam verba Auguſtini, Arboreo tributa ſupra.

*Arboreũ, loquentẽ verbis Auguſt. eſſe contra ſe fatetur Aluarez, & falsò impugnat.*

Ex quibus omnibus prudenter iudica, candide Lector, quàm ſolidè, ac verè vniuerſam hanc de ſcientiæ conditionalium Authoribus longiſſimam contentionem concluſerit Aluarez ſupra num. 37. hunc in modum, *Habemus ergo, nullum ex Doctoribus Scholaſticis, qui ante quadraginta annos ſcripſerunt, docuiſſe, vel inſinuaſſe ſcientiam mediam; ſed potius eiuſmodi ſcientiam cum eorum dictis ſtare non poſſe.* Hæc profectò ſcribendi confidentia me impulit, vt ſumma diligentia, ſummóque labore omnes penè Theologos non ſemel euoluerem, eóſque fideliſſimè, ac diſtinctiſſimè referre curarem; ne fortaſſe aliqui, huiuſmodi dictis, quibus ipſorum libri abundant, commoti, ſententiam noſtram rationibus firmiſſimam, authoritate aliorum Theologorum planè deſtitutam eſſe exiſtiment. Nam, vt teſtatur modeſtiſſimus Suarez ſupra num. 5. & nos ipſi in aduerſariorum ſcriptis, paſſim legimus, 314.

*Corollariũ de authoritate veterũ Scholaſticorum in hac controuerſia.*

*Aduerſariorũ maledicta contra ſcientiam mediã, ex Suarez.*

*moderni*

*moderni magnis probris, & conuicijs in hanc ſcientiam inuehuntur: vocant enim illam, falſam nouitatem, inutilem, leuiſſimam, improbabilem, euidenter contra Auguſtinum, & D. Thomam, & quam omnes Doctores antiqui negant. Et hæc exaggeratio, eſt, vt opinor, vnum ex potiſſimis fundamentis huius ſententiæ. Cui additur infamatio contrariæ ſententiæ, dicendo, illam fuiſſe inuentum Pelagianorum, & Semipelagianorum: hunc enim putant illi Authores eſſe potentiorem modum ſententiam ſuam perſuadendi.* Sed hac in re, religioſi, ac prudentis Theologi munus eſt, parcere verbis, quę charitatem deſtruunt, & rebus dumtaxat agere, quæ conſtruunt veritatem.

## *Quid ſentiant alij, præſertim Scotus, & Corduba.*

315. Vlterius ſecundò reuoco etiam ad ſententiam noſtram, omnes illos, qui docent, voluntatem liberè operantem, à nullo extrinſeco agente, & à nulla antecedēte forma prædeterminari ad vnum, ſed ſolùm à ſeipſa, ex intrinſeca ſua libertate determinari. Quam doctrinam communiſſimè tradunt Patres, & Scholaſtici, quos ex inſtituto attuli in materia de Gratia, contra auxiliū efficax prædeterminans. Et in ſuperioribus, dum probaui, futura contingentia abſoluta non poſſe ſciri in cauſis prædeterminatis, neque in diuino decreto prædeterminante: & in hac ipſa dubitatione decimaſeptima, dum de multis Authoribus contra Aluarez oſtendi, illos eſſe pro noſtra ſententia: legendi præcipuè ſunt Auguſtinus, Iuſtinus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, & S. Thomas, quorum verba refero, & expendo num. 156. & 157. Nunc placet addere contra Thomiſtas ex eodem S. Thoma doctrinam notatu digniſſimam, in lib. 1. Periher. lect. 14. ante medium, qua aſſerit, ſufficientem rationem contingentiæ non eſſe, habere ſimpliciter potentiam ad eſſe, & non eſſe, ſiue ad vtrumque oppoſitorum; quia hanc potentiam habet materia ſublunaris ad diuerſas formas ſubſtantiales, & habent corpora cœleſtia ad diuerſa vbi, *Et tamen*, inquit, *nihil in eis euenit contingenter, ſed ſolùm ex neceſſitate. Vnde dicendum eſt, quòd poſſibilitas materiæ ad vtrumque, ſi communiter loquamur, non eſt ſufficiens ratio contingentiæ, niſi etiam addatur, ex parte potentiæ actiuæ, quòd non ſit omnino determinata ad vnum: alioqui ſi ita ſit determinata ad vnum, quòd impediri non poteſt, conſequens eſt, quòd ex neceſſitate reducat in actum potentiam paſſiuam eodem modo.* Sed voluntas per decretum diuinum prædeterminans, *ita eſt determinata ad vnum, quod impediri non poteſt:* nam illa decreti prædeterminatio neque poſita eſt ex libero voluntatis conſenſu; neque poſtquam poſita eſt, poteſt liberè tolli, aut fieri inefficax. Ergo per S. Thomam tollit contingentiam, ac libertatem.

*Illuſtre S. Th. teſtimonium contra decretū prædeterminātis liberum arbitriū.*

Placet quoque afferre inſigne teſtimonium Ioannis de Neapoli, qui fuit vnus è primis propugnatoribus doctrinæ S. Thomæ, in opere variarum quæſtionum, quæſt. 22. puncto 4. ad 12. vbi explicans, quo modo dicatur Deus reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui, & dediſſe illi liberum arbitrium, per quod poſſet bene, & malè agere, ait, id eſſe, quia illi *non determinauit finem, & ea per quæ finem poſſet attingere, ſicut determinauit omnibus alijs creaturis ratione carentibus.* Ergo neque æterno decreto ſuo, neque temporali aliqua motione prædeterminauit liberos actus per quos homo determinatum finem attingeret. Expreſsè fauent verba Aureoli, Ochami, & Ariminenſis, quæ refero, & ſupra num. 139. & 144. & 165. & infra num. 368. & 369. & clariſſimè verba Durandi, 1. d. 47. q. 1. n. 9. *Actiones liberi arbitrij, cùm non ſint determinatæ ad vnum, non oportet, quòd obiecto volito à libero arbitrio, ſint volitæ à Deo, niſi ſicut exiſtunt in ipſa natura liberi arbitrij: præexiſtunt autem in ea ſolùm in potentia, & ſecundùm indeterminationem; & ideo ſic ſunt volitæ à Deo, ſcilicet in vniuerſali, & in potentia, & ſecundùm indeterminationem.* Quæ doctrina veriſſima eſt, & longiſſimè abeſt à decreto Dei prædeterminandi.

*Inſigne Ioannis de Neapoli de eadē re teſtimonium.*

*Aureolus, Ocham. Arimin. Durād. expreſsè pro concluſione.*

316. Inter hos Doctores valde probabiliter referri poteſt Scotus, de quo certum eſt, negaſſe prædeterminationem intrinſecam, & inhærentem, vt patet ex multis locis citatis ſupra à num. 130. ad 135. vnde neceſſariò ſequitur, ipſum multo maiori ratione negaſſe prædeterminationem extrinſecam ex diuino decreto, vt deduxi ſupra n. 131. Neque obſtat quòd docuerit, futura contingentia certò videri à Deo in ſua voluntate; nam, præter duas expoſitiones probabiles ibi aſſignatas, addi poteſt tertia, & fortaſſe probabilior, quòd loquatur de ratione videndi immediata, non ex parte obiecti creati, quam rationem immediatam nos ſupra tradidimus, & probauimus eſſe, ipſam actualitatem determinatam, quam futurum contingens habiturum præſentialiter eſt extra ſuas cauſas in tali differentia temporis; ſed ſolùm immediata ex parte ipſius Dei, & exiſtente in ipſomet Deo: quamuis enim ex parte obiecti, ratio propter quam cauſa libera eligat hanc contingentiæ partem, & non oppoſitam, non ſit voluntas Dei prædeterminans cauſam, ſed ipſamet cauſa ex intrinſeca ſua libertate ſeſe determinans; tamen ex parte Dei, ratio propter quam diuina eſſentia indifferens ex ſe ad oſtendendam vtramque contingentiæ partem, oſtendat, ac repræſentet diuino intellectui hanc partem, non aliam abſolutè futuram, eſt ſine dubio diuina voluntas determinatè volens concurrere ad hanc partem determinatam, non ad aliam; non quidem voluntas diuina determinata antecedenter, qua cauſa ſecunda libera prædeterminatur; ſed determinata concomitanter, ſeu conſequenter ad determinationem cauſæ; ex qua determinatione diuinæ voluntatis, ſtatim, & primò, atque immediatè intra ipſum Deum, intelligitur determinata ſufficienter diuina eſſentia ad repræſentandum hoc contingens abſolutè futurum, & non oppoſitum. Hæc interpretatio recipienda eſt ab illuſtriſſima Scotiſtarum ſchola: tum quia vera in ſe ſimpliciter eſt, & facilis, & acuta, ac proinde digna ingenio ſubtiliſſimi Doctoris. Tum quia non recurrit ad ſcientiam mediam, ſeu conditionatam, cuius mentione turbari nonnunquam vidi doctos aliquos Scotiſtas; quia eam in Scoti libris expreſſam non habent. Tum quia verba Scoti ſupra num. 129. non plus verè cogunt illi tribuere, ſi attentè conſiderentur; imò eam nonnihil ſignificant, quia id videtur Scotus dixiſſe, ſolùm vt oſtenderet, qua ratione effectus cauſæ ſecundæ liberæ, qui contingentes, & indeterminati ſunt, determinatè repræſentantur à diuina eſſentia; & ait, id oriri ex determinatione diuinæ voluntatis: quòd autem huiuſmodi determinatio ſit antecedens, vt dicunt aduerſarij, vel ſit conſequens, vt tenent noſtri Theologi, nihil omnino ad difficultatem illam referebat; quia etiam per determinationem conſequentem optimè intelligitur eſſentia diuina intrinſecè determinata, vt ſit ſufficientiſſimum futurorum contingentium repræſentatiuum. Tum maximè, quia ſi non intelligatur de determinatione conſequente, ſed de antecedente, id minimè cohærere poteſt cum aliis ſæpe, & expreſsè à Scoto dictis, quibus negat prædeterminationem intrinſecam, factam in tempore: ſi enim Deus non prædeterminat extra ſe voluntatem in tempore, vt ſapientiſſimè docet Scotus, & ipſimet Scotiſtæ hodie vltrò concedunt, euidens fit, non habuiſſe Deum ab æterno intra ſe liberam voluntatem prædeterminandi in tempore; imò habuiſſe poſitiuam voluntatem non prædeterminandi; quia ex Scoti doctrina valde probabili, quam infra in proprio loco referam, & ſequar, etiam ea, quæ numquam futura ſunt, Deus ab æterno liberè, ac poſitiuè ſtatuit numquam facere, & non ſe habuit circa ea per voluntatem ſuam merè negatiuè.

*Scotū eſſe pro concluſione.*

*In quo ſenſu dixerit Scot. Deum videre futura cōtingentia in ſua voluntate.*

*Immediata ex parte Dei ratio videndi futura cōtingentia, eſt diuina voluntas.*

*Probatur allata Scoti interpretatio.*

*In via Scoti, ſi Deus non prædeterminat in tēpore voluntatem, ab æterno noluit eam prædeterminare.*

317. Ad eamdem ſententiam reuoco tertiò omnes, qui rectè docent, ex duobus æqualiter inclinatis, & præmotis, & vocatis, alterum conuerti, alterum non conuerti. Nam in contraria ſententia, reſpectu illius, qui conuertitur, non reſpectu alterius, qui non conuertitur, daretur decretum prædeterminans conuerſionem; & conſequenter vi huius decreti neceſſe eſſet dari in vno, & non in alio, auxilium aliquod prædeterminans, contra caſum poſitum de æqualitate, quem expreſsè concedit Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate cap. 6. & ſequuntur Driedo ſupra num. 297. & Taper num. 300. Stapletonius in Antidotis Euangelicis, in Matth. 11. in illa verba, *ſi in Tyro.* in tertio documento referens, ac ſequens noſtrum Molinam. Et vt Auguſtini doctrinam referunt, & admittunt Scotus 2. d. 25. quæſt. 1. circa principium. in §. *Ad oppoſitum.* Altiſiodorenſis lib. 2. Summ. tractat. 2. cap. 3. Cardinalis Bellarminus tomo 4. lib. 2. de Gratia cap. 13. fin. & multi alij. Vnde Cardinalis Toletus in cap. 10. Lucæ, Annotatione 18. notabili 4. & 5. cauſam cur vnus non ſolùm cum æqualibus, ſed etiam cum minoribus auxiliis conuertatur, alius verò, etiam cum maioribus auxiliis, non conuertatur, non aliunde aſſignat, niſi ſolùm ex arbitrij libertate. Quæ omnia expreſsè contradicunt diuinis decretis, ac motionibus prædeterminantibus voluntatem ad liberos actus, & ſupponunt, ipſam voluntatem liberè ſe determinare, non aliunde, quàm ex propria libertate.

*Duos æqualiter diſpoſitos, inæqualiter operari docēt.*

Auguſtin.
Driedo.
Ruardus.
Stapleton.
Scotus.
Altiſiodor.
Bellarmin.
Toletus.

318. Reuoco quartò omnes citatos ſupra art. 8. docentes, futura contingentia non ideo eſſe futura, quia præſciuntur à Deo; ſed contra, ideo præſciri, quia ſunt futura. Quæ vltima cauſalitas manifeſtè tribuit actus determinationem libero arbitrio, & non decretis, aut qualitatibus illud prædeterminantibus: alioqui liberi actus præſcirentur à Deo, non ideo quia cauſa ſecunda libera eſt illos operatura, & non oppoſitos; ſed ideo quia cauſa prima decreuit vt illi eſſent, & non oppoſiti. Allatis Patribus, & Scholaſticis loco citato addi etiam poteſt magis ad rem Stapletonius in Antidotis Apoſtolicis, in id Rom. 9. num. 11. *Cùm nondum nati eſſent*, &c. §. *Deum altitudine.* vbi agens de futuris liberis conditionatis, ait apertè pro noſtra ſententia. *Non quia bonum futurum vſum præſciuit Deus, ideo futurus erat: ſed quia talis vſus ex libero voluntatis influxu verè futurus erat, ideo eum futurum Deus præſciuit.*

*Pro cōcluſione eſſe qui dicunt, futura ideo præſciri, quia ſunt futura.*

*Idem clariùs ex Stapletonio.*

319. Denique valde expreſsè pro nobis contra aduerſarios loquitur doctiſſimus Scotiſta Antonius Cordubenſis in ſuo Quæſtionario, lib. 1. quæſt. 55. dub. 10. reſp. 5. vbi inquit, *Ex quo conceditur, quòd diuina voluntas, eiúſque concurſus, eſt cauſa præuia etiam in cauſando; quódque ea ſtante, iam noſtra voluntas, quamuis neceſſitate conſequentiæ, neceſſariò producit ſuum actum, ita quòd tunc non poteſt, nec potuit non producere, neque tollere cauſam neceſſitantem, id eſt, concurſum illum; ergo iam ſemper neceſſitatur à cauſa extrinſeca, ſcilicet à Dei voluntate, ſiue concurſu: & ita numquam liberè, libertate abſoluta, producet ſuos actus; & cum concurſu diuino non ſtat libertas noſtræ voluntatis.* Verba ſunt adeo clara, vt noſtræ explicationis opera non indigeant. Deinde optimè, ac fusè oſtendit, quòd ſi Dei voluntas, & generalis concurſus eſt antecedens, non poſſe ſaluari libertatem per diſtinctionem, qua hodie aduerſarij in eodem caſu communiter vtuntur, de neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis: *quia*, inquit, *non eſt eadem ratio ad dicendum, quòd noſtra voluntas neceſſitate conſequentiæ neceſſitetur à cauſa extrinſeca, ſcilicet à concurſu diuino, ad producendum ſuum actum: ſicut quando à ſe ipſa, vel à ſuo actu, quando vult, neceſſariò vult*; nam in hoc ſecundo caſu, *non tollitur eius libertas abſoluta, ſed potius conceditur:* ſed in primo, *certè tollitur eius libertas abſolutè.* Hæc olim, ante exortas huiuſmodi controuerſias, certa fuit, ac ſincera ſapientiſſimi viri ſententia de libertate, pugnante cum conſequentiæ neceſſitate proueniente ex alia extrinſeca cauſa, quàm ex ipſamet cauſa liberè operante: & tamen Gonzalez, vt notaui ſupra num. 24. fin. & alij ſimiles affirmare non dubitant, hæc eſſe noſtra commenta, ad nouas opiniones introducendas excogitata. Præterea in reſponſione ſexta initio diſtinguit duplicem volitionem diuinam, alteram *habitualem, & vniuerſalem*, quam nos in ſuperiobus vocauimus indifferentem, ſiue indeterminatam, & conditionatam, in actu primo paratam concurrere ad eam partem ad quam creatura liberè ſe determinauerit: alteram *actualem, & particularem*, hoc eſt, in actu ſecundo determinatam per determinationem creaturæ ad concurrendum ad particularem, ac determinatum actum, ad quem liberè ſe determinauit creatura; quæ ſecunda volitio, inquit, *ſolùm eſt concomitans, non præuius concurſus:* & propterea docet non tolli libertatem, etiam ſi, *ſtante iſto concurſu, neceſſariò, neceſſitate conſequentiæ voluntas producit ſuum actum.* Quem tamen concurſum aduerſarij volunt eſſe non ſolùm ſimpliciter præuium, & neceſſariò requiſitum, ſed etiam prædeterminantem. De quo ſine dubio pronunciaſſet Corduba, eſſe planè deſtructiuum creatæ libertatis. Et id tribuit Gregorio, & Angeſto, aliíſque Doctoribus. Et deinde in §. *Sic etiam.* clariſſimè pro noſtra ſententia aſſerit, *Quòd diuina voluntas modificatur, & determinatur à noſtra voluntate*, vt poſtea cum ea liberè ad talem actum concurrat: & in §. ſequenti ea ſcribit, quæ ne ipſe quidem Molina contra Bagnes clarius, ac diſtinctius ſcribere poſſet. Et ideo noſtris ſcriptis inſerenda ad ornamentum, & patrocinium. *Voluntas*, inquit, *noſtra non ſolùm modificat prædictam voluntatem diuinam vniuerſalem, quoad modum, vt liberè cum ea concurrat; ſed etiam determinat quoad ſpecies actuum, & quoad ipſos actus ſingulares voluntatis: ita vt non prius ordine naturæ voluntas diuina etiam ab æterno velit, aut ſe determinet ad concurrendum actualiter in tali tempore cum noſtra voluntate ad hunc vel illum actum particularem producendum, non, inquam, prius, ſed poſtquam noſtra voluntas præuiſa aut præcognita eſt, quòd ſe tali tempore determinabit ad volendum, vel nolendum, vel ad producendum hunc vel illum actum; tunc, & non ante, diuina voluntas ſe determinat ab æterno, ad volendum concurrere pro tali tēpore cum noſtra voluntate ad eoſdem actus*

*Antonius de Corduba apertiſſimè pro concluſione.*

*Quid de libertate dixerit Corduba contra Gonzalez.*

*actus particulares, quoties, & quãdo noſtra voluntas voluerit; & à tali concurſu ceſſare, quoties, & quando ipſa præuiſa eſt, quòd liberè ceſſabit. Et ratio huius eſt, quia niſi ſic Deus facere ab æterno decreuiſſet, vt dictum eſt, vtique non bene ſaluaretur libertas noſtræ voluntatis ſimul cum concurſu diuino.* Hunc Authorem contra ſe attulerat Aluarez ſupra num. 3. ſed deinde, cum reliquos exponere conetur, Cordubam prudenter præteriit, quia nimis euidenter illi aduerſabatur. Habent moderni Scotiſtæ eminentiſſimum eiuſdem Ordinis, ac Scholæ Theologum, quem ſequantur.

## PVNCTVM II.

### *Decretum prædeterminandi impugnatur ex Scriptura.*

### SVMMA.

1 *Impugnatur primò ex verbis Matth. 11. & Luc. 10. num. 320.*

2 *Reijciuntur aduerſariorum reſponſiones à n. 321. ad 327.*

3 *Impugnatur ſecundò ex alijs Scripturæ locis à numero 327. ad 330.*

320. *Prima impugnatio ex verbis Matthæi 11. & Lucæ 10.*

CONcluſio poſita ſupra num. 283. probari poteſt primò ex ſacris literis. Primò, exprobratio illa à Chriſto facta multis Iudæorum ciuitatibus Matth. 11. & Luc. 10. in vi ſua implicita prudentiſſimè ſignificat, ante illum effectum conditionatum, infallibiliter præſcitum, & reuelatum, qui nec vnquam fuit, nec erit, non fuiſſe in Deo decretum prædeterminans, neceſſariò prærequiſitum ad veritatem illius effectus: alioqui ſi Tyrij, v. g. & Sidonij, viſis miraculis, acturi fuiſſent pœnitentiam ex prædicto decreto, non potuiſſent iure reprehendi à Chriſto Iudæi, quòd viſis iiſdem miraculis, carentes tamen illo decreto, pœnitentiam non egerint. Quod videtur moraliter euidens, quia in contraria opinione, vel eſt impoſſibile operari ſine tali decreto, vel tale decretum eſt neceſſarium vt actu operemur, vel ſaltem eſt valde facilitans ad operandum: quicquid dicatur efficit reprehenſionem Chriſti iniuſtam, ridiculam, & imprudentem; ſi primum, certum eſt, nulla reprehenſione aut pœna dignũ eſſe, qui non facit quod facere non poteſt; præſertim in comparatione ad alios, qui illud idem, quod ab ipſis fieri nequit, ita faciunt, vt non poſſint nõ facere, vt accidit Tyriis, poſito illo decreto; ſi ſecundum, idem planè ſequitur, vt ex ſe patet; ſi tertium, adhuc reprehenſio comparatiua, cuiuſmodi eſt iſta à Chriſto facta, eſt euidenter irrationabilis: quia etſi quis poſſit abſolutè reprehendi, quòd non faciat id quod ſimpliciter poteſt facere; tamen nequit iuſtè, ac prudenter reprehendi in comparatione ad alium, ex eo quod non faciat illud idem, quod facit alius, qui ſine vllo merito ſuo habet aliunde gratis auxilia ad id faciendum valde facilitantia, quibus ille abſque vlla culpa aut negligentia ſua caret. v. g. Rex, qui ſummæ perfectionis arma, & equum donauit Petro, nec merenti, nec petenti, quibus factum eſt, vt pugnaret, ac vinceret; qua ratione exprobrabit Paulo, qui tantæ perfectionis arma, & equum, nec habuit, nec habere potuit, quòd pugnauerit, & ſuperatus fuerit, Petrus verò pugnando vicerit? Quamquam in caſu noſtro, exprobrationis inconuenientia eſt longè maxima; quia in ſtatu illo conditionato, antecedente in priori ſigno rationis ſtatum abſolutum, nihil prorſus ex parte creaturarum mouere potuit Deum, vt pro Tyriis potius, quàm pro Iudæis decerneret conditionatam pœnitentiam; cum ex vulgata Auguſtini doctrina contra Pelagianos, nihil ad rationem bene vel malè merendi valere poſſint opera cõditionatè futura: hoc etiam decretum ponitur ab aduerſariis, non ſolùm vt valde facilitans, ſed vt omnino antecedenter neceſſarium ad hoc vt effectus habeat veritatem futuri conditionati, ita vt implicet, pœnitentiam, v. g. eſſe conditionatè futuram ſine tali decreto: eſt etiam adeo connexum cum pœnitentia, vt etiam implicet, poni decretum, & non eſſe futuram pœnitentiam: igitur ſi pœnitentia Tyriorum, conditionatè futura, quam Chriſtus exprobrauit Iudæis, fuit infallibiliter præſcita à Deo, vt nobiſcum fatentur hi contra quos diſputamus, eſt ſanè impoſſibile, veritatem, atque intelligibilitatem illius infallibilem haberi ex diuino decreto, quo ſub conditione prædeterminare liberè voluerit pœnitentiam Tyriorum, & non Iudæorum; ſic enim euidenter deſtruitur eſſentialis conceptus moralis reprehenſionis comparatiuæ, à Chriſto factæ contra Iudæos reſpectu gentilium.

### *Aduerſariorum euaſiones refelluntur.*

Hinc facile eſt intelligere, eſſe inſufficientes aduerſariorum reſponſiones, quibus ſuadere conantur, reprehenſionem Chriſti, non obſtante prædictorum decretorum inæqualitate, fuiſſe rationabilem. Aluarez enim lib. 2. de Auxiliis, diſp. 7. n. 23. & 24. dicit primò, hunc locum exponi ab Auguſtino lib. de Bono perſeuerantiæ, per decretum antecedens præſcientiam illam conditionatam, tum quia, cap. 10. *quærens cur non fecerit Chriſtus ſigna illa in Tyro, & Sidone, cùm illi, ſi fierent, eſſent credituri; reſpondet, hoc reducendum ad diuinam voluntatem.* Tum quia, cap. 14. eamdem cauſam aſſignat dicens, *quia prædeſtinati non erant; audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum eſt; non autem faciunt, ſiue audiant, ſiue non audiant, quibus non datum eſt.* Ex hoc autem, quod ex diuina voluntate procedat, audire prædicationem, & videre ſigna, & credere, colligit Aluarez quòd, *futurum conditionatum ſequitur ad decretum diuinæ voluntatis.* Dicit ſecundò, *iure Iudæos increpari, quia maiora impedimenta præſtiterunt gratiæ, quàm Tyrij, & Sidonij.* quod repetit lib. 1. Reſponſionum c. 5. n. 25. circa finem, & affert etiam Cabrera tom. 3. in 3. part. quæſt. 62. art. 1. ad 12. §. 14. num. 321. 321.

*Aluarez reſpõdet primò.*

*Reſp. ſecũdò.*

Cabrera.

Gonzalez hîc, diſp. 45. n. 79. reſpondet primò, *Certò dicendum eſt, Tyrios, & Sidonios non niſi ex decreto abſoluto Dei eligendi illos, ſi poneretur illa conditio, acturos eſſe pœnitentiam; ac ſubinde præſcientiam illius futuri non eſſe mediam, ſed liberam, omnino dependentem ab eiuſmodi decreto exiſtente in Deo, abſoluto ex parte ſubiecti, & conditionato ſolùm ex parte obiecti.* Reſpondet ſecundò, *non oportere quòd auxilia præparata ſint æqualia, vt vni per comparationem ad alterum exprobrari poſſit: ſufficit enim quod ille, qui reprehenditur, habuerit ſufficiens auxilium, quo poſſet, ſi vellet, obedire Deo. Etenim omnes reprobi in die iudicij, per comparationem ad ipſum Chriſtum Dominum, qui obediens factus eſt vſque ad mortem, meritò reprehendentur, & ſimiliter per comparationem ad Apoſtolos, qui tamen primitias Spiritus ſancti recipientes, maioribus auxilijs donati ſunt.* Reſpondet tertiò, obiectionem eſſe etiam contra nos, aſſerentes, *quòd præſuppoſita præſcientia conditionata, Deus quibus ipſe vult dat vocationem congruam, alijs verò dat incongruam. Vnde vtique*

*Gonzalez reſpõdet primò.*

*Reſp. ſecũdò.*

*Reſp. tertiò.*

*reſpon*



*reſpondere potuiſſent illi Iudæi, quòd ſi eis Deus dediſſet vocationem congruam, pœnitentiam egiſſent, ſicut eam egiſſent Tyrij: & ſi Tyrijs dediſſet incongruam, eis verò congruam, ipſi egiſſent pœnitentiam, non Tyrij.*

322. *Cõtra primã reſponſionem Aluarez.*

Ad primum Aluarez, illam reſponſionem Auguſtini haberi in cap. 11. ſed non eſſe ad rem, quia ibi agitur de quodam effectu negatiuo abſoluto, hoc eſt, de illis miraculis abſolutè nõ futuris apud Tyrios; quem effectum fatemur fuiſſe ab abſoluta Dei voluntate, quę iuſto, ſed nobis occulto, iudicio ſuo, ſtatuit abſolutè, vt non fierent illa ſigna apud Tyrios, ſed fierent apud Iudæos. Noſtra autem diſputatio eſt de effectibus futuris conditionatè; & de his, non dependentibus à ſola voluntate Dei vocantis, cuiuſmodi ſunt miracula, & alia auxilia diuinæ gratiæ, ſed dependentibus à libera voluntate hominum vocatorum, cuiuſmodi ſunt credere, & pœnitentiam agere: & de his effectibus conditionatè futuris, contendimus hîc, non habere eſſe conditionatè futurum à voluntate Dei antecedenter illos prædeterminante. Similiter dicendum ad doctrinam capitis decimiquarti; vult vtique Deus vt hæ prædicationes, & virtutes non fiant apud Tyrios, eíſque non dare gratiam efficacem vt credant: ſed hæ ſunt voluntates omnino abſolutæ de effectibus negatiuis abſolutè futuris, quas non negamus. Fatemur quoque liberum ipſum credendi actum abſolutè futurum, eſſe à Deo efficaciter prædefinitum, antequam per ſcientiam viſionis præuideatur abſolutè futurus: ſed quod negamus in præſenti controuerſia, quod acutè, ac diſtinctè inſpici debet, ne æquiuocemus, & tractandis aliis rebus, ad hunc locum non pertinentibus, inutiliter immoremur, eſt, actum credendi, & quemcumque alium liberum actum creatæ voluntatis, antequam præſciatur à Deo futurus conditionatè, non eſſe à diuina voluntate efficaciter prædefinitum, ac prædeterminatum, vt ſit conditionatè futurus. Nec contrarium ab Aluarez loco citato, ſicut nec antea in n. 8. bene deducitur ex illis Auguſtini dictis, quamuis id dixerit deduci *manifeſtè.*

323. *Auguſtinum, in eodẽ loco, quem pro ſe affert Aluarez, eſſe contra ipſum.* Arrubal.

Imò potius ex illo cap. 14. vt rectè adnotauit Arrubal hîc, d. 46. n. 16. colligi poteſt aliquid in fauorem noſtræ ſententiæ. Nam ex eo quod Chriſtus reuelauerit, Tyrios, & Sidonios fuiſſe credituros, ſi vidiſſent ſigna, & cætera, ita deducit Auguſtinus, *ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: & tamen ſi Dei altiore iudicio, à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ poſſent credere, ſi audirent vtique talia vel viderent.* Vbi, ſi attentè conſideremus, duo docet Auguſtinus: alterum conditionatum, ſignificatum per illud, *ſi*, nempe, Tyrij crederent, ſi viderent ſigna, & cætera; alterum abſolutum, nempe, Tyrij non credent, & non videbunt ſigna, & cætera. Huius ſecundi abſoluti cauſam ait eſſe negationem prædeſtinationis, & voluntatis Dei, qui noluit illis dare vt crederent: primi verò conditionati cauſam non aſſignat prædeſtinationem, & voluntatem Dei, ſed aſſignat auxilia diuinæ gratiæ, & diſpoſitionem naturæ ſubiecti; vnde fit, vt cum iiſdem planè auxiliis, quæ Deus dicitur cauſare in nobis ſine nobis, hæc natura humana taliter diſpoſita, ſit conſenſura, alia verò natura humana aliter diſpoſita non ſit conſenſura; ergo ſecundùm Auguſtinum ad veritatem futuræ fidei conditionatæ ſufficit gratia præueniens conditionata; nec præterea eſt neceſſarium decretum diuinæ voluntatis prædefinientis, ſed hoc tantùm requiritur ad eamdem fidem abſolutè futuram: alioqui non dixiſſet Auguſtinus de primo conditionato, *habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur adfidem, ſi,* &c. tunc enim fidem illam conditionatè futuram, non haberent *quidam*, ſed omnes, quia illa efficax Dei voluntas non eſt ſicut ſignum, ſiue auxilium, quod aliquos, verbi gratia, Tyrios, mouet ad fidem, alios, verbi gratia, Iudæos, non mouet ad fidem, ſed illa voluntas omnes infallibiliter moueret: nec haberent quidam *in ipſo ingenio*, ſed in Dei voluntate; nec ob *diuinum naturaliter munus intelligentiæ*, ſed ob ſupernaturale Dei decretum prædeterminans liberum illum motum ad fidem.

Ad ſecundum Aluarez, illud de minoribus impedimentis poſitis à Tyriis, quàm à Iudæis, non poſſe habere locum in caſu noſtro: quia non loquimur de ipſis gratiæ auxiliis, neque de diuina voluntate abſolutè dandi aut negandi talia auxilia, in quo caſu per plura, vel pauciora mala opera, poſſunt homines magis vel minus impediri, ad recipienda à Deo auxilia diuinæ gratiæ: ſed loquimur de prima voluntate Dei conditionata ex parte obiecti, antequam ſit, vel intelligi verè poſſit, futurum, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, aliquod impedimentum, aut quodcumque opus vel bonum, vel malum. Quæ voluntas ſecundùm aduerſarios de facto fuit reſpectu Tyriorum, non reſpectu Iudæorum; volunt enim ante præſcientiam conditionatam ſtatuiſſe Deum, credituros Tyrios, non Iudæos, ſi apud illos talia ſigna fierent; quæ ſigna deinde abſolutè decreuit fieri apud Iudæos, non apud Tyrios. Hoc autem puriſſimæ gratiæ, ac miſericordiæ decretum, omnino liberum, ac gratuitum, nullam habuit, nec habere potuit, ex parte creaturæ, cauſam impedientem, aut non impedientem, vt fieret; ergo propter hæc impedimenta non potuit Aluarez rectè aſſerere, *iure Iudæos increpari.* Si enim ab æterno Deus, vt dicitur ad Romanos 9. *Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit, cum nondum aliquid boni egiſſent, aut mali*, hoc eſt, nullo habito reſpectu ad præcedentia eorum opera bona vel mala, & conſequenter, ad minora vel maiora gratiæ impedimenta: cur priori voluntate conditionata, abſque eodem reſpectu, non dilexit Tyrios, & odio habuit Iudæos? & ſi non obſtante huiuſmodi impedimentorum diuerſitate, Deus voluntate abſoluta decreuit vt Chriſtus prædicaret, & ſigna oſtenderet Iudæis magis impeditis, non Tyriis minus impeditis; cur voluntate conditionata non decreuit pariter vt crederent Iudæi, non Tyrij? Adde ipſamet impedimenta haberi ſecundùm aduerſarios à decreto Dei prædeterminante; ergo ſi propter hoc decretum exprobratio Chriſti arguitur irrationabilis, non poteſt cenſeri rationabilis propter impedimentorum diuerſitatem, quæ etiam à decreto ortum habuit abſque vllo merito aut demerito impeditorum.

324. *Contra ſecũdam reſpõſionẽ Aluarez.*

Ad Rom. 9.

Ad primum Gonzalez, illud eſſe certum de decreto abſoluto prædefiniente, reſpectu pœnitentiæ abſolutè futuræ, vt ſupra num. 322. ad 1. Aluarez: falſum verò de decreto conditionato prædeterminandi, reſpectu pœnitentiæ conditionaliter futuræ: & ideo negatur ſimpliciter conſequentia, qua deducitur exiſtentia huius ſecundi decreti. 325.

*Contra primam reſponſionem Gonzalez.*





Ad

*Contra ſecũdam.* Ad 2. negatur antecedens. Difficile enim valde eſt, in hac opinione de decreto prædeterminante, neceſſario antecedenter ad veritatem cuiuſlibet futuri, tam abſoluti, quàm conditionati, ſaluare perfectam rationem auxilij ſufficientis ad hoc, vt aliquid ſit futurum, quod non eſt à Deo prædeterminatum vt ſit futurum; vt ex rationibus infra afferendis conſtare poterit. Et ad probationem ex exemplis ductam, patet, nullam prorſus eſſe in illis ſimilitudinem cum caſu noſtro; in quo reprehenduntur Iudæi, quòd ſine prædeterminante Dei voluntate, neceſſaria ad pœnitentiam agendam, pœnitentiam non fecerint, quam Tyrij feciſſent cum prædicta prædeterminatione: numquam autem hoc modo reprehendentur reprobi in comparatione ad Chriſtum, & Apoſtolos; nimirum, quòd reprobi non habentes eadem auxilia non fecerint eadem bona opera, quæ fecerunt Chriſtus, & Apoſtoli; ſtultè enim fingeretur Chriſtus in die iudicij ita reprehendens quemlibet reprobum, ego ſemper bene operatus ſum, & numquam peccaui; tu verò peccaſti. Paulus, quem circumfulſit lux de cœlo, & proprio ore Ieſus vocauit vt conuerteretur, conuerſus eſt, & ſeruiuit Domino; tu verò non item. Apoſtoli omnes poſt confirmationem in gratia, numquam peccarunt mortaliter; tu autem per peccatum mortale gratiam perdidiſti, & ſimilia; in quibus ſanè caſibus inter vnum, qui reprehenditur, & alium, qui laudatur, minor, aut ſaltem non maior eſt differentia, quàm in caſu noſtro. Nam decretum Dei efficax prædeterminans ad pœnitentiam factum pro Tyriis, non pro Iudæis, quo poſito, implicat contradictionem, Tyrios non agere pœnitentiam, non habet minorem connexionem cum pœnitentia, quàm vocatio illa Pauli cum conuerſione, vel confirmatio Apoſtolorum cum negatione peccati mortalis: ſicut igitur iſtæ comparatiuæ reprehenſiones non eſſent rationabiles propter has inæqualitates, quia ſcilicet non omnes reprobi vocati ſunt eo modo, quo vocatus eſt Paulus, nec erant confirmati in gratia ſicut Apoſtoli; ita irrationabilis de facto eſt iſta Chriſti reprehenſio, ſi ponamus, Deum ante quodlibet futurum, & ante quamlibet futuri præſcientiam, liberè, & efficaciter prædeterminare voluiſſe pœnitentiam Tyriorum, non autem Iudæorum. Quin etiam negari non poteſt, ſæpè reprobos habuiſſe maiora, id eſt, intenſiora auxilia, ſi loquamur de phyſica entitate, & intenſione, quàm viros ſanctiſſimos; ideoque etiam comparatione Apoſtolorum reprobos iuſtè reprehendi, quod iis cooperati non ſunt; ſicut reprehenduntur Iudæi comparatione Tyriorum.

326. *Contra tertiam.* Ad 3. nego, idem inconueniens reperiri in noſtra ſententia, in qua per ſcientiam conditionatam, ante vllum decretum prædeterminãdi, aſſerimus, Deum præuidere, quod ſi Tyrij, & Iudæi viderent eadem miracula, & interius haberent à Deo eaſdem illuſtrationes, & inſpirationes, Tyrij conuerterentur, Iudæi non conuerterentur, idque non præuidere Deum ex aliquo prædeterminante, ſed ſolùm ex libera propriarum voluntatum determinatione; ac proinde præuidere potuiſſe contrarium, nempe conuerſionem Iudæorum, non Tyriorum: poſt hanc autem præuiſionem, illam gratiam, quæ erat ſimpliciter habitura effectum, ſed fallibiliter, in quantum voluntas poterat illi reſiſtere, & liberè ſe determinare ad oppoſitum, eſſe effectum habituram non ſolùm ſimpliciter, ſed etiam infallibiliter, & neceſſariò ex ſuppoſitione conſequente determinationem, ex intrinſeca libertate factam, præuiſam ſub conditione.

Hac noſtra ſententia ſic breuiter explicata, quæ, quantum attinet ad efficaciam gratiæ, hoc loco ſupponenda eſt, alibi latè in diſp. de gratia efficaci demonſtranda, & amplius declaranda; manifeſtè apparet, Iudæos in comparatione gentilium iure optimo fuiſſe à Chriſto grauiſſimè reprehenſos illis verbis, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone*, &c. *Et tu Capharnaum vſque in infernum deſcendes, quia ſi in Sodomis*, &c. quia ſcilicet Iudęi, & non alij, habuerunt aliquam gratiam, quam eamdem ſi alij habuiſſent, conuerſi eſſent; & tamen Iudæi non ſunt conuerſi. Quare Iudæi reſpondere non poſſunt, ſi nobis dediſſes vocationem congruam, &c. quia per nos vocatio congrua, licèt ſit infallibilis à præſcientia Dei conditionata infallibili, tamen non eſt niſi poſt conſenſum noſtrum conditionatè præuiſum: vnde ſicut libertas noſtra eſt quædam præcedens ratio, vt, quia ſe determinat ad conſentiendum gratiæ, non ad diſſentiendum, ſcientia Dei conditionata videat conſenſum, non diſſenſum; ita etiam, vt infallibilis illa ſcientia gratiam illam congruam, ſiue efficacem, & infallibilem faciat; non tamen ſine habitudine ad conſenſum noſtrum conditionatè futurum, à quo etiam efficacia pendet; & ideo meritò nobis obiici poteſt, quòd illa gratia non fuerit congrua effecta; quódque data nobis non ſit gratia congrua, ſed incongrua, ſumendo pro nunc gratiam congruam, & incongruam, pro gratia efficaci infallibili, & gratia ſufficiente fallibili.

## *Idem probatur alijs Scripturæ locis.*

Secundò idem colligimus ex verbis 1. Regum 23. relatis ſupra num. 222. Nam deſcenſus ille Saülis in Ceilam contra Dauidem, & traditio illa Dauidis in manus Saülis à Ceilanis, ſunt actus moraliter mali, & infallibiliter à Deo præſciti futuri ſub conditione, vt ibi probaui, & non negant omnes aduerſarij; ergo non poſſunt eſſe decreti omnino antecedenter à ſanctiſſima Dei voluntate. Quod conſequens aliqui citati ſupra num. 111. negant; ſed quàm irrationabiliter, adnotaui breuiter ſupra num. 136. & infra latius oſtendam. Alij verò aduerſarij, vt Zumel ſupra n. 136. Gonzalez infra n. 365. fin. illud concedunt; ſed quàm conſequenter ad alias opiniones contra nos, oſtendi ſupra num. 111. & 129. & infra num. 365. Verè enim qui volunt, liberum arbitrium à Deo in tempore realiter prædeterminari per gratiam efficacem, vel vniuerſalius per generalem influxum, coguntur conſequenter aſſerere, habuiſſe Deum ab æterno intra ſe intentionaliter liberum decretum prædeterminandi, quo prædictam prædeterminationem ad extra cauſare efficaciter ſtatuerit. Nam cum nihil fiat niſi per liberam, & efficacem Dei voluntatem, & hæc, propter ſuam omnimodam immutabilitatem, non poſſit incipere velle in tempore, neceſſe eſt, vt quidquid fit in tempore, illud Deus ab æterno liberè, & efficaciter decreuerit facere in tempore. 327. *Secunda impugnatio ex verbis 1. Reg. 23.* *Teneri aduerſarios ponere in Deo decretũ prædeterminans ad actum peccati.*

Tertiò argumentari licet ex omnibus locis, in quibus Deus expectat, ac monet, vt faciamus bona, quę abſolutè non ſumus facturi, & vt non faciamus mala, quæ abſolutè ſumus facturi; huiuſmodi enim expectationes, atque exhortationes, videntur ridiculæ, imò etiã fatuæ, ſi nihil eſt ſub conditione futurum, aut non futurũ, quod non prius ſit efficaci Dei voluntate conditionata prædeterminatum ad vnũ, nempe ad futurũ dumtaxat, vel ad non futurũ dumtaxat, prout Deo liberè placuerit, independenter prorſus à noſtro libero arbitrio. Si v.g. crearentur Iudæi, qui de facto creati ſunt, & ponerentur ſub talibus circumſtantiis, ſub quibus de facto poſiti ſunt, adhuc præcisè per opinionem contrariam, ex libera voluntate Iudæorum nihil eſſet liberè futurum aut non futurum; ſed ſi intelligatur ſupra totum hoc obiectum antecedenter ad omnem vſum voluntatis Iudæorum, etiam futurum ſub conditione, aduenire diuinum decretum, prædeterminans vt Iudæi velint mala, & non bona, ſtatim illi facturi eſſent mala opera ex diuina prædeterminatione, tamquam ex cauſa, quam ipſi neque ponere, neque tollere poſſunt; & non eſſent facturi opera bona, ex defectu eiuſdem diuinæ prędeterminationis, tamquam cauſæ neceſſariæ ad bene operandum: hoc autem poſito, vt quid Deus contra Iudæos queritur Iſaiæ 5. *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Iudæi ex ſententia aduerſariorum, reſpondere facilè potuiſſent Deum vltra debuiſſe facere decretum prædeterminans ad bene operandum: nam poſitis reliquis omnibus antecedentibus conditionibus, ſi hæc ſola antecedens diuini decreti conditio deſideretur, implicat contradictionem, ipſos facere vuas bonorum operum; tamquam ſine dependentia à libera voluntate primæ cauſæ. Item non debuiſſe facere decretum prædeterminans ad faciendum labruſcas malorum operum; quo decreto poſito, implicat non facere actus prauos; ſicut vniuerſaliter, implicat non obedire efficaci Dei voluntati. Hæc autem decreta prędeterminantia, non eſſe in libera eorum poteſtate, ſed fieri ſolùm ex mera Dei libertate, abſque vllo præcedentium operum merito, ſeu demerito; imo ante omnem, etiam conditionatam præuiſionem operum: igitur Deum ſtultè quærere, quid vltra debui facere? debuit enim aliter decernere. Item, in vanum expectare vuas; ſcit enim, ipſum non decreuiſſe, vt fierent vuæ; & ſine ipſius decreto, vuas fieri non poſſe. Tandem immeritò conqueri de labruſcis, cum ipſe prius efficaci ſuo decreto, cui nulla creatura reſiſtere poteſt, præordinauerit vineam ſuam facere labruſcas. 328. *Tertia impugnatio ex locis, in quibus homines admonentur, ac reprehenduntur.* Iſaiæ 5.

329. Prouerb. 1. Eodem ferè modo expendi poſſunt verba illa Prouerb. 1. *vocaui, & renuiſtis.* Quid mirum ſi vocanti reſpondere nemo poteſt, niſi ipſemet decernat, vt ſi vocemur, reſpondeamus; & de facto ipſe liberè ex ſe noluit decernere, vt reſponderemus? Zachar. 1. & Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Si omnis noſtra conuerſio ad Deum, ante omnem noſtræ libertatis vſum, eſt prædeterminata à Deo, in nullo probabili ſenſu poteſt Deus ſapienter à nobis petere, nos prius ad ipſum conuerti, vt ipſe deinde ad nos conuertatur; nam quæcumque noſtra conuerſio, ſi non ſolùm eſt à prima cauſa, vt concomitanter concurrente, ſed etiam vt antecedenter prædeterminante, non poteſt vlla ratione prius tribui nobis, quàm Deo; quod inconueniens non eſt in noſtra ſententia, qua docemus, ipſammet voluntatem ex ſe, & non ab alio determinari ad conuerſionem, non ad oppoſitum; ac proinde voluntatis libertatem eligentis conuerti, & non reſiſtere, eſſę priorem quamdã rationem, ob quam Deus conuertatur ad nos concurrendo ad noſtram conuerſionem, non ad reſiſtentiam; ad quam vtrique Deus concurriſſet, & non ad conuerſionem, ſi voluntas ad illam, non ad hanc determinare ſeſe liberè voluiſſet. Trident. Et ideo ſapientiſſimè Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. docuit quòd prædictis Scripturæ verbis, *libertatis noſtræ admonemur.* Sotus. Et Sotus cit. ſupra n. 292. quòd *ordo iſte à nobis inchoat.* & Apoc. 3. *Sto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum*, &c. Apocal. 3. Si Deus prius pulſat per gratiam pręuenientem, & deinde ſtat ad oſtium, & expectat vt illi aperiamus, & conſentiamus gratiæ, ergo non prædeterminauit ſub conditione, vt ſi hic homo taliter vocetur, conſentiat: tunc enim ridiculè peteret, & expectaret, vt hîc, & nunc conſentiamus; quia poſita ſua illa prædeterminatione, nos non poſſumus non conſentire hîc, & nunc, talis enim petitio, & expectatio, ex communi omnium conceptu, ſupponit, poſſe non haberi aliquid ab eo à quo illud petitur, & expectatur, v.g. qui pulſat ianuam, & expectat ſtans ad oſtium, vt intret ſi illi aperiatur, ideo hoc facit, quia ſcit poſſe ſimpliciter illi non aperiri, & non intrare: alioqui ſi certiſſimus eſſet quòd poſt ſuam pulſationem qui intus eſt non poteſt non aperire, & ipſe non poteſt non intrare tali hora, hic ſanè videretur amens, vel velle decipere, aut iocari, ſi diceret, tali hora ſto ad oſtium, & expecto intrare ſi quis mihi aperuerit; atque alia ſimilia paſſim occurrunt in ſacris literis.





## PVNCTVM III.

### *Decretum prædeterminandi impugnatur ex Patribus.*

SVMMA.

1 *Referuntur Patres docentes, voluntatem non ab alio determinari, ſed à ſeipſa. à num. 330. ad 333.*

2 *Referuntur Patres docentes, res prius eſſe futuras, quàm præſciri à Deo vt futuras. num. 333.*

3 *Referuntur alij negantes decretum prædeterminans ad actus malos. 334. ad 337.*

4 *Expenduntur multa alia Patrum dicta. num. 337. ad 342.*

FAuent primò qui docent, voluntatem non à Deo, ſed à ſeipſa determinari: quod maximè contradicit opinioni de decreto conditionato antecedente ſcientiam conditionatam, quia huius decreti determinatio eſſet omnium maxima, cui ne ipſe quidem Deus repugnare poteſt: eſſet etiam antecedens omnem creatæ libertatis vſum, etiam præuiſum vt conditionatè futurum, ergo ita eſſet à Deo, vt nullum omnino creatæ voluntati locum relinquat liberè ſe determinandi. Ita Auguſtinus, Iuſtinus, Chryſoſtomus, & Damaſcenus ſupra num. 156. idem præterea Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. multò poſt principium ait, *Deus, vt velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuum, vocando; noſtrum, ſequendo.* Profectò ſi Deus, ſicut omnino independenter ab vſu noſtri liberi arbitrij, prædeterminauit nos vocare, ita etiam prædeterminaſſet nos velle, & ſequi: iam ſicut ipſum vocare, totum eſt ſuum, & non partim ſuum, partim noſtrum; ita ipſum noſtrum velle eſſet pariter totum ſuum, & non vna ratione ſuum, & alia ratione noſtrum. Illud igitur, *ſequendo*, vt ea ratione ſecundùm Auguſt. intelligatur eſſe velle noſtrum, & non Dei, idem eſſe debet quod, *determinando*; ergo volumus independenter ab aliquo diuino decreto, prædeterminante vt velimus: tunc enim velle ſequendo, ſeu, determinando nos vt velimus, eſſet ſolius Dei; ſaltem non minus eſſet Dei, quàm noſtrum; & ſic falsò Auguſtinus dixiſſet, eſſe noſtrum, abſolutè, opponendo hoc eſſe noſtrum, ad eſſe ſuum, hoc eſt, Dei. Et lib. octoginta trium quæſtionum, quæſt. 68. aliquanto ante finem, 330. *Voluntatem determinari à ſeipſa non à Deo, docent.* Auguſtin. Iuſtin. Chryſoſt. Damaſcen. Auguſtin.

finem, *Nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt; vocatio ergo voluntatem operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit, quòd venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quòd vocatus eſt.* Nulla alia redditur cauſa, cur qui venerunt, non poſſint id ſibi tribuere, niſi quia *vocati venerunt*: & cauſa operatiua noſtræ volitionis ſolùm dicitur vocatio, ergo præter voluntatem vocandi, fingitur in Deo alia voluntas prædeterminans conditionatè, vt ſi quis vocetur, veniat: tunc enim venire multò magis cauſaretur à voluntate prædeterminandi, eíque tribui poſſet: imò non magis tribuere ſibi poſſet homo, quòd venerit vocatus, quàm quòd vocatus fuerit; quia tam prædeterminaſſet ſolus Deus, vt vocetur, quàm vt veniat vocatus.

331. Hieronym. Eodem Dei ſpiritu ductus B. Hieronymus, eadem fermè verba habet Iſaiæ 49. poſt principium, vbi probans, ſeruari liberum hominis arbitrium, etiam in operibus gratiæ, quæ Deus maximè decernit, ait, *Dei enim vocare eſt, & noſtrum credere.* Chryſoſt. Item multò clarius Chryſoſtomus homilia duodecima in epiſtolam ad Hebræos, poſt medium, vbi ad ſaluandam arbitrij noſtri libertatem, ita Deo tribuit omnia noſtra bona opera, vt nobis, & non Deo, tribuat liberam determinationem, his verbis: *Oportet nos quippe eligere primùm quæ bona ſunt, & tunc ipſe, quæ ſua ſunt introducit. Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium: cùm autem nos elegerimus, multam tunc nobis adfert auxiliationem.* & homil. 65. in Matth. in med. *Quando porro Deus voluit? ſcilicet vocare Paulum. Quando certè obtemperaturus erat; nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet, ſed quia illum renixurum, ſciebat, tunc voluit, cùm animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat: ſic & latronem, cum poſtea vocauit, potuiſſet antea ipſum vocaſſe; ſed vocatus ille non paruiſſet.* Hæc verba ſibi nimis contraria eſſe ſentit Bagnes infra quæſt. 23. art. 5. ante §. *Ad complementum.* Et ideo dixit, *Cautius legendus eſt Chryſoſtomus.* & paulò poſt: *Hæc verba Chryſoſtomi habent difficillimam explicationem.* *Notatur animaduerſio Bagnes cõtra Chryſoſtomũ.* Verùm nulla alia prorſus in citatis Chryſoſtomi verbis, difficultas eſt, niſi quòd determinationem ad bene vel malè operandum, libero tribuit arbitrio, non autem diuinis decretis, ac motionibus. Supponit igitur Chryſoſtomus, tamquam rem certiſſimam, omnes gratias præuenientes, quas Deus operatur in nobis ſine nobis: (malè enim infamatur his locis tantus Doctor à nonnullis tamquam Pelagianus: quod alij, verbis quidem modeſtioribus, ſed fortaſſe idem ſonantibus, dicunt, cautè eſſe legendum:) cùm igitur ſupponat Chryſoſtomus omnes prȩuenientes gratias, de reliquis, quæ ſequuntur cùm liberè conſentimus gratiæ, ait, *Nos primùm eligere*, ſcilicet per noſtram liberã determinationem, quam Deus ſequitur coadiuuando, & *introducendo quæ ſua ſunt*; nam vt optimè dixit Sotus ſupra n. 292. *Ordo iſte à nobis incboat*; neque hoc in re differt ab eo quod dixit Auguſtinus ſupra, *vt velimus ſequendo, noſtrum eſt.* & n. 156. *Conſentire vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Imò quod in Scriptura locis citatis ſupra n. 149. dicitur Deus à nobis expectare. Præterea Deus, *non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium*: ſed diuinum aduerſariorum decretum, quod hîc impugnamus, maximè antecedit noſtras voluntates; ergo illo, ex grauiſſima Chryſoſtomi ſententia maximè læditur liberum arbitrium. Demum ſi Deus ex præſcientia conditionata non vult vocare hoc tempore, quando ſcit quòd ſi quis vocaretur non pareret, ſed vult vocare alio tempore, quando ſcit quòd ſi quis vocaretur, pareret, manifeſtum eſt, obedientiam noſtram non haberi ex decreto ante præſcientiam conditionatam; tunc enim eſſet impoſſibile, Deum præſcire non pariturum eum, quem efficaciter prædeterminauit vt pareret: & non eſſet neceſſarium, imò eſſet ridiculum, attendere hoc vel illud tempus, quo præſcitur homo vocationi conſenſurus, nam cuicumque vocationi, & quocumque tempore Deus efficaciter vult me conſentire, ego ſum infallibiliter conſenſurus. hæc igitur euidenter oſtendunt, quòd ſecundùm Chryſoſtomum, liberi conſenſus aut diſſenſus, futuri ſub conditione gratiæ præuenientis, habentur ex libero arbitrio ſe determinante, & non ex aliquo antecedente Dei decreto, prædeterminante liberum arbitrium; & conſequenter, abſque huiuſmodi decreto dari in Deo conditionatam præſcientiam de prædictis effectibus.

Item Anſelmus lib. de Concordia cap. 1. multò 332. poſt medium docet, voluntatis arbitrium, etiam Anſelm. vrgente mortis periculo, non neceſſitari ad faciendum opus aliquod iuſtum, vel iniuſtum; quia, inquit, *Sola voluntas determinat ibi quid teneat: nec aliquid facit vis neceſſitatis, vbi operatur electio ſola voluntatis.* Qui ponunt decretum diuinum primò determinans voluntatem vt faciat talem effectum poſita tali conditione, non poſſunt dicere cum Anſelmo, *Sola voluntas determinat, & eligit.*

Damaſcenus lib. 2. Fidei, c. 30. initio, *Oportet*, inquit, Damaſcen. *cognoſcere, quòd omnia quidem præcognoſcit Deus, non autem omnia prædeterminat; præſcit enim ea, quæ in noſtra poteſtate ſunt, at non ita prædeterminat.* Quæ verba referens, & ſibi obiiciens S. Thomas infra S. Thomas. q. 23. art. 1. arg. 1. reſpondet, *quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem, impoſitionem neceſſitatis: ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum.* Et hanc neceſſitatem ſequi ex decreto Dei prædeterminandi, apertè ſignificat ipſemet Damaſcenus: nam immediatè poſt verba citata, reddens rationem cur Deus non prædeterminet actus liberos, qui ſunt in nobis, ait id oriri ex eo quòd tam ad actus malos, quàm ad actus bonos, *neque cogit, neque vim affert.* Et S. Thomas loco citato, ex eo quòd prædeſtinatio liberorum actuum non fieret per diuinæ voluntatis prædeterminationem, ita concludit, *vnde prædeſtinatio non excluditur*: & tamen nihil hodie frequentius apud aduerſarios, quàm prædeſtinationem primò incipere ab æterno à decreto prædeterminante, & terminari deinde in tempore ad præmotiones, & influxus prædeterminantes. Eadem Damaſceni verba refert S. Thomas 3. contra gent. cap. 90. fin. & obiicit contra diuinam prouidentiam quam Deus habet, etiam de actibus noſtris liberis, & ita reſpondet, *ſunt exponenda, vt intelligantur ea, quæ ſunt in nobis diuinæ determinationi non eſſe ſubiecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia.* vbi illud, *quaſi*, non ponitur ad ſignificandum, dari aliam quamdam prædeterminationem, quȩ neceſſitatem non imponat, vt quidam Thomiſtæ dicunt; nam omnis prædeterminatio ad *Omnis prædeterminatio tollit libertatis indifferentiam.* vnum, tollit indeterminationem, & indifferentiam ad plura, in qua differentia poſitus eſt eſſentialis conceptus cauſæ liberæ, ſeu contingentis, quæ, inquit S. Thomas hîc, *ſe habet ad oppoſita*; vnde verbis ſupra citatis, cum Damaſceno abſolutè, & vniuerſaliter de prædeterminatione ait, *Nominat impoſitionem neceſſitatis.* Eſt igitur additum illud, *quaſi*, ad explicandam cauſam cur noſtra libera opera non ſint ſubiecta diuinȩ determinationi, ſed ſolùm diuinæ prouidentiæ, quod immediatè antea dictum fuerat. *Quaſi ab ea neceſſitatem accipientia*, hoc eſt, quia ſi ſubiicerentur diuinæ determinationi, acci-





perent ab hac determinatione neceſſitatem: ſicut ſi quis diceret, *Voluntas non mouetur à ſolo Deo, quaſi ab eo neceſſitatem accipiens*; non ſignificaret, poſſe voluntatem moueri à ſolo Deo in aliquo caſu, & tamen non accipere neceſſitatem: ſed ſolùm afferret cauſam, cur voluntas non ſolùm moueatur à Deo, ſed etiam à ſeipſa, alioqui non eſſet libera. In hoc eodem ſenſu eadem Damaſceni verba clariſſimè exponit Alenſis 1. p. q. 40. membro 4. Alenſis. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd voluntas beneplaciti, eſt reſpectu bonorum dupliciter; aut cum prædeterminatione, vt eorum, quæ non ſunt in poteſtate arbitrij; & hæc ſunt alligata neceſſitati: aut ſine prædeterminatione; & hoc modo eſt bonorum, quæ ſunt in poteſtate arbitrij.*

## *Secunda deductio ex Patribus.*

333. *Ex ijs, qui docent prius eſſe, res eſſe futuras, quã Deũ præſcire res futuras.* Fauent ſecundò multi Patres citati ſupra art. 8. à num. 48. ad num. 54. qui vt explicarent libertatem noſtram in operando, docuerunt, eſſe neceſſarium negare hanc cauſalem. Ideo operatio eſt futura, quia Deus futuram præſciuit: ſed eſſe veram hanc aliam cauſalem oppoſitam. Ideo Deus præſciuit operationem eſſe futuram, quia illa erat futura: at per aduerſarios, prius, tamquam cauſa, eſt, Dei decretum determinans talem operationem fieri ab hac voluntate in hac vel illa differentia temporis, quàm operationem illam eſſe futuram, qui eſt effectus decreti prædicti, ergo conſequenter, prius eſt, Deum ſcire decretum, quàm futuritionem; quia, qui concipitur ordinatè ſcire, ſicut à nobis debet concipi Deus ſcire, prius ſcire debet cauſam, quæ eſt natura prior, quàm effectus, qui eſt natura poſterior: vndè ipſimet aduerſarij, admiſſis eorum prædeterminationibus, rectè aſſerũt, Deum ſcire effectum determinatum in cauſa determinata; non autem contra, cauſam determinatam in effectu determinato. Ex hac opinione, per has conſequentias ſic explicata, ſequitur neceſſariò de prædictis cauſalibus eſſe dicendum totum oppoſitum eius, quod dicunt Patres; ſi enim prius eſt ſcire cauſam rei futuræ, quàm rem eſſe futuram, ergo ideo res eſt futura, quia Deus futuram præſciuit; & non ideo Deus præſciuit rem futuram, quia erat illa futura; & ideo omnes aduerſarij conantur huiuſmodi Patrum cauſales exponere, ſed quàm inſufficienter, conſtat ex dictis ibidem à num. 86. ad num. 101. Quod autem liberi effectus futuritio præcedat non ſolùm Dei ſcientiam, ſed etiam voluntatem prædeterminantem, ſatis expreſſit ibi Iuſtinus illis verbis, Iuſtinus. *Non igitur cauſa eſt Deus virtutis noſtræ, aut vitij; ſed propoſitũ noſtrum, & voluntas.* & Hieronymus, Hieronym. *Ideo præſciuit Deus, quia ille erat propria voluntate facturus.* & Cyrillus, Cyrillus. *Quoniam ita nonnulli ſponte facturi erant, idcirco præſciens Spiritus ſanctus futura prædixit.* & Auguſtinus, Auguſtinus. qui, vt ibi expoſui, docet, hominem ex nullo alio capite peccare, niſi quia ipſe eſt peccaturus. & Damaſcenus, Damaſcen. *Vt ea, quæ facturi ſumus præſciat Deus, à nobis proficiſcitur*; ergo non à decreto prædeterminante. & omnes Patres, quod videre maximè eſt in Hieronymo, cuius verba attuli ſupra num. 220. prædictis cauſalibus intendunt ſaluare libertatem, ex eo quod futurum eſt hoc, & non oppoſitum, propter ſolam ſpontaneam liberi arbitrij determinationem, & non propter determinatam Dei ſcientiam; nec, pari ratione, propter aliquam determinatam Dei voluntatem; cùm non minus, imò multò magis libertati præiudicet, ſubiacere noſtram voluntatem, eiúſque operationem, præcedenti decreto diuinæ voluntatis, quàm præcedenti ſcientiæ diuini intellectus, ergo qui, ad ſaluandam libertatem, cenſet, nos indeterminatè operando non ſubiacere ſcientiæ prȩdeterminanti, idem aſſerere debet reſpectu decreti prædeterminantis; alioqui, vt prudenter notat Leſſius de gratia cap. 3. fin. *Notãda Leſſij animaduerſio.* hæc Patrum ratio ſaluandi libertatem, non obſtante Dei prouidentia & cauſalitate, fuiſſet ſatis friuola; quia libertatem conciliaſſent cum diuino intellectu, non cum diuina voluntate, à qua libertas multò magis poteſt impediri; ergo ſi de ſola Dei præſcientia loquuntur, id eſt, quia hæc eo tempore ab infidelibus maximè obiiciebatur contra libertatem; idem omnino dicturi, de Dei voluntate ad vnum prædeterminante, ſi hanc etiam obieciſſent: ſi enim antecedentiam diuinæ ſcientiæ determinatæ iudicarunt Patres nocere libertati, cur non idem iudicaſſent de antecedentia diuinæ voluntatis prædeterminantis? Ergo Patres in ſecunda cauſali, qua rei futuritionem præponũt præſcientiæ Dei, dicentes, ideo futura præſciri à Deo, quia ſunt futura, cenſendi ſunt excludere voluntatem, & omnem aliam extrinſecam cauſam prædeterminantem: illud enim, *quia ſunt futura*, apertè ſignificat determinationem futuri à nulla alia cauſa prædeterminante oriri, ſed à ſola cauſa libera ſe determinante; ſi enim oriretur ab extrinſeca Dei voluntate prædeterminante, non dixiſſent Patres, rem præſciri quia eſt futura, ſed quia eſt præuolita, & prædeterminata à Deo, *Ineptè enim dixeris*, inquit Leſſius ſupra, *Deum ab æterno præſciuiſſe futuros Angelos, quia futuri erant; cùm cauſam cur futuri eſſent, ipſe apud ſe haberet, ſuum decretum.* Vnde Caluinus apud Leſſium ſupra, de ſola Caluinus. præſcientia diminutè intelligens Patres, eos eluſit his verbis, *Cum non alia ratione præuideat Deus quæ futura ſunt, niſi quia ita vt fierent decreuit; fruſtra de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat, ordinatione potius, & nutu omnia euenire.* Ne igitur ab hæreticis Patrum doctrina dicatur fruſtratoria, debet à Catholicis rectè intelligi tam de Dei præſcientia, quàm de voluntate, de qua expreſsè cauſalem expoſuit Anſelmus de caſu Diaboli cap. 3. poſt medium di- Anſelmus. cens, *Quia Diabolus, qui accepit velle, & poſſe accipere perſeuerantiam, & velle, & poſſe perſeuerare, ideo non accepit, nec perſeuerauit, quia non perſeuerare voluit*; per aduerſarios autem hæc cauſa eſſet, quia non voluit Deus vt perſeueraret: neque enim per ipſos poſſumus velle perſeuerare, niſi prædeterminante diuina voluntate vt perſeueremus. & paulò poſt, *Iterum dico quia non ideo non accepit, quia Deus non dedit, ſed ideo Deus non dedit, quia ille non accepit; accipere autem*, inquit Auguſt. cit. ſupra num. 152. circa finem, *vtique accipientis eſt.*

## *Tertia deductio ex Patribus.*

Fauent tertiò Patres omnes docentes, Deum 334. non decreuiſſe actus malos, quos etiam à Deo de- *Diuinum decretum prædeterminãdi ad actus malos, negant.* cretos eſſe fatentur aduerſarij, & loquuntur conſequenter principia, quibus contendunt decretos eſſe actus bonos, vt notaui ſupra num. 327. Augu- Auguſtinus. ſtinus lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. circa medium. *Obduratio Dei eſt nolle miſereri; ita vt non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior non erogetur.* Non irrogare aliquid, quo, &c. eſt non dare aliquid poſitiuum; nulla autem cauſa poſitiua poteſt primariò, & per ſe referri ad effectum negatiuum, ſed poſitiuum, ergo loquitur Auguſtinus de ipſa reali entitate actus mali, non de formali malitia, quæ eſt negatio. Si nihil dat in

tempore Deus,quo fiat entitas peccati, ergo illam entitatem fieri non decreuit ab æterno. & lib. 2. de peccatorum meritis,& remiſſione,cap.18. *Malam voluntatem Deo eſſe tribuendam, nefas eſt dicere.* & poſtea ita concludit, *quocirca quòd à Deo nos auertimus, noſtrum eſt; & hæc eſt voluntas mala: quòd vero ad Deum nos conuertimus, niſi ipſo excitante, atque adiuuante non poſſumus.* Si ad actionem, qua à Deo nos auertimus, quam vtique actionem vocat Auguſtinus, *voluntatem malam,* neceſſe eſſet diuinis decretis, ac motionibus prædeterminari, hæc profecto actio, ac proinde omnis negatio eam conſequens,Deo maximè tribuenda eſſet; ſaltem de voluntate mala dicere liceret, eam nos habere non poſſe,niſi Deo efficaciter decernente, ac prædeterminante vt habeamus:ſicut de voluntate bona dixit Auguſtinus,non poſſe haberi,niſi Deo excitante, atque adiuuante: enimuerò prædeterminari ad aliquid faciendum,longè maius eſt quàm excitari, & adiuuari, ergo ſi propter hoc cenſet Auguſtinus, bonam voluntatem tribuendam eſſe Deo authori;idem multò magis cenſendum eſt de voluntate mala. & clarius cap. ſequenti 19. *Extolli in ſuperbiam, propriæ voluntatis eſt hominum, non operis Dei:neque enim ad hoc eos compellit,aut adiuuat Deus.* Illud, *extolli,*clariſſimè ſignificat actum poſitiuum, ad quem ſi Deus prædeterminat,ergo adiuuat,imò etiam compellit; quia prædeterminare, interdum ab aduerſariis dicitur, compellere, idque probant ex illo Lucæ 14. *Compelle illos intrare:*& ex oratione Eccleſiæ in Secreta,quæ dicitur in miſſa Dominicæ quartæ poſt Pentecoſten, in qua petitur, vt Deus compellat noſtras rebelles voluntates. Vbi compulſio ſumitur metaphoricè, pro vehementi quadam inductione morali, vt ſæpe alibi in ſcriptura, & in communiſſimo loquentium vſu: at apud aduerſarios, præter inductionem moralem, ponitur ad actus liberos bonos neceſſaria alia quędam phyſica prædeterminatio, quæ alia eſſe non poteſt niſi vera, ac propria compulſio, ſeu neceſſitas. Cum igitur doceat Auguſtinus,Deum entitatem materialem peccati ſuperbiæ non operari adiuuando,ſcilicet per aliquid præmouens, quo modo operatur actus bonos, illam ſanè Deus multò minus operabitur prædeterminando. Præterea lib.6. Hypognoſticon circa medium dicitur Deus, *Præſciſſe tantùm,non prædeſtinaſſe, nec præordinaſſe, nec impuliſſe homines ad opera impietatis, & vt faciant ea, quæ non conueniunt:* vbi clarè ſermo eſt de ipſis actibus,& operibus; idque ſtatim confirmat exemplo Iudæ, cuius multis actionibus prauis commemoratis,ſubdit, *Præſcitus eſt,non factus,quòd talis aduerſus filium Dei futurus eſſet; ſi enim factus eſſet,inculpabilis eſſet,& Dei opificio reputaretur, non Iudæ; & iniuſtè in eum prolata damnatio eſſet,ſed abſit hoc de ſummo bono iudice; quia mala Iudæ præſciuit tantùm, non fecit, nec prædeſtinauit:* ſi opera mala Deus non facit, nec præordinat, nec prædeſtinat, ſed tantùm præſcit, ergo eorum præſcientia eſt in Deo ante vllum decretum efficaciter cauſans, & prædeterminans illa; vnde paulò poſt ſic concluditur, *Tenenda eſt igitur inconcuſsè huius diſputationis regula, quæ diuinis teſtimonijs claruit, peccatores in malis proprijs, antequam eſſent in mundo, præſcitos eſſe tantùm, non prædeſtinatos.* & poſt multa, iterum. *Qui perdurant in operibus malis, non eos dicimus ita à Deo ordinatos, tamquam ipſe illis mores malæ vitæ creauerit; abſit hoc à diuino propoſito: non enim volens eſt iniquitatem Deus; nec mandauit cuiquam impiè agere, nec alicui dedit laxamentum peccandi.* Et quamuis hi libri Hypognoſticon non cenſeantur Auguſtini, tamen ſunt authoritatis non contemnendæ,quia, vt docet Cardinalis Bellarminus lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis, verbo, *Auguſtinus,* in obſeruatione tomi ſeptimi, *eruditi ſunt, & vtiles, & vetuſti Authoris.*

Luc.14. *In quo ſenſu dicatur Deus nos compellere ad actus liberos.*

*Libros Hypognoſticō nō eſſe Auguſtini.*

335\. Prosper. *Reſponſiones ad obiectiones Vincētianas sūt Proſperi, nō Auguſtini.*

Præterea Proſper in Reſponſionibus ad capitula obiectionum Vincentianarum, quæ reſponſiones habentur etiam apud Auguſtinum in tomo 7. ante libros Hypognoſticon,ſed ſunt Proſperi,non Auguſtini, vt notauit idem Bellarminus ſupra, in reſponſione ad obiectionem ſextam ita habet, *Sicut præuaricatoribus angelis nō Deus indidit illam,qua in veritate non ſteterunt, voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum,quo Diabolum imitarentur, inſeruit. Mendax enim de proprio loquitur.* verba illa, *voluntatem,affectum,de proprio loquitur,* clariſſimè ſignificant materiale peccati. & Reſponſione ſeptima, *Nullo modo credendum eſt, huiuſmodi homines in hanc deſperationem ex Dei voluntate cecidiſſe.* & grauiſſimè in Reſponſione decima, *deteſtanda, & abominanda opinio, quæ Deum cuiuſque malæ actionis credit authorem. Cuius prædeſtinatio nunquam extra bonitatem,nunquam extra iuſtitiam eſt.* ergo non prædeſtinat,aut decernit entitatem materialē peccati;quæ etſi phyſicè bona ſit,moraliter tamen, cum ſubſtet formali malitiæ, procul dubio eſt extra bonitatem,& iuſtitiam. Et paulò poſt,ipſoſmet poſitiuos peccatorum actus clarius exprimens, ait, *Non ergo caſus ruentium, nec cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitauit,aut ſuaſit,aut impulit,*ergo multò minus prædeterminauit ſuo efficaci decreto, quod eſt cauſa omnium fortiſſima. & Reſponſione vndecima, *Nihil taliū negotiorum Deus prædeſtinauit vt fieret: nec illam animam nequiter,turpitérque victuram,ad hoc vt taliter viueret, præparauit: ſed talem futuram non ignorauit;& de tali iuſtè ſe iudicaturum eſſe præſciuit.* Præſcientiam apertè admittit abſque prædeſtinatione,& decreto. & Reſponſione decimaquarta, *Nefas eſt, Deo aſcribere cauſas talium ruinarum: qui, etſi ex æterna ſcientia præcognitum habet, quid vniuſcuiuſque meritis retributurus ſit, nemini tamen, per hoc quòd falli non poteſt, aut neceſſitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio, ſua concupiſcentia trahitur, ſua perſuaſione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius,nihil agit Spiritus ſanctus; nec in tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit; cuius opere multos ſcimus, ne laberentur, retentos; nullos tamen, vt laberentur, impulſos.* Loquitur de eo, ad quod homo, *ſua concupiſcentia trahitur,* & in quo, *ſua perſuaſione decipitur;* hoc autem ſine dubio eſt bonum delectabile,quod eſt materiale peccati;& non moralis malitia,quæ eſt formale peccati: nemo enim concupiſcit, & ſibi perſuadet malum, quà malum eſt,ſed quà bonum;ergo doctiſſimo, ac ſanctiſſimo viro teſte, aſſerere *nefas eſt, in tali negotio,* hoc eſt, materiali opere, quod, attentis omnibus circumſtantiis, in quibus hîc, & nunc fit, moralem malitiam neceſſario annexam habet, *quicquam diuinæ voluntatis interuenire;* & tamen aduerſarij ſecurè affirmare non dubitant, in tali negotio omnem poſſibilem Dei voluntatem interuenire, nempe, non ſolum voluntatem concurrendi quando ad illud ipſa ſeſe determinat creatura,illud ex ſe liberè eligendo;ſed etiam efficacem voluntatem, qua, antequam creatura ſit, & præuideatur ſe determinatura, & electura illud, prædeterminetur ad eligendum, & faciendum illud, & non oppoſitum. Poſtremò omnes pios Theologos terrere debet ſententia eiuſdem Proſperi ad capitula Gallorum, ſententia ſuper 14. cap. *Qui dicit, quòd qui euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant, & quòd Deus ita definierit, non eſt Catholicus. Sicut enim fides, Dei donum eſt; ita infidelitas, conſtitutio Dei non eſt.*



336\. Euſebius.

Euſebius quoque lib. 6. de præparatione euangelica cap. 5. multò poſt medium, *Impius profectò iudicabitur, imò verò peſſimus omnium qui à creatore vniuerſi, alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad alia vitia impelli arbitretur.*

Leo Papa. Actor.4.

S.Leo Papa ſermone decimo ſexto de Paſſione, tractans illud Actor.4. *Conuenerunt aduerſus Ieſum, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri,* ſic ait, *Nunquid iniquitas perſequentium Chriſtum,ex Dei eſt orta conſilio? & illud facinus,quod omni maius eſt crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de ſumma iuſtitia ſentiendum eſt. Non inde proceſſit voluntas interficiendi, vnde moriendi:* ſed voluntas paſſionis, & mortis Chriſti proceſſit ex efficaci Dei decreto. ergo ex hoc non proceſſit voluntas occiſionis Chriſti. Et tandem ſic concludit, *Non egit Chriſtus, vt hæc vellent; ſed ceſſit, vt poſſent.* At ſi Deus ante omnem futuritionem,& præſcientiam, prædeterminaſſet, vt Iudæi vellent Chriſtum interficere,tunc vtique maximè egiſſet,vt vellent.

Fulgentius.

Fulgentius lib. 1. ad Monimum, multò ante medium,Deum prædeſtinare peccata, ait implicare contradictionem his verbis, *Poſſet peccatum ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum iuſtè peccare.* & ipſum loqui de peccatis quoad materiale,patet,quia ſtatim peccata vocat, *opera non ſua,* hoc eſt, Dei: & ſubdit, *Hoc itaque prædeſtinauit Deus, quod erat ipſe facturus,* hoc eſt, opera bona, *illud vero nullatenus prædeſtinauit, quod facturus ipſe non fuit,*hoc eſt,opera mala. Et cùm multa in eamdem ſententiam ſubieciſſet, tandem ſic concludit, *Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædeſtinauit, quia homini eam daturus ipſe non fuit.* & poſtea ita optimè arguit, *Iniquitas, quia in Deo non eſt, vtique ex Deo non eſt:* ſed in Deo non eſt iniquitas, neque quoad formale, neque quoad materiale, ergo vtraque ratione non eſt pariter ex Deo. Quæ omnia intelligenda ſunt de eſſe ex Deo,tamquam ex Authore,ita vt ipſi poſſint moraliter imputari per prædeterminationem; non autem de eſſe ex Deo phyſicè, tamquam ex prima cauſa, per concurſum, & cooperationem. vnde aliquantò poſt manifeſtè loquens de ipſo opere,quod eſt materiale peccati,idem argumentum proſequitur his verbis. *Si dixerimus hominem à Deo prædeſtinatum ad opus aliquod malum, nos Deo, miſericordi, & iuſto, tale opus (quod abſit) adſcribimus. Prædeſtinatio enim eius, præparatio eſt operum eius.* & multis interiectis ita ſtatuit, *Proinde fidelibus congruit credere, & fateri, Deum præſciſſe quidem peccaturos homines, non tamen prædeſtinaſſe: quia ſi ad peccatum aliquod hominem Deus prædeſtinaret, pro peccatis hominem non puniret. Nunquam igitur Deus ad hoc hominem potuit prædeſtinare,quod ipſe diſpoſuerat, & præcepto prohibere,& miſericordia diluere,& iuſtitia punire.* Sed conſtat, Deum non prohibere præcisè malitiam, aut remittere,aut punire;prohibet autem, & remittit, & punit ipſum actum malum; ergo hunc eumdem non prædeſtinat, neque ipſe primus efficaci ſuo decreto prędeterminat,vt fiat,& veritatem habeat futuri conditionati, & conſequenter abſoluti; de quo futuro abſoluto loquuntur citati Patres, ſed eadem eſt ratio de conditionato:quia idem omnino, quoad ſubſtantiam ipſius actus, eſt decretum conditionatum, vi cuius eſt futurum conditionatè peccatum,& decretum abſolutum, vi cuius peccatum eſt abſolutè futurum: ſolùm enim differunt ex parte extrinſecæ conditionis, qua nondum purificata, decretum dicitur conditionatum; purificata verò, dicitur abſolutum; ergo Patres negantes, peccata abſolutè futura pendere ab abſoluto Dei decreto prædeterminante, cenſendi ſunt conſequenter negare, peccata conditionatè futura pendere à conditionato Dei decreto prædeterminante.

*Patres negātes, Deū prædeterminare actus malos abſolutè futuros, ſunt etiam intelligēdi de conditionatis.*

## *Aliæ deductiones ex Patribus.*

337\. *Prima deductio ex ijs, quæ docēt de modo, quo Deus nos vocat.*

Sunt quoque alia Patrum dicta pro eadem concluſione. Primò nonnulli cauſam propter quam aliqui conſentiant diuinæ vocationi,aliqui diſſentiant, referunt in hunc vel illum vocandi modum, & ad hoc vel illud tempus in quo vocantur. Hæc autem cauſa,vt contra Aluarez notaui etiam ſupra num.294. & 331. inſufficienter, & inutiliter redderetur,ſi vera eſſet contraria ſententia de decreto antecedenter neceſſario ad ſcientiam conditionatam. Inſufficienter quidem, quia quicumque vocandi modus excogitetur, etiam ſi ſit modus, quo Paulus Apoſtolus vocatus eſt, vel quiuis alius efficacior vocandi modus, niſi Deus ex ſe omnino liberè faciat decretum conditionatum de conſentiendo,vel diſſentiendo,ſi vocaretur,eſt planè impoſſibile conſentire,vel diſſentire,ergo inſufficienter diceretur quis conſentire,vel reſiſtere vocationi,quia eſt,vel non eſt,hoc aut illo modo,ſeu tempore vocatus. Inutiliter vero,quia ſi ſolùm,& præcisè ſpectetur efficaciſſimum decretum Dei de conſentiendo,vel non conſentiendo,nulla prorſus fingi poteſt vocatio,cui vocatus non ſit infallibiliter,vel conſenſurus,vel diſſenſurus. Omnis igitur præterea cura, atque induſtria vocandi tali modo, & non alio; obſeruandi tale vocandi tempus, & non aliud; expectandi hanc, aut illam vocandi occaſionem, ac diſpoſitionem, ſeu circumſtantiam, & non aliam, vt vocatus conſentiat, aut non conſentiat, eſſet euidenter vana, & inutilis, & conſequenter ſtulta,ac ridicula.

338\. Auguſtinus.

Hoc præter ea,quæ ex Auguſtino, Ambroſio, & Chryſoſtomo notaui ſupra num.231. & 234. præcipuè obſeruare licet in Auguſtino, diuino planè harum veritatum Magiſtro, lib. 1. ad Simplicianum q. 2. multò ante medium, *Verùm,* inquit, *eſt, multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi, qui congruenter vocati. Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi,non electi,quia non ſequuti, quamuis vocati.* Matth.20. Si à Deo illi electi ſunt ad fidem,& gratiam, & gloriam, qui ſunt congruenter vocati, ergo alia eſt electio Dei,alia congrua vocatio. Vel igitur decretum eligendi eſt ratione prius, vel poſterius decreto vocandi. Si prius,quid opus eſt,vocare congruenter? Satis eſt vocare ſimpliciter. Quæ enim fingi poteſt incongrua vocatio,ſi antequam ſcire Deus poſſit,me,ſi hoc,vel illo, vel alio quocumque modo vocarer, conſenſurum, aut diſſenſurum,efficaciſſima ſua voluntate,cui non obedire, ſumma eſt implicantia, ſimpliciter decernit, vt vocatus conſentiam? Si poſterius,ergo ante decretum eligendi, & decernendi conſenſum,eſt futurus conſenſus; quia vulgatum eſt in Auguſtino, illum congruenter vocari, qui vocanti reſpondet. Præterea ſi vocatio mihi non congruit, aut contemperatur, ego ſum quidem vocatus, tamen non ſum electus, ergo ad hoc vt ego vocantem ſequar, non ſufficit electio,& decretum Dei, ſed etiam eſt neceſſarium vt vocer congruè,tali vocatione contemperata naturæ meæ; ergo ante decretum, præ-

requi

requiritur veritas huius conditionalis, ſi ego vocarer tali vocatione, mihi congrua, & contemperata, conſentirem. Demum illa cauſalis, *Non electi quia non ſequuti*, ſatis oſtendit, liberum noſtrum conſenſum, quo Dei vocationem ſequimur, eſſe aliqua ratione priorem electione, & decreto Dei; priorem ſcilicet vt conditionatè futurum.

339. Ibidem, paulò ante verba citata, *Quamuis multi vno modo vocati ſint, tamen quia non omnes vno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capeſſendæ reperiuntur idonei.* vnde ſtatim concludit, *igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui ſequuti ſunt vocationem.* Per illud, *vno modo vocati*, manifeſtè ponit Auguſtinus omnimodam vocationis æqualitatem ex parte Dei vocantis. Et propter ſolam diuerſitatem affectionum ex parte vocatorum docet, vnum ſequi vocationem, alium non ſequi, ergo qui ſequitur vocationem, non fuit à Deo vocatus cum efficaci prædeterminatione vt vocationem ſequeretur: alioquin & qui ſequitur, & qui non ſequitur, non eſſent *vno modo vocati*, contra Auguſtinum. Commendatur quoque miſericordia Dei vocantis, non quòd decreuerit, vt taliter vocatus, ſequeretur; ſed quòd decreuerit vocare tali modo, apto eis, qui vocantur, & ſequuntur, ergo ſupponitur talis vocandi modus, quem ſi Deus dare voluerit, abſque alio decreto eſt habiturus effectum. Deinde loquens Auguſtinus de iis, qui non ſequuntur vocationem, ait, *Si vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur.* Vbi aliqui notant, illud, *ſi vellet*, ſignificare voluntatem, quæ non ſit actu in Deo. Sed Thomiſtæ reſpondere facilè poſſent, ſignificari voluntatem vocandi, quæ reſpectu conſenſus futuri ſub conditione vocandi, non poteſt eſſe actu in Deo; eſſe autem actu in Deo aliam voluntatem conditionatam ex parte obiecti, ſed abſolutam ex parte actus, qua liberè decernit, vt vocatus conſentire debeat, ſi vocetur. Itaque his etiam verbis pro nobis ſolùm habetur, quod antea dixi, nempe, Deum vt miſericorditer vocet cum effectu, reſpicere ad aliquem vocandi modum, aptum pro tali vocato, & non ad alium ineptum, & incongruum pro eodem vocato, ergo conſenſus non habetur præcisè ex vi decreti prædeterminantis, cum quo nullus vocandi modus eſſe poteſt ineptus, & ſine quo nullus vocandi modus aptus eſſe poteſt. Et iterum paulò poſt, *Etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, vt ſequantur.* Si decretum conditionatum de conſentiendo antecedit decretum abſolutum de vocando, nullus ſupereſt vocandi modus, non aptus: ſi non antecedit, nullus erit aptus vocandi modus. & paulò poſt, *Cuius autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Profectò iſti modi vocandi congrui, vel non congrui affectionibus, & temperamentis vocatorum, quibus modis tribuit Auguſtinus conſenſum vel diſſenſum, aliud euidenter important, quàm decretum diuinum prædeterminandi, vel nõ prædeterminandi conſenſum, vnde ſolùm volunt aduerſarij prouenire veritatem effectus liberi conditionaliter futuri. Quod adhuc manifeſtiſſimè ſignificant alia verba ſequentia. *Cùm ergo alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidem; eadémque res ſæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta nõ moueat, quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt?* Si nullus eſt alius modus vocandi cum effectu, niſi vocare prædeterminando effectum, eſt planè intelligibile quòd alius moueatur vocatus *ſic*, hoc eſt, tali vno modo, & alius præterea moueatur vocatus *ſic*, hoc eſt, tali alio modo. Item, quòd res hoc modo dicta moueat, alio modo dicta nõ moueat; mouet enim decretum quocumque modo res dicatur; & ſi hoc abſit, quocumque imaginabili modo res dicatur, nunquam mouebit. Item ridiculum eſſet dicere, inter infinitos modos vocandi, non deeſſe Deo aliquem modum vocandi, quo moueretur etiam natura Eſau: quandoquidem etiam Eſau illo eodem prorſus modo, quo reliqui omnes de facto mouentur, certiſſimè moueretur, nec ſanè poſſet alio modo moueri. Valde etiam efficacia ſunt alia verba Auguſtini ſupra num. 323.

340. Chryſoſt. Idem quoque videre eſt in verbis Chryſoſtomi relatis, & expenſis ſupra num. 331. Quibus addi poſſunt alia non minus illuſtria ex hom. 31. in Matth. initio, vbi quærit, *Cuius rei gratia, non cum Petro ſimul, & Ioanne, & alijs diſcipulis ipſum vocauit?* nempe Matthæum. & reſpondet. *Certè quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocauítque quando obtemperaturos ſciebat; ſic Matthæum quoque nunc vocauit, quando miraculorum fama perdomitum, minimè reluctaturum videbat. Qua de cauſa, etiam Paulum poſt reſurrectionem piſcatus eſt: nam qui corda ſcrutatur, & occulta mentium perſpicit, is etiam quando vnuſquiſque ad obediendum paratus erat non ignorauit: propterea non continuò incipiens, quando durior fuit, ſed poſt mille miracula, & inſignem, atque promulgatam famam, aptiorem iam ad obtemperandum vocauit.* His verbis ſatis apertè exprimit Chryſoſtomus hanc conditionatam Dei ſcientiam, ſi tali modo vocaretur Matthæus hoc tempore, & in his diſpoſitionibus, ac circumſtantiis, non conſentiret; ſi eodem modo vocaretur, ſed alio tempore, & in aliis diſpoſitionibus, ac circumſtantiis, conſentiret. Dixi, *eodem modo*, quia clarè loquitur Chryſoſtomus de illa vna, & eadem vocatione, qua Matth. 9. dixit Dominus Matthæo, *ſequere me*; quam docet præuiſam fuiſſe habituram effectum pro vno tempore, non pro alio. Hanc autem præſcientiam, ſecundum Chryſoſtomum, non eſſe ex antecedente Dei decreto, quo Deus prædeterminauerat vt Matthæus nunc conſentiret, & non antea; ſed ex libera Matthæi determinatione, præuiſa ſub his conditionibus, non ſub aliis, patet: tum quia ſi illud eſſet verum, cauſa obedientiæ Matthæi reuocanda fuiſſet ſolùm, vel ſaltem maximè, in decretum; & tamen, decreto prorſus omiſſo, reuocatur in diuerſa tempora, in minorem, & maiorem duritiem, in famam miraculorum. Tum quia verbis citatis ſupra num. 331. dicitur Deus, antea etiam *vocare voluiſſe*, tamen non vocaſſe, quia videbat, vocatum tunc non obtemperaturum. Sed ſi vocatus non poteſt obtemperare, niſi prius velit Deus illum prædeterminare vt obtemperet; & hoc velit liberè Deus, omnino independenter à libertate vocati; & poſſit velle per quamlibet vocationem factam quocumque tempore, quacumque diſpoſitione & circumſtantia, ob infinitam ſuam omnipotentiam; & cùm ita vult Deus, implicet contradictionem, vocatum non eſſe conſenſurum; fatuè dixiſſet Sapientiſſimus Eccleſiæ Doctor, Deum voluiſſe vocare, ſed ab hac vocandi voluntate deſtitiſſe, quia ſi voluiſſet vocare, vocatus noluiſſet obtemperare. Tum quia ait Chryſoſtomus, Deum non ignoraſſe obedientiam conditionaliter futuram, quia, inquit, *Corda ſcrutatur, & occulta mentium perſpicit.* At ſi prima cauſa prædictæ obedientiæ



eſſet decretum, dicendum erat, Deum id non ignoraſſe, quia probè ſciebat quid ipſe decreuerat; & non erat recurrendum ad penetrationem, comprehenſionémque voluntatum, ac mentium creatarum.

341. *Secunda deductio ex ijs, quæ dicũt de duobus æquè vocatis.*

Secundò dicunt Patres, cum æqualibus prorſus auxiliis, & diſpoſitionibus, & circumſtantiis, vnũ obedire, alterum reſiſtere. Quod non poſſe ſtare cum decreto prædeterminandi, oſtendi ſupra, numero 317. Multos Patres refert Suarez opuſculo de Auxiliis, lib. 3. cap. 20. num. 4. & 5. ſed omnium clariſſimè id docuit Auguſtinus lib. 12. de Ciuit. cap. 6. cui hoc tribuunt Altiſiodorenſis, Scotus, & alij communiter, vt commemoraui loco citato. Contra quos, & non ſolum contra nos, nimis liberè loquitur Bagnes infra q. 23. art. 3. dub. 3. concl. vlt. §. *Sed circa.* quòd hoc de æquè vocatis, *Non poteſt dici à Catholico Theologo, niſi in hac parte ignoranti.* Vêrum & Catholicè ſapit, & maximè ſapit, qui operibus ſupernaturalibus liberis libertatem non adimit.

*Tertia deductio ex ijs, quæ dicũt de præſcientia peccatorum.* Bernardus.

Tertiò dicunt multi Patres citati ſupra à n. 229. ad 237. Deum certò præſcire multa peccata conditionaliter futura, ex quo dicto arguere poſſumus ſicut ſupra num. 233. & 327. ex eodem Scripturæ dicto. Adde inſignem Bernardi locum ſerm. 54. in Cantica, circa finem, illis verbis, *Interdum ſubtrahitur gratia, ſiue retrahitur, non pro ſuperbia, quæ iam eſt; ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur.* Eſt igitur in Deo, ſecundum Bernardum, iſta præſcientia conditionata, ſi hic haberet talem gratiam, ſuperbiret. Non potuit autem Deus ſanctiſſima ſua voluntate, qua ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam, decernere actum ſuperbiæ futurum, ſub conditione præſertim diuinæ gratiæ, ergo iſta præſcientia conditionata eſt in Deo abſque decreto effectus conditionatè futuri.

Iacob. 4.

*Quarta deductio ex eo quod dicunt, aliquos fore ſaluos ſi diu vixiſſent.*

Quartò interdum Patres, vt de Auguſtino aduerti ſupra num. 229. dicunt, quod ſatis certum eſt ex dictis ſupra dub. 13. Deum conditionaliter præſcire, quòd ſi aliquis de facto damnatus, diutius vixiſſet, egiſſet pœnitentiam, & ſaluus factus eſſet. Ad habendam autem hanc ſcientiam, contendunt aduerſarij, fuiſſe neceſſarium, vt Deus prius ita decerneret, ſi vellem tali damnato dare longiorem vitam, ego volo vt agat pœnitentiam, & ſaluetur. Et deinde abſolutè decernit, ego nolo dare illi longiorem vitam. Si Deus in priori ſigno rationis, antequam aliquid abſolutè decernat, præſcit abſoluta ſua decreta libera futura, quod infra probabo, iam primum decretum conditionatum apparet non neceſſarium ad diuinam prouidentiam, ſed otioſum, ac puerile. Quid enim opus eſt, vt ſapiens actu decernat, ſe velle facere hæc, & illa, ſi vellet & facere aliud, quod certiſſimè ſcit ſe nolle facere? Vlterius, poſito primo decreto conditionato, iam ſecundum decretum abſolutum, apparet minus pium, & minus connexum cum primo miſericordiæ decreto. Si enim hunc hominem, qui, verbi gratia, hora nona moritur in peccato mortali, & damnatur, decreuit Deus ſaluare, ſi viueret hora decima, nimis durè concipitur, quòd Deus abſolutè decernat, nolle huic dare vnam inſuper vitæ horam, in qua infallibiliter decreuit illum ſaluare.

*Ex Anſelmo decretũ prædeterminãdi eſſe contra libertatem.*

Quintò docet Anſelmus in lib. de Concordia, cap. 2. poſt medium, quæ liberè fiunt, poſſe à Deo prædeſtinari ſalua libertate, quia, inquit, *Quamuis neceſſe ſit fieri quæ prædeſtinantur, tamen prædeſtinata non eueniunt ea neceſſitate, quæ præcedit rem, & facit; ſed ea, quæ rem ſequitur.* Poſita hac maiori propoſitione, pono hanc aliam minorem ex contraria opinione, ſed decretum Dei conditionatum prædeſtinans, ac prædeterminans rem futuram ſub conditione, præcedit, & facit rem, non ſequitur rem. ergo huiuſmodi decretum, ex Anſelmi doctrina, ab vniuerſis Theologis recepta, vt notaui ſupra num. 24. minimè cohæret libertati. Quod argumentum infrà vberius explicabo.

## PVNCTVM IV.

### *Quid de decreto prædeterminandi ſentiat S. Thomas.*

### SVMMA.

1 *Decretum prædeterminandi pugnare cum multis dictis S. Thomæ. num. 342. & 343.*
2 *Reijcitur prima Aluarez deductio decreti prædeterminantis ex S. Thoma. num. 343. ad 347.*
3 *Reijcitur ſecunda deductio de eadem re. num. 347. ad 355.*
4 *Reſpondetur ad tertiam deductionem Aluarez. num. 355.*
5 *Reſpondetur ad quartam eiuſdem deductionem. num. 355. ad 359.*
6 *Reijciuntur ſex aliæ eiuſdem deductiones. num. 359. ad 365.*

NOn habemus locũ expreſſum, in quo S. Thomas ſcripſerit, Deum ſcire futura conditionata ante decretum; ſicut nec aduerſarij habent locum, in quo expreſsè dixerit, ſcire poſt decretum. Vtraque ergo pars ſtudet intentum deducere ex aliis eius dictis. Proponam prius meas deductiones, quæ mihi videntur valde vrgentes. Deinde examinabo, quam vim habeant contrariæ deductiones, præſertim quas omnium nouiſſimè, & copioſiſſimè adduxit R. D. Aluarez lib. 1. Reſponſionum toto cap. 2. contra Suarez tom. 1. de Gratia, Prolegom. 2. cap. 6. toto. 342.

*S. Thomas cõtra decretum prædeterminãs, dicit primò præſcientiam eſſe ante prædeſtinationem.* Suarez.

Deduco primò cum Suarez ſupra num. 6. ex illa propoſitione in 3. p. q. 1. art. 3. ad 4. *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum*, quæ etſi in ſenſu particulari ibi intento à S. Thoma ad rem noſtram non faciat, propter quod à Suarez dicitur, *locus incertus*; illam enim attulit S. Thomas ad probandum, prædeſtinationem incarnationis verbi, fuiſſe poſt præuiſionem peccati futuri: tamen ſecundum ſe accepta in ſenſu vniuerſali, in quo ab ipſomet S. Thoma proponitur, & ab Auguſtino verbis relatis, & expenſis ſupra num. 313. imò à Paulo ad Rom. 8. *Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit*, nobis fauet. etenim prædeſtinatio non ſolùm eſt pars prouidentiæ præparantis, ſiue ordinantis beneficia, *quibus*, inquit Auguſtinus de Bono perſeuerantiæ cap. 14. *certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*, ſed etiã, vt docet S. Thomas infra q. 23. art. 5. initio corporis, *includit voluntatem*, ergo præſcientia ante prædeſtinationem non poteſt intelligi præſcientia futurorum abſolutorum, quæ in omnium ſententia eſt poſt voluntatem, ergo eſſe debet præſcientia futurorum conditionalium, qua ſcilicet certò nouit Deus, quòd ſi, verbi gratia, Paulus talibus mediis vocaretur, crederet, & ſequeretur vocationem: vnde ſolùm habetur, vt ſalua Pauli libertate, moueri poſſit ad abſolutè eligendum, & ordinandum Paulum vt per talia media præuiſa credat, & ſequatur vocationem. Quod ſignificat Auguſtinus ſuprà num. 313. illis verbis, *Nec prædeſtinauit aliquem, niſi quem præſciuit crediturum,*

Ad Rom. 8.

*Quid ſit prædeſtinatio ex Auguſtino, & S. Thoma.*

*turum,& ſequuturum eſſe vocationem.* Ergo ſecundum Sanctos, Paulum, Auguſtinum, & Thomam, diuinæ voluntatis decretum, prædefiniens hos, vel illos liberos effectus ſupernaturales, non præcedit, ſed ſequitur præſcientiam conditionalium: alioqui non debuiſſet Paulus ſupra, explicando ordinatè ſeriem totius ſupernaturalis negotij, ita incipere, *Quos præſciuit, & prædeſtinauit: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit:* ſed debuiſſet hoc alio modo incipere, *Quos & præuoluit, hos & præſciuit: quos præſciuit, hos prædeſtinauit,* &c. Neque dicas, hoc diſcurſu probari, decretum abſolutum eſſe poſt ſcientiam conditionatam; aduerſarios verò ante ſcientiam conditionatam ponere decretum, non abſolutum, ſed conditionatum: quia hoc decretum ponunt conditionatum duntaxat ex parte obiecti, ſed abſolutum ex parte actus, quod idem, purificata conditione, denominatur omnino abſolutum, abſque vlla ſui variatione, vt notaui ſupra num. 170. 171. & 336. fin. ergo ante præſcientiam verè ponunt ipſum actum voluntatis prædeſtinantis, quem exprimunt Sancti per illud, *prædeſtinauit*, & docent eſſe poſt præſcientiam.

343. *Dicit ſecūdò, voluntatem determinari ſolùm à ſe ipſa.*

Deduco ſecundò ex multis locis citatis ſupra num. 157. & 175. & 315. & 332. in quibus expreſsè dicitur, liberum arbitrium à nullo extrinſeco prædeterminari, ſed ſolùm à ſe ipſo, aliter deſtrui conceptum liberæ operationis. Quantum verò huic doctrinæ repugnet decretum antecedens ſcientiam conditionalium, oſtendi ſupra num. 316. fin. & num. 330.

*Dicit tertiò, futura cōtingentia non poſſe certò ſciri in cauſis.*

Deduco tertiò ex aliis locis relatis ſupra n. 102. vſque ad 106. vbi apertè negatur, futura contingentia poſſe certò cognoſci in ſuis cauſis prædeterminatis. Quod ſine dubio contradicit decreto antecedenti conditionatam præſcientiam: tū quia ipſum maximè eſſet cauſa futuri contingentis, quia eſt omnium cauſarum prima & efficaciſſima, & independens, à qua dependent reliquæ omnes cauſæ; ergo qui futura videret in tali decreto, illa maximè videret in cauſa. Tum quia Deus, huiuſmodi decreto eſſet futuri contingentis cauſa prædeterminata, non ab alia cauſa prædeterminante, ſed à ſe ipſo, liberè ſe determinante; ergo futurum contingens viſum in tali decreto, videretur in cauſa ſimpliciter prædeterminata. Tum quia hoc decretum eſſet cauſa prima prædeterminans cauſam ſecundam: non enim poteſt, ſaltem conuenienter, & connaturaliter, prædeterminari certò, & primariò effectus cauſæ liberæ, niſi intrinſecè in ſe ipſa, per aliquid inhærens, prædeterminetur ipſamet cauſa libera, vt probaui ſupra num. 131. fin. ergo ex hoc decreto ſequeretur, futura contingentia poſſe certò videri in ſuis etiam cauſis prædeterminatis.

*Dicit quartò, futura cōtingentia videri in ſeipſis.*

Deduco quartò ex pluribus locis allatis ſupra num. 184. in quibus docet S. Thomas, futura contingentia videri in ſe ipſis, excludendo reliquas omnes videndi rationes. viderentur autē in huiuſmodi decreto antecedente, & prædeterminante, ſi illud daretur. Hæ ſunt meæ deductiones, in quibus aduerto, quòd conſequentiæ, quas in illis feci, conceduntur ab ipſiſmet aduerſariis; qui ſolùm negant antecedentia dicta S. Thomæ. Sed qui attentè, ac pacatè perpendere voluerit verba omnia, quæ locis citatis diſtinctè attuli, & diligenter examinaui, manifeſtè, ni fallor, iudicabit, ea dicta antecedentia eſſe verè, & expreſsè doctrinam ſancti Thomæ.

## *Reſpondetur ad primam deductionem Aluarez.*

In contrarium verò Aluarez deducit primò, *Quia nullus locus S. Thomæ adducitur in contrarium ab aſſertoribus ſcientiæ mediæ: quinimò multi ex ipſis, cap. 1. num. 24. allegati, gloriantur ſe inueniſſe illam ſcientiam, vt in ea fundetur, tamquam in prima radice, concordia liberi arbitrij cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ abſolutæ, prouidentiæ, & prædeſtinationis; nec non cū efficacia præuenientis gratiæ. Addúntque S. Auguſtinum, & Thomam eiuſmodi ſcientiam mediam ignoraſſe; quam tamen abſque dubio approbaſſent, ſi eis propoſita fuiſſet, & explicata.* 344.

Reſpondeo primò, iam me attuliſſe quamplurima, & clariſſima loca; ſaltem multò clariora, quàm quæ ex aduerſariis infra adducam; vt quiuis ſincerus, ac prudens Theologus, ſi illa cum his conferre placuerit, æſtimare facilè poterit. Secundò in illo numero vigeſimo quarto, Aluarez pro illa gloriatione multorum noſtrorum probanda, citat tres, primò Fonſecam 6. Metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 8. qui, inquit Aluarez, *Profitetur ſe primum in Deo ſcientiam quamdam de actibus liberis ſub conditione futuris excogitaſſe: quam dicit eſſe mediam inter ſcientiam Dei naturalem, & liberam.* Quod antea aduerſus eumdem Fonſecam ſcripſerant Ioannes Matthæus de Riſpolis lib. 1. de Auxiliis, q. 1. paulò poſt principium, & pag. 33. & 43. & 75. & 380. Gulielmus Cantarellus q. 22. paulò poſt principium. Nazarius hîc, controuerſia prima initio. Sed iſta iactantia de re falſiſſima modeſtiſſimo, & eruditiſſimo viro immeritò tribuitur, modo omnia, quæ in illa octaua ſectione, & in ſequenti nona docuit, integrè, ac fideliter referantur, & intelligantur. In ſectione octaua nihil eſt quod huius exprobrationis occaſionem præbere potuerit, præter hæc verba, aliquantò poſt principium. *Vnum illud ſcrupulum inijciebat, ne hac ratione nouum aliquid fortaſſe induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti Scholaſticorum examine, & accurata lima conueniret: neque enim quiſquam erat, qui hoc pacto libertatem arbitrij noſtri cum diuina præſcientia, aut prouidentia, apertè, & (vt dicitur) in terminis conciliaſſet; ſed cum re bene perpenſa, omnia eorum dicta hoc pacto melius & explicari, & conciliari viderentur,* &c. Vbi Fonſeca non loquitur de ipſa ſcientia media, ſed de quodam vſu illius, nempe ad conciliandam libertatem cum actibus diuinis. De quo etiam nihil aliud verè dicit, niſi, illum vſum ab aliis non tradi *apertè, & in terminis.* Qua prudentiſſima limitatione, & verbis immediatè ſequentibus clarè ſignificat, tradi implicitè per incluſionem in aliis dictis. & tamen aduerſarij de ipſamet ſcientia affirmare non dubitant, quod Fonſeca hoc loco, *gloriatur ſe inueniſſe illam ſcientiam, profitetur ſe primum ſcientiam mediam excogitaſſe.* Quàm falſum eſt, ſcientię mediæ primum inuentorem fuiſſe Fonſecam, tam falſum eſt, hoc aliquando dixiſſe Fonſecam: imò poſtea in §. *Hæc cum eo.* ſententia prædicti modi ab ipſo dicitur, *ſola ſpecie quibuſdam noua.* Si noua eſt, *ſola ſpecie,* ergo ſecundum realitatem, ac veritatem non eſt noua. Si *quibuſdam,* ergo non ipſimet Fonſecæ, ſed aliis. Deinde in ſectione 9. §. *Atque hanc.* ſententiam, quæ affirmat in Deo dari certam ſcientiam contingentium conditionaliter futurorum, quam Fonſeca ſectione octaua non vocat ſimpliciter, *mediam inter ſcientiam Dei naturalem, & liberam,* vt illi imponit Aluarez, ſed cautius, ac limitatius, *Quaſi mediam.*

*Defenditur Fonſeca contra Aluarez, Riſpoliū, Nazarium, & Cantarellū.*

*Falsò tribuitur Fonſecæ, quod dixerit, ſe primū inuentorē ſciētiæ mediæ.*

*Quaſi*



*Quaſi miſtam. Quodammodo miſtam.* ait, eſſe omnino amplectendam, *ex Patrum communi ſententia.* & infra circa finem ſectionis nonæ, *Infinita,* inquit, *pene ſunt loca, in quibus conditionatam præſcientiam de liberis actibus futuris, non ſolùm Auguſtinus, ſed etiā alij Patres aſſerūt; vſque adeo res in tota antiquitate perſpicua erat. Nec ſolùm præſcientia planè aſtruitur à Patribus, ſed eam præcedere omne diuinæ voluntatis decretum perſpicuè traditur.* Tandem in fine addit, *hanc ſententiam non confirmamus ex Scholaſticorum tractatibus; non ſolùm quia expreſsè quæſtionem hanc non diſcuſſerunt, ſed etiam quia ex inferius dicendis patebit, quàm ſæpe eam obiter attactam, aut ſuppoſitā probauerint.* Incredibile ſanè eſt, hæc legiſſe aduerſarios, & nihilominus Fonſecæ ſententiam nouitate, & Fonſecam ipſum vaniſſima illa gloria notare voluiſſe.

345. *Defenditur Vazquez cōtra Aluarez.*

Secundò ab Aluarez citatur Vazquez 1. p. q. 14. art. 13. d. 67. in fine, illis verbis, *Quòd antiqui Scholaſtici, qui hactenus ſcripſerunt, tantùm meminerint ſimplicis ſcientiæ viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, parum intereſt; tum quia illi de hac ſcientia ſub conditione, nihil omnino diſputarunt, aut meminerunt.* Sed totum hoc nec Aluarez, nec quiuis alius eruditus Theologus, qui ea, quæ in antiquorum Theologorum libris continentur, non ignorat, negare poteſt. Quapropter ſi ex his verbis Aluarez colligit iactantiam illam contra Vazquez, eodem certè vitio omnes reprehendi poſſumus. Vnde antea Vazquez n. 8. ſententiam ſuam probauerat authoritate multorum Patrum, qui, inquit, *expreſsè hanc ſententiam tradiderunt.* Et in fine capitis ſecundi ait, ſe non referre Scholaſticos pro ſua ſententia, non quia ipſe primus illam inuenerit, vt illi falsò imponitur, aut quia negetur, aut non colligatur ex Scholaſticis; ſed ſolùm, *quia Scholaſtici ex profeſſo non tractant hanc controuerſiam*; quod veriſſimum eſt.

*Defenditur Molina contra Aluarez.*

Tertiò citat Molinam in concordia, q. 23. art. 4. d. 1. membro vlt. §. *Nos pro noſtra.* illis verbis, *Quæ ſi data, explanatáque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta; neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, obtendentes, cum diuina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione cohærere non poſſe: neque ex Auguſtini opinione, concertationibúſque cum Pelagianis, tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianóſque defeciſſent; faciléque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epiſtolis Proſperi, & Hilarij fit mentio, fuiſſent extinctæ.* & infra ſubdit, *Neque verò dubito, quin ab Auguſtino, & cæteris Patribus vnanimi conſenſu comprobata fuiſſet hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia, ratióque conciliandi libertatem arbitrij cum diuina gratia, præſcientia, & prædeſtinatione, ſi eis propoſita fuiſſet.* Addere etiam potuiſſet Aluarez alia verba in fine eiuſdem membri, *Hæc noſtra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum diuina prædeſtinatione, à nemine, quem viderim, hucuſque tradita:* ſed hæc dicta ſunt de vſu, non de ipſa ſcientia media, de qua prius in eadem concordia, q. 14. art. 13. d. 52. §. *Sciſcitabitur.* dixerat Molina, *Idem apertiſſimè ſonant teſtimonia Sanctorum, conſonat etiam communis Theologorum ſententia*, ergo Molina non gloriatur ſe inueniſſe illam ſcientiam, vt de ipſo etiam dixit Aluarez. Quoad vſum, non aſſerit Molina, ſe in illius inuentione fuiſſe primum ſimpliciter; ſed primum, qui ex inſtituto, & fuſius, atque explicatius illum tradiderit. Quod omnibus conſtat, qui legunt ea, quæ de hac materia ſcripſit tam in commentariis primæ partis, quàm ſeparatim in concordia; & conferunt cum iis, quæ ante ipſum alij ſcripſerunt. Vnde in eodē membro vltimo citato pro illo vſu refert Patres, vt nos etiam fecimus ſupra, n. 333. *Illud,* inquit, *video inter Patres omnes receptiſſimum, non quia Deus præſciuit, hoc eſſe futurum, ex ijs, quæ ab arbitrio creato pendent, ideo futurum eſſe; ſed è contrario, quia ita pro arbitrij libertate erat futurum, Deum id præſciuiſſe; præſciturus oppoſitum, ſi oppoſitum, vt pro arbitrij libertate eſſe poteſt, foret futurum.* Et clarius ſupra, q. 14. art. 13. diſp. 52. poſt multos Patres, qui id dicunt, fusè relatos, ſic concludit, *Ex dictis ſatis, vt credo, eſt manifeſtum, quanam ratione libertas arbitrij noſtri, contingentiáque rerum cum diuina præſcientia cohæreant. Cum enim res, quæ à noſtro arbitrio emanant, aut ab eo pendent, non ideo ſint futuræ, quia à Deo præcognoſcuntur futuræ; ſed è contrario, ideo à Deo præcognoſcantur hoc, vel illo modo futuræ, quia ita, pro libertate arbitrij, ſint futuræ: quod ſi contrario modo, vt poſſunt, eſſent futuræ, contrario etiam modo, & non eo, quo reipſa ſciuntur, præcognoſcerentur ex æternitate futuræ.* Huiuſmodi enim cauſalibus docere volunt Patres, liberam noſtram determinationem futuram, eſſe ante ſcientiam qua Deus ſcit illam eſſe futuram; & non ſolùm eſſe ſimpliciter, ſed eſſe à nobis, ex intrinſeca noſtra libertatè, qua liberè determinamur ad vnum, cum æquè potentes, & indifferentes eſſemus ad oppoſitum; & non ex aliquo Dei actu, aut quacūque alia re, nos prædeterminante ad vnum. Quæ doctrina ad conciliandam libertatem noſtram cum diuinis actibus, locum habet de omnibus futuris contingentibus, tam abſolutis, quàm conditionatis; etſi Patres de abſolutis duntaxat loquantur, tamquam de rebus ad praxim rerum humanarum pertinentibus. Sed eadem prorſus ratio eſt de his, & de illis, quoad eſſentialem libertatis conceptum. Pręterea clariſſimè 1. p. q. 14. art. 13. d. 18. §. 2. §. *Authores,* ſe in tradendo vſu ſcientiæ mediæ ad conciliandam libertatem, *in Sanctorum Patrum, doctorúmque Catholicorum labores introiſſe; & concertationibus, & egregijs aliorum dictis, atque inuentis illuſtratum, dilucidius aliquantulum radicem attigiſſe*; quæ quidem modeſtiſſimè dicta videntur: non igitur rectè infert Aluarez, dici à Molina, *Rationem concordiæ per ſcientiam mediam, non fuiſſe ab Auguſtino, & cæteris Patribus, atque Scholaſticis antiquis cognitam.* Solum enim vult, non fuiſſe clarius, vberiúſque tractatam.

Et ſanè non eſt, cur aduerſarij maius aliquid de noſtro modo ſcientiæ mediæ, hoc eſt, conditionatæ ante decretum, à nobis exquirant. Enimuerò ipſi pariter vexari poſſunt à nobis quærentibus, quonam in loco S. Auguſtinus, & Thomas, aliíque Patres, & veteres Scholaſtici, ſcientiam Dei conditionatam poſt decretum, quam ipſi hodie defendunt, docuerint, explicauerint, tractauerint? Et vt alios minus idoneos prætermittam, cum ſuperiori anno 1622. hoc onus, omnium eruditiſſimè, atque exactiſſimè R. D. Aluarez ſibi ſuſcepiſſet in libris Reſponſionum, tamen nihil in medium proferre potuit, niſi per quaſdam obſcuras, incertáſque conſequentias ex aliis materiis deductas; vt conati ſumus in ſuperioribus oſtendere, & in ſequentibus oſtendemus. Præſtat igitur ſincerè fateri veritatem cum Molina, quàm diuitias in paupertate, vel lumen in tenebris ſibi fingere. 346.

*De nouitate ſentētiarum huius cōtrouerſiæ.*

Quod ſi noſtri Theologi faciūt, qui multò plures, & certiores de hac ſcientia authoritates habent, id multò magis facere debent aduerſarij his omnino deſtituti, & nihilominus cōtra nos paſſim nouitatem, & periculū iactant. Quaſi verò opinio de diuino decreto ante ſcientiam conditionalium prædeterminante vetuſtiſſima ſit, atque tutiſſima. Ergo fateamur omnes oportet, quod ſupra n. 208. fin. pręfatus ſum, controuerſiam de ſcientia conditionata, quam omnes ſimpliciter admittimus, vt

ſupra notaui à n. 209. ad 217. in noſtra tempora à ſapientiſſima Dei prouidentia reiectam: quando inter noua diſſidia, ad ſcientiam conditionatam ex vtraque parte tandem Catholici deuenerunt; aduerſarij quidem poſt decretum, vnde & prædeterminationem, & liberum operandi modum prouenire poſſe exiſtimant; nos verò ante decretum, quia aliter arbitramur lædi libertatem arbitrij, quo factum eſt, vt olim ferè nihil, hoc autẽ tempore adeo copioſè de conditionata ſcientia diſputatum ſit, vt quicquid de ea dixeris, nouum, & antiquis ignotũ quodammodo videatur. Demum nõ eſt operæpretiũ immorari in refellendis iis, quæ Zumel tom. 1. variarum diſputationum pag. 130. effudit in præclariſſimũ ætatis noſtræ Theologum P. Molinam; contra quem ad ipſum quoque Summi Pontificis Pauli V. iudicium appellauit: immemor ſanè grauiſſimæ ſententiæ ab eodem ſanctiſſimo latæ, qua nihil omnino in doctiſſimis Molinæ operibus, de fide catholica optimè meriti, damnatione dignum reperiri pronunciatum eſt; præſtabat profectò contra Molinam grauius diſputare, quàm loqui.

## *Reſpondetur ad ſecundam deductionem Aluarez.*

347\. *Obijcitur diuiſio ſcientiæ diuinæ.* Deducit ſecundò, *nam S. Thomas ſufficienter diuiſit ſcientiam Dei in naturalem, quam appellat ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & liberam, quam appellat ſcientiam viſionis, ergo nullam agnouit ſcientiam mediam; aliàs diuiſio non eſſet adæquata.*

*S. Thomas ſcientiã Dei nunquã diuiſit in naturalem, & liberam.* Reſpõdet Suarez primò, nõ reperiri in S. Thoma diuiſionẽ ſcientiæ diuinæ in naturalem, & liberam; ſed in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Scientiam verò mediã, ſimpliciter loquendo, contineri ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quia hæc eſt de rebus abſolutè poſſibilibus, ſciẽtia verò conditionata, quatenus conditionata, non eſt de rebus abſolutè, & ſimpliciter futuris, ſed poſſibilibus, quæ nunquam futuræ ſunt in aliqua differentia temporis; ſed ſolùm eſt de rebus futuris quodammodo, & ſecũdùm quid, ſcilicet, ſi poneretur conditio.

*Aluarez in contrariũ inſtat primò.* Contra inſtat Aluarez primò, quia ſcientia viſionis, & libera, ſcientia intelligentiæ, & naturalis, ſunt verba æquiualentia; quam æquiualentiam ſequutus eſt Gõzalez hîc, diſp. 39. n. 13. ad 5. Cabrera tom. 3. in 3. p. q. 62. art. 1. ad 12. n. 28. Zumel tom. 1. variarum diſp. pag. 109. initio. *Secundò.* Secundò quia noſtri Theologi, vel omnes, vel aliqui, diuidũt ſcientiam Dei, *in merè naturalem, & merè liberam, ſed cõtendunt, hanc diuiſionem non eſſe adæquatam; & ideo conſtituunt tertium membrum, ſcientiam mediam.* *Tertiò.* Tertiò quia Suarez non loquitur congruenter, *cùm conſtituat tertiam ſcientiam mediam, inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis*, ergo non poteſt aſſerere, ſcientiam mediam contineri ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ. *Quartò.* Quartò ad hominem, contra omnes Authores ſcientiæ mediæ, qui, inquit, *fatentur, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſolùm ſe extendere ad poſſibilia, quæ Deus poteſt facere, numquam tamen eſt facturus, etiam ſi poneretur in eſſe talis vel talis conditio.* ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ excludit obiecta ſcientiæ mediæ; ergo hæc ad illam reuocari nequit. *Quintò.* Quintò ad hominem, contra Suarez, qui numero ſeptimo, *fatetur quòd per ſcientiã conditionatam videt Deus effectum contingentem vt determinatum ad alteram partem ex hypotheſi.* Sed hoc Deus non videt per ſcientiam intelligentiæ, ſed viſionis. ergo conditionata ad hanc, non ad illam reuocatur.

348\. *Ad primum.* Hæc quiuis pro Suarez diluere facilè poteſt. Ad primũ. Cum agitur de aliqua deductione ex dicto S. Thomæ, vel alterius Scriptoris, ad fidelitatem, & deductionis efficaciam ſpectat, non mutare verba ab illo Authore ſcripta. Neque potes ſufficienter excuſari, quòd tu putes eſſe verba æquiualẽtia; quia non eſt neceſſarium, vt hoc ipſum putent alij, contra quos diſputas: neque certò ſcire potes, quid, ſi viueret, putaret Author, cuius ſenſum declarare, ac perſuadere intendis, fundatus in verbis non ſuis, ſed tuis. Quod etſi ſemper eſt religioſè ſeruandum, tamen maximè in hac grauiſſima controuerſia, in qua omnes, pro ea parte, pro qua ſtat grauiſſimus Doctor, veritatem ſtare non dubitamus.

Adde, de facto, à multis valdè probabiliter non putari verba illa æquiualẽtia: quia ſcientia Dei dici poteſt libera duobus modis, primò ex parte tãtùm obiecti extrinſeci; quãdo ſcilicet, Deus liberè videt hoc, non libertate ſua, ſed libertate obiecti, hoc eſt, non quia per liberam ſuam voluntatem vult, & determinat eſſe hoc, ſed quia obiectũ ipſum, id eſt, voluntas creata poſitis omnibus neceſſariò prærequiſitis, liberè ſe determinat ad hoc. Secundò ex parte etiam ſubiecti, quando ſcilicet, Deus liberè videt hoc, quia ipſemet, primò, & per ſe ſolus, liberè voluit, ac prædeterminauit vt eſſet hoc. Per aduerſarios, omnis libera ſcientia Dei, eſt libera hoc ſecundo modo: per nos verò ſcientia Dei, quæ verſatur circa futura contingentia conditionata, non eſt libera hoc ſecundo modo, ſed tantùm primo. Verùm ſcientia viſionis, prout à S. Thoma, & reliquis omnibus Scholaſticis explicatur, vt ſupra art. 8. dub. 1. & 2. quia eſt de rebus abſolutè futuris, ac proinde ſupponentibus, ex parte ipſiuſmet diuinæ voluntatis, liberum decretum, in actu poſitum, de cõcurrendo, ſine quo implicat aliquid eſſe abſolutè futurum, ſemper eſt libera ſecundo modo, etiam ſi ſit de effectibus liberis abſolutè futuris à voluntate creata; quia hi etiam pendent à concurſu actuali determinato primæ cauſæ, ergo ab æterna eiuſdem voluntate, qua ſubiectiuè quodammodo ſe liberè determinauit ad præſtandum in tempore talem determinatum concurſum, ad quem ipſamet creata voluntas pro innata ſua libertate ſe determinauit.

*Scientiam liberã, & ſciẽtiam viſionis differre in re.*

*Scientia dupliciter dici poteſt libera.*

Hinc apparet in noſtra opinione, &, vt putamus, in rei veritate, eſſe manifeſtũ diſcrimen inter ſcientiam viſionis, & ſcientiam liberam: quia ſcientia libera poteſt eſſe libera dupliciter, vel in ratione cauſandi, vel in ratione ſciendi, hoc eſt, vel quia cauſat, vel quia ſcit res liberè futuras. Primo modo ſciẽtia viſionis non eſt libera, ſed potius libera eſt ſcientia ſimplicis intelligẽtiæ, quæ, adiuncta libera voluntate, liberè cauſat, vt probatũ eſt ſup. art. 8. Secundo modo ſcientia viſionis eſt perfectè, & adæquatè libera, hoc eſt, tã ex parte obiecti ſciti, quod eſt effectus liber; quàm ex parte ſubiecti includẽtis in actu liberum decretũ, quo ad liberum effectũ concurrit: ſcientia verò conditionata, eſt libera ſecundũ quid, & inadæquatè, hoc eſt, vno modo, nempe ex parte obiecti tantùm, nõ omnibus modis, nempe ex parte tam obiecti, quàm ſubiecti. Omnis igitur ſciẽtia viſionis eſt ſcientia libera aliquo modo, nempe in ratione ſciẽdi; & tã ex parte obiecti, quàm ex parte ſubiecti, non omnis ſcientia, quomodocumque libera, eſt ſcientia viſionis. tum quia poteſt eſſe libera in ratione cauſandi tantùm, & eſt ſciẽtia ſimplicis intelligentiæ: tum quia poteſt eſſe libera in ratione ſciendi ex parte obiecti tantùm, quæ non eſt ſcientia viſionis, ſed media, ergo inter has ſcientias non bene dicitur eſſe ſola differentia verbalis, per æquiualentiam nominum: neque cùm noluimus confundi iſta vocabula, *facimus vim in verbis, more Nominalium*, vt contra Suarez dicit Aluarez,

*Quomodo libera ſit ſciẽtia viſionis, & ſcientia cõditionata.*

*Omnis ſcientia viſionis eſt libera, non contrà.*



ſed maximè in re ipſa, & in ſinceriſſima authoritate ipſorum Doctoris, qui hanc æquiualentiam ne leuiſſimè quidem aliquo in loco attigit; imò, quoties locis citatis ſupra num. 342. & 343. noſtram opinionem ſignificauit, toties ſignificauit oppoſitum: ex hac enim æquiualentia (quam ſignificauit Becanus 1. p. tract. 1. cap. 10. quæſt. 1. num. 5. ſed in aliquo bono ſenſu accipiendus eſt) ſic efficaciter contra nos arguere poſſent aduerſarij. Omnis ſcientia libera, eſt ſcientia viſionis: ſupponimus enim æquiualere; ſed ſcientia de liberis effectibus conditionatè futuris, eſt aliqua ſcientia libera; cum poſſit eſſe, & non eſſe talis ſcientia, prout eſſe, & non eſſe poſſunt illi effectus liberi, circa quos verſatur, ergo ſcientia conditionata, eſt ſcientia viſionis. Deinde ſic, omnis ſcientia viſionis præſupponit liberum Dei decretum in actu poſitum; quod in doctrina S. Thomæ, & aliorum omnium eſt ſatis certum, vt ſupra art. 8. per totum; ſed ſcientia conditionata, eſt ſcientia viſionis, vt habet concluſio prioris ſyllogiſmi, ergo ſcientia conditionata præſupponit liberum Dei decretum in actu poſitum; quod eſt contra concluſionem huius decimæ ſeptimæ dubitationis. Itaque ab Authoribus noſtræ opinionis neganda eſt prima maior, fundata in falſa illa æquiualentia inter ſcientiam liberam, & ſcientiam viſionis. & ideo rectè dixit Arrubal hîc, d. 39. n. 2. quòd qui has diuiſiones confundunt, *manifeſtè decipiuntur*. Vnde inter aduerſarios ipſos in hoc nobiſcum ſentiunt Gulielmus Cantarellus q. 22. notabili 2. Nazarius hîc, controuerſia 1. §. 6. ſed quàm conſequenter, alij viderint.

*Becanus.*

*Ex cõcluſione huius decimæ ſeptimæ dubitationis ſequi neceſſariò, differre ſcientiã viſionis à ſciẽtia libera.*

Arrubal.

Cantarell. Nazarius.

349\. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum. Dico primò non eſſe ad rẽ, quia negauerat Suarez, illam diuiſionem eſſe S. Thomæ; arguens verò contra obiicit, illam eſſe diuiſionem noſtram. Erat afferendus locus, vbi S. Thomas eam tradat, qui non affertur, quia verè nullus eſt talis locus. Dico ſecundo, illam diuiſionem afferri à noſtris, Molina in concordia q. 14. art. 13. d. 52. §. *Triplicem.* Becano 1. p. tr. 1. cap. 10. q. 1. Arrub. hîc, d. 39. Fonſeca 6. Met. cap. 2. q. 6. ſect. 8. §. *Alia verò.* Leſſio de Gratia, cap. 19. num. 1. & admitti à Suarez ſupra num. 8. tamen falsò addi, noſtros contendere, *Diuiſionem non eſſe adæquatam.* Molina locis, & verbis citatis ſupra art. 8, num. 25. expreſsè docet, eſſe adæquatam; & ſcientiam conditionatam reduci ad ſcientiam naturalem; &, *Partim habere conditionem ſcientiæ naturalis, partim liberæ.* & Fonſeca ſupra, in §. *Ex quibus.* illis verbis, *vtramque participat.* Vnde ſcientiam conditionalium vocat, *Quodammodo, & quaſi miſtam*; &, *Quaſi mediam inter naturalem, & liberam.* Conſonat Becanus dicens, *Tertia dicitur media, quia partim ſcientiæ naturali, partim liberæ ſimilis eſt.* Idem clarius, & ex inſtituto probat Arrubal ſupra cap. 2. eruditè addens, eſſe quidem abſurdum contra communem ſententiam antiquorum, dari mediam aliquam ſcientiam Dei, quæ neque ſit ſimplicis intelligentiæ, neque viſionis; nimirum ſi ſpectemus iſtas ſcientias provt complectuntur etiam futura conditionata: non tamen eſſe abſurdum dari mediam ſcientiam, quæ neque ſit naturalis, neque libera: ſaltem hoc non eſſet contra ſanctum Thomam, quod probare intendit Aluarez. Præterea Leſſius ſupra, media, inquit, ſcientia, *partim conuenit cum naturali, partim cum libera: ex parte enim obiecti, eſt libera; ex parte ſubiecti, neceſſaria, vtpote libertatem Dei præueniens: vnde vocatur media.* Demum idem ſupponit Suarez ſupra: quapropter neſcio in quo alio noſtro Theologo legere potuerit Aluarez oppoſitum, quod de noſtris Theologis communiter refert ſupra.

*Diuiſio ſciẽtiæ in naturalem, & liberam, eſt* Molinæ, Becani, Arrubal, Fonſecæ, Leſſij, Suarez.

*Eſſe adæquatã affirmant* Molina, Fonſeca.

Becanus. Arrubal. Leſſius. Suarez.



*Ad tertium. Nõ diſtinguit Suarez ſciẽtiã mediam à ſciẽtia viſionis, & intelligentiæ.* Ad tertium, eſſet aſſignandus locus, vbi Suarez aſſerat, ſcientiam mediam, neque eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, neque viſionis: facile enim eſt cuilibet Authori quodlibet abſurdum imponere, niſi & locum, & verba illius in medium proferas. Certè Suarez in opuſculis lib. 2. de ſcientia Dei, cap. 3. num. 6. expreſsè docet, hanc diuiſionem eſſe adæquatam: quod repetit eodem loco num. 7. quem citat ipſemet Aluarez; & ſemper ad aliquod membrum ex duobus prædictis reuocat ſcientiam conditionatam.

*Ad quartũ.* Ad quartum, illam quoque confeſſionem falsò imponi Authoribus ſcientiæ mediæ. Nam ſupra art. 8. num. 25. omnes citaui, qui ſcientiam conditionatam, qua Deus videt vnum futurum, ſi eſſet futurum aliud, quod verè numquam eſt futurum, vel ex parte, vel ex toto reuocant ad ſciẽtiam ſimplicis intelligentiæ. Quod ipſum clariſſimè aſſeruit Suarez in eodem loco, quem his argumentis vexat Aluarez. ergo dici fideliter nõ poteſt de Authoribus ſcientiæ mediæ, quòd aſſerant, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ extendi ſolùm ad purè, ac præciſè poſſibilia, & non ad futura conditionalia.

*Ad quintũ.* Ad quintum. Diſtinguo minorem. Contingens determinatum, abſolutè futurũ, videt Deus ſcientia viſionis; & hoc non negat Suarez. Contingens determinatum, conditionatè futurum, videt Deus ſcientia ſimplicis intelligentiæ; & hoc tantùm ibi manifeſtè docet Suarez, quia poſt illa verba, diminutè relata, *videt Deus contingens vt determinatum ad alteram partem ex hypotheſi*, ſic addit. *Tamen quia illa hypotheſis nondum ſupponitur futura ex aliquo decreto Dei, totum id manet ſub eſſe poſſibili: & ideo tota illa cognitio ad ſimplicem intelligentiam pertinet.*

Reſpondet Suarez ſecundò, admittendo diuiſionem ſcientiæ in naturalem, & liberam: & tenendo, diuiſionem eſſe adæquatã; & ſcientiam conditionatam ante decretum, eſſe mediã, non per diſtinctionem ab vtroque membro diuidente, ſed per incluſionem in vtroque ſecundùm diuerſas rationes. Si enim illa conſideretur per habitudinem ad voluntatẽ Dei, eſt naturalis, ac neceſſaria; quia eſt de futuro conditionato independente à quocumque actuali Dei decreto libero, & prædeterminãte; quo modo per ſcientiam naturalem Deus ſecundum omnes ſcit poſſibilia: ſi verò conſideretur per habitudinem ad voluntatem creaturæ, eſt libera, & contingens; quia eſt de effectu contingente, ac libero, conditionaliter futuro per ſolam liberam determinationem creatæ voluntatis. 350.

*Quomodo à Suarez ſciẽtia conditionaliũ reuocetur ad naturalem, & liberam.*

*Hæc etiam ſolutio*, inquit Aluarez, *facilè impugnatur.* & nonnulla affert, non pro ſententia S. Thomæ, quam ibi perſuadendam ſuſceperat, ſed contra ſentẽtiam noſtram; quæ ſupra n. 111. ſi. & 147. ſi. & à n. 155. ad 169. ex Nauarrete propoſita, & ſufficienter ſoluta ſunt. Ait enim, eſſe impoſſibile, effectum liberum, conditionaliter futurum, habere habitudinem ad voluntatem creatam liberè ſe determinantem, & non ad liberum voluntatis Dei decretum prædeterminans illam: quod, inquit, *eſt prima cauſa efficiens, à qua intrinſecè dependet determinatio, & cooperatio noſtri arbitrij; quod non eſt ſimpliciter primum liberum, nec primum ſe mouens, aut determinans; neque habet primum, & abſolutum dominiũ ſuæ determinationis, vel cõcurſus: ſed eſt liberũ per participationem, vt cauſa ſecũda libera, ſub vniuerſali, & abſoluto dominio Dei, ſub cuius determinatione, & motione ſe mouet, & determinat.* Quod argumentũ confirmat hac paritate: *Sicut Deus eſt primum ens per eſſentiã, ita primum liberum, ergo ſicut eſt impoſſibile, ens per participationem nõ pendere in ſuo eſſe à primo ente per eſſentiam,*

*Arguit Aluarez pro decreto prædeterminante.*

*tamquam à cauſa verè efficiente; ita, quòd aliqua determinatio, ſeu cooperatio liberi arbitrij non reducatur in liberum decretum Dei volentis vt liberum arbitrium ſe determinet.* Idémque argumentum attulerat cap. 1. num. 12. & iterum poſtea attulit cap. 5. n. 22. ad 1.

351. Quantum ex his, aliiſque multis noſtrarum opinionum impugnationibus, ſuperius diſcuſſis, conjicere poſſum, præcipua aduerſariorum noſtrorum deceptio in eo ſita eſſe videtur, quòd exiſtiment, liberam determinationem, quam nos tribuimus arbitrio ſe determinanti, non Deo prædeterminãti arbitrium, eſſe ſimpliciter concurſum aliquem, & operationem, ſeu realem quemdam motum, quem nos velimus oriri à ſola creatura, & non à Deo. Hoc enim ſignificare videntur verba illa, *Determinatio & cooperatio, ſe mouens, aut determinans. Sua determinationis, vel concurſus.* Quibus confunditur determinatio cum cooperatione, motu, concurſu. Sed manifeſtum eſt, hæc non eſſe confundenda; quia ſe determinare, eſt propriũ ſolius cauſæ liberæ; at ſe mouere, cooperari, concurrere, eſt cõmune etiam cauſis neceſſariis. Atque hanc ob cauſam, neceſſarium eſſe duximus ſupra, à n. 159. ad 169. ad perfectam harum quæſtionum intelligentiam, diligenter explicare, ac probare huiuſmodi liberæ determinationis conceptum; qui breuiter, ac dilucidè præter realem, ac determinatam actionem, communem tam cauſis liberè agentibus, quã cauſis agentibus neceſſariò, importat primò, illã actionem eſſe à principio, quod non ſit principium illius actionis tantùm, ſed alterius oppoſitæ. Secundò quod ita actionem illam faciat, vt eadem vi, & cum reliquis omnibus præſuppoſitis, quibus facit illam, poſſit, in ſe, & in actu primo omnino inuariatũ, facere oppoſitam. Tertiò quod poſitis omnibus neceſſariò prærequiſitis ad proximè faciendũ duas actiones oppoſitas, & poſitis omnibus præmouentibus, & adiuuantibus ad hãc, vel ad illam, ipſum principium ex ſe ipſo, & non ab alio prædeterminatum, & quaſi coarctatũ ad vnum in actu primo, vim ſuam indifferentem, & completam ad plures oppoſitas actiones, exerceat circa vnã, non circa aliam, ita vt ratio cur concurrat ad hanc, non ad illam, non ſit quia Deus ad hanc, non ad illam concurrit; ſed contra potius, quia ipſum principiũ ex ſe eligit concurrere ad hanc, non ad illã, ſit ratio cur Deus ad hanc, non ad illam concurrat & cooperetur. Per primum, cauſa libera diſtinguitur à multis cauſis neceſſariis, v. g. igne, qui eſt principiũ calefactionis, non frigefactionis; non autem ab omnibus, v. g. principio viſiuo, quod cum ſpecie albi, videt album; cum ſpecie nigri, videt nigrum oppoſitum; & principio intellectiuo, quod eſt principium affirmationis, & negationis. Per ſecundum, clarè diſtinguitur cauſa libera ab omnibus cauſis naturalibus neceſſariis, quæ etſi faciant interdum plures oppoſitos effectus, tamen in actu primo cùm faciunt vnum effectum, ſemper habent aliquid, quod non habent, cum faciunt alium; v. g. diuerſas ſpecies. Per tertiũ, explicatur vſus, ſiue exercitium cauſæ liberæ; quæ etſi abſque vlla inhærente prædeterminatione, habeat omnia intrinſeca prærequiſita ad duas partes oppoſitas, poteſt à Deo per concurſum ſuum neceſſitari ad vnã, non ad aliam.

*Determinationẽ eſſe diuerſã à cooperatione, motu, cõcurſu.*

*Quos conceptus eſſentialiter importet libera determinatio.*

352. Hac liberæ determinationis explicatione præmiſſa, ad argumentum Aluarez reſpondeo, determinationẽ, vt eſt poſitiua, ac realis quædam actio, pendere intrinſecè à Deo, & multò plus quàm à creatura: vt verò eſt libera, & formaliter determinatio, pendere à ſola cauſa ſecunda libera: quia hoc verè nihil eſt poſitiuum, ac reale, ſed ſolùm quædam extrinſeca connotatio cauſæ ſecundæ, quæ eſt immediata, & proxima ratio cur Deus cum tali cauſa ſecunda libera concurrat ad vnum determinatum, non ad oppoſitum: ſicut enim ipſa determinata natura ignis, eſt ratio cur prima cauſa cũ igne concurrat ad calorem, non ad frigus; ita ipſa voluntatis natura indeterminata, & libera, hoc eſt, completè potens, & indifferens ad vtrumlibet ex duobus oppoſitis, eſt ratio cur Deus concurrat cum creata voluntate ad vnum, non ad aliud oppoſitum. Vlterius concedo, liberum arbitrium non eſſe primum liberum, primum ſe mouens aut determinans, primum, & abſolutum dominum ſuæ determinationis, & concurſus: quia vt ſe liberè, & effectiuè determinet, pendet à Deo dante, & conſeruante eſſe liberum, & cooperante ad actus illius liberos, quibus ſe formaliter determinat. Nego autem hinc ſequi, quòd liberum arbitrium, *ſub Dei determinatione ſe mouet, & determinat:* hoc enim modo neque eſſet primum liberum per eſſentiam, neque ſecundum liberum per participationem; quia hoc ſecundum eſſentialiter exigit, eſſe ſub Dei indeterminatione, & indifferentia, hoc eſt, pendere à diuina voluntate offerente duplicem concurſum ad vtrumlibet.

*Reſpondetur ad argumentũ Aluarez.*

*Quid ſit, c… ſam ſecun… determina… à ſeipſa.*

*Quid ſit, … berum ar… trium nõ … primum lib… rum, & pri… mum ſe d… terminãs: … inde non ſ… qui decretu… prædetermi… nans.*

Ad confirmationem, ex paritate ductam, reſpondeo, conſequentiam eſſe manifeſtè falſam: ex eo enim quòd Deus eſt primum liberũ per eſſentiam, ſolùm ſequitur, liberum per participationem habere libertatem eſſentialiter pendentem à primo libero; non autem ſequitur, habere à primo libero antecedentem determinationem deſtructiuam libertatis. In argumento igitur paritatis mutantur termini cum magna diſparitate. In prima comparatione, inter ens per eſſentiam, & ens per participationem, rectè hoc ad illud refertur, & pendere ab illo dicitur in ipſa entitate participata, & non in aliqua alia re contradicente entitati. In ſecunda verò comparatione, inter liberum per eſſentiam, & liberum per participationẽ, ſi comparatio haberet paritatem, & proportionem cum prima, deberet liberum per participationem in ipſomet eſſe libero, ſeu libertate, referri ad liberum per eſſentiam, & dici ab eo pendere. Sed arguens, loco libertatis, aſſumit determinationem conſequentem libertatem, & eſſentialiter præſupponentem principium indeterminatum, hoc eſt, liberum; & contendit, hanc determinationem eſſentialiter pendere ab antecedente Dei decreto prædeterminante liberum arbitrium; ex qua prædeterminatione oriri liberam cauſæ ſecundæ determinationem, implicat contradictionem, non minus quàm ex principio indeterminato oriri determinationem neceſſariam: quapropter argumentum contra authorem poteſt efficaciter ita retorqueri. Sicut ens per participationem, debet eſſentialiter habere in ſe rationem entis communis, ſaltem analogicè, cum ente per eſſentiam: alioqui non poſſet illud verè eſſe, ac dici ens per participationem, quia nullam entis participationem in ſe formaliter haberet: ita liberum per participationem debet eſſentialiter habere in ſe rationem liberi communis, ſaltem analogicè, cum libero per eſſentiam; alioqui non poſſet illud verè eſſe, ac dici liberum per participationem, quia nullam liberi participationem in ſe formaliter haberet. Et hæc eſt adæquatiſſima paritas, vt patet; qua poſita pro maiori, ſubſumo hanc minorem; ſed ratio liberi, analogicè communis Deo, & creaturis, eſt ratio principij proximè completi ad agendum, ſed indeterminati ad oppoſita, & indifferentis ad vtrumlibet, ergo liberum

*De parita… inter prim… ens per eſſen… tiam, & pr… mũ liberu… per eſſentiã.*

*Retorquetur argumentum ex prædicta paritate ductum.*



liberum per participationem, eſſentialiter importat, ita pendere à primo libero per eſſentiam, vt non poſſit ab eo prædeterminari ad vnum; alioquin non haberet formaliter in ſe eſſentialem conceptum liberi ſimpliciter, ac proinde non eſſet liberum per participationem. Sola minor indigeret probatione: ſed longè digrediendum eſſet extra propoſitum præſentis puncti. Nunc ſatis ſit, eam eſſe definitionem ipſam libertatis, ab omnibus Theologis, præſertim antiquioribus, receptiſſimam, vt ſæpe obiter oſtendi in ſuperioribus, præſertim dub. 9. & animaduertere, quòd ſicut diuina voluntas præſupponit in ſigno rationis diuinam intellectionem repræſentantem illi omnia agibilia, & omnes rationes, ſeu conuenientias agendi, vel non agendi erga creaturas; ita præſupponeret iudicium aliquod ad vnam partem prædeterminans, illa non eſſet ſimpliciter libera, ergo ratio liberi ſimpliciter, excludit omnem planè prædeterminationem.

353. Præter has duas reſponſiones Suarez, hactenus defenſas, quoniam hoc argumentum contra ſcientiam mediam, ductum ex bimembri diuinæ ſcientiæ diuiſione, quam S. Thomas, & vniuerſi Theologi tradunt, cui nos nouiſſimè viſi ſumus tertium ſcientiæ mediæ membrum ſuperaddere, eſt potiſſimum abſurdum, quod paſſim aduerſarij acriter, & contumelioſè nobis obiiciunt, vt cum Suarez notaui ſupra num. 314. Placet præterea demonſtrare, idem inconueniens non minus reperiri in contraria ſententia de ſcientia conditionata poſt decretum, quàm in noſtra ſententia de ſcientia conditionata ante decretum, quam ſcientiam nos mediam vocamus; ac proinde teneri etiam aduerſarios, ſi conſequenter ſentire, ac loqui velint, eam vocare mediam; rem totam oſtendo breuiter quatuor ſequentibus ſyllogiſmis, ni fallor, euidentibus.

*Authores ſcientiæ conditionatæ poſt decretũ, teneri admittere ſcientiã mediam.*

Primo, *ſcientia viſionis eſt eorum, quæ vel ſunt nunc in actu, vel fuerunt, vel erunt.* Ita S. Thomas hîc art. 9. & multis aliis in locis, & reliqui omnes Theologi, quorum loca, & verba ex inſtituto attuli ſupra articulo octauo: ſed ſcientia conditionata, etiam poſt decretum, non eſt eorum, quæ vel ſunt nunc in actu, vel fuerunt, vel erunt; vt nos, & aduerſarij communiter fatemur; & patet ex futuris illis conditionalibus in ſcriptura contentis, & declaratis ſupra à num 218. ad 229. Pœnitentia Tyriorum, Matth. 11. Deſcenſu Saülis in Ceilam, Traditione Dauidis in manus Saülis à Ceilanis, 1. Reg. 23. Conſummatione Syriæ, 4. Reg. 13. & aliis, quibus in nulla differentia temporis conuenit aliqua actualitas. Vbi loquor de prædicta ſcientia conditionata, præciſè, & formaliter vt conditionata: alioquin iis, quæ tali ſcientia ſciuntur, non repugnat in poſteriori ſigno rationis, poſt abſolutum Dei decretum de purificanda conditione, eſſe abſolutè futura aliquando in actu, & ſciri alia ſcientia abſoluta viſionis, vt notaui ſupra num. 214. ergo ſcientia conditionata, etiam poſt decretum, non eſt ſcientia viſionis.

*Scientiã conditionatã poſt decretum nõ eſſe ſcientiam viſionis.*

Secundo, ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſecundum omnes eſt in Deo ante quodlibet liberum decretum voluntatis: ſed per aduerſarios ſcientia conditionata non eſt in Deo ante quodlibet liberũ decretum voluntatis, ergo per aduerſarios ſcientia conditionata non eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Quod ipſi vltrò concedunt, contendentes eſſe ſcientiam viſionis, quia hæc, inquiunt, vt patet ex Aluarez l. 1. Reſponſionum c. 6. n. 7. not. 2. Gonzalez hîc, d. 39. n. 13. Cabrera tom. 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. n. 345. eſt poſt actuale Dei decretum: ſed diminutè philoſophantur, & confingunt aliam ſcientiam viſionis ab ea, quam omnes veteres, & graues Theologi tradiderunt, præſertim S. Thomas. Quãuis enim ſcientia viſionis, ab illis tradita, præſupponat liberum Dei decretum, tamen ſemper, & expreſſiſſimè docuerũt, præſupponere tale Dei decretum, quo creaturæ, *vel ſunt nunc in actu, vel fuerunt, vel erunt*, vt hîc loquitur S. Thomas. Sed decretum conditionatum ex parte obiecti, quod ſolum aduerſarij conſtituunt ante ſcientiam conditionatam, ſi conſideretur, vt in præſenti controuerſia de futuris conditionalibus conſiderari debet, quatenus formaliter, & præciſè conditionatum, non eſt tale, quo creaturæ *vel ſunt nunc in actu, vel fuerunt, vel erunt*, ergo decretum conditionatum non eſt illud decretum, quod ante ſe poſtulat ſcientia Dei, vt ſit ſcientia viſionis. Igitur verum eſt, quòd omnis ſcientia viſionis præſupponit decretum Dei liberũ: ſed falſum à contrario eſt, quòd omnis ſcientia, quæ præſupponit quodcumque liberum Dei decretum, eſt ſcientia viſionis; ergo Thomiſtæ, ſi manifeſtam doctrinam, & explicationem S. Thomæ ſequi volunt, non poſſunt verè, ac fideliter aſſerere, ſcientiam conditionatam, etiam ſi eam ponant poſt decretum conditionatum ex parte obiecti, eſſe ſcientiam viſionis traditam, & explicatam à ſancto Thoma, aliiſque primis Theologis.

*Scientiã conditionatã poſt decretum, nõ eſſe ſciẽtiam ſimplicis intelligentiæ.*

Aluarez.
Gonzalez.
Cabrera.

*Scientiã viſionis præcedit decretum abſolutũ non conditionatũ ex parte obiecti.*

Tertio, ſcientia, quæ eſt formaliter in Deo, & nec eſt ſcientia viſionis, nec ſimplicis intelligentiæ, eſt ſcientia media; quod vel ex ipſis terminis patet, in aliquo bono ſenſu non poſſe ab vllo negari. Sed, vt probatum eſt, ſcientia conditionata, etiam poſt decretum, quæ eſt formaliter in Deo, nec eſt ſcientia viſionis, nec ſcientia ſimplicis intelligentiæ. ergo eſt ſcientia quædam media.

*Scientiã conditionatã poſt decretum, eſſe ſciẽtiam mediam.*

Quarto, & vltimo, per aduerſarios ſcientia libera, & ſcientia naturalis in re nihil differunt à ſcientia viſionis, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt ſupra ipſemet Aluarez contendebat contra Suarez: vnde infra cap. 6. num. 7. ait, *Scientia viſionis à ſcientia Dei libera in ratione ſcientiæ, non diſtinguitur, etiam ratione ratiocinata.* Sed ſcientia conditionata poſt decretum, eſt media inter ſcientiam viſionis, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ergo eſt etiam ſcientia media inter ſcientiam liberam, & ſcientiam naturalem.

Aluarez.

Valdè igitur miror, cur aduerſarij non aduerterint, ſe etiam hoc argumento manifeſtè premi: tunc ſanè in opinionem noſtram, noſtróſque Theologos multò minorem impetum feciſſent. Neque eo loco, quo hoc argumentum contra nos proponit, dixiſſet Aluarez, *nobis autem valdè diſplicet tertia illa ſcientia Dei, media inter merè naturalem, & merè liberam.* Non debet illi adeò diſplicere quod verè ſuum eſt: verum enimuerò huiuſmodi argumentum nullius momenti cenſendum eſt, tam contra nos, quàm contra ipſos: quia, vt omnes fatemur, S. Thomas, aliíque veteres Theologi, cum de futuris tractant, nullam rationem habent de conditionatis, ſed de abſolutis tantùm. Vnde cum Dei ſcientiam per ordinem ad obiecta creata diuiderent, illam conſiderarunt reſpectu poſſibilium, & futurorum abſolutorum, non autem conditionalium: & ideo poſterioribus Theologis, tractantibus de conditionalibus, laborandum multum non eſt, an ſcientia conditionalium ſit intelligentiæ vel viſionis; quia ſiue eam ſcientiam admittant ante, ſiue poſt decretum, numquam profectò inuenire poterunt, illam 354.

*Argumẽtum de ſcientia media in nulla ſententia habere debet vim.*

adæquatè cohærere cum iis, quæ ab antiquis ſcripta ſunt, vel de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vel de ſcientia viſionis. Atque hanc ob cauſam prudenter dixit Vazquez hîc, d.47. num.27. & ſequitur Becanus 1.p.tr.1.cap.10.q.1.num.5. *Si placet, doctrinæ, & claritatis gratia, tertium membrum conſtituere, quid obeſt? Quod enim antiqui Scholaſtici, qui hactenus ſcripſerunt, tantùm meminerint ſcientiæ viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, parum intereſt; quia illi de hac ſcientia ſub conditione, nihil omnino diſputarunt, aut meminerunt.* Igitur aduerſarij eadem neceſſitate, qua receperunt ſcientiam conditionalium, ſeu conditionatam, quam, teſte Suarez tomo primo de gratia. Prolegom.2. cap.1.num.2. olim negabant, recipere tenentur ſcientiam mediam. Sola differentia inter ipſos, & nos eſſe debet, quia cum ipſi velint, ſcientiam conditionatam eſſe poſt decretum, debent conſequēter aſſerere, eam ita eſſe mediam, vt multò magis pertineat ad ſcientiam viſionis; quia & eſt de rebus futuris aliquo modo, nempe ſub conditione, & præſupponit in re aliquem liberum actum diuinæ voluntatis; in quo duplici conceptu conuenit cum ſcientia viſionis, & differt à ſcientia ſimplicis intelligentiæ: minus verò pertineat ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quatenus ſolùm eſt de conditionalibus; quæ vt ſic, non ſunt abſolutè futura, ſed eſſe poſſunt, ſicut omnia obiecta ſimplicis intelligentiæ; in quo vno conceptu conuenit cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & differt à ſcientia viſionis. Nos verò contra, cùm velimus, ſcientiam conditionatam eſſe ante vllum decretum in actu poſitum, tenemur conſequenter aſſerere, eam ita eſſe mediam, vt multò magis pertineat ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia & eſt ante decretum, & eſt de poſſibilibus: minus verò ad ſcientiam viſionis, quatenus ſolùm eſt de futuris aliquo modo. Quæ tota tandem differentia reducitur ad quæſtionem de decreto, an ſit ante, vel poſt præſcientiam: eáque ſola quæſtio profectò digna eſt, in qua tractanda Theologorum omnium certet induſtria: omnis verò alia quæſtio, qua vexatur ſcientia media, indigna ſanè fuit, quæ tanta prolixitate agitaretur, tantóque ardore, vt in contumelias quoque protenderetur.

Vazquez.
Becanus.
Suarez.
*Quomodo differãt contrariæ opiniones, conueniētes in ſciētia media ſimpliciter.*

## *Reſpondetur ad tertiam deductionem Aluarez.*

355. *Ex eo quòd dicat S. Thomas, futura contingentia non poſſe ſciri in cauſis. Colligitur oppoſitum.*

Deducit tertiò, quia S.Thomas ſæpe docet, in cauſis contingentibus non poſſe certò cognoſci effectum aliquem determinatum, vt ſupra à n.102. ad 106. ſi autem ſcientia cōditionata eſſet ante decretum, inquit Aluarez, *cognoſceretur determinatus effectus in cauſa contingente, prout contingens eſt.*

Reſpondet Suarez primò, ex hoc dicto S.Thomæ deduci potius oppoſitum, nempe, non dari decretum ante ſcientiam conditionatam, vt nos deduximus ſupra, n.347. tum quia dato hoc decreto antecedente, Deus cognoſceret contingentia in cauſis; contra probata ſupra dub.9. Tum quia Deus cognoſceret in ſuo decreto; & tamen S.Thomas, & antiqui Thomiſtæ, cum ſæpiſſimè diſſerant de modo, quo Deus cognoſcit futura contingentia, numquam omnino tradunt hunc modum cognoſcendi in decreto, vt conſtat ex omnibus ſuperius dictis de hac materia; incredibile autem eſt, admiſſum fuiſſe, & tamen ſemper omiſſum.

*Reijcitur inſtantia Aluarez.*

Inſtat Aluarez, quia S.Thomas negat cognoſci contingentia, *in cauſa contingente vt contingens eſt: ſed docet, cognoſci in cauſa contingente, vt determinata:* vbi verò hoc docuerit S.Thomas, non affert, quia verè afferri non poterat. Conſtat euidenter ex omnibus S. Thomæ, & veterum Thomiſtarum locis, hactenus de huiuſmodi cōtrouerſia diligentiſſimè conquiſitis, & fideliſſimè, ac diſtinctiſſimè commemoratis, numquam hanc diſtinctionem in illis fuiſſe expreſſam, aut leuiſſimè ſignificatam; ſed conſtanter, & euidenter reiectam. Neque vllam prorſus habent vim loca, quæ pro modo cognoſcendi in decreto alibi affert, & propoſita, ac ſoluta ſunt ſupra, num.175.

*Ex eo quòd futura non ſciantur in decreto, non ſequitur, ſciri in cauſis.*

Reſpondet Suarez ſecundò, non valere iſtam conſequentiam, contingentia conditionaliter futura non cognoſcuntur in decreto, ergo cognoſcuntur in cauſis. Nam cognoſci poſſunt, neque in decreto, neque in cauſis, *ſed in ſeipſis,* ſcilicet non abſolutè, ſed conditionatè; vt explico ſupra, n.248. & 250.

*Aluarez cōtra Suarez arguit primò. Secundò.*

Inſtat Aluarez, primò quia Suarez, *petit principium,* ſecundò quia, *inuoluit manifeſtam contradictionem, Deum non videre, quòd ex voluntate ſic vocata, neceſſariò ſequitur conſenſus, etiam neceſſitate conſequentiæ: &, quod Deus cognoſcit emanaturum eſſe conſenſum ab illa voluntate.* Quæ duo rectiſſimè ſcripſit Suarez, ſed, inquit Aluarez, *inter ſe pugnant: aliàs videret Deus effectum ante cauſalitatem ſuæ cauſæ.*

*Ad primum.*

Ad hæc pro Suarez reſpondeo. Ad primum, non peti principium, cum negatur conſequentia argumenti ab aduerſario propoſiti; quod ſolùm verè facit Suarez, addendo explicationem de modo cognoſcendi in ſeipſis, & non in cauſis, ſæpe alibi authoritatibus, & rationibus validiſſimè probatū.

*Ad ſecundū.*
*Quidquid eſt contingenter futurū videri in ſeipſo.*
S.Thomas.
*Non poſſe videri in cauſis.*

Ad ſecundum, ſuppono ex phyſicis, cauſalitatem cauſæ efficientis, non eſſe aliud, niſi actionem, quà cauſa producit effectum. Nego igitur ex illis duobus dictis Suarez ſequi, quòd Deus *videret effectum ante cauſalitatem cauſæ*; ſed tam effectum, quàm cauſalitatem videret in ſeipſis; ſub qua ratione ſunt quid determinatum ad vnum; *& propter hoc,* inquit hîc S.Thomas, *ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni:* non poteſt autem videre in cauſis, quia implicat, cauſam eſſe liberam ad agendum, & eſſe determinatam ad agendum vnum. Et ideò benè dixit Suarez, conſenſum liberum non ſequi ex voluntate neceſſariò, neceſſitate conſequentiæ: quia neceſſitas independens à voluntate, & antecedens omnem liberum eius vſum, & cauſans illum, qualis ſine dubio eſt neceſſitas orta ex diuino decreto prædeterminante, non eſt ſolius conſequentiæ neceſſitas, quæ cum libertate cohæret; ſed etiam vera, ac propria neceſſitas conſequentis, quæ libertatem deſtruit, vt infra ex inſtituto demonſtrandum eſt.

## *Reſpondetur ad quartam deductionem Aluarez.*

356. *Ex eo quòd decretum abſolutum, ſit ante futura abſoluta, non ſequi, decretū conditionatū eſſe ante futura cōditionata.*

Deducit quartò ex S. Thoma, quod nos fusè probauimus ſupra art. 8. ſcientia de futuris abſolutis præſupponit decretum abſolutū, ergo ſcientia de futuris conditionatis præſupponit decretum conditionatum. Conſequentiam nulla alia ratione probat, niſi quia eſt par ratio in vtroque caſu: quam paritatem vrgent etiam Ripa hîc, dub.4.c.5. ante medium, Gonzalez d.45.num.2.& 8. Machin. diſp. 34. ſect. 1. §. vlt. Nauarrete controuerſia 56. §.1. concluſione 3. ſoluunt Suarez tom.1. de gratia. Proleg.2.cap.4.num.7.8. & cap.6.num.14.15. Arrubal hîc, d.46.num.31.

Gonzalez.
Machin.
Arrubal.
Nauarrete.
Suarez.
Arrubal.

Reſpondetur, omiſſis aliis ſolutionibus minus perſpicuis, manifeſtum fiet, huic argumēto, in quo multū confidere videntur aduerſarij, nullam planè vim



vim ineſſe, ſi declarentur termini antecedentis, diſtinguendo decreta diuina, quæ ad effectus abſolutè futuros à cauſis liberis, concurrunt, aut concurrere poſſunt. Ad quemlibet igitur effectum liberum abſolutè futurum, dependentem ab aliqua antecedente conditione, in actu poſita, concurrit primò ſecundùm omnes decretum efficax, & abſolutum ponendi conditionem in tali differentia temporis, v.g. creandi Paulum, & vocandi tali tempore, modo, &c. Secundò decretum concurrendi indifferenter ad oppoſita; quod ex inſtituto explicaui, & probaui ſupra num.128.123. & num.141. & 170. Tertiò decretum determinatum concurrendi ad vnam oppoſitionis partem, non ad aliam: quod aliqui diſtinguunt à ſecundo, ſed non eſſe diſtinguendum probaui ſupra num.170. Quartò decretum prædeterminans creatam voluntatem ad vnum: quod eſt modernorum Thomiſtarum proprium, ſed multis reiectum eſt ſupra dub.11. Quintò decretum prædefiniens liberum effectum futurum à voluntate; quod nos admittimus poſt ſcientiam conditionatam, aduerſarij verò ante.

*In effectu abſolutè futuro diſtingui poſſunt.*
*Primò decretū abſolutum conditionis.*
*Secundò decretū concurrendi ad oppoſita.*
*Tertiò decretū concurrēdi ad vnum, non ad aliud.*
*Quartò decretum prædeterminans.*
*Quintò decretum prædefiniens.*

357. *Conſequentiam non valere de primo decreto.*

Hac diſtinctione breuiter præmiſſa, ſi antecedens intelligatur de primo decreto, conſequentia eſt apertè falſa; quia ſi in futuris abſolutis, abſoluto decreto ponendi conditionem, correſponderet in futuris conditionatis decretum in actu poſitum de eadem conditione, hoc eſſet decretum omnino abſolutum, vi cuius res eſſet abſolutè futura, & non eſſet res futura conditionaliter, vt ſupponitur. Satis igitur eſt, vt huic primo decreto abſoluto correſpondeat decretum conditionatum ex parte actus, quod ſit tantùm obiectiuè in mente Dei, v.g. in allato exemplo de Paulo, non decernit prius Deus, volo creare, & vocare Paulum, &c. & poſtea conditionaliter ſcit, conſentiret Paulus, ſi eum crearem, vocarem, &c. ſed ſolùm ſcit, ſi vellem creare, &c. Si de ſecundo decreto, negatur etiam conſequentia: ſatis enim eſt, vt illud etiam decretum ſit obiectiuè tantùm in præſcientia Dei conditionata, & non ſubiectiuè, vt ita dicam, in diuina voluntate. Quid enim quæſo refert, Deum actu decernere, volo concurrere cum Tyriis, & Sidoniis, vt conſentiant, vel diſſentiant iſtis miraculis, ſi ipſe certò ſciebat ſe eſſe decreturum vt apud illos iſta miracula numquam fiant? Et idem patet dicendum de tertio decreto, quod non diſtinguimus à ſecundo, ſaltem eſſentialiter præſupponit ſecundum. Deus igitur habet ab æterno ſecundùm S.Thomam, & ſecundùm omnes Theologos, decretum abſolutum concurrendi ad hunc determinatum effectum liberum, & non ad oppoſitum; quia de facto in tempore realiter concurrit ad hunc, non ad alium: ſed non habet antecedenter ex ſe, vt determinans cauſam, quia tolleret operandi libertatem, & concurreret ad peccatum; ſed habet conſequenter, ex cauſæ liberæ determinatione, qua ipſemet Deus determinatur, vt ex duobus concurſibus, per indifferens decretum ſuum ab æterno paratis, & oblatis cauſæ liberæ, iuxta connaturalem ſuam agendi vim, completam, & indifferentem ad vtrumlibet preſtare velit hunc determinatum concurſum, & non oppoſitum. Atque ex hoc tertio decreto abſoluto, quod in futuris abſolutis omnes admittimus, & à quo eſſentialiter pendet omnis liber effectus, ſiue bonus, ſiue malus; ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, non poteſt deduci in futuris conditionatis aliud decretum conditionatum, niſi conſequens determinationem liberam cauſæ futuram ſub conditione: ac proinde non realiter præſens in diuina voluntate, ſed conditionaliter futurum, & obiectiuè præſens ſcientiæ Dei conditionali, vt ſufficienter probaui ſupra num.268. & ex ſe patet cuilibet rem attentè conſideranti.

*Conſequentiam non valere de ſecundo decreto.*
*Neque valere de tertio.*

*Neque valere de quarto.*

Si præterea antecedens intelligatur de quarto decreto prædeterminante, quod ſolum facit ad propoſitum arguentis, & deducentis, conſtat eſſe falſum ex probatis ſupra dub.11. præſertim in ſententia S.Thomæ, vt patet ex quamplurimis eius locis ſuperius allatis, quibus ſæpe, & euidenter excludit omnem prædeterminationem à conceptu cauſæ liberæ. Et eſto detur tale decretum abſolutum de abſolutè futuris, adhuc neganda eſſet conſequentia, quæ infert, dandum eſſe idem decretum conditionatum ex parte obiecti, ſed abſolutum ex parte actus, ſiue in actu poſitum: ſatis enim eſſet, dari obiectiuè in diuina præſcientia, vt probatum eſt ſupra à n.279. ad 283.

*Neque valere de quinto.*
*Decretū prædefiniens, nec eſt vniuerſale, nec neceſſarium.*

Si denique de quinto decreto prædefiniente, dico primò, illud non eſſe ad rem, tum quia non eſt vniuerſale, cùm certum ſit non ſe extendere ad actus malos; & probabilius ſit non ſe extendere ad omnes actus bonos, etiam naturales: tum quia non eſt neceſſarium, ſed ſolùm conueniens diuinæ miſericordiæ erga prædeſtinatos. Dico ſecundò, cum hoc abſolutum decretum prædefiniens datur in abſolutè futuris, dari etiam correſpondenter in conditionatè futuris, conditionatum non ſolùm ex parte obiecti, ſed etiam ex parte actus, & obiectiuè in mente Dei; ſatis enim eſt, vt ſciat Deus præſcientia conditionata, quòd ſi, v.g. vellet taliter vocare Paulum, & vellet illi offerre duplicem concurſum ad vtrumlibet, & vellet prædefinire conſenſum, Paulus infallibiliter conſentiret. Dico tertiò, decretum abſolutum prædefiniens poſſe eſſe ante ſcientiam abſolutam viſionis; idem verò decretum prædefiniens, conditionatum ex parte obiecti tantùm, non poſſe actu eſſe ante ſcientiam conditionatam. Diſparitas aperta eſt, quia decretum ante omnem præſcientiam, tam abſolutam, quàm conditionatam, cùm non præſupponat futurum aliquo modo, impoſſibile eſt vt comparetur tamquam cauſa ad effectum, ad futurum liberum, hoc eſt, ad futurum cum potentia ad non eſſe futurum; quia nulla potentia, ne ipſamet omnipotentia Dei, poteſt facere vt non ſit, quod diuina voluntas efficaciter, & abſolutè decreuit vt eſſet: ergo ſi hoc decretum, ante omnem liberum voluntatis vſum, etiam vt ab æterno præuiſum futurum, tam abſolutè, quàm ſub conditione, eſt primò cauſa futuri, hoc eſt, futurum neceſſariò, neceſſitate omnino antecedente, deſtructiua libertatis; vt probaui ſupra, dub.11. & infra accuratius oſtendam. Et ideo hoc decretum tunc non ſolùm eſſet ſimpliciter prædefiniens effectum, ſed etiam prædeterminans cauſam, & effectum, prædeterminatione omnium efficaciſſima, ſicut decretum diuinum eſt cauſa omnium fortiſſima; at verò idem decretum poſitum ante præſcientiam abſolutam, & conſequenter ante effectum abſolutè futurum; ſed poſt præſcientiam conditionatam, & conſequenter poſt effectum conditionatè futurum, poteſt, tamquam cauſa ad effectum comparari ad actum liberum abſolutè futurum; quia, etſi vi decreti diuini abſolutè prædefinientis, implicet contradictionem, actum non eſſe abſolutè futurum; tamen quia hoc non decernit Deus, niſi per talem conditionem, ſub qua prius per ſuam ſcientiam conditionatam ante decretum præuiderat, actum illum eſſe liberè futurum cum potentia ad non eſſe futurum, ſi poneretur talis conditio, quod

*In futuris cōditionatis datur obiectiuè tantùm.*
*Cur decretū prædefiniens detur poſt præſcientiam conditionatā, non ante.*
*Per decretum prædefiniens poſt præſcientiam conditionatā, ſaluari libertatem.*

*Suarez.*

optimè declarat Suarez tom.1.de Gratia, Proleg. 2.cap.6.num.12.& ſignificat n.14.fin.dicens,quòd hoc decretum abſolutè prædefiniens, *dicit habitudinem ad tale medium*, nempe, ſub quo idem effectus, qui prædefinitur, fuit antea præuiſus conditionaliter futurus, fit, vt tota hæc neceſſitas,à decreto proueniens, ſit neceſſitas conſequens vſum liberum voluntatis, & non antecedens: quamuis enim ſit neceſſitas antecedens effectum vt abſolutè futurum,ex tali conditione poſita,tamen eadem eſt neceſſitas conſequens eumdem omnino effectum conditionatè futurum, ſi eadem talis conditio poneretur. Et ideo tunc ſaluatur libertas in operando, & decretum eſt quidem prædefiniens ſimpliciter, tamen non eſt prædeterminans cauſam,quæ cum eadem indeterminata potentia, qua præuiſa eſt factura hoc,ſi poneretur talis conditio, decernitur factura hoc ſub tali conditione poſita.

## *Reſpondetur ad ſex alias deductiones Aluarez.*

*Arguit primò. Arguit ſecundò. Arguit tertiò. Arguit quartò. Arguit quintò. Arguit ſextò.*

359. Deducit quintò Aluarez, vt ipſe ait,*efficaciſſimè* ex multis aliis principiis S.Thomæ. Primò quia *expreſsè docet, concurſum Dei generalem,eſſe influxum Dei immediatum in cauſam,etiam liberam,& cum cauſa in eius effectum.* Quod ait ſe oſtendiſſe d.18.& 23.de Auxiliis. Secundò quia docet, *eiuſmodi concurſum Dei non eſſe indifferentẽ ſecundùm ſe;ſed Deum per eumdem concurſum prædeterminare verè efficienter omnes cauſas ſecundas, tam naturales, quàm liberas,vt operentur actus determinatos.* Tertiò quia docet, *Deum, & liberum arbitrium non eſſe duas cauſas partiales actus liberi,ſicut duo trahentes nauim.* Quartò ait,*quòd liberum arbitrium creatum,nihil ex ſe ipſo operatur,ſi illa particula,ex ſe ipſo,idem ſignificet,quod operari non ab alio priori agente, ſcilicet à Deo, efficiente quòd arbitrium cooperetur, vt patet 1.p.q.105.art.4.ad 2.& 2.ſent.d.37.q.2.art.2.* Quintò ait, *quòd Deus non ſolùm tribuit voluntati virtutem agendi, ſed etiam facit,nos velle hoc,vel illud,determinatè.* Sextò docet, *hanc cauſalem eſſe falſam,quia hoc futurum eſt,ideo præſcitur à Deo. Iſtam autem eſſe veram, quia Deus præſcit hoc futurum eſſe,ideo futurum eſt.*

*Ad primum. Referuntur, & declarantur multa dicta S.Thomæ de concurſu generali primæ cauſæ.*

360. Sed facile eſt demonſtrare, hæc vel falsò tribui S.Thomæ, vel non concludere intentum. Itaque ad primum,nego illud dici à S.Thom. nec *expreſsè*, nec implicitè. Solùm noui Thomiſtæ id putant deduci ex eo,quòd ſæpe in eo legunt,cauſas ſecundas à prima ad agendum moueri, applicari, excitari: &,concurſum cauſæ primæ eſſe cauſam concurſus cauſæ ſecundę,& priorem illo ſecundùm naturam: &,cauſas ſecundas in agendo ſubordinari eſſentialiter primæ,& agere in virtute primæ, & eſſe eius inſtrumentum: &, primum mouens magis mouere; & mouere ſecundum, non autem moueri à ſecundo. Et, vt dicitur in lib.de Cauſis, propoſit.1. cauſam primam prius, & vehementius influere in cauſatum,quàm influant cauſæ ſecundæ. Hæc autem omnia,vt ſuo loco multis oſtendi, ſignificant ſolùm,eumdem planè realem,& externum concurſum, qui prorſus indiuiſibiliter totus eſt à Deo, & à creatura, prout eſt à Deo, eſſe à cauſa dante, & conſeruante eſſe, & virtutem operandi,& concurrente ad ipſam actualem operationem ſub vniuerſaliſſima ratione entis, & cum independentia;cum ideo agat id, quod agit creatura, non quia id ipſe agere non poſſit ſine creatura,ſed ſolùm quia creatura id agere nō poteſt ſine ipſo:& non ſignificant duos cauſæ primæ concurſus,alterū priorẽ in cauſam,alterum poſteriorem in effectum;*puerilis enim hic eſt ſenſus*, inquit ipſemet S.Thomæ commentator illuſtriſſimus Caietanus infra q.19.art.8. ad 2. Scoti. Vnde S.Thomas infra q.105.art.5.quod ad tertium dicit,*Deus applicat formas ad agendum*,ante finem corporis cum limitatione dixerat, *Deus mouet res ad operandum, quaſi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem:*apertè indicans,concurſum Dei generalem,nō eſſe applicationem quamdam propriam, & antecedentem, hæc enim malè dicta eſſet,*quaſi applicatio*,cùm ſit veriſſima,ac propriiſſima applicatio;ſed impropriam,& concomitantem. Manifeſta quoque ſunt contra concurſum generalem antecedentem,& determinantem, verba ex 1.2.quæſt.9.art.6.ad 3.& l.1.contra gent. cap.68. citata, & explicata ſupra num.157.initio, & n.175.circa medium.

*Caietan. S.Thomas.*

*Primam cauſam determinari à cauſis ſecundis ex S.Thoma.*

361. *Ad ſecundū.* Ad ſecundum. Falsò etiam illud tribui S.Thomæ,docenti ſæpe,& expreſsè totum oppoſitum,vt ſupra num.157.& 175.& 315.& 332. ſatis hìc eſſe poſſunt verba illa 3.contra gent.c.66.n.5. *Secunda agentia ſunt quaſi particulantes,& determinantes actionem primi agentis.* Noui verò Thomiſtæ contra dicunt,actionem, ſeu concurſum primi agentis eſſe particulantem, & determinantem concurſus ſecūdorum agentium. Itaque generalis influxus Dei, ſi ſecundùm ſe conſideretur, quantum eſt ex parte Dei,eſt ſine dubio indifferens;quia quantum eſt ex ſe, Deus non eſt magis determinatus ad concurrendum ad hunc effectum,quàm ad illum; ſed per ſuam omnipotentiam, & voluntatem æquè,& indifferenter ſe habet ad omnia: ſed quantum eſt ex parte cauſarum ſecundarū, cum quibus influit,eſt determinatus, ſicut determinati ſunt cauſarum ſecundarum influxus. Quare ratio cur Deus cū igne, v.g. concurrat ad calefaciendum, non eſt petenda ex parte Dei, qui eadem ſua indeterminata virtute concurrit cum aqua ad frigefaciendū: ſed ex parte determinatæ naturæ,ac virtutis ignis,quæ à prima cauſa poſtulat determinatum, & ſibi proportionatum influxum ad calefaciendū. Similiter ratio cur Deus cum voluntate libera concurrat ad actum amoris, non ad actum odij, non debet attendi ex parte Dei, qui voluntati offert duplicem concurſum ad vtrumque actum, aliter illa voluntas non haberet potentiam ad vtrumlibet actum,& conſequenter non eſſet libera;ſed ſolùm ex parte voluntatis,quæ ob ſuam libertatem vtitur concurſu primæ cauſæ ad actum amoris, & non alio concurſu eiuſdem primæ cauſæ ad actum odij; quod eſt, cauſam liberam, non à Deo, ſed à ſeipſa determinare ſe ad hoc,& non ad oppoſitum.

*Ad tertium. Prædeterminatio non infertur ex dependētia cauſæ ſecundæ à cauſa prima.*

362. Ad tertium. Admitto totum, quod ibi dicitur. Sed ex eo quòd Deus, & voluntas creata non concurrant vt cauſæ partiales, ſed vt cauſæ totales in diuerſo ordine,ille in ordine cauſæ primæ, hæc in ordine cauſæ ſecundæ,& eſſentialiter ſubordinatę, ac dependentis,nihil ſequitur pro arguente contra nos:quia hęc eſſentialis dependentia liberi arbitrij à Deo,& in fieri,& in conſeruari,& in operari,ſufficientiſſimè habetur,ſi nō ſolùm totum eſſe liberi arbitrij fiat,& conſeruetur dependenter à Deo,ſed etiam ipſamet operatio liberi arbitrij dependeat à cooperatione Dei;quòd autem præterea dependere debeat à prædeterminatione Dei,id quidem putamus noſtra ætate introductum contra rectam rationem,& doctrinam traditam à S.Thoma,& omnibus antiquis Thomiſtis, & Scholaſticis.

363. *Ad quartum.* Ad quartum. Quòd liberum arbitrium pendeat à Deo,*efficiente quòd arbitrium cooperetur*,non haberi in duobus locis S.Thomæ ibi cit. neque in verbis, neque in ſenſu. In primo loco nil aliud habet niſi, *voluntatem moueri ex ſe,id eſt, à principio intrinſeco, & tamen moueri ab alio,quia eſt ab alio principio extrinſeco:* vbi nihil ad rem,vt patet. In ſecundo loco non video poſſe fieri vim niſi in his verbis,quę habentur aliquantò poſt princip.corp.*cuius eſſentia ab alio eſt, oportet quòd virtus,& operatio ab alio ſit.* Sed quis negat, operationem cauſarum ſecundarū eſſe à prima cauſa? fatemur enim, omnem cauſam ſecundam per ordinem dependentiæ à prima cauſa,conſtitui in ratione agentis, non ſolùm in actu primo per receptionem,& conſeruationem exiſtentiæ,& virtutis actiuæ,& per diuinam,æternámque voluntatem ſimul concurrendi; ſed etiam in actu ſecundo per ipſam cauſæ primæ cooperationem, qua creatura indiget,vt agat in actu ſecundo.Ipſa enim actio præcisè conſiderata,quamuis ſit vna,& omnino eadem indiuiſibiliter, & immediatè tota à cauſa prima, & tota à cauſa ſecunda, tamen prout procedit, & reſpicitur à prima, eſt independens à ſecunda, prout procedit, & reſpicitur à cauſa ſecunda, eſt dependens à prima. Imò, quamuis illa actio pendeat tum à cauſa prima, tum à ſecunda, quæ etiam eſt cauſa verè agens, à qua realiter pendet actio,tamen, quantum eſt ex genere ſuo, non pendet à concurſu cauſæ ſecundæ,ſed pendet omnino à concurſu cauſæ primæ: eſt enim neceſſaria, & eſſentialis conſequentia, agit creatura,ergo coagit Deus;ſed à contrario ex vi conſequentiæ non valet,agit Deus,ergo coagit creatura. Illud autem à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, prius eſt alio à quo conuertitur; ſaltem illa actio ideo eſt,& pendet à Deo, & creatura,quia creatura,vt agat,indiget eſſentialiter Deo coagente;contra verò,Deus, vt agat, nulla ratione indiget creatura coagente: igitur eſſentialis cauſarum ſecundarum ſubordinatio,& dependentia à prima cauſa, tam in actu primo, quàm in actu ſecundo, ſufficienter intelligitur abſque vllo alio priore concurſu in ipſas cauſas,illo prædeterminatas in actu primo ad agendum in actu ſecundo.



*Declaratur dependentia cauſæ ſecūdæ à prima.*

*In quo ſenſu hoc, vel illud velle determinatè, ſit à Deo.*

*Declaratur locus S.Thomæ 1.2.q.9. art.6.ad 3.*

*Diſtinguuntur, & explicantur concurſus Dei generalis,ſpecialis, & ſpecialiſſimus.*

364. *Ad quintum.* Ad quintum. Bene dicitur Deus dare voluntati non ſolùm virtutem agendi,ſed etiam ipſum velle hoc,vel illud determinatè; non propter decretum prædeterminans, quod vniuerſaliter, & omnino antecedenter neceſſarium ſit ad quodcumque velle,alioqui daret etiam velle peccare, quod piæ aures ferre non poſſunt; ſed tum primò vniuerſaliter, quia actio volendi quicquid determinatè volumus,ſiue bonum, ſiue malum, eſt etiam immediatè à Deo vniuerſalius,prius,& independentius, vt explicatum eſt. Tum ſecundò ſpecialiter, quia, vt ait S.Thomas 1.2.quæſt.9.art.6. ad 3. *Interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum,quod eſt bonum; ſicut in his, quos mouet per gratiam.* In quibus verbis aduerſarij inſufficienter fundant prædeterminationem, tum quia S.Thomas loquitur de gratia in communi, tam efficaci, quàm ſufficiente, qua etiam mouentur homines ad bonum determinatè, & tamen non prædeterminantur: tum quia S.Thomas dicit, *mouet*, non dicit,*determinat*, vt falsò citant quidam: tum quia illud,*determinatè*, tenet ſe ex parte actus,& obiecti, non ex parte motionis, & voluntatis; quod euidenter patet ex contextu verborum, quia dicitur, *Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum*; & non dicitur, *Deus determinatè mouet*, &c. Solùm igitur docet S.Thomas,ex duobus actibus, & obiectis,ad quæ moueri liberè poteſt voluntas,Deum per gratiam mouere ad vnum determinatè,nempe ad actum bonum circa verum bonum honeſtum, non ad actum malum circa apparens bonum delectabile: in quo differt concurſus diuinus ſpecialis,quo Deus,vt author gratiæ,mouet voluntatem per auxilia,quæ non debentur naturæ,ab alio concurſu diuino generali,quo Deus,vt motor vniuerſalis,& author naturæ, mouet voluntatem per influxum naturæ voluntatis debitum: nam hoc ſecundo modo non mouet ſolùm ad vnam partem ex duabus, quæ proponuntur voluntati, ſed ſub diſiunctione ad vnam, vel aliam, ſcilicet, vel ad bonum, vel ad malum, offerendo voluntati per æternum, ac liberum decretum ſuum duos concurſus paratos,& illum in tempore præſtando, ad quem accipiendum voluntas liberè ſe determinauerit: ſed primo modo,quia voluntati proponuntur ab intellectu honeſtum, & delectabile, quod eſt prohibitum, Deus per gratiam ſiue efficacem, ſiue ſufficientem, non mouet circa vtrumque, ſed dumtaxat circa vnum determinatum,hoc eſt, honeſtum: tamen relinquit voluntati poteſtatem innatam,& generali ſuo concurſu parato,& oblato, completam in actu primo, & proximè diſpoſitam, liberè ſe mouendi, & determinandi ad aliud oppoſitum bonum delectabile: vnde fit, vt illud, mouere per gratiam præuenientem, ſit quidem præmouere, non autem prædeterminare. Tum tertiò ſpecialiſſimè, prædeſtinando, & abſolutè prædefiniendo velle bonum ſupernaturale: quod putamus, ſalua libertate fieri non poſſe,niſi in diuino intellectu,ante quodlibet liberum voluntatis decretum, præcedat ſcientia conditionata de volitione futura ſub hac vel illa conditione,

Ad ſextum. Conſtat ex dictis ſupra art.8.à numero 86.ad 93. illas cauſales in nullo planè loco S.Doctoris legi,ſed cauſales contrarias tradi communiſſimè à Patribus. Quas quidem exponendas eſſe, neceſſarium eſſe aliquando duxit S.Thomas; in nulla tamen expoſitione negauit ſenſum à nobis intentum, de ſcientia viſionis, non antecedente, & cauſante, ſed potius conſequente res abſolutè futuras;ſed alium ſenſum, vt ibi probaui. *Ad ſextum.*

# PVNCTVM V.

## *Impugnatur decretum prædeterminandi materialem entitatem peccati.*

### SVMMA.

1 *Authores decreti prædeterminandi actum peccati. num.365.*

2 *Prædictum decretum impugnatur primò authoritate Scholaſticorum. num.366.ad 373.*

3 *Impugnatur ſecundò authoritate Patrum, & Conciliorum.num.373.& 374.*

4 *Impugnatur tertiò authoritate ſacræ Scripturæ. num.375.ad 379.*

5 *Impugnatur quartò multis rationibus. num.379. ad 383.*

6 *Reÿcitur reſponſio Aluarez. n.383.& 384.*

SCientiam Dei conditionatam de effectibus contingentibus, liberè futuris à voluntate creata, ſi ſub his vel illis antecedentibus conditionibus poneretur, non pendere à præcedente actuali diuinæ voluntatis decreto, prædefiniente, ac prædeterminante, vt ex duobus oppoſitis,quæ, poſitis omnibus prærequiſitis ad liberè operandum, poſſunt eſſe futura à libera voluntate,ſit futurum hoc,& non ſit futurum aliud, quod in tota hac dubitatione decimaſeptima directè intendimus, probari præterea poteſt efficaciſſimis rationibus: 365.

nibus: duas,quæ mihi videntur omnium grauiſſimæ,& clariſſimæ,diligenter vrgebo. Alteram particularem, ductam ex actibus malis; alteram vniuerſalem,ductam ex actibus liberis, ſiue malis, ſiue bonis. Quæ rationes non ſolùm demonſtrant, huiuſmodi decretum non dari de facto, ſed etiam non poſſe dari; quo fit, nullius momenti eſſe illud vnum argumentum, quod tamquam præcipuum elegit Zumel tomo primo variarum diſputationum fol.108. fin. vt obiiceret contra Suarez, dicens,ne Suarez quidem negare poſſe,huiuſmodi decreta, *non eſſe impoſſibilia*: in quo videtur Zumel confundere decretum prædefiniens poſt ſcientiam conditionatam, & decretum prædeterminans ante ſcientiam conditionatam; primum eſt poſſibile, & de facto datur; ſecundum verò prorſus implicat.

*Zumel inſufficienter arguit contra Suarez.*

*Nos à Deo prædeterminari ad actū peccati, ſequi ex contraria opinione.*

Prima igitur concluſionis noſtræ ratio ſit, quia ex opinione contraria ſequitur,Deum efficaci, & abſoluto actu voluntatis ſuæ prædefinire poſitiuam, ac realem actionem peccati, antequam illa ſit, & ab ipſo præuideatur futura aliquo modo, nempe, vel futura abſolutè, vel ſaltem futura ſub conditione. Hoc verò conſequens eſt maximum abſurdum, apertè pugnans cum infinita bonitate, ac ſanctitate voluntatis diuinæ: ergo abſurda pariter cenſenda eſt opinio, vnde neceſſariò deducitur; ſequelam aduerſarij vel concedunt, vt Aluarez, Nauarrete, Cabrera, Nazarius, citati ſupra num.111. vel concedere tenentur, vt Bagnes, & Zumel,ſi conſequenter philoſophari velint,vt ibidem oſtendi, & euidenter conſtat ex eorum fundamentis, allatis ſupra n.350. & infra afferendis. Vnde Cabrera tomo 3.in 3.p.q.62.art.1.d.12.§.10. n.238. neceſſitatem diuinæ voluntatis prædeterminantis probat, *propter dependentiam cauſæ ſecundæ à cauſa prima*, & Verdu fol.24. prædeterminationem arbitrij creati ita probat, *nam Deo ſubordinatur, & non eſt tale per eſſentiam*: & Riſpolus pag.24. *vt ſaluetur ordo cauſæ ſecundæ ad cauſam primam*: & Machin hîc d.34.ſect.1. per totam,in eadem eſſentiali dependentia fundat ſententiam ſuam de decreto prædeterminante. Et ideò non potuit conſequenter aſſerere deinde Aluarez lib.1.Reſponſionum c.1.n.46.probabile eſſe, Deum ante omnem præſcientiam cooperationis arbitrij futuræ, etiam ex hypotheſi, omnia contingentia conditionata determinaſſe, (peccato dumtaxat excepto) ſicut enim non eſt probabile, actionem peccati excipere à generali concurſu primæ cauſæ; ita nec à decreto prædeterminante, ſi hoc,vt volunt Aluarez, & alij aduerſarij, includitur eſſentialiter in generali concurſu primæ cauſæ cum cauſis ſecundis liberis. Sed deinde cap.5.n.22.ad confirmationem, & n.23. ad 2. eamdem materialem peccati partem iterum ſubiicit decreto prædeterminanti. quam ſubiectionem expreſsè negant F. Blaſius Verdu fol.21.fin. Machin infra d.48.ſect.3.circa princip. Gonzalez hîc d.44.num.24.28.38.ad 2. ſed minus conſequenter, vt aduertam infra n.382. & n.430. fine.

Cabrera. Verdu. Riſpolus. Machin. Aluarez. Verdu. Gonzalez.

## *Authoritas Scholaſticorum.*

366. Abſurditatem conſequentis oſtendo, primò authoritate Scholaſticorum; tum quia noui Thomiſtæ primi fuere, qui eam opinionem noſtra ætate commenti ſunt, nullius antiquioris Theologi ante ipſos præſidio muniti. Tum quia multi,& graues Theologi eamdem opinionem non ſolùm authoritatibus, & rationibus reiecerunt, ſed etiam cenſuris damnarunt, vt ſupra n.136. Tum quia ex antiquis apertè pro nobis ſunt S.Thomas 1.2.q.9. art.6. ad 3. his verbis, *Sine vniuerſali Dei motione, homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum:* quod eſt obiectum actus peccati. *Sed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum; ſicut in his, quos mouet per gratiam.* Clarè loquitur S.Thomas *de velle bonum apparens*, ad quod, inquit in principio illius reſponſionis ad tertium, *Deus mouet voluntatem hominis, ſicut vniuerſalis motor:* hoc autem velle, ad quod generali ſuo influxu mouet Deus,ſcilicet concurrendo, & cooperando, eſt ſine dubio materiale peccati. Si ad hoc Deus vt prima cauſa influit, *ſed homo ſe determinat*; ergo non prædeterminat Deus, neque extrinſecè per decretum,neque intrinſecè per influxum. Præterea ſi ad ſpecialem Dei influxum pertinet, mouere interdum ad aliquid determinatè volendum, ergo ad generalem primæ cauſæ influxum, & voluntatem influendi, non pertinet, mouere ad determinatè volendum bonum determinatum apparens; & 1.2.q.80.art.1.ad 3. *Deus*, inquit, *eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana, & à diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis.*

S.Thomas.

Hoc non poteſt exponi de determinatione ad malum, qua malum eſt, quia expreſsè loquitur de malo, ad quod voluntas ſe directè determinat, & quod diabolus ſuadet, & proponit: quod certè eſſe nequit malum, vt malum, quod eſt formale peccati; ſed eſt ipſum opus malum, quatenus bonum; ſiue ipſum opus bonum, cui eſt adiuncta malitia; quod eſt materiale peccati; Deus, vt prima cauſa, inquit S.Thomas,concurrit ad interiorem motum malum,ſed ad illum determinat ſe voluntas humana, ergo ad munus primæ cauſæ non ſpectat per voluntatem ſuam prædeterminare voluntatem humanam ad illum motum.

Alij quoque idem docuerunt. Alenſis 1.p.q.40. membro 4. ad 3. cùm docuiſſet, *Deum bona, quæ ſunt in poteſtate arbitrij,ſic velle, vt non prædeterminet, ſed relinquat noſtræ voluntati*; ſic optimè deducit pro actibus malis. *Et ideo ſi fiat contrarium, non fit contra eius voluntatem, quamuis fiat præter eius voluntatem, quæ eſt eius beneplacitum.* Bonauentura 2.d.37. art.1.quæſt.1.ad vltimum concedit, *Quòd Deus eſt principale mouens in actione, quæ eſt ſubſtrata peccato: attamen non ſequitur ex hoc, quòd excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem; ſed ibi eſt ſola cooperatio diuinæ virtutis, non præuentio.* Si extra Deum eſt *ſola cooperatio*, ergo intra Deum eſt ſolùm voluntas libera cooperandi determinationi creaturæ; & non voluntas vt creatura cooperetur determinationi diuini decreti prædeterminantis: ſi *non eſt præuentio,* ergo non prædeterminatio ante omnem præuiſionem futuri, etiam ſub conditione; hæc enim prædeterminatio, eſſet præuentio omnium maxima. Mayronus 2.d.43. q.4. loquens de malis, & peccatis, *quantum ad ſubſtratum actus, non quantum ad formale peccati*, ait poſt quartam concluſionem. *Deus non vult mala, voluntate antecedente, ſed conſequente; vult enim pactum tenere, & non fugere: ſcilicet quòd in omni actione creaturæ aſſiſtit in cauſando,& ad bonum,& ad malum.* 367.

Alenſis. Bonauent. Mayron.

Clarius, & fuſius Aureolus 1.d.38.q.1.art.1. propoſitione 1. *Manifeſtum*, inquit, *eſt,quòd determinatio voluntatis diuinæ non eſt cauſa contingentium futurorum, ſaltem omnium; quia non eſt cauſa actuum, qui eliciuntur à libero arbitrio, & maximè peccatorum, quia Deus non eſt author malorum.* Loquitur de materiali peccati, hoc eſt,de actu peccati elicito à libero arbitrio: & rectè infert,quòd ſi hoc materiale determinaretur à diuina voluntate, Deus eſſet author malorum. Et ne quis ſuſpicari poſſet, ſe id dixiſſe de formali peccati, non de materiali; ſic clariſſimè addit paulò poſt. *Fortè dicetur, quòd licèt diuina voluntas non determinet ad deformitatem peccati, determinat tamen ad actum ſubſtratum, cum ſit aliquid poſitiuum.* Et contra hanc reſponſionem ſtatim ait, *quòd ſi ita dicatur, non valet: impoſſibile eſt enim, quòd aliquid determinet ad actum, quin determinet ad deformitatem inſeparabilem ab illo actu; ſed deformitas eſt inſeparabilis ab illo actu numerali, in quo eſt,& omnino ab actu odij diuini deformitas ſeparari non poteſt, ergo ſi determinet Deus voluntatem creatam ad actum,determinabit & ad deformitatem,ac peccatum.* & immediatè id confirmat efficaci ratione, dicens, *quia nec voluntas creata intendit deformitatem per ſe, ſed delectationem, & id, quod eſt poſitiuum in actu; nullus enim ad malum aſpiciens operatur, ſecundùm Dionyſium; imò diſplicet, quòd eſt actui annexa deformitas; &, ſi poſſet,vellet peccator perfrui delectatione, & habere quicquid eſt poſitiuum in actu, excluſa deformitate: & tamen hoc non obſtante dicitur actor peccati, propter quod eſt cauſa actus, quem deformitas neceſſariò concomitatur. Quare ſi Deus determinaret voluntatem creatam ad talem actum, neceſſariò eſſet actor peccati. Et iterum, non deberet peccatori imputari, ſi determinaretur ad huiuſmodi actum poſitiuum à voluntate diuina, quæ efficax eſt, & ſemper impletur.* 368.

Aureol.



369. Item Ochamus, & Ariminenſis locis, & verbis citatis ſupra n.138. probantes, quòd determinatio voluntatis creatæ non poteſt liberè ſequi determinationem voluntatis diuinæ: tunc enim, inquiunt, *nullus actus voluntatis creatæ eſſet ſibi imputandus.* Idem Ariminenſis 2.d.28. q.1.art.3. ad 12. *Ad productionem actus mali ſolùm primo modo Deus concurrit; quia non facit, voluntatem agere actum malum.* Explicauerat autem paulò ante,primum concurrendi modum non eſſe aliud, niſi, *iuuare ipſum actum immediatè, & partialiter coëfficiendo,qui eſt modus communis, quo concurrit ad cuiuſlibet creati agentis quemlibet effectum*; & non per aliquid antecedens, ſicut concurrit per gratiam ad actum bonum. Quam totam doctrinam his iiſdem verbis Gregorij refert Capreolus 2.d.28.q.1.art.3. ad 12. contra ſecundam concluſionem, & recipit, & ait eſſe S.Thomæ, ergo generalis influentia Dei per Ariminenſem, & Capreolum non includit aliquid præuium, ac prædeterminatiuum ex parte cauſæ: & ſi ad extrà Deus ad actum malum non concurrit niſi *coëfficiendo*, ergo ad intrà non habet decretum prædeterminandi,ſed tantùm decretum coëfficiendi actum malum. Et d.34.q.1.art.3.ad 8. concedit Ariminenſis, *Deum voluntariè coagere ad actum malum, ſed ſequi determinationem voluntatis: quoniam ideò Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non ideo quia Deus agit,ideò voluntas agit. Et ideò magis propriè dicitur Deus coagere voluntati in talem actum cauſando, quàm voluntas dicatur coagere Deo.* Quæ omnia quàm longè abſint à diuino decreto, prædeterminatiuo actus peccati, nemo non videt. Ariminenſem ſequitur Gabriel 2.d.37. q.vnic.art.3.dub.2.dicens, quòd Deus, *licèt producat actum malum,* tamen non eſt illius author, quia non eſt, inquit, *cauſa faciendi id vnde homo deterior fit: nec,quantum eſt ex ſe, concurrit: ſed quia voluntas liberè hunc producit, Deus comproducit.* Andreas de Nouo Caſtro 1.d.22. q.2. ad 2. loquendo expreſsè de entitate poſitiua peccati, ait, *Deum velle illud poſitiuum ſecundum quid, & quaſi conditionaliter; quia quantum eſt ex ſe, magis vellet, illud non poni: tamen ſi voluntas creata vult omnino illud ponere, Deus non vult ſubtrahere influentiam:* & tam ante,quàm poſt hæc verba, hoc velle ſimpliciter, quod negat Deo reſpectu entitatis peccati,vocat, *velle præordinationis antecedentis.*

Ochamus. Ariminenſis. Capreol. Gabriel. Nouo Caſtr.

Marſilius 1.q.45.art.2.notabili 6.concluſione 4. in ſolutione dubij,loquens exempli gratia de actu peccati, quo mulier elegit comedere de ligno vetito; & quærens, an illum actum voluerit Deus, reſpondet, *Quòd Deus turpitudinem,annexam actui, non voluit: ſed actum voluit quoad ſubſtantiam, dum tamen mulier eum vellet.* Qua vltima limitatione clariſſimè exprimitur voluntas conditionata conſequens, & concomitans liberam determinationem voluntatis creatæ;& excluditur voluntas antecedens,& prædeterminans creatam voluntatem. Quod magis explicat paulò poſt in tertia reſponſione, dicens, *in his actibus, qui diſconueniunt voluntati, quaſi voluntas præuenit Deum: quia ex quo Deus præcepit contrarios, & bonos voluntati,malos voluntate non produceret, niſi præuenta aliquo modo per voluntatem liberè ſe determinantem ad partem ſibi nociuam.* Si voluntas creata per liberam ſuam determinationem præuenit voluntatem diuinam, qua vult producere materialem entitatem peccati; ergo ad hanc non prædeterminat voluntas diuina ante omnem creatæ voluntatis determinationem futuram,& præuiſam, etiam ſub conditione: aliter voluntas diuina nullo modo præuenta eſſet,ſed omni modo præueniens. Vnde infra addit Marſilius, *Deus voluit illum actum, & tamen mulier non neceſſitata fuit ad eius productionem, ſed liberè ad eum ſe determinauit, & contingenter; & ita contingenter Deus eum cum ea voluit: ſic,quòd ſi mulier, quæ potuit oppoſitum elegiſſe, non elegiſſet, Deus illum actum in mente mulieris eſſe numquam voluiſſet; & ita mulier non fuit neceſſitata, ſed liberè ſic elegit, & ideò peccauit.* Ideò vult mulierem non fuiſſe neceſſitatam,ſed liberè elegiſſe,& peccaſſe,quamuis eumdem actum voluerint, & produxerint Deus, & mulier; quia voluntas Dei ſequuta eſt voluntatem mulieris, non voluntas mulieris voluntatem Dei, vt dicunt aduerſarij prædeterminatores. 370.

Marſilius.

Conradus 1.2.quæſt.79.art.1.§.*Nota inquam,* ſic concludit, *Intelligas iuxta Doctoris ſancti mentem, Deum primò concurrere ad actum peccati,quia videlicet voluntas non agit niſi in virtute Dei, quæ tamen ſolùm habet motionem cooperatiuam, & prius attingit cooperando, quia intimius attingit: & non imagineris modo Scotico; quaſi ſit aliqua duratio naturæ, in cuius primo inſtanti Deus attingat actum peccati, & in ſecundo creatura; ſed ſimul duratione, tamen Deus prius perfectione.* Si concurrit Deus, *ſolùm cooperando*, ergo non præmouendo, & prædeterminando: aliter Deus propriiſſimè attingeret prius natura, quod negat Conradus. Qui paulò poſt ſatis clarè exprimit, Deum ad actum peccati concurrere, non per decretum prædeterminans ad vnam partem, ſed per decretum indifferens ad duas partes oppoſitas, his verbis, *Ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates,ſcilicet diuina, & humana; & voluntas humana poteſt, & tenetur rectitudinem dare actui, & tamen non dat: diuina autem, quantum ex ſe eſſet,daret rectitudinem, ſi voluntas creata cooperaretur.* & paulò poſt,*Deus, quantum ex parte ſui eſt, dat rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati ex conſequenti daret, ſi voluntas ſuam cauſalitatem cauſaret*, ergo, quòd 371.

Conradus.

*non*

*non adſit rectitudo ; eſt quia voluntas non cauſat quantum ad ſe pertinet.* Quæ omnia clariſſimè explicant, Deum ad actus peccatorum, quamuis abſolutè futuros, non concurrere per decretum omnino abſolutum prædeterminans ad vnum, ſed per decretum conditionatum concurrendi vel ad hoc, vel ad illud, ſi ad hoc, vel ad illud voluntas ſe determinauerit.

372. *Carthagena.* Franciſcus Carthagena in ſuo opere de Prædeſtinatione, Diſcurſu quarto, in tertio dicendi modo, dicto ſecundo ait, *Deum non omnes actus liberos definiuiſſe, antequam videret cauſas ſecundas liberas ſe ipſas determinare. Ita tenent Albertus, Ægidius, Bonauentura, & alij diſtinct. 46. & Catherinus Opuſculo de præſcientia*; & paulò poſt, *loquendo de entitate poſitiua peccati, certum eſt, illam non eſſe prædefinitam à Deo vt fiat, quia tali entitati ſemper annectitur malitia*: &, vt paulò ante dixerat, *quia aliàs Deus eſſet cauſa peccati.* Et vniuerſalius infra in dicto tertio ad primum, *Præſcientia diuina ſupponit cauſas liberas determinatas à ſe ipſis ad vnam partem.*

## *Authoritas Patrum, & Conciliorum.*

373. *Auguſtinus.* Secundò authoritate Patrum, quos attuli ſupra à num. 334. ad 337. quibus addi poteſt Auguſtinus de ſpiritu, & littera cap. 31. dicens, *Numquam legimus in Scripturis, non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt: alioqui etiam peccatorum, quod abſit, author eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo; quoniam mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiam ſi deſit effectus.* Expreſsè loquitur de voluntate, quæ eſt ſubſtratum malitiæ, eámque negat eſſe à Deo, nimirum prædeterminante, non autem concurrente ſimpliciter: nam primo modo malitia tribuenda eſſet Deo. Et lib. 12. Confeſſionum cap. 11. docet ſolùm à Deo non eſſe motus peccatorum, *quia,* inquit, *talis motus delictum, atque peccatum eſt.*

*Trident.* Tertiò authoritate Tridentini ſeſſ. 6. can. 6. vbi anathematizat dicentes, *Non eſſe in poteſtate hominis, vias ſuas malas facere; ſed mala opera ita, vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* Hæc autem ſequi videntur ex contraria ſententia: ſi enim ad opus malum eſt neceſſaria diuinæ voluntatis prædeterminatio, quæ non eſt in poteſtate hominis, ſed ponitur liberè à ſolo Deo, prorſus independenter ab operationibus noſtris, & ex illa poſita ſequitur naturaliter, infallibiliter, & neceſſariò opus malum, multò maiori connexione quàm ex igne, v.g. ſequitur calor; ergo non eſt in poteſtate hominis vias ſuas malas facere. Deinde ſi Deus ad opus malum concurrit non ſolùm concomitanter cooperando, ſed etiam antecedenter prædeterminando, & præmouendo in tempore, & prædefiniendo ab æterno, ergo non concurrit, *permiſſiuè ſolùm,* ſed concurrit, *propriè, & per ſe*, ſicut concurrit ad opus bonum. Neque ſatisfaciunt reſpondentes, Deum ad bona opera concurrere etiam præmouendo moraliter, docendo, ſuadendo, inclinando, præcipiendo, &c. quo modo non concurrit ad opera mala. Nam opus bonum, eſſet proprium, & per ſe Dei, ratione prædeterminationis decreti æterni, & phyſicæ præmotionis in tempore; non ratione alterius præmotionis moralis: tum quia illi correſpondet effectus ſemper, & omnino infallibiliter, ita vt implicet contradictionem non correſpondere; huic verò correſpondet effectus fallibiliter, ita vt aliquando non correſpõdeat, Deus enim omnes moraliter præmouet, etiam peccatores, in quibus huiuſmodi præmotio non habet effectum, ergo quando habet effectum, is dici rectè nequit, propriè, & per ſe effectus Dei ratione præmotionis moralis. Tum quia habita ſolùm prima prædeterminatione, & præmotione phyſica, vi illius, præſcindendo à quacumque alia præmotione morali, implicat contradictionem non eſſe futurum opus bonum; ergo illa ſola ſufficientiſſimè dat operi bono, eſſe *propriè, & per ſe* opus Dei; ergo ſi illa reperitur æqualiter in opere malo, hoc etiam erit *propriè, & per ſe* opus Dei.

374. *Arauſican.* Atque hoc ipſum opus malum, ad quod nõ prædeſtinat Deus, ſicut prædeſtinat ad opus bonum, & non præciſè malitiam, ſpectauit profectò Arauſicanum can. 25. illis verbis, *aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Quæ definitio iiſdem verbis relata, & confirmata deinde eſt à Concilio Valentino ſub Lothario Imperatore, c. 3. fin. *Conc. Valẽt.* Vnde idem Arauſicanum antea in can. 23. ſic habet. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet.* Quod eſt intelligendum de ipſo actu materialiter malo, & non ſolùm de malitia formaliter. Tum quia Concilium illius rei voluntatem negat Deo, quam tribuit hominibus: hi autem non habent voluntatem per ſe, & directam malitiæ, ſed actus dumtaxat materialiter mali; imò ſi fieri poſſet, vt remanente eadem vtilitate, & delectabilitate actus, careret morali malitia contra rectam rationem, id quidem maximè vellent. Tum quia expreſsè loquitur Concilium de voluntate *agendi id*, &c. Malitia autem formaliter, & præciſè, non eſt actio, ſed potius negatio actionis rectæ.

## *Authoritas ſacræ Scripturæ.*

375. *Exponitur locus Eccleſiaſtici 15. Auguſt.* Quartò idem oſtendo ex Scriptura, vbi paſſim eadem veritas legitur: præcipuè vim facio primò in illis verbis Eccleſiaſtici 15. *Non dixeris, per Deum abeſt,* ſiue, vt legit Auguſtinus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 2. *Quia propter Deum receſſi: quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanauit,* hoc eſt, vt legit Auguſtinus ſupra, *quia ipſe me induxit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* At ſi, antequam homo liberè ſe determinat ad actũ bonũ vel malum, Deus libero ſuo decreto prædeterminat illum ad actum malum, non ad bonum, abſque vllo aut merito, aut demerito hominis, quod decretum nullo modo ponere, aut tollere poteſt homo, & ſub quo decreto poſitus non poteſt non operari actum malum; ecquis non videt, hominem iure optimo poſſe dicere, per Deum abeſt, quo minus bene operer, &, Deus me implanauit, & ad peccandum induxit, & impium fecit: quia non poteram non facere actum illum, ſicut nec reſiſtere efficaci Dei decreto; & ille actus fieri non poterat abſque impietate? Præterea idem homo ſic prædeterminatus Sapienti dicenti, *Ne feceris quæ Deus odit,* reſpondere facilè, ac verè poſſet, ſe huius præcepti, ſiue exhortationis capacem non eſſe, quia non poteſt non facere quæ Deus odit. Imò, nec Deum poſſe odio habere ea, ad quæ ipſe ſolus ſanctiſſima, ac libera ſua voluntate ita poſitiuè prædeterminat, vt non poſſint non fieri.

376. *Exponitur locus Ioã. 13.* Præterea Ioan. 13. *Cùm diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* Quibus verbis, vt patet, explicatur ſolùm realis, & materialis actio peccati: & ſanè diabolus nec ſuaſit, nec ſuadere potuit, facere



facere malum, quia malum; ſed quia bonum delectabile, & vtile. Quod autem Ioannes diabolo tribuit, ſcilicet ob indignitatem, ac turpitudinem, nefas eſt Deo tribuere, ergo non licet de Deo dicere, illum mittere in cor noſtrum actiones materiales peccatorum. Quod neceſſariò dicendum eſt, ſi ad illas actiones nos prædeterminat, ante quemlibet noſtrum conſenſum: ſicut dicimus, Deum infundere, & mittere in cor hominis illas actiones bonas, ad quas libero, & efficaci ſuo decreto hominem prædeſtinat, ac præmouet.

377. *Exponitur locus Iacob. 1.* Valdè etiam fauet illud Iacobi 1. *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat: vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua,* &c. At per aduerſarios Deus eſſet multò plus quàm tentator malorum, nimirum, prædeterminator omnipotentiſſimus, ſub quo poſita voluntas prædeterminata, eſt infallibiliter conſenſura malo, tanta infallibilitate, vt oppoſitum implicet contradictionem. Quæ prædeterminatio multò maiorem connexionem habet cum actu malo, quàm quælibet tentatio, quæ eſt ſimplex quædam ſuaſio, atque inclinatio moralis, ac fallibilis; ergo ſi hæc eſt indigna Deo, illa erit indigniſſima. Quocirca Iacobus dicens, Deus neminem tentat ad actum malum, multò magis cenſendus eſt dicere, Deus neminem prædeterminat ad actum malum. Reſpondent, ideo à Scriptura dici, Deum non implanare, neque tentare, quia nec neceſſitat, nec mouet ad malum, intendendo malum, quà malum eſt: ſed contrà, tum quia veriſſimè neceſſitatur illa potentia, quæ cum ſuapte natura indifferens ſit ad duas partes, ita determinatur, & ligatur ad vnam, vt iam non poſſit ad illam non ſe mouere: quod maximè habet voluntas creata poſita ſub decreto Dei prædeterminante, vt vberiùs demonſtrabo puncto ſequenti. Tum quia Deus non tentat, & implanat, vt diabolus, & vnus homo alium hominem; qui tamen ita tentant, & implanant, vt tamen non neceſſitent. Ergo quòd Deus non neceſſitet, non ſatis eſt ad ſaluandum, quòd Deus neminem tentet, & implanet: tum quia ad tentandum, & implanandum, ſatis eſt, vt patet inter homines, indirectè intendere malum, nempe, inducendo ad bonum, cui eſt annexa malitia; & hoc ſatis eſt, quamuis inductio ſit moralis, & fallibilis; ergo Deus infallibiliter, & phyſicè prædeterminans, & præmouens ad actum, cui eſt adiuncta malitia, dici etiam multò magis debet, intendere indirectè malum: tum quia Iacobus docet, Deum non tentare eo modo, quo tentat concupiſcentia: *Quomodo tẽtet concupiſcentia.* concupiſcentia verò non tentat attrahendo voluntatem ad malum, quatenus malum; ſed ad actum bonum delectabilem, quatenus eſt quædam entitas realis, & poſitiua in eſſe naturæ, cui adiuncta eſt malitia contra rectam rationem: concupiſcentia enim mouetur ex cognitione ſenſitiua, & ideo non poteſt ferri in rationes boni, & mali moralis, ſed ſolùm ſenſibilis; ergo non poteſt tentare niſi attrahendo ad hoc bonum, ad quod ipſa inclinat; ergo Deus ad actum ſub eadem ratione non tentat; ergo multò minus phyſicè prædeterminat, quamuis non intendat, nec intendere poſſit directè malitiam: tum quia de concupiſcentia Iacobus ibidem ſtatim ait, *Parit peccatum*, & Tridentinum *Trident.* ſeſſione 5. in Decreto de peccato originali canone 5. fin. *Ad peccatum inclinat.* Sed de Deo dici non poteſt, parere peccatum, inclinare ad peccatum; ergo Deus non poteſt præmouere directè, & per ſe ad bonum delectabile, cui eſt annexa malitia, eſto non hanc, ſed illud tantùm intendat; quo modo ſolùm præmouet concupiſcentia.

378. *Exponitur locus Hier. 19.* Denique multum vrget illud Hierem. 19. *Ædificauerunt excelſa, quæ non præcepi, nec loquutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Nam expreſsè loquitur de materiali peccati, hoc eſt, ædificatione excelſorum: & de illo, ad excludendam penitus omnem illius facinoris determinationem, quam diuina voluntas ex ſe liberè decreuerit, exaggeratè dicitur, ne aſcendiſſe quidem in cor Dei: & tamen contraria opinio vult, illam ædificationem non ſolùm aſcendiſſe à cordibus hominum in cor Dei, ſed in ipſo Dei corde, cum nullus eam peteret, nullus mereretur, liberrimè natam, & ex corde Dei deſcendiſſe in corda hominum, tanta cum efficacia, tantáque vi, vt impoſſibile planè ſit eam reſpuere. Dicunt enim ædificationem illam, cum illis circumſtantiis, cum quibus de facto accidit, & ſine morali malitia eſſe non poterat, fuiſſe ab æterno à diuina voluntate liberè, & efficaciter decretam, ante quamlibet voluntatis noſtræ determinationem præuiſam: & propterea à ſolo Deo voluntatem illorum hominum fuiſſe in tali tempore realiter, & phyſicè prædeterminatam ad ædificationem illam faciendam.

## *Efficacia rationum.*

379. *Prima ratio, quia ſequeretur, Deũ eſſe authorẽ peccati formaliter.* Quintò idem magis certum eſſe videtur naturalibus rationibus. Primò ex huiuſmodi decreto de materiali peccati, ante præſcientiam conditionatam liberè facto, ſequeretur, Deum eſſe authorem, & cauſa formalis malitiæ, vt arguunt Fulgentius ſupra n. 336. Auguſtinus n. 373. Aureolus, & Carthagena ſupra, & reliqui omnes Authores noſtræ ſententiæ. Tum quia ſi Deus decerneret præmouere ſolùm moraliter, rogando, hortando, conſulendo, præcipiendo ipſam entitatem poſitiuam actus, cui adiunctam eſſe malitiam non ignorat; eſſet ſine dubio, ipſis quoque aduerſariis fatentibus, cauſa ſaltem indirecta malitiæ; ergo idem multò magis dicendum, ſi decernat eamdem entitatem phyſicè prædeterminare. Quia primùm decretum, moraliter præmouens, habet multò minorem connexionem, & efficaciam reſpectu effectus, quàm ſecundum decretum, phyſicè prædeterminans: nam præmotus moraliter, in ſenſu compoſito cum decreto præmouente, & morali præmotione, poteſt actualiter, & in re ſimul coniungere actum oppoſitum; ſicut de facto multi moraliter præmoti à Deo ad actus bonos, efficiunt actus malos: at phyſicè prædeterminatus, in ſenſu compoſito cum decreto phyſicè prædeterminante, & prædeterminatione phyſica, eſt ita infallibiliter operaturus actum malum, vt oppoſitum implicet. Tum quia voluntas creata peccat, & concurrit ad malitiam, non illam directè, & per ſe intendendo, ſed eliciendo actum malum, per ſolam cooperationem cum determinatione, à Deo ſine proprio actu recepta. Ergo eſto Deus non intendat formalem malitiam, tamen non ſolùm cooperando immediatè ad actum malum, ſed etiam ex ſe liberè ad illum prædeterminando,

nando, debet potiori ratione dici cauſa malitiæ: quia certè eſt multò plus, cooperari propter prædeterminationem à ſe ipſo ſpontè factam, quàm ſimpliciter cooperari propter prædeterminationem factam ſine noſtra libertate ab alio, cui nemo poteſt reſiſtere. Et ſanè duriſſimum, & impium videtur dicere, Deum ab æterno ex ſe primò liberè decreuiſſe, & in tempore miſiſſe in cor Iudæ, v.g. vt velit vendere Chriſtum propter vtilitatem pecuniarum; quod tamen aduerſarij tenentur abſolutè concedere, quia in tota iſta explicatione nihil expreſſè apparet mali, & negatiui, ſed ſolùm ratio poſitiua, ac delectabilis. Tum

Proſper.

quia Proſper in reſponſione ad 11. obiectionem Vincentianam, docet, magis diabolo, quàm Deo adſcribendum eſſe opus malum: ſed, inquit, *nec diabolo in totum adſcribi poteſt, qui in peccantium flagitijs, illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus eſt eſſe generator.* Illud, *voluntatum*, clarè importat poſitiuum, peccati materiale; quod cauſat diabolus, adiuuando illecebras, hoc eſt, ſuadendo, & inclinando ad bonum delectabile, quod etiam eſt quid poſitiuum. Huius igitur materialis partis peccati Deus neque eſt generator, neque adiutor ſecundùm Proſperum: & tamen ex contraria ſententia ſequitur, illum eſſe non ſolùm adiutorem, & multò maiori ratione, quàm ſit diabolus, ſed etiam generatorem: quia ipſammet voluntatem malam, antequam ſit, vel præuideatur quocumque modo futura à libero arbitrio, Deus ipſe primus decreto ſuo efficaci, ac libero prædeterminat ab æterno: quod non ſolùm eſt generare, ſed etiam creare quodammodo ex nihilo.

380. Secundò, ſequeretur quoque nullo modo poſſe peccare creaturam, ſed peccare ſolum Deum; quam rationem tangunt, Author librorum Hypognoſticon verbis citatis ſupra num. 334. circa finem, Fulgentius ſupra, num. 336. Aureolus numero 360. fin. Ochamus, & Ariminenſis num. 369. initio, & Marſilius num. 370. Tum quia ſi voluntas creata, ex ſe indifferens ad recipiendam determinationem bonam, & malam, determinetur à Deo ad actum malum, erit ſolus Deus cauſa malitiæ, & negationis rectitudinis, non voluntas: quia tunc, vt bene diſcurrebat Conradus ſupra num. 371. & ante ipſum Scotus ſupra num. 130. non per voluntatem, ſed per Deum ſtaret, ne produceretur actus rectus. Etenim per aduerſarios, voluntas nihil poteſt operari, aut eſſe operatura, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, niſi prius diuino decreto prædeterminetur, neque in poteſtate ſua eſt prædeterminari ad bonum, vel ad malum: & prædeterminata ad malum, non ad bonum, eſt infallibiliter operatura malum, ita vt contrarium implicet contradictionem; ergo Deus poſt prædeterminationem ad malum, non offert, nec offerre poteſt paratum concurſum ad bonum; ergo ſolus Deus eſt cauſa negationis rectitudinis, & formalitatis peccati. Tum quia quando duæ cauſæ concurrere debent ad aliquem effectum, negatio effectus cauſatur ſolùm ab illa cauſa, quæ non confert id, quod poteſt conferre, & neceſſarium eſt ad cauſandum illum effectum, & non ab alia cauſa, quæ, quantum eſt ex ſe, præſtat omnia, quæ in ſe habet, & præſtare poteſt, vt cauſetur ille effectus; ſicut negatio calefactionis ignis, reſpectu trium puerorum in fornace Babylonis, cauſata fuit à Deo, non ab illo igne, quia non ignis, ſed Deus non præbuit concurſum neceſſarium, quem præbere poterat: ſed quando quis peccat prædeterminatus à diuino decreto ad actum peccati, non cauſat rectitudinem in actu, ex eo ſolùm, quòd Deus noluit liberè facere aliud decretum contrarium prædeterminans ad actum rectum, quod decretum non eſt in poteſtate creaturæ, ſed ſolius Dei, & eſſe dicitur adeo neceſſarium, vt ſine illo non poſſit creatura rectè agere ex defectu ipſius potentiæ proximæ, & complementi prærequiſiti in actu primo; ergo cauſa negationis rectitudinis in actu, in qua negatione per ipſoſmet Thomiſtas conſiſtit formalis ratio peccati, eſt ſolus Deus. Vnde manifeſtè ſequitur, creaturam numquam peccare; quia peccare, non eſt operari ſimpliciter actum, qui ex ſe malus eſt; ſi enim eumdem actum operemur in ſomno, amentia, vel ſine vlla deliberatione, non peccamus: peccare igitur eſt ita operari actum malum, vt poſſimus, ac teneamur operari actum rectum. At ſi Deus liberè ante omnem præſcientiam ſuo decreto nos prædeterminat ad actum malum, non ad bonum, ita operamur actum malum, vt implicet nos operari actum bonum, ſicut implicat non impleri decretum Dei efficax, &, per aduerſarios, implicat operari abſque præuio Dei decreto prædeterminante: ergo neque eſſet à nobis negatio rectitudinis actus, neque eſſet in nobis potentia phyſica, in actu primo completa, & expedita, neque debitum morale eiuſdem rectitudinis. ergo neque à nobis, neque in nobis eſſet formaliter peccatum. Tum quia, ſi Deus voluntate ſua efficaci, atque antecedente omnino noſtrum conſenſum, decernit, nos elicere actum volendi bonum apparens, ad quem actum realiter nos motione ſua inhærente prædeterminat, ergo eliciendo talem actum volendi bonum apparens, nos non poſſumus peccare, quia conformamur cum diuina voluntate; & ex S. Thoma S.Thomas. 1. 2. quæſt. 19. articulo vltimo, honeſtas actionis maximè pendet ex conformitate cum diuina voluntate, præſertim antecedenti, & efficaci. Ergo in nulla actione à Deo prædeterminata poteſt fundari ratio malitiæ, ſed ratio ſolius honeſtatis. Nam, vt rectè diſcurrit Sotus lib. 1. Sotus. de natura, & gratia, cap. 16. aliquanto poſt principium, *Si Deus vult me hoc facere, hoc eſt conforme regulæ ſuæ: ſi autem ita eſt, non eſt peccatum.* & paulò poſt, *Quemcumque Deus mouet efficienter, & principaliter, eumdem ducit iuxta regulam, & legem. Et idcirco contradictio eſt, quempiam peccare in eo, quod à Deo actus agit.*

*Secũda ratio, quia ſequeretur, peccare Deum, & non creaturam.*

Tertio, quando Deus voluntate ſua antecedenti, & efficaci decreuit aliquid, non poteſt 381. oppoſitum velle aliqua ratione, ſicut nulla ratione poteſt, ne ab ipſo quidem Deo, fieri oppoſitum. Sed ex Scriptura habemus, verbi gratia, quòd Deus, *omnes homines vult ad agnitionem veritatis venire*, primæ ad Timotheum 2. ergo non 1. ad Tim. 2. poteſt ante omnem præſcientiam efficaciter velle actum poſitiuum, ac realem infidelitatis hominum; ſimili ratione, vult non fieri illa, quæ prohibet fieri: prohibet autem etiam actiones materiales, quibus eſt annexa malitia moralis, vt patet ex illo diuino præcepto, *Non concupiſces rem proximi tui.* ergo Deus non vult antecedenter, & efficaciter, illas actiones, etiam materialiter ſumptas, à nobis fieri; præſertim cum has odiſſe dicatur Apocal. 2. *Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Apoc. 2.

*Tertia ratiò ex eo, quòd Deus præcipit bona, & prohibet mala.*

Ex his certò habemus, quoſdam poſitiuos, ac 382. reales effectus liberos, à libero creaturæ arbitrio conditionaliter futuros, non primò oriri, & conſequenter, non præſciri conditionatè à Deo, dependenter à decreto diuinæ voluntatis prædeterminante. Vnde euidenter deducimus, idem dicendum de quibuſcumque aliis liberis effectibus. tum quia nulla afferri poteſt probabilis ratio, qua quidam effectus excludantur, includantur alij: tum quia aduerſariorum fundamenta, ducta ex ratione primæ cauſæ eſſentialiter includentis in ſua eminentiſſima natura omne eſſe, omnémque operationem, & modum operandi creaturarum, ſiue neceſſarium, ſiue liberum; & ex eſſentiali, atque vniuerſaliſſima ſubordinatione, ac dependentia entis creati à prima cauſa, æquè probant de omnibus. Et ideo ſapienter Aureolus 1. d. 38. quæſt. 1. art. 1. propoſitione 1. fin. docuit non valere, ſi quis dicat, *quòd licèt per determinationem voluntatis Deus non poſſit mala cognoſcere, poteſt tamen alia futura: quia*, inquit, *difficultas eſt generalis circa omnia futura; & ſi aliquod nouit in ſe abſque determinatione voluntatis, videtur quòd omnia poſſit etiam ſic cognoſcere.* Et rectè dixit Carthagena de prædeſtinatione, diſcurſu 4. in tertio modo, dicto ſecundo, ratione tertia. *Ex hoc ipſo quòd actiones liberæ malæ ſunt relictæ arbitrio noſtro, ſequitur manifeſtè, actiones liberas bonas non eſſe determinatas: ſiquidem implicat contradictionem, dari liberum circa vnam partem, & non circa alteram ei oppoſitam; cum libertas conſiſtat in determinatione reſpectu vtriuſque: & ſic reſpectu nullius datur determinatio à Deo. Ex quibus reſtat, tam actiones malas, quàm bonas poſſe omnino relinqui noſtræ liberæ voluntati, abſque eo, quòd à Deo prædefiniantur.* Quare minus conſequenter dixit Gonzalez hîc, d. 44. num. 38. ad 2. reſpectu actuum malorum non dari decretum prædefinitiuum, ſed permiſſiuum. tum quia actus malus etiam pendet à generali primæ cauſæ influxu, quem ipſe vult eſſe prædeterminatiuum cauſæ liberæ; quicquid autem facit Deus in tempore, id facere decreuit ab æterno, ergo ſi in tempore prædeterminat actum malum, eumdem prędeterminare decreuit ab æterno: decretum autem diuinum directè prædeterminans actum, eſt decretum propriè prædefinitiuum, quo intendit ponere aliquid, & non permiſſiuum, quo intendit negare aliquid. Tum quia decreto permiſſiuo, permittitur libero arbitrio vt ſe determinet. Si igitur propter libertatem ſe determinat ad actus malos, cur non ad bonos, qui ab eadem libertate reſpiciuntur? Tum quia decretum ante ſcientiam conditionatam ponitur à Gonzalez, & aliis aduerſariis, ad hoc vt in eo poſſit Deus certò cognoſcere futura contingentia. Iſtud verò eſſe impoſſibile, præſertim de decreto permiſſiuo, oſtenſum eſt ſupra à n. 144.



*Si actus mali non prædeterminantur, ſequitur, nec prædeterminari bonos.*

Aureol.

Carthagena.

*Duo dicta Gonzalez nõ cohærere.*

## *Refertur, & impugnatur reſponſio Aluarez.*

383. Ad hoc argumentum ductum ex actibus malis, reſpondet nouiſſimè Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 1. num. 29. malitiam non eſſe tribuendam Deo, qui eſt cauſa efficiens, ſed voluntati, quæ eſt cauſa deficiens, vt ſæpe docet S. Thomas. Quod quidem ita vniuerſaliter negare nemo poteſt, ſed reddenda eſt ratio, cur, ſi in libera electione actus mali, non ſequitur Deus determinationem creaturæ, ſed creatura ſequitur determinationem Dei, & ita ſequitur, vt non poſſit non ſequi, cauſa ſimpliciter efficiens ſit Deas; cauſa verò non ſolùm efficiens, ſed etiam deficiens, & malè operans ſit creatura? Neque eam rationem ſufficienter reddit Aluarez deinde dicens, *Voluntas creata, eo ipſo, quod liberè vult formaliter actum, cui eſt annexa malitia, vult virtualiter, & conſequenter malitiam. Deus autem, etimſi decreto formali velit actum peccati, in quantum actus, & ens eſt, non tamen vult etiam virtualiter malitiam; quia non conſequitur ad entitatem actus peccati, in quantum actus, & ens eſt; nec etiam vt procedit à cauſa efficiente, ſed à deficiente, quæ eſt voluntas natura ſua defectibilis, & ex nihilo facta. Hæc eſt*, inquit, *expreſſa ſententia S. Thomæ* S.Thomas. *2. d. 37. quæſt. 2. articul. 2. ad 2. vbi proponit in terminis argumentum, quod obijcitur contra noſtram ſententiam, & illud ſoluit iuxta præmiſſa.* Quam ſolutionem contendit Aluarez eſſe etiam à nobis afferendam, qui concedimus ſimultaneum Dei concurſum ad actum peccati: quia, inquit, *eſt eadem ratio de concurſu Dei præuio, & de concurſu ſimultaneo: ſi enim Deus per hunc attingit actum, non malitiam; ergo etiam multò à fortiori & per illum.* Citat præterea Aluarez ſe ipſum de Auxiliis d. 18. n. 21. & 22. & diſp. 24. num. 20. 21. & 22. vbi nihil noui, ac ſolidi video, quod mihi hoc loco obiicere debeam.

*Cur creatura, & non Deus, ſit cauſa deficiẽs, ex Aluarez.*

384. Huius ſolutionis inſufficientiam oſtendo primò, quia falsò aſſumit, vt ex inſtituto probabitur puncto ſequenti, voluntatem creatam velle liberè, ſi vult prædeterminata efficaci Dei decreto ante omnem futuritionem, & præſcientiam. Secundò, eſto velit liberè, tamen quia ita liberè vult, vt ſequatur præcedentem Dei determinationem, quam non poteſt ſequi; Deus autem liberè quoque idem omnino vult, & ita liberè, vt ipſe prius, nullo habito reſpectu ad præcedentem aliquam determinationem creatæ voluntatis, & ex ſe determinet actum malum, contendimus non voluntatem, ſed ſolum Deum, vel multò magis Deum, quàm voluntatem eſſe cauſam malitiæ. Tertiò, inſufficienter excuſatur Deus ex eo, quòd actum malum vult formaliter, vt actus, & ens eſt, ad quem non conſequitur malitia: & quia voluntas eſt defectibilis, non Deus: nam prima excuſatio ſi dicit, Deum velle actum malum in genere tantùm, & non in ſpecie, & in numero, & cum omnibus circumſtantiis cum quibus hîc, & nunc, phyſicè, & moraliter fit, eſt falſa ſecundùm omnes, & ſecundùm ipſummet Aluarez diſput. 18. de Auxiliis num. 21. vbi dicit, Deum concurrere ad actionem malam, *etiam in particulari*; & d. 24. num. 21. fin. *Deus*, inquit, *prædeterminat voluntatem ad actum peccati in indiuiduo, vt actus eſt, & ad omnes circumſtantias ſecundùm quod habent rationem entis, non malitiæ*: quia cum omnes fateamur, Deum ita particulariter concurrere in tempore ad actum, tenemur conſequenter fateri, habuiſſe ab æterno decretum eodem modo concurrendi: ſi verò dicit, Deum velle actum in quantum bonum, non in quantum malum, eſt inſufficiens; nam neque nos volumus actum vt malum, ſed vt bonum, & tamen peccamus. Secunda quoque excuſatio non eſt ad rem: nam omnes Catholici ſupponimus, voluntatem, & non Deum eſſe cauſam deficientem: verum hinc oritur, vt Theologus tribuere Deo non debeat actualem ipſum defectum, qui eſſentialiter conſiſtit in libera productione actus mali, qua & ſe, & alios determinat ad actum illum producendum: tunc enim impoſſibile eſt, vt cauſa ita producens, non ſit cauſa deficiens, ac proinde vt ſit Deus: aduerſarij autem ponentes Deum primò decernere, ac prædeterminare actum malum, videntur illi maximè tribuere prædictum defe

*Contra reſpõſionẽ arguitur primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

*Deum prædeterminare ad actum malũ in particulari, ex Aluar.*

*Quartò.*

defectum. Quartò manifeſtè falſum eſt, idem argumentum quod nos proponimus contra Aluarez, proponi ibi à S.Thoma contra ſe. Nam S.Thomas contra ſe arguit, *Deum non eſſe cauſam actionis peccati*, quia eſſet cauſa malitiæ. Et optimè reſpondet, non eſſe cauſam malitiæ, *quia non inclinat ad actionem.* Nos autem arguentes contra Aluarez, non impugnamus ipſum ſimpliciter concurſum Dei ad actionem, qui ex fide conſtat; ſed impugnamus peculiarem modum concurrendi per decretum prædeterminans. Quem modum S.Thomas reſponſione allata non obſcurè damnat: quia ſi Deum, concurrentem ad actionem malam, excuſat à malitia, ex eo quòd ita concurrit, vt ad illam non inclinet, quis quæſo perſuadere ſibi rationabiliter poteſt, in ſententia S.Thomæ, Deum ita concurrere ad actionem malam, vt ad eam faciendam prædeterminet liberum arbitrium? Si concurſus generalis eſſet inclinans ad actionem, in qua deformitas inſeparabiliter fundatur, S.Thomas non excuſaret Deum à malitia; qua ratione à malitia Deum excuſare poteſt Thomiſta, qui vult, concurſum generalem, & ipſam diuinam concurrendi voluntatem prædeterminare ad eamdem actionem, quod ſine dubio eſt longè maius, quàm inclinare, cùm concurſus per inclinationem ſit moralis, & contingens; concurſus verò per prædeterminationem ſit phyſicus, & neceſſarius.

*Argumentũ prædictũ fieri à S. Thoma, nõ contra ſe, ſed potius pro ſe.*

*Quintò.*

Quintò ex dictis patet, propoſitam difficultatem non eſſe nobis communem cum aduerſariis, ſed illorum propriiſſimam, quia valde diuerſa ratio eſt de concurſu ſimultaneo ſequente liberam creaturæ determinationem, ac propterea à morali culpa prorſus alieno; & de concurſu præuio prædeterminante, & trahente ad ſe poſteriorem creaturæ determinationem, ac propterea morali culpæ obnoxio. Atque hæc de prima ratione, quam quidem tanti fecit præſtantiſſimus Theologiæ Magiſter P.Suarez, vt tomo 1. de gratia, prolegom.2. cap.9. num.4. fin. ſcripſerit, *hanc abſurditatem eſſe ſæpe inculcandam, & millies repetendam, ac latiſſimè tractandam; quia res eſt ſummæ conſiderationis, & quæ huic materiæ magnam lucem affert.*

Suarez.

## PVNCTVM VI.

### *Decretum prædeterminandi pugnare cum libertate.*

SVMMA.


1 *Prima probatio à priori. num.385.*
2 *Secunda probatio ex Tridentino. num.386.*
3 *Tertia probatio ex efficacia diuini decreti. numero 387.*
4 *Quarta probatio ex impoſſibilitate ſe determinandi. num.388.*
5 *Quinta probatio ex diuina ſcientia. num.389.*
6 *Sexta probatio ex prædeterminatione intrinſeca. num.390.*
7 *Septima probatio ex gratia ſufficiente. numero 390.*
8 *Octaua probatio ex antecedentia diuini decreti. num.390.*
9 *Nona probatio ex neceſſitate ponendi decretum prædeterminans. num.391.392.*
10 *Decima, & vndecima probatio. num.393.394.*
11 *Referuntur quatuor euaſiones aduerſariorum. numero 395.*
12 *Impugnatur prima euaſio à num.395.ad 399.*
13 *Impugnatur ſecunda euaſio à num.399.ad 401.*
14 *Impugnatur tertia euaſio. num.401.402.*
15 *Impugnatur quarta euaſio. num.403.*


SEcunda concluſionis noſtræ ratio, eáque præcipua, ducitur ex libertate; quam certò putamus cum efficaci decreto prædeterminandi, & antecedente ſcientiam conditionatam, cohærere minimè poſſe. Quod argumentum breuiſſimè, ſed clariſſimè tetigit Marſilius 2. ſentent. q.16. art.4. concluſ.2.probat.3. dicens, *Hoc eſt de natura agentis liberi, quòd ſe poſſit determinare: nam ſi ab alio determinaretur, ab alio neceſſitaretur.* Et apertè exprimunt S. Thomas, & Antonius de Corduba verbis citatis ſupra num.315.& 319. & ante omnes grauiſſimè ſcripſit Chryſoſtomus homil.12. in epiſtolam ad Hebr.poſt medium de Deo dicens, *Non antecedit noſtras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium.* 385.

Marſilius.

Arguo primò à priori. Eſſentialis conceptus libertatis poſtulat potentiam, in actu primo perfectam, & completam ad plures effectus oppoſitos, vt patet ex probatis ſupra dub. 9. & 11. præſertim numero 110. per ipſoſmet aduerſarios, & num.127. 128.& num.132. & ſæpe in ſequentibus; ergo eſſentialiter exigit in Deo, prima cauſa, liberam voluntatem concurrendi ad plures effectus oppoſitos: ſed huic voluntati manifeſtè contradicit voluntas prædeterminans, qua Deus decernit efficaciter concurrere ad vnum dumtaxat, & non ad aliud oppoſitorum, ergo decretum prædeterminans manifeſtè contradicit libertati. Prima conſequentia eſt certa apud omnes, docentes, nullam cauſam ſecundam, ſiue liberam, ſiue neceſſariam, poſſe quicquam agere, niſi cum eſſentiali dependentia à voluntate libera primæ cauſæ volentis coagere. Minor quoque certa eſt, ferè ex terminis, in quibus non obſcurè apparet iſta contradictio, volo concurrere ad hoc, volo non concurrere ad hoc. Etenim in voluntate primæ cauſæ, neceſſaria ad liberè operandum, ac proinde volendi concurrere ad plures partes oppoſitas, quando cauſa ſecunda operatur, v.g. conſenſum, cum potentia habente omnia prærequiſita ad poſſe operari diſſenſum, requiritur actus volendi operari diſſenſum: in eadem voluntate prædeterminandi ad vnum dumtaxat oppoſitum, ac proinde ad conſenſum, non ad diſſenſum, eſt neceſſariò incluſus actus volendi non operari diſſenſum. ergo iſtæ duæ voluntates ita ſunt inter ſe incompoſſibiles, ſicut inter ſe incompoſſibilia ſunt earum obiecta, nempe, concurrere ad diſſenſum, non concurrere ad diſſenſum. Ex quo manifeſta fit vltima conſequentia, quia decretum diuinum prædeterminandi ad vnum, pugnat cum voluntate diuina concurrendi ad plures effectus oppoſitos, vt demonſtratum eſt: ſed diuina voluntas concurrendi ad plures oppoſitos effectus eſt neceſſaria ad liberè operandum, vt in prima conſequentia deductum, & probatum eſt: ergo decretum prædeterminandi pugnat cum voluntate diuina neceſſaria ad liberè operandum, & conſequenter, pugnat cum libertate.

*Prima probatio à priori.*

*Quale cõcurrendi decretũ à Deo poſtulat cauſa ſecunda libera.*

*Decretũ prædeterminandi eſſe incõpoſſibile cum decreto neceſſario ad liberè operandum.*

Arguo ſecundò ex Tridentino ſeſſ.6.can.4. *liberum arbitrium, aſſentiendo Deo excitanti, poteſt diſſentire, ſi velit.* Hæc autem doctrina, ſi reſpectu eius, qui conſentit, ponatur in Deo omnino antecedenter, etiam ante præſcientiam conditionatam, decretum prædeterminandi ad conſentiendum, non videtur poſſe ſubſiſtere. Tum quia prædeterminatus ad conſentiendum, non eſt prædeterminatus ad diſſentiendum; alioquin is eſſet ſimul conſenſurus, 386.

*Secunda probatio ex Tridentino.*



& diſſenſurus, quod implicat. Sed per aduerſarios, non prædeterminatus ad diſſentiendum, caret re omnino neceſſaria, & antecedenter prærequiſita ad diſſentiendum, nempe decreto Dei prædeterminante ad diſſentiendum; ergo non poteſt diſſentire: ſicut, ob eamdem rationem, non prædeterminatus ad conſentiendum, non poteſt conſentire; & vniuerſaliter, non prædeterminatus ad hanc, vel illam determinatam operationem, non poteſt ſimpliciter operari; ergo de eo, qui aſſentitur Deo excitanti, ac proinde, ſecundùm aduerſarios, eſt determinatus ad eſſentiendum, non ad diſſentiendum, falsò diceret Tridentinum, *Poteſt diſſentire, ſi velit.* Tum quia hoc docet Concilium de eo, qui non diſſentit, ſed conſentit; ergo de eo, qui non eſt diuino decreto efficaciter prædeterminatus ad diſſentiendum: ergo ad *poſſe diſſentire, ſi velit,* non indiget homo prædeterminante; ergo nec ad vllam aliam determinatam operationem; quia non eſt maior ratio de vna operatione, quàm de alia. Tum quia illud, *ſi velit,* apertiſſimè ſignificat, ad diſſentiendum, nihil prorſus requiri, aut ex parte Dei, aut ex aliqua alia parte; ſed tantùm deſiderari aliquid ex parte noſtra; quod non poteſt eſſe aliud niſi libera noſtra determinatio, quæ eſt in noſtra poteſtate, indifferente quidem, atque indeterminata, tamen completa, ac perfecta in actu primo ad liberè conſentiendum, vel diſſentiendum: ergo tali potentiæ non debet correſpondere ex parte cauſæ primæ, decretum prædeterminans ad vnum, ſed potius decretum indifferens ad plura, vel ad hoc, vel ad illud, prout ad hoc, vel ad illud ſe determinauerit cauſa ſecunda libera. Tum quia conſentiens, ac proinde prædeterminatus ad conſenſum, ſi diſſentiret, faceret irritum efficax Dei decretum; quod implicat: ergo implicat diſſentire; ergo non poteſt diſſentire, quia ad ea, quæ contradictionem implicant, nulla datur potentia. Ergo qui ponit, hominem conſentire ex efficaci Dei decreto prædeterminante, non poteſt verè ſaluare dictum Concilij, *Poſſe diſſentire, ſi velit.*

387. Arguo tertiò. Efficaci diuinæ voluntatis decreto nullus poteſt reſiſtere, ne ipſe quidem Deus, qui etſi poſſit liberè decernere quicquid illi placet, tamen poſtquam aliquid liberè decreuit, non poteſt velle contrarium. Ergo multò minus creatura: nam, vt rectè dixit Caietanus infra q.22.art.4. §. *Ad hanc dubitationem. Impoſſibile eſt à quocumque vitari, quod à Deo de facto vitari nõ poteſt, propter ipſius ſummam efficaciam.* Vnde dicitur ad Rom.9. *Voluntati enim eius quis reſiſtit?* & Eſther 13. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* Vnde ipſemet Bagnes infra q.23. art.3.dub.3.concluſ.vlt.§. *Tandem.* hoc antecedens dixit, *eſſe euidens.* Et contrarium ab eodem 2.2.q.10.art.1.dub.2.documento 3.§. *Iam verò,* dicitur, *error.* & ab Aluarez ſupra n.138. contra fidem. Et probat Auguſtinus in enchirid.cap.45.ex illo Pſalm.113. *Omnia, quæcumque voluit fecit. Quod vtique non eſt verum,* inquit Auguſtinus, *ſi aliqua voluit, & non fecit. Et, quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impediuit.* Et de ipſomet Deo ait Anſelmus lib.2.cur Deus homo, c.17.paulò poſt princip. *Si proponit, ſe aliquid immutabiliter facturum, quod proponit, antequam fiat, non poteſt non eſſe futurum.* Ergo ſi efficax diuinæ voluntatis decretum de vno aliquo determinato effectu futuro, v.g. conſenſu, ponitur vt omnino neceſſarium in actu primo ad conſentiendum, & vt antecedens omnem libertatis vſum, etiam ſub conditione præ-

*Tertia probatio ex eo, quòd decreto prædeterminandi nemo poteſt reſiſtere.*

Caietan.

Ad Rom.9.

Eſther 13.

Bagnes.

Aluarez.

Auguſtin.

Anſelmus.



uiſum, voluntas creata, quæ primò conſtituitur completè potens conſentire, & conſenſura, per ſubordinationem ad tale decretum, ita primò ordinatur ad conſenſum, vt, quatenus ſubordinata tali decreto, & in ſenſu compoſito cum illo, non poſſit non conſentire: ſi enim actu non conſentiret, actu reſiſteret efficaci Dei voluntati, eámque redderet inefficacem, & irritam; ſed non poteſt reſiſtere, &c. ergo non poteſt non conſentire: ergo, abſque vlla prorſus libertate conſentit. Hæc vltima conſequentia eſt nimis manifeſta: nam ſi voluntas creata, vt dicunt, nõ eſt in actu primo completè potens conſentire, neque eſt conſenſura, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, niſi vt ſubordinata diuino decreto efficaci de conſenſu; ergo in nullo inſtanti, ſeu ſigno habet aliquem ordinem completum in actu primo ad conſenſum, neque vt poſſibilem, neque vt futurum abſolutè, neque vt futurum conditionatè, niſi vt ſubordinata illi decreto, & vt compoſita cum illo: ſed vt ſic, non poteſt non conſentire, neque eſt conſenſura cum potentia ad non conſentiendum; ergo in nullo ſigno, reſpicit aliqua ratione conſenſum cum libertate, hoc eſt, cum potentia ad vtrumlibet; ergo decretum Dei efficax de vno determinato effectu, poſitum ante omnem futuritionem, & præſcientiam, planè deſtruit vſum libertatis. Vnde Auguſt.lib.3.de libero arbitrio, cap.18. *Quæcumque,* inquit, *iſta eſt cauſa voluntatis, ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur;* ergo ex Auguſtino opus factum cum impotentia reſiſtendi alicui cauſæ actus voluntatis, non eſt liberum; alioquin ab eo opere non tolleretur ratio peccati. Sed decretum prædeterminandi eſt omnium prima, & efficaciſſima actus voluntatis cauſa, cui nulla ratione poteſt reſiſti, vt expreſsè fatentur Aluarez verbis relatis ſupra n.289. Riſpolus pag.535.ergo deſtruit libertatem.

*Confirmatur ex Auguſt.*

Arguo quartò. Voluntas agens vt neceſſariò, & eſſentialiter ſubordinata decreto prædeterminandi, ita agit, vt non ſe determinet ad agendum, ergo non agit liberè: conſequentia eſt adeo certa, vt ne ab ipſis quidem aduerſariis negetur, maximè contendentibus, cum prædeterminatione diuinæ voluntatis ſtare propriam determinationem: alioqui S.Thomas locis citatis ſupra num.157.expreſsè, & ſæpe docet, quod omnes homines in mente, & ore habent, ad cauſam liberam maximè ſpectare, vt ſe determinet. Probo igitur antecedens, tum argumentis ad hoc ipſum probandum factis ſupra num.157. & 158. tum quia cauſa ſecunda libera, conſiderata ſecundùm ſe, in ſenſu diuiſo à cauſa prima prædeterminante, nullam aliam indeterminationem habet, niſi fundatam in libertate faciendi ex pluribus oppoſitis vel hoc, vel illud: ſed prædeterminatio voluntatis, facta à Deo, tollit aliquam determinationem à voluntate, ergo tollit determinationem libertatis, & vim ſe liberè determinandi vel ad hoc, vel ad illud: quod enim efficaciſſimè prædeterminatum eſt ad hoc, non ad illud, ita vt prædeterminationem iſtam non poſſit non ſequi, euidenter patet, cum agit, non ſe determinare vel ad hoc, vel ad illud; ſed ſolùm determinatè agere hoc, ad quod eſt prædeterminatum; non minus, quàm determinatè agit, & non ſe ad agendum determinat cauſa neceſſaria, quia eſt naturaliter ex ſe prædeterminata: ſi igitur determinatio cauſæ liberæ ad vnum, tollit aliquam indeterminationem ad plura; & in cauſa libera aſſignari non poſſit alia indeterminatio ad plura, niſi ipſamet libertas, libertatem ipſam tollat neceſſe eſt. 388.

*Quarta ratio ex eo, quòd volũtas prædeterminata non poſſit ſe determinare.*

389. *Quinta ratio ex eo, quòd Deus in decreto prædeterminandi videat effectum prædeterminatum.*

Arguo quintò. Facto decreto prædeterminandi ante quamlibet futuritionem, & futuritionis præſcientiam, intellectus diuinus in illo decreto, antecedente, tamquam cauſa omnium omnipotentiſſima, & conſtantiſſima, effectum prædeterminatum, non poteſt non præuidere illum effectum: cuius veritatis radix eſt, quia illud decretum, in quo præuidetur effectus, eſt adeo efficax, vt nulla ratione, ne per diuinam quidem omnipotentiam, poſſit non habere effectum, quem decreuit. Ex his autem euidenter ſequitur, effectum illum ita eſſe futurum à voluntate, vt non poſſit non eſſe ab illa futurus: aliter, & decretum poſſet non impleri, & in illo poſſet non præuideri effectus futurus. Quod autem fit cum omnimoda impotentia ad non fieri, certum eſt non fieri liberè, ſed fieri cum maxima neceſſitate; nempe cum maiori, quam fiat, v.g. calefactio ab igne, quia illam ſimpliciter non implicat fieri, vt in fornace Babylonis: non fieri verò à voluntate, quod à voluntate fieri, Deus efficaciter decreuit, implicat contradictionem. Hoc igitur decretum prædeterminandi ad vnum, cùm tollat potentiam ad oppoſitum, non poteſt rectè cogitari in voluntate primæ cauſæ, reſpectu actuum liberorum. Quod non obſcurè docuit Proſper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 28. initio his verbis, *Deus ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle, non auferat.* Et Anſelmus in lib. de Concordia, cap. 2. poſt med. docet, Deum effectus liberos non prædeſtinare alio modo niſi, *voluntatem in ſua poteſtate dimittendo*; ergo non prædeterminando: hoc enim non eſt, liberam voluntatis poteſtatem, natura ſua ad plura indeterminatam, dimittere; ſed illam ad vnũ conſtringere.

*Confirmatur ex Proſpero, & Anſelmo.*

390. *Sexta ratio ducitur ex prædeterminatione intrinſeca.*

Arguo ſextò. Prædeterminatio intrinſeca, & inhærens cauſæ, tollit ab illa liberum vſum operandi, vt probatum eſt dub. 9. per totam; ergo multo magis eumdem vſum tollit prædeterminatio extrinſeca, per efficax decretum diuinæ voluntatis, quam conſequentiam probo ſupra n. 119. circa fin.

*Septima ratio, quia decretũ prædeterminãs pugnat cũ gratia ſufficiẽte.*

Arguo ſeptimò. Poſito quòd Deus prædeterminauit, vt ego non reſpondeam, ſi vocer per hanc vel illam gratiam; videtur omnino vanum, imò ſtultum, & implicatorium, decretum abſolutum, quod in ſequenti ſigno facit, dandi mihi hanc vel illam vocationis gratiam, & quamcumque aliam gratiam, quam ſufficientem vocamus. Vanum quidem, quia certò ſcit, non ſolùm, me non reſponſurum, ſed etiam, me non poſſe reſpondere, ita vt implicet contradictionem, me reſponſurum; ſicut implicat, me irritare ſuum decretum. Stultum verò, quia non leue ſtultitiæ ſignum eſt, ſi tu medium aliquod adhibeas ad obtinendum finem, quem certiſſimè ſcis eſſe planè impoſſibilem. Denique implicatorium, quia voluntas dandi medium, ſupponit præſertim in Deo, qui ſumma cum ſapientia, ac rectitudine agit, voluntatem dandi finem, ſaltem, quantum eſt ex parte dantis medium propter finem intentum: hæc autem voluntas implicat cum alia voluntate efficaciter, & antecedenter decernente, nolle dare, & eſſe illum finem; vt ſupra, ratione prima.

*Octaua ratio ex eo, quòd decretũ prædeterminans ſit cauſa omnino antecedens, & efficax.*

Arguo octauò. Hoc decretum prædeterminandi eſt omnino antecedens omnem noſtram operationem, & conſequenter nulla ratione à nobis dependens: quare illud impedire nullo modo poſſumus, neque vt non primò fiat, cum à Deo liberè fit; neque vt, poſtquã factum eſt, tollatur, aut non impleatur. Illud etiã eſt eius, quod decernit cauſa prima, & efficaciſſima, cuius effectus nec à creatura, nec ab ipſomet Deo poteſt impediri; ergo effectus, taliter decreti, eueniunt cum ſumma neceſſitate, deſtruente libertatem. Quæ conſequentia nota eſt, tum ipſo naturæ lumine, ex communiſſimo conceptu, quem genus humanum vniuerſum habet de libertate; tum ex receptiſſima Anſelmi doctrina in lib. de Concordia, cap. 2. quòd cum libertate cohæreat ea neceſſitas, *quæ rem ſequitur*; libertatem verò deſtruat alia neceſſitas, *quæ præcedit rem, & facit.* Huius rationis vim perpendens Leſſius de Gratia, cap. 3. num. 11. fin. iure merito dixit, *Si hæc ratio non conuincit, ingenuè fateor, totum hoc negotium libertatis magis mihi eſſe obſcurum, quàm vllum fidei noſtræ myſterium.*

*Anſelm.*

*Leſſius.*

391. *Nona ratio ex eo, quòd decretũ prædeterminans ponatur neceſſarium ex parte actus primi.*

Arguo nonò. Decretum Dei prædeterminandi cauſam liberam, introductum eſt ab aduerſariis, vt ſupra num. 350. propter eſſentialem dependentiam cauſæ ſecundæ à cauſa prima, non ſolùm in actualiter agendo, ſed etiam in ipſa virtute, & potentia agendi, quam propterea præciſam à diuina prædeterminatione vocant, *incompletam*, vt ſupra num. 102. ergo ſemper ac agit voluntas, & conſequenter in priori naturæ intelligitur voluntas vt completè potens in actu primo ad agendum, agit quidem voluntas, quæ ex ſe eſt indifferens, non tamen agit quatenus formaliter indifferẽs ad vtrumlibet, ſed quatenus formaliter prædeterminata ad vnum: quia voluntas ſpectata formaliter, quatenus in ſe indifferens, cum præciſione à decreto prædeterminandi, neque agit, neque poteſt agere; ſicut nulla cauſa, ne neceſſaria quidem, poteſt agere ſine dependentia à generali concurſu primæ cauſæ, ac proinde à libera, ac præuia eius voluntate concurrendi. Ergo ſi decretum prædeterminandi ponitur vt quid neceſſariò, & eſſentialiter pertinens ad generalem primæ cauſæ concurſum cum cauſis ſecundis liberis, hæ ſecundùm ſe conſideratæ non poſſunt ſimpliciter agere, hoc eſt, non habent omne complementum neceſſarium in actu primo ad agendum; quod eſt, non poſſe agere; quia complementum in actu primo antecedenter prærequiſitum ad agendum, tenet ſe immediatè ex parte potentiæ, cuius eſt complementum, & non niſi mediatè ex parte actus: igitur actio immediatè conſequens voluntatis potentiam, vt completè, & proximè conſtitutam in actu primo, procedit à voluntate formaliter, vt determinata ad vnum, ac proinde, vt cauſa formaliter neceſſaria, non autem vt formaliter indifferente ad vtrũlibet, ac proinde, non vt cauſa formaliter libera: ergo illa actio eſſe, & intelligi nõ poteſt vt formaliter libera; quia hæc debet eſſentialiter prouenire à principio libero, quatenus libero formaliter, ac reduplicatiuè; non autem materialiter, & ſpecificatiuè: formalis enim indifferentia, quæ eſt in principio libero, illúdque conſtituit formaliter liberum, non ſolùm debet eſſe ſimpliciter, & quomodocumque in illo principio, quando liberè agit, ſed debet etiam influere aliquo modo, & per ſe reſpicere, & attingere actionem liberam, & non ita ſe habere, ac ſi non eſſet reſpectu illius actionis. Nihil autem aliud eſt, indifferentiam influere, & concurrere ad effectum; ſiue quod idem eſt, effectum dependere ab indifferentia, & à principio indifferente, vt formaliter indifferente, niſi principium ita facere hanc partem, vt ſimul, ſi libeat, poſſit facere partem oppoſitam. Sed per aduerſarios, potentia voluntatis reſpicit quidem ſimul iſtas duas partes ſecundùm ſe, & in ſenſu diuiſo à decreto prædeterminandi, quo modo conſideratur vt remotè, & incompletè potens; non autem vt proximè, & completè potens, hoc eſt, vt prædeterminata ad vnum, ſub qua formali ratione procedit actio ab agente; ergo per eos indifferentia nihil planè influit, ſed effectus ita procedit à voluntate indifferente, ac ſi voluntas non eſſet indifferens: actio enim formalem ſuam rationem, ac denominationem ſumit à cauſa, non materialiter ſumpta, ſed formaliter ſecundum illam rationem, ſecundum quam actu influit in illam actionem: ſicut viſio noſtra corporalis, eſt ab anima intellectiua, & tamen non eſt intellectio, quia non eſt ab anima, agente vt intellectiua, ſed ſolùm agente, prout ſenſitiua.

*Quo modo intelligi debeat actio vt formaliter libera.*

*Quid ſit, libertatẽ cauſæ influere in effectum.*



392. *Confirmatur ex eo, quod indifferentia voluntatis prædeterminata non ſit actiua, ſed paſſiua tantùm.*

Confirmatur, quia voluntatem eſſe indifferentem, atque adeo liberam, ad faciendum actum A, vel actum B; & tamen non poſſe facere neque A, neque B, niſi à diuina voluntate prædeterminetur vel ad A, vel ad B; eſt quædam indifferentia, immediatè, & proximè reſpiciens diuerſas prædeterminationes ad A, & B; & ſolùm mediatè, & remotè reſpiciens diuerſos actus A, & B; quos tunc tantùm immediatè, & proximè reſpicit, cùm eſt prædeterminata, ſed tunc reſpicit vel A tantùm, vel B tantùm; ergo quando completè, & immediatè, ſeu proximè reſpicit A, v.g. non reſpicit cum indifferentia, quia non eſt completè, & proximè potens reſpectu B, ſed reſpectu A tantùm; ergo A, vt dicit ordinem effectus ad ſuam cauſam, vt potentem completè in actu primo, non procedit ab illa vt indifferente, quia illa, vt indifferens, & non vt prædeterminata, non eſt cauſa in actu primo completa, habens omnia prærequiſita ad poſſe operari; ergo nunquam procedit ab illa vt formaliter libera; ergo denominari formaliter non poteſt effectus liber. Quod ſuaderi euidenter poteſt clariſſimis exemplis. Primo, potentia paſſiua materiæ primæ ſecundum ſe eſt indifferens ad plures formas ſubſtantiales; tamen quando per accidentales diſpoſitiones determinatur, & fit proximè potens ad recipiendum hanc formam ſubſtantialem, non illam, dici non poteſt, cum indifferentia, & quadam quaſi libertate, ſed omnino determinatè, & neceſſariò recipere hanc; quia hæc forma non reſpicit materiam, niſi vt proximè completam in actu primo paſſiuo: vt ſic autem materia non poteſt recipere hanc vel illam, ſed hanc tantùm, non illam: ita pariter actiua voluntatis potentia, ex ſe indifferens ad hunc actum, vel illum, ſi, vt faciat hunc, non illum, debet prius prædeterminari, & fieri proximè, & completè potens in actu primo actiuo ad hunc, non ad illum, iam actus, qui exit à ſuo principio, vt completè conſtituto in actu primo agendi, non exit ab illo cum indifferentia actiua, quæ eſt ipſamet libertas; & voluntas vt conſtituta in ſua vltima diſpoſitione, neceſſaria ad actum primum, & potentiam ipſam agendi, non ita producit hunc actum, vt poſſit producere alium, ſi velit; ergo hunc actum non producit indifferenter, ergo nec liberè.

*Suadetur primo exemplo materiæ primæ.*

*Suadetur ſecundo exemplo potentiæ viſiuæ.*

Secundo, potentia viſiua eſt ex ſe indifferens, & indeterminata ad viſionem albi, vel nigri; tamen quia non eſt proximè, & completè potens, niſi prędeterminata per ſpeciem, v. g. albi, dici non poteſt producere viſionem albi vt indifferens ad plures viſiones; quia non agit, neque poteſt agere, niſi vt compoſita, & vnita cum ſpecie prædeterminante ad vnam viſionem: neque illa viſio denominari poteſt indifferens, & quaſi libera, per ordinem ad principium ſuum indifferens; quia non procedit hæc viſio albi ab illo principio, quatenus remotè indifferente ad viſionem albi, & viſionem nigri; ſed quatenus proximè prædeterminato per ſpeciem, repræſentatiuam albi, ad ſolam viſionem albi, non ad viſionem nigri, ergo pariter in caſu noſtro, &c.

*Suadetur tertio exẽplo potentiæ intellectiuæ.*

Tertio, intellectus eſt indifferens ex ſe ad aſſentiendum, vel diſſentiendum rebus fidei: ſed quando à voluntate determinatur ad aſſenſum, tunc ille aſſenſus eſt liber voluntati mouenti, non intellectui moto; ergo ſimiliter actus procedens à voluntate, ex ſe libera, ſed à Deo prædeterminata, erit quidem liber reſpectu Dei, liberè prædeterminantis ad vnum, qui æquè liberè poterat prædeterminare ad aliud oppoſitum; non tamen reſpectu voluntatis, abſque ſua libertate prædeterminatæ ad vnum, quod poſt prædeterminationem non poteſt non facere; & non prædeterminatæ ad aliud, quod propterea non poteſt facere.

*Suadetur quarto exẽplo gratiæ præuenientis.*

Quarto, motus gratiæ excitantis in voluntate non ſunt liberi ſecundum omnes, hanc enim ob cauſam dicuntur à Deo fieri in nobis ſine nobis: & tamen fiunt à voluntate ex ſe libera, ergo hoc non ſatis eſt ad motum liberum, qui eſſe debet à voluntate, non ſolùm libera, ſed etiam prout libera; hoc eſt, liberè agente, & actualiter exercente ſuam libertatem: quod aliter intelligi non poteſt, niſi per potentiam completam, & indeterminatam ad plura oppoſita, quæ ita facit vnum, vt nullam aliam ob cauſam non faciat aliud, niſi quia non vult, quamuis habeat omnia neceſſariò prærequiſita ad illud faciendum; atque hoc propriè eſt, liberè ſe determinare.

393. *Decima probatio ad hominem, oſtendens neceſſitatem quoad ſpecificationẽ, & quoad exercitium.*

Arguo 10. voluntas ſpectata ante omnem prædeterminationem ad operandum, non poteſt operari ex phyſico, imò etiam eſſentiali defectu actus primi ſimpliciter completi, vt ſupra num. 391. & ideo cum intelligitur non prædeterminata non operari, non ceſſat liberè ab operando: nulla enim cauſa dici poteſt ceſſare liberè à productione effectus, quem non poteſt ſimpliciter facere ex defectu alicuius principij, in actu primo requiſiti, vt poſſit illum facere: ſed quando voluntas circa aliquod obiectum, repræſentatum illi ab intellectu ſub duplici ratione, boni, & mali, prædeterminatur, v.g. ad amorem, remanet vt antea pariter non prædeterminata ad odium; ergo tunc etiam non poteſt dici ceſſare liberè à productione odij; ergo amat ſine libertate quoad ſpecificationem. Præterea per prædeterminationem ad amorem, ita conſtituitur potentia voluntatis completa in actu primo, vt non poſſit non amare, ſicut vniuerſaliter, non poteſt non facere quod Deus efficaciter vult vt faciat; ergo amat ſine libertate quoad exercitium. Si enim negatio prædeterminationis, ſolùm ex eo, quia reddit voluntatem non completè potentem operari, licèt remaneat potens paſſiuè prædeterminari, & ſic fieri completè potens actiuè operari, facit ſimpliciter neceſſariam ſuſpenſionem, ſeu ceſſationem exercitij; ergo à contrario, poſitio determinationis, ſolùm ex eo, quia reddit voluntatem non potentem non operari, licèt relinquat illam in ſua natura potentem non prædeterminari ad operandum, ſeu ſeparari, ac diuidi ab illa prædeterminatione, debet etiam facere ſimpliciter neceſſariam poſitionem exercitij; ergo contraria opinio ſine vllo dubio deſtruit omnem planè libertatem, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium.

394. *Vndecima ratio Mayroni ex eo, quòd dari nequeat*

Arguo 11. ex Mayrono, cuius locum, & verba citaui ſupra n. 162. libertas non ſolùm eſt ad operandum, ſed etiam ad non operandum; nam & operamur liberè, & liberè operari omittimus; ita

*decretũ prædeterminans reſpectu liberæ omiſſionis.*

vt valde probabilis ſit multorum opinio, quam ſequutus ſum 1.2.q.71.art.5. de poſſibilitate peccati puræ omiſſionis abſque vllo formali actu ex parte voluntatis: ſaltem libertas exercitij eſſentialiter poſtulare videtur, vt voluntas ita eliciat actum ſuum, vt poſſit non elicere; quem ſi non eliceret, tunc liberè illum omitteret, & non operaretur; neque tunc eſſet neceſſarium, alium actum elicere; hæc enim neceſſitas non poteſt probabili aliqua ratione ſuaderi. Ad hoc autem liberum non operari non poteſt Deus concurrere per aliquod decretum prædeterminandi antecedens ſcientiam conditionatam, ergo hoc decretum non explicat ſufficienter, & vniuerſaliter dependentiam, quam à cauſa prima habet cauſa ſecunda libera in omni libertatis ſuæ vſu, ſiue poſitiuo, ſiue negatiuo: & conſequenter, non rectè dicitur, pertinere ad rationem generalis concurſus primæ cauſæ cum cauſis ſecundis liberis. Probatur minor, tum vniuerſaliter, quia ſicut decretum prædeterminandi ad operandum, facit vt voluntas non poſſit non operari, atque adeo vt operetur neceſſariò, non liberè; ita decretum prædeterminandi ad non operandum, facit vt voluntas non poſſit operari, ſed neceſſariò, & non liberè omittat operari: tum in particulari, quia nullo alio intelligibili modo poteſt Deus prædeterminare omnino antecedenter ad non operandum, niſi volendo negare aliquid neceſſariò prærequiſitum ad operandum; cuius defectu, conſtat, negationem, & omiſſionem operationis non eſſe liberam: ſicut enim ad hoc vt operer liberè, opus eſt vt habeam omnia neceſſaria ad poſſe non operari; ita à contrario, ad hoc vt liberè non operer, requiritur vt habeam omnia neceſſaria ad poſſe operari: inter quæ neceſſarium præcipuè eſt diuinum decretum de concurrendo ad operationem, quod planè pugnat cum decreto prædeterminante ad non operandum. In noſtra autem ſententia facilè intelligitur, quomodo nos liberè non operemur dependenter à diuina voluntate, & generali concurſu primæ cauſæ; & poſſit Deus efficaciter prædefinire, vt liberè non operemur aliquem actum, v.g. peccati. Nam volumus, primam cauſam ad actus cauſæ ſecundæ liberæ, ſiue poſitiuos, ſiue negatiuos, non concurrere per decretum prædeterminans ad vnum, contra naturam cauſæ liberæ, ad plura indeterminatæ, & indifferentis; ſed per aliud oppoſitum decretum, indeterminatum, ſiue indifferens ad plura, quo, iuxta exigentiam naturæ cauſæ liberæ, paratus eſt Deus vel concurrere, vel non concurrere; vel concurrere ad hoc, vel ad aliud, prout ſe determinauerit cauſa libera ad operandum vel non operandum; & ad operandum hoc, vel aliud: hoc enim decreto voluntas ita omittit operari, vt habeat, etiam ex parte cauſæ primæ, quicquid neceſſarium eſt ad operandum, ac proinde ad liberè non operandum. Volumus quoque, ante quodlibet decretum prædefiniens, Deum conditionatè ſcire, quòd ſi voluntas crearetur, & conſtitueretur ſub his conditionibus, operaretur liberè talem actum; ſi verò conſtitueretur ſub aliis conditionibus, non operaretur liberè talem actum; poſt quam ſcientiam poteſt prudenter, & efficaciter prædefinire, vt voluntas liberè non operetur talem actum, quia ſcit, quo modo ſit liberè non operatura talem actum.

*Quid requiratur ad liberè operandum, vel non operandum.*

## *Referuntur quatuor euaſiones aduerſariorum.*

395. Ad hæc argumenta quatuor reſponſiones afferri ſolent ab aduerſariis. Prima, illis probari tantùm, effectus creatæ voluntatis eſſe neceſſarios, *ſecundùm quid, videlicet, neceſſitate conſequentiæ, vel infallibilitatis, ſiue ex ſuppoſitione; quæ neceſſitas non repugnat contingentiæ, aut libertati:* non eſſe autem neceſſarios, *abſolutè, & ſimpliciter.* Ita Aluarez lib.1. reſponſionum cap. 1. num. 42. & cap. 5. num.12. probatione 3. fin. Bagnes hîc, §. 3. verſiculo, *Ad hoc,* & infra q.23.art.3.dub.2. §. *Inſuper*, & dub.3. concl.vlt.ad 6. §. *Pro cuius.* Zumel diſp.4.concl.2. & diſp.6.ad 4. Gonzalez d.44.n.2.3.& 4. & d. 45. num.84. Verdu in relectione contra ſcientiam mediam fol. 24. Riſpolus pag.25. & 46.

*Prima euaſio de neceſſitate conſequẽtiæ, nõ conſequẽtis, ex Aluarez, Bagnes, Zumel, Gonzalez, Verdu, Riſpolo.*

Secunda, quæ videtur eadem eſſe cum prima, eſſe neceſſarios in ſenſu compoſito, non eſſe neceſſarios in ſenſu diuiſo. Ita frequenter Bagnes hîc §.1.verſiculo, *Sed aduertendum,* & verſiculo, *Ex hoc ſequitur*, & §. 3. verſiculo, *Pro huius*, & infra, q.23.art.3.dubio 3. concluſione vltima, §. *Tandem,* & art.5. §. *Ad illud,* & fuſius 2.2.q.10.art.1.dub.2. documento 3. §. *Iam verò*, Cabrera tom.3. in 3.p. q.62.art.1.d.12. §.14.num.317. fin. Verdu ſupra, Zumel diſp.4.concl.2. & diſp.6.ad 4. & Gonzalez diſp.44. num.2.3.4. & diſp. 45. num.84. Verdu in relectione contra ſcientiam mediam fol.24. Riſpolus pag.25. & 46.

*Secũda euaſio de neceſſitate in ſenſu compoſito, nõ in ſenſu diuiſo, ex Bagnes, Cabrera, Verdu.*

Tertia, actus prædeterminatos, eſſe liberos, quia, inquit Bagnes infra, q.19. art.10. dubio 1. documento 3. *Libertas actus voluntatis, quæ in ipſa formaliter exiſtit, conſurgit ex radice actus intellectus proponentis voluntati obiectum, quod de ſeipſo indifferens eſt ad aſſecutionem obiecti voluntatis, neque cum illo neceſſariam connexionem habet: & nihilominus iudicat, ordinabile eſſe ad finem voluntatis, & vt ordinetur ad finem; & tunc voluntas eligit, & in tali electione formaliter eſt libera;* hinc, paulò poſt, ita colligit. *Quicquid anteceſſerit, vel comitabitur, vel ſuperuenerit ad actum voluntatis, ſi non tollat iudicium illud circa medium reſpectu finis, non deſtruet libertatem operationis:* & quoniam Deus decretis ſuis prædeterminantibus, *non ligat, neque deſtruit iudicium, quo iudicamus indifferentiam medij, & ordinabilitatem eius, & ordinandum eſſe ad finem, non etiam noſtræ operationis libertatem deſtruit*, eamdémque opinionem ſequutus eſt Riſpolus pag. 29. clarius dicens, *de ratione libertatis non eſſe indifferentiam ex parte potentiæ, ſed ex parte obiecti.* illam falsò tribuens Fonſecæ lib.6. Metaph. cap.2. q.5. ſect.12. nam ipſiſmet verbis, quæ pro ſe affert Riſpolus nihil aliud dicit Fonſeca, niſi Chriſti voluntatem non fuiſſe liberam ad bonum, & malum, ſed tantùm ad bonum: quod eſt quid ſatis diuerſum à prædicta opinione. Præterea Riſpolus pag. 31. falsò etiam imponit Fonſecæ ibidem, quòd multos Deus prædeſtinet ſine præſcientia conditionata: nam loco cit. ſect.11. ad 6. contrarium perſpicuè ſic ſcribit, *negandum eſt, potuiſſe vllum actum liberum, ſeruata eius libertate, ab æterno prædefiniri ante omnem eius præſcientiam. talis enim prædefinitio præcedẽs impediret eius actus libertatem.* Et idem Riſpolus pag.303.& 326. ſaluat libertatem recurrendo ad indifferentiam ſolius iudicij.

*Tertia euaſio de libertate conſiſtente in ſola indifferẽtia obiecti, ex Bagnes.*

Riſpol.

*Defenditur Fonſeca contra Riſpolũ.*

Quarta, decretum prædeterminandi ex ſumma efficacia diuinæ voluntatis habere, vt det non ſolùm operari, ſed etiam modum operandi, vel liberè, vel neceſſariò, iuxta varias naturas cauſarum ſecundarum: eſt enim, inquiunt, Dei prædeterminatio fortis, & ſuauis, quia, vt dicitur Sap.8. *Deus attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Ita Bagnes hîc, §. 3. verſiculo, *Sed eſt notandum.* & 2.2.q.10. art.1. dubio 2. documento 3. §. *Ad hanc.* Zumel hîc, diſput.2.ad 8. & diſput.4. concl.

*Quarta euaſio de voluntate diuina dante modũ liberè operãdi, ex Bagnes, Zumel, Gonzalez, Cabrera, Riſpolo.*

Sap.8.



concl.2.3.5. & diſp.6.concl.2.& 4. Gonzalez hîc, d.44.n.39.41.& d.45.n.84. & d.65.n.40. Riſpolus pag.12. & 335. Cabrera tom.2. in 3.p. q.18. art.4. §.8. à n.304.

## *Impugnatur prima euaſio.*

396. In his verò reſponſionibus quieſcere non poteſt animus, libertatis, ac veritatis diligens indagator. Non in prima, quia eſt diminuta: ſicut enim certum eſt, aliquam neceſſitatem ex ſuppoſitione, cohærere libertati, vt ſi dicas, ex ſuppoſitione quod ego volo, loquor, ſcribo, &c. neceſſe eſt, me velle, loqui ſcribere, &c. Et vniuerſaliter, ex ſuppoſitione quòd res ſit, neceſſe eſt rem eſſe, quia omne, quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, vt omnes cum Philoſopho pronunciamus; ita etiam certum eſt, quamdam aliam neceſſitatem ex ſuppoſitione, pugnare cum libertate: vt cum dicimus, ex ſuppoſitione vnionis hypoſtaticæ, non fuit in anima Chriſti libertas ad peccandum; & ex ſuppoſitione viſionis beatificæ, neceſſe eſt beatos amare Deum, & non peccare; & infantes, atque amentes, non operari liberè, ex ſuppoſitione ignorantiæ, atque ſtultitiæ; & primos adultorum motus non eſſe liberos, ex ſuppoſitione inaduertentiæ, & indeliberationis; & cum ex communiſſima opinione, quam probaui 1.2. q.10. art. 4. conſtet, Deum poſſe neceſſitare voluntatem, ea quoque neceſſitas non eſſet niſi ex ſuppoſitione alicuius præuij decreti, ſeu motionis prædeterminantis, ac neceſſitantis; ergo aduerſarij reſpondentes, neceſſitatem ortam ex decreto prædeterminandi, eſſe ex ſuppoſitione, & non explicantes, quænam ſit huiuſmodi ſuppoſitio, ac neceſſitas, inſufficienter tuentur cauſam libertatis. Poteſt enim eſſe ſuppoſitionis neceſſitas, non primi, ſed ſecundi generis, qualis euidenter de facto eſt; vt ex naturali ratione oſtendi ſupra, n.113. & ex Anſelmo mox oſtendam.

*Neceſſitas ex ſuppoſitione aliquãdo non deſtruit libertatem, aliquando deſtruit.*

397. Igitur ex doctrina Anſelmi lib. de concordia cap.1. & 2. & clarius, ac fuſius lib.2. cur Deus homo cap.18. recepta ab omnibus Theologis relatis ſupra num.24. quamuis Aluarez lib.2. de Auxiliis, diſp.7.n.16. in fine tertiæ probationis, expreſsè fateatur, ſe, ac ſuos, eam nõ admittere; ab eaque non obſcurè recedat Ripa q.19.art.8.dub.1.c.10. diſtinguẽda eſt duplex neceſſitas, & conſequẽter, duplex ſuppoſitio, quæ neceſſitatem inducit. *Eſt namque,* inquit Anſelmus cap.18. citato, *neceſſitas præcedens, quæ cauſa eſt, vt ſit res: & eſt neceſſitas ſequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens neceſſitas eſt, cœlum volui, quia neceſſe eſt vt voluatur: ſequens verò, & quæ nil efficit, eſt, te ex neceſſitate loqui, quia loqueris.* & ſtatim addit inter has duas neceſſitates optimum diſcrimen, vnde dignoſci facilè poteſt ambiguitas, & inſufficientia huius primæ reſponſionis, *Vbicumque eſt præcedens neceſſitas, eſt & ſequens; non autem vbi ſequens, ibi ſtatim, & præcedens. Poſſumus namque dicere, neceſſe eſt cœlum volui, quia voluitur: ſed non ſimiliter eſt verum, idcirco te loqui, quia neceſſe eſt vt loquaris;* deinde applicando docet, ſecundam neceſſitatem, & non primam, ſtare cum libera voluntate; quoniam igitur ſequens neceſſitas tam reperitur cũ neceſſitate tollente libertatem, quàm cum non tollente, ad noſtra argumenta, demonſtrantia neceſſitatem decreti, contrariam libertati, minus ſolidè reſpondent, cùm ſimpliciter, & abſolutè dicunt, illam eſſe neceſſitatem ſequentem, ſiue ex ſuppoſitione, ſiue conſequentiæ, ſiue infallibilitatis: nam hæc etiam neceſsitas poteſt eſſe cum neceſsitate præcedente, quæ libertatem deſtruit; quia, teſte Anſelmo, *Vbicumque eſt præcedens neceſſitas, eſt & ſequens.*

*Diſtinguitur duplex neceſſitas ex doctrina Anſelmi, cui cõtradicit Aluarez.*

*Neceſſitas antecedẽs nõ ſtat cum libertate: neceſſitas ſequẽs aliquãdo ſtat, aliquando non ſtat.*

Poſita hac diſtinctione, & doctrina Anſelmi, demonſtro intentùm, primò neceſsitas præcedens, & efficiens tollit libertatem; ſed neceſsitas orta ex decreto prædeterminandi ad vnum ante omnem præſcientiam, eſt neceſsitas maximè præcedens, & efficiens; ergo tollit libertatem. Maior eſt expreſſiſsima Anſelmi doctrina, minor eſt aduerſariorum, ponentium decretum illud efficaciſsimum, ante quamlibet rem futuram, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, & ante præſcientiam cuiuſlibet rei futuræ; conſequentia, vt patet, eſt in forma. Secundò, omnis neceſsitas cohærens libertati, eſt illa, quæ non efficit rem, ſed efficitur à re, quæ neceſſaria eſſe dicitur: ſed neceſsitas rei futuræ ex prædicto decreto prædeterminante, eſt illa, quæ primò, & maximè efficit rem futuram, & non efficitur à re futura; ergo non eſt neceſsitas cohærens libertati; maior eſt Anſelmi, exemplificantis tum, ante verba citata, de neceſsitate futuri, quæ non facit futurum, ſed fit à futuro; vt, inquit, *Si dicas, neceſſe fuiſſe ita futurum eſſe, quoniam ſic futurum erat; huiuſmodi neceſſitas non cogit rem eſſe, ſed eſſe rei facit neceſſitatem eſſe:* tum, verbis citatis, de neceſsitate loquutionis, quæ non facit loquutionem, ſed à loquutione efficitur; minor ſine dubio eſt aduerſariorum, dum dicunt, hanc neceſsitatem rei futuræ, eſſe ex ſuppoſitione decreti cauſantis rem futuram, non autem ex ſuppoſitione ipſiuſmet rei futuræ; vnde à Gonzalez hîc, d.44.num.39. dicitur, *ſuppoſitio antecedens ordine cauſalitatis*; conſequentiæ bonitatem nemo non videt. Tertiò, ex eodem Anſelmo lib. de concordia cap.1. ante med. Omnis neceſsitas ſtans cum libertate, *eſt neceſſitas, quæ deſcendit de libera voluntate*; ſiue eſt, *neceſſitas ſequens*, nempe ipſummet actum voluntatis vel futurum, vel præſentem, vel præteritum, vt multis declarat toto illo capite. Vnde paulò poſt ait, hanc neceſsitatem, *fieri à libera voluntate:* ſed per aduerſarios neceſsitas futurorum contingentium, ſiue abſolutorum, ſiue conditionalium, non deſcendit de libera volũtate, à qua ſecundùm omnes deſcendit libertas, non neceſsitas futurorum, ſed deſcendit de decreto prædeterminandi; & non eſt neceſſitas ſequens actum voluntatis, ſed ſequens voluntatem Dei prædeterminantem, quæ eſt præcedens, & cauſans actum creatæ voluntatis; ergo non eſt neceſſitas ſtans cũ libertate. Quartò argumentari efficaciter poſſumus ex aliis verbis Anſelmi ibidem, quæ habentur ſupra, num.332. Et quintò ex aliis, quæ habentur ſuprà, num. 390. Item ſextò, conſequentia, qua ex decreto prædeterminandi, deducitur actus voluntatis prædeterminatus, eſt, vt ait Aluarez de Auxiliis d.7. num.9. *Illatio neceſſaria, quam Deus cognoſcit per ſuam ſcientiam merè naturalem*, idémque fatetur Gonzalez ſupra. Sed illatio neceſſaria quando oritur ab antecedente, dependente à libera voluntate, facit neceſſitatem ſolius conſequentiæ, non conſequentis, vt cum dicitur, Petrus amat, ergo non poteſt non amare: quando verò oritur ab antecedente, prorſus independente à libera voluntate, quale ſine dubio eſt decretum prædeterminans, facit neceſſitatem & conſequentiæ, & conſequentis, vt cum dicitur, ſol mouetur, ergo illuminat aërem ad quem accedit; hæc autem eſt omnimoda neceſſitas, ſecundum omnes citatos ſupra n.24. libertatis deſtructiua.

*Neceſſitas decreti prædeterminãtis tollit libertatem.*

Gonzalez.

Aluarez.

Gonzalez.

Confirmari poteſt ex ſimilibus dictis omnium veterum Theologorum, ſed, vt breuitatis cauſa reliquos omittam, arguo ſolùm ex Alenſi, qui rem clarius 398.

*Confirmatur ex Alenſi, & Boëtio.*

clarius explanaſſe videtur. Is,1.p.q.24.membro 4. ad 1. ait, *Secundum Boëtium in lib. de conſolatione, neceſſitas abſoluta,quæ eſt neceſſitas ſimpliciter,eſt eorum, quæ habent cauſam determinatam immutabiliter, vt ſolem oriri cras:* ſed per aduerſarios, neceſſitas futurorum contingentium, eſt eorum, quæ habent cauſam determinatam immutabiliter, nempe,efficax Dei decretum prædeterminans;quod eſt multò magis determinatum,& immutabile,tum in ſe, tum in ordine ad effectum, quàm quælibet alia cauſa creata,quæ determinata,& immutabilis eſſe dicitur; vnde rem eſſe futuram ex cauſa prædicti decreti, eſt ita determinatum, atque immutabile, vt contrarium implicet;non ſic autem ſolem oriri cras, quod tamen dicitur eſſe neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè, ergo neceſſitas futurorum contingentium per aduerſarios eſt neceſſitas abſoluta,& ſimpliciter.Præterea ex eodem in membro 5. ad 1. *Secundum Anſelmum de præſcientia, & libero arbitrio neceſſitas conſequens rei poſitionem non tollit contingentiam rei, vt cùm dicitur, te ſedere, cùm ſedes, eſt neceſſarium:* quam contingentiá tollit, *neceſſitas antecedens, quæ eſt ſecundum præordinatas cauſas rei, ſicut te videre, ſolem oriri cras*; ſed neceſsitas ex ſuppoſitione prædicti decreti,non eſt neque abſolutè, neque conditionatè conſequens, ſed præordinata cauſa omni modo antecedens poſitionem rei,ergo tollit contingentiam rei. Denique qui attentè legit Anſelmum, Boëtium, Alenſem, alióſque graues, ac primos Theologiæ Doctores, aduertere prudenter poteſt, ſemper eos in futuro libero admittere neceſsitatem ex nulla alia ſuppoſitione, niſi quia futurum eſt: aduerſarios verò admittere neceſsitatem ex alia ſuppoſitione, longè diuerſa, nimirum, quia decretum & prædeterminatum eſt, vt ſit futurum. In eos igitur bene quadrant verba,quæ retulimus ſupra,num.301. ex Vvaldenſi.

*Impugnatur reſponſio Riſpoli.*

Tanta enim eſt vis huius argumenti ducti ex doctrina Anſelmi, vt Ioan. Matthæus de Riſpolis pag.295. ita teſtetur, *hæc doctrina ita aliquos ex noſtris turbauit, vt dicerent eorum conuincere intellectum,* ſed addit, *ego nihilominus nullam inuenio difficultatem:* vnde admittit, ſuppoſitionem antecedentem deſtruere libertatem ſecundum Anſelmum; ſed diſtinguit duplicem ſuppoſitionem antecedentem,dicens,id eſſe verum, *ſi id,quod ſupponitur antecedens, ſupponatur per modum neceſſarij, & per modum libertatem deſtruentis: non autem ſi per modum linientis, & confortantis, & dulciter determinantis.* Quibus verbis nemo non videt,negari Anſelmum, & peti manifeſtum principium. Anſelmus docet, vniuerſaliter, ſuppoſitionem eſſe per modum neceſſarij deſtruentis libertatem, quando eſt antecedens. Riſpolus dicit, aliquam ſuppoſitionem eſſe antecedentem, & tamen non eſſe per modum neceſſarij deſtruentis: quod eſt contra Anſelmum. Et, tunc ſuppoſitionem antecedentem non inducere neceſsitatem deſtruentem libertatem, quando non eſt per modum neceſſarij,& deſtruentis libertatem: quæ eſt aperta petitio principij. Illud igitur, *Per modum linientis,&c.* eſt ſuauitas quædam in verbis,non in re. Omnis ſuppoſitio antecedens ex Anſelmo, & euidenti naturæ lumine, ita afficit cauſam liberam, vt hæc ſimul cum illa non poſsit ſe mouere niſi ad vnum determinatum; ergo non linit illius naturalem potentiam ad vtrumlibet,ſed ſtrictiſsimè ligat ad vnum,vnde non confortatur, ſed imminuitur. Neque determinari ad vnum, id quod natura ſua libera eſt indeterminatum, & indifferens ad plura, dici poteſt dulce, ſed amariſsimum liberæ naturæ; ſi v.g. ligatus; vel incluſus in carcere conquereretur, ſe non poſſe liberè moueri, vel exire; & tu illum ſolareris dicens, querimoniam illam non eſſe iuſtam, quia ligatio illa, ſiue incluſio,non eſt per modum tollentis libertatem,ſed per modum confortantis, & dulciter retinentis, quis non rideret? Et ideo antea in pag.42. cùm non poſſet ſatisfacere argumentis, quibus probatur deſtructio libertatis ex decreto poſito ante ſcientiam conditionatam, conatur clariſsimam naturalis luminis veritatem mendicatis fidei tenebris abſcondere, dicens: *Quod quomodo poſſit eſſe, credas, ſi intelligere nequis;nam maxima ſapientia eſt captiuare intellectum noſtrum in obſequium Chriſti:* ſed ridiculum eſt in re, quæ non eſt de fide, ad fidem confugere; libertas quidem eſt de fide: tamen quod præfinitio ſit ante ſcientiam conditionatam, non eſt de fide. Igitur ſi argumenta euidenter demonſtrant, per huiuſmodi præfinitionem ante ſcientiam conditionatam tolli libertatem, quam docet fides, non potes rationabiliter ſine fide, ipſa te fide tueri.

*Gōzalez reſponſio reijcitur.*

Inſufficiens quoque eſt fuga Gonzalez infra d.52.num.1.& 2. *Anſelmus,* inquit, *nomine neceſſitatis præcedentis, intelligit neceſſitatem abſolutam, quæ facit cauſam operari abſque vlla deliberatione.* Sed hæc eſt fictio voluntaria,& irrationabilis: voluntaria quidem, quia hanc limitationem Anſelmus neque vmquam exprimit, neque ſignificat, quamuis neceſsitatem præcedentem & diligenter, & fusè explicauerit. Neque eam Gonzalez rectè colligit ex Anſelmi exemplis, *Cœlum volui, & hominem mori:* his enim exemplis vtitur Anſelmus,non quòd præcedens neceſsitas ſit tantùm in effectibus procedentibus à cauſis ſine deliberatione, nam eadem ratione colligere Gonzalez poterat, eſſe tantùm in cauſis abſque intellectu, & voluntate, quia motus circularis, & mors ab his cauſis neceſſariò proueniunt: ſed quia, cum illa neceſsitas actu reperiatur in cauſis neceſſariis, vt omnes fatemur,ex his facilius dignoſci poterat, an etiam reperiretur in cauſis liberis, ſiue agentibus per intellectum,& voluntatem:ſi igitur eſt aliqua neceſſitas,quæ cauſa eſt vt res ſit, iam habetur adæquatiſsima definitio neceſsitatis præcedentis tradita ab Anſelmo,quicquid ſit de intellectu deliberante vel non deliberante. Nam ſi neceſſitas eſt cauſa antecedens,vt ſit deliberatio, ipſa etiam deliberatio eſt abſolutè neceſſaria: imò ſi dicas, quòd neceſſitas eſt cauſa antecedens, vt ſit operatio libera, dices contradictoria; quia tunc ipſamet operatio libera, non eſſet libera, ſed abſolutè neceſſaria. Præterea ſi neceſſitas ſequens eſt, quam facit res ipſa, ſiue cum deliberatione, vt poſito quòd quis peccet, neceſſariò peccat; ſiue ſine deliberatione, vt poſito quòd ignis calefaciat, neceſſariò calefacit; cur non eodem modo intelligenda eſt neceſſitas præcedens eſſe illa,quæ facit rem,ſiue cum deliberatione, ſiue ſine deliberatione? Multum quoque vrget,quòd tam Anſelmus,& Alenſis verbis citatis, quàm S.Thomas infra, q.19. art.3. & alij citati ſupra num. 24. cum explicant neceſſitatem ſequentem,ſiue ex ſuppoſitione,quæ ſtat cum libertate, ſemper docent, & exemplificant, eam oriri ex effectu præſuppoſito,v.g. vt ait Anſelmus, *Te ex neceſſitate loqui,quia loqueris*, &,vt ait S.Thomas, *ſuppoſito quòd Socrates ſedeat, neceſſe eſt, eum ſedere, dum ſedet.* Neceſſitas autem à nouis Thomiſtis introducta, procul dubio non eſt tantùm hoc modo ſequens effectum, ſed etiam eſt præcedens effectum,quia oritur ex decreto prædeterminante,& prorſus antecedēte quodlibet eſſe actuale effectus,



effectus, etiam conditionatè futurum: quæ neceſſitas non diffunditur ab effectu in cauſam, vt neceſſitas ſequens, ſed contra, à cauſa in effectum, ergo hæc,non eſt neceſſitas ſequens, ergo eſt præcedens: quia neceſſitas ab omnibus Patribus, & Scholaſticis adæquatè diuiditur in ſequentem, & præcedentem; ſed aduerſariis ipſis fatentibus, in decreto prędeterminante eſt aliqua neceſsitas;non ſequens, vt demonſtratum eſt,ergo neceſſariò eſſe debet præcedens. Neque pro Gonzalez, ſed potius contra ipſum ſunt verba, quæ pro ſe affert ex Anſelmo,quæ in meo codice habentur lib.de concordia cap.1. multo ante med. *Quando Deus vult, effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt, voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.* Non eſt ſenſus, tunc voluntatem eſſe liberam, quando Deus vult prædeterminare voluntatem ad vnum,quod ipſe Deus vult;ſic enim effectus non ſequeretur voluntatem creatam, ſed extrinſecam voluntatem Dei. Verus ſenſus eſt, tunc voluntatem eſſe liberam, quando Deus vult, vt effectus ſequatur voluntatem determinantem ſe ad vtrumlibet. Irrationabilis verò, quia coincidit cum quarta euaſione mox impugnanda: nunc ſatis ſit animaduertere, quòd cum voluntas ſit illa in qua eſt formaliter libertas, & indifferentia ſecundum ſanam doctrinam, aduerſarij ſuis prædeterminationibus hanc indifferentiam vel ligantes, vel potius deſtruentes, ad intellectus deliberationem fruſtra confugiunt; quæ etſi ad liberè operandum ſit neceſſaria, propter quod communiſsimè dicimus, libertatem eſſe radicaliter in intellectu, tamen non eſt ſufficiens, niſi etiam per ſuam indifferentiam concurrat voluntas, in qua eſt formaliter libertas. Quid enim quæſo prodeſt, intellectum proponere voluntati obiectum indifferens, hoc eſt, amabile ſub aliqua ratione boni, odibile ſub aliqua ratione mali, ſi voluntas decreto Dei prædeterminante, v. g. ad amandum obiectum vt bonum,ita eſt ad hoc coarctata, vt implicet contradictionem non amare? Igitur qui deliberationem in intellectu retinent, ſed voluntatem ad vnum prædeterminant,ſaluant quidem libertatem radicalem, ſed formalem libertatem de medio tollunt.

## *Impugnatur ſecunda euaſio.*

399. *Neceſſitas ex ſuppoſitione eſt eadē cum neceſſitate in ſenſu compoſito.* Leſſius. Carthagen.

Iiſdem authoritatibus, & rationibus, quibus primam reſponſionem de neceſsitate ex ſuppoſitione reiecimus, refelli poteſt ſecunda reſponſio de neceſsitate in ſenſu compoſito; *nam hæ reſponſiones*, vt rectè dixit Leſsius de Gratia, cap.3.n.19. *non differunt, niſi modo loquendi.* Nunc addo quod egregiè expendit Carthagena diſcurſu quarto de prædeſtinatione §. *Primus ergo modus,* in tertia obiectione. Nam ex contraria opinione ſequitur, voluntatem creatam in nullo inſtanti, neque durationis, neque naturæ, imò in nullo ſigno rationis cum fundamento in re poſſe eſſe, ac dici, liberam. Enimverò per aduerſarios non eſt libera niſi in ſenſu diuiſo à decreto prædeterminante:ſed per eoſdem voluntas creata in nullo priori ſigno, neque vt cōpletè potens operari,neque vt operatura, aut abſolutè, aut conditionatè,diuiditur à decreto prædeterminante, & præcedit illud, ſed potius illud ſequitur; ergo numquam à parte rei eſt libera. Adde,hinc etiam ſequi,ne in ſenſu quidem diuiſo eſſe liberam, quatenus per intellectum conſideratur ſecundum ſe, præciſa à decreto prædeterminante; quia vt ſic non poteſt ſimpliciter operari, tamquam ſine ſubordinatione ad generalem primæ cauſæ concurſum, qui ſecundum aduerſarios incipit à decreto prædeterminante. Vnde ſi in ſenſu compoſito cum hoc decreto, dicunt, voluntatem non eſſe liberam, ex eo quòd ita operatur vnum, ad quod à Deo eſt prædeterminata, vt non poſsit non operari illud; debent pariter dicere,neque in ſenſu diuiſo ab eodem decreto eſſe liberam, ex eo quòd non poſsit quidquam ſimpliciter operari ſine illo: cùm ad libertatem non minus requiratur poſſe ſimpliciter operari, quàm poſſe non operari; ergo hac ſecunda reſponſione, operandi libertas euidenter deſtruitur. Neque dici poteſt cum Aluarez lib.1. Reſponſionum cap. 1. num. 48. *Quòd obiectum ſcientiæ mediæ poteſt eſſe verum, etiam ante decretum diuinæ voluntatis: quia poſſibilitas non competit rebus ex actuali decreto diuinæ voluntatis, ſed ex propria eſſentia. Vnde hæc propoſitio, ſi libero arbitrio proponatur tale obiectum ſibi proportionatum, in talibus circumſtantijs poterit conſentire, eſt vera ante idem decretum:& ſimiliter verum eſt,quòd in iyſdem circumſtantijs poterit diſſentire, ſi velit: nam facultas,ſeu poteſtas ad vtrumlibet, eſt de intrinſeca ratione liberi arbitrij. Sed tamen ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ non eſt determinatè verum, quòd conſentiet, ſi poneretur in illis circumſtantijs: nec etiam eſt determinatè verum,quòd diſſentiet; ſed ſolùm poſt decretum Dei prædefinientis, vt altera pars ſit determinatè futura ex eadem hypotheſi.* Primò obiectum ſcientiæ mediæ,eſt futurum ſub conditione, ſecundum omnes:ſed per Aluarez,obiectum ſcientiæ mediæ poteſt eſſe verum ante vllum decretum,ergo res poteſt eſſe conditionaliter futura ante vllum decretum:quod quantum cohæreat cum principiis aduerſariorum ipſi viderint. Secundò, cùm dicitur, *poſſibilitas non competit rebus ex actuali decreto*, verum eſt de poſsibilitate intrinſeca ſecundum ſe,de qua expreſsè loquitur Aluarez; falſum verò de poſsibilitate intrinſeca, ſecundum quod eſt in actu primo completa, & proximè diſpoſita per omnia antecedenter ad agendum prærequiſita ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca. Omnes enimTheologi fatentur,nullam potentiam intrinſecam cauſæ ſecundæ poſſe ſimpliciter, & ſufficienter operari, niſi vt ſubſtat, & ſubordinatur actuali decreto primæ cauſæ volentis generaliter influere: ſed per aduerſarios hoc decretum eſt prædeterminans, ergo ipſa intrinſeca voluntatis potentia ad vtrumlibet,non eſt in actu primo ſufficienter,& proximè completa ad agendum, niſi vt ſubordinata decreto prædeterminanti ante omnem futuritionem,& præſcientiam. Tertiò, hæc propoſitio, *liberum arbitrium poteſt diſſentire ſi velit,* dicitur vera ante decretum: hæc alia, *liberum arbitrium diſſentiet,*non dicitur vera niſi poſt decretum. Hæ duæ propoſitiones, ſi bene penetrentur, inuicem pugnant. In prima propoſitione illud, *ſi velit*, non exprimit conditionem prærequiſitam ad poſſe diſſentire, ſed ad diſſentiendum:eſſet enim ridiculum dicere, voluntas poteſt diſſentire, ſi velit poſſe diſſentire; ſed ſenſus verus, ac proprius eſſe debet hic,voluntas poteſt diſſentire,ſi velit diſſentire, ergo ad hoc vt voluntas actu diſſentiat, nil aliud requiritur, niſi vt velit diſſentire; ergo ad actu diſſentiendū non requiritur decretum,contra ſecundam propoſitionem. Item ſi voluntas poteſt diſſentire ſi velit, abſque decreto; ergo ponamus illam diſſentire:neque enim putari poteſt impoſſibile poni in eſſe, quod dicitur poſſibile poni in eſſe; ſed qui dicit, voluntas poteſt diſſentire,dicit apertè,voluntatem poſſe ponere in eſſe diſſenſum, & conſequenter,diſſenſum eſſe poſſibilem poni in eſſe,

*Refertur, & impugnatur reſponſio Aluarez.*

*Voluntas in ſenſu diuiſo per aduerſarios, nūquam eſt libera. Neque libertas in ſenſu diuiſo, eſt vera libertas.*

eſſe,ergo contra ſecundam propoſitionem,non eſt neceſſarium decretum ad diſſentiendum. Præterea in ſecunda propoſitione, decretum requiritur ad diſſentiendum, non vt quid tantùm concomitans diſſenſum, ſed etiã vt antecedens diſſenſum, quia eſt eius vera cauſa, & dicitur prædeterminans non ſolùm ipſum diſſenſum,ſed etiam ipſam voluntatis potentiam indifferentem ſecundum ſe ad diſſentiendum vel conſentiendum, ergo tenet ſe,vt quid neceſſariò prærequiſitum, etiam ex parte cauſæ,ergo prærequiſitum non ſolùm ad diſſentiendum, ſed etiam ad poſſe diſſentire: quod eſt contra primam propoſitionem.Igitur quocumque modo loquantur aduerſarij, conuincuntur conſequenter ſentire, quòd voluntas noſtra in ſenſu compoſito cum decreto prædeterminante ad conſentiendum, non poſſit diſſentire, etiam ſi velit; impotentia ſcilicet antecedente,deſtructiua libertatis.

*Duo aduerſariorũ dicta non coharere.*

400. Præterea operæpretium eſt hîc animaduertere, aduerſarios dicentes, omnem actum liberum, eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione decreti prædeterminantis, & in ſenſu compoſito cum illo; non poſſe cohærenter dicere cum Aluarez, Cabrera,Zumel, citatis ſupra num 119. voluntatem non neceſſariò operari,etiam in ſenſu compoſito,cum auxilio diuino prædeterminante intrinſecè ad operandum, ſed adhuc cum illo poſſe non operari: quia auxilium prædeterminans datur à Deo, tamquam medium proportionatum ad exequutionẽ finis,quem intendit decreto ſuo prædeterminante:ſed per hoc ita eſt futurus finis intentus, vt non poſſit non eſſe futurus, per ſummam impotentiam, hoc eſt, per implicantiam contradictionis: ergo pariter auxilium ita exequi debet illum finem, vt nullo modo poſſit non exequi; ac proinde voluntas vt ſubſtat auxilio,& cum illo componit,non poſſit non operari eumdem finem;ex ipſis enim terminis apparet irrationabile, ac ridiculum,me non poſſe reſiſtere Deo,volenti vt operer; & tamen Deum nullo alio medio me ad operandũ incitare, niſi illo, cui ego poſſum reſiſtere non operando. Nam ſi poſito tali medio,non operarer; ſicut ponitur, poſſe me non operari,non ſolùm reſiſterem medio,ſed etiã Deo; ergo ſi non poſſum reſiſtere Deo decernenti, vt operer per tale medium, neceſſariò requiritur, vt non poſſim etiam reſiſtere medio, & non operari per illud.

*Voluntas vt ſubſtat medio,quo Deus efficaciter vult, illam operari, non poteſt non operari.*

Bagnes.

Vnde cohærentiùs Bagnes, primus harum prædeterminationum author, expreſsè loquens de ſenſu compoſito,tam cum diuinis decretis,quàm cum auxiliis,eodem modo dixit, effectus liberos eſſe neceſſarios in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione. Quod videre maximè eſt infra,q.23. art.3.dubio 3.concluſione vltima,§. *Tandem*; vbi declarans hanc propoſitionem Tridentini ſeſſ. 6. can.4. *Liberum arbitrium poteſt diſſentire ſi velit*, ait, *debet intelligi, ſimpliciter loquendo; non autem in ſenſu compoſito, ita vt poſſint ſtare ſimul hæc duo, ſcilicet, hoc auxilium efficax exiſtit in homine, & homo reſiſtit diſſentiendo:* quia,inquit, *voluntati eius quis reſiſtet? ſcilicet voluntati efficaci, & abſolutæ ipſius.* In ſenſu compoſito non ſolùm negat, *diſſentire*, ſed etiam negat,*poſſe diſſentire.* Et id, etſi falsò,tamen cohærentiſſimè demonſtrat, ex eo quod non poſſumus reſiſtere diuinæ voluntati,quæ auxilio efficaci vtitur ad conſequendum id,quod intendit.Quamobrem ſi effectus aliquis voluntatis,in quantum efficaciter decretus à Deo vt ſit, non poteſt non eſſe, debet cõſequenter taliter diſponi voluntas,vt non poſſit illum nõ facere:ſunt enim eſſentialiter connexa, effectum non poſſe non fieri, ſeu non eſſe à voluntate, & voluntatem non poſſe non facere effectum: nam ſicut implicat,effectum fieri liberè à cauſa, & cauſam non liberè facere effectum; ita pariter implicat, effectum fieri neceſſariò à cauſa, & cauſam non facere neceſſariò effectum.

*Facere, & fieri, debere ſibi neceſſariò correſpõdere, cõtra Verdu.*

Ferrarienſis.

Quod, tamquam rem prorſus indubitatam ex ipſiſmet terminis ſi rectè penetrentur, & vt talem expreſsè docet Ferrarienſis lib.1.cont.gen.c.57. §. *Ad euidentiam 2. dubij.* breuiſſimè adnotare libuit contra F. Blaſium Verdu in relectione contra ſcientiam mediam fol.9. & 12. & quoſdam alios modernos, qui cum premantur,partim gratiæ efficacia, quam falsò dicunt eſſe omninò antecedentem, partim vulgatiſſima libertatis motione, in hanc tandem diſcordem concordiam deuenerunt, vt aſſerant, voluntatem, etiam quatenus informatam gratia efficaci,& vt formaliter cũ illa compoſitam, poſſe diſſentire gratiæ: diſſenſum verò non poſſe non eſſe, & non fieri à prædicta voluntate ſimul cum gratia efficaci:ſed de his fuſius in proprio loco.

*Reijcitur alia reſponſio Cabreræ.*

Demum ex dictis partim in hoc ſexto puncto,partim ſupra num.112.& 113.non bene Cabreram tom.3. in 3.p.q.62.art.1.d.12.§.14.n.317.reſpondere, *Diuinam prædeterminationem non tollere libertatem, quia homo ſic prædeterminatus poteſt quidem non operari, infallibiliter tamen operabitur.* quam reſponſionem fusè probat tom.2.q.18. art.4. d.2. §.8. à n.309. Hæc enim infallibilitas,quæ conceditur,eſt in actu primo tenens ſe omnino antecedenter ex parte cauſæ,quæ poſita ita cauſat effectum futurum, vt implicet contradictionem, illum non eſſe futurum, hæc autem infallibilitas manifeſtè repugnat cum potentia ad oppoſitum; ergo qui hanc infallibilitatem concedit, non poteſt conſequenter concedere potentiam ad oppoſitum: vnde cohærentiùs Verdu in relectione contra ſcientiam mediam fol.24.oppoſitum dixit, *Impoſſibile impoſſibilitate infallibilitatis*, & cum maiori diſtinctione in fol.41. loquendo de ſenſu compoſito,*non qui inuoluit actionem ipſam, ſed qui ſuppoſitionem dicit, & compoſitionem eorum, quæ antecedenter ſe habent ad conſenſum*, ait, *præuentus efficaci non poteſt non infallibiliter conuerti, eſto poſſit abſolutè.*

Verdu.

## *Impugnatur tertia euaſio.*

*Nõ rectè explicari libertatem à Bagnes.*

401. Contra tertiam reſponſionem dico, tertium illud Bagnes documentum mihi viſum ſemper eſſe lubricum, ac turbidum. Quid quæſo eſt, *libertas, quæ in voluntate formaliter eſt, conſurgit ex intellectu?* hæc enim verba ſignificare videntur, nullam formalem libertatem, atque indifferentiam eſſe intrinſecè, & formaliter in ipſa potentia voluntatis antecedenter ad intellectum proponentem obiectum indifferens; ſed ſolùm eſſe quamdam veluti materialem capacitatẽ recipiendi huiuſmodi formalem libertatem extrinſecè ab intellectu.

*Formalis libertas volũtatis nõ conſurgit ex intellectu.*

Quod enim dicitur ita formaliter eſſe in voluntate, vt conſurgat ex intellectu, non obſcurè innuit, non eſſe formaliter in voluntate ex ſe vt antecedit actualem intellectionem; ex qua prouenire non poteſt in alia diſtincta voluntatis potentia formalis libertas, ſiue indifferentia intrinſeca, & eſſentialis, ſed tantùm accidentalis per denominationem extrinſecã. Qui ſenſus,vt ex ſe patet,omnem planè libertatem de medio tollit.

*Libertas non cõſiſtit in ſola indifferentia obiecti propoſiti ab intellectu.*

Et ſi nihil aliud ad libertatem requiritur, niſi intellectiua repræſentatio obiecti indifferentis, vt nimis clarè expreſſit Bagnes in illo ſuo Corollario, profectò hæretici, qui hactenus contra fidem libertatem negarunt, facillimè cum Catholicis conſentient in



Leſſius.

in articulo libertatis. Enimuerò, vt optimè aduertit Leſſius de Gratia cap.5.num.2.moderni hæretici fatentur, quod vnuſquiſque in ſe euidentiſſimè experitur, & nemo, niſi ſtultiſſimus, vel ore tenus duntaxat, negare poteſt, non perturbari iudicium rationis per gratiæ efficaciam, vel diuinam prouidentiam omnia in nobis operantem; neque tolli iudicij,aut obiecti iudicati indifferentiam:& nihilominus,quia tali gratiæ,ac prouidentiæ non poteſt,ſecundum ipſos,liberum arbitrium reſiſtere, negant libertatem: quia ſcilicet, nihil aliud prorſus eſſe putant, dicere, nos non eſſe liberos,quàm non poſſe reſiſtere, & non poſſe non operari id, quod efficax Dei gratia, & prouidentia intendunt.

Pighius. Bellarmin. Leſſius. Caluinus.

Vnde Pighius lib. 6. de libero arbitrio fol.98.Bellarminus tomo 4.lib.1.de Gratia, cap.11. initio,Leſſius de Gratia cap.7.num.4. hæc verba ex Caluino referunt. *Voluntatem mouet,non qualiter multis ſæculis traditum eſt, ac creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo. Vnde citra controuerſiam elicitur ex verbis Ioannis, Omnis, qui audit à Patre, venit ad me, ſic efficaciter diuinitus gubernari piorum corda, vt inflexibili effectu ſequantur. Nam medium motum, quem Sophiſtæ imaginantur, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, apertè excludi videmus, vbi aſſeritur efficax ad perſeuerandum conſtantia.* Quibus verbis Caluinus ſententiam ſuam humanæ libertati contradicentem, non fundat aut in obiecto, quod non ſit indifferens, aut in intellectu, qui indifferentiam obiectiuam non repræſentet voluntati, quæ ſolæ duæ res, ſecundum Bagnes,libertati repugnant; ſed in ipſamet voluntatis indifferentia, ac potentia ad vtrumlibet, quam tolli contendit.

*In quo ſenſu Tridentinum damnet Caluinum,alióſque hæreticos.*

Ergo cum Tridentinum contra Caluinum, alióſque hæreticos definit, nos eſſe liberos, & ita conſentire Deo, eiúſque gratiæ, vt poſſimus reſiſtere, ac diſſentire, non fuit ſolicitum de indifferentia obiecti, ac iudicij, quam numquam aut hæretici negarunt, aut Tridentinum docuit, ſed ſolùm de indifferentia voluntatis,quam hæreticorum,& Tridentini verba expreſsè ſignificant; ergo præter indifferentiam obiecti, ac iudicij, quam radicalem in ſcholis vocamus, fatendum eſt ad libertatem maximè ſpectare indifferentiam voluntatis formalem; quam diſtinctam indifferentiam abſtuliſſe videtur Bagnes illo ſuo tertio documento, vt ſuas prædeterminationes tueretur.

*Videtur Bagnes negare intrinſecam indifferẽtiam voluntatis.*

Vnde in eo exprimit quidem indifferentiam obiecti ab intellectu repræſentatam, quam nemo negat, tamen indifferentiam voluntatis non exprimit; imò non obſcurè denegat. Tum quia ex inſtituto declarans voluntatis indifferentiam, non aliam indifferentiam tradit niſi obiecti repræſentati ab intellectu. Tum quia poſtea ita colligit, *quotieſcumque actus voluntatis oritur ex prædicta radice iudicij, ſemper erit liber*; ergo ſecundum ipſum eſt impertinens alia indifferentia intrinſeca in ipſa voluntate. Quod euidenter declarare voluiſſe videtur alio ſequenti corollario, cuius verba habentur ſupra num. 395. Tum quia ita arguit, Deus non ligat iudicium, ergo non deſtruit libertatem; quæ conſequentia nullius momenti eſſet, niſi ſupponeretur, libertatem conſiſtere in ſola indifferentia obiectiua, per iudicium propoſita voluntati.

*Obiectio Bagnes.*

Tum quia ait,doctrinam illius documenti ſe non poſſe aliter oſtendere, quàm hoc argumento. *Deus eſt maximè liber; & tamen in ipſo non alia ratio libertatis inuenitur, reſpectu illorum, quæ extra ſe vult, niſi quia iudicat illa non habere neceſſariam connexionem cum fine, ſed eſſe ſecundum ſe indifferentia*; ergo idem dicendum de noſtra libertate.

*Reſponſio.*

Illud, *non alia ratio libertatis*, excludit omnem aliam indifferentię rationem intrinſecam voluntati. Sed argumentum aſſumit falſum:nam,vt infra in proprio loco oſtendam, quamuis diuina voluntas, ob perfectionem ſuæ infinitæ naturæ, non ſit libera per indifferentiã potentiæ ad actus, ſicut libera eſt voluntas creata: tamen non eſt libera per ſolam indifferentiam obiectorum creatorum, circa quæ poteſt liberè ferri voluntate efficaci, vt ſumit Bagnes; ſed etiam per indifferentiam puriſſimi, & eminentiſſimi actus ad varias terminationes circa illa obiecta, ad quas non determinatur ab obiectis, aut à iudicio, ſed ſolùm à ſeipſo quatenus formaliter libero; quæ reſponſio multa inuoluit difficilia infra explicanda.

*Quomodo volũtas Dei ſit indifferens.*

Nunc certum eſſe debet, quod ſolùm ad præſentem difficultatem facit, voluntatem diuinam eſſe in ſe formaliter indifferentem circa obiecta creata,præter indifferentiam obiectiuam ab intellectu propoſitam;ita vt poſito quocumque iudicio de creatis obiectis, intelligatur adhuc ipſa Dei voluntas in ſe indifferens ad oppoſitas variationes, ſeu determinationes circa illa obiecta.

*Libertas ex intellectu cõſurgit radicaliter, non formaliter.*

402. Ergo dicendum, libertatem noſtram non conſurgere, & oriri formaliter ex intellectu, ſed tantùm radicaliter; eſſe autem formaliter in ipſa potentia voluntatis, licèt cum dependentia ab intellectu, ſine quo voluntas neque poteſt operari ſimpliciter, neque liberè. Verùm propoſito obiecto indifferente per intellectum, voluntas operatur liberè, non per ſolam hanc indifferentiam obiectiuam, ſed per aliam intrinſecam, & formalem indifferentiam, qua circa obiectum indifferens, & indifferenter propoſitum ferri poteſt ad libitum.

*Præter indifferentiã obiecti dari indifferentiam voluntatis.*

Quod nunc breuiter ſuadeo, dupliciter, primò quia actus voluntatis tantùm, dicitur proximè, & formaliter liber; ergo præſupponere neceſſariò debet libertatem formaliter in ipſa voluntate; ergo indifferentiam. Secunda conſequentia eſt omnibus manifeſta, nam libertas ad vtrumlibet, eſt prorſus inintelligibilis abſque indifferentia, in qua fundatur dictum illud ſancti Thomæ hîc, *Cauſa contingens ſe habet ad oppoſita.* ergo vbi formaliter eſt libertas, ibi etiam indifferentia formaliter ſit, neceſſe eſt. Probatur prima conſequentia, quia actus ab illa potentia proximè, & formaliter denominatur liber, à qua immediatè procedit; ſicut denominatur neceſſarius à ſuo immediato principio neceſſario; ſed actus voluntatis tantùm denominatur proximè, & formaliter liber, ergo à libertate, quæ ſit formaliter in voluntate, à qua immediatè procedit: alioqui ſi vis fiat in ordine ad ſolam indifferentiam obiecti, quam ſolam vult Bagnes facere ad formalem rationem libertatis, magis proximè, & formaliter eſſet liber actus intellectus, quàm actus voluntatis; quia circa illam indifferentiam immediatius, ſeu proximius, & independentius ſe haberet intellectus, quàm voluntas; ille ſcilicet, repræſentando, & iudicando ordinabile, & imperando ordinandum medium ad finem ſine dependentia à voluntate; hæc verò ſimpliciter ſequendo iudicium, & imperium intellectus præſuppoſiti, cum omnimoda dependentia ab illo. Secundò quia ex communiſſima Theologorum ſententia, quam probaui 1. 2. quæſt.10. art. 4. poſitis iudicio, & obiecto indifferentibus, adhuc poteſt Deus mouere neceſſariò voluntatem ad actum neceſſarium, ergo ad

ad liberè operandum non ſatis eſt indifferentia obiecti, & iudicij.

### *Impugnatur quarta euaſio.*

403. Contra quartam, & vltimam reſponſionem multa dicta ſunt ſupra num. 108. & 109. & n. 139. 140. & n. 147. tum ex ratione, tum ex S. Thoma.

*Ex decreto prædeterminante haberi non poſſe modum liberè operandi.*

Nego igitur ex decreto prædeterminante poſſe haberi modum liberè operandi, ſed tantùm haberi modum operandi neceſſariò: quamuis enim modus liberè operandi haberi non poſſit abſque efficacia diuinæ voluntatis, quod tantùm intendit S. Thomas infra, q. 19. art. 8. vt oſtendi ſupra num. 147. & intendunt idem S. Thomas 3. cont. gent. cap. 94. & S. Auguſtinus in Enchirid. cap. 95. quæ loca in vanum vrget contra nos Gonzalez hîc d. 44. num. 42. tamen nego, hanc efficaciam conſiſtere in decreto prædeterminante ad vnum; ſed conſiſtere potius in alio oppoſito decreto indeterminato ad vnam partem, & indifferente ad plures partes oppoſitas, iuxta naturalem exigentiam cauſarum ſecundarum contingentium, ſeu liberarum; quo decreto Deus, vt ait ſanctus Thomas ſupra, *aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant.* Non poteſt igitur Deus decreto ſuo efficaci, & abſoluto, ante ſcientiam conditionatam prædefinire, vt ego velim hoc determinatè, & non aliud oppoſitum, & tamen vt velim liberè; quia in hoc decreto latet contradictio manifeſta, ſi explicetur: nam cuilibet diuino decreto efficaci nemo poteſt reſiſtere, vt ſupra n. 387. ex ipſiſmet aduerſariis; ergo decreto antecedenti omnem liberum noſtrum vſum, nos non poſſumus reſiſtere impotentia antecedente omnem liberum noſtrũ vſum, ſed tale eſt decretum antecedens ſcientiam conditionatam, vt ex ſe patet; ergo illi non poſſumus reſiſtere impotentia omnino antecedente, ergo non poſſumus illi obedire liberè; hoc enim eſſentialiter importat, obedire cum reſiſtendi potentia, ſaltem antecedente, ergo implicat, hoc eodem decreto Deum ſimul prædefinire, vt velimus liberè: manifeſta enim contradictio eſt, me velle hoc cum antecedente impotentia reſiſtendi, quod eſt velle neceſſariò neceſſitate deſtruente libertatem, vt ſupra num. 397. & 398. ex Anſelmo, & aliis; & me velle hoc cum antecedente potentia reſiſtendi, quod eſt velle liberè. Hæc autem contradictio ceſſat in noſtra ſententia ponente poſt ſcientiam conditionatam idem decretum Dei abſolutum, & efficax, prædefiniens vt velimus hoc determinatè, & non aliud oppoſitum, & tamen vt velimus liberè, quia tunc hoc decretum, præſupponens ſcientiam conditionatam, conſequenter, & multò magis præſupponeret liberum noſtræ voluntatis vſum, qui eſt obiectum antecedens ipſammet ſcientiam conditionatam, vt ſupra art. 8. num. 58. ac proinde non poſſumus illi reſiſtere impotentia, & neceſſitate conſequente tantùm, quæ ſtat cum operandi libertate. In illa igitur quarta reſponſione prædeterminatio præcedens ſcientiam conditionatam, perperam vocatur, *fortis, & ſuauis*: ibi enim ſolùm viget ſumma ſtrictiſſimæ neceſſitatis fortitudo abſque vlla ſuauitate libertatis. At verò prædefinitio poſt ſcientiam conditionatam rectè dici poteſt *fortis, & ſuauis*, omnéſque liberos effectus, & fortiter attingere, & ſuauiter diſponere; quia ita vult eos fieri à voluntate, vt implicet contradictionem non fieri, & hoc modo attingit eos fortiter; tamen quia vult fieri decreto præſupponente liberum vſum voluntatis conditionaliter futurum, & vt taliter antea præſcitum, ac proinde futurum liberè, cum antecedente potentia ad non futurum, attingit eos ſuauiter, iuxta naturalem exigentiam, & modum operandi cauſæ ſecundæ liberæ. Quam ſuauitatem, prædeterminationi repugnantem, mirum in modum exprimunt verba S. Thomæ citata ſupra in fine num. 108. Denique aduertendum eſt, hanc quartam reſponſionem contradicere primæ, & ſecundæ, quia ſi per decretum prædeterminans habetur etiam modus operandi liberè, hoc eſt, cum potentia ad oppoſitum, ergo ex ſuppoſitione talis decreti, & in ſenſu compoſito cum illo, fieri poteſt oppoſitum, abſque vlla neceſſitate, neque ſimpliciter, neque ſecundum quid, ſicut quia in noſtra ſententia modus operandi liberè habetur verè ex alio Dei decreto indifferente, ideo ex ſuppoſitione, & cum compoſitione illius, voluntas faciens hoc poteſt facere contrarium, ſine neceſſitate tam præcedente, quàm ſequente.

*Gonzalez.*

*Quomodo ex efficacia diuinæ voluntatis habeatur modus liberè operandi.*

*S. Thomas.*

*Implicat haberi modum liberè operãdi ex decreto prædefiniente ante ſcientiã conditionatam, non autem poſt.*

*Præfinitio poſt ſcientiã conditionatã, & non ante, dici poteſt fortis, & ſuauis.*

*Quartam reſponſionẽ contradicere primæ, & ſecundæ.*

## PVNCTVM VII.

### *Contraria argumenta diſſoluuntur.*

### SVMMA.

1. *Soluuntur argumenta Aluarez à num.* 404. *ad* 423.
2. *Soluuntur argumenta Gonzalez diſp.* 44. *ſect.* 3. *à num.* 423. *ad* 431.
3. *Soluuntur alia Gonzalez argumenta ducta ex Auguſtino, Proſpero, Hilario, à num.* 431. *ad* 438.
4. *Soluuntur alia aduerſariorum argumenta à numero* 438. *ad* 447.

DIligenter, ac fideliter referam omnia aduerſariorum motiua, vt ex facillima, clariſſimáque eorum ſolutione, firmitas noſtræ ſententiæ magis, ac magis eluceſcat: præcipuè afferam quæ habent Aluarez, & Gonzalez, qui omnium poſtremi, totis viribus ſententiam noſtram dilacerare, ac funditus perdere conati ſunt. 404.

### *Argumenta Aluarez.*

In lib. 2. de auxiliis diſp. 7. & lib. 1. reſponſionum cap. 1. à num. 8. obiicit primò in d. 7. citata num. 8. Auguſtinum de bono perſeuerantiæ c. 14. quem locum explicamus ſupra num. 322. & pro noſtra ſententia adducimus num. 323.

Obiicit ſecundò ibidem in num. 10. alia loca Auguſtini, & iiſdem pene verbis ſequutus eſt Cantarellus quæſt. 22. concluſione 4. & primò illud epiſt. 105. multò poſt principium, vbi inquit Auguſtinus, *Ne quiſquam exiſtimet, credentes ſic ad Dei præſcientiam pertinere, quomodo non credentes; id eſt, vt non eis fides ipſa deſuper daretur, ſed tantummodò voluntas eorum prænoſceretur.* His verbis Auguſtinus, inquit Aluarez, *non obſcurè docet, ante decretum, quo ſtatuit donare fidem credentibus, non præſcire Deum, qui eſſent in eum credituri.* Secundò, quid ſimile ex l. de prædeſtinatione Sanctorum c. 17. vbi docet Auguſtinus, *Non propterea elegit nos, quia præſciuit Deus credituros, ſed quia facturus fuerat ipſe credentes.* Tertiò quæ ex Nauarrete ſupra n. 240. propoſuimus contra præſcientiam cõditionatam ſimpliciter: & afferuntur etiam à Gonzalez d. 45. n. 11.

*Arguit ex Auguſtino primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

Gonzalez.

Reſpondetur ad primum, & ſecundum, non eſſe ad rem: quia, vt notaui ſupra num. 244. & antea in n. 230. & his locis apertè refert ipſemet Auguſtinus, reiicitur, non præſcientia ſimpliciter, ſed præſcientię applicatio facta à Pelagianis, nempe, quòd daretur gratia propter merita facta vi ſolius liberi arbitrij à Deo præſcita ante decretum dandi gratiam: ſed contra ab Auguſtino prius ponitur gratuitum, & miſericordioſiſſimum decretum dandi gratiam, vt vi illius gratiæ eſſent actus liberi meritorij: quod decretum nõ negamus præcedere actus noſtros liberos ſupernaturales, tum abſolutè, reſpectu actuum abſolutè futurorum; tum conditionatè, non ſolùm ex parte obiecti, ſed etiam ex parte ipſiuſmet diuinæ voluntatis, reſpectu actuum conditionatè futurorum: v. g. præſcit Deus, quòd ſi Petro daret, ſeu decerneret dare talem gratiam, Petrus eliceret actum fidei. Noſtra autem diſputatio non eſt de hoc decreto, quod ſupra dub. 14. vocauimus decretum conditionis, & prærequiri probauimus, non realiter, ſed mentaliter, ad omnem conditionatam præſcientiam: ſed de alio decreto longè diuerſo, quod ibi vocauimus decretum connexionis, quo, præter decretum dandi quamcumque gratiam, & quamlibet aliam conditionem antecedentem, contendunt aduerſarij prædeterminari voluntatem ad vnam aliquam determinatam indifferentiæ partem; de quo decreto nihil prorſus in Auguſtino locis citatis. Nam eſto ex illis colligi poſſit decretum prædefiniens fidei actum abſolutè futurum, ante abſolutam viſionis ſcientiam de illo actu abſolutè futuro, quam præfinitionem nos vltro fatemur, & probabimus infra in materia de prædeſtinatione: tamen nulla ratione colligi poteſt decretum prædefiniens actum fidei conditionaliter futurum, ante præſcientiam conditionatam illius actus.

*Gonzalez. Ad primum, & ſecũdum.*

*Ad tertium.* Ad 3. multa diximus ſupra à num. 244. ad 248. Quibus certò conſtat, non probari decretum prædeterminandi, ſed potius impugnari ipſam ſimpliciter præſcientiam Dei conditionatam, quam ipſimet Aluarez, Gonzalez, Cantarellus non negant. Et ideò ea loca affert Nauarrete ſupra n. 244. pro ſua ſententia de negatione huius præſcientiæ formaliter in Deo: eáque ibidem mihi explicanda eſſe duxi, vt defenderem præſcientiam conditionatam ſimpliciter, non autem vt defenderem præſcientiam conditionatam ante decretum: quare ad hoc ſecundum impugnandum inſufficienter afferuntur ab aduerſariis.

Obiicit 3. in eadem d. 7. n. 11. fin. bimembrem ſcientiæ diuiſionem: de qua re ſatis, ſuperque dictum eſt ſupra à n. 347. ad 355. & alia ad pleniorem doctrinam, & explicationem addam infra, dub. 20.

405. Deinde à n. 12. incipit obiicere rationes. Prima ratio, quæ iiſdem pene verbis legitur in Cantarello q. 22. concl. 2. *Deus ante omne decretum ſuæ voluntatis non ſcit, quot homines, vel angelos eſſet producturus, ſi crearet alium mundum, ergo ſimiliter ante idem decretum non ſcit, quot actus, vel quales eſſet producturus quilibet homo, ſi crearetur, & conſtitueretur in tali ordine rerum.* Huius argumenti conſequentiam fusè, & bene probat Aluarez, antecedens verò non probat, ſed ſolùm ſumit illud vt conceſſum à quibuſdam aſſertoribus ſcientiæ mediæ: ex quibus tamen multò plures ſunt, qui illud negant: & nos ſupra, n. 260. cum Fonſeca, Suarez, Vazquez, & Arrubal, probauimus eſſe omnino negandum, vbi etiam ſoluimus tres rationes, quibus Cabrera illud probare conatus eſt.

*Prima ratio contraria.*

*Reſpondetur ex dictis.*





### *An futurum contingens habeat veritatem determinatam.*

Secunda ratio. *Ex Ariſtotele* 1. *Periherm. cap.* 8. *propoſitiones de futuro contingenti ſecundum ſe non habent determinatam veritatem, nec falſitatem: aliàs tolleretur contingentia; quia contingens, in quantum contingens, ſe habet omnino indifferenter ad vtrumlibet, ergo ante decretum prædeterminans voluntatem ad alteram partem contradictionis, non eſt ſcibile, quid faciet homo, ſed ſolùm, quid poſſet facere,* idemque argumentum proponit iterum diſp. 13. concl. 2. probatione prima, ſecunda, & tertia. 406.

*Secunda ratio contraria ex Ariſtotele.*

Reſpondeo, hoc argumentum procedere tam de futuris conditionatè, de quibus nunc diſputamus, quàm de futuris abſolutè, de quibus ſupra. Igitur eo loco in n. 8. diſtinguendo cum S. Thoma diximus, illas propoſitiones, ſi ſpectentur vt enunciant futurum contingens ſecundum eſſe, quod habet in cauſa, nec eſſe determinatè veras, nec determinatè falſas: quia futurum contingens, ſi conſideretur, inquit S. Thomas hîc, *vt eſt in ſua cauſa, conſideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum; quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita.* Si verò ſpectentur vt enunciant futurum contingens ſecundum eſſe, quod habet in ſe ipſo, eſſe vel determinatè veras, vel determinatè falſas: quia futurum contingens, ſi conſideretur, inquit ibidem S. Thomas, *in ſeipſo, ſecundum quod iam in actu eſt, non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens; neque ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum.* Ex hac diſtinctione antecedentis, quæ, cũ expreſſiſſimè ſit S. Thomæ, à vero Thomiſta negari non poteſt, patet falſam eſſe conſequentiam, imò oppoſitum planè deduci. Si enim *cauſa contingens, vt contingens, non eſt determinata ad vnũ, ſed ſe habet ad oppoſita,* ergo poſt decretum prędeterminans voluntatẽ, ac proinde tollens rationem cauſę contingentis, vt contingentis, cum omnis indeterminatio ad oppoſita, tollatur per prædeterminationem ad vnum, nihil omnino ſcibile eſt de futuro contingente; quia deſtructa ratione futuri contingentis, implicat de illo aliquid ſcire; quod enim non eſt, implicat de illo ſcire, quòd ſit: idque clarius conuincitur ex verbis ipſis Aluarez. *Si,* inquit, *propoſitiones de futuro contingenti haberent determinatam veritatem, aut falſitatem, tolletur contingentia:* ſed per decretum prædeterminans illæ propoſitiones habent determinatam veritatem, aut falſitatem, ergo per decretum prædeterminans tollitur contingentia. Neque dici probabiliter poteſt, tolli contingentiam per determinationem habitam ab ipſa cauſa ſecunda contingente, non autem per determinationem habitam à cauſa prima prædeterminante; ſed potius probari poteſt contrarium: tum quia determinatio habita à cauſa ſecunda eſt in effectu, non in cauſa; determinatio verò habita à cauſa prima, eſt etiam, & præcipuè in cauſa; vnde de illo decreto ait ipſemet Aluarez, *prædeterminare voluntatem*: cum contingentia autem, quæ eſt intrinſecè in cauſa, & ſolùm eſt in effectu per determinationem extrinſecam à cauſa, pugnat denominatio in cauſa, non in effectu. Tum quia maximè libera eſt voluntas diuina, quæ tamen non prædeterminatur ab alio, ſed ſolùm à ſeipſa per innatam ſuam indifferentiam, atque libertatis indeterminationem. Tum quia ferè ex terminis ipſis manifeſtum eſt, ad libertatem eſſentialiter, vel ſaltem multò magis ſpectare, ſi tu te determines ad id, quod tibi libet

*Reſpondetur propoſitiones de futuro cõtingenti eſſe determinatè veras vel falſas in vno ſenſu, non in alio.*

*S. Thomas.*

*Retorquetur obiectio.*

*Arguitur cõtra Aluarez ex verbis ipſius.*

*Quomodo differant, determinari à cauſa prima, & à ſeipſo.*

ex duobus oppoſitis, quàm ſi determineris ab alio ad id, quod illi libet; ergo vel ſolùm, vel ſaltem multò magis contingentiam tollit, prædeterminari à prima cauſa, quàm determinari à ſeipſo. Præterea rectè dicit Aluarez, *contingens, in quantum contingens, ſe habet omnino indifferenter ad vtrumlibet:* ſed per decretum prædeterminans apertè tollitur contingens, in quantum contingens, & indifferens ad vtrumlibet; ergo tollitur contingentia, atque indifferentia, quæ eſt libertas ipſa.

407.
*Aluarez inſtat primò.*
*Reſpondetur, futurũ contingens, eſſe determinatũ, non neceſſarium.*

Contra hæc inſtat primò Aluarez, *ſi propoſitio eſt determinatè vera, ergo neceſſariò vera.* Sed ex dictis facillima eſt reſponſio; nam propoſitio eſt vera determinatè, determinatione tenente ſe ex parte effectus tantùm, non ex parte cauſæ; ſic etiam eſt vera neceſſariò, neceſſitate tenente ſe ex parte effectus tantùm, in ſeipſo conſiderati; non autem neceſſitate tenente ſe etiam ex parte cauſæ, & conſequenter, tenente ſe ex parte effectus, conſiderati in ordine ad cauſam. Hæc autem determinatio ſeu neceſſitas ex parte effectus non contradicit libertati, ſed ſolùm ex parte cauſæ: quia operari liberè, non eſt operari indeterminatum, quicquid enim fit, ſiue à cauſa ſecunda, ſiue prima, ſiue à cauſa neceſſaria, ſiue libera, neceſſe eſt ſingulare, ac determinatum aliquid in ſe eſſe; ſed eſt operari determinatum cum potentia indeterminata, completa tamen ad operandũ vtrumlibet ex duobus oppoſitis.

*Quæ determinatio repugnet libertati.*

408.
*Inſtat ſecundò.*

Inſtat ſecundò, quia *nulla eſt maior ratio, propter quam voluntas ſi conſtituatur in talibus circumſtantijs, ſit operatura hoc, potius quàm oppoſitum; cum adhuc in illis circumſtantijs poſita, indifferenter omnino ſe habeat ad vtrumque*; & eodem modo arguit Zumel tom.1. variarum diſp.pag.124. §. *Præterea.*

*Reſpondetur, in cauſa libera maiorem rationẽ operandi nõ eſſe aliam, præter libertatem ipſam.*

Reſpondetur ab eo, qui rectè ſentit de libertate, non eſſe in potentia libera, qualitercumque diſpoſita, modò remaneat libera ad liberè operandum, requirendam aliquam maiorem operandi rationem, cum ad operandum applicatur, præter ipſammet libertatem. Vnde poſita omnimoda operandi æqualitate in duobus, quorum nihilominus alter conſentit, alter diſſentit, *Quid aliud apparet,* inquit Auguſtinus lib.12. de ciuit. cap.6. circa finem, *niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe?* Vbi pro maiori ratione nihil aliud affertur, neque afferri poſſe putatur, niſi ſola libertas, vt expreſsè docuit Marſilius verbis citatis ſupra num. 307.fin. & Gabriel num.309.fin.

Auguſtin.
Marſilius.
Gabriel.

*Inſtat tertiò.*

*Hæc reſponſio non valet,* inquit Aluarez, *quia licèt voluntas ſit cauſa proxima ſe mouens, & determinans ad particularem operationem, non tamen poteſt eſſe prima radix ſimpliciter, nec prima cauſa ſuæ determinationis:* & affert pro ſe S.Thomam infra q.19.art.3, ad 5. & tandem ita arguit, *Contingens, in quantum contingens, ſe habet omnino indifferenter ad vtrumlibet: ergo neceſſariò eſt aſſignanda alia prior cauſa, propter quam voluntas creata ſit determinatè volitura hoc, potius quàm oppoſitum,* &c. idémque argumentum repetiit lib.1.reſponſionum cap.1.num.10.& 11.

*Reſpondetur, declarando modum, quo cauſa ſecũda ſe determinans, pẽdeat à cauſa prima.*

Reſpondeo, ſi prima radix, & prima cauſa, ſignificat radicem, ſeu cauſam independentem ſimpliciter à prima cauſa, vt ſonant verba, illud aſſumptum eſt veriſſimum, quia cauſa ſecunda ita ſe determinat, vt tamen eſſentialiter in hoc pendeat à decreto primæ cauſæ indeterminato, atque indifferente, parato nimirum ad concurrendum ad id ad quod ſe determinauerit cauſa ſecunda libera, iuxta naturam illius: ſi verò ſignificat radicem, ſeu cauſam independentem à prima cauſa, vt prædeterminante, quod ſolùm intendere debet Aluarez, id verò eſt quod falſiſſimum eſſe putamus; licèt non ſit vtendum illis verbis, quæ ſenſum falſum, vt dixi, propriè ſignificant. Neque vrget S.Thomas: quamuis enim ibi dicat, *cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam:* tamen ex ipſo quinto argumento, vbi non eſt vox *determinandi*, ſed, *inclinandi*, & ex doctrina totius articuli, manifeſtum eſt, nil aliud velle, niſi voluntatem creatam inclinari, & moueri ab obiectis ſibi extrinſecis, cum in illa liberè fertur: voluntatem verò increatam inclinari, & moueri à propria natura: quicquid enim extra ſe amat Deus, ideo amat, quia amat ſuam bonitatem, circa quam neceſſariò fertur: quæ doctrina, vt patet, nihil facit ad propoſitum. Ad vltimam rationem, neganda eſt conſequentia, vt ſupra, & præcipua deceptio ſimilium obiectionum mihi videtur, quia ita concedunt cauſam liberam eſſe indifferentem ad vtrumlibet, vt tamen negent eſſe completam, & ſufficientem ad vtrumlibet; ſed cum eſt completa, & ſufficiens, & conſequenter ſecundum ipſos, prædeterminata ad vnum, tunc non eſſe contingentem, & indifferentem ad vtrumlibet: quod quantum diſtet à veritate creatæ libertatis nemo non videt: ſic enim planè negatur cauſa completa, & ſufficiens ad operandum, eſſe cauſa libera, hoc eſt, contingens, & indifferens ad vtrumlibet; & libertas, ſiue indifferentia, ponitur ſolùm in cauſa quando non habet omnia neceſſariò prærequiſita ad operandum; numquam verò quando habet hæc prærequiſita, quia inter alia prærequiſita ponitur efficaciſſima diuini decreti prædeterminatio ad vnum, qua omnino impeditur liber vſus potentiæ liberæ, hoc eſt, indifferentis ad vtrumlibet. Quos duos conceptus, & indeterminationis, & complementi ad duo oppoſita, optimè expreſſit Mayronus 1. d. 38. q. 1. art.1. difficultate tertia, vbi loquens de cauſa contingente in eo inſtanti, in quo contingenter agit, ſic habet. *In inſtanti temporis ſunt duo ſigna naturæ: in quorum primo intelligitur agens indeterminatum ad alteram partem contradictionis, potens tamen in quodlibet, in ſecundo autem intelligitur determinatum.*

*Exponitur locus S.Thomæ 1.p. q.19. art.3.ad 5.*

*Quomodo cauſa libera ſit indifferens ad vtrũlibet.*

*Oſtenditur ex doctrina Mayroni.*

## *An voluntas libera determinetur à ſe ipſa.*

409.
*Tertia ratio contraria.*

Tertia ratio, quam ſequitur Cantarellus q. 22. concl.4.ratione 2. Præſcientiæ conditionatæ ante decretum, *nulla apparet neceſſitas, vel vtilitas.* Hæc enim maximè eſſet, vt patet ex dictis, & infra in propria dubitatione probabitur, ad concordandam libertatem cum infallibilitate diuinæ prouidẽtiæ, prædeſtinationis, & gratiæ efficacis. Quæ tamen concordia non habetur ex illa præſcientia, quia ex illa ſequitur, *bonum vſum liberi arbitrij, tandem vltimatè reducendũ eſſe ad aliquid naturale.* Quam conſequentiam falſam probat, quia non reducitur *ad aliquod decretum diuinæ voluntatis prædeterminantis,* vt concedimus; *nec in auxilium gratiæ, quia hoc non præmouet efficaciter voluntatem ad alteram partem, ſed eam indifferentem relinquit; nec in voluntatem ſub illo auxilio conſtitutam, quia adhuc manet indeterminata, & indifferens ad oppoſita; nec in obiectum; nec in priorem alium actum.*

*Reſpondetur, explicãdo ad quid reducatur futurus actus liber ſupernaturalis.*

Reſpondeo futurum actum liberum ſupernaturalem, vt futurũ abſolutè infallibiliter, reduci tum ad Dei decretum efficax, non quidem prædeterminans ante ſcientiam conditionatam, ſed ſolùm prædefiniens poſt ſcientiam conditionatam; tum etiam



etiam in auxilium efficax, præmouens omnino infallibiliter, non tamen prædeterminans: vt futurum liberè, reduci tum in cauſam primam, ſuo decreto indifferente, & indeterminato paratam concurrere ad quamcumque partem ex duabus oppoſitis; tum in cauſam ſecundam, non prædeterminatam ad vnam partem, ſed completè, ac proximè agentem cum indifferentia ad vtramlibet: vt futurum ſupernaturalem, reduci non in potentiam liberam naturalem, ſed in alia ſupernaturalia principia diuinæ voluntatis, & gratiæ, & obiecti ſupernaturalis: vt futurum conditionatè, non reduci in aliquod decretum abſolutè, & in actu poſitum, ſed reduci tum in conditionatum decretum dandi gratiam, & in ipſam gratiam conditionatã, vnde habetur ſupernaturalitas; tum in aliud conditionatum decretum concurrendi ad oppoſita, & in voluntatem ipſam ad oppoſita ſe habentem, vnde habetur libertas; tum in ipſammet ſcientiam conditionatam, vnde habetur infallibilitas conditionata; & conſequenter abſoluta poſt purificatã conditionem. Hæc omnia vel ſuperius probata ſunt, vel probanda inferius, vel ex aliis locis ſupponenda, & ideo breuiſſimè ſignificata; ſed clarè oſtendunt, quàm falsò dictum ſit, ex præſcientia ante decretum prædeterminans, ſequi, vſum liberum eſſe reducendum ad aliquid naturale.

*Refertur, & ſoluitur inſtantia Aluarez.*

Inſtat Aluarez, quia, ſi, vt diximus, *voluntas ex ſe haberet hanc facultatem, quòd poſſit ſe determinare, & determinet ad alteram partem, quæ ſibi placuerit,* ſequeretur quòd *eſſet determinata per naturam ad vnum.* idémque deducit lib.1.reſponſionum, cap.1. num.11. Huius ego ſequelæ vim capere minimè poſſum: nam ex eo quòd voluntas habeat naturam, qua poſſit ſe determinare ad vtrumlibet ex duobus oppoſitis, videtur nimis apertè ſequi contrarium, nempe, voluntatẽ per naturam ſuam non eſſe determinatam ad vnum. Præterea ſi cenſetur abſurdum præiudiciale libertati, voluntatem eſſe determinatam per naturam ad vnum; cur non idem abſurdum erit, voluntatem eſſe ad vnum prædeterminatam per Dei decretum efficax, quod multò magis efficax eſt ad determinandam voluntatem ad vnum, quàm ipſamet creata natura?

410.
*Tertia ratio iterum inculcatur.*

Eamdem tertiam rationem repetit Aluarez l.1. reſponſionum cap.1.num.15.contendens, ex præſcientia futurorum conditionalium ante decretum, ſequi, illa cognoſci, *vt ex ſe omnino neceſſaria; vel reuocanda eſſe in aliam cauſam extrinſecam, infallibiliter determinantem voluntatem hominis.* Confirmat exemplo de duabus voluntatibus, v.g. Petri & Pauli, omnino æqualiter applicatis, & indifferentibus; quarum vnaquæque in priori ſigno ſub eſſe poſſibili cognoſcatur poſſe conſentire, & diſſentire; ſed in poſteriori ſigno ſub eſſe futuro conditionali præuideatur altera conſenſura, altera diſſenſura; quærit, *vnde prouenire poſſit hæc diuerſitas?* non, inquit, *ex ipſis voluntatibus, cum ſint æquè indifferentes de ſe.*

*Confirmatur.*

*Reſpondetur cum Suarez.*

Reſpondet optimè Suarez tomo 1. de Gratia, prolegom.2. cap. 9. num.10. neutrum ſequi. Non primum, quia futurum contingens, quamquam in ſe ipſo conſideratum, eſt determinatum ad vnum, & conſequenter, quid aliquo modo neceſſarium, *& propter hoc, ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni*, vt docet S.Thomas hîc; tamen conſideratum per ordinem ad cauſam ſuam, *nondum eſt determinatum ad vnum, ſed ad vtrumlibet contingens,* inquit idem S.Thomas. Nos igitur illum ſequentes, ſaluamus infallibilitatem diuinæ ſcientiæ de futuro effectu contingente, ac libero, per determinationem in ipſo effectu ſecundum ſe. Saluamus quoque contingentiam, ac libertatem operandi, per indeterminationem in cauſa. Qui verò admittunt decretum prædeterminans, quo ipſamet cauſa maximè prædeterminatur ad vnum, operandi libertatem ſaluare nullo modo poſſunt. Non ſecundum, quia voluntas humana dum liberè operatur, quamuis indigeat concurſu Dei parato, per decretum ſuum conditionatũ ex parte obiecti, ad vtramque partem oppoſitionis, vt in ſuperioribus ſæpè explicaui; tamen non indiget diuino decreto, aut aliqua alia extrinſeca cauſa prædeterminante; imò huiuſmodi prædeterminationẽ ſuſtinere minimè poteſt, ſalua libertate. Ad exemplum dico cum eodem Suarez, illam diuerſitatem prouenire ex ipſis voluntatibus liberis. Neque in contrarium rectè arguitur, quòd illę voluntates, *ſint æquè indifferentes de ſe.* Nam hæc indifferentiã, quæ eſt propria libertatis, non eſt indifferentia cum inſufficientia ad operandum, vt imaginantur aduerſarij ſup. n.408. fin. ſic enim non eſſet indifferentia ad vtrumlibet, nam quis quæſo concipiat, ſe indifferentem ad faciendum vtrumlibet, ſiue, quod ſibi libet ex duobus, ſi ad neutrum faciendum ſe ipſo ſufficiens eſt; & dum facit vnũ cum ſufficientia ad illud faciendum, habet quidem indifferentiã, tamen non habet ſufficientiam ad faciendum alterum? Igitur propria libertatis indifferentia eſſe debet cum ſufficientia in actu primo completa ad vtrumlibet. Habito autem hoc veriſſimo, & communiſſimo conceptu indifferentiæ, ac libertatis, facillimum eſt intelligere, illam diuerſitatem oriri ex huiuſmodi indifferentia: ſicut enim ex hac naſcitur, vt quælibet illarum voluntatum, per ſe conſiderata, contingenter præuideatur conſenſura, aut diſſenſura, cum facilè præuideri potuerit oppoſitum; ita pariter, vt vna præuideatur conſenſura, altera diſſenſura.

*Qua ratione poſſit futurũ ſciri certò eſſe contingens.*
S.Thomas.

*Ad cõfirmationem.*

*Qualis ſit indifferentia quam importat libertas.*

*Diuerſitas duarum voluntatum æqualiter ſe habentium naſcitur ex indifferentia libertatis.*

411.

Hanc Suarez ſolutionem refert, & impugnat Aluarez ſupra num.16. & 17. ſed repetit quæ non ſemel in ſuperioribus ſoluta, & confutata ſunt. Hîc etiam bis addit, quod reiectum breuiter eſt ſupra num. 399. circa finem, ſed quia eſt præcipuum aduerſariorum effugium, iuuabit iterum commemorare, *Voluntas ex ſua facultate intrinſeca, & indifferentia, non habet quòd ſe determinet ad vnam partem; ſed ſolum, quòd poſſit ſe determinare ad quam maluerit partem.* quod repetiit lib.1. reſponſionum cap.1.n.11. Hæc diſtinctio dici verbis poteſt ad fugam difficultatis, ſed non intelligi ad aſſequutionem veritatis, ex duplici capite; altero generali, altero particulari. Generali quidem, quia nouum, & hactenus inauditum eſt in bona Philoſophia, id, quod eſt ratio vt poſſis facere, non eſſe rationem vt facias: hoc enim euidenter apparet falſum, tum inductione vniuerſaliſſima, qua certò conſtat, vnde habetur potentia ad actum, inde etiam haberi actum, v. g. anima ex intellectu habet vt poſſit intelligere, ex voluntate vt poſſit amare, ex ſenſu vt poſſit ſentire, &c. & ex iiſdem radicibus habet vt actu intelligat, velit, ſentiat, &c. Elementa ex primis qualitatibus habent vt poſſint agere in contrarium, & illi reſiſtere; & ex leuitate, & grauitate vt poſsint ſeſe mouere ad proprium locum; & inde quoque habent actu agere, reſiſtere, ſe mouere; & idem in reliquis omnibus: ergo etiam, ſi voluntas ſua facultate intrinſeca, & indifferentia habet poſſe ſe determinare, ex eadem actum ſe determinandi habeat neceſſe eſt, tum ratione à priori, quia actus, & potentia ſunt eſſentialiter correlatiua, ita vt ſit prorſus inintelligibile, eſſe potentiam, & non eſſe principium actus;

*Volũtas ſi ex ſe habet poſſe ſe determinare, non poteſt aliunde habere actualẽ determinationem, cõtra Aluarez.*





actus;

actus; item eſſe actum, & non principiari à potentia, ergo ſi ex indifferentia habet voluntas vt ſit potentia, & principium ſe determinandi, ex indifferentia habebit quòd ſe determinet; ergo non ex alia cauſa prædeterminante. Item, ſi actu ſe determinare, non habet voluntas ex indifferentia ſua intrinſeca, ſed aliunde, v. g. decreto Dei, ergo potentia ſe determinandi non habetur ex indifferentia, ſed ex decreto. Particulari autem, quia voluntatem poſſe ſe determinare ad quam voluerit partem, eſt poſſe liberè agere: ergo ſe determinare, eſt liberè agere: ſed, vt conceditur, *voluntas ex ſua facultate intrinſeca non habet, quòd ſe determinet*; ergo voluntas ex ſua facultate intrinſeca non habet, quòd liberè agat; quod ſanè à liberis, & fidelibus creaturis ferri non poteſt. Confirmatur à contrario, cauſa neceſſaria nullam aliam ob cauſam ex ſua natura non habet, ſe determinare ad vnum, niſi quia ex natura ſua non habet, poſſe ſe determinare ad vtrumlibet: quæ enim alia cauſa fingi poteſt? ergo ab oppoſito, ſi cauſa libera conceditur, ex natura ſua habere, poſſe ſe determinare ad vtrumlibet, concedi conſequenter debet, habere etiam ex natura ſua, actu ſe determinare ad vnum. Idem videre eſt in primo libero: Deus enim habet, & poſſe ſe determinare reſpectu obiectorum ad extra, & conſequenter, ſe actu determinare: eáque ſimul habet, ex eo eſſentialiter quòd liber eſt, non ex eo quòd primus liber eſt; quia ex hac primitate habet ſolùm, quòd poſſit ſe determinare, & ſe determinet independenter ab alia ſuperiori cauſa cooperante; & independentiam ab alio prædeterminante, habet eſſentialiter ex præciſo conceptu libertatis, in quo analogicè conuenit cum creatura libera. Is igitur qui fatetur, cauſam ſecundam liberam poſſe ſe determinare ad quam maluerit partem, negat verò, ſe determinare, nec integrè, nec cohærenter tuetur cauſam creatæ libertatis.

*Confirmatur exemplo primi liberi.*

412. Tandem Aluarez ita arguit contra eamdem ſolutionem Suarez, in caſu poſito de duabus voluntatibus Petri, & Pauli, *liberum arbitrium in vtroque eſt æquale, & vtrique commune: ex his autem quæ communia ſunt duobus, oriri non poteſt differentia inter vtrumque, vt expreſsè docet S. Auguſtinus agens de hac eadem materia lib. de prædeſtinatione Sanct. cap. 5.*

Reſpondetur, in eo caſu liberum arbitrium eſſe commune ſpecificè, non numericè: ex duobus autem liberis arbitriis, numero diſtinctis, licèt æqualibus in omnibus ad liberè agendum prærequiſitis, oriri facilè poſſe differentiam in agendo, nullam aliam ob cauſam, niſi quia, poſitis omnibus prærequiſitis, adhuc vnumquodque illorum ad agendum comparatur cum potentia ad oppoſita, & cum libertate, atque indifferentia ad vtrumlibet: vnde oriri poteſt vt ex duobus oppoſitis ab vno libero arbitrio eligatur hoc, ab alio illud, nulla prorſus præintellecta extrinſeca prædeterminatione: non lego autem Auguſtinum loco citato de hac materia expreſsè agentem, vt dicitur, nec quidquam dicentem, vnde contrarium deduci aliqua ratione poſſit; quod quiuis ex ſe videre facilè poterit. Certè de hac materia agit in terminis lib. 12. de Ciuit. cap. 6. & in ſumma æqualitate differentiam in nullam aliam cauſam prædeterminantem reducit, ſed ſolùm in libertatem arbitrij ſeſe determinantis, vt ſupra num. 408. & loco, ac verbis citatis ſupra num. 156. ipſam actualem determinationem, & non ſolam potentiam ſe determinandi, apertè concedit ſoli libero arbitrio, etiam in operibus gratiæ.

*Libertatè, cæteris paribus, eſſe cauſam diuerſitatis.*

*Auguſtin.*

## *Ex dictis nihil ſequi contra efficaciam gratiæ, prædeſtinationem, & cauſalitatem Dei.*

Quarta ratio in citata d. 7. num. 16. quia ex noſtra ſententia, *videtur primò eneruari efficacia gratiæ. Secundò, dari ex parte noſtra ratio prædeſtinationis, vel ſaltem conditio ſine qua non.* Primum, de quo nobis hoc loco, & tempore non licet ſcribere, ait ſe infra probaturum: ſecundum fusè probat, & ſequitur Cantarellus q. 22. concl. 4. §. *Verum.* & ratione 2. ſed breuiter tota vis fit in hac ratione. In noſtra ſententia de ſcientia conditionata ante decretum, Deus per ſequens decretum prædeſtinationis, illud opus, & illo modo efficaciter prædefinit, eſſe abſolutè futurum, quod, & quo modo ante vllum decretum præuiderat eſſe conditionatè futurum, ergo ex parte noſtra datur prędeſtinationis ratio, vel ſaltem conditio ſine qua non: ſicut ſi inter homines pater habens duos filios, præuideret vnum filium benè vſurum mediis, quæ ipſe dare poteſt ad ſtudium, & alium malè vſurum, profectò ex hac præſcientia ſeu cooperatione præuiſa, rationabiliter moueretur ad vnum potius, quàm alium mittendum ad ſtudia, & ad dandum media vni tantùm. 413.

*Quarta ratio contraria.*

*Confirmatur exemplo.*

Reſpondeo ad primum, in gratia efficaci ex ſcientia media, eſſe infallibilitatem infinitè maiorem, quàm in gratia efficaci ex phyſica prædeterminatione inhærente; quia per illam ita habetur effectus, vt implicet contradictionem non haberi; nec Deus ipſe poteſt illi reſiſtere: per hanc verò futurus eſt effectus infallibiliter connaturaliter, non infallibiliter per implicantiam contradictionis, ſed abſolutè poſſet Deus illum impedire, ſicut effectum, v. g. calefactionis ab igne, quod ex aduerſariis expreſsè conceſſit Gonzalez hîc, d. 44. num. 8. & à nobis hîc ſupponendum eſt.

*Reſpondetur, infallibilitatē multò maiorem eſſe ex ſcientia media, quàm ex prædeterminatione inhærente.*

Gonzalez.

Ad 2. neganda ſimpliciter eſt conſequentia, quam non concedit Molina infra q. 23. art. 4. & 5. d. 1. membro 12. vt illi falsò imponit Cabrera tomo 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. §. 22. num. 360. de qua falſa impoſitione ipſemet Molina ibi conqueritur; quia illud, *ex parte noſtra*, ſignificat propriè in hac materia, aliquid naturale, per proprias, ac naturæ noſtri arbitrij liberi debitas vires effectum: in noſtra autem ſententia decretum prædeſtinationis nihil tale præſupponit, ſed ſolùm præſupponit opus liberum ſupernaturale, liberè, & conditionaliter futurum ex gratia. Quare propter nihil ex parte noſtra, neque tamquam propter rationem, neque tamquam propter conditionē, prædeſtinat Deus; ſed ſolùm prædeſtinat propter ſuam puriſſimam miſericordiam: licèt vt prædeſtinet, præſcire debeat prædeſtinandi modum, quo ſcilicet, ita fortiter per ſummam efficaciam vocet, vt ſimul etiam ſuauiter vocet, relinquendo conſenſum in libera poteſtate vocati: quod nulla alia ratione fieri poſſe putamus, niſi ante efficacē voluntatem vocandi, & prædeſtinandi, præſupponamus, Deum præſcire infallibiliter, quòd ſi huic daretur hæc vel illa vocationis gratia, cum hîs vel illis ſupernaturalibus auxiliis, hic reſponderet. Quæ etiā præſuppoſitio præuiſa ex gratia, neque eſt ratio, neque conditio motiua diuinę voluntatis, vt prædeſtinet: ſed tantùm directiua diuinæ volūtatis, per ſimplicē obiecti propoſitionē, vt debito, ſeu conuenienti, ac proportionato modo prædeſtinet. Quapropter præſcientia conditionata ante prædeſtinationem non eſt neceſſaria ex parte hominis prædeſtinati,

*Authores ſcientiæ mediæ nullā ex parte noſtra ponunt rationē prædeſtinationis.*

Molina.
Cabrera.



nimirū vt Deus præcognoſcat in homine merita, ex quibus moueatur ad illū prædeſtinandum; ſed ſolùm ex parte Dei prædeſtinantis, quatenus non poſſet prudenter, & certò eligere, & ordinare aliquem, vt infallibiliter conſequatur gloriam per actus liberos meritorios, eos abſolutè, & efficaciter prædefiniendo, niſi prius certò ſciret modum, quo id infallibiliter euenire poteſt. Quod, vt patet, ad diuinæ prædeſtinationis ſapientiam, ac prudentiam ita conducit, vt nihil omnino deroget illius liberalitati, ac miſericordiæ: quam ſolam ſpectarunt Patres, ac Scholaſtici, cum docuerunt, nullam ex parte noſtra dari diuinę prædeſtinationis rationem, aut conditionem ſine qua non. Cæterum, vt rectè obſeruarunt Suarez tom. 1. de gratia, prolegom. 2. c. 5. n. 17. & c. 9. n. 3. 7. Arrub. hîc, d. 45. n. 5. & conceſſit ipſemet Gonzalez d. 44. ſect. 2. concl. 4. & nos etiam obiter notauimus ſupra num. 239. fin. omnes tenemur ante actualem prædeſtinationis voluntatem, præconcipere in intellectu diuino aliquid ex parte noſtra, ſimpliciter loquendo, nempe noſtram cooperationem liberi arbitrij, non ſolùm vt poſſibilem, ſed etiam vt conditionaliter futuram. Nam in contraria quoque ſententia, antequam Deus prædeterminet, cooperationem noſtram conditionaliter futuram ex tali gratia, ſi daretur, neceſſe eſt vt in priori ſigno ſciat, quòd ſi prædeterminaret, cooperationem noſtram conditionaliter futuram ex tali gratia, illa cooperatio eſſet conditionaliter futura ex tali gratia. Et ſine hoc obiecto præſuppoſito in intellectu diuino, quod, vt patet, inuoluit aliquid ex parte noſtra, ſcilicet noſtrum conſenſum futurum conditionatè, non eſſet in poſteriori ſigno prædeſtinatio in diuina voluntate.

*via, præreguiratur ad prædeſtinationē.*

Suarez.
Arrubal.
Gonzalez.

Quare non vrget allatum exemplum de patre, quia is non præuidet, neque in ſua libera poteſtate habet alia media, quibus eſſet malè vſurus filius, qui aliis erat bene vſurus; & è contra, alius filius eſſet bene vſurus, qui aliis erat malè vſurus: ſicut Deus, vt docet Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio c. 26. *ſine dubio habet humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Vnde fit, vt Deus ex cooperatione vel non cooperatione conditionaliter præuiſa moueri non poſſit ad prædeſtinandum vnum potius, quàm alium; quia quem prædeſtinat præuiſum conditionaliter cooperaturum his mediis, præuidet etiam conditionaliter non cooperaturum aliis mediis: & contra, quem non prædeſtinat præuiſum non cooperaturum his mediis, præuidet etiam conditionaliter cooperaturum aliis mediis. Ex huiuſmodi igitur præuiſione nullam rationem congruam ex parte hominum habere poteſt Deus, vt hunc prędeſtinet potius, quàm non prædeſtinet, & è contra; & vt prædeſtinet hunc potius, quàm illum. Non ſic in patre humano, quia huiuſmodi poteſtatem in filiorum voluntates non habet.

*Reſpondetur ad exemplū.*

414. Inſtat Aluarez, *Nam eo ipſo, quòd ante omne decretum voluntatis diuinæ ſupponitur, Petrum ex ſua innata libertate eſſe conſenſurum Deo ex hypotheſi, quòd in tali ordine rerum conſtituatur; data illa hypotheſi, & ſecluſo quocumque alio, eſſet de facto cooperatio Petri; ergo talis cooperatio eximeretur à prædeſtinatione, & cauſalitate diuina; ac ſubinde aliquid maximè conducens ad vitam æternam, tribueretur naturæ pro innata eius libertate.* Idémque abſurdum infra iterum ex noſtra ſententia deducit, quòd ſcilicet, *libera cooperatio arbitrij non reduceretur in Deum, tamquam in priorem cauſam, efficientem, arbitrium noſtrum cooperari, ſed fundatur in arbitrij libertate innata.*

*Inſtantia Aluarez.*

Reſpondeo, noſtram ſententiam non ſatis explicari in antecedente, vbi in hypotheſi, nulla fit mentio neque diuinæ gratiæ, neque diuinę voluntatis ſupernaturalis, ſed ſolùm naturalis noſtræ libertatis. Itaque ante vllum abſolutum decretum diuinæ voluntatis, prædeſtinans, ac prædefiniens cooperationem noſtram liberam ſupernaturalem abſolutè futuram, nos in hypotheſi, ſub qua Deus præſcit, Petrum liberè cooperaturum, aſſerimus eſſe diſtinctè præconcipiendas tres conditiones. Prima eſt, ſi Petrus præmoueretur tali gratia. Secūda, ſi voluntas diuina faceret liberum decretum de danda Petro tali gratia efficaci. Tertia, ſi voluntas diuina faceret liberum decretum de concurrendo cum libero Petri arbitrio, præmoto, & informato tali gratia efficaci, ad quamcumque partem ex duabus oppoſitis liberum arbitrium Petri ſe determinauerit. Antecedente ita integrè conſtituto, & totaliter conceſſo, facillimum eſt videre prauitatem conſequentiæ; nam data hypotheſi, cooperatio non eximeretur à diuina cauſalitate, ſed ſubiiceretur prædictæ duplici voluntati cauſæ primæ, & conſequenter eius omnipotentiæ: nec aliquid conducens ad vitam æternam tribueretur ſoli naturæ liberæ, ſed naturæ liberę eleuatę per gratiam, & per diuinæ voluntatis liberalitatem, ac miſericordiam ordinatæ ad vitam æternam: & libera noſtra cooperatio maximè reduceretur in Deum, eiúſque gratiam, tamquam in cauſam primam, & ſupernaturalem, effectiuam illius cooperationis, non tamen ſine libero arbitrio, quia neque hoc ſolùm operatur, neque ſola gratia, *ſed gratia Dei mecum*, vt ait Apoſtolus 1. ad Cor. 15.

*Reſpondetur.*

*Exponuntur tres conditiones incluſæ in actu ſupernaturali conditionatè futuro.*

1. ad Cor. 15.

Denique ſi per prædeſtinationem intelligatur alius diuinæ voluntatis actus, à ſecunda conditione diſtinctus; quo ſtatim poſt ſcientiam conditionatam præfiniatur dare Petro gloriam, vel aliqua alia abſoluta, & efficax prædefinitio actus creati liberi, fatemur quidem huiuſmodi præfinitiones de facto dari, & quidem conuenientiſſimè, ad maiorem liberalitatem, ac miſericordiam voluntatis diuinæ, & ad magis declarandam illius efficaciam; tamen, vt optimè docent Suarez lib. 1. de prædeſtinatione c. 7. n. 21. Arrubal infra, d. 68. c. 2. non eſſe omnino neceſſarias, ita vt ſicut implicat, Petrum operari ſupernaturaliter, ſine Dei decreto dandi gratiam, & ſine decreto concurrendi ad oppoſita, ita etiam idem implicet ſine antecedente decreto efficaci, & abſoluto, & ad vnum determinato, quo in ſecundo ſigno rationis, poſt præſcientiam conditionatam, ante quodlibet aliud decretum, ſtatuat, Petrum operaturum talem actum liberum ſupernaturalem. hæc enim neceſſitas, ſiue impoſſilitas, nulla probabili ratione ſuaderi poteſt, vt Suarez ſupra à poſteriori efficaciſſimè probat ex actibus malis, non prædefinitis, & infra in proprio loco fuſius oſtendam. Qua neceſſitate negata, corruunt omnia argumenta, quæ contra ſcientiam conditionatam ante decretum prædeterminans facit Machin hîc, d. 34. ſect. 1. qui in tota hac controuerſia minus conſequenter proceſſiſſe videtur: nam cum admittat voluntatem creatam omnino antecedenter prædeterminatam ab extrinſeco Dei decreto, cui nullus reſiſtere poteſt, neque moraliter, neque phyſicè, neque metaphyſicè; eamdem deinde ad faciendum actum ſumma ratione prædeterminatum, non vult ab intrinſeco alia ratione eſſe prædeterminatam, niſi leuiſſima moralis prædeterminationis; negat enim contra Thomiſtas, per gratiam efficacem prædeterminari phyſicè voluntatem, ſed tantùm moraliter. Qua in re Thomiſtæ

*In quo ſenſu prædeſtinatio ſit, vel non ſit neceſſaria.*

Suarez.
Arrubal.

*Machin ſententia reijcitur.*

miſtæ congruentius philoſophati ſunt: quia maior prædeterminatio phyſica inhærens voluntati, eſt multò magis proportionata extrinſecæ prædeterminationi decreti Dei, quàm prædeterminatio moralis: nec contra phyſicam prædeterminationem facit aliquid, quod non multò magis faciat contra prædeterminationem decreti.

### *Explicatur neceſſitas obiecti ſcientiæ conditionatæ ante decretum.*

415. *Quinta ratio contraria.* Quinta ratio ibidem num. 17. *obiectum ſcientiæ mediæ non eſt ſcibile:* probat, quia *ante omne decretum diuinæ voluntatis non eſt aliqua neceſſitate neceſſarium;* quod etiam probat, quia ante decretum cauſa ſecunda eſt defectibilis, & impedibilis, ex qua nihil poteſt neceſſariò ſequi, ne neceſſitate quidem conſequentiæ, ſiue infallibilitatis. Confirmat verbis huius articuli, quibus docemur, effectus contingentes ſciri certò non poſſe in cauſis ſuis. Eodémque ferè modo arguunt Cabrera tomo 1. in 3. p. quæſt. 1. art. 3. d. 1. num. 347. Ripa hîc, dub. 4. cap. 3. poſt medium. Cantarellus quæſt. 22. concluſ. 1.

*Reſpondetur.* Reſpondeo, nego antecedens; ad probationem dico, illud obiectum non eſſe neceſſarium in cauſa, ſed in ſe ipſo eſſe neceſſarium, hoc eſt, quid determinatum, ac certum: & hoc ſatis eſſe ad ſcientiæ infallibilitatem. Neque alia probatio impugnat hanc ſecundam neceſſitatem, ſed tantùm primam: quamquam non rectè additur, ex cauſa defectibili, & impedibili non poſſe oriri neceſſitatem conſequentiæ. Nam à cauſa libera, quantumuis defectibiliter, & impedibiliter operante, oritur tamen operatio determinata; poſito autem quòd ab aliqua cauſa fiat aliquid determinatum in ſe, illud non poteſt non fieri, impoſſibilitate conſequentiæ, ſeu ſuppoſitionis conſequentis. Ad confirmationem, illam eſſe ſecundam partem doctrinæ huius articuli, quam nos non negamus, ſed verè negant qui cauſas ipſas contingentes ad oppoſita, prædeterminant ad vnum; qua determinatione ex S. Thoma deſtrui contingentiam, oſtendi ſupra num. 5. & tota dubitatione nona. Alia verò prima articuli pars, quæ ad rem maximè faciebat, miro ſilentio omittitur, vbi habemus, idem futurum contingens, quod, ſi conſideretur vno modo, *vt eſt in ſua cauſa, non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni*, conſideratum alio modo, *in ſe ipſo, ſecundum quod iam in actu eſt, infallibiliter ſubdi poſſe certæ cognitioni.* Non eſt igitur pro certitudine præſcientiæ Dei, requirenda in eius obiecto, quod eſt futurum contingens, alia neceſſitas, niſi illa, quam habet in ſe ipſo: alioquin alia neceſſitas in cauſa, quam ſolam probare contendit obiectio, cum ſit antecedens, pariet neceſſitatem non ſolius conſequentiæ, ſed etiam conſequentis, deſtructiuam libertatis, vt ſupra ex Anſelmo numero 401.

### *Quomodo futura contingentia conditionata pendeant à voluntate Dei.*

416. *Sexta ratio contraria* Cabreræ, Zumel. Ripæ. Cantarell. Machin, Gonzalez, Sexta ratio in num. 18. quæ lib. 1. reſponſionum cap. 1. num. 8. repetitur, & num. 9. vocatur *efficaciſſima*, eamque vſurpant Cabrera tom. 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. n. 352. & tom. 3. q. 62. art. 1. d. 12. §. 7. n. 164. & d. 13. §. 5. n. 63. Zumel hîc, art. 1. d. vnic. concl. 6. Ripa dub. 4. cap. 3. initio. Cantarellus ſupra. Machin d. 34. ſect. 1. concluſ. 1. non ſemel. Gonzalez d. 45. num. 48. vocans argumentum *validiſſimum, & grauiſſimum.* Nauarrete controuerſ. 56. §. 1. concluſ. 3. *Nauarrete.* Decretum Dei eſt prima, & vniuerſaliſſima cauſa efficiens, ergo ante illud nihil eſſe aut ſciri poteſt futurum. Reſponſum eſt ſupra num. 146. *Reſpondetur.* & num. 150. ex quibus, & aliis locis ſupra, dico breuiter, effectus liberos conditionatè futuros cauſari à præcedenti decreto Dei, conditionato non ſolùm ex parte obiecti, ſed ex parte actus, eoſdem abſolutè futuros cauſari ab eodem decreto abſoluto ex parte actus, ſed conditionato, & indeterminato ex parte obiecti; antecedente quidem liberam noſtram determinationem, ſecundùm quod conditionatum, & indeterminatum eſt, tamen concomitante, ſeu potius conſequente eamdem determinationem, ſecundum quod abſolutum, & determinatum eſt.

*Inſtat Aluarez primò.* Contra hanc doctrinam, ſatis, ſupérque in ſuperioribus declaratam, ac demonſtratam, inſtat Aluarez primò, quia decretum abſolutum præcedit effectum abſolutum; ergo decretum conditionatum præcedit effectum conditionatum. Reſponſum ſufficienter eſt ſupra n. 356. & 359.

*Inſtat ſecũdò.* Inſtat ſecundò. *Futurum conditionatum, adimpleta conditione tranſit in futurum abſolutè, ergo ſi ante decretum cognoſcit Deus futurum conditionatum, adimpleta conditione, antequam aliquid decernat de actu futuro, cognoſcet illum actum vt futurum abſolutè, independenter à ſuo decreto:* in quo argumento præcipuè fundatur Machin hîc, d. 34. ſect. 1. concluſ. 1.

*Reſpondetur.* Reſpondetur, nullam eſſe conſequentiam, quia conditio, quæ adimpleri debet, vt futurum conditionatum tranſeat in abſolutum, inter alia includit ipſum decretum Dei, quod purificari debet, & fieri abſolutum ex parte actus, vt habeatur diuinum decretum liberum, in actu poſitum, à quo, tamquam à cauſa prima, & vniuerſaliſſima, pendet eſſentialiter quilibet effectus cauſæ ſecundæ liberæ. De dependentia autem ab alio decreto abſoluto prædefiniente actus liberos, ante liberam creaturæ determinationem abſolutè futuram, dictum eſt ſupra num. 414. circa finem.

*Inſtat tertiò.* Inſtat tertiò. *Dato quòd noſtra opinio ſaluaret, ipſam operationem cauſæ ſecundæ pendere effectiuè ex decreto Dei, non tamen ſaluat, quòd ipſe influxus voluntatis creatæ, quo influit in actum liberum, dependeat effectiuè ex eodem decreto.* Quam diſtinctionem ego quidem non ſatis percipio; quia influxus, quo voluntas influit in actum liberum, idem prorſus eſt ac operatio, qua voluntas operatur actum liberum; ergo ſi ſaluamus, operationem pendere à decreto, non poſſumus non ſaluare, influxum pendere à decreto: vnde ipſemet arguens, verbis mox referendis, influxum vocat cooperationem. Sed quicquid ſit de hoc, probat Aluarez nos non poſſe ſaluare, influxum pendere à decreto. *Nam omnis cauſa efficiens debet præcedere ſuum effectum: ſed decretum non præcedit liberum influxum futurum, adimpleta conditione.* *Decretũ conditionatũ in cõditione incluſum præcedit effectũ.* Quam minorem falſam (quoniam ſicut conditio, ac proinde ipſum decretum conditionatum, in conditione eſſentialiter incluſum, præcedit influxum liberum conditionatè futurum, non adimpleta conditione, ita cohærenter, idem decretum, vt abſolutum ex parte actus, adimpleta conditione, præcedere debet eumdem influxum abſolutè futurum) ita probat, quia iuxta noſtram ſententiam, *Deus non ſtatuit, quòd voluntas influat, & cooperetur, priuſquam præuideret, ipſam ex ſua innata libertate eſſe cooperaturam ex hypotheſi: ergo ille influxus, formaliter loquendo, in quantum influxus voluntatis creatæ, non dependet effectiuè à Deo, ſed à ſola voluntate creata.*

Reſpon



*Reſpondetur.* Reſpondeo, negando conſequentiam, quia antecedens, vnde deducta eſt, ſupponit vnum falſum, nempe, influxum, quatenus influxum, à nullo alio decreto Dei poſſe pendere, niſi prædeterminante, quo ante conditionatam præſcientiam ſtatuat Deus quòd voluntas influat; cùm pendere poſſit, ac debeat ab alio decreto indifferente, quo ſtatuat, velle concurrere ad illum liberum influxum, ſi ad illum voluntas liberè ſe determinauerit.

417. *Inſtat quartò.* Inſtat quartò. *Sequeretur, iſtam cauſalem eſſe concedendam, quia voluntas creata vult influere in iſtum actum in ſingulari, Deus influit, & ita voluntas, & operatio humana, eſſet prior, voluntáſque, & operatio diuina poſterior, & pediſſequa eiuſdem voluntatis creatæ; ac per conſequens creatura operaretur, & Deus cooperaretur illi. Item ſequeretur, influxum Dei determinari ad talem actum ab influxu voluntatis creatæ: & voluntatem diuinam, atque adiutorium ipſius ſubiungi voluntati humanæ: quæ omnia cauſalitati primæ cauſæ, & efficaciæ auxiliorum diuinæ gratiæ, multum videntur derogare.*

*Cabrera. Zumel.* Reſpondeo, de illa cauſali, quam contra nos proponunt etiam Cabrera tom. 3. in 3. p. quæſt. 62. art. 1. d. 12. §. 15. num. 328. Zumel ſupra art. 1. d. vnica, concluſ. 6. dictum eſt ſupra num. 160. & n. 166. & n. 333. *Reſpondetur, declarãdo in quo ſenſu vera, vel falſa ſit hæc cauſalis, quia vult Deus, vult creatura.* Illa igitur cauſalis, vt ſimpliciter proponitur ab arguente, eſt falſa, & non ſequitur ex noſtra ſententia, quæ etſi neget, ante effectum liberum dari in diuina voluntate antecedens decretum prædeterminandi ad vnum; tamen non negat, dari antecedens decretum concurrendi ad plura oppoſita, iuxta naturalem conditionem, & exigentiam cauſæ ſecundæ liberæ; & per eſſentialem dependentiam ab hoc decreto habet voluntas creata poſſe influere, & actu influere in plura oppoſita. Hoc igitur decretum, vt præcipua difficultas, in qua aduerſarios frequenter contra nos hærere video, planius percipiatur, poteſt tripliciter ſpectari. *Decretum diuinũ concurrẽdi ad oppoſita, conſiderari poteſt primò vt cõditionatum,* Primò vt conditionatum, & indeterminatum, ex quo, tamquam ex cauſa prima omnino antecedente, habet voluntas poſſe influere in hoc, & poſſe influere in aliud oppoſitum; quia nimirum cauſa prima vult cum illa concurrere ad hoc, & vult etiam cum illa concurrere ad aliud oppoſitum. Et de hoc decreto ſub iſta prima ratione accepto, falſa eſt illa cauſalis, & vera hæc oppoſita, *quia Deus vult influere in hunc actum, voluntas creata in illum influit.* *Secundò, vt abſolutũ phyſicè.* Secundò vt abſolutum phyſicè, hoc eſt, vt decretum producendi hunc actum, ſiue vt decretum producendi alium actum contrarium: qui enim efficaciter, quantum eſt ex ſe, decernit producere indifferenter vel hoc, vel illud, vi cuius decreti poteſt efficaciter in re producere hoc, & producere illud, poteſt ſine dubio conſiderari vt faciens decretum producendi hunc actum, præſcindendo à decreto producendi alium actum; ſiue, vt faciens decretum producendi alium actum, præſcindendo à decreto producendi hunc actum. Quod decretum ego voco, *abſolutum phyſicè*, quia ſub iſta ſecunda ratione præciſè ſpectatum, tam concurrit ad effectus liberos, quàm ad effectus neceſſarios; ad quos etiam concurrit prima cauſa per decretum abſolutum, ſeu determinatum, producendi vnum abſolutum, ac determinatum effectum. Et de hoc etiam decreto falſa eſt cauſalis, vt notaui ſupra num. 166. idem enim decretum, quo prima cauſa concurrit cum cauſis ſecundis liberis, ſi ſimpliciter, & præciſè ſpectetur reſpectu huius abſoluti, ac determinati effectus liberi, quem producit cauſa libera, non minus, quàm cauſa neceſſaria producit abſolutum, ac determinatum effectum, omnino antecedit cauſam ſecundam liberam & independentia, & cauſalitate, vt ſupra num. 180. & ideo vera eſt contraria cauſalis ſupra poſita. *Tertiò, vt abſolutum moraliter.* Tertiò vt abſolutum, ſeu determinatum moraliter, hoc eſt, vt decretum producendi hoc, quod voluntas ſe ipſa liberè determinauit producere; & non producendi aliud oppoſitum, quod voluntas ſe ipſa liberè determinauit non producere.

*Qua ratione decretũ Dei dicatur conſequens.* Sub qua tertia ratione idem decretum eſt conſequens liberam determinationem creatæ voluntatis operantis cum libertate: non quidem conſequens per cauſalitatem, ſeu dependentiam, hac enim ratione determinatio libera cauſæ ſecundæ conſequitur decretum primæ cauſæ, vt in prima, & ſecunda acceptione declaratum eſt; ſed ſolùm conſequens per ſimplicem quamdam rationem agendi, ſimpliciter præſuppoſitam, non vt influentem aliquid in decretum, ſiue in eius cauſandi vim, eiúſque actualem cauſalitatem, ſed vt extrinſecè, ac purè determinantem indifferentiam decreti, quod ex ſe antecedenter paratum eſt cum cauſa ſecunda libera concurrere ad vtrumque oppoſitum, & non ad hoc tantùm, vel illud tantùm; ſed deinde, quia creata voluntas, ex ſua intrinſeca libertate, vtitur tali decreto pro vna determinata oppoſitionis parte, & non pro alia, dicitur idem decretum conſequenter determinari à creatura, vt cauſet hanc oppoſitionis partem, & non aliam, quam etiam, quantum erat ex ſe, æquè efficaciter cauſare poterat, & de facto cauſare voluiſſet, & cauſaſſet, ſi cauſa ſecunda libera elegiſſet illam potius cauſare. *Decretũ Dei determinari à creatura, non eſſe abſurdum.* Quod autem hoc determinari primam cauſam à cauſa ſecunda libera, non intrinſecè per dependentiã in influendo, ſed extrinſecè per quamdam meram, ac ſimplicem præſuppoſitionem, non importet aliquam imperfectionem in prima cauſa, ſed potius ſapientiſſimam perfectionem gubernandi, ac dirigendi naturas cauſarum ſecundarum, intelligi facilè poteſt ex ipſis etiam cauſis ſecundis neceſſariis. Nam, v. g. ignis quoque determinat voluntatem cauſæ primæ ad faciendum liberum decretum concurrendi cum igne ad calefactionem, non ad frigefactionem: eſt enim diuina voluntas ad vtramque actionem indifferens, quantum eſt ex ſe, ſed dum vult concurrere cum igne iuxta naturam ignis, ab ipſo igne determinatur vt concurrat ad calefactionem, non ad frigefactionem; quia ignis per intrinſecam ſuam naturam eſt determinatus ad illam actionem, non ad hanc. Eadem proportionali ratione, liberum arbitrium voluntatem diuinam paratam cum illo concurrere, iuxta naturam creatæ libertatis, ad duo oppoſita, v. g. ad amorem, & ad odium, determinat, vt concurrat ad amorem, non ad odium; quia liberum arbitrium ſine vllo alio actu ſuperaddito, ſed ſe ipſo, ratione ſuæ intrinſecæ libertatis, vult elicere actum amoris, non odij; quod eſt determinare ſe ad amorem, non ad odium. *Exponitur locus S. Thom. 3. contra gẽt. cap. 66.* Et ideo ſapientiſſimè S. Thomas de omnibus cauſis ſecundis, ſiue liberis, ſiue neceſſariis, pronunciauit lib. 3. contra gent. cap. 66. num. 5. *Secunda agentia ſunt quaſi particulantes, & determinantes actionem primi agentis.* Per illud, *quaſi*, ſignificat, talem determinationem non eſſe intrinſecam, per aliquam dependentiam cauſæ primæ à ſecunda, ſed eſſe extrinſecam, per ſimplicem, ac meram præſuppoſitionem talis cauſæ, vel talis modi cauſandi, cui accommodari vult cauſa prima per generalem ſuum influxum, prout exigit natura huius vel illius cauſæ ſecundæ præſuppoſitæ

ad

ad concurſum primæ cauſæ; & ſimiliter de verit. quæſt.5.art.9.ad 10. *Per cauſam ſecundam*, inquit, *determinatur quodammodo actus primæ cauſæ ad hunc effectum.* Quo patet inſufficienter, & contra S.Thom. dixiſſe Machin hîc, d.34. ſect.1.§.*Redeo*, confirmatione 2. *lumine naturali notum eſt, primum determinatiuum omnipotentiæ Dei, eſſe diuinam voluntatem: aliàs ſubijceretur alteri, & ab illa penderet*; hoc enim verum eſt de determinatiuo intrinſeco, non autem de extrinſeco.

Machin.

418. De hoc igitur decreto, ſub iſta tertia conſideratione accepto, concedo, illam cauſalem ſequi ex noſtra ſententia, non tamen ſub iis verbis, quibus ab arguente proponitur, ſed ſub his aliis verbis, quibus eam explico ſupra num.166.cum Ariminenſi, & Bellarmino; Ideo Deus decreto ſuo antecedente, & indifferente, ab æterno decernit agere, & in tempore agit hanc partem, non aliam oppoſitam, quia voluntas libera, hoc eſt, indifferens, & completa in actu primo ad vtramque partem efficiendam, prout illi libuerit, ab æterno præuidetur liberè actura, & in tali tempore agit liberè hanc partem, non aliam. Poſito hoc ſenſu, quem ſupra num.333.oſtendi eſſe communem Patrum, ad abſurda, quæ ex illa cauſali deducuntur, reſpondere facilè poſſumus. Igitur dico, quod primæ cauſæ voluntas, & operatio, vt parata concurrere ad plura oppoſita, & vt abſolutè, ac phyſicè decernens concurrere, & concurrens ad hoc præcisè conſideratum, ad quod de facto concurrit, eſt prior voluntate, & operatione humana. Vt verò abſoluta, ac determinata moraliter, hoc eſt, vt ita decernens producere hoc, & producens hoc, vt non decernat producere, nec producat aliud, eſt conſequens, & poſterior; non poſterioritate realis cauſalitatis, ac intrinſecæ dependentiæ, ſed ſolius determinationis extrinſecæ; ac proinde voluntas diuina non eſt dicenda *pediſſequa*; quia hac voce propriè ſignificatur dependentia, & indigentia; Deus autem determinatur à cauſa ſecunda libera, vt decernat hoc, & non aliud, non ex indigentia, ac dependentia ſua, ſed potius cauſæ ſecundæ. Præterea admitto illum modum loquendi cum Ariminenſi ſupra num. 169. *Deus cooperatur cauſæ ſecundæ liberæ*; & cum Suarez tom.1. de gratia, prolegom.2.cap.8. num.16. fin. *Decretum Dei conditionatum non determinatur ſimpliciter ad agendum, ſed coagendum*, quia explicat præcedentiam extrinſecæ determinationis: ſimiliter concedo, influxum Dei determinari modo dicto ab influxu creaturæ; & voluntatem diuinam ſubiungi voluntati humanæ tertio modo, non primo, nec ſecundo. Quæ omnia nihil omnino derogant cauſalitati primæ cauſæ, & efficaciæ gratiæ; ſed hæc concordant cum noſtra libertate. Et à poſteriori fieri poſſunt manifeſta cuilibet fideli, credenti, ſanctiſſimam Dei voluntatem non eſſe cauſam omnino antecedentem, ac prædeterminantem liberum noſtrum arbitrium, vt eliciat actum peccati. Hac enim veritate admiſſa, certum eſt, in aliquo ſenſu falſam eſſe hanc cauſalem, ideo voluntas noſtra influit in hunc ſingularem actum peccati, quia influit Deus, prædeterminando voluntatem noſtram, vt in illum actum influat: ſed eſſe veram hanc contrariam, quia influit creatura in actum moraliter malum, ideo influit Deus, paratiſſimus, quantum eſt ex ſe, non influere in illum, ſed in alium actum bonum, ſi in hunc, & non in illum influere vellet creatura. Quæ cauſalis, vt patet, fundatur in creata libertate: ſed hæc eſt communis etiam actibus bonis, ergo de omnibus actibus liberis verificari debet prædicta ſecunda cauſalis.

*Qua ratione dici poſſit, quia volũtas vult, Deus concurrit.*

*Voluntas Dei malè dicitur pediſſequa.*

*Bene dicitur Deus cooperari cũ cauſis ſecundis liberis.*

Suarez.

*Confirmatur ex actibus peccatorum.*

## *Declaratur diuerſitas opinionum huius controuerſiæ.*

419. Tandem Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 1. num.14. poſt multa contra Suarez, quibus omnibus in ſuperioribus abundè ſatisfactum eſt, ſic concludit. *Differentia ergo potiſſima inter nos, & illos, vt abſque vlla prorſus ambiguitate illam explicemus, in hoc conſiſtit; quia nos contendimus, determinationem ipſam, & actualem concurſum liberum creatæ voluntatis pendere intrinſecè ex decreto abſoluto, & efficaci voluntatis diuinæ, tamquam à prima cauſa, verè efficiente vt voluntas creata ſe determinet ad talem actum; & non ſolùm, vt à cauſa alliciente, inuitante, ſuadente, aut quolibet alio modo, etiam interiùs, ſolùm moraliter trahente. Illi verò exiſtimant, ſolùm pendere à decreto, & voluntate Dei, vt à cauſa morali alliciente, inuitante, & ſuadente, & à concurſu eius ſimultaneo, quo vult cum creata voluntate concurrere ad talem actum, ſi ipſa voluerit ſe ad illum determinare.*

*Declaratio Aluarez.*

Mihi verò non videtur huiuſmodi explicatio omni prorſus ambiguitate carere. Primò, quod ad contrariam opinionem attinet, confunditur determinatio cum concurſu actuali: quod vitium notaui etiam ſupra, contra Nauarrete, num.159. & 162. & contra Aluarez, num.351. Præterea, vel falſum, vel ſaltem ambiguum eſt, in contraria ſententia aſſerere, *Deus facit, vt voluntas creata ſe determinet*. Dici clarius, ac certius debebat, Deus voluntatem creatam prædeterminat, hoc eſt, omnino antecedenter, & independenter à libero conſenſu creatæ voluntatis, Deus, & extrinſecè per decretum, & intrinſecè per præuias motiones, & qualitates inhærentes, illam determinat ad vnum. Qua prædeterminatione facta, iam voluntas non poteſt alia ratione dici, *ſe determinare*, niſi quia agit illud vnum determinatum, ad quod Deus illam prædeterminauit. At verò aliud euidenter eſt, *ſe determinare*, & aliud, *agere vnum determinatum*. In aqua calefacta, v.g. quia aqua per calorem eſt antecedenter determinata ad vnam determinatam actionem calefaciendi, ineptè, imò & falsò diceretur, calor facit vt aqua ſe determinet ad calefaciendum. Et vniuerſaliter, omnis cauſa neceſſaria agit aliquid vnum determinatum, & tamen ad illud agendum non ſe determinat. In noſtra potius ſententia dici poteſt, *Deus per decretum ſuum facit vt voluntas ſe determinet*: quia ad poſſe ſe determinare, prærequiritur, poſſe agere duo oppoſita; hoc autem habetur per eſſentialem dependẽtiam à diuino decreto, quo vult Deus ad vtramque oppoſitionis partem cum voluntate concurrere, vt ſupra num. 385. Poſſe igitur ſe determinare, & conſequenter, ſe determinare, prouenit aliqua ratione à decreto Dei. Dico, *aliqua ratione*, quia poſſe ſe determinare, non ſolùm importat, poſſe agere hoc, & poſſe agere oppoſitum, quod habetur dependenter à decreto; ſed etiam, poſſe agere vtrumlibet; ſeu, poſſe agere hoc, nolendo agere aliud; quod non habetur à decreto, ſed ab innata libertate voluntatis; decreti enim proprium eſt, offerre duplicem concurſum; voluntatis verò proprium eſt, ex his duobus concurſibus, ad libitum ſuum eligere vnum, & non alium, & ſic ſe determinare.

*Reijcitur prædicta declaratio.*

*Qua opinio dicere poſſit, Deus facit, vt voluntas creata ſe determinet.*

*Non eſſe idẽ, determinare ſe, & agere vnum determinatum.*

*Qua ratione decretũ Dei cauſet liberã noſtram determinationem.*

420. Secundò, quod attinet ad ſententiam noſtram, illa explicatio eſt non ſolùm ambigua, ſed etiam dimi



diminuta, & falſa. Nullus vmquam noſtrorum Theologorum negauit, nec verò vllus bonus Theologus negare poteſt, quemlibet liberum influxum voluntatis creatæ pendere eſſentialiter à prima cauſa, eiúſque libero decreto, tamquam à cauſa effectiua, verè, ac realiter phyſica, & phyſicè influente, multò magis quàm influat ipſa voluntas creata. Aduerſarij autem contrarium nobis fortaſſe tribuunt, quia negamus, influxum liberum pendere à primæ cauſæ decreto prædeterminante: vt prudenter contra eoſdem aduertit Suarez tomo 1. de gratia, prolegom.2. cap.9. num.4. quaſi verò non ſit alius modus phyſicè concurrendi, niſi prædeterminando; cum præter hunc modum phyſicè concurrendi cum cauſis neceſſariis, ſit alius modus phyſicè concurrendi cum cauſis liberis: imò hic ſecundus modus videtur habere multò plus de phyſico concurſu; quia per ſubordinationem ad illum, non ſolùm habetur poſſe phyſicè cauſare vnam oppoſitionis partem, ſed etiam aliam; quod non habetur per prædeterminationem ad vnam partem. Illud de *cauſa morali*, &c. à nobis dicitur, non de generali concurſu primæ cauſæ, ſed de peculiari concurſu ad bona opera per gratiam. Vbi etiam, ſi abſque vlla ambiguitate loquimur, dicendum eſſet, decretum Dei prædefiniens, eſſe cauſam phyſicam, & phyſicè cauſare, tam liberum conſenſum prædefinitum, qui ſine dubio quædam realis, ac phyſica qualitas eſt, licèt non neceſſaria, ſed libera; quàm ipſam gratiam, quæ pariter phyſica quædam qualitas eſt, imò in ſe neceſſaria, non libera vt conſenſus; tamen ad conſenſum liberum non agit phyſicè, prædeterminando ad vnum, contra eſſentiam liberi effectus, ſed agit moraliter, ſuadendo, & inclinando ad liberam determinationem conſenſus in bono, prout poſtulat natura cauſæ liberæ, & liberè operantis. Sicut enim homines iubentes, & conſulentes, & ipſæmet iuſſiones, & conſilia, ſunt res quædam phyſicæ, tamen ſunt etiam cauſæ morales, moraliter cauſantes, mouendo, illuminando, alliciendo, &c. non prædeterminando ad vnum; ita Deus agens per gratiam. Demum ambiguè, ſi non falsò, in fine eiuſdem explicationis additur illud de *concurſu Dei ſimultaneo, quo vult cum creata voluntate concurrere ad talem actum, ſi ipſa voluerit ſe ad illum determinare*. Hunc quidem concurſum ſeu decretum conditionatum nos admittimus: ſed ſub iſta ratione formali conditionati, non dicimus eſſe concurſum ſimultaneum, ſeu concomitantem, ſed verè antecedentem, & æterna duratione, & cauſalitate. Hæc eſt clariſſima, ac ſinceriſſima vtriuſque opinionis explicatio, quam paulò fuſius afferre neceſſarium eſſe duxi, quia plerumque & legi, & audiui, aduerſarios multa vel diminutè, vel etiam falsò nobis imponere: ſic enim fiet, vt qui noſtra, & illorum ſcripta legunt, facilius, ac certius de veritate huius grauiſſimæ, ac ſubtiliſſimæ controuerſiæ iudicium ferre poſſint: in qua vtriuſque partis diſputatores omnes veritatem in Domino quærimus, & ad maiorem primæ veritatis gloriam, legendo, meditando, diſputando, ſcribendo, diu, noctúque continuò laboramus.

*Falsò tribui nobis, quòd negemus phyſicã dependẽtiam effectus liberi à decreto Dei.*

Suarez.

*Quo modo in operibus gratiæ reperiatur cauſa moralis.*

*Decretũ concurrendi cum cauſis liberis, eſſe antecedens.*

## *Præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ.*

421. Septimum argumentum Aluarez d.7. num.19. fin. *quod*, inquit, *& neceſſarium, & vtile eſt ſæpius repetere, ne leue exiſtimetur (vt dicit Proſper) quod non frequenter arguitur. Si cauſa indifferenti, in quantum indifferens, non exit determinatus actus: ſed ante decretum diuinæ voluntatis, creata voluntas, in quibuſuis circumſtantijs poſita, eſt omnino indifferens ad oppoſita, ergo ante idem decretum, non poteſt eſſe certum certitudine infallibili, quòd determinatè producet conſenſum potius, quàm diſſenſum; aut è contra.* & idem argumentum repetit lib.1.reſponſionum cap.5.num.12. probat.3. & afferunt etiam Cabrera tom.1. in 3.p. quæſt.1.art.3.d.1.§.22.n.359. & tom.3.q.62.art.1. d.12. §.3. n.68. & §.10.n.238. Verdu fol.36. concluſione 5.

*Septima ratio contraria. Proſper epiſt. ad Auguſt. in fine.*

Cabrera.

Verdu.

Reſpondeo, mirificè placet, expreſsè ſignari, atque inculcari frequenter præcipuum contrariæ opinionis fundamentum, quia ex illius debilitate clariſſimè demonſtrata, conſtare apud omnes certò, ac facilè poterit, quam vim habeat opinio, quæ tali fundamento ipſorum authorum confeſſione, maximè nititur. Itaque iuxta doctrinam S.Thomæ 1.Periher. lect.14. allatam ſupra n.315. diſtinguenda eſt maior, in qua fundatur totum argumentum: eſt enim vera de cauſa indifferente non libera, ſed neceſſaria, qualis eſt, v.g. oculus indifferens ad videndum album, & nigrum, qui propterea ad determinatam viſionem albi indiget prædeterminari ſpecie albi; & eamdem indifferentiam, inquit S.Thomas, *habet materia ſublunaris ad diuerſas formas ſubſtantiales, & habent corpora cœleſtia ad diuerſa vbi*: & ideo indigent aliqua prædeterminatione, vt cauſare poſſint determinatum effectum. Falſa autem eſt de cauſa indifferente libera: & diſcriminis ratio à priori eſt, quia cauſa neceſſaria, eſt indifferens ex defectu alicuius neceſſariò prærequiſiti ad cauſandum effectum determinatum: cauſa verò libera, eſt indifferens, non ex defectu, ſed ex abundantia, & plenitudine poteſtatis, completæ ad cauſandum plura oppoſita; & ex dominio cauſandi quodlibet, ſiue eligendi vtrumlibet. Quamobrem de ſolo libero arbitrio dicitur, eſſe cauſa indifferens ad vtrumlibet: at verò oculus, materia ſublunaris, corpora cœleſtia, & reliquæ cauſæ neceſſariæ, dicuntur quidem ſimpliciter indifferentes, non tamen indifferentes ad vtrumlibet.

*Reſpondetur.*

*Cauſa indifferẽs neceſſaria, non autẽ libera indiget prædeterminatione.*

S.Thomas.

*Diuerſa eſt indifferentia cauſæ neceſſariæ, & liberæ.*

422. Et quoniam, vt fatentur, tota contraria opinio de prædeterminatione liberi arbitrij ad vnum, fundatur in prædicta maiori, probo illam eſſe euidenter falſam, intellectam de cauſa libera, de qua eſt præſens diſputatio, Omnis actus determinatus, qui exit à cauſa libera, exit ab illa in quantum libera; ſed cauſa libera, in quantum libera, eſt cauſa indifferens, ergo à cauſa indifferenti libera, in quantum eſt indifferens, exit determinatus actus. Conſequentiá eſt in forma, vt patet; minor certa eſt ex receptiſſima illa definitione cauſæ liberæ, quam omnes Theologi, & ipſi etiam aduerſarij recipiunt, vt notaui ſupra num.110. Cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus, neceſſariò prærequiſitis ad operandum, poteſt operari, & non operari, ſed cauſa completa cum omnibus antecedenter prærequiſitis, quæ poteſt operari, & non operari, eſt indifferens ad operandum, & non operandum, ergo cauſa libera, in quantum libera, eſt cauſa indifferens. Probo maiorem, tum quia omnis actus determinatus exiens à tali cauſa, conſtituta in tali ſpecie cauſæ, debet ab illa exire ſecundùm vltimam rationem differentialem, conſtitutiuã in tali ſpecifico eſſe cauſæ, & diſtinctiuam ab aliis cauſarum ſpeciebus. Sed cauſa libera, in quantum libera, conſtituitur in tali ſpecie cauſæ, & diſtinguitur ab alia ſpecie cauſæ neceſſariæ. Ergo actus determinatus

*Cauſa libera, prout libera, oriri effectum determinatum.*

minatus exiens à cauſa libera, exire debet ab illa ſecundùm vltimam, ac ſpecificam differentiam cauſæ liberæ. Tum à contrario, quia actus determinatus exiens à cauſa neceſſaria, exit ab illa, in quantum neceſſaria. Tum quia actus liber exit à ſua cauſa vt liber: ergo exit à ſua cauſa vt libera. Tum quia ſi cauſa libera non ageret vt libera, ergo non ageret liberè: ſicut ſi cauſa neceſſaria non ageret vt neceſſaria, non ageret neceſſariò. Tum quia cauſa libera ſaltem in creatis, eſt, & agit, vt cauſa contingens; ſed ex hoc articulo, *cauſa contingens ſe habet ad oppoſita*, ergo cauſa libera agit vt ſe habens ad oppoſita; ergo agit vt indifferens: quia cauſa contingens non dicitur habere ſe ad oppoſita per vim productiuam vtriuſque ſimul, ſed per vim productiuam vtriuſlibet diſiunctiuè.

*Voluntas diuina agit vt indifferens.* S.Thomas.

Tum à pari, quia voluntas diuina ex eo formaliter quòd ſit libera, agit ad vtrumlibet; *voluntas diuina*, inquit S.Thomas 1.d.45.q.vnic. art.3. ad 3. *libertatem habet; & ex hoc conuenit ſibi, quòd ſit ad vtrumlibet*. & d.47. q.vnic. art.1. ad 1. *voluntas Dei ſe habet ad vtrumlibet, per modum libertatis, quia actus voluntatis ſuæ ſemper eſt in poteſtate eius:* ſed agere cum potentia ad vtrumlibet, eſt agere cum potentia indifferenti; ergo cauſa libera, ex libertate formaliter habet, agere cum indifferentia. Tum quia omnes Sancti, & Scholaſtici, locis, & verbis citatis ſupra dub.11. præſertim à num.156. & hac dub.17. puncto 1.& 3. docentes, voluntatem creatam liberam à nullo alio determinari, niſi à ſe ipſa, cenſentur manifeſtè negare iſtam maiorem, *de cauſa indifferenti, in quantum indifferens, non exit determinatus actus.* cùm enim aliquid ſe determinat, eius determinatio ex principio indeterminato, atque indifferente exeat neceſſe eſt. Vnde in exemplis allatis de oculo, materia ſublunari, corporibus cœleſtibus, illa agunt quidem determinatè, tamen non ſe determinant, ſolùm ex eo quod determinatus eorum actus prouenit à principio, remotè indeterminato, ſed proximè prædeterminato ad vnum, & non à principio proximè indeterminato, atque indifferente ad plura. Tum demum, quia ex prædicta maiori ſequeretur, voluntatem creatam prædeterminari à Deo ad actus etiam peccatorum, quod ferri non poteſt.

## Argumenta Gonzalez d.44. ſect.3.

423. Primò in num.29. probat non poſſe dici, quod ſæpe cum aliis authoribus noſtræ ſententiæ ſupra diximus, futura contingentia conditionata pendere à decreto conditionato, tam ex parte obiecti, quàm ex parte ſubiecti:

*Arguit primò.*

quia, inquit primò, *decretum Dei re ipſa non poteſt habere rationem futuri, cum ſit immanens, & æternum: ergo ſolùm poterit habere rationem futuri ſecundùm ordinem rationis noſtræ per reſpectum ad aliquod aliud decretum, quod præſupponatur prius exiſtens in ipſo Deo ſecundùm ordinem dependentiæ obiectorum.*

*Arguit ſecundò.*

Secundò, *decretum Dei non pendet à futuro conditionato, quin potius effectus ille futurus pendens eſt à decreto: igitur effectus ille ſub conditione futurus, non poteſt præſupponere decretum Dei ſub ratione futuri, ſed ſub ratione præexiſtentis.*

*Ad primum.*

Reſpondeo ad primum, concedo antecedens, & primam partem conſequentiæ; ſed nego ſecundam, & tertiam partem:

*Decretũ Dei habere rationẽ futuri ſine ordine ad aliud decretum.*

concedo enim decretum Dei non habere rationem futuri, niſi ſecundùm ordinem rationis noſtræ, ſed nego primò hunc ordinem eſſe, *per reſpectum ad aliquod aliud decretum:* primum enim liberum Dei decretum, quodcumque illud ſit, non concipitur eſſe in priori ſigno rationis, in quo eſt ſcientia naturalis; & quodlibet decretum, ſi eſt liberum, poteſt eſſe, vel non eſſe; ſed concipitur eſſe in poſteriori ſigno rationis, & tamen non per reſpectum ad aliud prius decretum; quia ſic daretur proceſſus in infinitum, vt patet.

*Vnũ decretũ Dei poſſe concipi vt futurũ, in ordine ad aliud non realiter exiſtens.*

Vnde ipſimet aduerſarij ante decretum prædeterminans, quod primò ponunt in diuina voluntate præcedere omnem ſcientiam liberam, etiam conditionatam, & fuit aliqua ratione futurum, quia liberè factum eſt, & poterat non fieri, non ponunt aliud præexiſtens decretum, ad quod reſpicere debeat ratio noſtra, vt concipiat rationem futuri in decreto prædeterminante. Nego ſecundò, quòd quando concipitur vnum Dei decretum futurum per reſpectum ad aliud, neceſſe ſit hoc aliud concipere, *vt prius exiſtens in ipſo Deo*, nempe actualiter, ſiue abſolutè ex parte actus; ſi enim, vt in caſu noſtro, decretum eſt futurum conditionatè, ſatis erit illud concipere per reſpectum ad aliud præcedens decretum, incluſum eſſentialiter in præcedente conditione; hoc eſt, non vt actu exiſtens, ſed vt conditionatum, etiam ex parte actus. Vt apparet in hoc obiecto, cuius ignorantia cogitari ſanè non poteſt in intellectu diuino: ſi decerneret Deus creare hominem in gratia, & homo eſſet peccaturus, decerneret quoque incarnari propter ſalutem hominis: hæc enim decreta, ſicut de facto fuerunt abſolutè futura cum hoc ordine in opinione S.Thomæ, ita antea erant futura conditionatè; ergo antea etiam præſciebantur abſque alio decreto actualiter præexiſtente.

*Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum, negatur conſequentia. Ex dependentia enim effectus à decreto, ſequitur ſolùm, vt qua ratione ponitur exiſtens effectus, eadem ratione præſupponatur præexiſtens decretum; v.g. effectus in quantum eſt ab æterno abſolutè futurus in tali differentia temporis, præſupponit decretum ab æterno abſolutè præexiſtens: idem effectus, in quantum ab æterno eſt conditionatè futurus, non debet præſupponere decretum abſolutè præexiſtens, ſed ſatis eſt ſi ponatur præexiſtere ſub illa ratione ſub qua ponitur futurus eſſe effectus, nempe non abſolutè, ſed conditionatè.

424. *Obijciuntur Auguſtinus, & Proſper.*

Secundò arguit, *expreſſis*, vt ipſe ait, *teſtimonijs Auguſtini, & Proſperi. Nam Proſper epiſtola ad Auguſtinum circa finem, de ipſamet ſcientia Dei futurorum conditionatorum quæſiuit ab Auguſtino, vtrùm illa ordine quodam ſubnixa eſſet propoſito Dei? Quia nimirum Maſſilienſes volebant è contra, propoſitum electionis, & prædeſtinationis Dei præſupponere in illo conditionatam ſcientiam de noſtris bonis actibus, ſub conditione futuris.* Ad quod negatiuè reſpondet Auguſtinus lib.1. de prædeſtinatione Sanctorum c.9.17. 18.19. & eadem teſtimonia multum vrget Machin d.35. ſect.2.

*Declaratur mẽs Proſperi in epiſtola ad Auguſtinum.*

Reſpondeo, falſum omnino eſt illud quæri à Proſpero de ſcientia conditionata, ſed ſolùm de ſcientia abſoluta, de qua nos etiam cum Auguſtino, S.Thoma, & communiori opinione fatemur, quod infra in proprio loco probabimus, prius ratione eſſe, Deum eligere nos ad gloriam, & prædeſtinare noſtros liberos actus ſupernaturales, abſolutè futuros, quàm præſcire, illos eſſe abſolutè futuros. Hoc tamen non obſtante, imò propter hanc veritatem, neceſſarium eſſe contendimus, ante huiuſmodi electionem, & prædeſtinationem præcedere in diuino intellectu ſcientiam conditionatam. Quod autem Proſperi quæſitum tale ſit, nulla alia probatione indiget, niſi vt legatur tota illa epiſto



epiſtola; qui enim eam attentè legerit, id planè intelliget: quia Proſper referens ſententiam Maſſilienſium, initio ait, eos ante propoſitum electionis, & prædeſtinationis ponere præſcientiam de iis, *qui credituri ſunt, quive manſuri ſunt, & de hac vita bono fine exceſſuri ſunt*; quæ præſcientia proculdubio eſt de futuris abſolutè. Deinde refert aliam quorumdam etiam Maſſilienſium opinionem erroneam, dicentium, primam gratiam dari ex merito bonorum operum naturalium; & in hac difficultate, quæ longè diuerſa eſt à prima, vt patet, mentionem facit præſcientiæ conditionatæ, ad quam ait illos confugiſſe, cum premerentur argumento paruulorum, quorum, ante vlla opera vel bona, vel mala, quidam baptizantur, & ſaluantur, alij pereunt ſine baptiſmo: hanc enim diuerſitatem referebant etiam ad bona, vel mala opera, naturaliter meritoria diuinæ gratiæ, non quæ facturi erant, ſed quæ facturi fuiſſent, ſi vixiſſent. Et de hac ſecunda opinione erronea, inquit Proſper circa finem epiſtolæ, *diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit, non ideo quia adiuuatur velit.* Vbi illud, *voluntas humana*, & illud, *voluit, velit*, non eſt accipiendum pro libera determinatione ad actum volendi, quam nos, vt præuiſam ab intellectu diuino per ſcientiam conditionatam, præferimus diuinæ voluntati in actu poſitę;

Trident.

& expreſſit Tridẽt. ſeſſ.6. can.4. cùm docuit, gratiæ efficaci liberum arbitrium *poſſe diſſentire, ſi velit*; & ſignificatur ex eodẽ Trid. ſupra c.5. *Cùm in ſacris literis dicitur, Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad vos:* ſed eſt accipiendum pro determinato actu volendi naturaliter bono, & meritorio gratiæ ſupernaturalis, iuxta opinionem præmiſſam, cuius impugnandę gratia Proſper ea verba ſcripſit. Quare cum paulò poſt petit ab Auguſtino, *an præſcientia ſit ſubnixa propoſito?* vel loquitur de præſcientia abſoluta, iuxta primam opinionem prius relatam; vel de præſcientia conditionata, non quacumque, ſed tantùm ea, qua præſcit Deus opera conditionaliter futura, bona, naturalia, & meritoria gratiæ, iuxta ſecundam opinionem.

*Reijcitur argumentatio Gonzalez.*

Quare in vanum laborat Gonzalez d.45. n.3. contendens, his Proſperi verbis noſtram controuerſiam contineri; an ſcilicet Dei propoſitum ſit ante vel poſt ſcientiam conditionatam. Clariſſimè enim loquitur Proſper de propoſito abſoluto, etiam ex parte obiecti; quale cernitur in iis, vt ipſemet explicat iiſdem verbis, quæ pro ſe refert Gonzalez, *qui nihil operaturi ſaluantur: & qui aliquid boni acturi ſunt.* Noſtra verò controuerſia eſt de decreto conditionato ex parte obiecti. Præterea Proſper illis verbis relatis à Gonzalez, non loquitur de præſcientia conditionata ſimpliciter, ſed de præſcientia conditionata operum conditionalium promerentium ſalutem, vel damnationem; & conſequenter diuinum propoſitum volens abſolutè ſaluare, vel damnare propter opera illa conditionalia conditionaliter præuiſa. Noſtra autem quæſtio eſt de ipſa ſimpliciter præſcientia conditionata; quicquid ſit de illo errore Maſſilienſium de operibus conditionalibus meritoriis, ſeu demeritoriis. Et eadem prorſus habet Hilarius in epiſtola, quam de iiſdem rebus ſcripſit ad Auguſtinum, quem locum acrius, quàm verius contra Molinam, & Vazquez vrget Ripa hîc, dub. 4. cap.2.

425. *Declaratur mẽs Auguſt.*

Neque contradicit ipſemet Auguſtinus locis, & verbis citatis à Gonzalez; quia iuxta quæſita Proſperi reſpondet, & homines non prædeſtinari, aut damnari propter opera conditionaliter præuiſa, & prædeſtinationem, atque electionem priorem eſſe præſcientia abſoluta. Quod clariſſimè ſignificauit loc.cit.c.10. illis verbis, *prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.* Et ſemper in ſequentibus apertiſſime ſermo eſt de abſolutè futuris, cùm decretum diuinum præfertur diuinæ præſcientiæ. Vnde in c.17. qui à Zumel tom.1. var. diſp. pag.64. col.2. poſt medium, fruſtra dicitur, *locus mirabilis*, ait, *electi ſunt ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit; & ea vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinauit, impleuit.*

Zumel.

Et de hac eadem abſoluta præſcientia dixit in lib. de Bono perſeuerantiæ cap.17. fin. *Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, non præſciuntur à Deo: præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus.* Etenim initio capitis ſic habet, *Iſta ſua dona, quibuſcumque Deus donat, proculdubio donaturum ſe eſſe præſciuit, & in ſua præſcientia præparauit.* Quæ Deus donat, & præparauit, habent eſſe abſolutum in aliqua differentia temporis; ergo eorum præſcientia, de qua loquitur Auguſtinus, non poteſt eſſe niſi abſoluta; ſed præter iſtam præſcientiam abſolutam, quæ prædeſtinationem conſequitur, Auguſtinum aliquando diſtinxiſſe aliam præſcientiam, quæ prædeſtinationem præcedit, & conſequenter alia eſſe non poteſt niſi conditionata, manifeſtum eſt ex verbis citatis ſupra num.313. *Non prædeſtinauit aliquem, niſi quem præſciuit crediturum, & ſequuturum eſſe vocationem.* Quod conceſſit ipſemet Aluarez eodem loco citatus. Idem quoque clarius expreſſit Auguſtinus lib. de Perfectione iuſtitiæ, non longè à fin. vbi tractans illa verba Pauli ad Rom.8.

*Exponitur locus ad Rom. 8.*

*Quos præſciuit, & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, & vocauit, quos vocauit, & iuſtificauit, quos iuſtificauit, & glorificauit*; prima verba ſic explicando legit. *Quos ante præſciuit, & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit*, &c. Addendo illud, *ante*, clariſſimè indicat, ſe, & ex eius interpretatione Paulum, loqui de præſcientia antecedente prædeſtinationem, & conſequenter, diuinæ voluntatis prædefinitionem.

426. *Obijcitur S.Thomas.*

Tertiò obiicit in n.30. nonnulla S.Thomæ loca, à nobis etiam recepta in ſuperiori tomo quæſt.12. artic.8. in quibus docemur, Deum in ſua eſſentia, tamquam in cauſa, certò videre effectus liberos futuros, ſalua libertate. Et quamuis loquatur de futuris abſolutè, tamen eadem eſt ratio de futuris conditionatè.

*Reſpondetur diſtinguendo duplicẽ modũ cognoſcendi futura conditionata.*

Reſpondeo, concedo totum, ſed non eſt ad rem, vt notaui ſupra n.175. cõtra Aluarez: oportet enim in hac ſubtiliſſima controuerſia diſtinguere duas difficultates, ne confundamur, & fruſtra laboremus: alteram de modo cognoſcendi ex parte obiecti creati cogniti: alteram de modo cognoſcendi ex parte Dei cognoſcentis. Eſto igitur Deus effectum liberum determinatum non poſſit cognoſcere in ſua eſſentia, niſi determinata per ſuum liberum decretum determinatum, vt conceſſi citato articulo 8. & aſſumit Cabrera tom.3. in 3. part. quæſt.62. art.1. d.13. §.5. num.37. & ſequitur Zumel tomo 1. variarum diſputationum, pagina 114. §. *ſecunda ratio*, & pertinet ad modum cognoſcendi ex parte ſubiecti;

Cabrera. Zumel.

tamen nego, hoc decretum eſſe determinatum determinatione antecedente determinationem cauſæ creatæ liberæ, ſed determinatione conſequente: quod fuſius explicaui ſupra num.316. declarando ſententiam Scoti, & pertinet ad modum cognoſcendi ex parte obiecti.

*Futura contingentia cõditionata videt Deus in*

Qua in re eſt eadem proportionaliter ratio de futuris abſolutè, & conditionatè: quia ſicut in abſolutè futuris, eſſentia diuina vt ſtat ſub indeter

*ſua eſſentia determinata per decretum poſt determinationē creaturæ.*

indeterminato; ſed abſoluto decreto concurrendi ad oppoſita, v.g. ad amorem vel odium, non intelligitur adhuc determinata in ſe ad repręſentandum diuino intellectui amorem, potius quàm odium abſolutè futurum, ſed hoc habet poſt determinationem liberam creaturæ, quando iam illud decretum intelligitur determinatum ad amorem, non ad odium; vel ad odium, non ad amorem: ita pariter in conditionatè futuris, eadem diuina eſſentia, vt ſtat ſub indeterminato, ſed conditionato decreto concurrendi ad eadem oppoſita, non eſt determinata ad repræſentandum vnum potius quàm aliud, niſi poſt determinationem creaturæ, qua decretum illud determinatur ad cauſandum hoc, non aliud; & conſequenter determinatur omnipotentia diuina ad repræſentandum in ſe hoc futurum, & non aliud: nimirum, ſemper ſub eſſe conditionato, ſicut in ſuperiori caſu omnia intelligenda ſunt ſub eſſe abſoluto, v.g. poſito hoc obiecto conditionato, ſi vellem apud Tyrios fieri talia miracula, & vellem cum Tyriis concurrere ad actum credendi, vel ad actum diſcredendi, ego cum Tyriis, ſe ſub conditionatè liberè determinantibus ad credendum, non ad diſcredendum, vellem concurrere ad illum actum, non ad hunc; ſtatim, & non antea, intelligitur diuina eſſentia ſufficienter in ſe determinata ad hoc, vt in ſe viſa videri poſſit futurus ſub conditione determinatus actus credendi, potius quàm determinatus actus diſcredendi. Quod magis explico infra n.465. Certè S.Thomas loco, & verbis relatis, & perpenſis ſupra n.175. loquens de effectibus abſolutè, ac liberè futuris à cauſa ſecunda libera, vult eos ita videri à Deo in ſe, tamquam in cauſa, *vt iſta influentia ſuperioris cauſæ excludat determinationem virtutis ad vnū.* Quapropter mirum valde eſt, hæc ipſa verba expreſsè referri à Gonzalez eo in loco, in quo conatur nobis perſuadere opinionem directè contradictoriam doctrinę S.Thomæ, nempe, influentiam ſuperioris cauſæ includere eſſentialiter antecedentem omnino prędeterminationem virtutis ad vnum. Quam prædeterminationem ideo excludit S.Thomas, vt ſoluat argumentum ibidem propoſitum, quo obiiciebatur, per influentiam cauſæ primæ in actus liberos, non ſaluari liberū operandi dominium; & reſpondet, ſaluari, quia illa influentia excludit determinationem: & tamen Gonzalez includendo hanc determinationem, nos irridet, quòd hoc argumentum de libertatis deſtructione contra prędeterminatóres, *tertio quoque verbo repetamus,* &, vt repetit d.45.n.84. *millies inculcemus*; ſcilicet, haud minorem defenſionem poſtulat extrema neceſſitas, ad quam humana libertas nouis hiſce prædeterminationibus redacta eſt. Tandem ſi in viſione contingentium abſolutè futurorum, excluditur à prima cauſa determinatio cauſæ ſecundæ liberæ ad vnum, vt clariſſimè docet S.Thomas, id etiam dicendum de viſione contingentium conditionatè futurorum; nam, vt ipſemet Gonzalez aſſerit, *licèt D. Thomas loquatur de futuris abſolutis, tamen eadem eſt ratio de futuris ſub conditione*, quod ante ipſum dixerant Cabrera tom.3.in 3.p.q.62.art.1.d.12.§.7.n.216. Zumel tom.1. variarum diſput. pag.123.§. *Hanc etiam*; & ſequitur Machin hîc, d.34. ſect.1. concl.1. initio.

S.Thomas. Gonzalez. Cabrera. Zumel. Machin.

427\. *Prima ratio probãs decretum in actu ante ſcientiã conditionatã. Probat primò.*

Quartò arguit rationibus. Prima, quia nos ponimus futurum conditionatum, extractum à ratione purè poſſibilis, abſque dependentia à diuino decreto, ſed hoc ſæpe ſupra conceſſum eſt de decreto abſoluto, & negatum de decreto conditionato. Inſtat Gonzalez *primò, quia cauſa prima aliter comparatur ad iſtud futurum, quàm ad purè poſſibile: igitur iam cauſa prima præexiſtit cum aliqua determinatione reſpectu huius effectus, quam non habet reſpectu purè poſſibilis. Secundò, ille effectus habet aliquam determinationem ad fore; ergo aliter reſpicit cauſam primam, quàm effectus purè poſſibilis, ſed effectus purè poſſibilis, ſolùm reſpicit illam vt potentem illum producere, ſi velit: ergo talis effectus reſpicit illam vt producentem, atque adeo vt volentem producere.*

*Probat ſecundò.*

*Ad primum.* Ad primum, nego conſequentiam, nam ad hoc vt cauſa prima aliter comparetur ad noſtros actus liberos conditionatè futuros, non requiritur *aliqua determinatio,* hoc eſt, prædeterminans aliquod decretum, neque vt realiter præexiſtens in diuina voluntate, neque vt ab intellectu diuino præuiſum in antecedenti conditione; ſed ſatis eſt antecedens conditionis decretum indeterminatum, quod ad effectum vt purè poſſibilem comparatur ſub præciſa ratione poſſibilis; ad effectum verò vt conditionatè futurum, comparatur ſub alia diuerſa ratione futuri conditionati, incluſi in antecedenti conditione; hoc eſt, non vt futurum ex conditione, ſed futurum tamquam conditio, ſeu cauſa, ex qua futurum eſſet aliud ex illa conditione, ſi futura eſſet illa conditio: vt explicaui ſupra num.268.

*Ad decretum concurrendi ad oppoſita, aliter comparatur poſſibile, aliter futurum conditionatum.*

*Ad ſecundū.* Hinc ad ſecundum reſpondeo, effectum conditionatè futurum reſpicere primam cauſam vt producentem, ſiue vt producere volentem, non abſolutè, & determinatè, ſed conditionatè, & indeterminatè, v.g. Tyriorum libera conuerſio futura ſub conditione talium miraculorum, reſpicit primam cauſam, non in quantum actu vult concurrere, ſed in quantum ſi vellet concurrere ad conuerſionem, vel ad eius oppoſitum, futura eſſet conuerſio. Contra hoc ait Gonzalez n.33. *iſta reſponſio iterum petit principium, & contradictionem inuoluit.* Quod gratis, & immeritò dictum, ſic probat, *ſi effectus reſpicit diuinam voluntatem, non præciſè vt potentem velle illum effectum fore ſub aliqua conditione; ergo iam reſpicit diuinam voluntatem ſub aliqua determinatione præexiſtente in illa, & ſub aliqua actualitate volitionis liberæ, quam non habet actu diuina voluntas in ordine ad purè poſſibilia*; ſed nego iterum eamdem conſequentiam vt ſupra. Et deceptio eſt, quia arguens non diſtinguit in diuina voluntate niſi duos modos ſe habendi; primus, *vt poteſt velle*, hoc eſſe futurum ſub conditione: ſecundus, *vt vult*, hoc eſſe futurum ſub conditione, quia ex hoc quòd diuina voluntas reſpectu contingentium conditionaliter futurorum non ſe habeat primò modo, deducitur neceſſariò, quòd ſe habeat ſecundo modo: ſed præterea habet ſe tertio quodam modo, nempe, *ſi vellet* hoc eſſe liberè futurum ſub conditione. Qui modus manifeſtè diſtinguitur à primo modo, quo dicitur, *poteſt velle*; nam ex eo quod Deus *poteſt velle,* ſequitur ſolùm, quòd effectus poteſt eſſe futurus: at ex eo quòd, *ſi vellet,* ſequitur quòd effectus eſſet actu futurus. Sicut igitur ſatis apertè diſtincta ſunt, *poſſe eſſe futurum,* &, *actu eſſe futurum*; ita etiam, *poteſt velle*, &, *ſi vellet.* Vnde ex eodem decreto indeterminato concurrendi ad eam partem ad quam liberè ſe determinauerit creatura, conſiderato primo modo ſub eſſe poſſibili, non infertur vna determinata pars poſſibilis, & non alia: conſiderato autem ſecundo modo ſub eſſe conditionali de futuro, infertur vna determinata pars futura conditionatè, & non alia.

*In diuina volũtate diſtinguendi ſunt tres modi ſe habendi.*

428\. *Secũda ratio idem probãs.*

Secunda ratio in n.34. effectus conditionatè futurus, *in ratione futuri refertur ad primam cauſam; igitur reſpicit illam ſub determinatione ad eſſe eius potius, quàm ad non eſſe: ergo reſpicit illam exiſtentem ſub actualitate actus liberi.* Probat hanc vltimam conſequentiam, *quia aliàs reſpiceret illam, vt exiſtentem in ſe formaliter ſub omnimoda indifferentia; ac proinde, ſolummodò vt potentem velle, aut non velle illum effectum futurum.*

*Reſpondetur.* Reſpondeo primò, diſtinguendo primum conſequens, nam ſi intelligatur de voluntate Dei determinata ante determinationem creaturæ, futuram ſub conditione, eſt falſum, & deſtructiuum libertatis: ſi poſt determinationem creaturæ, eſt verum: omnis enim diuina voluntas, quæ eſt antecedens cauſa vt effectus ſit futurus liberè, hoc eſt, cum potentia ad oppoſitum, eſſe neceſſariò debet indeterminata, & indifferens, qua ſcilicet offeratur paratus concurſus, non ad eſſe illius effectus, & non ad non eſſe; ſed ad vtrumlibet, tam ad eſſe, quàm ad non eſſe. Secundò nego ſimpliciter ſecundam conſequentiam, ſiue primum conſequens accipiatur in primo ſenſu falſo, ſiue in ſecundo ſenſu vero: nam, vt probaui ſupra dub.16. decretum Dei liberum, à quo eſſentialiter pendet effectus, vt formaliter, ac præciſè futurus ſub conditione, non eſt neceſſarium præcedere ſub ratione eſſendi abſolutè, ſed ſub ratione eſſendi conditionatè; ſiue decretum ponatur prædeterminans ad ad vnum, ſiue indifferens ad oppoſita. Ad probationem, poteſt tota prorſus negari: quia effectus conditionatè futurus, reſpicit primam cauſam ſub, *ſi vellet,* & non ſub omnimoda indifferentia, *ſi vellet, vel ſi non vellet*: licèt per illud, *ſi vellet*, intelligi debeat velle indifferens ad illum effectum, & eius oppoſitum. Cauſa verò ſub ratione, *ſi vellet,* non ſe habet eodē modo, quo ſub ratione, qua, *poteſt velle.*

429\. *Tertia ratio probãs idem.* Tertia ratio ibidem. Decretum diuinum à quo pendet effectus conditionatè futurus, eſt prius ratione effectu, ergo hic dicit ordinem ad illud vt iam præexiſtens. *Confirmatur.* Confirmat, quia decretum diuinum, in ratione futuri nullum eſſe habet, nec in ſe, quia non eſt præſens; nec in aliqua determinatione diuinæ voluntatis, vt ex ſe patet; nec etiam in ipſa voluntate libera; tum quia libera, & abſoluta Dei volitio non poteſt habere rationem futuri; tum quia effectus præſupponit decretum, & ab illo pendet, ergo illud reſpicit in ratione præexiſtentis, non in ratione futuri.

*Reſpondetur.* Reſpondetur, concedo antecedens, nego conſeſequentiam. Ad confirmationem dico, decretum Dei in priori illo rationis ſigno, in quo à nobis, cum fundamento in re, concipi poteſt vt futurum, vt ſupra n.423. habere eſſe, tum determinatum in ſe ipſo, tum indeterminatum in ſua cauſa libera. Neque Thomiſta poteſt rectè arguere, illud non habere eſſe in ſe ex eo quòd non ſit præſens: nam S.Thomas hîc, & ſæpe alibi docet, futura contingentia cognoſci à Deo, *non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt in actu in ſeipſo.* Et ratio eſt, quia omne futurum, eſt eſſentialiter futurum præſens; ergo importat eſſentialem habitudinem ad eſſe in ſe ipſo, quod præſentialiter habiturum eſt in poſteriori duratione, vel ſigno rationis. Quamobrem nego, decretum Dei abſolutum non poſſe habere rationes futuri, vt oſtendā dub.ſeq. vbi ſoluam obiectiones Gonzalez. Nego etiam vltimam conſequentiam, vt ſupra n.423.fin.

S.Thomas.

430\. *Quarta ratio contraria.* Quarta ratio ſumi poteſt ex iis, quę habet Gonzalez in fine cit. ſect.3. Volitio Dei abſoluta, & efficax cōcurrendi ad iſtum actum liberum noſtrum in particulari, non ſe habet concomitanter cum determinatione libera noſtræ voluntatis; neque conſequenter: ergo antecedenter. Primam falſi antecedentis partem probat, *quia duæ cauſæ non poſſunt ſimul ad aliquid vnum concurrere, niſi ſit aliquod tertium agens, excitans vtramque: quod in præſenti non habet locum.* Probat ſecundam partem, *primò, quia tunc volitio illa Dei, & concurſus, qui ab illa pendet, non eſſet requiſitus vt noſtra voluntas concurreret: ſiquidem prius præſupponeretur concurſus noſtræ voluntatis, quàm eſſet illa volitio abſoluta in Deo. Secundò, quia neceſſitaretur Deus ad illam volitionem: ſiquidem præſuppoſito concurſu noſtræ voluntatis, non poſſet ipſe ſuſpendere ſuum concurſum.* Et propter hanc ſecundā rationem ſententia noſtra à Cabrera tom.3.in 3.p.q.62.art.1.d.12. §.13.n.283. dicitur, *prorſus falſa, & ad libitū conficta.*

Cabrera.

*Reſpondetur.* Reſpondeo, hęc procedere ex mala intelligentia liberę determinationis, & modi, quo ad illam concurrit prima cauſa: arguens enim ita loquitur de libera determinatione, ac ſi non eſſet aliud niſi ipſe ſimpliciter concurſus. Quod ſupra notaui contra Nauarrete n.159. & 164. & contra Aluarez n.304. & 351. & notari poteſt contra Cabrerā to.3. in 3.p. q.62.art.1.d.12.§.2.n.44. Zumel tom.1. var. diſput. pag.115.§. *Tertia ratio.* Ripam hîc, dub.4.c.3. initio. Ita etiam loquitur de modo concurrendi cauſæ primæ cum cauſis ſecundis liberis, ac ſi fieret per decretum abſolutum, & determinatum ad vnum; non autem conditionatum, & indeterminatum, ſiue indifferens ad plura oppoſita. Ad probationem igitur primæ partis, dico, antecedens eſſe verum, quando illæ duæ cauſæ ſunt eiuſdem ordinis: falſum verò ſi ſint diuerſi ordinis, vt in caſu noſtro, in quo ita concomitanter concurrunt duæ cauſæ, vt vna concurrat cum eſſentiali ſubordinatione ad alteram, optimè intelligentem, quando illa concurſura ſit, & liberè vſura parato ſuo concurſu ad vtrumlibet. Ad primum ſecundæ probationis, in antecedente, præter Dei volitionem, & concurſum creatæ voluntatis, ad quem volitio illa concurrit, non bene diſtinguitur alius *concurſus ab illa pendens, & requiſitus vt noſtra voluntas concurrat.* Neq; etiam prius præſupponitur concurſus noſter, quàm volitio Dei. Nam hæc, vt indeterminata, præſupponitur ordine cauſalitatis, & ante concurſum noſtrū, & ante noſtram determinationem liberam: vt determinata verò præſupponitur ante noſtrum concurſum determinatum, ſed conſequitur liberam noſtram determinationem, vt ſupra n.417.

Zumel. Ripa.

*Voluntas Dei eſt prior, & poſterior noſtra determinatione ſub diuerſa ratione.*

Ad ſecundum, poſito Dei decreto conditionato, & indeterminato, de concurrendo ad hanc, vel illam partem, ſi ad hanc, vel illam partem voluntas noſtra liberè ſe determinauerit; & determinante ſe creatura ad vnam abſolutam, ac determinatam partem, dico, nullum eſſe abſurdum neceſſitari Deum ad decretum abſolutum, ac determinatum; quia ex probatis ſupra n.170. hoc decretum non eſt diſtinctum à primo, quod liberè poſitum eſt: quamobrem hæc neceſſitas eſſet ſolùm cōſequens, & deſcendens à libera Dei voluntate. Poſtremò aduertendum eſt, prædicta Gonzalez argumenta, ſi vim habent, probare etiam decretum prædeterminans actus malos, quod tamen ipſemet expreſsè negat ſupra num.365.

*Decretū abſolutum, eſſe neceſſarium, poſito conditionato.*

## *Argumenta Gonzalez d.45. ſect.2. ex Auguſtino, Proſpero, Hilario.*

Initio præmittit vnum fundamentum, euidenter falſum; & ideo multi ac longiſſimi eius diſcurſus, in eo ſubnixi, facillimè ruunt; nempe quòd, *hæc controuerſia ſub formalibus terminis fuit Auguſtino propoſita à Proſpero, & Hilario in epiſtolis miſſis ad* 431.

*Præcipuum Gonzalez fundamentū falſum.*

*Auguſtinum, quæ habentur ante librum eius de prædeſtinatione Sanctorum.* Hæc autem ſcripſit Gonzalez, quia non diſtinxit duas quęſtiones, quæ diligenter, & acutè diſtingui debent, ne in hac ſubtiliſſima materia decipiamur, & decipiamus.

*Diſtinguũtur duæ quæſtiones pertinẽtes ad materiam de prædeſtinatione.*

Prima eſt, An ſi Deus vellet homini dare gratiam ad ſupernaturaliter operandum, & iuxta exigentiam humanæ libertatis vellet cum illo concurrere ad oppoſita, ſiue ad eam oppoſitionis partem, ad quam ſe determinauerit, homo vi gratiæ, & prædictorum Dei decretorum, determinaret ſe ad ſupernaturaliter operandum, & ſupernaturaliter operaretur? Secunda eſt, An abſolutè voluerit Deus dare gratiam his, & non illis, propter prædicta opera conditionatè futura ab his, non ab illis; vel potius, prius abſolutè decreuerit, vt fierent opera ſupernaturalia, & deinde ad hunc finem voluerit dare gratiam, & præſcierit opera ſupernaturalia abſolutè futura? Manifeſtum eſt, has quæſtiones eſſe inter ſe diſtinctas. Prima enim eſt totaliter cõditionata, de duobus futuris conditionatis; in qua ſcilicet quæritur, an aliquis effectus eſſet conditionatè futurus, ſi futura eſſet antecedens aliqua conditio? Secunda verò eſt partim cõditionata, partim abſoluta, de vno termino conditionato, & de alio abſoluto; in qua ſcilicet quæritur, An decretum Dei omnino abſolutum de dando abſolutè gratiam, factum fuerit propter opera conditionatè futura, in priori ſigno præuiſa à Deo ſub conditione; vel potius ex puriſſima miſericordia, & incomprehenſibili iudicio, vnde opera ſupernaturalia habuerint eſſe abſolutè futura, & vt talia à Deo certiſſimè præſcita fuerint per abſolutam ſcientiam viſionis? Solùm prima quæſtio verè eſt illa, quæ hodie agitatur inter nos affirmantes, & aduerſarios negantes. De qua Auguſtinus, Proſper, Hilarius, aliíque antiquiores numquam expreſsè, & vt ait Gonzalez, *ſub formalibus terminis*, diſputarunt: quamuis noſtram ſententiam ſæpe, & non obſcurè ſignificauerint, & numquam oppoſitam, vt fuſiſſimè ac diſtinctiſſimè in ſuperioribus demonſtratum eſt.

*De qua re Auguſt. Proſper, & Hilarius diſputẽt contra Maſſilienſes.*

At verò ſecunda quæſtio eſt antiqua, de qua ex inſtituto egerunt Auguſt. Proſper, & Hilar. contra Maſſilienſes, alióſque illius temporis hæreticos: qui, vt manifeſtè conſtat ex iis, quæ prædicti Patres de illis referũt, ſemper loquuntur de rebus omnino abſolutis, & de facto, v.g. quærunt, cur aliqui infantes baptizantur, & ſaluantur; alij verò non baptizantur, & pereunt? Cur his adultis, & non aliis prædicatum ſit Euangelium Chriſti? Quarum quæſtionum occaſione, hæretici confugerunt ad opera pręuiſa futura ſub cõditione longioris vitæ, prædicationis, &c. propter quæ opera quibuſdam, & non aliis conceſſa fuerit gratia baptiſmi, prædicationis, &c.

*Quid doceãt Auguſt. Proſper, & Hilarius contra Maſſilienſes.*

Quam ſententiam cum Auguſtino, Proſpero, & Hilario omnes damnamus, aſſerẽtes tria. Primum, nullam primam gratiam dari propter opera abſolutè futura, quæ ſi antecedunt primam, atque adeò omnem gratiam, non poſſunt eſſe niſi naturalia, facta viribus propriæ naturæ. Secundum, nullam primam gratiam dari propter opera conditionatè futura, etiam ſupernaturalia, & facta vi gratię conditionatę, vt notaui ſupra n.413. ad 2. & multò minus propter opera naturaliter bona, quæ futura eſſent ſi poneretur aliqua conditio. Tertium, quod magis ad noſtram controuerſiam accedit, & non eſt ita certum, ſicut certa ſunt priora duo, ante abſolutam Dei voluntatem dandi gratiam ad hoc vt fiat opus ſupernaturale, eſſe de facto in Deo priorem aliam voluntatem abſolutam, prædefinitiuam liberi operis ſupernaturalis. Quod vltimum fatemur, frequentiſſimè, ac veriſſimè doceri ab Auguſtino, & nihil aliud illum intendere in omnibus locis, quæ affert Gonzalez in cit. ſect. 2. Quod autem huiuſmodi decretum prædefinitiuum, ſit non ſolùm ante pręſcientiam abſolutam, ſed etiam ante præſcientiam conditionatam, nullibi ſcriptum reliquit Auguſt. neque ex aliquo eius dicto poteſt vlla probabili ratione deduci; ſed potius totum oppoſitum, vt ſupra. Idque iſta vniuerſali ratione euidenter confirmo. Semper loquitur Auguſt. de illo antecedente Dei propoſito, ex quo effectus ſupernaturales ſunt abſolutè futuri, & re ipſa abſolutè exiſtunt in aliqua differentia temporis, vt conſtat ex multis locis, quę ipſemet Gonzalez pro ſe citat, & mox referam, ſed hoc propoſitum, vt patet, eſt abſolutum ex parte obiecti, non conditionatum; ergo non eſt antecedens præſcientiam conditionatam; hoc enim, ipſiſmet aduerſariis fatentibus, eſſe debet conditionatum, ſaltem ex parte obiecti.

432. His in genere animaduerſis, clariſſimè apparebit, nullius planè momenti eſſe, imò nec eſſe ad rem, omnes authoritates à Gonzalez allatas. Solùm ad rem eſſet, ita arguere. Per Auguſt. decretum prędefinitiuum, abſolutum ex parte obiecti, præcedit effectus abſolutè futuros, & conſequenter, præſcientiam abſolutam: quod nos etiam vltrò damus; ergo decretum prædefinitiuum conditionatum ex parte obiecti, debet pariter pręcedere effectus conditionatè futuros, & conſequenter, præſcientiam conditionatam. Hoc autem argumentum, quod facit Gonzalez n.8. diſſolutum ſufficientiſſimè eſt ſupra num. 358.

*Primum argumentum.*

Pro ſe igitur Gonzalez affert primò Proſperum, & Hilarium, ab Auguſt. petentes deciſionem præſentis noſtræ controuerſiæ; quam propterea ſect. 1. concl. 2. probauerat, *non eſſe nouam, ſed antiquam.*

*Reſpondetur, Proſperum, & Hilarium nõ petere ab Auguſtino deciſionẽ huius controuerſiæ.*

Sed de Proſpero hoc eſſe apertè falſum, ſufficienter oſtendi ſupra n.424. & in eodẽ ſenſu loquitur Hilar. Nam ipſiſmet verbis contra nos à Gonzalez relatis, loquens de Maſſilienſibus, ita habet. *Cùm autem dicitur eis, quare alijs, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, &c. Dicunt id præſcientiæ eſſe diuinæ:* nimirum conditionatæ, qua Deus certò præuidebat, futuram vel non futuram fidem ſub cõditione de futuro, *ſi prædicaretur.* Quibus verbis nemo non videt, quæri ſolùm cauſam de aliquo effectu abſoluto, hoc eſt, de prædicatione abſolutè facta, vel non facta; & conſequenter, de ipſomet Dei decreto efficaci, & omnino abſoluto, etiam ex parte obiecti, quo ab æterno prædefiniuit, prædicationem abſolutè futuram, vel non futuram in tempore. Quam cauſam Maſſilienſes tribuebant, inquit Hilarius, *præſcientiæ diuinæ*, hoc eſt, fidei à Deo præuiſæ conditionaliter futuræ, vel non futuræ ex prædicatione, ſi futura eſſet. Præſens autem controuerſia noſtra non eſt de cauſa liberi effectus ſupernaturalis abſolutè futuri; hanc enim, antecedenter ad omnem liberam determinationem abſolutè futuram, vltrò cum Auguſtino eſſe fatemur diuinam prædefinitionem: neque de cauſa, ſeu ratione huius decreti prædefinientis; hãc enim cum eodem Auguſtino, imò cum Apoſtolo, omnes ferè humiliter aſſerimus, eſſe incomprehenſibilem, & inueſtigabilem; & referendam in altitudinem, ſeu profunditatem impenetrabilem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Sed ſolùm eſt de cauſa liberi effectus ſupernaturalis conditionatè futuri; An ſcilicet hęc cauſa, pręter gratiã conditionatam, atque adeò conditionatam Dei voluntatem dandi illam, ſit alia Dei voluntas, vel concurrendi indifferenter ad plura, vel prędeterminandi ad vnum, v.g.

ad



ad fidem, vel ad infidelitatem, quam prædeterminationem Auguſt. & Proſper locis, & verbis ſuperius ſæpe allatis, expreſsè reiiciunt.

433. *Secũdum argumentum.*

Affert ſecundò Gonzalez multa verba Auguſtini lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 9. quæ contra ipſum retorqueri poſſunt.

*Reſpondetur retorquendo verba Auguſtini contra Gonzalez.*

Primò, quia ibi Auguſtinus apertè diſtinguit duas quæſtiones vt ſupra 431. initio. ait enim, *Quid verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri?* ſcilicet, vt conſtat ex contextu, ſub conditione apparitionis Chriſti, & miraculorum, vt patet ex dictis ſupra num. 212. & 213. Atque hæc eſt prima quæſtio noſtra, vbi nulla prorſus mentio alicuius decreti prædefinientis. Deinde immediatè proponit ſecundam quæſtionem, vbi decreti, & prædeſtinationis rationem habet, his verbis, *vtrùm prædicato ſibi Chriſto, à ſeipſis habituri eſſent fidem: an Deo donante ſumpturi, id eſt, vtrùm tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinauerit Deus?* Vbi tota quæſtio intelligenda videtur in ſenſu abſoluto, propter illud, *prædicato Chriſto*, hoc eſt, purificata conditione prædicationis Chriſti, an fides abſolutè futura, præſcita tantùm fuerit à Deo, vel etiam prædeſtinata? Secundò, quia Auguſtinus etiam quærit cauſam de effectu abſoluto, cur ſcilicet, *tunc voluerit hominibus apparere Chriſtus, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando*, &c. & ſtatim affert pro cauſa propoſitum abſolutum, etiam ex parte obiecti, dicens, tunc Chriſtum illud voluiſſe, *quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Quæ omnia multum diſtant à noſtra diſputatione, in qua inquirimus de effectu, & propoſito conditionato, non abſoluto. Tertiò, quia Gonzalez affert etiam hæc alia Auguſtini verba, *prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.* Quæ ſine dubio non ſunt ad rem, quia clariſſimè ſignificant, omnino abſolutam Dei prædeſtinationem, & præſcientiam de effectibus abſolutè futuris: & tamen nos diſputamus de Dei voluntate, & præſcientia conditionata effectuum conditionaliter futurorum. Videnda ſunt alia, quæ ſupra num. 425. ex eodem Auguſtini loco ad idem probandum allata ſunt.

434. *Tertium argumentũ non eſſe ad rem.*

Affert tertiò multa verba Auguſtini, & Proſperi, quæ non oportet referre, quia euidenter, & verè nihil aliud docent, niſi cõtra Pelagianos, Deum homines, qui de facto, & abſolutè ſaluantur, non prædeſtinaſſe ex bonis operibus naturaliter factis *per liberæ voluntatis arbitrium*; eóſque rectè impugnat, *quia*, vt ait Proſper, *ſecundùm ipſos non latet conſilium Dei; neque in occulto eſt diuinæ ratio voluntatis, & profunditas illius quæſtionis, quam ſecundùm admirationem Apoſtoli, impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle, & nolle, non ſoluitur: quia licèt inſit homini bonum nolle, tamen niſi donatum, non habet bonum velle.* Quæ omnia nihil prorſus ad rem noſtram, & à nobis non negantur; quia non ſunt de decreto Dei conditionato, ante, vel poſt præſcientiam conditionatam, de effectibus ſupernaturalibus conditionatè futuris, de qua ne verbum quidem; ſed ſolùm de decreto abſoluto præcedente effectus abſolutè futuros. Et nihilominus Gonzalez num. 10. aſſerere non dubitat, *Auguſtinum non ſolùm noſtram ſcientiam mediam expreſsè negaſſe, ſed etiam duobus efficaciſſimis argumentis confutaſſe.* Primò, *quia ſequeretur quòd non eſſet latens conſilium Dei, quare ex duobus vocatis alter traheretur, ſeu aſſumeretur, alter non.* Secundò, quia contra Auguſtinum ſupra, *illi, qui crederent, à ſe ipſis habituri eſſent fidem, & non à Deo donante ſumpturi. Quod quidem inconueniens*, inquit Gonzalez, *infert Auguſtinus ex ſola ſcientia conditionata, antecedente decretum prædeſtinationis, & electionis Dei.* Hæc omnia continent manifeſtam æquiuocationem, nam cum deberet Gonzalez probare decretum conditionatum ante conditionatam præſcientiam, affert loca, quibus Sancti admittunt decretum abſolutum ante abſolutam pręſcientiam, & poſt pręſcientiam conditionatam.

*Auguſtinum non negare ſcientiã conditionatã ante decretum.*

Itaque inſignis falſitas eſt, Auguſtinum *expreſsè negaſſe* præſciẽtiam conditionatam ante decretum, prædeterminãs liberos actus ſupernaturales. Nónne ſunt Auguſtini verba illa, relata ſupra n.313. (vt interim omittam alia quamplurima in ſuperioribus adducta pro eadem veritate) *Non prædeſtinauit aliquem, niſi quem præſciuit crediturum, & ſequuturum eſſe vocationem?* Quibus clariſſimis verbis conuictus ipſemet Aluarez, vt loco citato commemoraui, non potuit non ingenuè fateri, Auguſtinum, quem, ſub Arborei forma latentem, Auguſtinum eſſe non credebat, docuiſſe, dari præſcientiam conditionatam ante decretum prædeſtinationis.

*In opinione de ſcientia media, multò magis latere conſilium diuinæ prædeſtinationis.*

Ad primum igitur, nego ſequelam. Imò latet, & admirabile, atque impenetrabile redditur Dei conſilium ſequens præſcientiam conditionatam: nam ſi Deus præuideat, quòd, v.g. Petrus cum gratia A, ſaluaretur, cum gratia B, damnaretur; ſimiliter Iudas ſaluaretur cum gratia C, damnaretur cum gratia D, ex tali præſcientia, ſanè rationabilis inſurgit admiratio, cur deinde decreuerit efficaciter, velle Petro dare A, qua ſaluetur, & non B, qua damnetur: contra verò, dare Iudæ D, qua damnetur, & non C, qua ſaluetur. Cęterum, fingere etiam latens conſilium ante præſcientiam conditionatam, neque in ſanctis, neque in ratione vllum habet fundamentum: imò & contra ſanctos, & contra rationem apertè eſſe, conſtat ex dictis.

Ad ſecundum nego, illud inconueniens inferri ab Auguſtino ex pręſcientia conditionata ante decretum conditionatum: hoc enim nemo poteſt aſſerere, niſi qui non conſiderat ſenſum verborum Auguſt. qui eſt abſolutus, vt probaui ſupra n.433. nec ſententiam Maſſilienſium, qui loquebantur de effectibus abſolutè futuris, quorum cauſam nolebãt eſſe decretum Dei abſolutum, illa antecedens, ſed vires liberi arbitrij: & de decreto Dei abſoluto, ad gratiã, & gloriam abſolutè eligente, non abſque meritis, ſed propter præcedẽtia liberi arbitrij opera meritoria, tam abſolutè, quàm conditionatè futura: nec Patrum ſcripta, qui ſemper in prædicto ſenſu abſoluto contra Maſſilienſes diſputant.

Affert quartò alia verba Auguſt. de quibus ſupra n.404. ad 3. eáque confirmat ex lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 7. aliquanto ante finem. 435.

*Quartum argumentum.*

*Dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Iacob fuiſſe dilectum: atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, Non ex operibus: quaſi non poſſet dicere, Non ex præſentibus, ſed ex futuris operibus: ſed ait, Non ex operibus, vt gratiam commendaret.* Deinde Gonzalez ſic arguit, *Hîc apertè loquitur Auguſtinus de ſcientia conditionata antecedente decretum diuinæ electionis: nam per hanc aſſignabant Iulianus, & ſectatores, contra quos ibi Auguſtinus, cauſam electionis vnius præ alio. Vnde, vt iſtum errorem confutet, euertit eius fundamentum, ſcilicet ſcientiam conditionatam ante decretum.* Idque ſtatim confirmat Gonzalez, quia Auguſtinus idem probat ex duobus infantibus decedentibus ante vſum rationis, altero baptizato, altero non, his verbis, *Quomodo enim præſciuit ea futura, quæ, illis in infantia morituris, quia præſcientia eius falli non poteſt, præſciuit potiùs*



*non*

*non futura?* Vnde arguit Gonzalez, reiici ab Auguſt. præſcientiam conditionalium operum, non in ratione meriti aut demeriti, ſed in ratione obiecti non cognoſcibilis ante decretum, ſed poſt decretũ.

*Reſpondetur primò Auguſtinum nõ loqui de præſcientia conditionata.*

Reſpondeo primò, negando Auguſtinum loqui de præſcientia conditionata: quia apertiſſimè loquitur de futuris abſolutè, nimirum de *futuris operibus, quæ Deus Iacob facturum eſſe præſciebat.* Opera futura, quæ facturus fuit Iacob, ſunt proculdubio opera, quæ poſtea præſentialiter fecit Iacob; ergo fuerunt abſolutè futura. Quod euidenter confirmo, quia ſtatim Auguſtinus loquens de caſu duorum infantium vt ſupra, ait, non poſſe de illis dici, ſicut de Iacob, & Eſau, Deum opera eorum futura præſciſſe, ergo opera, quæ ex Iacob, & Eſau, Deus futura præſciuit, non ſunt futura conditionatè; quia hæc tam futura ſunt ex Iacob, & Eſau, quàm ex infantibus, vel neque ex illis, neque ex his futura ſimpliciter ſunt: ſed ex Auguſtino, opera Iacob, & Eſau, ſunt aliquo modo futura, quo non ſunt futura opera infantium; ergo ſunt futura abſolutè, non conditionatè. Vnde in fine ipſemet Auguſt. vt vltimo loco obiicit Gonzalez, opera infantium conditionatè futura, eſſe ait, *potius non futura:* ergo opera Iacob, & Eſau, quæ tam ab Auguſtino, quàm ab hæreticis, dicuntur ſimpliciter futura, debent intelligi, eſſe abſolutè futura; ergo diuina eorum præſcientia debet accipi vt abſoluta, non vt conditionata. Neque quidquam vrget contraria probatio Gonzalez: nam illi hæretici cauſam electionis vnius præ alio aſſignabant præſcientiam conditionatam, non in omnibus, ſed in iis, qui moriuntur ante vſum rationis; in aliis verò, qui abſolutè facturi erant opera bona, vel mala, aſſignabant præſcientiam abſolutam.

*Reſp. ſecũdò, Auguſt. non loqui de decreto conditionato.*

Reſpondeo ſecundò, eſto loquatur Auguſt. de præſcientia conditionata, antecedente decretum electionis; certum tamen eſt, loqui de decreto non conditionato, ſed abſoluto ex parte obiecti; nempe illo electionis propoſito, quo dictum eſt, inquit Auguſt. *maior ſeruiet minori:* & quo, *Iacob fuit dilectus:* & quo infans non baptizatus, frater alterius infantis baptizati, *fuit à fraterna fœlicitate diſcretus:* quæ decreta manifeſtum eſt eſſe abſoluta de obiectis abſolutis: ergo loquitur Auguſt. de præſcientia conditionata, antecedente decretum abſolutum, quam Gonzalez negare non poteſt: eſto enim decretum conditionatum ſit ante præſcientiam conditionatam, tamen decretum abſolutum debet in omnium opinione eſſe poſt præſcientiam conditionatam, ergo ſi hanc præſcientiam damnat Auguſt. vt contendit Gonzalez, damnat præſcientiam, quam ipſi etiam aduerſarij admittunt.

*Reſp. tertiò, Auguſt. reijcere nomen, non rem præſcientiæ conditionatæ.*

Reſpondeo tertiò, Auguſtinum, cum prædictos hæreticos confutat, non damnare præſcientiam conditionatam ante decretum: huius enim damnationis nullum omnino verbum extat in Auguſtino, ſed illa gratis aſſeritur ab arguente: ſolùm duo alia damnat ibi Auguſt. Primum, quod pertinet ad propriam vocis ſignificationem, non poſſe dici, præſciri futura, quæ futura numquam ſunt, qualia ſunt conditionatè futura: vt latè probaui ſupra à n. 244. ad 248. & hoc tantùm probāt verba Auguſtini vltimo loco à Gonzalez obiecta. Ex quibus ſicut ex aliis adductis loco citato fruſtra nititur colligere decretum conditionatum ante ſcientiam conditionatam; quia Auguſt. negat, præſciri conditionaliter futura, ſolùm ex eo quòd hæc non ſint abſolutè futura. Quod inconueniens remanet etiam admiſſo prędicto decreto conditionato, cum quo ſtant futura conditionalia, non abſoluta. Secundum, non poſſe opera conditionatè futura, habere rationem merendi, vel demerendi; nam immediatè poſt prædicta verba addit Auguſt. hoc aliud euidens argumentum contra eoſdem hæreticos, ex re ipſa petitum. *Aut quid prodeſt eis, qui rapiuntur ex hac vita, ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam eorum, ſi peccatum etiam quod non eſt factum, dictum, cogitatum, tamquam commiſſum fuerit, ſic punitur? Quod,* inquit, *abſurdiſſimum, inſulſiſſimum, dementiſſimum eſt.* Neque præterea quidquam addit Auguſt. quo videri poſſit, præſcientiam conditionatam improbare ex eo, quòd ponatur ante decretum conditionatum. Quod verò ipſammet præſcientiam conditionatam improbet ex eo, quòd non eſt de futuris abſolutè; ac proinde, quòd non habeat ante ſe decretum abſolutũ, vnde obiectum habet eſſe abſolutè futurum, nulli parti fauet; nam præſcientiam conditionatam ante decretum abſolutum ex parte obiecti, & nos, & illi admittimus: ideoq; ab omnibus dicẽdum vt eſt ſupra, fieri ſcilicet ab Auguſt. vim dumtaxat in nomine, non in re.

*Opera conditionatè futura non ſunt cauſa merendi, vel demerendi.*

436. Affert quintò illud Auguſtini lib. de bon. perſeuer. c. 17. fin. *Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo.* & c. 18. pro eodem accipit Auguſt. præſcire, & prædeſtinare. Et ideo ait, vt refert Gonzalez, *ſi illa prædeſtinauit, vtique præſciuit: quæ verò non prædeſtinauit bona, non præſciuit.* Ex his putat Gonzalez, *apertè colligi, quòd ſcientiam conditionatam, antecedentem decretum electionis Dei refutat, & non ſolùm abuſum eius. Et oppoſitum ſuſpicari in doctrina Auguſtini, eſt, Solem in meridie occidere.*

*Quintum argumentum.*

*Reſp. Auguſt. non loqui de ſcientia conditionata, & conditionato decreto.*

Reſpondeo. Equidem vehementiſſimè ſuſpicor, Solem in meridie occidiſſe, & in media nocte fingi Solem, ac meridiem. Eſt enim meridiana luce clarius, ibi Auguſtinum agere de præſcientia abſoluta, & de prædeſtinationis decreto abſoluto, etiam ex parte obiecti; & nullum prorſus ibi eſſe verbum, ex quo aliqua probabilitate, ne leuiſſima quidem, colligi poſſit præſcientia conditionata, aut conditionatum decretum. Et ne, quod aſſero, improbatum relinquam, vt facit Gonzalez, id manifeſtè oſtendo primò, quia cit. cap. 17. ante prædicta verba, ait Auguſt. *Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis, ſecundùm Dei propoſitum vocatis; in quibus donis eſt, & incipere credere, & in fide vſque ad vitæ huius terminum perſeuerare, hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio,* &c. vt ſupra. Propoſitum, quo dantur dona electis, & vocatis; in quibus donis eſt credere, & perſeuerare, eſt ſine vllo dubio decretum abſolutum ex parte obiecti; quia dari dona, eſſe hominem electum, vocatum; item credere, perſeuerare, ſunt clariſſimè obiectum abſolutum: ergo cum de his Dei donis ſtatim ſubdit, prædeſtinari, præſciri, non poteſt non intelligi de abſoluta prædeſtinatione, ac præſcientia. Secundò, cum dicitur ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit;* illud, *præſciuit,* inquit Auguſt. initio c. 18. *non rectè intelligitur, niſi prædeſtinauit. Quod circumſtantia ipſius locutionis oſtendit: loquebatur enim de reliquijs Iudæorum, quæ ſaluæ factæ ſunt,* nimirum, vt infra addit, *per electionem:* quam ſtatim explicans, ſic habet. *Hæc eſt illa electio, qua eos, quos voluit, elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate, prædeſtinans eos in adoptionem filiorum.* Prædeſtinatio, & electio, qua abſolutè, & de facto, Iudæi ſaluantur, aliíque fiunt ſancti, & immaculati, & in filios adoptantur, eſt prorſus abſoluta; ergo ſi, vt ait Auguſt. *prædeſtinatio ſignificatur nomine præſcientiæ,* erit quoque iſta præſciẽtia abſoluta. Quod expreſsè declarauit aliis ſequen-

*Exponitur ex Auguſt. locus ad Rom. 11.*





-tibus verbis, *Præſciuit reliquias, quas ſecũdum electionem gratiæ fuerat ipſe facturus.* Præſcire quod Deus facere voluit, & de facto fecit, quis nõ videt, eſſe præſcire abſolutum, non conditionatum? Tertiò in cap. 21. paulò poſt principium, loquens de abſoluta noſtra fide, ac perſeuerantia, quam à Deo per gratiam de facto habemus, ait, *Si hæc Deus dona ſua, quod negare quis poteſt? daturum ſe eſſe præſciuit, prædeſtinatio prædicanda eſt.* Præſcire, & prædeſtinare futuram fidem, & perſeuerantiam, quæ abſolutè, & de facto fuit in hominibus, dici nullo modo poteſt conditionatum. Quartò, ſunt alia verba initio citati capitis 17. quæ expendi ſupra num. 425. Præterea quintò conſonant quæ habet Auguſtinus in præcedenti lib. de prædeſtinatione Sanctorum c. 10. & 17. & ex eodem Gonzalez obiecta expoſui loco citato. Numquam igitur Gonzalez tangit punctum noſtræ controuerſiæ, quia cum ipſius intentum ſit probare decretum conditionatum, antecedens præſcientiam conditionatam, & hoc ipſum *apertè, expreſsè, efficaciſſimè, validiſſimè, clariſſimè,* concludere ſe dicat, nihilominus ea tantùm loca affert, quibus non probatur aliud niſi, decretum abſolutum, antecedens præſcientiam abſolutam, de qua re inter nos nulla prorſus diſſenſio eſt. Et ideò, ne lectori, iiſdem rebus ſæpius repetendis, moleſtior ſim, non refero alia loca, quæ in citata ſect. 2. Gonzalez congerit, & eamdem habent interpretationem, vt ex dictis quiuis ex ſe iudicare facilè poterit. Cauendum igitur diligentiſſimè eſt, ne dum quis communem, verámque ſententiam tanta euidentia, ac fiducia probari legit, ſingularem aliam, falſámque ſententiam probari exiſtimet, & in re grauiſſima deceptus erret.

437. Poſtremò in eadem ſectione 2. num. 20. & 21. Gonzalez nititur oſtendere contra Suarez, *quòd ex ſcientia media ſequatur, bonum vſum noſtræ voluntatis, ſub conditione à Deo præuiſum, habere rationem motiui, vt Deus eligat iſtum præ alijs,* & arguit dupliciter. Primò, quia in noſtra ſententia, *decretum abſolutum Dei, v. g. concurrendi cum voluntate Petri ad actum fidei, non aliter eſt in Deo, niſi iuxta exigentiam voluntatis Petri, ergo eligitur Petrus ad fidem, ſuppoſita tali exigentia voluntatis eius: quia ſi non eligeretur, fieret ei violentia, ergo illa eſt ratio motiua diuinæ voluntatis vt eligat Petrum ad fidem. Secundò, quia ſi Deus per hanc ſcientiam mediam cognouit, quòd ſi Euangelium prædicaretur in hac ciuitate, & darentur à Deo auxilia communia ordinis gratiæ, iſti crederent, & illi non; ergo non poteſt eligere illos, qui non eſſent credituri: neque non eligere illos, qui erant credituri; ergo ex parte illorum daretur cauſa, quare iſtos eligeret ad fidem, non illos. ergo ſolùm haberet rationem gratiæ, externa prædicatio, non autem interior fides in Chriſtum, aut perſeuerantia in illa, quæ videtur eſſe in terminis ſententia hæreticorum.* Hoc ſecundum argumentum tribuit Auguſtino lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, in fine capitis 17. & initio 18. his verbis, quæ in meo Codice habentur aliquanto poſt initium capitis 18. *Si quæſtio proponatur, vtrum impios, & immundos eligat, an potius Sanctos, & immaculatos, quid horum reſpondeat qui requiratur, ac non ſtatim ferat pro Sanctis, immaculatíſque ſententiam. Præſciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri eſſent Sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium: & ideo eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſciuit, elegit.*

*Sextum argumentum.*

*Reſpondetur, ex ſcientia media nõ ſequi, vnũ eligi, & nõ aliũ propter opera.*

Reſpondetur negando ſequelam, vt declaro ſupra num. 413. ad 2. Vnde ad primum negatur antecedens, quod falſiſſimè tribuitur authoribus ſcientiæ mediæ. Aſſerimus quidem, Deum, ante vllum decretum in actu poſitum, conditionatè præuidere, quòd Petrus cum hac, vel illa gratia crederet, & cum alia non crederet: tamen neque aſſerimus, neque vlla probabili ratione ex noſtra ſententia deduci poteſt, decretum prædeſtinans, & eligens Petrum ad fidem, eſſe in Deo, *iuxta exigentiam voluntatis Petri:* ſed ſolùm iuxta puriſſimum, ac miſericordioſiſſimum diuinæ voluntatis beneplacitum. Falſiſſimæ igitur ſunt omnes conſequentiæ ex tali antecedente deductæ: quas incredibile eſt poſſe deduci ab eo, qui noſtram ſententiam capit.

Ad ſecundum. Conceſſo antecedente, diſtinguo primum conſequens. Præuiſus à Deo conditionatè non crediturus cum gratia A, non poteſt eligi vt credat cum eadem gratia A: poteſt etiam ſimpliciter eligi vt credat, quia inter alias infinitas gratias, quibus Deus mouere poteſt Petrum ad fidem, non poteſt deeſſe aliqua, per quam Petrus crederet, & à Deo ad fidem eligi poſſet. Etenim vt ait Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ante medium, *Cum alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidem; eadémque res ſæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat, quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt?* Item, præſcitus à Deo conditionatè crediturus cum gratia B, poteſt quidem abſque vlla prorſus præſciti violentia, ex mera Dei libertate ſimpliciter non eligi: tamen ſi vult Deus illi dare gratiam B, non poteſt non eligere illum ad fidem. Nego præterea ſecundam conſequentiam, ſicut & tertiam, in qua inſufficienter proceditur; quia cum in antecedente ex noſtra ſententia ad præſcientiam conditionatam fidei ponantur duæ conditiones, & prædicatio externa, & interna gratia; deinde arguens, ſui oblitus, ita concludit, ac ſi nos dicamus, ad habendam fidem ſufficere tantùm prædicationem externam.

Auguſtin.

Demum hoc ſecundum argumentum, adeo friuolum, ac falſum, Auguſtino tribuere nefas eſt. Nam certum eſt, illis locis, imò eiſdem illis verbis, quæ pro ſe adducit Gonzalez, Auguſtinum loqui de abſoluta præſcientia, & prædeſtinatione, quæ, vt ſæpe dixi, non ſunt ad rem: & arguere contra hæreticos, qui cauſam prædeſtinationis ponebant opera bona, naturaliter facta *per liberæ voluntatis arbitrium;* quæ prius abſolutè præſcierit Deus, & poſtea propter illa fecerit decretum electionis. Quæ longiſſimè abſunt à noſtra ſententia, modò rectè percipiatur, & fideliter referatur.

Multa alia argumenta coaceruat Gonzalez ſect. 3. 4. 5. 6. & 7. quæ vel ſuperius ſoluta ſunt; vel ex dictis poſſunt à quocumque facillimè ſolui; vel petunt alias difficultates in ſequentibus dubitationibus diſtinctè tractandas.

## *Aliorum aduerſariorum argumenta.*

Non repetam quæ alij Authores communia habent cum Aluarez, & Gonzalez; & propoſita, ac ſoluta hactenus ſunt. Præterea in aliis nonnulla inueni minoris momenti, quæ breuiter indicanda ſunt, ne in tam celebri controuerſia quidquam deſit, quod deſiderari poſſit. 438.

*Prima obiectio ex Cabrera, Zumel, Verdu.*

Obiicies primò ex Cabrera tomo 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. §. 22. in num. 358. ſi ſcientia futurorum contingentium conditionalium eſſet in Deo abſque aliqua diuina prædeterminatione, *ſequeretur talium futurorum cognitionem prouenire Deo à caſu.*

*ex aliquo extrinſeco, quod eſt falſum.* eamdémque obiectionem breuius tetigit Zumel tomo 1. variarum diſp. pag. 124. col. 1. initio, & fuſius Verdu fol. 14.

*Reſpondetur ex ſcientia media nõ ſequi, Deũ caſu ſcire futura conditionata.*

Reſpondetur ſequelam eſſe falſam, quia ſcientiam alicuius obiecti prouenire à caſu, eſt prouenire præter opinionem, & intentionem ſcientis, vt probatur 2. Phyſ. t. 60. hoc eſt, abſque vlla præuiſione, & voluntate. At effectus liberi conditionaliter futuri, non ſolùm præſciuntur à Deo ſtatim ac habent eſſe ſcibile, ſed etiam intenduntur aliqua ratione, hoc eſt, non per voluntatem prædeterminantem, ſed ſolùm ordinantem, & intendentem vt hoc vel illud fiat per ſubordinationem ad diuinam omnipotentiam, ad quod liberè determinauerit ſe creatura: & ſine ordine ad hanc voluntatem, non in re, ſed in mente prærequiſitam, nullus effectus liber conditionaliter futurus eſſe, & ſciri poteſt. Quod autem à cauſa ſecunda libera, ſe liberè determinante, oriatur vt futura conditionaliter ſit hæc oppoſitionis pars, & non alia, ac proinde, vt Deus ſciat hanc, non aliam, non facit, ſcientiam illam eſſe caſualem, ſed liberam. Et quid ſimile aduertere licet in contraria ſententia de prædeterminatione: vbi etiam accidit diuinæ ſcientiæ, vt ſciat hoc potius, quàm aliud conditionaliter futurum; quia diuina voluntas liberè prædeterminauit hoc, cum potuiſſet prædeterminare aliud. Neque refert, hanc determinationem prouenire à cauſa ſecunda extrinſeca, quia hinc nihil prouenit in ipſum diuinæ ſcientiæ actum, ſed tantùm in obiectum determinatum ſcibile, quod præſupponi debet, non tamquam formaliter obiectum illius ſcientiæ, ſed tamquam purè terminus: & hoc etiam modo præſupponitur per aliquam dependentiam à ſcientia, & voluntate Dei; vt probatum, & declaratum ſæpe eſt, partim in hoc articulo, partim ſupra in articulo octauo.

439. *Secunda obiectio ex Cabrera.*

Obiicies ſecundò ex eodem Cabrera, in tom. 3. q. 62. art. 1. d. 12. §. 13. num. 286. *Scientia diuina, vt antecedit eius liberam voluntatem, eſt omnino neceſſaria*, ergo per illam ſcire non poteſt Deus effectus liberos, conditionatè futuros.

*Reſpondetur, ſcientiã Dei eſſe liberã per aliquam dependentiã ab eius voluntate.*

Reſpondetur diſtinguendo antecedẽs. Si ſcientia antecedit voluntatem omni modo, hoc eſt, tam realiter quàm obiectiuè præſuppoſitam, concedo totum: ſi verò ſcientia antecedit voluntatem ſecundum vnum modum, nempe, vt realiter præſuppoſitam, ſed conſequitur ſecundum alium modum, nempe, vt obiectiuè præſuppoſitam; quibus modis ſæpe diximus habere ſe diuinam ſcientiam reſpectu contingentium conditionaliter futurorum, nego antecedens, & conſequentiam.

440. *Tertia obiectio ex Verdu.*

Obiicies tertiò ex Verdu ſupra. Poſita noſtra ſententia, *Scientia Dei diceretur per ſe immutabilis, quatenus à ſeipſo variari, & mutari non poterat; & quatenus non erat in ſua libertate, vt oppoſitum eſſet, & ſciret; ſed diceretur per accidens mutabilis, & variabilis, quatenus potuit ſcire oppoſitum. Igitur admittis Deum iam fortunatum, iam infœlicem; dum volenti omnes homines ſaluos facere, occurrit bonus vſus arbitrij Petri, & non Iudæ; & non ex motione efficaci, & intentione voluntatis diuina, ſed ex alieno Marte. Itaque ſi cecidit ſors ſuper Petrum, & non ſuper Iudam, non ex vocante dicetur; non ergo Petrus inuenit gratium coram oculis Domini; ſed potius Deus, volens ſaluare Petrum, inuenit gratiam in vſu arbitrij Petri, & non Iudæ. Præter intendentem voluntatem Dei cecidit ſors: nam, vt dicitis, fortè Deus, quantum eſt ex parte ſuæ auxiliatricis voluntatis, magis iuuauit Iudam: in Petro nihilominus Theſaurus inuentus eſt.*

*Reſpondetur, futurum cõditionatũ diſtinguendum eſſe à futuro abſoluto, & poſſibili.*

Reſpondetur. In toto hoc argumento mira latet æquiuocatio, & non tangitur punctum difficultatis; quia noſtra quæſtio eſt de futuris conditionatis, & tamen agitur de futuris abſolutis, de quibus quædam abſurda exaggerat, & nobis imponit, quæ nemo vnquam aſſeruit. Quod in iſto Scriptore mirum eſſe non debet, quia totam ſuam relectionem fundat in vno principio euidenter falſo, & ferè contra omnes, etiam ſuos, vt infra n. 480. & n. 489. nempe, præter futurum poſſibiliter, & futurum actu abſolutè, non dari futurum actu conditionatè; ac proinde, futura conditionata non ſciri à Deo ſcientia viſionis poſt decretum, ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ ante decretum. In hac concluſione nobiſcum ſentit, contra omnes ſuos Thomiſtas; in illo principio diſſentit ab omnibus; vnde conuincitur, ſcientiam Dei conditionatam admittere verbotenus, re autem ipſa verè negare, contra omnes authoritates, & rationes dub. 13. Et vt cætera omittam, illud de Tyriis Matth. 11. *Pœnitentiam egiſſent*, quod eſt futurum conditionatum, certò ſcitum à Deo, dici non poteſt pœnitentia poſſibilis futura, quia viſis illis miraculis non ſolùm erat poſſibilis futura pœnitentia, ſed etiam non futura pœnitentia; ergo ſpectando poſſibilitatem, quam pœnitentia illa habebat in cauſa libera, non ſolùm habebat poſſe eſſe futurum, ſed etiam poſſe non eſſe futurum, ergo in illa poſſibilitate non poteſt certò ſciri vnum, potius quàm aliud.

*Exponitur locus Matth. 11.*

*Declaratur, & probatur ſcientia Dei libera.*

Itaque initio, ſiue in ſua, ſiue in noſtra ſententia, perperam dicitur *ſcientia Dei variari, & mutari*, ſiue ex ſe, ſiue ex alio: aliud enim eſt, ſcientiam Dei eſſe liberam, ſeu contingentem, aliud eſſe mutabilem, ſeu variabilem. Primum omnes concedimus. Secundum communiſſimè negatur, vt notaui, & probaui in primo tomo q. 9. art. 1. n. 11. Præterea loquendo in bono ſenſu, & vniuerſaliter, nullum eſt abſurdum, imò pro ſalute noſtræ libertatis omnino neceſſarium, Deum liberè, & contingenter ſcire hunc actum liberum futurum, potius quàm alium, non ex libertate, & contingentia voluntatis ſuæ, nos prædeterminantis; ſed ex libertate, & contingentia voluntatis noſtræ, ſeſe liberè determinantis. Quæ verò adduntur de Deo fortunato, & infœlice, ad mouẽdum in theatris populum potius, quàm ad Theologos in ſcholis inſtruendos ſcripta videntur. Deo poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & poſt præſcientiam conditionatam, actualiter volenti omnes homines ſaluos facere, non occurrit primò vſus bonus liberi arbitrij, ſed diuina gratia ſufficiens, vi cuius poteſt eſſe futurus bonus vſus liberi arbitrij. Deo autem volenti efficaciter, & liberè ſaluum facere Petrum, non Iudam, nullus bonus liberi arbitrij vſus occurrit, abſolutè futurus; ſed ſolùm occurrit gratia conditionata, & infallibilis, vnde conditionatè, & infallibiliter eſſet futurus bonus vſus Petri, non Iudæ, ſi gratia illa daretur. Quamobrem cum Deus ex ſapientiſſimo, ſed incomprehenſibili iudicio ſuo prædeſtinat, ac prædefinit dare Petro gratiam cum qua conditionaliter præuiſus eſt conſenſurus, & non aliam cum qua conditionaliter præuiſus eſt diſſenſurus; & è contra, dare Iudæ gratiam cum qua præuiſus eſt diſſenſurus, & non aliam cũ qua præuiſus eſt conſenſurus, id quidem nulla ratione dici poteſt eſſe ex alieno Marte, vt ſupra num. 413. ſed ex propria intentione, & motione efficaci; & non ſorte, & caſu, ſed conſultò, & ex vocante, & ex diuina gratia omnino antecedente. Itaque non ſors, ſed efficax Dei gratia cadit ſupra

*In obiectione Verdu multa alia notãtur.*



ſupra Petrum, non ſupra Iudam: idque non ex caſu, ſeu fortuna, ſed ex infallibili præſcientia, & decreto Dei per inueſtigabilem ſapientiam, & ſummam miſericordiam, ac iuſtitiam diſcernentis vnum ab alio, & aſſumentis Petrum, relinquentis Iudam. Neque inuenta eſt gratia in vſu arbitrij, ſed in miſericordioſiſſima Dei prædeſtinatione, quæ cauſauit quidem illum vſum, tamen nullo modo ab illo vſu cauſata eſt. Quapropter diuina prædeſtinationis gratia theſaurum bonorum operum in vaſis noſtris fictilibus non inuenit, ſed adduxit. Vnde falsò nobis tribuitur, quod in nullo noſtro Theologo legitur, Deum, quantum eſt ex ſe, voluiſſe iuuare magis Iudam, quàm Petrum: quia hunc, non illum prædeſtinauit, & efficaciter vocauit.

441. *Quarta obiectio ex Verdu.*

Obiicies quartò ex eodem ibidem. Per nos, *Ideo conſenſus eſt præſcitus, quia futurus. Inuenit itaque Deus conſenſum: inuenire autem fortunati eſt. Inops igitur Deus conſilij, & efficaciæ, à ſe exiuit, quærens arbitrium, quod adderet efficaciam; & inuenit illam in arbitrio Petri, & non in Iuda: fortunatus igitur in Petro, & in Iuda infœlix eſſet Deus.* Deinde quærit primò vnde ſit bonus vſus noſtræ libertatis? *Non ex prædeterminatione. Non ex Deo vocante efficaciter, ergo ex te.* Quærit ſecundò, *Quare de facto præſciuit Deus hanc partem? fuit caſus, contingentia, an per ſe? fuit fatum? aut quid fuit?* poſtremò ſic concludit. *Obſerua ergo nouelle Theologe hæc incommoda; & caue, ne ſcientia media medium ſit, remedium Dei euacuans: ne medium ſit, & via, qua ad hæc præcipitia perueniatur.* Et ſtatim nonnulla addit pro diuina gratia, & prædeſtinatione, quæ negari ab Authoribus mediæ ſcientiæ, nullus poteſt aſſerere, niſi qui ſententiam de ſcientia media non ſatis percipit.

*Quærit primò.*

*Quærit ſecũdò.*

*Reſpondetur ad obiectionem.*

Reſpondeo, quicquid infertur ex illa cauſali, *Ideo conſenſus præſcitus, quia futurus,* non tam inferri contra nos, quàm contra Iuſtinum, Origenem, Hieronymum, Cyrillum, Auguſtinum, Damaſcenum, Boëtium, Euſebium; qui cauſalem illam expreſſiſſimè docuerunt, vt tradidi ſupra art. 8. à numero 48. ad 54. & defendi à numero 86. ad 101. Quamobrem non tam pro nobis, quàm pro Patribus noſtris, quos arguens verè impugnat, diſtinguendum eſt de conſenſu futuro, vel abſolutè, vel conditionatè. De conſenſu ſupernaturali abſolutè futuro, de quo ſemper loqui videtur arguens, vt notaui numero præcedenti, dico, illum non inueniri, ſed cauſari à diuina gratia, & voluntate abſoluta Dei, qui intra ſe ipſum, hoc eſt, in infinita altitudine diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ conditionatæ, & non extra ſe, in noſtro libero arbitrio, efficaciam inuenit. Non igitur fortunatus, aut infœlix Deus; ſed fortunatus Petrus, & infœlix Iudas; quia cum ambo in æquali perditionis maſſa eſſent incluſi, & ambo poſſent vel in ea iuſtè relinqui, vel ex ea miſericorditer liberari, placuit ei, cuius incomprehenſibilia iudicia, & inueſtigabiles viæ ſunt, qui non ſolùm eſt diues in miſericordia, ſed iuſtus in omnibus viis ſuis, & miſericordiam in Petro, & in Iuda iuſtitiam oſtendere. Si verò loquamur de conſenſu ſupernaturali conditionaliter futuro, adhuc dico, illum non inueniri, ſed cauſari à gratia, & voluntate conditionata. Efficaciam quoque non haberi à libero arbitrio operante effectum abſolutum: ſed à ſcientia conditionata, ſuppoſita conditionata cooperatione liberi arbitrij, quod nunc ſupponendum eſt.

*Reſpondetur ad primum quæſitum.*

Ad primum quæſitum reſpondeo, bonum, ac ſupernaturalem vſum noſtræ libertatis conditionaliter futurum, non eſſe ex vlla prædeterminatione, non ex ſolo Deo efficaciter vocante; quibus duobus membris tantùm excluſis, inſufficienter concluditur, *ergo ex te*; nam præterea remanet, eſſe ex Deo per gratiam præmouente, & coadiuuante, atque ex noſtra voluntate per propriam libertatem ſeſe determinante: eumdémque vſum abſolutè futurum, eſſe etiam ex certiſſima, abſolutáque Dei prædeſtinatione, & diuina gratia omnino infallibili poſt conditionatam præſcientiam.

*Vnde ſit bonus vſus voluntatis.*

*Reſpondetur ad ſecundum quæſitum.*

Ad ſecundum quæſitum reſpondeo, cauſam illius diuinæ præſcientiæ, non fuiſſe caſum, non fatum; ſed præter diuinam gratiam, & voluntatem conditionatam, ſine qua nullus actus liber ſupernaturalis futurus eſſe poteſt, neque abſolutè, neque conditionatè, fuiſſe etiam libertatem noſtræ voluntatis, cuius eſſentiale munus eſt, poſitis omnibus, & naturalibus, & ſupernaturalibus, ad liberè operandum prærequiſitis, determinare ſe ad alterum quodlibet ex duobus oppoſitis, circa quæ libertas verſari poteſt. In actu autem abſolutè futuro, fuiſſe etiam actuale Dei decretum, non quidem prædeterminans ante conditionatam præſcientiam illius actus, ſed ſolùm prædefiniens poſt præſcientiam conditionatam. Quibus manifeſtè conſtat, quàm vana, ac ridicula ſit adiecta ad nouellum Theologum exhortatio in odium ſcientiæ mediæ. Incommoda, & præcipitia, quæ obtruduntur, non ſunt ex media ſcientia, ſed ex minus recta mediæ ſcientiæ intelligentia. Diuinum efficacis gratiæ remedium media ſcientia non euacuat, ſed multò magis implet quàm phyſica prædeterminatio, vt ſupra num. 413. ſcientia media, qua omnis creatarum voluntatum prædeterminatio excluditur, vnicum medium eſt, & tutiſſima via, omnium Patrum, & veterum Scholaſticorum trita veſtigiis, concordandi noſtram libertatem cum Dei intellectu, voluntate, & gratia, vt infra oſtendam in propria dub. 22.

*Quare Deus præſciat futurum vnum potiùs quàm aliud.*

442. *Quinta obiectio ex Verdu.*

Obiicies quintò ex eodem in folio 15. fin. Si ſcientia conditionata eſſet in Deo per determinationem creaturæ, & non per ſuum decretum prædeterminans, *declinaret non in liberam, ſed in ſcientiam acquiſitam, quam hauriret ex arbitrio noſtro per dependentiam ab extraneo, & exeundo à ſe. Quod planè repugnare videtur ei, quod habetur Ioan. 2. Opus ei non erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* Ioan. 2.

*Reſpondetur declarando, quo modo ſcientia conditionata ſit prior, & poſterior rebus futuris.*

Quid reſpondendum ſit, patet ſufficienter ex dictis ſupra art. 8. dub. 5. & in ſolutionibus obiectionum à num. 124. & rurſus à num. 135. nam in conditionata quoque Dei præſcientia diſtingui debent & entitas actus, & extrinſeca terminatio ad obiectum. Illa præcedit creaturas, hæc tantùm conſequitur. Et quia eſſe acquiſitum, haurire, dependere, & ſimilia, actum præcipuè important, ideo totum argumentum falſum eſt, quod in ſequentibus ſæpe repetit, & theatricè potius, quàm theologicè proſequitur. Solùm hîc aduerto, verba Ioannis non afferri ad rem. Illa nihil aliud docent, niſi Chriſtum ex ſe ſcire liberos, & occultos hominum actus; quod nemo negat. Noſtra verò diſputatio non eſt hæc, ſed alia valde diuerſa, an Deus ideo ſciat hos actus, & non alios, quia ipſe prædeterminauit vt eſſent hi actus, & non alij: vel potiùs, quia creatura ſe liberè determinauit ad hos, & non ad alios? Adeò crebræ, & euidentes ſunt huiuſmodi diſtractiones in aduerſariorum ſcriptis, vt hinc veritas noſtræ ſententiæ non mediocriter confirmari poſſit; quia præcipua tela, quæ contra ipſam iaciuntur, vacuum aërem

*Exponitur locus Ioan. 2.*

aërem feriunt,eámque ne leuiſſimè quidem attingunt.

443. *Sexta obiectio ex Riſpolo.* Obiicies ſextò ex Riſpolo pag. 34. *Si ſcientia media præcederet præfinitiones, non prædiffinitiones, ſed poſtdiffinitiones eſſent appellandæ.*

*Reſpondetur explicando, cur dicatur prædefinitio, non poſtdefinitio.* Reſpondetur, potiori iure dicendas fuiſſe prædefinitiones, per ordinem ad actus abſolutè futuros, quos præcedebant & cauſalitate,& natura, & æterna duratione; quàm poſtdefinitiones, per ordinem ad præſcientiam conditionatam,quam non ſequebantur neque cauſalitate, neque duratione, neque natura, ſed ſolùm ratione noſtra ratiocinata. Quo vltimo modo, etiam per Thomiſtas, ſequuntur poſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & tamen non ſunt ab ipſis appellatæ poſtdefinitiones: ſicut etiam ſcientia conditionata per ipſos ſequitur decretum prædeterminans; & tamen, non obſtante huiuſmodi poſterioritate,ea dicitur præſcientia,non poſtſcientia.

444. *Septima obiectio ex Machin.* Obiicies ſeptimò ex Machin hîc, d. 34. ſect. 1. §. *Redeo. Scientia media ponitur independenter à diuino decreto, ex illo fundamento, quòd ex duobus contradictorijs vnum eſſet determinatè verum, & aliud falſum, ſi poneretur talis conditio.* Hoc autem fundamentum non habet vim,quia pariter probaret, futura abſoluta ſciri etiam independenter ab abſoluto Dei decreto.

*Reſpondetur aſſignando fundamentū ſcientiæ mediæ.* Reſpondeo, falſam eſſe maiorem,quæ procedere videtur ex confuſione duarum quæſtionum, quæ,vt non ſemel in ſuperioribus monui,accuratè diſtingui debent, altera, an futura conditionata ſciantur ſimpliciter: altera, an ſciantur independenter à decreto. Fundamentum igitur de contradictoriis non affertur à nobis ad probandam ſecundam quæſtionem, vt arguens obiicit, ſed ad probandam primam: in qua bene habet diſcurſus Machin,nimirum,eodem fundamento probari veritatem, ſeu falſitatem determinatam futurorum conditionalium, & abſolutorum. Et ideo nos ſupra num. 237. & 238. eadem ratione, ex contradictoriis ducta, probauimus Deum ſimpliciter ſcire futura conditionata, & futura abſoluta. Ad probandum verò, Deum, independenter à decreto prædeterminante, ſcire abſolutè futura, vt ſupra dub. 11. & futura conditionatè, vt in hac dub. 17. non hanc rationem,ſed alias adduximus.

445. *Octaua obiectio ex Machin,& Gonzalez.* Obiicies octauò ex eodem ibidem, quod argumentum iiſdem penè verbis legitur in Gonzalez d. 45. num. 54. iuxta noſtram ſententiam, *Vocatio Dei congrua prius eſt futura, quàm poſſibilis.* Quam falſitatem ſic probat, *quia ſi prius fuit poſſibilis, ergo cognoſceretur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, purè naturalem: ergo ante determinationem liberi noſtri arbitrij; ergo inutilis eſt ſcientia media,vt Deus præparet nobis, ſi velit, illam vocationem congruam.*

*Reſpondetur.* Reſpondetur, negando ſecundam, & tertiam conſequentiam;quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, tendendo in vocationem congruam ſub eſſe poſſibili, debet cognoſcere, poſſe hanc vocationem, poſt poſſibilem determinationem noſtri liberi arbitrij, conditionatè præuideri; & ex tali præuiſione poſſe habere congruitatem, & efficaciam omnino infallibilem.

*Inſtātia Machin.* Inſtat Machin, quia ſi ſcientia ſimplicis intelligentiæ, cognoſcendo vocationem congruam poſſibilem, connotando ſcientiam conditionatam, non quæ eſt,ſed quæ poteſt eſſe in Deo, *ergo conceditur, quòd independenter à ſcientia conditionata, quæ iam ſit in Deo de futuro noſtro conſenſu, ſub tali conditione, poteſt, ſi velit, præparare nobis vocationem congruam, ac proinde prædeſtinare.*

*Reſpondetur declarando dependētiam prædeſtinationis à ſciētia conditionata poſſibili, & actuali.* Reſpondeo, falſam ſimpliciter eſſe conſequentiam; quia in ea, vocatio congrua, & prædeſtinatio,conſiderantur vt actuales; & tamen cohærenter ad antecedens,conſiderari debebant vt poſſibiles: igitur independenter à ſcientia conditionata actuali, eſt vocatio congrua poſſibilis, non autem actualis. Item, ſcit Deus,ſe poſſe prædeſtinare independenter à ſcientia conditionata actuali, non autem à ſcientia conditionata poſſibili.

446. *Nona obiectio ex Machin.* Obiicies nonò ex eodem ſupra, poſt tertiam confirmationem. *Sumamus hanc conditionalem, ſi Adam peccaret, Chriſtus fuiſſet incarnatus. Si hæc eſt vera antecedenter ad liberam Dei determinationem, ergo poſito peccato Adami in eſſe, non fuit in poteſtate Dei,Chriſtum non incarnari: aliàs ſequeretur quod incarnatio eſſet futura,& ſimul non futura.*

*Reſpondetur, ex ſcientia media non ſequi, rem futuram, & non futurā.* Reſpondetur,negatur conſequentia,quia poſito illo peccato, adhuc incarnatio Chriſti facta fuit liberè,hoc eſt,cum poteſtate ad oppoſitum. Vnde ad probationem conſequentiæ, nego ſequelam: quia ex illa Dei poteſtate ad non incarnationem Chriſti,non ſequitur,quòd incarnatio ſit futura,& non futura, quæ eſt contradictio; ſed quòd ita ſit futura, vt ſimul poſſit non eſſe futura; nimirum potentia antecedente futuritionem, ſiue in ſenſu diuiſo, non autem potentia conſequente futuritionem,ſiue in ſenſu compoſito;vbi nulla eſt contradictio, ſed libertas.

Atque hæc de præcipua conditionatæ ſcientiæ contingentium, conditionaliter futurorum, difficultate: nimis quidem prolixa, & minus vtilia, ſi rem ipſam ſpectes;breuiora tamen,& maximè neceſſaria, ſi temporum,in quæ incidimus,conditionem attendas:quando vniuerſi totius orbis terrarum Theologi,imò etiam fideles pene omnes, nihil frequentius,nihil grauius, nihil ardentius, &, vt ego quidem experientia didici, nihil obſcurius, ac difficilius in ſcholis docent, in publicis diſputationibus agitant,in ſcriptis,ac libris pertractant, in priuatis ſermonibus inquirunt. Quo fit, vt quamuis omnia dixiſſe videar, tamen mihi potius timendum ſit, ne aliquid omiſerim, quàm ne ſuperflua ſcripſerim. Et ideo nonnullas alias breuiores dubitationes addam, quæ etſi ex dictis decidi facilè poſſint, nihilominus ad exactam celeberrimæ,ac difficillimæ controuerſiæ comprehenſionem ſunt diſtinctius explanandæ.

## DVBITATIO XVIII.

### *An ad præſcientiam conditionatam neceſſarium ſit, Deum ſcire futurum aliquod ſuum decretum.*

SVMMA.

1. *Non eſt neceſſarium ſciri decretum abſolutè futurum. num. 447.*
2. *De facto ſciri decretum abſolutè futurum. n. 448. & 449.*
3. *Eſt neceſſarium ſciri decreta conditionatè futura. num. 450.*
4. *Obiectiones Aluarez. num. 451. & 452.*
5. *Obiectiones Gonzalez, & Nauarrete. num. 453. ad 456.*
6. *Obiectiones Cabreræ, & Verdu. num. 456. ad 459.*
7. *Obiectiones Vazquez, Molinæ, & Arrubal. n. 459. ad 462.*

HActenus à Deo excluſimus quodcumque decretum antecedens præſcientiam conditionatam, & in eodem rationis ſigno cum illa realiter exiſtens,ac præſens:reliquum eſt vt videamus, an excludenda etiam ſint decreta futura,& conſequentia præſcientiam illam.



447. *Prima concluſio.* Prima concluſio. Quamuis ad præſcientiam Dei conditionatam, non ſit neceſſarium, præſciri à Deo aliquod liberum ſuum decretum abſolutè futurum; tamen hoc non eſt impoſſibile; imò neceſſarium eſſe putamus,omnia decreta libera,quæ in poſteriori ſigno concipimus facta eſſe à puriſſimo actu diuinæ voluntatis, fuiſſe in priori ſigno rationis, certò præuiſa vt futura à diuino intellectu.

*Ad ſciētiam conditionatā non eſſe neceſſariū aliquod Dei decretum abſolutè futurū.* Prima pars eſt omnino certa apud omnes,etiam aduerſarios Thomiſtas,& patet ex futuris conditionatis, quæ nunquam habent eſſe in re extra Deum: hæc enim, ſiue ſciantur præſuppoſito decreto prædeterminante, conditionato ex parte obiecti,vt volunt Thomiſtæ,ſiue nullo præſuppoſito decreto,ne conditionato quidem ex parte obiecti,vt nos volumus,certum eſt in omni opinione non habere veritatem, & conſequenter intelligibilitatem,ex aliquo decreto abſoluto ex parte obiecti, neque præſenti cum ipſa præſcientia conditionata,neque futuro poſt ipſam in ſequenti ſigno rationis: quia circa obiecta creata,quæ nunquam futura abſolutè ſunt, vt in hoc caſu ſupponimus, non poteſt cogitari decretum Dei omnino abſolutum,quo velit vt illa obiecta aliquando abſolutè ſint. Igitur non eſt neceſſarium, imò eſt impoſſibile, Deum per illam præſcientiam, qua præſcit huiuſmodi obiecta, præſcire aliquod ſuum liberum decretum abſolute futurum; quia præſciret falſum. Quapropter etſi præuoluerit Deus, v. g. deſtructionem Syriæ,poſita quina terræ percuſſione,vt 4. Reg. 13. & deinde cognouerit deſtructionem illam conditionatè futuram, vt ſupra n. 252. & 272. tamen neque deſtructio, neque percuſſio fuit abſolutè futura, ergo neque in Deo fuit abſoluta voluntas talis deſtructionis, ac percuſſionis: ergo hæc voluntas non potuit à Deo cognoſci. Et idem multò magis apparet in aliis futuris conditionatis per conditiones antecedentes, habentes aliquam connexionem ex natura rei cum effectibus, in quibus ex noſtra opinione nullum datur diuinum decretum in actu poſitum. Vnde ſi poſt præſcientiam conditionatam, nihil facere voluiſſet Deus, haberetur præſcientia conditionata abſque vllo actuali voluntatis diuinæ decreto, neque præſenti, neque futuro. Et quamuis de facto poſt præſcientiam conditionatam multa ſequuta ſint libera Dei decreta,quæ in priori ſigno erant futura,tamen quia hæc oriuntur per ſe ex libertate diuinæ voluntatis, ac proinde poterunt non eſſe,remanente prorſus inuariata priori præſcientia conditionata, & non pertinent ad hanc præſcientiam, vel tamquam obiectum illius, vel tamquam neceſſariò connexa cum illa, adhuc prima pars concluſionis verificatur de his etiam decretis abſolutè futuris.

448. *Libera Dei decreta habere aliquā rationem futuri,* Tertia pars concluſionis de neceſſitate ſciendi, ſequitur ex ſecunda parte de poſſibilitate ſciendi; quia certum apud omnes eſt Deū,quicquid poteſt ſcire, neceſſariò ſcire; quod eſt idem, ac Deum alicuius rei ignorantem eſſe non poſſe. Secunda igitur pars, & conſequenter tertia, eſt Fonſecæ 6. Metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 7. ad 1. & ſect. 10. ad 4. Suarez opuſc. de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 6. ad 4. & cap. 8. & locis citatis ſupra num. 264. Riſpoli pagina 87. Zumel hîc d. 8. concluſione 6. & aliorum, contra eumdem Zumel tom. 1. variarum diſput. pag. 116. & pag. 148. ad 6. Aluarez lib. 1. reſponſionum cap. 4. concl. 1. Nauarrete hîc,controuerſia 56. §. 5. Cabreram tomo 1. in 3. p. q. 1. art. 3. diſp. 1. §. 22. num. 356. & fuſius infra, à num. 372. ad 377. & tom. 3. q. 62. art. 1. d. 12. §. 7. à num. 172. ad 175. F. Blaſium Verdu fol. 13. circa finem,& fol. 36. initio. Cantarellum q. 22. concl. 2. Gonzalez hîc, d. 44. num. 35. & d. 45. num. 50. cum quibus ſentiunt ex noſtris Molina hîc, diſp. 17. §. *Quæret.* Vazquez d. 65. fin. Arrubal d. 47. num. 12. & 13. quem ſequitur Machin d. 34 ſect. 3. Albertinus tomo 1. pag. 287. aſſertione 4. qui tamen in fundamentis non conſentiunt,vt infra videbitur. Verùm Zumel,& Machin, qui contra concluſionem præcedentis dubitationis tenent, actus noſtros liberos non poſſe eſſe, nec à Deo ſciri, aliqua ratione futuros, niſi à libero arbitrio ad vnum prædeterminato, non poſſunt conſequenter aſſerere, Deum præſcire libera ſua decreta futura; quia nullam in Deo prædeterminationem admittere poſſunt: ergo ſi, vt dicunt, indifferentia eſt in cauſa, vt Deus cognoſcere nequeat futurum aliquod decretum noſtrum,eadem pariter impediet,ne cognoſcat ſuum. Et ideo alij prædeterminatores communiter hanc concluſionem cohærentius negarunt; & rectè Aluarez ſupra num. 6. fin. huiuſmodi cohærentiæ defectum notauit contra Zumel.

*Eſt Fōſecæ, Suarez, Riſpoli, Zumel.*

*Contra Zumel,*

*Aluarez, Nauarrete, Cabreram, Verdu, Cantarell. Gonzalez, Molinam, Arrubal, Vazquez, Machin, Albertinū.*

Præcipuum concluſionis fundamētum eſt,quia huiuſmodi decreta Dei libera, quatenus in actu ſecundo libera,quicquid tandem ſint,de quo infra in proprio loco,certum apud omnes eſſe debet,ita eſſe in Deo præſentia, vt potuerint non eſſe præſentia; & contra,ita non eſſe in Deo præſentia, vt potuerint eſſe præſentia:omnes enim dicimus,v.g. Deum ita liberè voluiſſe creare hunc mundum,vt potuerit voluiſſe non creare: & ita liberè voluiſſe non creare,vel non voluiſſe creare alium mūdum, vt potuerit voluiſſe illum creare. Hoc poſito, ſic arguo primò,decretum Dei,quod de facto eſt, potuit non eſſe, vt omnium conſenſu notum eſt; ergo fuit in poſteriori aliquo ſigno futurum: ergo ſcitur à Deo ſub iſta ratione futuri. Hæc ſecunda conſequentia eſt manifeſta, quia intellectus diuinus,ob ſuam infinitatem, ſcire debet quicquid eſt verum,ac ſcibile, & ſub omni ratione, ſub qua eſt ſcibile; ſi igitur decretum Dei habet veram rationem futuri, & vt ſic poteſt ſciri, debet vt ſic ſciri ab intellectu diuino. Probo primam conſequentiam, quia quod eſt, & potuit non eſſe, prius aliqua ratione potuit eſſe, & non fuit, quàm actu fuerit: omne autem quod in aliquo poſteriori eſt præſens,& in aliquo priori non eſt præſens, in illo priori eſt futurum aliquo modo; futura enim dicitur illa præſentialitas, quæ in aliquo priori non eſt, ſed erit in aliquo poſteriori: ſicut igitur Deus ſcit decreta ſua libera vt præſentia, quia actu ſunt; & vt poſſibilia, quia, etſi actu non ſint, tamen actu eſſe potuerunt;ita ſcire debet vt futura,quia ea,quæ actu ſunt,prius aliqua ratione fuerunt poſſibilia, & non actualia, deinde fuerunt actualia. Secundò prius,ſaltem ratione ratiocinata cum fundamento in re, eſt, actum liberum poſſe eſſe,vel non eſſe,quàm actu eſſe,vel non eſſe, ergo intellectus noſter, in re ipſa fundatus, poteſt diſtinguere vnam priorem Dei intellectionem terminatam ad poſſibilitatem decreti,& aliam poſteriorem terminatam ad actualitatem decreti. Sed in illo priori ita eſt poſſibile decretum,v.g. creandi hunc mundum, & aliud oppoſitum decretum non creandi hunc mundum,vt in poſteriori ſigno, ex mera Dei libertate, illud ſit futurum, hoc non ſit

449. *Præcipua ratio.*

ſit futurum, quia de facto illud actu fuit, & non hoc: ergo in illo priori poſſumus, ac debemus propter fundamentum in re, concipere intellectum diuinum tendere non ſolùm ad poſſibilitatem, ſed etiam ad futuritionem, vel non futuritionem decreti.

450. *Secunda concluſio. Per ſciētiam conditionatā neceſſe eſt ſcire decreta conditionatè futura.*

Secunda concluſio. Præſcire non poteſt Deus effectus contingentes conditionatè futuros à libero arbitrio creato, niſi etiam præſciat ſuamet libera decreta conditionatè futura, vt probaui ſupra num. 260. cum Fonſeca, Suarez, Zumel, Vazquez, Arrubal, Diotalleuio, Machin, Riſpolo, contra Cabreram, Aluarez, & alios citatos contra primam concluſionem. Eadémque ratione præſcire dicendus eſt Deus effectus contingentes conditionatè futuros per dependentiam à ſola ipſius voluntate, v. g. vt exemplificat Vazquez hîc, d. 67. num. 23. quòd non eſſet incarnatum verbum, ſi Adam eſſet efficaciter præſeruatus à peccato. Quod eoſdem patronos, & aduerſarios habet, vt ſupra. Et breuiter probatur à pari: ideo enim ſcit Deus contingentia conditionata, quæ eſſent à voluntate creata, ſi hæ vel illæ antecedentes conditiones ponerentur, quia illa habent determinatam veritatem futuri conditionati: ſed quæ facturus eſſet liberè ſolus Deus, habent etiam eamdem veritatem; cur enim habeant illa, & non hæc, aſſignari rationabiliter non poteſt: ego hæc quoque ſcire debet Deus. Cuiuſmodi eſſe videtur illud Matth. 11. *Si in Tyro*, &c. Certò igitur ſciuit Deus, ex probatis ſupra à num. 218. quòd ſi apud Tyrios facta fuiſſent miracula, voluiſſet illis dare ſupernaturalem gratiam efficacem, neceſſariam ad actus fidei, & pœnitentiæ; quam gratiam ſolus ipſe dare poteſt. Similiter ſcit, quòd ſi crearet vnum ex illis hominibus, quos poteſt creare, ſed nunquam creaturus eſt, vellet efficaciter dare, aut non dare illi gratiam, & gloriam: & id genus alia. Aduertendum tamen hîc etiam eſt, quod in genere dictum eſt ſupra à num. 252. & num. 272. & ad hoc particulare bene applicarunt Arrubal hîc, d. 47. num. 10. Machin d. 34. ſect. 2. §. 1. fin. hæc ipſa Dei decreta, quorum vnum ſcitur conditionaliter futurum dato alio, non debere eſſe inter ſe diſparata, & vnita per ſolam concomitantiam vnius cum alio, ſed ordinata per connexionem vnius ex alio, vt loco citato ſufficienter declaratum, & probatum eſt: quamuis Suarez opuſculo de ſcientia, lib. 2. cap. 8. n. 5. fin. ne hoc quidem neceſſarium eſſe exiſtimet ad prædictam ſcientiam.

*Ratio cōcluſionis.* — *Limitatio concluſionis.* — Arrubal. Machin. — Suarez.

## *Argumenta contraria diluuntur.*

## *Argumenta Aluarez.*

451. *Prima obiectio.*

Obiicies primò ex Aluarez lib. 1. Reſpōſionum cap. 4. num. 5. *Ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ, eadem voluntas non eſt determinata ad volendum, vel faciendum hoc futurum contingens potius, quàm oppoſitum*, ergo non poteſt certò ſcire vnum potius futurum, quàm aliud: quam rationem in eodem num. 5. & num. 6. & 7. ſæpe repetit contra Zumel.

*Reſpondetur cum S. Thoma.*

Reſpondetur, concedo antecedens, nego conſequentiam. quia ad certitudinem diuinæ ſcientiæ de futuris contingentibus, non requiritur determinatio in cauſa futurorum contingentium, quæ eſt libera voluntas, ſiue creata, ſiue increata, ſed ſatis eſt determinatio, quam futura habent in ſeipſis ſecundum ſe conſideratis: quam diſtinctionem, ac doctrinam accuratè, & perſpicuè tradit S. Thomas in hoc articulo; & nos non ſemel in ſuperioribus explicauimus. Igitur voluntas diuina, in priori quodam rationis ſigno, cum fundamento in re, conſideratur quidem vt indeterminata, potens ſe determinare ad hoc, vel ad illud, quod ipſemet Aluarez ſupra concedit, ac proinde non conſideratur vt determinata actu ad vnum, tunc enim non poſſet eſſe, & conſiderari vt potens ad oppoſitum; tamen ſicut in poſteriori ſigno ſe actu determinat ad vnum determinatum, non ad aliud, ita in priori ſigno erat ſe determinatura ad vnum determinatum, non ad aliud. Hanc igitur veritatem de futuro, determinato in ſe, indeterminato in cauſa, ignorare non potuit diuinus intellectus. Quamobrem in aſſignanda ratione ex parte obiecti, cur potius ſciat Deus ſe determinaturum hoc, quàm aliud, non petimus principium, vt nobis obiicit Aluarez num. 6. neque enim dicimus, Deus determinaturus eſt hoc, quia determinaturus eſt hoc; ſed, quia determinat hoc. Quod autem verum aliquando eſt de præſenti, ſemper antea verum fuit de futuro; v. g. quia hodie, primo Iulij, anno 1623. hæc ſcribo, verum ab æterno fuit me hæc ſcripturum, &c.

*Quomodo Deus ſciat futura ſua decreta.*

452. *Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò ex eodem ſupra, num. 8. Hæc propoſitio, Deus ſi voluiſſet creare alium Angelum, voluiſſet illum prædeſtinare, *Si eſt vera ante omne liberum decretum actu exiſtens in Deo, ergo eſt neceſſaria abſolutè, & cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſeu merè naturalem*; falſitatem conſequentiæ probat, *quia ſcientia merè naturalis eſt illa, quæ antecedit omne liberum decretum actu exiſtens in Deo.* Neque poteſt dici libera ſcientia prædicti futuri, ex eo quod futurum pendeat à decreto libero; quia hæc futura, *ſi Deus voluiſſet prædeſtinare alium Angelum, ille ſaluus fieret: ſi voluiſſet creare alium alium mundum, creaſſet illum*, ſupponunt decretum liberum, & tamen ſunt conditionata, maximè neceſſaria.

*Reſpondetur declarādo libertatem decreti diuini conditionatè futuri.*

Reſpondetur, primam illam propoſitionem eſſe veritatem liberam, & ſcibilem ſcientia libera, non præcisè ex eo quòd futurum pendeat ex præcedenti decreto libero; ſed quia ita ex hoc pendet, vt conſequens non habeat cum illo antecedente infallibilem connexionem, ſicut eſt in aliis duabus propoſitionibus, v. g. futura prædeſtinatio, ſeu futurum decretum prædeſtinationis, non habet vt in aliis propoſitionibus ſaluatio, & creatio, connexionem neceſſariam ſiue infallibilem cum decreto creandi alium Angelum; ſed etiam hoc poſito, illud ex diuina voluntate liberè poteſt ſequi, vel non ſequi: & ideo eſt ſcibile ſcientia libera. Neque ſufficienter definitur omnis ſcientia merè naturalis, quæ non habet ante ſe aliquod actuale decretum; quia hæc non eſt libera, niſi ſolùm ſecundum vnam rationem, nimirum ex parte ſubiecti ſcientis; cum qua neceſſitate ſtare poteſt libertas ſecundum aliam rationem, ex parte obiecti ſciti, vt ſupra, num. 348.

## *Argumenta Gonzalez, & Nauarrete.*

453. *Tertia obiectio Gonzalez.*

Obiicies tertiò ex Gonzalez hîc, d. 44. num. 35. Si Deus ſciret ſua libera decreta abſolutè futura, *ſequerentur magna abſurda. Primum, quòd primus actus liber exiſtens in Deo, eſſet cognitio libera. Secundum, quòd res eſſent futuræ abſolutè, antequam exiſteret in Deo volitio libera illas producendi*, quod repetit d. 45. num. 50.

*Reſponſio.*

Reſpondeo ad primum, quod obiicit etiam Nauarrete infra, abſurdū eſt, quòd primus actus liber formaliter, & ſimpliciter, ſit cognitio, quia libertas



formaliter eſt in voluntate, non in intellectu: nullum autem eſt abſurdum, imò ad explicandam infinitatem diuinæ ſapientiæ omnino neceſſarium, quòd actus liber ſecundum quid, hoc eſt, tantùm terminatiuè, ſeu repræſentatiuè ex parte obiecti, ſit cognitio. Sicut enim vniuerſaliter in Deo cognitio eſt prior volitione, ita cognitio volitionis prior etiam eſſe debet ipſa volitione; nimirum ſi cognitio eſt infinita, quæ vim habeat cognoſcendi quodlibet cognoſcibile, ac proinde non ſolùm quando eſt præſens, & quando eſt poſſibilis, ſed etiam præterea quando ita eſt poſſibilis, & non eſt præſens, vt tamen futura ſit præſens: quod reperitur etiam ſuo modo in libera Dei volitione.

*Prioritas cognitionis reſpectu liberæ volitionis.*

Ad ſecundum. Negatur ſimpliciter ſequela, quia cauſa futuritionis abſolutæ, eſt libera Dei volitio actu exiſtens: qua deficiente non poteſt denominari ſimpliciter, res futura abſolutè. Sicut enim non exiſtente actu cauſa rei præſentis, aut poſſibilis, non poteſt dici res actu fieri præſens, aut poſſe fieri præſens: ita in illo priori ſigno, quo non concipitur eſſe actu volitio Dei libera, quæ eſt cauſa vt res ſit futura, non poteſt res denominari futura. Solùm quoniam in illo priori, volitio illa concipitur vt futura, dici poteſt futura cauſa rei futuræ: & conſequenter res eſt, & ſcitur futura, non immediatè, ac proximè, ſed mediatè, ac remotè; quia huiuſmodi futuritio cadit immediatè ſupra decretum, & mediante decreto cadit ſupra rem. Quapropter ſi qui apud Vazquez diſp. 65. num. 23. dicentes, in illo priori eſſe, & à Deo ſciri futuram futuritionem rei, nihil aliud intendunt, ſicut nil aliud eos intendere putandum eſt, niſi eſſe, ac ſciri futuram cauſam rei futuræ, ſeu futurum decretum, quæ cauſa eſt futuritionis rei, immeritò ſanè dicuntur, *ſtultum aliquod aſſerere*: hoc enim neceſſariò ſequitur ex decreti futuritione, quam multi, ac ſapientiſſimi Theologi admittunt: & expreſsè illum modum cognoſcendi res futuras ante diuinum decretum, *vt actu in re poſitum*, concedit Suarez ſupra n. 10. ad ſecundam confirmationem.

*In quo ſenſu dici poſſit futura rerum futuritio.* — Vazquez. — Suarez.

454. *Quarta obiectio Nauarrete.*

Obiicies quartò ex Nauarrete hîc, controuerſia 56. §. 5. impugnante primùm Suarez, quòd in opuſculo de ſcientia cap. 8. ſcripſerit, *Quòd etiam decretum, quo actualiter Deus decreuit creare mundum, prius concipiatur à Deo tamquam futurum conditionatum, quàm tamquam aliquid abſolutum.* Quam impoſitionem mirari ſatis non poſſum, quia meus liber impreſſus Moguntiæ anno 1600. habet in eo loco totum oppoſitum. Nam numero ſexto loquens Suarez *de decretis liberis, quæ de facto Deus habet ex ſe ſolo, vt eſt*, inquit, *voluntas creandi mundum*; docet, ac probat, *clarum eſſe, non potuiſſe prius conditionaliter, quàm abſolutè præſciri.* & ſtatim declarat, ſe nihil aliud probare, niſi, *Quòd huiuſmodi decretum poſſit prius ratione cognoſci vt futurum, quàm vt actu præſens.*

*Suarez malè referri à Nauarrete.*

Hoc autem Nauarrete impugnat vnica ratione, quæ breuius, & clarius videtur eſſe hæc. In eo, qui perfectè intelligit, cognitio conditionata ſupponere debet cognitionem abſolutam, præcedentem ex natura rei; ergo ſi Deus cognoſcit ſub conditione aliquid liberè, oportet quòd in eodem ordine operandi, & cognoſcendi liberè, præſupponatur cognitio abſoluta; ſed decretum abſolutum, & liberum eſt in Deo ante cognitionem abſolutam liberam, ergo multò magis ante cognitionem conditionalem liberam.

*Reſponſio.*

Reſpondeo, non eſſe ad rem: quia hoc argumento videtur impugnari ſcientia de creaturis futuris ſub conditione ante omne actuale Dei decretum: & tamen noſtra diſputatio eſt de ſcientia diuinorum decretorum, vel abſolutè, vel conditionaliter futurorum. Sed accepto argumento vniuerſaliter de quibuſcūque futuris, nego maiorem vniuerſaliter; quamuis enim vera ſit in materia neceſſaria, in qua ſemper exemplificat Nauarrete, v. g. prius eſt cognoſcere abſolutè, omnem hominem eſſe animal, quàm cognoſcere conditionatè, hoc, aut illud futurum eſſe animal, ſi eſſet homo: tamen falſa eſt in materia libera, in qua liber effectus cum nulla re, omnino antecedente, poteſt habere infallibilem connexionem; quia poſitis quibuſcumque neceſſariò prærequiſitis ad agendum, cauſa libera ſe habet ad oppoſita. Quare non poteſt prius in aliquo antecedente cognoſci abſolutè aliquid ita eſſe potius quàm oppoſitum; v. g. Deus certò, certitudine diuina, ſcire nequit, ex tali præmotione ſequi talem effectum liberum. Excluſa igitur iſta vniuerſali, & abſoluta cognitione, quæ habetur in materia neceſſaria, propter neceſſariam connexionē vnius cum alio, prius eſt cognitio rei conditionata, quàm abſoluta, vt probaui ſupra num. 1. & num. 213. vnde corruit totum argumentum fundatum in illa maiore vniuerſaliter intellecta.

*An cognitio abſoluta, ſit prior cognitione conditionata.*

455. *Quinta obiectio Nauarrete.*

Obiicies quintò ex eodem Nauarrete ſupra ad ſecundum, ſcientia libera, quam nos ponimus ante omne actuale decretum diuinæ voluntatis, *vel participat libertatem ex actuali cōcurſu voluntatis, vel habet libertatem antequam voluntas concurrat actualiter. Non ſecundum, quia libertas in exercitio non reperitur ſecundum noſtrum modum intelligendi in intellectu diuino, niſi communicata à voluntate diuina; & ita neceſſarium eſt, quod præcedat talis voluntas. Si primum, habetur intentum*, nempe, prius à Deo cognoſci voluntatem vt actualiter volentem, quàm vt volituram.

*Reſponſio.*

Reſpondeo, in caſu noſtro ſcientiam habere libertatem, ſiue, vt aptius loquar, denominari liberam, non ex concurſu voluntatis, qui actu præſens ſit in illo priori, in quo ſcientia denominatur libera; ſed qui futurus eſt actu præſens in poſteriori ſigno, & vt talis antea concipitur ab infinito intellectu omnia præconcipiente. Huius autem ſecundi membri impugnatio nihil vrget, quia ſupponit, libertatem huius ſcientiæ eſſe, *in exercitio*; quo termino quid ſignificetur, non ſatis apparet: hoc enim exercitium non poteſt ſe tenere ex parte voluntatis actualiter exercentis aliquid vel in intellectum diuinum, imperando, &c. vel in creaturas, decernendo aliquid circa illas, quæ libertas dici poteſt propriè, *communicata à voluntate diuina*; ſed tenet ſe ſolùm ex parte ipſius ſcientiæ, exercentis actum repræſentationis ipſiuſmet volitionis futuræ; quæ libertas non poteſt dici communicata à diuina voluntate, niſi tantùm obiectiuè: inquantum ipſa volitio, quæ futura repræſentatur, eſt formaliter libera, vnde ſcientia eam repræſentans, habet obiectiuè vt denominari poſſit libera in exercitio repræſentandi illam potius volitionem, quàm oppoſitam.

*Quo modo ſcientia decreti liberi, dicatur libera.*

## *Argumenta Cabreræ, & Verdu.*

456. *Sexta obiectio Cabreræ.*

Obiicies ſextò ex Cabrera tom. 3. in 3. p. q. 62. art. 1. d. 12. §. 7. n. 173. nam quæ obiicit in 1. tomo, ſoluta ſunt ſupra n. 260. eſto in Deo ſcientia decreti ſit ordine rationis prior decreto, adhuc decretum non poteſt vt futurum comparari ad ſcientiam, quia, inquit, *hæc prioritas rationis, non eſt*

*prioritas durationis, ſeu in quo ſit vnum, & non aliud; ſed eſt prioritas à quo, nempe cauſalitatis.*

*Reſponſio.*

Reſpondeo, Cabreram dicere implicantia, cum dicit, eſſe prioritatem rationis, & prioritatem *à quo*: quia prioritas *à quo*, quæ ab ipſomet dicitur prioritas cauſalitatis, & rectius, quia vniuerſalius dici poterat prioritas principij, non eſt aliquid rationis, ſed à parte rei. Præterea, etiam abſolutè loquendo, falſum eſt, prioritatem ſcientiæ reſpectu decreti, eſſe prioritatem *à quo*, ſeu cauſalitatis; quia decretum futurum, nulla ratione pendet à præcedente ſcientia de decreto futuro. Quamuis igitur prædicta prioritas rationis, non ſit prioritas durationis, quia & ſcientia, & decretum eadem æternitate menſurantur; adhuc tamen eſt prioritas *in quo*, ſcilicet non realis, ſed rationis ratiocinatæ; quia ex eo quòd liberum decretum nullo intellectu cogitante ita eſt ab æterno in Deo, vt potuerit non eſſe; & ita non eſt, vt potuerit eſſe; & quæ talia ſunt in rebus creatis, ita plerumque ſe habeant, vt prius ſint poſſibilia, ac futura, quàm præſentia; habet noſter intellectus in re ipſa fundamentum concipiendi, eſſe prius, prioritate *in quo*, decretum vt futurum, quàm vt præſens; ac proinde, eadem prioritate prius eſſe in Deo ſcientiam de decreto futuro, quàm de præſente, vel quàm ipſummet decretum præſens.

*Quomodo ſcientia decreti ſit prior decreto.*

*Septima obiectio Cabreræ.*

457. Obiicies ſeptimò ex eodem ibidem. Iſta prior ſcientia decreti futuri, vel eſt practica, vel ſpeculatiua. Non primum, quia prædeterminaret, & neceſſitaret; alioqui voluntas diuina relicta indifferens non poſſet ſe determinare ad vnum potius, quàm ad aliud. Non ſecundum, quia non eſſet prior, ſed poſterior obiecto.

*Reſponſio.*

Reſpondeo, non eſſe practicam, non propter rationes arguentis, vt patet ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt practica, vt ſupra art. 8. num. 16. & 17. & tamen neque prædeterminat, neque neceſſitat; & ſi prædeterminaret, non poſſet qui putat prædeterminari liberum arbitrium abſque neceſſitate, conſequenter inde inferre neceſſitatem; ſed quia ſcientia de futuro non tradit modum faciendi rem futuram, ſed contemplatur duntaxat rei futuræ veritatem. Et ideo rectè à Suarez in citato opuſculo num. 11. dicitur, *mera ſpeculatio rei futuræ*, neque obſtat impugnatio Cabreræ, quia decretum eſt prius ſub ea ratione, ſub qua eſt obiectum, nempe, ſub ratione futuri; nam, quia decretum eſt futurum, ideo ſcitur futurum, & non contra; quamuis ſit poſterius ſub alia ratione, nempe ſub ratione exiſtendi præſentialiter: ſicut in vera opinione, probata ſupra art. 8. ſcientia viſionis rerum abſolutè futurarum in tempore, eſt poſterior ſuo obiecto, & tamen exiſtit prius, prioritate æternæ durationis: ſicut etiam ſcientia de re poſſibili exiſtit non exiſtente obiecto. Vnde conſtare facilè poteſt nullam eſſe obiectionem Gonzalez, quam latè proſequitur d. 45. à num. 43. impugnatione tertia, tota enim fundatur in hoc falſo principio, quòd hæc ſcientia futuri decreti ſit regulatiua diuinæ voluntatis in ſuis electionibus: iam enim eſt oſtenſum, non eſſe practicam, ſed merè ſpeculatiuam; & eſto ſit practica, quia tamen non repræſentaret ſolùm, & præciſè decreta futura, ſed etiam futura ex voluntate indeterminata, ac libera ad vtrumlibet, non contradiceret libertati; quam contradictionem ibi deducere ex noſtra ſententia fruſtra nititur.

*Scientiã decreti futuri non eſſe practicam, ſed ſpeculatiuã.*

*Suarez.*

*Scientia decreti, eſt prior & poſterior decreto.*

*Soluitur aliud argumentũ Gonzalez.*

458. Obiicies octauò ex Verdu pag. 13. circa finem. Primò, quod obiicit etiam Gonzalez ſupra, quia, *præpediretur libertas Dei*: de qua ratione deinde in pag. 36. concluſione quarta, cum aduertiſſet, illam eſſe Molinæ hîc d. 17. §. *Quæret*, ſui oblitus, dixit, *ratio autem, quam adhibet quidam de hac concluſione, nimirum, fieri conſequens, quòd Deus non eſſet liber, nulla eſt.* Secundò, quod etiam repetit citata pag. 36. *quia liberum Dei arbitrium, non eſſet liberum arbitrium per eſſentiam, & primum determinans ſimpliciter, & per eſſentiam.*

*Octaua obiectio Verdu.*

Reſpondeo ad primum, id habere manifeſtam inſtantiam in Chriſto, qui certò præſciebat quid tempore ſequenti erat ipſe voliturus; & tamen illud deinde liberè volebat. Et ratio à priori eſt, quia neceſſitas faciendi quod quis præuidet, ſe, vel alium eſſe contingenter facturum, non eſt neceſſitas ſimpliciter, ſiue antecedens vſum libertatis, ſed ſecundum quid, & conſequens illum vſum: nempe ex ſuppoſitione infallibilis ſcientiæ, quæ non cauſat res liberè futuras, ſed ſolùm eas aliunde præſuppoſitas, ſimplici quodam, ac ſpeculatiuo intuitu contemplatur, ſiue futuras abſolutè, ſiue futuras ſub conditione. Quamobrem etſi diuina præſcientia, ſiue abſoluta, ſiue conditionata, ſit antecedens effectum liberum ordine durationis, ſeu quaſi durationis, non tamen eſt antecedens ordine cauſalitatis, ſed potius ſubſequens: ideo enim præuidet Deus, hoc eſſe futurum, quia hoc eſt futurum, præuiſurus oppoſitum, ſi oppoſitum eſſet futurum, & non contra. Vnde huiuſmodi ſuppoſitio non deſtruit vſum libertatis, ſed præſupponit; quia eſt ſuppoſitio ſcientię habentis pro obiecto effectum ita futurum, vt poſſit non fieri. Ad ſecundum quid dicendum ſit, patet ex dictis ſupra à n. 350. ad 353.

*Reſpondetur, ſcientiã decreti non impedire libertatem.*

## *Argumenta Vazquez, Molinæ, & Arrubal.*

459. Obiicies nonò fundamentum Vazquez d. 65. fin. quia *in Deo ſupra ſuam eſſentiam nudam, decretum ſuæ voluntatis, verè nihil aliud eſt, quàm reſpectus rationis ad creaturas futuras.* Confirmat, quia decretum diuinum habet rationem futuri ex imperfecto noſtro modo concipiendi, quo diſtinguimus plura inſtantia, ſeu ſigna, & apprehendimus in vno eſſe ſcientiam, in alio eſſe decretum: ſed Deus non intelligit hoc imperfecto modo. ergo in ſuo intellectu decretum ſuum non poteſt habere rationem futuri.

*Nona obiectio Vazquez.*

Reſpondetur, illud fundamentum non probari, vt ſuo loco infra oſtendam. Et ex illo ſequeretur, vt bene inſtat Suarez opuſculo citato n. 5. & fruſtra conatur ſoluere Albertinus ſupra n. 11. eodem fundamento innixus, ne præſens quidem decretum poſſe cognoſci à Deo: quia etiam quando eſt præſens, nihil intrinſecum Deo additur. Illud igitur, quod videtur vt præſens, ita vt potuerit non eſſe, & non videri, ſiue ſit reſpectus rationis, ſiue extrinſeca denominatio, ſiue pura terminatio, ſiue quiduis aliud, eſt quod nos contendimus poſſe videri vt futurum.

*Reſponſio.*

*Suarez.*

*Albertin.*

Ad confirmationem, cum concipimus decretum Dei futurum, diſtingui acutè debent duo: alterum tenens ſe ex parte obiecti, hoc eſt, decretum futurum; & hoc eſt tam in intellectu creato, quàm increato: nullo enim intellectu cogitante decretum Dei liberum, ſicut verè eſt præſens, & verè eſt poſſibile, & liberum, quod etiam quãdo eſt, poteſt non eſſe: ita tranſit vero aliquo modo de non eſſe

*Qua ratione decretũ Dei futurũ datur à parte rei.*

deter



determinato, quod habet in ſua cauſa libera, ad eſſe determinatum, quod habet in ſeipſo; ſub qua vltima formalitate intelligitur habere rationem aliquam futuri: quod enim verè tranſit de termino à quo ad terminum ad quem, ita tranſit, vt quatenus eſt in termino à quo, non ſit in termino ad quem, ſed futurum ſit in termino ad quem; futurum ſcilicet, non prioritate, & poſterioritate ſecundum durationem, quia vterque terminus eſt in æternitate; ſed prioritate, ac poſterioritate ſecundum naturam, ſiue ſecundum independentiam, & dependentiam; in quantum libera illa determinatio, quam liberum decretum addit ſupra actum diuinæ voluntatis, eſt ab illo actu, & non actus à terminatione; atque omnes iſtas formalitates, quia ſunt in re ipſa, probè notas habet diuinus intellectus. Alterum tenens ſe ex parte cognoſcentis, quia nimirum modo noſtro concipimus, decretum poſſibile, futurum, & præſens, ſciri à Deo per diſtinctos actus, & in diuerſis inſtantibus, & aliquando eſſe ſimpliciter vnum, & non eſſe aliud; atque hæ imperfectiones non ſunt in intellectu diuino, ſed in intellectu noſtro, concipiente modum cognoſcendi in Deo, ad modum, quo nos cognoſcimus.

*Quomodo præſciat Deus futura ſua decreta.*

*Decima obiectio Molinæ.*

460. Obiicies 10. fundamentũ Molinæ d. 17. §. *Quæret*: Futura contingentia, ſiue abſoluta, ſiue conditionalia, non ſciuntur propter determinatam eorum veritatem, quam non habent antequam eueniant: neque propter comprehenſionem ſimpliciter cauſæ liberæ; ſed propter comprehenſionem altiſſimam, atque eminentiſſimam, quæ infinito exceſſu ſuperet cauſam liberam comprehenſam; ſed ſolus Deus vi ſua intellectiua, hoc exceſſu, ſuperat quidem voluntates creatas, non tamen increatam ſuam voluntatem: ergo ſolus ſcire poterit futuras determinationes aliarum voluntatum, non tamen ſuæ.

*Reſpondetur, futura contingẽtia habere determinatã veritatem.*

Reſpondeo, maiorem ab omnibus, tam patronis, quàm aduerſariis concluſionis ſupra citatis, cenſeri falſam. Primò, quia excluſa ab ipſomet Molina prædeterminatione cauſæ liberæ, & excluſa determinatione ipſorummet futurorum effectuum contingentium in ſeipſis, effectus liber determinatè futurus, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, redditur prorſus incognoſcibilis, ergo nullus intellectus, quantumuis illius perfectionem exaggeres, poteſt illum cognoſcere: quia intellectus per nullam perfectionem ferri poteſt in obiectum natura ſua incognoſcibile. Secundò, quia ex probatis in ſuperiori tomo quæſt. 12. art. 8. num. 92. cognitio futurorum ſiue ex ſe, ſiue ex aliis, ad comprehenſionis rationem minimè ſpectat. Tertiò optimè arguit Suarez ſupra n. 3. quia futurum decretum creatum, ſpectata præciſè ratione obiecti, vel eſt ſimpliciter verum cognoſcibile, vel non. Si hoc ſecundum, ne Deus quidem cognoſcere illud poterit, vt dixi. Si primum, ergo eadem ratione erit verum cognoſcibile futurum decretum increatum, quia non eſt maior ratio de vno, quàm de alio. Confirmatur, quia Molina videtur ſupponere, & concedere, Deum verè eſſe electurum hoc, & non aliud, ſicut verè actu præſentialiter eligit hoc, non aliud. ergo ſi hoc eſt verè futurum, negari non poteſt eſſe ſcibile, ac proinde actu ſciri ab intellectu omniſciente. Deinde certum eſt, à Deo ſciri decretum ſuum præſens. ergo & futurum: quia nihil omnino eſt in re quod nunc ſit præſens, & antea non fuerit futurum: & reſpectu Dei, ex cuius libertate ſunt decreta ſua propria, nihil poteſt rationabiliter aſſignari, quod impediat ſcientiam eiuſdem obiecti, ſub ſtatu futuritionis, & gratis dicitur eſſe neceſſariũ, quòd ad cognoſcendum vnum aliquod decretum circa aliquam finitam creaturam, quod nihil intrinſecum Deo addit, debeat vis cognoſcitiua infinito exceſſu ſuperare ſubiectum à quo decretum illud futurum eſt.

*Ratio Suarez.*

461. Obiicies 11. fundamentum Arrubal d. 47. n. 13. quod ferè ad verbum habet Machin d. 34. ſect. 3. in appendice: Voluntas Dei libera, vt abſolutè futura, nullo modo eſt prior eadem voluntate vt præſente. Non ordine durationis; quia vtraque eſt ab æterno. Non ordine cauſalitatis; nam quòd res ſit futura, non eſt cauſa vt res ſit præſens. Non ordine maioris vniuerſalitatis; quia non latius patet voluntas Dei futura, quàm præſens. *Ergo in Deo non eſt cognitio prior voluntatis abſolutè futuræ, quàm præſentis: ergo nulla in Deo eſt cognitio, quæ terminetur ad diuinam voluntatem, ſicut ad obiectum abſolutè futurum.*

*Decima obiectio Arrubal, & Machin.*

Reſpondeo primò, retorqueri poſſe argumentum, quia Arrubal ibi tenet, ſciri à Deo decreta conditionatè futura, tam ea, quæ abſolutè futura non ſunt, quàm quæ ſunt abſolutè futura, vt patet ex numero quinto, vbi etiam de decretis diuinis, & vniuerſaliter rectè probat, quicquid eſt conditionatè futurum, eſſe prius eodem vt abſolutè futuro; & tamen de decreto Dei conditionatè futuro argui pariter poteſt non poſſe ſciri, quia non eſt prius eodem vt abſolutè futuro, & etiam vt præſente. Non duratione, quia ſunt in æternitate: non cauſalitate, quia ſicut futurum abſolutum, dicitur non eſſe cauſa præſentis; ita neque præſentis, neque abſolutè futuri dici debet cauſa futurum conditionatum; non vniuerſalitate, quia æquè latè patent. Et ſicut ipſe bene docet, ideo omne futurum conditionatum, atque adeo ipſum decretum Dei, eſſe prius abſoluto, *quia conditiones prius habent eſſe poſſibile, ſuſpenſum ab exiſtentia, quàm eſſe actuale, & abſolutè futurum*: ita dicere potuiſſet, prius eſſe decretum abſolutè futurum, quàm præſens; quia futurum prius habet eſſe poſſibile, ſuſpenſum ab exiſtentia, quàm eſſe præſentialiter exiſtens. Vlterius argumentor abſolutè, & efficacius, omne futurum conditionatum, purificata conditione tranſire debet in futurum abſolutum; ergo decretum Dei, ſi conceditur eſſe conditionatè futurum, neceſſariò concedi conſequenter debet eſſe abſolutè futurum: quod ſi verè eſt abſolutè futurum, vt loqui videtur Arrubal, non poteſt vt tale ignorari ab intellectu diuino. Et ſi non poteſt habere aliam rationem niſi præſentis, non debuiſſet appellari futurum conditionatum, ſed præſens conditionatum: & tunc adhuc remaneret integra obiectio, qua ratione decretum præſens conditionatum ſit prius decreto abſolutè præſente: eademque ratio aſſignari poterit de prioritate decreti abſolutè futuri reſpectu præſentis.

*Reſpõſio prima.*

*Qua ratione decretũ Dei vt futurum, ſit prius ſeipſo vt præſente.*

Reſpondeo ſecundò ad argumentum pro defenſione concluſionis noſtræ, & concluſionis Arrubal, quæ etiam eſt noſtra, ſecundo loco poſita ſupra n. 450. decretum futurum eſſe prius, quàm præſens, ordine cauſæ, ſiue cauſalitatis; non formaliter, vt bene probatum eſt, ſed quaſi materialiter, in quantum eſſe futurum, dicit eſſe in cauſa: eſſe præſens, dicit eſſe in ſeipſo extra cauſam; verè enim docet ſanctus Thomas hîc, *Quod contingens conſideratum in ſeipſo, non conſideratur vt futurum; ſed conſideratum vt eſt in ſua cauſa, conſide-*

*Reſponſio ſecunda.*

*Decretũ futurũ, eſt cauſalitate prius ſeipſo præſente.*



*ratur*

*ratur vt futurum*;prius autem eſt eſſe effectus liberi prout eſt in ſua cauſa contingẽte,vt explicaui ſup. n.459. quàm prout eſt in ſeipſo. Et ratione huius prioritatis ſecundum eſſe in cauſa,quã prioritatem verè,& à parte rei habet decretum Dei liberum in actu ſecundo, non propter intrinſecam ſuam entitatem;quæ nullam cauſam habere poteſt, ſed propter extrinſecam ſuam terminationem ad creaturas,quæ terminatio oritur ab actu infinito diuinæ voluntatis, dici poteſt prædictum decretum verè habere aliquam rationem futuri, & ſub iſta ratione ſciri à Deo, & vt futurum conditionatum, & conſequenter, vt futurum abſolutum.

## DVBITATIO XIX.

### *Quænam ſit Deo ratio cognoſcendi futura contingentia conditionata.*

SVMMA.

1 *Quæſtionis difficultas,& explicatio. n.462.*
2 *De ratione cognoſcendi ex parte cognitionis.n.463, & 464.*
3 *De ratione cognoſcendi ex parte cognoſcentis. n.465.*
4 *De ratione cognoſcendi ex parte obiecti. n.466.*
5 *Soluuntur argumenta contraria, à num, 467. ad 475.*

462. *Difficultas ſciendi futura conditionata.*

SI Ochamus, Ariminenſis, Gabriel, Marſilius, Bellarminus, citati ſupra initio dubitationis tertiæ, pronunciarunt, comprehendi à nobis non poſſe modum, quo præſcit Deus effectus contingentes abſolutè futuros à cauſa creata libera, id multò magis aſſerendum videretur de præſcientia eorumdem vt conditionatorum; quia ſub iſta ratione multò minorem habent entitatem, & intelligibilitatem, vt bene, & fusè explicat Zumel tomo 1.variarum diſp.fol.100.concluſione 3.in principio,ad quam obſcuritatem probandam trahi poteſt quod docet Auguſtinus,quamuis ad aliud propoſitum, in lib. de bono perſeuerantiæ cap.14.fin. *Numquid ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Numquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus,non ita eſſe, quoniam cur ita ſit, non poſſumus inuenire?* & in Pſalmum 49.multò poſt medium. *Apud quem ſumma poteſtas eſt, ſumma, & ſecreta cognitio: & tribuamus hoc Deo, laudantes Deum:non audeamus dicere, Quomodo nouit Deus?Ne fortè hoc à me fratres expectetis, vt explicem vobis, quomodo cognoſcat Deus. Hoc ſolùm dico,non ſic cognoſcit,vt homo: non ſic cognoſcit,vt Angelus:& quomodo cognoſcit,dicere non audeo; quoniam & ſcire non poſſum.* Verùm enimuerò hoc ſæculo huiuſmodi controuerſia præſtantiſſimis innumerorum Theologorum ingeniis adeo trita eſt, vt ſi ab iſtius nodi ſolutione excuſare te velis, id iam non tam ad modeſtiam,ac difficultatis magnitudinem, quàm ad ignauiam vel inſcitiam referri poſſit.

Zumel.

Auguſt.

*Impugnatur Cabrera.*

Vnde non probo quod ſcripſit Cabrera tom.3. in 3.p. q.62. art.1. diſp.12.§.7.num.212. *A nobis ignoratur qualis ſit in particulari modus cognoſcibilitatis, qui conuenit his futuris conditionatis ex parte obiecti.* & paulò poſt ait, *Inductionem conuincere, modum cognoſcibilitatis, qui conuenit his futuris, eſſe de numero eorum,qui nobis incogniti ſunt.* Quę dici rectè non poſſunt ab eo,qui certum eſſe exiſtimat, quodlibet futurum contingens prædeterminari à Deo per abſolutum, & efficax decretum, in hoc enim,ſi datur, facillimum, & clariſſimum eſt aſſerere, ſciri à Deo omnia futura contingentia, ſiue abſoluta, ſiue conditionata, nam, vt prudenter ad hoc propoſitum pronunciat Leſſius de Gratia cap.19.num.18.*Nihil facilius quilibet cognoſcit,quàm quod in animo ſuo abſolutè iam ſtatuit.*

Leſſius.

*Exponitur triplex quæſtionis ſenſus.*

Itaque vt & variæ de hac re Doctorum ſententiæ, & res ipſa tota clarius intelligantur, aduerto, in hac quæſtione triplicem cognoſcendi rationem inquiri poſſe. Primam ex parte ipſius cognitionis ſecundum ſe; quærendo ſcilicet, quam perfectionem intrinſecam in ſe habere debeat actus, vt repræſentare valeat futura contingentia conditionata. Secundam ex parte cognoſcentis, inquirendo de medio,ſeu ſpecie, per quam cognoſcens procedit ad cognoſcendum futura contingentia conditionata. Tertiam ex parte obiecti cogniti, quærendo videlicet, vnde habeat obiectum, vt cùm, propter ſuam contingentiam, poſſit eſſe hoc, & non hoc, tamen ſit, & conſequenter cognoſcatur eſſe hoc potius, quàm non hoc.

463. *Prima concluſio de ratione cognoſcẽdi ex parte cognitionis.*

Prima concluſio,ex parte cognitionis,ratio cognoſcendi quodcumque futurum contingens conditionatum,eſt perfectio omnino infinita in genere cognoſcendi. Pro hac concluſione eſſe Ariminenſem, Fonſecam, Molinam, Vazquez, Zumel, Diotalleuium,notaui ſup.n.126.circa fin.idem habent Suarez opuſculo de ſcientia Dei, c. 6. ad primum, & tom,1.de Gratia, Prolegom.2.c.7.n.1. & c.9.n.9.Valentia hic,punct.5.q.2. §.*Neque enim.* & §.*Secundum eſt*,& ſæpe infra; vbi,Deum ſcire huiuſmodi conditionalia, *in ſua ſcientiæ infinitate,* explicat,nihil eſſe aliud, niſi ſcire, *ex infinita perfectione, & ex vi infinitatis ſcientiæ diuinæ.* In quo non erat cur à Diotalleuio fol. 158. impugnaretur, quòd præter hanc rationem ex parte ſcientiæ, aſſignanda fuiſſet alia ratio ex parte obiecti: nam hanc etiam rationem Valentia loco citato expreſsè, & ſæpe aſſignat, dum docet, præſertim §. *Tertium eſt.* Deum futura ſcire dupliciter,*vno modo in infinitate ſcientiæ ſuæ: altero modo in ſeipſis,* ſiue,vt infra etiam loquitur,*in actuali eorum exiſtentia.*

Suarez.

Valentia.

Diotalleuius.

*Ratio cõcluſionis.*

Ratio eſt, quia quamuis veritas huius, vel illius effectus contingentis conditionaliter futuri, ſit finita, tamen nulla prorſus aſſignari poteſt ratio, cur aliquis intellectus naturaliter videre debeat eam veritatem, antequam præſens ſit, niſi quia eſt tanta perfectione infinitus, vt nullum omnino verum, ac ſcibile ſit, quod ignorare poſſit.

*Scientiã futuri conditionati eſſe cõmunicatam animæ Chriſti.*

*Exponitur locus Matth. 11.& 26.*

Dixi, *naturaliter,* nam certum apud omnes eſt ſciri poſſe ſupernaturaliter ex diuina reuelatione, & de facto communicatã eſſe huiuſmodi ſcientiam animæ Chriſti Domini, ſatis conſtat ex illo Matth.11. *Si in Tyro,* &c. & ex illo Matth. 26. *An putas,quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis manifeſtè continetur hoc futurum contingens conditionatum, quod nunquam eſt in actu poſitum, *ſi rogarem,exhiberet,* &c.

464. *Explicatur Molinæ ſententia de modo, quo Deus videt futura.*

Hinc puto explicari probabiliter poſſe Molinam dicentem, ad cauſam liberam, ſiue creatam, ſiue increatam,ita perfectè cognoſcendam, vt, ex vi talis cognitionis, cognoſcantur omnes illius effectus nõ ſolùm poſſibiles,ſed etiam liberè futuri,tam abſolutè,quàm conditionaliter, requiri cognitionem nõ ſolùm infinitã, & comprehenſiuam, ſed etiam ſuperinfinitã, & ſupercomprehenſiuam: quod dictum plerique omnes vexant,non ſolùm ex aduerſariis, ſed etiam ex noſtris; tamquam doceat Molina,videri effectus liberos in cauſa, tamquam in videndi medio,ſeu ratione obiectiua: verùm in hoc ſenſu non loqui Molinam oſtendi ſup. n.100. fin.



fin. & fuſius n. 126. ſed in alio ſenſu concluſionis dubitationis duodecimæ,vt cum Leſſio notaui ſupra n. 185. & bene explicat Becanus 1. p. tract. 1. c.10.q.7. Nunc addo,id illum dixiſſe de cognitione cauſæ,non cauſaliter reſpectu cognitionis effectuum, ſed concomitanter reſpectu cognitionis ipſiuſmet cauſæ:hoc eſt, cauſa,ſeu ratio cur diuina cognitio terminetur in poſteriori ſigno ad hunc determinatum effectum futurum à cauſa creata libera, & non ad alium oppoſitum, qui ab eadem cauſa futurus eſſe poterat,non eſt quia in priori ſigno terminatur ad antecedens eſſe cauſæ in actu primo, hic enim ſenſus longè abeſt à mente Molinæ,qui vbique eos qui prædeterminãt liberum arbitrium vehementer inſectatur, & eſſe cauſæ liberæ ſemper indeterminatum aſſerit,adeo vt propter hanc indeterminationem in cauſa,dixerit, in propoſitionibus de futuro contingenti non eſſe veritatem determinatam; ſed eſt quia cauſa libera, ſecundum omnia, quæ ad illam quacumque ratione ſpectant,ſiue antecedenter,ſiue conſequenter,non poteſt perfectiſſimo modo obiectiuè cognoſci,niſi ſimul cognoſcantur & omnia,quæ ſunt in cauſa,& præterea omnia,quæ ex cauſa vel eſſe poſſunt, vel erunt, vel ſunt, vel fuerunt, vel eſſent; nam effectus etiam,atque adeo omnes iſti effectus,ſunt aliquid cauſæ, ergo qui cognoſcit perfectiſſimo modo cauſam, eius etiam effectus, quauis ratione ab ea pendentes,cognoſcat neceſſe eſt,vt ſupra n.126. expoſuimus Euſebium. Quòd autem hæc perfectiſſima cognitio reſpectu effectuum futurorum eſſe debeat infinita,patet ex hac prima concluſione. Quòd eſſe debeat ſuperinfinita, & non ſolùm comprehenſio, ſed ſupercomprehenſio, conſtat ex primo tom.q.12.art.7.& 8. de natura comprehenſionis,quam probaui non conſiſtere in cognitione omnium ſimpliciter effectuum ex cauſa,etiã actualium, ſed omnium effectuum, vt poſſibilium tantùm in cauſa.

*Quòd ſciẽtia Dei ſit de actualibus, non oriri ex illius infinitate præcisè, & ex ratione comprehẽſionis.*

Verè igitur Molina nõ videtur aliud intendere,niſi hanc primam concluſionem. Vnde eius ſententia euidenter declaratur, & probatur; quia ſi Deus nihil ad extra eſſe voluiſſet, eius cognitio eſſet adhuc infinita, & comprehenſiua tum eſſentiæ ſuæ, tum creaturarum omnium poſſibilium; & tamen nihil futurum cognoſceret, ergo quod illa cognitio actu tendat in futura, non poteſt formaliter,& ſimpliciter oriri ex ratione infinitatis,& comprehenſionis. Conſequentia ſuadetur ex hypotheſi impoſſibili: ſi enim poſitis futuris,illa cognitio non tenderet in futura,non amitteret formalem infinitatis, & comprehenſionis rationem, quam habebat antea ex ſe abſque futuris. Ergo ratio cur actu tendat in futura, non eſt quæcumque infinitas, vel quæcumque comprehenſio, ſed eſſe debet infinitas, vel comprehenſio perfectiſſima,atque eminentiſſima,quæ rectè nominari poteſt ſuperinfinitas,& ſupercomprehenſio. Confirmari poteſt ex opinione multò communiore, & probabiliore,de Angelo ſuperiore comprehendente Angelum inferiorem, & tamen nõ cognoſcente eius actus liberos,neque futuros,neque etiam præſentes. ergo tendentia in effectus actuales, eſt impertinens ad formalem rationem comprehenſionis ſimpliciter.

465. *Secunda concluſio de ratione cognoſcẽdi ex parte cognoſcentis.*

Secunda concluſio,ex parte cognoſcentis,ratio cur Deus in ſe ipſo videat contingentia conditionaliter futura à cauſis liberis creatis,non eſt omnipotentia præcisè,ac ſimpliciter; neque decretum aliquod,abſolutè in ſe præexiſtens,& prædeterminans;neque decretum conditionatum, & indifferens ad vtramque partem oppoſitionis;ſed decretum ex parte actus conditionatum, & determinatum poſt liberam determinationem creaturæ conditionaliter futuram.Hæc concluſio multa continet difficilia,& obſcura,ſed ſatis probata,ac declarata in ſuperioribus,vt in 1.tom.q.12.art.8.à n.110. ad 116.& in hoc art.13. vbi excluſimus decretum prædeterminans, & præſertim n.316. & 426. vbi res magis diſtinctè declaratur.

*Vnde habeat Deus, vt in ſe videat hoc futurũ contingens, & non aliud.*

Hîc verò ad maiorem diſtinctionem dico breuiter,duo poſſe quæri,primum,vnde habeat Deus, vt in ſe videat hoc contingens conditionatè futurum, & non oppoſitum? & reſpondeo, habere ex libera ſua voluntate conditionatè futura; quæ licèt ſit poſterior determinatione creaturæ, tamen, tamquam cauſa conditionata,imò etiam abſoluta poſt determinationem creaturæ eſt prior quocumque determinato effectu libero conditionatè futuro; vt ſupra n.417.

*Soluitur argumentũ Nauarrete, & Gonzalez.*

Neque videri debet abſurdum, rationem actualiter cognoſcendi, eſſe aliquid,non abſolutè ex parte actus, ſed conditionatè tantùm exiſtens; quia non eſt ratio cognoſcendi aliquid exiſtens abſolutè,ſed duntaxat conditionatè. Neque eſt *omni abſurditate plenum,* vt loquitur Nauarrete hîc, controuerſia 56. §. 4. ſ. *Et nota*; aſſerere, Deum expectare liberam noſtram determinationem, vt cognoſcat hoc determinatum futurum contingens conditionatum, & non oppoſitum: quia id non expectat tamquam rationem cognoſcendi prærequiſitam ex parte ſui, ſiue ex parte ſubiecti cognoſcentis, ſed ſolùm prærequiſitam neceſſariò ex parte obiecti cognoſcibilis, quod eſt futurum conditionatum liberum, ac proinde non ab alio determinabile, quàm à libertate ipſiuſmet operantis, qua diſtinctione corruit quarta impugnatio Gonzalez d.45.n.45.

*Vnde habeat Deus, vt in ſe videat ſuũ decretum liberum.*

Secundum, vnde habeat Deus, vt in ſe videat hoc ſuum decretum futurum,ſiue abſolutè,ſiue conditionatè,& non oppoſitum? & reſpondeo,habere,non ex alio decreto, alioqui daretur proceſſus in infinitum, ſed ex ipſomet neceſſario actu voluntatis ſuæ, vnde etſi prodire liberè poſſit hoc,& illud decretum,tamen proditurum eſt,vel eſſet,hoc,non illud: ergo talis actus eſt ratio, cur qui illum perfectiſſimo modo comprehendit, ſeu ſupercomprehendit, videat omnes liberos illius effectus,& poſſibiles,& futuros quocumque modo,& præſentes. Videtur igitur hoc decretum futurum, non aliud oppoſitũ poſſibile,non propter determinationem diuinæ voluntatis ad hoc, & non aliud; ſed ſolùm quia ex illa voluntate indeterminata,verè futurum eſt hoc determinatum decretum, & non oppoſitum.

*De viſione conditionaliũ diſparatorũ.*

Atque hæc ſatis,ſuperque de difficultate ad alium locum pertinente. Solùm aduerto, hanc ſecundam concluſionem non procedere de effectibus liberis conditionatis diſparatis, qui cum veritatem non habeant niſi ex præcedenti actuali Dei decreto,ratione huius decreti dici debent videri in Deo, vt ſupra num.252.& 272.

466. *Tertia concluſio de ratione cognoſcẽdi ex parte obiecti.*

Tertia concluſio, propria huius loci, ex parte obiecti, ratio cognoſcendi effectus contingentes conditionaliter futuros à cauſis ſecundis liberis, non eſt primò decretum aliquod prædeterminans. Non ſecundò cauſa libera prædeterminata. Non tertiò Idea diuina. Non quartò exiſtentia in æternitate, ſed eſt quintò determinata veritas obiectiua, ſeu determinata entitas, quam conditionaliter habent prædicti effectus, in ſe ipſis conſiderati. Quare, vt vtar terminis magis vſurpatis inter Theologos, videt Deus futura contingentia conditionata in ſeipſis,non in ſua voluntate,aut Idea, aut æternitate,non in cauſis.

Hæc concluſio ſecundum omnes ſuas partes vel eſt probata in ſuperioribus, vel ex ſupra probatis neceſſariò, & euidenter deducitur. Prima pars de decreto patet tum ex dubitatione vndecima, vbi idem latè oſtenſum eſt de contingentibus abſolutè futuris; eadem autem eſt in hoc ratio de iiſdem vt conditionatè futuris, vt ſupra num. 238. & 256. ad primum, & concedunt ipſimet aduerſarij, vt Gonzalez hîc, d. 44. num. 30. Zumel tomo 1. variarum diſp. fol. 108. fin. quod, inquit, *omnes Theologi ſentiunt*: Cabrera tomo 3. in 3. p. q. 62. art. 1. d. 12. §. 7. num. 204. tum ex d. 17. vbi decretum prædeterminans fuſiſſimè reiectum eſt; quod verò non eſt ratio eſſendi, eſſe nequit ratio cognoſcendi. Vnde hæc prima pars eoſdem habet patronos, & aduerſarios ibi relatos. Excipienda tamen ſunt futura contingentia conditionalia diſparata, vt ſupra num. 252. & prudenter adnotat Arrubal hîc d. 45. cap. 6.

Gonzalez. Zumel. Cabrera. Arrubal.

Secunda pars de cauſa abundè conſtat ex dubitatione nona, ſicut tertia pars de Idea ex dubitatione decima; & quarta pars de æternitate ex dubitatione ſeptima: & vltima pars de videre in ſeipſis, ex dubitatione duodecima. idque expreſsè de conditionatis probatum eſt ſupra n. 248. 250. & 253. & 410. Atque hunc vltimum videndi modum apertè tradunt Valentia citatus ſup. n. 463. Suarez tom. 1. de Gratia, Proleg. 2. c. 6. n. 10. & c. 7. n. 21. & opuſc. de ſcientia Dei. l. 2. c. 7. n. 15. Vazquez hîc d. 67. c. 3. Arrubal d. 44. n. 39. & d. 46. n. 34. Becanus 1. p. tract. 1. cap. 10. q. 6. concl. 2. Leſſius de Gratia, cap. 19. n. 7. poſt medium, Lorca citatus ſupra num. 285. Machin hîc d. 44. ſect. 1. concl. 1. parum cohærenter dicens, præſciri in ſeipſis, & in decreto prædeterminante, Diotalleuius pag. 232. dicto 2. Zumel quoque idem, vt probabile defendit tomo 1. variarum diſp. pag. 127. concl. 6. quamuis antea fuſius oppoſitum, vt probabilius tueatur. & 1. p. q. 14. art. 13. d. 8. concl. 3. aſſerit, & probat, *Deũ futura conditionata non cognoſcere in ſuæ liberæ voluntatis prædeliberatione, & prædeterminatione.* Cuius oppoſitum ſæpe aliàs affirmat; & poſito decreto illo ſuo prædeterminante, minus conſequenter dicit tomo 1. variarum diſp. pag. 16. §. *Rurſus*, futura conditionata non cognoſci in cauſis, quod reperit pag. 82. ſuppoſitione tertia; & bene ait, contrarium eſſe *durum, & inintelligibile*: & iterum pag. 120. concl. 3. Idem tenetur dicere Cabrera, quatenus tomo 3. in 3. p. q. 62. art. 1. d. 12. §. 7. n. 205. habet, *Determinationem ad alteram partem conuenire futuro contingenti conditionato, ſecundum ſe, & non prout eſt in ſuis cauſis.* Quod minimè cohæret cum ſuo decreto prædeterminante, futurum enim contingens qua ratione habet eſſe determinatum, ea habet eſſe certò cognoſcibile, ſed per te illud in ſeipſo, & ſecundum ſe habet eſſe determinatum; ergo & ſcibile. ergo malè dicitur præſciri in decreto.

*Authores concluſionis.*

*Dicta Zumel, & Cabreræ, nõ cohærentia.*

## *Satisfit argumentis in contrarium.*

467. Obiicies primò ex Zumel tom. 1. variarũ diſp. pag. 106. Futura conditionata non poſſunt cognoſci in ſeipſis, quo modo cognoſcuntur futura abſoluta: *Nam in futuro abſoluto, ſuum fore, vel non fore, eſt abſolutè determinatum, & conſequenter eſt ſcibile: ſed futurum conditionatum nullam omnino habet determinationem; quia hæc futura neque ſecundum ſe habent eſſe, neque in tempore, neque in æternitate; neque illud habitura ſunt*; quæ enim in nulla differentia temporis habent eſſe actuale in ſe extra ſuas cauſas indeterminatas, nõ videntur poſſe cognoſci in ſuo eſſe reali determinato. Confirmat maximè ex eo quod, *repugnat idem ſimul eſſe contingenter, & determinatè futurum; determinatè verum, & indeterminatè verum.*

*Prima obiectio Zumel.*

Reſpondetur, in futuris etiam conditionatis, *ſuum fore, vel non fore*, eſſe quid determinatum in ſe; tamen non abſolutè, ſed conditionatè: ſicut enim ſunt futura, tamen non abſolutè, ſed conditionatè; ita ſunt determinata conditionatè, non abſolutè. *Quod*, inquit Zumel, *difficillimum eſt intelligere.* Verùm ea facilitate, qua ipſe, & omnes intelligimus, aliquid conditionatum, eſſe futurum aliqua ratione, ſcilicet conditionatè; ita poteſt intelligi, eſſe determinatũ. Enimuerò quod eſt in ſe indeterminatum, ac proinde nullum habet eſſe in ſe, ſed tantùm in cauſa libera indeterminata, non eſt magis futurum, quàm non futurum; ſicut è contra, non eſt magis non futurum, quàm futurum, ſed vtrumque eſt tantùm poſſibile, ergo ſi aliquid eſt verè futurum conditionatum, erit neceſſariò aliquid in ſe determinatum, tamen conditionatum. Quare competit illi eſſe actuale tam in tempore, quàm in æternitate, non abſolutè, ſed conditionatè; & licèt non ſit habiturum eſſe, tamen habiturum eſſet eſſe poſita conditione. Igitur ſicut ad cognoſcendum futura abſoluta, ſatis eſt eorum eſſe determinatum, quod licèt non ſit quando ab æterno cognoſcitur; tamen verè futurum eſt in aliqua differentia tẽporis; ita ad cognoſcenda futura conditionata, ſatis eſſe debet idem eſſe determinatum, quod licèt neque ſit, neque futurum ſit, tamen veriſſimè futurum eſſet, ſi hæc vel illa conditio poneretur. Et ratio à priori eſt, quia eſſe futuri conditionati, eſt idem eſſe futuri abſoluti: illud enim eſſe, prorſus idem, quod futurum eſt poſita tali conditione, futurum eſſet ſi poneretur talis conditio, v. g. ſiue dicas, Paulus conuertetur poſita tali vocatione, ſiue, conuerteretur ſi taliter vocaretur, ſemper idem omnino conuerſionis actus prædicatur de Paulo. Sed eſſe futuri abſoluti, eſt aliquid in ſe determinatum, & conſequenter aptum terminare infallibilem Dei præſcientiam; ergo etiam eſſe futuri conditionati.

*Reſpondetur, futura cõditionata habere veritatem determinatam.*

*Idem eſt eſſe futuri conditionati, & abſoluti.*

Ad confirmationem, illud non repugnare, quia non eſt reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum; idem enim futurum conditionatum, eſt contingens, & indeterminatum reſpectu cauſæ ſuæ contingentis, & indeterminatæ, in cuius virtute continetur: eſt certum, ac determinatum reſpectu proprij eſſe, quod in ſeipſo habet. Quæ repugnantia æquè militat contra futurum contingens abſolutum, de quo eam tollit S. Thomas hic, eodem modo dicens, *eſt determinatum ad vnum, ſi conſideretur in ſe ipſo: non eſt determinatum ad vnum, ſi conſideretur vt eſt in ſua cauſa.*

*Futurũ conditionatum eſſe determinatũ, & indeterminatũ diuerſa ratione.*

S. Thomas.

468. Obiicies ſecundò ex eodem pag. 132. initio. *Prius eſt rem eſſe determinatam, quàm propoſitionem eſſe determinatè veram*; quod multis bene probat: ergo cùm dicit Vazquez ſupra, Deum cognoſcere futura conditionata in propoſitionibus contradictoriè oppoſitis, non aſſignatur præcipua, & vltima radix cognoſcendi. Quod etiam contra Vazquez, & Suarez obiicit Gonzalez hîc d. 45. ſect. 5. initio.

*Secunda obiectio Zumel, & Gõzalez.*

Reſpondeo, Vazquez, & Suarez non facere vim in veritate formali determinata propoſitionis, prout diſtinguitur à veritate obiectiua determinata rei ſignificatæ per propoſitionem: ſed hanc priorem, & minus notam, per illam poſteriorem, ac notiorem rectè declaraſſe.

*Reſponſio.*





469. Obiicies tertiò ex eodem fol. 124. §. *Fauet*, vbi inquit, *Non eſt intelligibile dicere, Deum cognoſcere futura conditionata, penetrando veritatem, quæ in ipſis eſt immediatè.* quia hoc modo cognoſcit omnem aliam veritatem, & falſitatem, in omni opinione. Aliud igitur eſt, quod quæritur in præſenti, nempe, vnde habeant contingentia, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe, vt ſint potius futura, quàm non futura; ac proinde, vt ea cognoſcat Deus penetrando veritatem futuri, potius quàm non futuri.

*Tertia obiectio Zumel.*

Reſpondeo, duas quæſtiones eſſe magis diſtinguendas, & explicandas, vt id, quod dicimus, intelligi clarius poſſit. Primò quæritur, vnde habeant conditionata, vt ſint potius futura, quàm non futura? Et reſpondendum eſt, id habere ex libera creatæ voluntatis determinatione cum ſubordinatione eſſentiali ad diuinam voluntatem, non prædeterminantem, ſed indifferentem ad plura, vt ſæpe ſupra dub. 17. Secundò quæritur, quod huius dubitationis proprium eſt, vnde habeat id, quod ex libera noſtra determinatione futurum eſt, cum ſit contingens, & indeterminatum, vt terminare poſſit certam, ac determinatam, ſiue omnino infallibilem Dei cognitionem? Et reſpondemus, id habere ex eo, quòd futurum contingens, ſit in ſe ipſo quid determinatum, ac certum; licèt incertum, ac indeterminatum ſit in ſua cauſa. Atque hoc ſignificare volunt noſtri Doctores dicentes, *Deum ſcire futura, penetrando veritatem, quæ in ipſis immediatè eſt.* hoc eſt, non ratione veritatis indeterminatæ, quam habent in cauſis; ſed ratione veritatis, quam habent in ſeipſis, per ſe, & immediatè conſideratis, abſque reſpectu ad cauſas. Nego igitur, hunc eſſe modum cognóſcendi omnem veritatem, & falſitatem; ſed dico, eſſe proprium modum cognoſcendi futura contingentia: quamuis enim effectus futuri à cauſis ſecundis, ſiue liberi, ſiue neceſſarij, conueniant in hoc, vt in ſe ipſis ſpectati veritatem habeant determinatam, vt ſupra num. 160. tamen differunt, quia neceſſarij, præter hanc, habent aliam antecedentem veritatem determinatam in ſuis cauſis; & propterea prior ratio illos cognoſcendi eſſe debet veritas determinata, quam habent in cauſis: liberi verò hanc aliam determinationem in cauſis non habent; & ideo propria ratio illos cognoſcendi eſt determinatio, quam habent in ſe ipſis, ſeu penetrando veritatem determinatam, quæ in ipſis immediatè eſt.

*Reſponſio.*

*Vnde habeãt conditionata, vt ſint potius futura, quàm non futura.*

*Vnde habeat futurum contingẽs, vt ſciri poſſit.*

470. Obiicies quartò ex eodem, pagina 126. col. 1. fin. quia contra nos, *videtur eſſe expreſſa ſententia D. Auguſtini lib. 1. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 10.* illis verbis, *Prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus*: eadémque verba contra nos afferunt Gonzalez hîc, d. 44. num. 17. & d. 45. num. 8. Aluarez lib. 2. de Auxiliis, d. 7. num. 10. ſicut & alia verba ex cap. 17. vbi clarius dicitur, *Electi ſunt ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit.*

*Quarta obiectio Zumel, Gonzalez, Aluarez.*

Reſpondeo, hæc non eſſe ad rem: quamuis enim dicat Gonzalez cit. num. 8. Auguſtinum *euidenter* loqui de futuris conditionatis; tamen illum loqui de futuris abſolutis manifeſtum eſt ex ipſiſmet verbis relatis, vbi præſciri dicuntur futura facta eorum, qui prædeſtinati, & electi de facto ſunt; & ex aliis, quæ ad idem probandum attuli ſupra num. 424. & 425. Noſtra igitur quæſtio eſt, an Deus futura conditionata libera præſciat in prædeſtinatione antecedente præſcientiam conditionatam, quod numquam vlla ratione affirmauit Auguſtinus, ſed aliquando ſatis expreſsè negauit, vt ſupra num. 313. & à num. 330. ad 342. Quod autem docet Auguſtinus, futura abſoluta præſciri *in prædeſtinatione*, nimirum abſoluta, & ex parte actus, & ex parte obiecti, nil aliud probat, niſi, prædeſtinationem eſſe rationem antecedentem, & vltimatam præſciendi opera ſupernaturalia abſolutè futura, quod non negamus; non autem probat, eſſe rationem adæquatam, & ſufficientem per ſe ſolam: niſi enim præcederet ſcientia conditionata, decretum prædeſtinationis non poſſet eſſe cauſa operum contingentium, ſed neceſſariorum; & conſequenter in prædeſtinatione ſcire non poſſet Deus opera libera electorum, ſed neceſſaria.

*Reſpondetur exponendo Auguſtinum.*

Obiicies quintò ex Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 5. num. 16. *Ante omne decretum voluntatis diuinæ, res ſolùm habent eſſe poſſibile, ergo non ſunt cognoſcibiles certa ſcientia, niſi vt poſſibiles, ergo non vt actu exiſtunt ex hypotheſi.* 471.

*Quinta obiectio Aluar.*

Reſpondeo, falſum eſſe antecedens, iuxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt. Confirmat, quia, *omnes res poſſibiles, eſſent futuræ, ex hypotheſi quòd Deus vellet eas producere: & tamen de facto non cognoſcuntur per ſcientiam conditionatam, ſed per abſolutam ſimplicis intelligentiæ. Ergo ante omne liberum Dei decretum res ſunt cognoſcibiles ſolùm vt exiſtentes poſſibiliter.*

Reſpondeo, res poſſibiles vt futuras ex prædicta hypotheſi, eſſe quidem cognoſcibiles per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quoniam futuritio conditionata ſequitur neceſſariò, & non liberè, ex diuina voluntate conditionata: non autem eſſe cognoſcibiles per ſcientiam abſolutam, ſed per conditionatam, quia ipſemet Aluarez illud obiectum bene vocat, *futurum ex hypotheſi*; ſcientia verò, quæ verſatur circa obiectum conditionatum, eſſe, & dici debet conditionata, non abſoluta. Vnde patet, falſam eſſe conſequentiam; verumtamen præſens quæſtio non eſt de futuris conditionatis habentibus infallibilem, ac neceſſariam connexionem cum præcedentibus conditionibus; cuiuſmodi futura eſſent, quæcumque vellet Deus vt eſſent: ſed de habentibus connexionem fallibilem, ac liberam.

*Reſponſio. Qua ratione omnia poſſibilia ſint futura conditionata.*

Obiicies ſextò ex Gonzalez hîc, d. 45. ſect. 5. arguente contra Vazquez, & Suarez; modus cognoſcendi futura contingentia conditionata in ſuo eſſe determinato independenter à voluntate Dei prædeterminante, *modus falſus eſt, & inintelligibilis.* Quod probat primò, quia ſequeretur, *potiori iure omnia futura abſoluta habere eſſe determinatum ante liberam voluntatem Dei.* Quod abſurdum eſt, *quia inde ſequitur tolli diuinam prouidentiam, prædeſtinationem, & cauſalitatem circa talia futura immediatè.* Deinde impugnat reſpondentes, *decretum Dei præcedere in eſſe cognito, non vt exiſtens in ipſo Deo, etiam in futuris abſolutè*, à qua abſurda reſponſione longiſſimè abſunt Suarez, aliíque omnes noſtri Doctores. Verùm, inquit Gonzalez, *inde colligitur euidenter, non eſſe ſolidum fundamentum illud ſententiæ Suarez; nempe, quòd datis duabus contradictorijs, altera debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſa pro quolibet ſigno rationis.* Et alia minus modeſtè addit contra grauiſſimum Theologiæ Magiſtrum Suarez. 472.

*Sexta obiectio Gonzalez.*

Reſpondeo, primam ſequelam eſſe ſimpliciter falſam. Sed vt clariſſimè intelligatur veritas noſtri modi, qui immeritò dicitur, *falſus & inintelligibilis*, diſtinguo conſequens, quia verum eſt de voluntate Dei prædeterminante, quam non admittimus in futuris liberis, nec conditionatis, nec abſo-

*Reſponſio.*

*Quomodo pẽdeant futura à voluntate Dei.*

lutis; & ſi eſſet admittenda in aliquibus futuris, potiori iure admitti deberet in abſolutè futuris, quæ pendere debent à voluntate Dei abſoluta, quàm in conditionatè futuris, quæ non petunt maiorem dependentiam, quàm a voluntate Dei conditionata: ſed falſum eſt de voluntate Dei concurrente, ſeu parata concurrere ad oppoſita; & volente producere antecedentes conditiones: quas voluntates in abſolutis, abſolutas eſſe oporter; in conditionatis, conditionatas. Hinc autem non tolluntur Dei prouidentia, prædeſtinatio, cauſalitas circa liberos effectus; ſed maximè firmantur, & defenduntur à prædeterminationibus, cum quibus ſtare non poſſunt. Denique aſſero, fundamentum illud Suarez non poſſe non videri ſolidum, modò videatur quid illud ſit.

*Qua ratione probetur, omne futurum contingẽs eſſe determinatũ.*

In illo igitur ſupponitur vnum, à Suarez latiſſimè demonſtratum, quod nos etiam ſupra pro viribus præſtare conati ſumus, cauſam ſecundam liberam, abſque vllo prædeterminante, habere omnia neceſſariò prærequiſita ad liberè agendum: quibus poſitis ſicut neceſſe eſt, illam liberè agere, vel non agere de præſenti; ita etiam neceſſe eſt, illam liberè acturam, vel non acturam de futuro, ſiue abſoluto, ſiue conditionato; quia irrefragabilis contradictoriorum lex eſt, vt vtrumque ſimul verum, aut falſum eſſe nequeat; ſed alterum verum, alterum falſum eſſe neceſſe ſit. Hoc ſuppoſito, euidenter ſequitur, quòd illa contradictionis pars, quæ neceſſariò ſub diſiunctione ſupponitur futura, quamuis ſit contingens, ſit etiam determinata; quia etſi reſpectu cauſæ ſit contingens, tamen reſpectu ſui eſt hæc pars, & non oppoſita, ergo eſt in ſe aliquid determinatum: quia quod ita eſt id, quod eſt, vt nihil ſit ex aliis omnibus, quæ non ſunt ipſum, determinatam aliquam entitatem in ſe habeat neceſſe eſt. Hæc igitur determinatio ex parte obiecti, ratio eſt, vt futurum contingens, non obſtante contingentia, quæ eſt quædam fallibilitas, quam habet in ſua cauſa proxima, ratione cuius eſſe nequit terminus infallibilis præſcientiæ Dei, poſſit à Deo infallibiliter cognoſci.

*Defenditur Suarez cõtra Gonzalez.*

Hoc eſt fundamentum Suarez clariſſimum, ac firmiſſimum; quem propterea ridiculè hortatur Gonzalez, *Quærere aliud fundamentum magis firmum, vel à ſcientia illa ſua media recedere.* Laudabilis fortaſſe zelus: ſed nos interim retinemus veritatem, aliáſque efficaciores impugnationes ab eo expectamus.

473. Obiicies ſeptimò ex eodem ſupra num. 43. quia res, *antecedenter ad omnem actum liberum Dei, exiſtentem in illo, non habent aliquam rationem futurorum, ſed purè poſſibilium.* Quam falſitatem probat primò, *quia illud inſtans rationis ſolùm aſſignatur pro poſſibilibus.* Secundò, quia in ſe ipſis nullum habent eſſe determinatum, ergo non habent rationem futurorum in ſe ipſis.

*Septima obiectio Gonzalez.*

*Reſponſio.*

Sed hæc nullius momenti ſunt. Ad primum, illud eſt manifeſtè falſum: quia purè poſſibilia dicuntur per ordinem ad decretum Dei ſub eſſe poſſibili; eadem verò vt conditionatè futura, dicuntur per ordinem ad decretum Dei ſub eſſe futuro.

*Non eſſe idẽ, poſſibilia, & futura conditionata.*

Prius autem eſt decretum Dei vt poſſibile, quàm vt futurum, v. g. prius concipimus, poſſe Deum velle ſaluare Iudam per aliquam extraordinariam gratiam; quàm quòd, ſi Deus vellet Iudæ dare illam gratiam, vellet etiam illum ſaluare. Ad ſecundum, nego antecedens, quia conditionata habent in ſe ipſis eſſe determinatum, non abſolutum, ſed conditionatum.

474. Obiicies octauò ex eodem in num. 46. impugnatione 5. Si tam futura conditionata, quàm abſoluta cognoſcerentur ex vi veritatis propoſitionis, quæ hoc ipſo quod habet veritatem in præſenti, ſemper illam antea habuit, ſequeretur, *non cognoſcere Deum prius ordine rationis futura conditionata, quàm futura abſoluta.* Quam ſequelam falſam non aliter probat, niſi quia per nos, *inter illa futura non mediat aliquod decretum exiſtens in Deo.*

*Octaua obiectio Gõzalez.*

*Reſponſio.* *Futurum cõditionatũ eſſe prius abſoluto.*

Reſpondetur, hanc probationem nihil vrgere; quia ad illam prioritatem ſuadendam, non requiritur decretum, quod prius exiſtat vt conditionatum ex parte obiecti, quàm vt abſolutum ex parte eiuſdem obiecti: nam de hac etiam exiſtendi prioritate reddenda eſſet ratio; ſed ſatis eſt decretum vt obiectiuè exiſtens in mente Dei, quod prius videtur vt futurum, poſterius verò vt præſens: ſed futurum conditionatum dependet à diuino decreto vt futuro, futurum abſolutum dependet à diuino decreto vt præſente: ergo prior eſt veritas futuri conditionati, quàm abſoluti. Quam probationem per ordinem ad decretum vſurpare non poſſunt aduerſarij; quia per ipſos decretum ex parte ſui, tam eſt abſolutè exiſtens reſpectu futuri conditionati, quàm reſpectu futuri abſoluti, ergo non poteſt ex prioritate, vel poſterioritate decreti deſumi ratio prioritatis futuri conditionati reſpectu futuri abſoluti: ſed hæc ſolùm deſumi poterit ex parte ipſiuſmet obiecti, vt ſupra num. 213. Etenim idem vt conditionatum, adhuc remanet ſub eſſe poſſibili, hoc eſt, ex vi veritatis conditionatæ nullam exigens abſolutam actualitatem, & præſentialitatem in tempore; quam tamen exigit vt abſolutum, quod propterea vt ſic pertinet ad ſtatum actualitatis ſimpliciter. Saltem actualitas futuri conditionati, quæcumque illa ſit, nempe conditionata, quæ eſt actualitas quædam ſecundùm quid, & imperfecta, multò minus recedit à ſtatu poſſibilitatis, quàm actualitas futuri abſoluti, quæ eſt actualitas perfecta, & ſimpliciter. Sed poſſibilia priora ſunt actualibus, ergo futura conditionata priora ſunt futuris abſolutis.

*Inſtantia Gonzalez.*

Inſtabis cum Gonzalez ſupra num. 47. *Hæc cauſalis eſt falſa, Ideo Antichriſtus erit in tali tempore, quia foret in tali tempore: hæc autem eſt vera, Ideo foret in tali tempore, ſi talis conditio poneretur, quia futurus eſt in tali tempore:* ergo abſoluta priora ſunt conditionatis.

*Reſponſio.*

Reſpondeo, cauſales non eſſe conuenienter, & integrè propoſitas; ſic proponi debet prima, Ideo Antichriſtus erit in tali tempore ex tali conditione poſita, quia foret in tali tempore, ſi talis conditio poneretur; quæ cauſalis iam manifeſtè apparet vera, non falſa. Secunda quoque ſic proponenda eſt, Ideo foret in tali tempore, ſi talis conditio poneretur, quia futurus eſt in tali tempore, ex tali conditione poſita: quæ cauſalis eſt falſa; quia etſi hoc ſit prius illo ſecundùm nos, & ab effectu; tamen illud eſt prius hoc ex natura rei, & in ratione cauſæ.

## DVBITATIO XX.

### *An ſcientia conditionalium hactenus explicata, verè ſit, & rectè dicatur ſcientia media.*

SVMMA.

1 *Declarantur termini controuerſi. numero 475. & 476.*





2 *De medio inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, à num. 477. ad 484.*

3 *De medio inter ſcientiam naturalem, & liberam, à num. 484. ad 489.*

4 *Obiectiones Cabreræ, à n. 489. ad 491.*

5 *Obiectiones Zumel, à n. 491. ad 495.*

6 *Obiectiones Verdu. num. 495.*

7 *Obiectiones Gonzalez, à n. 496. ad 500.*

8 *Tres aliæ communes obiectiones, à numero 500. ad 507.*

### *Declarantur termini quæſtionis.*

475. SCientia Dei conditionata, ſi conſideretur vt media, comparari poteſt primò inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis. Secundò inter ſcientiam naturalem, & ſcientiam liberam. Quæ comparationes diſtinctæ ſunt: quia etſi inter ſcientiam ſimplicis intelligentię, & ſcientiam naturalem; in quantum hæc verſatur circa creaturas, nulla poſſit aſſignari differentia; tamen inter ſcientiam viſionis, & ſcientiam liberam, manifeſtum diſcrimen apparet; quicquid in contrarium dicat Aluarez lib. 1. Reſponſionum, cap. 6. num. 7. *Scientia viſionis, re, & ratione omnino identificatur cum ſcientia libera.*

*Scientiã viſionis, & ſciẽtiam liberam differre contra Aluarez.*

Nam præter allatas probationes huius diſcriminis ſupra artic. 8. ferè per totum, & in hoc articulo 13. num. 348. idem nunc probo ad hominem. Primò, quia Aluarez ſupra cap. 5. fin. dixerat, *ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum,* quam ponit in Deo poſt decretum liberum, *eſſe ſcientiam liberam, & reduci ad ſcientiam viſionis.* Et paulò poſt, non eſſe ſcientiam, *quæ directè, & per ſe eſt ſcientia viſionis, ſed quæ ex parte obiecti reducitur ad ſcientiam viſionis.* Scientia conditionata, per ſe, & directè eſt ſcientia libera, & non reducitur ad ſcientiam liberam: & per ſe, ac directè non eſt ſcientia viſionis, ſed reducitur ad ſcientiam viſionis: ergo non ſunt prorſus idem re, & ratione, ſcientia libera, & ſcientia viſionis. Secundò, addit deinde Aluarez num. 7. & ſæpe infra teſtatur, nullum Thomiſtam aſſerere, *quòd ſcientia viſionis, conſiderata formaliſſimè, & præciſè, in quantum eſt viſionis, ſit cauſa efficiens rerum,* ſed per ipſum, ſcientia libera, in quantum eſt libera, eſt cauſa efficiens rerum; ergo ſcientia viſionis, & libera, aliquo modo differunt. Tertiò falsò dicitur citato num. 7. *ſcientia approbationis non diſtinguitur in ratione ſcientiæ in Deo, etiam ratione ratiocinata, à ſcientia viſionis.*

*Sciẽtiam approbationis in ratione ſcientiæ differre à ſcientia viſionis.*

Tum quia hoc eſt expreſsè contra S.Thomam, cuius verba refero, & expendo art. 8. num. 114. Tum euidenti ratione, quia ſcientia approbationis, eſt, inquit S.Thomas ſupra art. 8. in fine corporis, *ſcientia ſecundum quod habet voluntatem coniunctam, & eſt cauſa rerum.* Sed ſcientia viſionis, vt viſionis, eſt non ſolùm poſt voluntatem, ſed etiam poſt effectum voluntatis, quia eſt viſio futuri, quod eſt effectus diuinæ voluntatis, vnde viſio, vt viſio, etiam ſecundùm Aluarez, videt, & ſupponit, non autem facit futura; ergo ſcientia approbationis, & viſionis, dici rectè non poſſunt idem re, & ratione: ſed ſcientia approbationis omnino identificatur cum ſcientia libera; ergo ſcientia libera, & ſcientia viſionis, non ſunt planè idem. Quartò falsò etiam dicitur infra num. 19. *Scientia libera non diſtinguitur in Deo, etiam ratione ratiocinata, à ſcientia viſionis, in ratione ſcientiæ.* Tum quia ſcientia approbationis diſtinguitur in ratione ſciẽtiæ à ſcientia viſionis, vt viſionis formaliter; vt modò probatum eſt: ſed ſcientia approbationis eſt ſcientia libera; ergo ſcientia libera diſtinguitur in ratione ſcientiæ à ſcientia viſionis, quatenus viſionis. Tum quia ſcientia conditionata, quæ ponitur poſt decretum, nihil habet plus, quod non haberet antea actus diuini intellectus, niſi coniunctionem cum libera voluntate, ex qua denominatur libera, nimirum in ratione cauſandi: ſed antea illa ſcientia, ſiue ille actus diuini intellectus, non videbat futura; ergo poſtea non videt futura: voluntas enim adiuncta non dat videre, ſed cauſare futura. At viſio, vt viſio, ſcit futura vt futura; ergo ſcientia viſionis, in ratione ſcientiæ differt à ſcientia libera; nempe per cognitionem noui obiecti ſcibilis, quod antea in priori ſigno non erat in ſe, ſed in cauſa; ac proinde ab intellectu diuino non ſciebatur, ſed ſciri poterat.

476. Aduerto præterea, nos duobus modis loqui poſſe de ſcientia ſimplicis intelligentiæ & viſionis. Primò de facto, prout iſtæ ſcientiæ à S.Thoma, & reliquis antiquis Theologis explicatæ ſunt, qui, vt patet ex art. 8. eas conſiderarunt ſolùm per ordinem ad creaturas poſſibiles, & abſolutè futuras; non autem conditionatè futuras, de quibus vel planè nullam, vel rariſſimam, ac leuiſſimam mentionem fecerunt. Secundò de poſſibili, prout retentis iiſdem vocibus, potuiſſent facilè declarari aliter, ſi comprehendere voluiſſent omnes creaturas, ſub omni ſtatu; hoc eſt, & vt poſſibiles, & vt futuras abſolutè, & vt futuras conditionatè. Quam animaduerſionem non arbitramur neceſſariam in alia ſcientiæ diuinæ diuiſione in naturalem, & liberam: quia hæc, vt notaui ſupra n. 347. cum Suarez, non habetur apud S.Thomam, alióſque veteres Theologos: ſaltem non ita communiter, ac diligenter tradita, & declarata eſt, ſicut prima diuiſio in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: ſed frequentius vſurpari cœpit noſtro ſæculo, occaſione huiuſmodi nouarum controuerſiarum: ideoque liberius à nobis explanari poſſunt. Sumendo igitur ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis in primo ſenſu, quo modo ab omnibus, etiam recentioribus, accipitur, ponam quinque concluſiones ſequentes, & in ſecundo ſenſu ſextam.

*Diſtinguitur duplex quæſtionis ſenſus.*

### *An ſit media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis.*

Prima concluſio, ſcientia futurorum contingentium conditionalium, non eſt purè ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Hoc probaui ſupra n. 353. & breuiter patet, quia pura intelligentia eſt de purè poſſibilibus, ante quodlibet actuale Dei decretum: futura verò conditionata non ſunt purè poſſibilia; & præſupponunt aliquod liberum Dei decretum actuale, ſi non præexiſtens realiter, ſaltem præexiſtens obiectiuè. Ità Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 3. num. 5. *Exiſtimo*, inquit, *Theologos hanc ſcientiam ſub ſcientia viſionis comprehendiſſe. Participat nihilominus aliquas proprietates, ſeu conditiones ſimplicis intelligentiæ.* Quamquam deinde in 1. tom. de gratia, prolegom. 2. cap. 6. num. 7. aſſeruit, *ſcientia conditionata, ſimpliciter loquendo, ſub ſcientia ſimplicis intelligentiæ continetur.* & paulò poſt, *tota illa cognitio ad ſimplicem intelligentiam pertinet.* Quod dixit, non quòd omni ex parte, ſed quòd magna ex parte talis ſit, vt mox oſtendam, in quo etiam ſenſu dixit Valentia hîc, puncto 5. quæſt. 2. *§. Tria tamen ſunt.* ſcientiam conditionalium, *non eſſe nominandam ſcientiam viſionis, ſed ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,* & Vazquez d. 67. fin. *ego non conſtituerem*

477. *Prima cõcluſio, nõ eſt ſciẽtia ſimplicis intelligentiæ.*

Suarez.

Valentia.

Vazquez.

*tuerem ſub ſcientia viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ.* Quia non totalem, ſed maiorem, ſeu potiorem participationem ſtatim ſignificat dicens, *potius videtur eſſe ſimplex quædam intelligentia horum futurorum ſub conditione, vel, ſi placet, doctrinæ, & claritatis gratia tertium membrum conſtituere, quid obeſt?* Quibus verbis patet, hanc ſcientiam & à pura intelligentia, & à pura viſione diſtingui. Quod ſequutus eſt Becanus 1. part. tract. 1. cap. 10. quæſt. 1. num. 5. & in eodem ſenſu Bellarminus tom. 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ cap. 17. ad 1. Caluini, abſolutè dixit, non excludendo ſcientiam viſionis, hæc conditionata cognoſci à Deo, *cognitione ſimplicis intelligentiæ.* & Leſſius de gratia cap. 19. num. 1. fin. *re vera ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & rerum poſſibilium pertinet.* Vnde ſupra cap. 16. num. 3. poſt medium dixerat, *Præſcientia ex hypotheſi futurorum, non eſt ſcientia viſionis, ſed potius ſimplicis intelligentiæ;* illud, *potius,* indicat, non omnino excludi ſcientiam viſionis. Sed apertè contradicere videtur Arrubal d. 38. cap. 9. cui ſubſcripſit Diotalleuius pag. 107. & 278. ad 3. Albertinus tom. 1. pag. 295. col. 2. & ante ipſos Stapletonius in Antidotis euangelicis, in id Matth. 11. *Si in Tyro,* &c. Nobiſcum ſentiunt omnes Authores decreti prædeterminantis ante ſcientiam conditionatam, exceptis Verdu fol. 12. §. *Non etiam,* & fol. 25. & Cantarello quæſt. 22. notab. 2. pag. 298. contendentibus non eſſe viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ.

*Becanus. Bellarmin. Leſſius. Arrubal. Diotalleu. Albertinus. Stapleton. Verdu. Cantarell.*

478. *Obiectio Arrubal.*

Obiicies fundamentum Arrubal, futura conditionata non pertinent ad ſcientiam viſionis; ergo pertinent ſolùm ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Conſequentia probatur, quia ex art. 8. dub. 2. hæc diuiſio eſt adæquata, & traditur per membra contradictoria, inter quæ nullum dari poteſt medium, ergo ſi aliqua ſcientia non eſt viſionis, erit neceſſariò ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Antecedens probat Arrubal, *quia ad ſcientiam viſionis neceſſaria eſt actualis obiecti exiſtentia, & præſentia realis, quam obiectum re ipſa aliquando habeat: nec ſatis eſt exiſtentia, vel præſentia, quam obiectum haberet, ſi ponerentur conditiones, non eſt autem illam abſolutè habiturum.* Hoc autem probat, *quia ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non ſolùm pertinet, v.g. hominem eſſe animal, ſed etiam, eſſe intellectiuum, diſcurſiuum,* &c. Quod ſignificat neceſſariam connexionem inter proprietatem, & ſubiectum, quæ connexio includit hoc obiectum conditionale. *Quod ſi exiſtat homo, exiſtere debeat cum proprietate facultatis intelligendi.* Ergo hoc futurum conditionatum pertinet etiam ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non viſionis. Similiter hoc obiectum, *res poſſibiles, futuræ aliquando eſſent, ſi Deus vellet illas producere, proculdubio pertinet ad ſolam cognitionem ſimplicis intelligentiæ, non viſionis.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, negatur antecedens, ſi intelligatur de *nullo modo* pertinere. Ad probationem, nego aſſumptum, & ad duo exempla obiecta, dico primò, illa non eſſe ad rem, quia illa ſunt futura conditionata neceſſaria, hoc eſt, quæ neceſſariò ſequuntur ex præcedente conditione, ita vt quamuis conditio liberè ponatur, tamen ſi ponitur, ex illa neceſſariò ſequitur effectus: nos autem diſputamus de futuris conditionatis liberis. Dico ſecundò, illa etiam, quia includunt tum aliquam libertatem ex parte conditionis, quæ libertas conſequenter transfunditur aliquo pacto in effectum à conditione illa pendentem, cum non ſolùm libera ſit, v.g. exiſtentia hominis, ſed etiam conſequenter exiſtentia riſibilis; tum aliquam actualitatem, & præſentialitatem, conditionatam ſcilicet, ex parte præcedentis conditionis, futuram ſub conditione ex parte effectus, dici conuenienter poſſe pertinere aliqua ratione ad ſcientiam viſionis, & ad ſcientiam liberam. Cur enim non obſtante prædicta obiecti libertate, & actualitate, ſpectabunt ad neceſſariam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ neceſſitatem, & potentialitatem in obiecto ſuo poſtulat; & obſtante prædicta eiuſdem obiecti neceſſitate, & potentialitate, ſpectare non poterunt ad liberam ſcientiam viſionis, quæ libertatem, & actualitatem in obiecto ſuo poſtulat? Sicut enim primum dicitur, quia cum illa libertate, & actualitate, neceſſitas, ac potentialitas coniuncta eſt; ita contra, dici pariter poteſt ſecundum, quia cum illa neceſſitate, & potentialitate, adhuc ſtat aliqua libertas, & actualitas.

*Ad ſcientiã viſionis pertinere etiam quaſdã propoſitiones neceſſarias.*

*Declaratur diuiſio ſciẽtiæ in viſionẽ, & intelligentiã.*

Præterea ad conſequentiam dico, non tolli adæquationem illius diuiſionis ex eo, quòd ſcientia media neque ſit ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, neque ſola ſcientia viſionis, ſed in vtraque ſimul contineatur. Vt autem intelligatur illa diuiſio tradi per membra contradictoria, quod dixi ſupra art. 8. num. 27. debet accipi in ſenſu ſextæ concluſionis infra, in quo probabo, ſcientiam conditionatam, non eſſe ſcientiam mediam, ſed ſolius viſionis.

Secunda concluſio. Scientia futurorum contingentium conditionalium, non eſt purè ſcientia viſionis. Eſt valde communis, Suarez, Valentiæ, Vazquez, Becani, Bellarmini, Leſſij, Arrubal, Diotalleuij, Verdu, Cantarelli, ſupra num. 477. item Aluarez lib. 1. Reſponſionum c. 5. fin. in quantum aſſerit, *ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum, non eſſe directè, & per ſe ſcientiam viſionis, ſed reduci ad ſcientiam viſionis.* contra Cabreram tom. 3. in 3. p. quæſt. 62. art. 1. d. 12. §. 14. num. 317. quamuis cõtradicere ſibi deinde videatur in n. 323. Gonzalez hîc, d. 39. n. 13. ad 5. 479.

*Secunda concluſio, non eſt ſcientia viſionis. Aluarez. Cabrera. Gonzalez.*

*Ratio cõcluſionis.*

Hanc concluſionem euidenter probaui ſupra num. 353. argum. 1. & 2. Quam extendo etiam ad ſcientiam conditionalium diſparatorum, quæ præſupponit liberum Dei decretum in actu realiter poſitum, vt ſupra num. 252. & 272. & conſequenter, ad opinionem de decreto prædeterminante: quia futurum conditionatum, ſiue habeat veritatem ante, vel poſt decretum, ſemper non includit in ſe actualem exiſtentiam, ac præſentiam, in re abſolutè poſita in aliqua differentia temporis; quam actualitatem in ſuo obiecto includit ſcientia viſionis ſecundùm S. Thomam, & reliquos omnes veteres Theologos. Itaque fundamentum aduerſariorum, ductum ex eo, quòd ſcientia conditionata effectuum liberorum ſequatur decretum actualiter in Deo exiſtens, præterquam quod aſſumit falſum, vt ſupra dub. 17. probat ſolùm, huiuſmodi ſcientiam habere vnam, eámque præcipuam conditionem ſcientiæ viſionis, non tamen habere omnia neceſſaria ad viſionis ſcientiam conſtituendam, cum illi deſit prædicta actualitas eſſentialiter incluſa in obiecto ſcientiæ viſionis.

*Soluitur fundamentũ cõtrarium.*

Tertia concluſio. Scientia futurorum contingentium conditionalium, verè eſt, & rectè dicitur media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis: non quidem media per omnimodam diſtinctionem ab vtroque extremo, ſed per participationem aliquam vtriuſque extremi. Hoc omnium clariſſimè expreſſit Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. c. 3. num. 4. fin. illis verbis, *Non ineptè vocata eſt ſcientia media, cum aliquid de vtroque extremo participet.* 470.

*Tertia cõcluſio, eſt media inter ſcientiã ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Suarez.*

Prima



Prima pars eſt omnium, quos concluſione prima, & ſecunda attuli dicentes, neque eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, neque viſionis; præſertim Vazquez, & Becani, qui expreſsè conſtituunt *tertium membrum*, contra Arrubal, & Diotalleuium, expreſsè contendentes eſſe ſolùm ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & non viſionis. Sed hæc prima pars ex prædictis duabus concluſionibus neceſſariò ſequitur, ſi enim hæc ſcientia neque eſt ſimplicis intelligentiæ, vt in prima concluſione; neque eſt viſionis, vt in ſecunda concluſione, ergo eſt aliquo modo media. Quod euidenter declarari, & probari poteſt ex obiecto: ſcientia enim conditionata habet pro obiecto futurum conditionatum; quod neque eſt purum poſſibile, obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, neque eſt futurum abſolutum, obiectum ſcientiæ viſionis: ex diſtinctione autem inuenta in obiectis nos diſtinguere poſſumus ſcientias in Deo.

*Eſt media per participationem, ſecundũ omnes Theologos Societatis Ieſu.*

Secunda pars declaratur ſupra art. 8. num. 24. & eſt omnium Theologorum noſtræ Societatis, nemine prorſus diſcrepante. Nam, vt ſuperius commemoraui, Suarez, Valentia, Vazquez, Becanus, Bellarminus, Leſſius, Arrubal, expreſsè dicunt, pertinere ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, Suarez quoque ad ſcientiam viſionis; & ſupra art. 8. num. 25. & 26. oſtendi contra Aluarez, nullum vmquam ex noſtris Theologis docuiſſe, non eſſe adæquatam diuinæ ſcientiæ diuiſionem in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Vnde neceſſariò ſequitur, quòd ſcientia conditionata vel in altero, vel in vtroque membro contineri debeat. Quod diſtinctè adnotare, neceſſarium eſſe duxi, ne Lector aduerſariis credat, in odium huius opinionis paſſim ſcribentibus, & clamantibus, nos in Theologia Marte noſtro introduxiſſe nouiſſimam quamdam ſcientiam diuinam mediam, ab omni alia ſcientia contradiſtinctam. Mirum ſanè valde eſt, id dici poſſe ab iis, qui noſtros libros legunt, in quibus apertiſſimè ſcriptum eſt, & hanc diuiſionem eſſe adæquatam; & ſcientiam conditionatam, vel eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vel ſcientiam viſionis, vel includi in vtraque. Quod tertium in hac ſecunda parte aſſero, & ſic declaro, ac probo cum Molina hîc, d. 18. membro 1. §. *Reiecta,* ex obiecto ſcientiæ conditionatæ, nempe futuro conditionato, quod participat aliquid de puro poſſibili, quod eſt obiectum ſimplicis intelligentiæ; & de futuro abſoluto, quod eſt obiectum viſionis. Etenim futurum conditionatum, & eſt aliqua vera ratione futurum, in quo conuenit cum futuro abſoluto, & diſcrepat à puro poſſibili; & non eſt abſolutè futurum, in quo diſcrepat à futuro abſoluto, & conuenit cum puro poſſibili. Habet igitur futuritionem, communem cum futuro abſoluto; poſſibilitatem ad futuritionem abſolutam, habet communem cum puro poſſibili. Ergo includitur in vtroque; ergo ſcientia de futuro cõditionato participat aliquam rationem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ viſionis: quia ex participatione obiectorum oritur participatio ſcientiarum. ergo illa eſt inter has media per participationem, ſiue incluſionem in vtroque extremo.

*Molina.*

*Futurũ conditionatũ eſt mediũ inter purũ poſſibile, & futurũ abſolutum.*

*Scientiã mediam concedi etiam à Cabrera.*

Mediam huiuſmodi participationem aliqui aduerſarij, velint, nolint concedere aliquando coacti ſunt. Nam Cabrera tom. 3. in 3. part. quæſt. 62. ar. 1. d. 12. §. 14. num. 323. vt probet, *ſcientiam conditionatam non mediare inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; ratione,* vt ipſe bene ait, *manifeſta,* ſic arguit: *Futura conditionata vel pertinent ad ens in potentia, & ſic ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ ſubdentur; vel ad ens in actu, & ſic ſpectabunt ad ſcientiam viſionis.* Quæ ratio probat quidem, ſcientiam conditionatam non eſſe mediam per diſtinctionem ab vtroque extremo, quam medietatem nos etiam vltrò negamus; tamen manifeſtè ſuadet, eſſe mediam per participationem vtriuſque extremi, quod ſolum nos intendimus: quia futurum conditionatum & eſt in potentia, in quantum non eſt, ſed poteſt eſſe abſolutè futurum, ſicut poteſt poni in eſſe antecedens conditio à qua pendet, & qua in actu poſita, futurum conditionatum tranſit in actum futuri abſoluti; & ſimul eſt ens in actu, in quantum actualiter habet futuritionem conditionatam; in qua manifeſtum eſt poſſe conſiderari, & verè eſſe duplicem ſtatum, & potentialitatis, & actualitatis; quia ſi poneretur antecedens conditio, v.g. interrogatio ancillæ, tam poſſet eſſe conditionatè futura in Petro negatio Chriſti, quàm confeſſio Chriſti, & hac indifferentiæ poſſibilitate præſuppoſita, verum deinde eſt, quod ſi actu poneretur illa interrogatio, actu etiam futura eſſet in Petro negatio, non confeſſio. Præterea Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 5. fin. fatetur, *ſcientiam futurorum conditionatorum, quæ re vera futura non ſunt, reduci ad ſcientiam viſionis, & non eſſe directè, & per ſe ſcientiam viſionis.* Quod nulla alia vera ratione dici rectè potuit, etiam poſita eius opinione de decreto prædeterminante ante ſcientiam conditionatam, niſi quia ſcientia conditionata eſt de obiecto non abſolutè futuro, ſicut eſt ſcientia viſionis, ſed quod poteſt eſſe abſolutè futurum, quo modo etiam futurum eſſe poteſt obiectũ ſcientiæ ſimplicis intelligentię: ergo per ipſum ſcientia conditionata non ſolùm participat multum de ſcientia viſionis, ſed etiam participat aliquid de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ergo per ipſum ſcientia conditionata eſt verè media inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Nazarius quoque hîc, controuerſia 1. §. 6. ait, circa poſſibilia verſari ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. circa futura abſoluta, ſcientiam viſionis. circa futura conditionata, quæ numquam ſunt abſolutè futura, ſcientiam liberam, quæ non eſt viſionis, rectè enim docet, *ſcientiam liberam latius patere ſcientia viſionis, & omnem ſcientiam viſionis eſſe liberam; non omnem ſcientiam liberam eſſe viſionis.* Additque optimè pro ſequente concluſione ſexta, *quòd ſecundùm rectam diuiſionis regulam, diſtingui prius debuiſſet ſcientia, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſiue naturalem, & in ſcientiam liberam, deinde libera, in eam, quæ eſt eorum contingentium conditionalium, quæ numquam futura ſunt; & eam, quæ eſt eorum omnium, quæ aliquando habebunt exiſtentiam.* idque deinde poſuit in ſua ſeptima concluſione. Igitur eam ſcientiam conditionalium, quam Nazarius ait non eſſe ſimplicis intelligentiæ, nec naturalem, nec liberam viſionis; ſed tamen eſſe aliquo alio modo liberam, nos breuius, & dilucidius vocauimus mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; & inter ſcientiam naturalem, & liberam. Quare cum ibi affirmat, ſcientiam mediam, *eſſe nouitate ſuſpectam, ſingularitate ſola mirabilem, propriam Semipelagianorum,* non ſolùm eſt nobis iniurioſus, ſed ſibi crudelis. Denique Gonzalez hîc, d. 39. fin. concedit, *quod datur medium inter abſolutè poſſibile, & abſolutè futurum:* ſed ſtatim minus conſequenter negat, *quod datur medium inter ſcientiam viſionis, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.* quia hoc eſt negare, apud S. Thomam, & alios antiquos, obiectum ſcientiæ viſionis non

*Item ab Aluarez.*

*A Nazario.*

*A Gonzalez.*

eſſe

eſſe ſolùm futura abſoluta: quod aſſerere non poteſt qui eos legit.

*Quarta concluſio, eſt media in omni ſententia.*

481. Quarta concluſio. Quod aſſerit tertia concluſio, tenendum neceſſariò eſt, non ſolùm in noſtra ſententia ponente ſcientiam conditionatam ante decretum, ſed etiam in contraria ſententia ponentium ſcientiam conditionatam poſt decretum. Hoc conſtat ex Cabrera, Aluarez, Nazario, & Gonzalez modò citatis; & probatum eſt ſupra n. 353. & euidenter ſequitur ex dictis, quia ſiue decretum præcedat, ſiue ſubſequatur, ſemper obiectum ſcientiæ conditionatæ eſt futurum conditionatum, quod cum ſit medium per participationem inter futurum poſſibile, & futurum abſolutum, mediam in omni ſententia conſtituere debet ſcientiam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ de futuro poſſibili, & ſcientiam viſionis de futuro abſoluto.

*Quinta concluſio, accedit magis ad ſcientiã ſimplicis intelligentiæ.*

482. Quinta concluſio. Prædicta ſcientia media multò magis participat de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quàm de ſcientia viſionis. Hæc concluſio ſupponit ſententiam probatam dubit. 17. de ſcientia conditionata ante decretum, & conſtat ex dictis ſupra num. 354. Atque hinc factum arbitror, vt omnes ferè noſtri Theologi ſupra numero 477. ſcripſerint, ſcientiam conditionatam eſſe abſolutè dicendam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ſicut contra, aduerſarij tenentes illam poſt decretum, aſſerunt eſſe abſolutè dicendam ſcientiam viſionis.

*Sexta cõcluſio, eſt in aliquo sẽſu ſciẽtia viſionis tantùm.*

*Gonzalez. Nazarius. Suarez.*

483. Sexta concluſio. Si diuiſio ſcientię Dei, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, ſumatur ſecundo modo ſupra n. 476. ſcientia futurorum contingentium conditionalium, nullo modo eſt media, ſed ſolùm ſcientia viſionis. Iuxta ſenſum huius concluſionis, quæ recipitur etiam à Gonzalez hîc, d. 39. fin. & Nazario ſupra, accipio Suarez opuſcul. de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 3. num. 5. dicentem, *Theologos hanc ſcientiam ſub ſcientia viſionis comprehendiſſe*. Verè enim veteres Theologi, cùm, vt apud omnes certum eſt, non expreſsè tractauerint de futuris conditionatis, putarunt ſe omnia ſimpliciter futura comprehendiſſe ſub ſcientia viſionis, & diſtinxiſſe à purè poſſibilibus, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, comprehendendo, ſiue explicando ſolùm futura abſoluta. Cùm igitur conſtet de vno membro ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, antiquos ſub illo comprehendiſſe ſolùm creaturas vt purè poſſibiles, ſecundùm quod ſunt omnino intra cauſas, & nullam prorſus in ſe ipſis actualitatem habent; conſter quoque creaturas, vt actu futuras ſub conditione, habere ſub conditione aliquam actualitatem in ſe ipſis extra cauſas, dicendum conſequenter eſt, ſcientiam de futuris conditionatis eſſe totaliter diſtinctam à ſcientia ſimplicis intelligentię, & pertinere ad ſcientiam viſionis: quæ, ſi diſtinctè conſiderata fuiſſent futura conditionata, & abſoluta, explicanda prius genericè erat per ſcientiam creaturarum vt actualium in ſe extra cauſas; deinde ſubdiuidenda in ſcientiam viſionis abſolutam de actualibus abſolutis, & in ſcientiam viſionis conditionatam de actualibus conditionatis. Et in hoc ſenſu dixi ſupra art. 8. num. 27. hanc diuiſionem tradi per membra contradictoria, & eſſe adæquatam; vt notaui ſupra n. 482. fin. & locum habet quod docuit Arrubal hîc, d. 39. cap. 2. nempe, pugnare cum omnibus antiquis Theologis, dari aliquam Dei ſcientiam mediam, quæ neque ſit ſimplicis intelligentiæ, neque viſionis, vt notaui etiam ſupra num. 349.

*Arrubal.*

## *An ſit media inter ſcientiam naturalem, & liberam.*

*Septima concluſio affirmatiua.*

484. Septima concluſio. Scientia futurorum contingentium conditionalium, verè eſt, & aptè poteſt denominari media inter ſcientiam naturalem, ſiue neceſſariam, & liberam, ſiue contingentem: non quidem media per diſtinctionem, quaſi tertia quædam ſcientia, quæ neque ſit naturalis, neque libera; ſed per participationem, quia eſt partim naturalis, partim libera. Hæc eſt ſententia Theologorum noſtrorum, vt patet ex omnibus citatis ſupra art. 8. num. 25. & 26. & in hoc art. 13. num. 349. contra eos, qui cum velint, ſcientiam conditionatam præſupponere in diuina voluntate actu exiſtens liberum decretum, & præterea effectus prouenientes ab huiuſmodi decreto prædeterminante, eſſe liberos, aſſerunt conſequenter, illam nihil habere naturalis, ac neceſſarij, ſed eſſe planè liberam, ſcilicet non ſolùm ex parte obiecti, ſed etiam ex parte ſubiecti, vt explico ſupra numero 348. Solùm inuenio Cabreram tom. 1. in 3. p. quæſt. 1. art. 3. d. 1. §. 22. num. 339. & 342. & 343. & 389. & 392. & 393. minus cohærenter ad ſua principia dicentem, futura conditionata ſciri per ſcientiam naturalem. idémque ſequitur Riſpolus pag. 94. Quamquam ex probatis ſupra puncto 6. à num. 385. ſequitur, per hanc ſententiam poſſe quidem dici ſcientiam conditionatam liberam ex parte ſubiecti, propter decreti libertatem; non autem liberam ex parte obiecti, propter decreti prædeterminationem, quæ non ſtat cum libertate effectuum prædeterminatorum: quia ſi determinata veritas futuri conditionati habetur primò, & antecedenter ex infallibili connexione prædicti decreti cum effectu futuro, ſiue ex infallibili illatione futuri effectus ex prædicto decreto, iam ſequitur, vt bene docuit Suarez tomo 1. de gratia, prolegom. 2. cap. 9. num. 5. *quod re vera Deus non habet præſcientiam contingentium, ſed neceſſariorum*, quæ ſcientia eſt potius neceſſaria, quàm libera, vt tenet Arrubal hîc, d. 47. num. 18. nam, vt idem rectè diſcurrit d. 44. cap. 1. *Huiuſmodi futura, contingentia appellantur, non quidem ex contingentia, & libertate illa, qua conditiones ponerentur; ſed ex contingentia alia, per quam, adhuc poſitis conditionibus, ex illis orirentur, cum poſſint non oriri.*

*Cabrera.* *Riſpolus.* *Suarez.* *Arrubal.*

*Ratio cõcluſionis.*

485. Fundamentum concluſionis ſignificatum breuiſſimè eſt ſupra num. 350. cum Suarez. Effectus igitur contingens, futurus conditionaliter à voluntate creata, duo de neceſſitate habet: alterum negatiuum, nempe, non poſſe, ſalua libertate, pendere à voluntate Dei prædeterminante: alterum poſitiuum, nempe, pendere à voluntate creata ſe determinante. Ex primo habetur, vt non ſit in libera poteſtate ipſiuſmet ſcientis Dei, ſcire hunc determinatum effectum liberum, potius quàm eius oppoſitum; ſicut eſt reſpectu effectuum liberorum à ſola ipſius voluntate pendentium, v. g. fuit in poteſtate Dei ſcire potius mundum futurum, quàm non futurum; quia ipſe ſe ſolo ex intrinſeca ſua libertate determinauit velle creare mundum: non autem ſe ſolo, & omnino antecedenter determinauit, vt eſſent hi, vel illi actus liberi voluntatum creatarum; v. g. vt Petrus negaret potius, quàm confiteretur Chriſtum Dominum. Atque hoc primo modo ſcientia conditionata contingentium, habet quamdam rationem ſcientiæ naturalis, ac neceſſariæ, & conuenit cum ſcientia poſſibilium, quæ eſt ſimpliciter neceſſa-

*Quo modo ſcientia conditionata ſit naturalis.*



ria, cum non pendeat à libera Dei voluntate, decernente vt hoc, aut illud ſit potius poſſibile, quàm impoſſibile: & dici poteſt neceſſitas ex parte ſubiecti. Ex ſecũdo habetur ex parte obiecti extrinſecè terminatiui diuinę ſcientiæ, vt Deus, qui ſcit aliquem determinatum effectum contingentem eſſe conditionatè futurum, & non alium oppoſitum, poſſit illum ſcire, vel non ſcire, ac proinde ſcire liberè; ſicut re ipſa ille effectus ita eſt à ſua cauſa libera, vt poſſit ab ea eſſe vel non eſſe. Atque hoc ſecundo modo ſcientia conditionata contingentium eſt libera libertate ex parte obiecti per ordinem ad cauſam particularem liberam: non minus ac ſcientia de mundo futuro, fuit libera ex parte ipſiuſmet mundi, qui per ordinem ad particularem Dei voluntatem potuit eſſę vel non eſſe.

*Quo modo ſit libera.*

*Scientia conditionata diſparatorum, eſt omnino libera.*

486. Ab hac ſeptima concluſione excipi debet ſcientia conditionata de futuris contingentibus conditionatis diſparatis, quæ eſt poſt decretum, vt ſupra num. 252. & 272. vnde eſt libera ex parte ſubiecti; & in noſtra ſententia de præſcientia conditionata ante decretum in materia per ſe connexa, dici etiam poteſt libera ex parte obiecti, quod ſupra num. 484. aduertimus dici non poſſe ab aduerſariis. Quamuis enim decreuerit Deus, vt Iudæi, v. g. vaſtarent Syriam, ſi Rex Ioas quinquies percuſſiſſet terram, &c. vt 4. Regum 13. ac proinde neceſſarium eſſet per implicantiam contradictionis, poſita illa quina percuſſione, Iudæos vaſtaturos Syriam; tamen illa vaſtatio fuiſſet ſimpliciter libera: quia ante illud decretum, præſciebat Deus, quòd ſi Iudæi ſub his vel illis circumſtantiis, ac diſpoſitionibus eſſent, ipſi ſe liberè determinarent ad vaſtandam Syriam. In qua præſcientia fundabatur liberum Dei decretum conditionatum antecedens de libera vaſtatione Syriæ, poſita illa percuſſione: tunc enim Deus potuit infallibiliter decernere hunc effectum liberum, per ordinem ſcilicet ad illas, vel illas antecedentes conditiones, ſub quibus erant ponendi Iudæi poſt decretum de vaſtatione, ſi percuſſa eſſet terra; & ſub quibus præuiſa erat vaſtatio liberè futura ex natura rei, ante decretum illam vaſtationem prædeterminans. In quo caſu duplex interuenit ſcientia conditionata, altera præcedens ante vllum decretum in materia per ſe connexa; altera ſubſequens poſt decretum in materia per ſe inconnexa, ac diſparata. Et propter primam ſcientiam, qua præuiſa eſt libera vaſtatio ante decretum, poteſt ſaluari libertas vaſtationis non obſtante decreto prædeterminante vaſtationem ante ſecundam pręſcientiam. Quod decretum, ſi diligentius inſpiciatur, non fuit immediatè de vaſtatione ſimpliciter, ſed immediatè fuit de vaſtatione conditionata, nempe, ſi iaculo terra quinquies percuſſa eſſet. Et ideo connexio vaſtationis cum percuſſione, quæ connexio fuit immediatè, & ſimpliciter prædeterminata antecedenter, non fuit libera, nec conſequenter cognita à Deo, per ſcientiam liberam, ſed neceſſariam ex parte obiecti. Ipſa verò vaſtatio remanere potuit libera ex vi alterius præſcientiæ conditionatæ, nullum præſupponentis decretum, & ſciri per præſcientiam conditionatam liberam ex parte obiecti. Quod præſcientiæ genus cum aduerſarij vniuerſaliter negent, in nullo caſu poſſunt ſaluare præſcientiæ conditionatæ libertatem ex parte obiecti.

*Exponitur locus 4. Reg. 13.*

*Octaua concluſio, ſcientiam mediam inter naturalẽ, & liberam eſſe ab omnibus admittẽdam.*

487. Octaua concluſio. Scientia media inter naturalem, & liberam, debet etiam ab aduerſariis conſequenter admitti. Ratio euidens eſt, quia ipſi putant, vt de Aluarez, & Gonzalez notaui ſup. n. 347. & 475. ſcientiam naturalem, ac liberam, nulla ratione differre à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Sed demonſtratum eſt, iuxta doctrinam S. Thomæ, & omnium veterum Theologorum, ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum, eſſe mediam inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis; ergo conſequenter dicendum eſt, eſſe etiam mediam inter ſcientiam naturalem, & liberam. Idem tenerentur aſſerere, etiam ſi prædictarum ſcientiarum veram differentiã agnoſcerent, quia ex decreto pędeterminante ſequitur, vt ſupra n. 484. ſcientiam conditionatam ſemper eſſe neceſſariam ex parte obiecti: ſed eadem propter decretum liberum, quod in diuina voluntate ponitur exiſtere, & pędeterminare obiectum conditionatum ſcibile, eſt libera ex parte ſubiecti: ergo eſt partim naturalis, partim libera: ergo eſt media per participationem.

*Nona concluſio, ſcientia media eſt magis naturalis, quàm libera.*

*Probatur ex obiecto.*

488. Nona concluſio. Scientia media inter naturalem, & liberam, videtur magis participare de ratione ſcientiæ naturalis, quàm de ratione ſcientiæ liberæ. Hoc ſuaderi poteſt primo ex obiecto ſcientiæ mediæ, quod eſt futurum conditionatum: hoc enim cum in nulla differentia temporis ſuum eſſe actuale in ſe abſolutè habeat, ſed poſſit habere, plus habet de poſſibilitate, quàm de actualitate; ac proinde eſt magis affine, ac propinquum enti poſſibili, quod eſt obiectum ſcientiæ naturalis, quàm enti actuali, quod eſt obiectum ſcientiæ liberæ. Secundo ex ſubiecto, quia liberum, & neceſſarium, ſunt proprietates tenentes ſe magis ex parte ſubiecti, quàm ex parte obiecti, ſiue effectus; ſunt enim proprietates intrinſecæ ſubiecto, & potentiæ, non obiecto, & effectui: vnde effectus, & obiectum denominantur extrinſecè libera, & neceſſaria ex ſubiecto, & potentia, non contra, ergo ſcientia, quæ eſt naturalis, & neceſſaria ex parte ſubiecti, & ſolùm libera ex parte obiecti extrinſeci, dicenda eſt magis naturalis, quàm libera. Confirmatur, quia poſita vera ſententia de ſcientia conditionata, antecedente omne decretum Dei liberum, Deus dicitur ſcire liberè, non libertate ſua, ſed libertate voluntatis creatæ; quia non Deus, ſed creata voluntas, per ſuam indifferentiam ad vtrumlibet, liberè determinauit, vt eſſet, & ſciretur, hoc potius ſcibile, quàm oppoſitum. ergo Deus dici magis debet, ſcire naturaliter, quàm ſcire liberè effectus conditionatos, liberè futuros à voluntate creata. Atque hanc ob cauſam Molina hîc, d. 14. concl. 1. probat. 2. hanc ſcientiam appellat, *naturalem, ſeu mediam inter liberam, & merè naturalem.* & d. 15. §. *Iuxta ea*, abſolutè dicit, futura contingentia conditionata cognoſci à Deo, *naturaliter, ſeu non liberè.* & d. 17. §. *Sciſcitabitur*, de ſcientia media ait, *eam nulla ratione eſſe dicendam liberam, ſed cum naturali, vt diſtinguitur contra liberam, eſſe annumerandam*; ſed ſtatim addit, *partim habere conditionem ſcientiæ naturalis, partim liberæ.*

*Probatur ex ſubiecto.*

*Molinæ ſententia de hac re.*

## *Obiectiones Cabreræ.*

*Prima obiectio probans futurũ conditionatũ non differre ab abſoluto, & poſſibili.*

489. Obiicies primò ex Cabrera tomo 1. in 3. part. quæſt. 1. art. 3. d. 1. §. 22. à num. 353. *Obiectum ſcientiæ mediæ, nempe futurum conditionatum, non eſt ratio formalis diſtincta à ratione poſſibilis, quam reſpicit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. ergo non eſt ponenda talis ſcientia.* Conſequentia eſt clara. Antecedens, quo fundamento maximè nititur Verdu in tota ſua Relectione contra ſcientiam mediam, præſertim pagina 11. & 12. & ſequi videtur Riſpolus pag. 73. dicens,

*Verdu.* *Riſpolus.*

dicens, *inter ſimpliciter futurum, & poſſibile merum, nullum dari medium*, probat Cabrera

*Primò.*

primò. *Conditio de poſſibili addita impoſſibili non extrahit à ratione impoſſibilis, vt ſi chimera eſſet animal, eſſet ſenſitiua: ergo ſimiliter conditio de futuro addita poſſibili non extrahit illud à ratione poſſibilium ad ordinem futurorum.*

*Secundò.*

Probat ſecundò, quia futurum conditionatum non habet maiorem propinquitatem ad actualem exiſtentiam, quàm habet poſſibile: alioqui conditio poneret aliquid in eſſe.

*Tertiò.*

Probat tertiò. *Conditio de impoſſibili addita poſſibili non minuit poſſibilitatem, ergo neque conditio de futuro addita poſſibili confert vllam futuritionem.*

*Quartò.*

Probat quartò. *Futurum abſolutum, cuiuſmodi eſt illud, Niniue ſubuertetur, pertinet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſicut poſſibile; ergo etiam futurum conditionatum.*

*Quintò.*

Probat quintò ſupra in n.339. *Futurum conditionatum numquam erit, ſed poterit eſſe, ſi ponatur conditio; ergo eſt poſſibiliter futurum: ergo tantùm eſt cognoſcibile in ratione poſſibilis per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.* Et idem argumentum fruſtra iterum repetit, & extendit n.341. & 342. & 343. inſufficienter arguendo, aliquid non eſſe futurum conditionatum, ex eo quòd non ſit futurum abſolutum.

Sed hæc argumenta nullo negotio ſoluuntur. Nego igitur antecedens, cuius falſitas eſt adeò manifeſta, vt inter aduerſarios, Gonzalez hîc, d.39. fin. tamquam rem exploratiſſimam fateatur, *quòd datur medium inter abſolutè poſſibile, & abſolutè futurum*; nempe, conditionatè futurum. & ipſemet Cabrera poſtea in n.389. admittat, *poſſibilia, futura conditionata, & abſoluta.* Sicut etiam tomo 3. q.62. art.1. d.12. §.5. n.138.

*Probatur differẽtia futuri conditionati ab abſoluto, & poſſibili, cum Gõzalez, & ipſomet Cabrera.*

Quod breuiter, ſed euidenter oſtendo, tum à poſteriori, quia in effectibus liberis, de quibus loquimur, ſtant circa idem, futurum poſſibiliter, & ſimul non futurum poſſibiliter; v.g. idem peccatum ſicut poteſt eſſe præſens, & poteſt non eſſe præſens, quia liberè cauſatur à volũtate indifferente ad vtrumlibet; ita poteſt eſſe futurum, & poteſt non eſſe futurum; at manifeſtè pugnant circa idem, futurum conditionatè, & non futurum conditionatè; ſicut futurum abſolutè, & non futurum abſolutè; vel præſens, & non preſens.

*Molina.*

Vnde, vt optimè arguit Molina hîc, d.18. memb.1. §. *Reiecta*, tam poſſibilis erat pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, quàm habitatorum Corozaim, & Bethſaidæ; & tamen illa, & non hæc fuit conditionatè futura. Tum à priori, quia futurum poſſibiliter, dicitur ſecundùm eſſe, quod futurum habet in potentia cauſæ liberæ; futurum enim poſſibiliter, non eſt propriè, ac verè futurum, ſed ſolùm poteſt eſſe futurum; ſicut præſens poſſibiliter, non eſt eſſe præſens, ſed ſolùm poſſe eſſe præſens: cauſa autem libera, ſpectata in ſe in actu primo, eſt indifferens & indeterminata ad futurum, & non futurum;

*S.Thomas.*

quia, vt docet S.Thomas hîc, *cauſa contingens ſe habet ad oppoſita.* At futurum conditionatè, dicitur futurum ſecundùm eſſe actuale, & determinatum in ſe extra cauſas, non quidem quod eſt, aut quod erit, ſed quod verè eſſet, ſi poneretur conditio. Cum vno autem determinato effectu, ſtare non poteſt alius oppoſitus effectus determinatus.

*Ad primum.*

Ad primam probationem, nego conſequentiam: & apertum eſt diſcrimen, quia impoſſibile non poteſt tranſire ad poſſibile: at poſſibile tranſire poteſt ad futurum, non ſolùm abſolutum, ſed etiam conditionatum: quia non ſolùm fuit ab æterno poſſibilis pœnitentia Petri abſolutè futura, ſed etiam pœnitentia Tyriorum conditionatè futura.

*Ad ſecundũ.*

Ad ſecundam, nego antecedens: & ad probationem dico, quod conditio nihil ponit in eſſe abſoluto, ponit autem aliquid in eſſe conditionato.

*Ad tertium.*

Ad tertiam reſpondetur ſicut ad primam.

*Ad quartũ.*

*Exponitur locus Ionæ 3.*

Ad quartam, ſi illud, *Niniue ſubuertetur*, eſt futurum abſolutum, perperam contra omnes Theologos, & antiquos, & modernos, pertinere dicitur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia illud omnes collocant inter obiecta ſcientiæ viſionis. Antecedens igitur falſiſſimum eſt, & illud, *Niniue ſubuertetur*, grammaticaliter quidem eſt futurum abſolutum, tamen realiter eſt futurum conditionatum, quia ſubintelligitur conditio, *niſi egerit pœnitentiam.*

*Ad quintum.*

Ad quintam. De futuro conditionato concedo, *nunquam erit*; ſed nego, *poterit eſſe ſi ponatur conditio*; quia ſi ponatur conditio, non ſolùm poterit eſſe, ſed etiam de facto erit: alioqui ſi reſpiciatur ſolùm poſſe, tam poterit eſſe futurum conditionatum, quàm non futurum. At veritas futuri conditionati, quia eſt aliquo modo actualis, ita ponit alteram determinatam contradictionis par em, vt neget oppoſitum, v.g. dicit, futuram eſſe pœnitentiam Tyriorum, & non reſiſtentiam, cum tamen vtraque ad libitum eſſe poſſet.

490. Obiicies ſecundò ex eodem Cabrera to.3. q.62. ar.1. d.12. §.2. n.38.

*Secunda obiectio probans non dari mediũ inter naturale, & liberum.*

*Primò.*

Primò, *Implicat, dari medium inter naturale, & liberum: nam ſi ſcientia antecedat omnem diuinæ voluntatis determinationem, eſt naturalis, & nulla ratione libera: ſi verò ſubſequatur, eſt libera, & nullo modo naturalis.*

*Secundò.*

Secundò in n.39. quod argumentum iiſdem penè verbis legitur in Nauarrete hîc, controuerſia 56. concluſ.1. rat.4. *Deus cognoſcit vniuerſas res, vel vt poſſibiles, & exiſtentes in cauſa; vel vt exiſtentes in ſe, in aliqua differentia temporis; inter quas nullum medium dari poteſt. Si primum, cognitio eſt neceſſaria, & naturalis. Si ſecundum, eſt cognitio omnino libera.*

*Tertiò.*

Tertiò in num.40. *Si ſcientia media, eſt libera ſimpliciter in Deo, quia liberum arbitrium poteſt agere oppoſitum, & tunc Deus ſciret oppoſitum eius, quod re ipſa ſcit; ergo libertas, quæ eſt in Deo, participatur, & prouenit à libertate, quæ eſt in libero arbitrio.* Eadémque habet Nauarrete ſupra concl.2.

*Quartò.*

Quartò in num.42. *Sequitur, Deum non ſe determinare ad cognoſcendam hanc partem, ſed potius determinari ab extrinſeco. Ex quo ſit conſequens, quòd ratio formalis cognitionis diuinæ ex parte cognoſcentis, non ſit aliquid ex parte Dei. Et ſic Deus, ſicut intellectus creatus, ſumeret ſcientiam à rebus.* ita etiam arguit Nauarrete ſupra concl.2. §. *Confirmatur.*

*Quintò.*

Quintò in n.47. Scientia media eſt conſtans ex naturali, & libera, ergo eſt chimera. Quod obiicit etiam Nauarrete ſupra concl.1. rat.1.

*Sextò.*

Sextò in n.48. Scientia diuina eſt naturalis: ſed eadem eſt libera, vt concedimus; *ergo eſt ſimul naturalis, & non naturalis; ſimul libera, & non libera.*

*Ad primum, dari medium inter naturale, & liberũ.*

Reſpondeo, inter ens, & non ens, non poſſe dari medium. Sed inter ens, & ens poteſt dari, & de facto datur medium; vt tepidum, eſt medium inter calidum, & frigidum, & multi colores ſunt medij inter album, & nigrum. Naturale igitur, & liberum non opponũtur ſicut ens, & non ens, ſed ſicut ens, & ens; & ideo dari poteſt inter illa aliquod mediũ. In probatione verò arguens, diminutè conſiderat ſolùm vnam rationem naturalis, ac liberi, ex parte ſubiecti, in quo ſit, vel non ſit liber voluntatis actus. Quare ſi *ſcientia antecedat omnem diuinæ voluntatis determinationem*, bene dicitur, *naturalis*, nempe ſecundùm vnam rationem, quæ eſt ex parte ſubiecti; ſed malè dicitur, *nulla ratione libera*, quia præter vnam rationem liberi ex parte ſubiecti; dari poteſt alia ratio liberi ex parte obiecti. Idem proportionaliter dicendum de ſcientia ſequente decretum prædeterminans, quę bene dicitur *libera*, ſcilicet ex parte ſubiecti; ſed malè dicitur, *nullo modo naturalis*, cum ſit naturalis ex parte obiecti, quod per ſummam neceſſitatem ſequitur ex illo decreto.

*Ad ſecundũ.*

Ad ſecundum, illud, *vt exiſtentes in ſe*, eſt diſtinguendum, vel exiſtentes abſolutè, vel conditionatè. Si primo modo, eſt ſcientia omnino libera. Si ſecũdo modo, eſt ſcientia media, partim naturalis, partim libera.

*Ad tertium.*

*Quo modo ſcientia ſit libera.*

Ad tertium, nego conſequentiam: quia in nulla opinione ſcientia dici debet formaliter libera, per libertatem in ipſa ſcientia formaliter exiſtentem: nam etiam ſi ponamus ante ſcientiam decretum liberum, tunc ſcientia erit libera non libertate ſcientiæ formaliter, ſed libertate decreti, ſeu voluntatis: ſcientia enim præciſè conſiderata, poſito ſcibili non poteſt ſcire, & non ſcire; ſicut voluntas poſito volibili, poteſt velle, & non velle. Dicitur igitur libera per denominationem extrinſecam à libertate determinante hoc, vel illud ſcibile. Quæ libertas, ſicut in effectibus, quos facit ſolus Deus, eſt increata, ita in effectibus, quos liberè exerceri vult à cauſis ſecundis liberis, eſt creata. Quòd autem ſcientia diuina extrinſecè denominetur libera à libertate creata, nullum eſt inconueniens, imò eſt neceſſarium ad libertatem arbitrij creati conſeruandam: ſicut etiam denominatur à creaturis, ſpeculatiua, & practica; item abſtractiua, & intuitiua, vt ſupra ar.8. n.16. & n.20.

*Ad quartũ.*

Ad quartũ, concedo primam ſequelam, quam puto eſſe concedendam etiam ab aduerſariis: quia etiam ſi Deus per voluntatem ſe determinet, vt cauſet hoc potius quàm illud; tamen iſta prędeterminatione præſuppoſita, non ſe determinat ad ſciendum hoc potius quàm illud, ſed eſt iam omnino determinatus, ac neceſſitatus ad ſciendum hoc, & non illud: alioqui Deus haberet libertatem ignorandi. Nego autem ſecundam ſequelam: nam ex eo quod ratio ſciendi extrinſeca, & purè terminatiua ex parte obiecti ſecundarij, ſeu termini ſcibilis, quoad meram, ac prę-ciſam determinationem, ſumatur ex parte creaturæ, non ſequitur, quòd ratio ſciendi intrinſeca ex parte ſubiecti ſcientis, & obiecti primarij, ſumatur ex eadem creatura.

*Ad quintum.*

Ad quintum, conſequentiam eſſe nullius momenti patet ex eo, quod eadem Dei cognitio dicitur communiter à Theologis ſpeculatiua, & practica, intuitiua, & abſtractiua: & tamen non dixerit, credo, Cabrera, hæc eſſe figmenta. Præterea Theologia, Logica, aliæque cognitiones à quamplurimis, abſque vlla chimera, ponuntur ſimul ſpeculatiuę, & practicę, ergo à pari, ineptè dicitur chimera, cognitio quædam partim naturalis, propter vnam proprietatem ſcientiæ naturalis, & partim libera, propter vnam aliam proprietatem ſcientiæ liberę. Vocet quęſo Cabrera chimeras, colores medios, aquam tepidam, & ſimilia: & ratio in caſu noſtro eſt, quia vniuerſaliter chimera eſt, in qua vniũtur duo conceptus, inuicem incompoſſibiles: ſed eſſe liberum ex parte obiecti, & eſſe neceſſarium ex parte ſubiecti, nõ ſunt duę rationes in vna, eadémque cognitione ſimul incõpoſſibiles; quia non ſunt reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu diuerſorum conceptuum. Neque ex his duabus rationibus, tamquam ex duabus eſſentiis, ſingulis per ſe integris, & vltimato conſtitutis, coaleſcit vna tertia eſſentia; ſicut ex hirco, & ceruo, fingitur hircoceruus: ſed ſolùm cognitio, tamquam ſubiectum, recipit duas proprietates ſimpliciter compoſſibiles in eadem numero cognitione. Et de facto nemo eſt, qui non aſſerat, vnam, eamdémque ſimpliciſſimam Dei cognitionem, eſſe liberam reſpectu obiecti liberi, neceſſariam reſpectu obiecti neceſſarij. Sic nos proportionaliter dicimus, ſcientiã Dei de effectu conditionaliter futuro à cauſa ſecunda libera, ac proinde non ab alio prædeterminata, ſed ſe ipſam determinante, eſſe liberam reſpectu obiecti ſcibilis, non eſſe liberam reſpectu ſubiecti ſcientis. Quod totum tandem reducitur, vt cauſa ſecunda liberè operans non determinetur à Deo, ſed à ſeipſa: quod latiſſimè demonſtratum eſt tota dub.17.

*Ad ſextum.*

Ad ſextum, nego conſequentiam ſimpliciter: vel diſtinguo antecedens. Scientia futuri conditionati contingentis, eſt naturalis ſub vna ratione; & eſt libera, non ſub eadem ratione, ſed ſub alia diuerſa. Vnde non ſequitur ſimpliciter, eſſe ſimul naturalem, & non naturalem, liberam, & non liberam: ſed ſolùm ſequitur, non eſſe naturalem ſub ea ratione, ſub qua eſt libera; & non eſſe liberam ſub ea ratione, ſub qua eſt naturalis.

## *Obiectiones Franciſci Zumel.*

491. Obiicies 3. ex Zumel hîc, ar.1. d.vnica, concl.2.

*Obycit primò.*

Primò, Si Deus nihil creare decreuiſſet, nõ eſſet in Deo alia ſcientia niſi naturalis.

*Secundò.*

Secundò, *Vel ſcientia Dei conſideratur reſpectu poſſibilium, vt poſſibilia ſunt præciſè; vel etiam reſpectu futurorum, quæ erunt in aliqua differentia temporis. Si primum, ſcientia eſt naturalis. Si ſecundum, ſcientia eſt libera, ergo non debemus conſtituere tertium membrum, diſtinctum à duobus, quã iſti fingunt.*

*Tertiò.*

Tertiò, *Omnia à Deo prædefinita ſunt, ergo omnium ſcientia ſupponit decretum liberum diuinæ voluntatis, ergo eſt libera.* Quo fundamento præcipuè nititur Nazarius hîc, controu.1. §.6.

*Quartò.*

Quartò, Scientia, ſi præſupponit decretum, eſt libera; ſi non præſupponit, eſt naturalis, ergo non datur ſcientia media.

*Quintò.*

Quintò, de eo, quod rectè docuit Molina, præuidiſſe Deum quid facturum eſſet liberum arbitrium, ſi in hoc, vel illo rerum ordine collocaretur, ait Zumel, *certè eſt inintelligibile hoc. Nã antequã Deus ſtatuat condere liberum arbitrium, vel antequam præuideatur determinatio libera ſuæ diuinæ voluntatis, liberum arbitrium ſolùm intelligitur vt poſſibile; & conſequenter, actiones liberæ, ab ipſo eliciendæ, ſolùm cognoſcuntur vt poſſibiles. Quia ſi cognoſcuntur vt futuræ, cognoſcuntur vt determinata ad alteram partem; quod non habetur niſi ex libera Dei prædefinitione.*

*Sextò.*

Sextò, *Certè chimera eſt, dicere, aliquid eſſe futurum ante determinationem liberam voluntatis Dei, ergo quicquid eſt futurum, cognoſcitur per ſcientiam liberam.*

*Septimò.*

Septimò, Si daretur ſcientia media, *tunc negaretur diuina prædefinitio in actibus liberis, quod ipſi facilè fatentur.*

*Octauò.*

Octauò, *Scientia media, licèt non præſupponat diuinam prædefinitionem, quam ipſi negant; tamen eſt ſcientia ex hypotheſi, quod Deus illum ordinem rerum velit creare, & liberum arbitrium; & collocare liberum arbitrium in illo ordine: ſed totum hoc dicit ordinem ad diuinam prædefinitionem, & liberam Dei voluntatem, ergo non poteſt repelli iſta ſcientia media à ſcientia libera, vel naturali.*

*Nonò.*

Nonò, Si Deus poſt ſcientiam mediã vellet ea, quæ vult, haberet tantùm de rebus complacentiam, non prouidentiam; quia non alia, nec aliter vellet, quàm quæ, & quo modo præuidit futura. *Non ergo maior, neque melior eſſet prouidentia Dei, quàm prouidentia hominis cuiuſdam patrisfamilias, tantùm approbando, aut ſibi complacendo in his, quæ cerneret euenire, & fieri, de quibus tamen nihil prouidit, neque præordinauit.*

*Decimò.*

Decimò, *Scientia media inuoluit implicationem, quia actus liber, antequã procedat à libero arbitrio, cõtinetur in ipſo: ſed prout continetur in libero arbitrio, continetur indifferenter, & in indeterminatione, & indifferentia quadam. ergo non poteſt cognoſci vt ſic per ſcientiam illam.*

*Vndecimò.*

Vndecimò, *Diſplicet mihi vehementer id, quod dicunt iſti,* hanc

*hanc ſcientiam mediam Dei pendere à creaturis : quia affirmant poſitã eſſe ſemper in ancipiti, vt id tãtùm Deus ſciat, quod res ipſa libera, pro ſua libertate ſit factura.*

492. Hæc breuiter, ac diſtinctè colligere potui ex iis, quæ nimis prolixè, & confusè habet Zumel loco cit. Sed facillimè diluuntur. *Ad primum.* Ad primũ, in illo caſu, eſſet etiam ſcientia conditionata, quam nos contendimus, non eſſe merè naturalem, ſed mediam. Et de facto, Deus non decreuit pœnitentiam Tyriorum, de qua Matth. 11. *Exponitur locus Matt. 11.* & tamen illius ſcientia cõditionata certiſſima fuit in Deo, vt ſup. à n. 218. Quæ ſcientia, quoniam fuit de quodam actu libero ſub conditione determinatè futuro, & non de eius oppoſito, dici non poteſt naturalis, ſed libera : potuiſſet enim Deus conditionatè ſcire non futuram illam pœnitentiam, ſi Tyrij, ſicut liberè poterant illam non facere, ita non facere voluiſſent.

*Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, diſcurſum eſſe diminutum, quo contra ipſummet Zumel demonſtrari poſſet, non dari in Deo ſcientiam conditionalium futurorum contingentium. Igitur præter poſſibilia, & abſolutè futura, Zumel, vt poſtea ipſemet Gonzalez ſupra n. 489. expreſsè fecit, numerare debet conditionatè futura. Et tunc quidem non dixiſſet, tertiam, ſeu mediam ſcientiam à nobis *fingi*, ſed ſolidiſſimè demonſtrari ex tertio, ſeu medio ſcibili, quod verè dari, eſt plus quàm certum. Præterea Zumel ſemper nobis imponit, ſcientiam mediam eſſe *tertium membrum diſtinctum:* quod reiectum eſt ſupra n. 24. 25. 26. & n. 480.

*Ad tertium.* Ad tertium, negatur antecedens de omnibus tam abſolutè, quàm conditionatè futuris. Certè Zumel non vult eſſe prædefinitos actus poſitiuos, & materiales peccatorum, vt ſupra n. 136. & tamen hos liberè futuros ſcit Deus ſcientia libera; ergo ſcientia libera malè dicitur eſſe ſolùm illa, quæ præſupponit liberam Dei prædefinitionem.

*Ad quartũ.* Ad quartum, conceditur totum de libero, & naturali ſecundum quid, hoc eſt, reſpectu ſubiecti: negatur autem de libero, & naturali ſimpliciter, hoc eſt, tam reſpectu ſubiecti, quàm reſpectu obiecti: alioquin ſcientia futurorum peccatorum, quia non præſupponit diuinam prædefinitionem, non eſſet libera. Quoniam igitur ſcientia futurorum contingentium conditionalium, ex parte ſubiecti nõ eſt libera, ſed naturalis; ex parte obiecti non eſt naturalis, ſed libera; ideo à noſtris Theologis accommodatiſſimè nuncupata eſt, ſcientia media.

*Ad quintũ.* Ad quintum, in dicto illo Molinæ nullam aliam inintelligibilitatem eſſe, niſi quia non intelligitur, futurum conditionatum eſſe quid diſtinctum à poſſibili puro, quod non ſemel demonſtratum eſt. Quare ad contrariam probationem, cõcedo, quod cognoſcitur vt contingens conditionatè futurum, cognoſci vt determinatum ad alteram partem: nego autem illam determinationem haberi per dependentiam à diuina voluntate prædefiniente, ſed ſolùm concurrente, & volente dare omnia neceſſaria ad hoc, vt liberum arbitrium, iuxta naturalem ſuam conditionem, ipſum ſeſe liberè determinet ad vtrumlibet.

*Ad ſextum.* Ad ſextum, chimera eſſet, aliquid eſſe futurum ante omnem liberam voluntatem Dei. Non eſt autem chimera, ſed realis veritas, ſaluatrix libertatis, aliquid eſſe liberè futurum ſub conditione à cauſa ſecunda libera ad vtrumlibet, independenter à quacunque antecedente Dei voluntate illam ad vnum prædeterminante.* Quam qui negat, non propterea negat omnes liberas diuinæ voluntatis prædefinitiones, & omnem dependentiam cauſæ ſecundæ liberæ à diuina voluntate, vt contra nos tam frequenter, quam inſufficienter, & falsò deducitur. Ablata autem prædicta prædeterminatione, non ſequitur planè tolli ſcientiam liberam, ſed ſolùm liberam ex parte ſubiecti, cum qua ſtat quod ſit libera ex parte obiecti.

Ad ſeptimum, ex ſcientia media ſequitur, non dari prædefinitiones de actibus liberis conditionatè futuris. *Ad ſeptimũ.* Sed non ſequitur, non dari prædefinitiones de actibus liberis abſolutè futuris. Quapropter minus fideliter de nobis in genere dicitur, *quòd facilè fatemur non dari diuinã prædefinitionem in actibus liberis.* Hanc omnes in actibus bonis admittimus, tamen non ante, ſed poſt conditionatã præſcientiã.

Ad octauum, conceſſa maiore, quæ eſt Molinę, 493. ad minorem dico, in ea confundi diuinam voluntatem ſimpliciter, *Ad octauum.* cum vna particulari diuina voluntate prædefiniente: in quo verè conſiſtit præcipua, ac manifeſta noſtrorum aduerſariorum deceptio. Concedo igitur, in dicto illo Molinæ includi apertè *ordinem ad liberam Dei voluntatem*, non realiter, ſed in ſcientia conditionata obiectiuè exiſtentem, ante veritatem effectus conditionatè futuri. Sed nego, includi *ordinem ad diuinam prædefinitionẽ:* quę pro eodem perperam vſurpantur, dum dicitur, *ad diuinam prædefinitionem, & ad liberam Dei voluntatem.* Vbi obiter libet aduertere contra Machin hîc, d. 34. ſect. 2. col. 10. quàm ſolidè Arrubal prætulerit Molinæ, & Vazquez, *Defenduntur Molina, & Vazquez cõtra Machin.* quòd Arrubal, *neceſſariæ, & eſſentialis dependentiæ cuiuſcumque futuri conditionati à voluntate diuina, & eius decreto, ſaltem conditionato ex parte actus, meminerit : cuius nec meminit, nec curauit Molina, Vazquez, & alij eiuſdem Scholæ : quia ſi illam neceſſariò ſupponerent, non naturalem, ſed liberã ex hac etiam parte aſtruerent.* Quantum attinet ad Molinam, in ipſis conditionibus antecedentibus effectum conditionatè futurum, incluſiſſe aliquod Dei decretum conditionatum ex parte actus, intellexit ipſe Zumel. De Vazquez, idem expreſſiſſe conſtat ex diſp. 67. n. 18. & 22. vbi ait, *ita Deum certò cognoſcere futura ſub conditione, vt etiam ſub conditione ſubintelligatur Dei decretum de concurrendo cum arbitrio.* Idem quoque ſæpe legitur apud Suarez, præſertim in prolegom. de ſcientia media. Et eſt adeò certum, vt arbitrer à nullo Catholico poſſe negari. Neque contraria coniectura Machin quicquam vrget : quia cum noſtri Theologi ſcientiam conditionatam explicent per dependentiam à diuina voluntate, libera illa quidem, tamen non prędeterminante hoc, & non aliud, ſed indeterminata, & indifferente vel ad hoc, vel ad aliud, dicere conſequenter non poſſunt, Deum liberè ſcire hoc conditionatè futurum, & non aliud oppoſitum, libertate tenente ſe etiam ex parte ſubiecti, ſiue ipſiuſmet Dei ſcientis, nam quòd futurum ſit hoc, & non aliud, id non prædeterminat libertas Dei, ſed determinat libertas creaturæ.

Ad nonum, quod proponit etiam Cabrera to. 3. 494. in 3. p. q. 62. ar. 1. d. 12. §. 3. n. 63. Nazarius hîc, *Ad nonum, cõtra Cabreram, & Nazarium.* controu. 1. §. 6. arg. 2. principali : quòd Deus, antequam quidquam ſtatuat, ac prouideat, conditionatè præſciat omnia, quæ futura eſſent, omnéſque modos, quibus eſſent futura, ſi ſub his, vel illis conditionibus res ponerentur, nõ tollit aut imperfectã reddit eius prouidentiam, ſed maximè perfectam efficit. Inde enim duo habet, alterum, vt ſit ſumma certitudine infallibilis : *Per ſciẽtiam mediã iuuari prouidẽtiam Dei.* alterũ, vt ſit proportionata naturis rerum, quarũ prouidentiam gerit, relinquendo liberum arbitrium in manu conſilij ſui. Enimverò prouidens Deus abſque præcedenti ſcientia cõditionata, ſi prouideret infallibiliter, hoc eſt, prędeterminando ad vnum, eſſet prouidentia quędam nimis



nimis ſeuera, quia tolleret libertatẽ, & eſſet Deus volens iniquitatem, vt ſupra dub. 17. à num. 365. ſi prouideret, relinquendo arbitrium, vt, quod vult, faciat, eſſet prouidentia fallibilis, ſicut creata. Atque hoc verè eſt, Deum per ſuã admirabilem prouidentiam, omnia attingere fortiter, & diſponere ſuauiter. Nego igitur, tunc in Deo prouidente nihil aliud remanere, niſi approbationem, & complacentiam; nam præterea eſſet electio, & ordinatio talium mediorum infallibilium, & non aliorum, ad talem finem liberè intentum; quam prouidentiam nulla creatura habere poteſt, ſed ſolus Deus propter præſcientiam conditionatam.

*Ad decimũ.* Ad decimum, illo diſcurſu ſolùm probari, actum liberum non poſſe cognoſci in cauſa, quod verum eſt : tamen contendimus, poſſe cognoſci in ſeipſo. Actus enim liber, licèt ſit à cauſa indeterminata, in qua virtualiter habet eſſe, & non eſſe, ac proinde ſciri in ea nequeat ſecundum eſſe potius quàm ſecundum non eſſe, vel è contra; tamen in ſe formaliter, eſt quid determinatum : & vt ſic terminare poteſt infallibilem Dei præſcientiam, vt expreſsè docet S. Thomas in hoc articulo.

*Ad vndecimum.* Ad vndecimum, non debet Zumel vehementer diſplicere, quod ipſe etiã fateri cogitur in opinione de decreto prædeterminante. Nam tunc quoque diuina ſcientia, *poſita eſſet ſemper in ancipiti, vt id tantùm Deus ſciat, quod diuina voluntas, pro ſua libertate, ſit prædeterminatura.* Et ſicut hinc non ſequitur, diuinam ſcientiam cum aliqua imperfectione pendere propriè à diuina voluntate, eámq; expectare; ita nec idem ſequitur ex noſtra ſententia de cauſa ſecunda libera, ſeſe determinante ad vtrumlibet: quoniam in vtraque ſententia, nihil ſcientia Dei accipit in ſe ipſa à voluntate, ſiue increata, ſiue creata, ſed ſolùm ab illa habet, vt præſupponatur obiectum ſecundarium, ad quod illa ſcientia terminari extrinſecè debet. Quare non eſt propriè dependentia, ſcilicet ſecundùm entitatem, ſed eſt ſimplex quædam, & extrinſeca præſuppoſitio, quæ impropriè dici poteſt dependentia ſecundùm terminationem extrinſecam.

## *Obiectiones ex Blaſio Verdu.*

495. Obiicies 4. ex Verdu à pag. 14. *Obijcit primò.* Primò contra id, quod dicimus, Deum per ſcientiã mediam ita ſcire aliquid, vt potuerit oppoſitum ſcire : *Rogo, quomodo potuit ſcire oppoſitum, ſi nunquam reuocanda ad actum hæc potentia? Nónne fruſtra? certè ad hominem arguendo, ſi inanis dicitur potentia auxilij ſufficientis à vobis, qualis à nobis conſtituitur, quia nunquam reuocatur ad actum, etiam hæc potentia erit inanis.* *Obijcit ſecundò.* Secundò in pagina 16. *Dum mediam dant ſcientiam, videntur non dare integram. Nomen igitur mediæ nonnihil auaritiæ, & parcitatis notare videtur erga Deum.* *Obijcit tertiò.* Tertiò in pagina 17. contra Molinam dicentem, non eſſe in poteſtate Dei, aliud ſcire quàm ſciuerit per hãc ſcientiam : eſto potuerit ſcire oppoſitum, ſic arguit. *Notate obſecro iſtas potentias, & impotentias : ergo potuit ſcire aliquid, quod ſcire non fuit in ſua poteſtate. Quem expectabat Doctorem? Ab arbitrio noſtro erat inſtruendus Deus? Aduertas, aduertas, quòd admittis Deum aliquid cognoſcere in potentia, ſeu in habitu tantùm; & nõ erit idem in Deo intelligere, & eſſe. Si non fuit in eius poteſtate aliud ſcire, ergo non potuit ſcire.* *Obijcit quartò.* Quartò in pag. 21. tribuit Molinæ, quòd dixerit, *ſcientiam Dei mediam à noſtro arbitrio pendere.* Contra quam pendentiam Verdu more ſuo verbis potius ridiculè ludit, quàm ſolidè rationibus inſurgit. Verùm huiuſmodi quoque ludicra non fuerunt ſilentio prætereunda, quibus etiam oppoſitæ noſtræ ſententiæ veritatem prudentes rerum æſtimatores grauiorem, ac ſolidiorem cenſere facilè poſſunt.

*Ad primum.* Igitur ad primum, non aduertit arguens, ipſum quoque rogari poſſe; ſi Deus liberè creauit mundum, (quod, credo, vir Catholicus non negabit) ergo potuit velle non creare, & verè non creare. ergo potuit ſcire, mundum non futurum, quod quidem nunquam ſciuit : ergo, *quomodo potuit ſcire oppoſitum, ſi nunquam reuocanda ad actum hæc potentia?* Equidem pro ipſo, & pro me reſpondeo, potentiam liberam, *Quo modo potentia libera reuocetur ad actum.* quia non eſt ad vnum, ſed ad plura, ſiue ad vtrumlibet, ſufficienter, & perfectè reuocari ad actum, ſi faciat vnum ex pluribus oppoſitis, quæ poteſt facere: alioqui facere ſimul duo oppoſita, eſt omnino impoſſibile : & ex duobus oppoſitis facere ſucceſſiuè, vnũ poſt aliud, eſt quidem poſſibile, ſed imperfectum propter mutabilitatem; & ideo eſt proprium creaturæ, Deo minimè tribuendum. Argumentum additum ad hominem, eſt euidenter diſſimile. Nos, poſita neceſſitate auxilij phyſicè prædeterminantis, non arguimus, quòd auxilium ſufficiens, nunquam reuocatur ad actum; ſed arguimus, quòd non poſſit per ſe illum actum, reſpectu cuius dicitur ſufficiens; ac proinde id, quod fides docet eſſe ſufficiens, ſit verè inſufficiens.

*Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, ſcientia media non ſolùm eſt integra, ſed duplex veluti ſcientia, quia non eſt ſolùm libera, vt volunt aduerſarij, ſed etiam naturalis. Igitur contraria potius opinio notari poteſt auaritiæ, & parcitatis. Sed hæc nimis leuia ſunt pro grauitate materiæ, de qua diſputamus.

*Ad tertium.* Ad tertium, nõ opus eſſe verbis. Illas potentias, & impotentias ipſe potius arguens contra ſe notare debuerat. Proculdubio non concedet, Deũ poſſe ſcire oppoſitum eius, quod ſciuit. Alioqui Deus in intellectu poſſet mutari, & fieri, vel falſus, vel ignorans. Nihilominus illa conſequentia, *ergo potuit ſcire aliquid, quod ſcire non fuit in ſua poteſtate*, vt iacet, *Qua ratione ſcientia Dei ſit libera.* eſt neganda: quia etſi, non in poteſtate Dei prædeterminantis, ſed in libera poteſtate creaturæ, ſe determinantis, ſit determinare hoc, aut illud liberum ſcibile; tamen hoc, aut illo præſuppoſito, ex poteſtate, ac pleniſſima perfectione ſcientię Dei omnino infinitæ oritur, vt ſciat hoc, aut illud. Non igitur expectari debet Doctor, aut inſtructio, ſed libera creaturæ determinatio : quæ expectatio nullam ponit imperfectionem in Deo, ſed libertatem in creaturis. Neque erat neceſſaria vehemens illa reduplicata monitio, vt aduertamus, quod admittimus, Deũ cognoſcere aliquid in potentia tantùm. Tritum enim eſt apud Theologos, potentiam cognoſcendi ſumi poſſe dupliciter, 1. pro potentia ad actum cognitionis, 2. pro potentia ad terminationem extrinſecam actus circa obiectum. Prima non eſt in Deo. Secunda non poteſt nõ admitti in Deo. Nónne Deus liberè voluit creare hunc mundum? ergo potuit velle vel creare, vel non creare; ergo potuit ſcire, vel non ſcire futuram creationem huius mundi: nam ſi, ſicut poterat velle non creare, ita voluiſſet non creare, ſciuiſſet non futuram creationem, quam futuram eſſe ſciuit. Hæc non ſunt propria ſcientiæ mediæ irridenda commenta, ſed Theologorum omnium dogmata veneranda. Denique ad vltimam propoſitionem, patet ex modò dictis, quo modo ſit, aut non ſit in Dei poteſtate aliud ſcire. Poſito hoc ſcibili, non eſt in Dei poteſtate aut non ſcire hoc, aut ſcire aliud non ſcibile. Sed antequam ponatur aliquod ſcibile liberum libertate creaturæ, eſt in poteſtate Dei ſcire hoc, ſi ad hoc faciendum ſe liberè determinauerit creatura; & eſt etiam in poteſtate Dei, ſcire aliud, ſi

ſi creatura ad aliud ſe determinauerit. Illa autem conſequentia, *ergo non potuit ſcire*, ſicut abſolutè proponitur, eſt abſolutè neganda. Nam Deus omnes effectus liberos, tam quos ſolus ipſe facit, quàm quos facit nobiſcum, quos omnes in poſteriori quodam rationis ſigno de facto ſciuit, potuit ſcire in alio priori ſigno: & alios omnes, quos de facto numquam ſcit, quia numquam ſcibiles ſunt, potuit ſimpliciter ſcire.

*Ad quartū.*

Ad quartum, non recordor, me apud Molinam abſolutè legiſſe, *ſcientiam Dei pendere ab arbitrio noſtro.* Sæpe quidem, vt bene aſſerit, *pendere ſcibile,* quia vt ſit hoc ſcibile liberum, & non oppoſitum, non pendet à Deo prædeterminante, ſed ab arbitrio liberè ſe determinante ad faciendum hoc, & non oppoſitum. Qua pendentia obiectiuè, ſiue ad ſimplicem, ac meram terminationem extrinſecè præſuppoſita, iam Dei ſcientia ex ſe abſque vlla prorſus dependentia ab arbitrio noſtro, actu ſcit quicquid ſciri ſimpliciter poteſt. Verùm eſto Molina primum etiam dixerit, accipi tamen debet in ſano ſenſu; nempe, de pendere quoad puram terminationem extrinſecam, non quoad aliquod intrinſecum eſſe ſcientiæ. Inuehatur Verdu, ſi Deo placet, in omnes Patres relatos ſupra art.8. à numero 48. ad 54. docentes, *ideo Deum ſcire aliquid futurum, quia illud eſt futurum.* & præſertim in Damaſcenum dicentem, *vis Dei præſciens, vt ea, quæ facturi ſumus, præſciat, à nobis proficiſcitur.* & in Iuſtinum, quia ſcripſit, *quod futurum eſt, eſſe cauſam prænotionis.* & in Magiſtrum lib. 1. ſententiarum d.38. §. *Hanc igitur*, aſſerentem, quòd res futura, ſit diuinæ præſcientiæ, *cauſa ſine qua non.* & in Magnum Albertum 1. d.38. art.4. ad 2. & 3. & 4. ſæpe concedentem, præſcientiam Dei de futuro, *dependere ad futurum.* Grauis, ac ſinceri Theologi eſt, res rebus opponere, non verba verbis perſequi.

## *Obiectiones Gonzalez.*

496.
*Obijcit, quia ſequeretur, ſcientiā Dei pendere à nobis.*

Obiicies 5. ex Gonzalez hîc, d.39. num.10. Per nos ſcientia media, *eſt naturalis, quia antecedit omne decretum liberum Dei. Eſt libera, quatenus abſolutè potuit Deus oppoſitum ſcire, quàm de facto ſcit, nimirum ſi creata voluntas oppoſitum vellet, quàm de facto voluit. ergo hæc ſcientia eſt dependens à libera voluntate noſtra, independens à libera voluntate Dei. ergo eius obiectum, nempe futurum contingens conditionatum, eſt dependens à voluntate noſtra, independens à voluntate Dei circa illud determinatè, & in particulari. ergo etiam futurum contingens abſolutum.*

*Reſpondetur negando ſequelam.*

Reſpondeo, primam conſequentiam eſſe ſimpliciter negandam, vt cum Bonauentura probaui ſupra art.8. n.79. Diſtingui etiam poteſt conſequens. Sciētia media, ſicut eſt naturalis ex parte ſubiecti, hoc eſt, non eſt libera per libertatem Dei, ſed per libertatem creaturæ, ita eſt independens à libera voluntate Dei prædeterminante, & dependens à libera voluntate noſtra determinante; non quidem dependentia quoad eſſe, ſed quoad extrinſecam terminationem; quam explico ſupra art. 8. n.73. & n.125. & à n.135. ad 144. Similiter dicendum ad duas alias conſequentias, futurum contingens, ſiue conditionatum, ſiue abſolutum non pendere à voluntate Dei, prædeterminante cauſam liberam ad vnum, ſed à voluntate noſtra, liberè ſe ad vnum determinante. In quo tamen maximè pendet à libera Dei voluntate decernente concurrere ad illam determinatam partem ex duabus oppoſitis, quam cauſa ſecunda libera elegerit per ſuam innatā indifferentiam, & potentiā ad vtrumlibet. Quamobrem falsò dicitur, futurum, *determinatè, & in particulari,* eſſe independens à voluntate Dei: quia ab illa pendet, tum antecedenter, quatenus indeterminata, hoc eſt, parata concurrere vel ad hoc, vel ad aliud, ſecundùm liberam determinationem creaturæ; tum conſequenter, quatenus determinata, hoc eſt, volente cōcurrere ad illam determinatam partem, quam creatura liberè elegerit.

*Quo modo ſcientia Dei pendeat, vel non pendeat à libertate noſtra.*

*Qua ratione futurum cōtingens pendeat à volūtate Dei.*

497.
*Probat, Deū ad actus liberos non concurrere per voluntatem conditionatā.*

Obiicies 6. ex eodem d.45. à num.61. quia ſcientia media maximè fundatur in eo, quòd Deus ad actus liberos concurrat per voluntatem conditionatam, qua, vt ſæpe nobis imponit Gonzalez, *paratus eſt Deus concurrere cum Petro ad talem actum, ſi ipſe concurrerit ad illum; vel concurrere ad id, ad quod Petrus concurrerit.* Hoc autem contra Suarez impugnat Gonzalez, vt ipſe ait, *validiſſimè, & efficaciſſimè.* Primò, quia prædicta voluntas conditionata, *eſt abſolutè neceſſaria, tam quoad exercitium, quàm etiam quoad ſpecificationem. implicat enim quòd Deus velit ceſſare à concurrendo ad talem actum, ſi Petrus concurrerit ad illum: & à fortiori, implicat quòd velit Deus ad oppoſitum actum concurrere, ſi Petrus concurrerit ad iſtum.* Cuius primæ rationis Gonzalez nonnullas affert ex ſe ſolutiones, & rectè impugnat, quia inter illas non eſt vera ſolutio mox afferenda. Impugnat ſecundò, *quia inde ſequeretur, quòd non aliter concurreret Deus cum Petro, qui conſentit diuinæ vocationi, quàm cum Iuda, qui illi reſiſtit.* Probat ſequelam, quia eamdem voluntatem conditionatam habet Deus reſpectu Iudæ. Neque enim concedit Suarez, *quòd Deus Petro præparauit concurſum per voluntatem abſolutam.* Tertiò, inquit, *vtrùm aliquando incipiat diuina voluntas aliter ſe habere cum Petro, quàm cum Iuda?* Si aliter, rurſus inquit, *vtrùm antecedenter ad actum ſecundum liberum Petri, vel concomitanter, vel ſubſequenter?* Si primum, ait ſe habere intentum de decreto prædeterminante pœnitentiam Petri. Non ſecundum, aut tertium, quia tunc illa voluntas, quæ aliter ſe haberet, ſed non antecederet, non eſſet cauſa. ergo eſſet fruſtratoria. Quartò, *Si diuina voluntas determinaretur à noſtra ad concurrendum, igitur nec etiam per potentiam abſolutam poterit Deus ſuſpendere actualem concurſum*; quod eſt contra omnes aſſerentes, *quòd quælibet actio noſtra ceſſare poteſt per hoc, quòd Deus ſubtraheret ſuum concurſum: & quòd illum poſſet ſubtrahere, ſi velit.* Quintò, *Diuinæ voluntatis determinatio, vel eſſet ante vſum liberum noſtræ voluntatis, vel concomitanter cum illo, vel ſubſequenter ad illum. Si primum, habemus intentum. Si ſecundum, ergo illa determinatio non pertinet ad cauſalitatem diuinæ voluntatis. Si tertium, fruſtra ponitur vt quid requiſitum omnino ad vſum noſtræ libertatis, ſiquidem iam illum præſupponit.* Sextò, *Per illam determinationem tranſit voluntas Dei de conditionata in abſolutam in ſe formaliter, aut ſolùm denominatione quadam extrinſeca, quatenus à tali determinatione libera, tamquam ab effectu dicitur abſoluta.* Non primum, tum quia diuina voluntas mutaretur formaliter, & intrinſecè in ſe: tum quia ſi eſt abſoluta, ergo eſt cauſa antecedens determinationem noſtram liberam. Si ſecundum, ergo diuina voluntas non concurrit aliter cum Petro, quàm cum Iuda. Septimò, ante noſtram determinationem diuina voluntas non aliter determinata eſt ad concurrendum ad pœnitentiam cum Petro, quàm cum Iuda. ergo de facto non aliter concurrit. ergo Petrus ſe diſcernit à Iuda. Octauò iuxta noſtram ſententiam, *quòd noſtra voluntas concurrat, aſſumitur vt conditio requiſita ad hoc, quòd diuina voluntas concurrat; ſed implicatio eſt manifeſta, quòd conditio requiſita ad cauſandum, ſit effectus*: quia conditio præſupponitur, effectus ſequitur. Denique addit Gonzalez, modum concurrendi primæ cauſæ, hactenus impugnatum, tradi à Suarez, ſed refutari ab Arrubal, & aliis pluribus defenſoribus ſcientiæ mediæ. Quod dum non probat, non tenemur illi credere; quia in hoc puncto de dependentia effectuum liberorum à Dei voluntate, non prædeterminante, ſed indeterminata, & conditionata ex parte obiecti, maximè conueniunt Suarez, & Arrubal, & reliqui omnes Authores ſcientiæ mediæ.

*Primò.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

*Quartò.*

*Quintò.*

*Sextò.*

*Septimò.*

*Octauò.*



498.
*Reſpondetur tradēdo differentiā inter concurſū, & determinationem ad concurſum.*

Reſpondeo primò in genere, notando duos principales defectus harum obiectionum. Alterum, quia conditionem voluntatis conditionatæ ſecundùm opinionem Suarez, quam ſequimur, arguens eſſe ait, *ſi concurrit*: & tamen Suarez, & alij, eſſe dicunt, *ſi ſe determinauerit ad concurrendum*: inter quæ latum eſſe diſcrimen, non ſemel in ſuperioribus adnotaui. Primum enim eſt commune cauſis liberis, & neceſſariis. Secundum eſt cauſarum liberarum propriiſſimum. Et quidem defectus diſtinguendi concurſum à determinatione ad concurſum, in quem omnes aduerſarij noſtri lapſi ſunt, videtur mihi vel vnica, vel maximè præcipua cauſa, ob quam noſtras opiniones malam in partem acceperint. Et ideo ſæpe ſupra, quanta potui diligentia, & claritate, hos conceptus, quos diuerſos inter ſe eſſe omnes fateri tenemur, diſtinguere conatus ſum. Alterum, quia in diuina voluntate concurrente ad liberos creaturarum effectus, non diſtinguit Gonzalez, niſi hunc actum conditionatum, *volo concurrere ad hoc, ſi Petrus concurrerit ad hoc.* Sed manifeſtum eſt, ante iſtum actum, eſſe diſtinguendum hunc aliū actum, *volo cum Petro concurrere ad duas partes oppoſitas.* Quod euidenter demonſtro, quia tale proportionaliter eſſe debet in prima cauſa decretum concurrendi, qualis eſt potentia cauſæ, cum qua concurrere decernit: ſed potentia libera Petri reſpicit duas partes oppoſitas: ergo eaſdem reſpicere debet diuinum decretum concurrendi cum potentia libera Petri. Item, quoniam voluntas Petri non eſt potentia conditionata, ſed abſoluta, in quantum non reſpicit alteram partem ſub conditione alterius, ſed vtramque æquè primo, & per ſe, & æquè immediatè reſpicit; vnde S. Thomas hîc abſolutè pronunciauit, *cauſa contingens ſe habet ad oppoſita*; ita etiam diuinum decretum, tali potentiæ correſpondens, erit etiam eadem ratione abſolutum, non conditionatum. Quoniam verò voluntas Petri, ita abſolutè, quantum eſt ex ſe, reſpicit partes oppoſitas, vt eas non reſpiciat *ſimul*, ſimultate ſcilicet tenente ſe ex parte effectus, vnde illa dici conſueuit potentia, non ad vtrumque, ſed ad vtrumlibet; licèt eas reſpiciat *ſimul*, ſimultate ſe tenente ex parte cauſæ, quæ verè ſimul habet in virtute ſua poſſe facere vtrumlibet; ideo diuinum concurrendi decretum cum libera voluntate creata, concipiendum eſt, quantum eſt ex parte ſua, abſolutè, & ſimul velle concurrere ad oppoſita; ſed quantum eſt ex parte effectus, velle concurrere non abſolutè, & ſimul, ſed ſub diſiunctione, vel ad hoc, vel ad illud. Atque hæc voluntas Dei libera, à qua eſſentialiter pendet omnis cauſa ſecunda libera, vt intelligatur completè potens operari liberè, in actu primo ante omnem actualem liberam determinationem, vt explico ſupra num.127. & 128. dici poteſt, & verè eſt, antecedens omnem liberam determinationem, & abſoluta, ſed indeterminata, ſicut indeterminata eſt ipſa ſecunda cauſa libera, in actu primo conſiderata. Denique hoc toto præſuppoſito, pertinente ad actum primum ſimpliciter, quia actus ſecundus iſtius actus primi, non eſt indeterminatus, ſicut actus primus, ſed determinatus, ſiue actualis determinatio ad vnam partem, non ad aliam, quæ determinatio non eſt à prædicto decreto, quo datur poſſe vtramque partem, & non vnam tantùm, ſed eſt à cauſa ſecunda, cuius eſt liberè agere, hinc fit, vt in diuina voluntate diſtinguendum ſit aliud poſterius decretum, determinatum, & conditionatum, & ſubſequens, ſeu concomitans; quo ſcilicet ſtatuat Deus, *velle concurrere ad hanc partem, non ad oppoſitam, ſi ad hanc, non ad oppoſitam determinauerit ſe cauſa ſecunda libera.* Hoc decretum differt à primo, quia eſt determinatum, cùm ita reſpiciat vnam partem, vt excludat aliam: eſt conditionatum, quia vnam determinatam partem reſpicit, non abſolutè, ſed ſub conditione actualis determinationis creaturæ: eſt ſubſequens, ſeu concomitans, quia ſequitur liberam creaturæ determinationem, & concomitatur ipſum effectum. Præter hoc decretum aliqui volunt eſſe diſtinguendum aliud determinatum abſolutum, explicatum, ac reiectum ſupra num.170. Quare ea quæ variis locis de diuinis decretis concurrendi ad actus liberos diximus hîc breuiter colligentes, dicimus tria decreta diſtingui poſſe in Deo reſpectu actuum liberorum. Primum abſolutum, & indeterminatum ad plura oppoſita: quo concipitur Deus ſimul, & abſolutè velle concurrere ad A. ſimul & ad B. non autem ad A. tantum, & non ad B. vel ad B. tantum, & non ad A. ſicut cauſa ſecunda libera ſimul & abſolutè potens eſt facere A. & B. & non eſt determinata ad faciendum A. tantum, vel B. tantum. Secundum decretum eſt etiam indeterminatum, ſed conditionatum: quo concipimus Deum quaſi diſiunctiuè, & conditionatè velle A. & non B. ſi voluntas creata voluerit A. & non B. aut contra velle B. & non A. ſi voluntas creata voluerit B. & non A. Et hæc duo decreta hoc num.498. clarius diſtinguimus, & explicamus, de quibus ſupra num.128. & 141. quia locus ea diſtingui non flagitabat, permiſtim loquuti ſumus. Tertium decretum à nonnullis ponitur abſolutum, & determinatum, quod concipitur quaſi conſequens poſt ſecundum decretum conditionatum, & indeterminatum: nimirum Deum abſolutè & determinatè velle A. & non B. vel contra B. & non A. Et hoc tertium decretum ſupra num. 170. cum Suarez reiecimus ob rationes ibi allatas. De qua re rurſum dicemus aliquid infra q.19. art. 8. dubit.1. num.6.

*Ad effectus liberos cōcurrit per volūtatem abſolutam concurrendi ad oppoſita.*

S.Thomas.

*Quomodo cōcipienda ſit prædicta voluntas abſoluta.*

*Præter decretum abſolutū concurrere etiam Deum per aliud decretum cōditionatum.*

Reſpondeo 2. in particulari, negando, ſcientiam mediam fundari ſolùm in concurſu Dei ad effectus noſtros liberos per voluntatem conditionatam conditione, *ſi concurrerit*; tum quia concurrit etiam, & præcipuè, ac primariò per voluntatem abſolutam indeterminatam, qua paratus eſt concurrere, & cuius vi de facto concurrit, tam ad vnam partem determinatam, quàm ad aliam oppoſitam; cùm per voluntatem conditionatam concurrat ad vnam tantùm partem, ita vt non poſſit concurrere ad aliam; ſicut cauſa ſecunda, ſi ſe determinat ad vnam partem, non poteſt ſe determinare ſimul ad partem oppoſitam. Tum quia per ipſummet decretum, vt conditionatum, non concurrit ſub conditione, *ſi Petrus concurrerit*, ſed ſub hac alia longè diuerſa, *ſi Petrus ſe determinauerit ad concurrendum.* 499.

*Ad actus liberos Deus concurrit per duos voluntatis actus.*

Ad 1. igitur concedo totum de voluntate con- *Ad primum.*

ditionata, de qua tantùm inſufficienter arguitur: hæc enim ſpectata præcisè, & formaliter, vt conditionata, præſupponit antecedentem conditionem actualis determinationis, qua poſita, Dei etiam concurſus determinatus ponatur neceſſe eſt. Sed hinc non ſequitur, quòd neceſſitetur ſimpliciter Deus ad velle concurrere ad actus liberos noſtros: quia primum aliud decretum, quod eſſentialiter præſupponitur ab hoc ſecundo, eſt ita abſolutum, vt præcedat omnem creaturæ determinationem, & abſolutam, & conditionatam, licèt abſolutam præcedat vt realiter præexiſtens in diuina voluntate, conditionatam verò præcedat vt obiectiuè præexiſtens in diuino intellectu: ergo poteſt omnino liberè poni, vel non poni à diuina voluntate.

*Cōcurſus Dei ad actus liberos, eſt liber ſimpliciter, neceſſarius ſecundùm quid.*

*Ad ſecundū.* Ad 2. negatur ſimpliciter ſequela, cuius probatio eſt ſatis diminuta, quia in ordine ad illum concurſum non conſiderat niſi voluntatem Dei determinatam, conditionatam, & conſequentem, omiſſa voluntate indeterminata, abſoluta, & antecedente, quam falſum eſt negari à Suarez. Omnes enim cum Suarez negamus, reſpectu futurorum contingentium conditionalium, diuinam voluntatem antecedentem determinatam ad vnum, non autem indeterminatam ad plura. Omittitur etiam, quæ eſt potiſſima diſcriminis ratio, voluntas Dei prædefinitiua pœnitentiæ Petri, non Iudæ, ſcilicet poſt præſcientiam conditionatam. Loquitur enim obiectio de quodam effectu libero ſupernaturali, abſolutè futuro, cuius prædefinitionem poſt conditionatam præſcientiam non negamus. Quamquam non arguitur ad rem, quia diſputamus de media ſcientia futurorum conditionalium, & non de abſoluta viſionis ſcientia futurorum abſolutorum.

*Ad tertium.* Ad 3. loquitur etiam extra rem, hoc eſt, de pœnitentia abſolutè futura. De qua reſpondeo, perperam inquiri, *An aliquando incipiat diuina voluntas aliter ſe habere.* Concedimus, diuinam voluntatem aliter ſe habere circa Petrum, quàm circa Iudam; ſed negamus, hoc *aliquando incepiſſe*, cum ab æterno ſemper fuerit. Ad ſecundum quæſitum reſpondeo, diuinam voluntatem cum Petro habuiſſe ſe aliter, antecedenter, per voluntatem prædefinitiuam pœnitentiæ Petri, non Iudæ; & per voluntatem dandi gratiam efficacem Petro, non Iudæ, poſt præſcientiam conditionatam: & ideo arguens non poteſt habere intentum; quia ipſe intendit probare decretum prædefiniens, ante ſcientiam conditionatam, quod propterea eſt prædeterminans.

*Ad quartū.* Ad 4. nego ſequelam. Eſto enim voluntas diuina, vt actualiter determinata, non poſſit ſuſpendere concurſum ad effectum determinatum; tamen quia hæc eſſentialiter præſupponit voluntatem indeterminatam, quæ ſimpliciter poteſt non poni, & cum qua poteſt poni alius effectus oppoſitus, poteſt Deus facilè ſuſpendere actualem concurſum. Neque mirum eſſe debet, decretum conditionatum, hactenus explicatum, eſſe neceſſarium: quia illud eſſentialiter, & virtualiter continetur in primo decreto abſoluto, planè libero. Qui enim cum potentia indeterminata, & potente ſe determinare ad hoc, & ad illud, liberè, & efficaciter ſtatuit indeterminatè concurrere ad hoc, & ad illud, virtualiter etiam vult concurrere ad hoc, & non ad aliud, ſi cauſa ſecunda liberè voluerit ſe determinare ad hoc, non ad illud. Hoc igitur decretum conditionatum, ſi per ſe conſideretur, eſt neceſſariò connexum cum tali determinato effectu; ſi verò conſideretur, vt eſſentialiter, & virtualiter incluſum in primo decreto abſoluto, huiuſmodi neceſſitatem non habet.

*Decretū Dei conditionatū, eſſe liberum, & neceſſarium, diuerſa ratione.*

*Ad quintum.* Ad 5. dico, determinationem diuinæ voluntatis ad vnam partem, eſſe poſt liberum vſum determinationis liberæ, nimirum conditionaliter futuræ; alioqui ſi loquitur arguens de abſolutè futuris; illa eſſe poteſt ante determinationem noſtram liberam, abſolutè futuram, vt ſæpe dictum eſt. Neque propterea habet intentum, vt ſupra ad 3. Præterea ex eo, quòd illa determinatio ſe habeat *comitanter*, ſequitur quidem, quòd illa non pertineat ad cauſalitatem diuinæ voluntatis, reſpectu duarum partium oppoſitarum, quia per Dei voluntatem vt determinatam, non concurritur ad oppoſita; neque habet cauſa ſecunda poſſe oppoſita: tamen non ſequitur, quòd illa non pertineat ad cauſalitatem diuinæ voluntatis, reſpectu vnius partis determinatæ, in cuius productione cauſa ſecunda pendere eſſentialiter debet à determinata voluntate primæ cauſæ, vt ſupra num. 417. Demum ex eo quòd eadem determinatio dicatur habere ſe *ſubſequenter*, ad liberam determinationem, id non bene impugnatur: quia huiuſmodi determinatio non ponitur vt quid requiſitum antecedenter ad liberam determinationem, qua ratione requiritur primum decretum abſolutum; ſed ſolùm vt requiſitum conſequenter: quia, vt patet ex probatis ſupra ad 4. primum decretum abſolutum indeterminatum, quo eſſentialiter indiget cauſa ſecunda ad liberè operandum, non poteſt habere vſum, niſi poſt liberam determinationem creaturæ, velit Deus determinatè concurrere ad vnam partem determinatam, non ad oppoſitam.

*Ad ſextum.* Ad 6. dico, voluntatem Dei conditionatam tranſire in abſolutam, non per aliquid in ſe receptum, ſed per extrinſecam mutationem ſolius obiecti, ſiue effectus. Ex eo autem quòd ſic tranſierit voluntas Dei ad eſſe abſolutum, non rectè deducitur, nullam eſſe differentiam inter concurſum Dei cum Petro, & concurſum cum Iuda: nam præter hunc generalem concurrendi modum ad actus liberos, quatenus liberos formaliter, qui conſiſtit in duplici voluntate explicata, altera antecedente abſoluta, & indeterminata, altera conſequente conditionata, & determinata, qui idem prorſus eſt reſpectu omnium actuum liberorum, ſiue bonorum, ſiue malorum, ſunt alij peculiares concurrendi modi, vt ſupra ad 3. quibus Deus vti voluit cum Petro, non cum Iuda.

*Ad ſeptimū.* Ad 7. concedo antecedens de noſtra determinatione conditionatè futura, quæ eſt ante quamlibet liberam diuinæ voluntatis determinationem in actu poſitam. Nego autem de determinatione noſtra abſolutè futura, quam prius Deus prædefiniuit in Petro, non in Iuda. Et ideo non Petrus ipſe ſe diſcernit à Iuda, ſed Deus per ſuam liberam voluntatem, & gratiam efficacem diſcernit Petrum à Iuda.

*Ad octauum.* Ad 8. laborat vitio notato initio numero 498. cùm apertè confundat, *concurrere, & determinare.* Eſſet igitur abſurdum, ſi cauſa ſecunda libera prius concurreret, & deinde concurreret cauſa prima: nullum autem abſurdum eſt, imò eſt omnino neceſſarium ad ſaluandam libertatem, vt ipſa cauſa ſecunda libera ſeſe determinet ad concurrendum ad vnam oppoſitionis partem potius quàm ad aliam, & non prædeterminetur à Deo.

Tres



## *Tres aliæ communes obiectiones.*

500. Tria præterea paſſim obiici nobis video à multis aduerſariis contra ſcientiam mediam. Primò nouitatem. Secundò periculum, & contumelias. Tertiò diſſenſionem inter noſtros Theologos.

*Obijcitur primò nouitas opinionis.*

Aluarez. De primo Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 1. num. 24. initio ſic habet, *Vt aliqui ex ipſis fatentur, ipſi fuerunt primi, qui noſtris temporibus prædictam ſcientiam mediam introduxerunt.* & paulò poſt, *multi ex aſſertoribus ſcientiæ mediæ fatentur, talem ſcientiam fuiſſe incognitam Scholaſticis antiquis, & Sanctis Patribus, præſertim Auguſtino.* Gonzalez. Gonzalez hîc, d. 45. num. 52. ſcientiam mediam primò impugnat, *ex eius nouitate apud Catholicos Authores. Nam neque ſancti Patres, neque Catholici Authores, ante Fonſecam, & Molinam, docuerunt, Deum, antequam actus noſtros efficaciter decernat, cognoſcere illos vt futuros ſub conditione, non præſuppoſito decreto efficaci exiſtente in illo. Quin potius vnanimiter conſtantiſſimè docuerunt, nihil in mundo fore futurum, niſi Deo volente, vel permittente.* Cabrera. Cabrera tomo 2. in 3. p. q. 18. art. 4. d. 2. §. 8. num. 297. ſcientiam mediam vocat, *nouam, & in ſchola inauditam, ac inutilem.* & tomo 3. q. 62. art. 1. d. 12. initio, eadem ſcientia ab eodem dicitur, *Doctrina noua, inaudita, & incognita in ſchola.* Zumel. Zumel hîc, art. 1. d. vnica, concl. 2. *Nouè modò excogitarunt ſcientiam mediam. Certè hoc eſſe figmentum iſtorum, apertè conſtat; quia neque S. Thomas, neque antiquiores Scholaſtici, aut poſteriores illo, neque D. Auguſtinus, aut vllus vnquam ex Catholicis Theologis conſtituit ſcientiam illam mediam in Deo.* & addit, nos pro ſcientia media, *non citare authores, & patronos.* & multò poſt in §. *Redeamus*, ait, *Mirabile eſt, quòd hoc paradoxum aduerſariorum non fuerit reuelatum Sanctis Patribus, neque Eccleſiæ; & modò fuerit cognitum, & reuelatum cuidam recenti Theologo.* Ripa. Ripa hîc, dub. 4. cap. 2. initio. *Certè ſcientia media, vel vna ſua nouitate, quam Molinam, & Vazquez diximus fateri, non poteſt, mea ſententia, non eſſe cuique Theologo ingrata: cum enim omnes Scholaſtici nunquam huius ſcientiæ mentionem aliquam habuerint, minùs rectè poſt tot ſæcula introducitur.* Nazarius. Nazarius hîc, controuerſia 1. §. 6. *Hæc opinio ſua nouitate ſe valde ſuſpectam reddit.* Cantarell. A Cantarello etiam q. 22. concl. 1. dicitur, *Nuper inuenta.*

*Obijcitur ſecūdò periculū opinionis.*

Cabrera. De ſecundo Cabrera tomo 3. in 3. p. q. 62. art. 1. d. 12. §. 2. concl. 1. num. 28. concluſionem negantem, dari ſcientiam mediam inter naturalem, & liberam, *quæ ſit partim naturalis, & partim libera*, ait eſſe adeò certam, *vt ſine nota temeritatis negari non poſſit.* & infra num. 31. *Hæc concluſio eſt recepta ab omnibus Theologis hoc nomine dignis.* & infra. *Scientia media eſt reijcienda vt quid fictitium, & chimericum.* & rurſus num. 47. *Scientia media eſt impoſſibilis, chimerica, & inuoluens repugnantiam.* & §. 14. num. 324. *Scientia partim libera, partim naturalis, eſt chimerica, & in ſola fictione fundata; & prorſus ab ſcholis reijcienda, vt quæ hæreticis Pelagianis grata, & periucunda foret.* & ſummopere commendat modernum quemdam Theologum dicentem, *Pelagium maximè lætum iri, ſi hanc ſcientiam reperiſſet, quia ſui erroris videret tenebras.* Nauarrete. à Nauarrete hic, controuerſia 56. §. 1. concl. 1. ſcientia media dicitur, *merum figmentum.* à Zumel art. 1. diſp. vnica, concl. 2. *figmentum nouè excogitatum ad neſcio quam conciliandam libertatem arbitrij noſtri cum diuina præſcientia.* Zumel. Vbi nollem de libertate dixiſſet Zumel, *neſcio quam.* Molina. Quod in ſimili dicto notauit etiam Molina hîc, d. 18. membro 2. §. *Authores.* Verumenimuerò, qui arbitrium, liberum ad vtrumlibet, prædeterminat ad vnum, libertatem ſe neſcire, proprio ore, vel inuitus, aliquando fateatur neceſſe eſt. Præterea Verdu relectione contra ſcientiam mediam, fol. 24. initio, ludit verbis more ſuo, dicens, *Scientia media, extremum eſt cum D. Thomæ doctrina irreconciliabile.* Verdu. Ripa ſupra, cap. 3. aliquantò ante finem, eam vocat, *inanem, impoſſibilem, figmentum.* Ripa. Nazarius ſupra, initio controuerſiæ ait, *opinio hæc ex Semipelagianis primam ſui traxiſſe videtur originem.* & §. 6. *Hæc opinio maximam habet affinitatem cum Semipelagianorum præſcientia, à Sanctis, Auguſtino, & Proſpero reprobata ſatis.* Nazarius.

*Obijcitur tertiò diſſenſio inter Authores opinionis.*

De tertio Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 1. num. 24. initio ita ſcribit, *Inter eos non eſt conuenientia in modo explicandi, & defendendi ſcientiam mediam. Nam quidam ſentiunt pertinere ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quidam verò ad ſcientiam viſionis. Quidam aſſerunt, cognoſci à Deo in ipſa veritate, quam præſupponunt habere ante omne liberum decretum voluntatis diuinæ eiuſmodi futura contingentia conditionata: alij quòd cognoſcuntur in actuali exiſtentia, quam habent ex hypotheſi in æternitate: alij putant, quòd cognoſcuntur in ſupereminenti Dei comprehenſione, qua voluntatem creatam cognoſcit.* Aluarez. Gonzalez hîc, d. 45. ſect. 5. init. *Eiuſmodi ſcientia media, ſeu conditionata, antecedens prædefinitionem Dei, vtpote, quæ non habet ſtabile fundamentum, variè quotidie explicatur à ſuis ſectatoribus.* Gonzalez.

Reſpondeo, aduertendo primò in genere, per ſcientiam mediam duo poſſe ſignificari, inter ſe valde diuerſa, quæ tamen ab aduerſariis magna cum obſcuritate, & æquiuocatione confundi ſolent. Alterum reale, nempe, ſcientiam futurorum contingentium conditionalium ante vllum liberum decretum diuinum prædeterminans. Alterum nominale, nempe, ſcientiam quamdam, quæ neque ſit ſimplicis intelligentiæ tantùm, neque viſionis tantùm; neque tantùm naturalis, neque tantùm libera; ſed partim ſimplicis intelligentiæ, partim viſionis: & partim naturalis, partim libera. 501.

*Scientia media accipitur dupliciter.*

Cuius rei occaſione addere libet, à Gonzalez hîc, d. 45. ſect. 1. concl. 3. immeritò reprehendi Suarez, quòd dixerit, quæſtionem de ſcientia media, eſſe de modo loquendi, potius quàm de re. Enimuerò non loquitur Suarez de quæſtione, qua diſſeritur, an ſcientia Dei conditionata, ſit ante, vel poſt decretum, quæ eſt de re, eáque grauiſſima; ſed de alia, qua quæritur, an dicenda ſit ſcientia intelligentiæ, vel viſionis; an ſcientia naturalis, vel libera, an verò quædam alia ſcientia inter has media. De qua eadem ſecunda quæſtione prudenter, ac grauiter dixerunt Vazquez hîc, d. 67. n. 27. Becanus tract. 1. cap. 10. q. 1. concl. 3. *Parum intereſt.* Vazquez. Becanus.

*Defenditur Suarez cōtra Gonzalez.*

Itaque ad 1. de nouitate ſententiæ, ſi loquamur in primo ſenſu reali, in quo ſolùm loqui debemus, reſpondeo, aliquid dici poſſe nouum dupliciter. Primò poſitiuè, quia eſt contrarium antiquo. Secundò negatiuè, & explicitè, & implicitè; quia neque explicitè, neque implicitè continetur in antiquo. Primo modo ſcientia media per ſummam iniuriam diceretur noua; quia hactenus aduerſarij neque in ſcriptura, neque in conciliis, neque in Patre aliquo, præſertim Auguſtino, neque in aliquo antiquo Scholaſtico, præſertim S. Thom. locum aliquem inuenire potuerunt, vbi expreſſum ſit, non eſſe in Deo ſcientiam conditionatam ante decretum. Quod lectores nobis non credant, ſed manifeſtè videant in prædictis omnibus Authoribus, quorum loca, ac verba, hanc ipſam ob cauſam, neque labori, neque tempori parcens, in ſuperioribus fideliſſimè attuli, & accuratiſſimè expendi. 502.

*Ad primū de nouitate.*

*Scientia media non eſt noua poſitiuè.*

Secundo

*Scientia media non eſt noua negatiuè implicitè.*

Secundo modo non eſſe nouam ſcientiam mediam euidenter, ac latiſſimè demonſtraui dub. 17. diſcurrens primò per Scholaſticos à num. 284. ad 320. deinde per ſcripturam à num. 320. ad 330. tum per Patres à num. 330. ad 342. poſtremò per S.Thomam à num. 342. ad 365. In quibus & ſæpe, & ſatis clarè ſignificari, & implicitè contineri ſcientiam mediam, ſeu conditionatam ante decretum, nemo negabit, qui pacato animo veritatem cupit addiſcere. Adeo vt ipſemet Aluarez citatus ſupra num. 313. ſententiam noſtram eſſe Auguſtini, expreſsè fateri aliquando coactus ſit: quamuis Auguſtinum illum eſſe non crederet, ſed Arboreum. Quod ad veritatem, ac ſinceritatem ſententiæ Auguſtini nihil refert. Quid enim quiſque verè ſentiat, pendet ex ſenſu verborum, quæ verè illius ſunt, non quæ verè illius eſſe cognoſcantur. Imò multò fidelius iudicatur de vero ſenſu verborum, cum author illorum ignoratur: tunc enim abeſt periculum detorquendi verba in alienum ſenſum ex nimio affectu in perſonam Authoris, vel in propriam aliquam ſententiam, quam illi Authori contrariam eſſe nolles. Quamuis igitur expreſſis verbis, & in terminis nullus eſſet locus in quo ſcriptum ſit, dari in Deo ſcientiam futurorum contingentium conditionalium, quæ ſit ante decretum, & non poſt; tamen id implicitè, & æquiualenter continetur, vt patet ex dictis.

*Scientia media eſt noua negatiuè explicitè, ſicut etiam oppoſita ſententia.*

503. Non erat autem propter huiuſmodi nouitatem noſtra ſententia tam duris, & contumelioſis verbis reiicienda. Primò, quia certum eſt, oppoſitam ſententiam eodem modo, vt minimum, nouam eſſe: tum quia ſi nullus omnino antiquus Doctor de ſcientia Dei conditionata ſimpliciter diſſeruit, vt nos & ipſi vltrò, ac veriſſimè fatemur, qua ratione meritò poteſt nobis, aut ipſis vitio verti, quòd non ſit antiqua, ſed noua ſententia, dari in Deo ſcientiam conditionatam ante decretum, vel poſt decretum? Tum quia ab eadem nouitate, contra ſuam ſententiam obiecta, eodem modo rectè ſe excuſat ipſemet Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 5. num. 26. his verbis. *Scholaſtici antiqui nihil omnino de hac ſcientia ſub conditione diſputarunt, aut meminerunt. Vnde non mirum, quòd nullam fecerint mentionem diuini decreti conditionati.* Quod ait *colligi per euidentem conſequentiam ex his, quæ docent de ſcientia Dei abſoluta.* Quam collectionem non eſſe efficacem, oſtendi ſupra num. 356. ad 359. cum etiam ante ipſam ſcientiam abſolutam nullus vnquam expreſſerit decretum prædeterminans, vt ſupra dub. 11. cuiuſmodi eſſe deberet decretum, correſpondens decreto prædefinienti ante præſcientiam conditionatam, ſi tale decretum daretur. Similiter Cabrera tomo 3. in 3. p. q. 62. art. 1. d. 12. §. 7. num. 216. fatetur, *D. Thomam ex profeſſo non diſputaſſe de cognitione futurorum conditionatorum. Et ideo idem iudicium ferendum eſt de eorum cognitione, atque de cognitione futurorum abſolutorum,* vt dicunt etiam Zumel, Gonzalez, & Machin, citati ſupra, num. 426. fin. Quod principium contra ipſos eſſe notaui locis citatis, & aliis etiam ſupra.

Aluarez.

Cabrera.

*Oppoſita ſententia eſt noua negatiuè, etiam implicitè.*

Secundò, quia ſententia contraria de ſcientia conditionata poſt decretum, eſt noua etiam ſecundo modo, hoc eſt, negatiuè, & explicitè, & implicitè, cum ex nullo prorſus dicto Scripturæ, aut Concilij, aut Patris, aut veteris Scholaſtici, deduci probabiliter poſſit; imò multis eorum dictis repugnare, euidenter conuincatur: quæ omnia in ſuperioribus exactiſſimè demonſtraui. Atque hæc ſanè eſt nouitas vitioſa; quam tamen noſtri Theologi, charitatis, & modeſtiæ memores, nõ verbis paſſim exprobrandam, ſed rebus grauiter probandam exiſtimarunt. Tertiò, quia noſtra ſcientia media de contingentibus conditionatè futuris ante decretum prædeterminans, non eſt noua doctrina, ſed noua ſolùm explicatio doctrinæ antiquiſſimæ, quam Scripturæ, & Patres, & Scholaſtici omnes tradiderunt, de libertate, de indifferentia, & libera determinatione voluntatis, de præcedentia futurorum contingentium reſpectu diuinæ præſcientiæ, & voluntatis, de Deo liberos peccatorum actus non prædeterminante, aliiſque veritatibus, quibus decretum prædeterminans ante præſcientiam conditionatam planè contradicit. Sicut igitur olim Nicena Synodus, addens Symbolo Apoſtolorum verba illa, *conſubſtantialem Patri*; & poſtea Eccleſia addens Symbolo Conſtantinopolitano particulam illam, *Filióque*, quamuis in Concilio Niceno, & in Conſtantinopolitano excommunicentur qui aliquid addunt Symbolo, non cenſentur noua dogmata condidiſſe, ſed antiqua enucleatius explicaſſe, propter hæreſes contra antiquam fidei doctrinam de nouo inſurgentes, etſi hæretici nouitatem illis obiiciant: ita noſtro ſæculo, nouis inter Catholicos exortis ſententiis, quibus & libertatem noſtram, & ſanctiſſimam Dei bonitatem, quæ ad peccandum adigebatur, grauiſſimè lædi videbamus, coacti ſumus antiquiſſimam de præſcientia Dei conditionata doctrinam, à ſanctis Scripturis, ac Patribus apertiſſimè traditam, vt ſupra, dub. 13. clarius, vberiúſque ita explanare, vt conſtaret, illius veritatem, atque infallibilitatem non potuiſſe fundari in aliquo prædeterminante diuinæ voluntatis decreto, & noſtræ libertatis, & Dei bonitatis deſtructiuæ. Quapropter immeritò carpimur, quaſi noua dogmata induxerimus: cùm noſtra ſcripta nihil aliud verè contineant, niſi antiquam Scripturæ, & Patrum doctrinam; licèt de nouo, propter nouas, & vrgentes occaſiones, diſtinctius, ac ſubtilius explicatam.

*Scientia media non eſt noua doctrina, ſed noua explicatio antiquæ doctrinæ.*

Atque hæc de nouitate quoad rem. Nam de nouitate quoad vocem, dictum ſatis, ſupérque eſt ſupra, num. 353. & 354. & rurſus num. 480. & 481. & 487. vbi oſtendi, hanc etiam nouitatem communem eſſe cum aduerſariis. Solùm differimus, quia noſtri Theologi hanc ſcientiam conditionatam vocarunt, *ſcientiam mediam*, quod nomen conſtat eſſe nouum, ab eóque ſummopere abhorrent aduerſarij. Sed cum rem ipſam omnes amplecti teneantur, & nonnulli eorum expreſsè amplectantur, vt de Cabrera, Aluarez, Nazario, & Gonzalez retuli ſupra, num. 480. leue, ac ridiculum eſt, tantopere nomen odiſſe, quod communem rem breuius, & clarius exprimit. Neque mirari debent, aut non inueniri apud antiquos Theologos nomen illius ſcientiæ, de qua non diſputarunt: aut à nobis, qui de huiuſmodi ſcientia copioſiſſimè diſputamus, fuiſſe illi nomen impoſitum. 504.

*Defenditur nouitas vocis ſcientiæ mediæ.*

Quare ad ea, quæ pro noſtræ ſententiæ nouitate probanda afferuntur ſupra num. 500. in particulari dico primò; quàm verè Aluarez, & Ripa teſtentur, ipſos noſtros Theologos gloriari, ſe fuiſſe primos ſcientiæ mediæ inuentores, patet ex dictis ſupra à num. 344. ad 347. Secundò, inſufficienter Gonzalez, vt ex Patribus, & Scholaſticis probaret ſcientiam ſub conditione dependenter à diuina voluntate prædeterminante, attuliſſe ex illis hæc verba, *Nihil in mundo fore futurum, niſi Deo volente, vel permittente*; quibus probatur ſolùm ſcientia abſoluta, dependenter à diuina voluntate ſimpliciter; quod nemo negat. Tertiò, falsò Zumel

*Reſpondetur ad Aluarez, & Ripam.*

*Reſpondetur ad Gõzalez.*

*Reſpondetur ad Zumel.*



aſſerere, nos in probatione ſcientiæ mediæ, *Non citare authores, & patronos.* Nihil iſtis citationibus frequentius in ſcriptis noſtrorum Thologorum. Cæteris, quæ nouitatem non probant, ſed eam irriſionibus, & probris exagitant, reſpondere ſuperſedemus. Neque enim decet religioſos viros probra probris rependere; aut cum cauillantibus cauillari.

505. Ad 2. quid ad contumelias reſpondeam, non habeo. De periculo, breuiter dico, me quidem laudare zelum; non poſſe tamen laudare ſcientiam vnde procedit. Noſtra ſententia de præſcientia Dei conditionata nihil verè commune habet cum Pelagianis, ac Semipelagianis, niſi libertatem, & ipſum actum conditionatæ præſcientiæ; quæ duæ res ad fidem pertinent. Quòd verò libertate abuſi ſint Pelagiani ad negandam diuinæ gratiæ neceſſitatem; & Semipelagiani præſcientiam conditionatam detorſerint ad dandam vel negandam primam gratiam ex meritis, vel demeritis conditionatis, id quidem manifeſtum eſt non oriri ex ipſa præſcientia conditionata, poſita ante decretum prædeterminans, ſed ex peruerſa hæreticorum voluntate. Certè multò maiorem affinitatem habet decretum prædeterminans cum errore Lutheranorum, & Caluiniſtarum negantium libertatem, quàm noſtra ſcientia media prædictum decretum reiiciens cum errore Pelagianorum, & Semipelagianorum: quia illi ipſammet prædeterminationem præciſè aſſumunt ad probandum errorem ſerui arbitrij, vt patet ex verbis Caluini relatis ſupra num. 401. hi verò ad ſuos errores probandos non aſſumunt ipſam præſcientiam conditionatam, ex eo quòd ſit ante decretum prædeterminans. Quis enim vnquam hoc ſomniauit? Et nihilominus, quoniam de hac re cum Catholicis, & doctiſſimis, & religioſiſſimis diſputabamus, Lutheraniſmum, aut Caluiniſmum obiicere nefas duximus, ſed veritatem ipſam duntaxat, aut falſitatem, ſimpliciter demonſtrare conamur.

*Ad 2. de periculo.*

506. Ad 3. de ſumma noſtra conſenſione in præſcientia conditionata ante decretum prædeterminans, quæ ſola eſt realis, & grauis quæſtio, patet ex omnibus citatis, ſupra num. 283. Diſſenſio verò illa, quam affert Aluarez, & retuli ſupra in concluſionibus, eſt de voce in ſecundo ſenſu explicato ſupra num. 501. ac proinde contemnenda: in qua ne ipſi quidem aduerſarij concordant, vt ibidem commemoraui. Cum verò refert Aluarez, quoſdam ex noſtris dicere, futura cognoſci in veritate, alios in actuali exiſtentia; hæc minùs rectè accipiuntur tamquam duo diſtincta. Quod denique ex Molina refert, *cognoſci in ſupereminenti Dei comprehenſione*, quem bonum ſenſum habeat, expoſui ſupra, num. 463. & 464.

*Ad 3. de diſſenſione.*

## DVBITATIO XXI.

### *An ſcientia media præſupponat, aut cauſet aliquam infallibilitatem in obiecto ſuo.*

#### SVMMA.


1 *Exponitur titulus quæſtionis. num. 507.*

2 *An præſupponat infallibilitatem conditionatam ſimpliciter. à num. 508. ad 511.*

3 *An præſupponat infallibilitatem conditionatam ex ſuppoſitione. à num. 511. ad 515.*

4 *An cauſet aliquam infallibilitatem. à n. 515. ad 523.*


IN effectu contingenti, conditionaliter futuro à libera voluntate, de quo tantùm loquimur, quod eſt obiectum præſcientiæ Dei conditionatæ (quam cùm probata iam ſit in dubitatione præcedente, vocabimus ſcientiam mediam) tria conſiderari diſtinctè debent; primò effectus ipſe in ſe. Secundò voluntas, ſecundùm vim, quam habet cauſandi effectum. Tertiò conditio antecedens, ſecundùm vim, quam habet præmouendi, & excitandi voluntatem ad cauſandum effectum liberum. 507.

*In obiecto ſcientiæ mediæ diſtinguũtur tria.*

Præterea ſicut duplex eſt futurum, alterum conditionatum, alterum abſolutum, ita duplex infallibilitas diſtingui debet, altera conditionata, altera abſoluta: & vtraque duplex eſt, altera conditionata, ſiue abſoluta, ſimpliciter abſque vlla alia ſuppoſitione; altera conditionata, ſiue abſoluta, ex ſuppoſitione. v. g. de futuro conditionato, *Si cras oriretur ſol, eſſet dies*; eſt infallibilitas conditionata ſimpliciter abſque ſuppoſitione. *Poſito quòd ſi cras oriretur ſol, eſſet dies; ſi cras oriretur ſol, non poſſet non eſſe dies*; eſt infallibilitas conditionata ex ſuppoſitione. Item de futuro abſoluto, *Cras orietur ſol, & orto ſole erit dies*; eſt infallibilitas abſoluta ſimpliciter abſque ſuppoſitione. *Poſito quòd cras orietur ſol, & orto ſole erit dies, non poteſt cras non oriri ſol, & orto ſole non eſſe dies*; eſt infallibilitas abſoluta ex ſuppoſitione. Qui termini ſunt diligenter obſeruandi, & ſemper vſurpandi eodem modo, quia difficultas præſentis controuerſiæ, quam ſolùm inter iuniores quoſdam Theologos nuper excitatam, atque acutè agitatam video, non mediocriter aucta videtur ex vocabulorum penuria, qua laboramus.

*Diſtinguitur duplex infallibilitas.*

### *An præſupponat infallibilitatem conditionatam ſimpliciter.*

Prima concluſio. Scientia media præſupponit infallibilitatem conditionatam ſimpliciter: non tamen ex parte voluntatis, neque ex parte condinis, ſed ſolùm ex parte effectus. Prima pars, neque ab vllo noſtro Theologo, quem ſciam, negatur; neque à modernis Thomiſtis negari poteſt, docente S.Thoma 1. d. 38. q. 1. art. 5. ante medium corp. *Oportet inuenire, ad hoc quòd ſit certa ſcientia, aliquam certitudinem in ſcito.* & in hoc articulo, vt probet, futurum contingens poſſe eſſe obiectum diuinæ præſcientiæ, aſſignat in eo aliquod eſſe, *determinatum ad vnum. Et propter hoc*, inquit, *ſic infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni.* vbi pro eodem vſurpat, eſſe determinatum, ac eſſe certum, & infallibile. Ratio manifeſta eſt, quia quod non eſt in ſe aliquid certum, & infallibile, non poteſt certò, & infallibiliter cognoſci; hinc enim opinio, non eſt cognitio certa, & infallibilis, quia obiectum opinabile non habet in ſe veritatem obiectiuam certam, & infallibilem. Sed ex probatis ſupra, futura contingentia conditionata cognoſcuntur certò, & infallibiliter à Deo: ergo aliquam infallibilitatem in ſe, & in ſua ratione obiectiua habeant neceſſe eſt. Sed obiectum præſupponitur ad actum, vt probaui ſupra, art. 8. num. 58. ad 62. ergo ſcientia media in ſuo obiecto conditionato ſimpliciter, præſupponit aliquam infallibilitatem conditionatam ſimpliciter. 508.

*Prima concluſio. Præſupponit aliquam infallibilitatẽ.*

S.Thomas.

Secunda, & tertia pars ſatis certæ ſunt apud omnes noſtros antiquiores Theologos, qui tam in voluntate, quàm in conditione eam præmouente, & antecedente effectum liberum, perpetuò negant infallibilem aliquam connexionem antecedentem cum effectu conditionato liberè futuro: quam deinde 509.

*Non præſupponit infallibilitatem ex parte voluntatis, & conditionis.*

deinde poſteriores aliqui, ad phyſicam recentiorum Thomiſtarum prædeterminationem, plus quàm par erat, accedentes, admittere non dubitarunt. Eam verò cohærentius aſſerunt, non eſſe prædeterminationem ad vnum, quia ſimul tenent, cum tali infallibilitate, etiam in ſenſu compoſito cum illa, ſtare in voluntate, conditionaliter præmota, antecedentem potentiam omnino completam, & expeditam ad oppoſitum. In qua ſententia, quoniam & prædeterminationem expreſsè reiicit, & perfectum conceptum libertatis, ſeu potentiæ vltimatò completæ, & indifferentis ad vtrumlibet, bene retinet, in quo à prædictis Thomiſtis maximè diſcrepat, bonum aliquem ſenſum eius Authores procul dubio habere debent. Illum tamen, ingenuè fateor, me vſque ad hanc diem ſatis percipere non poſſe: ſi enim hæc infallibilitas eſt antecedens, & eſt ad vnum determinatum, & eſt tanta, quanta ſatis eſt ad hoc, vt diuinus intellectus videat infallibiliter in cauſa libera, præmota huiuſmodi infallibilitate, effectum liberè futurum; erit profectò propriiſſima, & perfectiſſima prædeterminatio, tollens expeditam potentiam ad vtrumlibet in ſenſu compoſito cum illa. Hæc eſt igitur apud me euidens probatio ſecundæ, & tertiæ partis huius primæ concluſionis, quia ſi ſcientia media præſupponeret infallibilitatem vel in voluntate, vel in antecedente conditione, hæc eſſet infallibilitas antecedens, tenens ſe ex parte cauſæ, ac proinde tollens, ſiue impediens libertatem, quæ eſt quædam fallibilitas in cauſa, vt fuſius ſupra num. 112. & 113. & rurſus num. 118. & 119.

510.
*Præſupponit infallibilitatem ex parte effectus.*
S.Thomas.
Quarta pars eſt certa apud omnes, & patet ex ſæpe probatis ſupra: quia effectus contingens, eſt aliquid in ſe determinatum à cauſa indeterminata, vt expreſsè docuit S. Thomas in hoc articulo, ex hac certiſſima veritate deducens, futura contingentia cognoſci infallibiliter à Deo, *non ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt in actu in ſeipſo.* quia futurum contingens, ſi conſideretur, inquit, *vt eſt in ſua cauſa, ſic conſideratur vt futurum, & vt contingens, nondum determinatum ad vnum; quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic contingens non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem.* Si verò idem futurum contingens conſideretur, *in ſeipſo, ſecundùm quod iam in actu eſt, ſic non conſideratur vt futurum, ſed vt præſens; neque ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum: & propter hoc, ſic, infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni.* Quibus verbis, ob valde notabilem doctrinam, quam continent, non ſemel allatis, & declaratis in ſuperioribus quæſtionibus, apertè aſſerit, futurum contingens, quamuis oriatur à ſua cauſa contingente, ac proinde indeterminata, ſiue, vt ipſe loquitur, *non determinata ad vnum*, nihilominus eſſe in ſe aliquid, *determinatum ad vnum; & propter hoc*, nulla alia aſſignata cauſa, habere, quòd *infallibiliter ſubdi poteſt certæ cognitioni*; ergo infallibilitas, quam ſcientia media præſupponit in ſuo obiecto, tenet ſe ſolùm ex parte effectus, non ex parte cauſæ, ſeu voluntatis liberæ, nec conſequenter ex parte antecedentis conditionis, quæ tenet ſe ex parte cauſæ. Et de prædicta determinatione eſt intelligendus de Verit. queſt. 2. art. 13. ad 2. cùm dicit, *Quòd quamuis contingens, ſcitum à Deo, ſecundùm ſe conſideratum, ſit poſſibile aliter eſſe, tamen hoc modo diuinæ cognitioni ſubſtat, ſecundùm quod non poteſt aliter ſe habere, vt ex dictis patet.* Dixerat autem in fine corporis, *Quòd intuitus diuinæ cognitionis fertur ad rem, ſecundùm quod eſt in ſua præſentialitate, prout eſt iam determinata ad vnum.* Quare illud, *ſecundùm ſe conſideratum*, non eſt accipiendum prout eſſe in ſe, diſtinguitur ab eſſe in cauſis ſuis; ſic enim non eſſet poſſibile aliter ſe habere; ſed prout diſtinguitur ab eſſe obiectum ſcientiæ Dei: & ſignificat eſſe quod res contingens, ſecundùm ſe habet tam in ſeipſa, quàm in ſua cauſa, ſecundùm quod poteſt aliter eſſe: ſed prout eſt in ſe ipſa præſens, determinata ad vnum extra cauſam, ſubſtat diuinæ cognitioni.

*Declaratur locus S. Thomæ de Verit.*

## An præſupponat infallibilitatem conditionatam ex ſuppoſitione.

511.
*Secunda concluſio negatiua.*
Secunda concluſio. Scientia media non præſupponit infallibilitatem conditionatam ex ſuppoſitione. Hoc eſt, vt infallibiliter ſciat Deus futuram eſſe, v. g. pœnitentiam Tyriorum, ſub conditione talium miraculorum, ſufficit in obiecto infallibilitas conditionata ſimpliciter, ſeu directa, quæ ſic explicatur, *Tyrij pœnitentiam agerent, ſi viderent talia miracula:* & non eſt præterea neceſſaria maior alia infallibilitas conditionata ex ſuppoſitione, ſeu reflexa, quæ ſic explicatur, *ex ſuppoſitione, quod Tyrij, ſi viderent talia miracula, pœnitentiam agerent; ſi Tyrij viderent talia miracula, non poſſent non agere pœnitentiam.* Hic eſt acutus quidam ſcopulus, in quo pleroſque ingenioſos Neotericos hæſiſſe video, aſſerentes, futurum contingens conditionatum, antequam intelligatur infallibiliter futurum ex ſuppoſitione extrinſeca infallibilis præſcientiæ Dei, præſupponi obiectiuè ad prædictam præſcientiam, vt infallibiliter futurum ex ſuppoſitione intrinſeca ipſiuſmet effectus contingentis conditionaliter futuri. Quæ infallibilitas reflexa cadit non ſolùm ſupra effectum, vt in prima cõcluſione cadere diximus infallibilitatem directam, ſed etiam ſupra voluntatem, & conditionem: quia per illam non ſolùm habetur effectus determinatus futurus ſimpliciter ſub conditione à cauſa libera, ſed etiam futurus infallibiliter, ita vt cauſa non poſſit nõ eſſe ſe liberè determinatura ad illum effectum; & conditio per ſuam præmotionem non poſſit non eſſe habitura eundẽ effectum.

512.
*Probatur cõcluſio reijciẽdo fundamẽtum contrarium.*
Probo concluſionem confutando præcipuum fundamentum, quo inſiſtunt aduerſarij. Dicunt enim, in eodem prorſus rationis ſigno, in quo ipſa res eſt futura conditionata ſimpliciter, quòd eadem ſit futura conditionata ex ſuppoſitione intrinſeca ſui ipſius: ac proinde, ſi ſcientia media præſupponit rem futuram conditionatam ſimpliciter, vt probatum eſt in prima parte primæ concluſionis, non poteſt non præſupponere eamdem rem futuram conditionatam ex ſuppoſitione; & conſequenter, infallibilitatem conditionatam ex ſuppoſitione conditionata. Antecedens autem impugno primò, non ſunt formaliter idem verum, ſiue intelligibile obiectum, cauſam liberã operari hoc ſimpliciter, & cauſam liberam operari hoc, ex ſuppoſitione quod operetur hoc; idque tam de prę terito, quàm de præſenti, quàm de futuro, ſiue abſoluto, ſiue conditionato: quod videtur manifeſtũ ex terminis, quia primum eſt liberum, ac proinde proficiſcens à cauſa libera, vt potente non operari hoc; ſuppono enim communiſſimam opinionem de cauſa libera, quòd in eo inſtanti, in quo operatur hoc, operetur liberè, tunc maximè exercendo libertatem ſuam; libertas autem eſſentialiter ſita eſt in poſſe oppoſitum: quam opinionẽ ſatis clarè exprimit



S.Thomas.
exprimit S.Thomas 1. d. 39. q. 1. art. 1. circa principium corporis, illis verbis, *Ratio voluntatis vt liberè actum ſuum producat, eſt, poſſe velle, & nolle*; & ſtatim ad rem noſtram ſubdit, *ſed hoc intelligendum eſt, dum actus eſt in egrediendo.* Secundum verò eſt neceſſarium, ac proinde proficiſcens à cauſa libera, vt non potente non operari hoc: etenim cauſa libera habet quidem potentiam ad oppoſita, ſed diſiunctiuè, non coniunctiuè; eſt enim potentia ad vtrumlibet, non ad vtrumque ſimul: & idcirco quando facit liberè hoc, & operatur vt potentia formaliter libera, operatur formaliter vt potentia non determinata ad hoc, ſed indifferens ſimpliciter ad vtrumque, ac proinde vt potentia non operandi ſimpliciter hoc, ſed operandi oppoſitum: at verò nullam omnino habet potentiam in ſenſu compoſito cum hoc, ſiue, quod idem eſt, ex ſuppoſitione quòd operetur hoc, non operandi hoc; hæc enim potentia ad ponendũ ſimul duo contradictoria, non eſt potentia libera, ſed eſt implicãs contradictionem. Cum igitur futurum conditionatum ſine ſuppoſitione, pendeat à potentia indeterminata ad vnum, & vt potente facere oppoſitum; futurum verò conditionatum ex ſuppoſitione, pendeat à potentia determinata ad vnum, & vt non potente facere oppoſitum, impoſſibile planè eſt, vt idem, ſub eadem præcisè ratione formali, ſub qua eſt futurum conditionatum ſimpliciter, ſit futurum conditionatum ex ſuppoſitione.

513.
Impugno 2. aſſignando inter hos terminos rationem differentiæ à priori, iam ferè tactam. Quia futurum, ſiue præſens, ſimpliciter abſque ſuppoſitione, importat ſimplicem poſitionem entis, vel non entis, v. g. peccatum, vel non peccatum, ſimpliciter, & præcisè conſideratum: futurum verò, ſiue præſens, ex ſuppoſitione, vel in ſenſu compoſito importat poſitionem entis, & ſimul non entis; ſiue compoſitionem entis, & non entis: nam propter illam ſimplicitatem dicitur, id, quod eſt, vel quod non eſt, quando eſt; vel quando non eſt, eſſe, vel non eſſe liberè, cum poſſibilitate ad oppoſitum; & propter hãc compoſitionem, id, quod eſt, vel quod nõ eſt, ex ſuppoſitione quòd ſit, vel quòd non ſit, eſſe, vel non eſſe neceſſariò, cum impoſſibilitate ad non eſſe, vel ad eſſe; quam ſuppoſitionem intellexit Philoſophus, cum lib. 1. Periherm. c. vlt. circa finem pronunciauit, *eſſe, quod eſt, quando eſt; & non eſſe, quod non eſt, quando non eſt, neceſſe eſt.* Hanc diuerſitatem non obſcurè ſignificat S.Thom. 1. d. 39. q. 1. art. 1. ad 3. dum hoc Philoſophi pronunciatum exponens, ait, *Illud, quod eſt, neceſſe eſt eſſe dum eſt: abſolutè tamen loquendo non neceſſe eſt eſſe.*

*Declaratur illud axioma,* Omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.

Ariſtoteles.

S.Thomas.

*Duplex cõſideratio effectus liberi in ordine ad ſuã cauſam.*
Confirmatur explicando magis eamdem differentiam, & doctrinam Philoſophi. Eſſe, poteſt in ordine ad ſuam cauſam conſiderari dupliciter. Primò, vt formaliter pendens à cauſa. Secundò, vt ſimpliciter concomitans cauſam, præſcindendo à prædicta dependentia. Primo modo, eſſe comparatur ad cauſam ſub potentia ad non eſſe, ſi cauſa illa eſt libera. Secundo modo, eſſe non poteſt comparari ad cauſam ſub potentia ad non eſſe, quia compararetur ad contradictorium eius, quod cum ipſa eſt concomitanter. Futurum autem contingens conditionatum ſimpliciter, importat eſſe, vt pendens à cauſa libera, & conſequenter, potentiam ad non eſſe; idem futurum conditionatum ex ſuppoſitione, importat eſſe, vt concomitans cauſam, & conſequenter impotentiam ad non eſſe: ſed hoc eſſe ſub prima ratione formali, & idem eſſe ſub ſecunda ratione formali, non ſunt idem formaliter obiectum verum, & intelligibile: ergo nec prædicta futura.



*Differentia inter eſſe ſimpliciter, & eſſe ex ſuppoſitione.*
Confirmatur 2. generaliter loquendo, ens ſimpliciter, nihil aliud dicit, niſi præcisè ipſam ſimplicem rationem entis. Sic etiam, non ens ſimpliciter, dicit rationem non entis. At ens ex ſuppoſitione, ſupponit vnum, quod eſt ens, ſiue dicit ens vt præſuppoſitum; & præterea negat, ens poſſe eſſe cum ſuo controdictorio, non entę. Sic etiam, non ens ex ſuppoſitione, ſupponit non ens, additque, non poſſe illud eſſe ſimul cum ſuo contradictorio, ente. qui duo conceptus ſunt manifeſtè diuerſi. Hac igitur diuerſitate poſita, certum eſt, ex his duobus obiectis, prius eſſe ens, aut non ens ſimpliciter, quàm ens, aut non ens ex ſuppoſitione. Item prius eſt ens in ſe, quàm ens vt incompoſſibile cum non ente: & ens vt pendens à cauſa, prius eſt, quàm ens vt concomitans cauſam, & denique prius eſt, cauſam liberam ſub conditione operaturam liberè, hoc eſt, cum indifferentia, & potentia ad non operandum, quod ſpectat ad futurum conditionatum ſimpliciter, quàm cauſam liberam ſub conditione operaturam neceſſariò, hoc eſt, cum impotentia ad non operandum ſub conditione, poſito quod ſit operatura ſub conditione; quod ſpectat ad futurum conditionatum ex ſuppoſitione: futurum enim ex ſuppoſitione futuri, expreſsè importat duplex futurum, alterum prius, ſeu præſuppoſitum, ſupra quod fundatur, & cadit ſuppoſitio, quod eſt futurum ſimpliciter: alterum poſterius, ſeu conſequens ex priori, & adueniens ſupra prius, quod eſt futurum ex ſuppoſitione. Vnde ſequitur, quod in hac ſecunda concluſione directè intendimus, præſcientiam diuinam prius terminari ad futurum conditionatum ſimpliciter, ac proinde ſine vlla infallibilitate obiectiua præcedente ex parte voluntatis, & conditionis antecedentis, quàm ad futurum conditionatum ex ſuppoſitione, ex quo habetur præcedens infallibilitas obiectiua, etiam ex parte voluntatis, & conditionis antecedentis. Sicut igitur prius in re eſt, ita etiam prius, ſecundùm noſtrum modum concipiendi cum fundamento in re, Deus præſcit, v.g. quòd ſi Tyrij viderent talia miracula, conuerterentur, ita vt poſſent non conuerti, quod eſt conuerti liberè; quàm quod, tota hac veritate ſuppoſita, Tyrij conuerterentur, ita vt non poſſent non conuerti, quod eſt conuerti neceſſariò, neceſſitate ſuppoſitionis: quia ſecundùm ordinem obiectorum in re, nos debemus diſtinguere actus, ſeu terminationes diuinæ præſcientiæ in Deo.

*Deum prius ratione ſcire futurũ ſimpliciter, quã futurum ex ſuppoſitione.*

514.
*Obiectio.*
Obiicies, quia ſcientia media præſupponit in ſuo obiecto aliquam infallibilitatem, nempe ex parte ipſius effectus futuri, vt concedo in prima, & quarta parte primæ concluſionis. Sed hæc infallibilitas eſt ex ſuppoſitione effectus futuri; fundatur enim in eo, quòd poſito quòd effectus ſit futurus, non poteſt idem in ſe eſſe ſimul futurus, & non futurus; ex illo vniuerſali axiomate, quòd res quando eſt, non poteſt non eſſe. Ergo ſcientia media præſupponit infallibilitatem obiectiuam, conditionatam ex ſuppoſitione, quod negamus in ſecunda concluſione.

*Reſpondetur diſtinguendo duplicẽ ſuppoſitionẽ, extrinſecam, & intrinſecam.*
Reſpondeo, ſolutionem eſſe petendam ex dictis ſupra numero 21. & 29. ex quibus habemus, in effectu libero determinato, conditionaliter futuro à cauſa libera indeterminata, duplicem ſuppoſitionem eſſe diſtinguendam: alteram extrinſecam, per ordinem ad ſuam cauſam; ſi enim prædictus effectus præſupponatur eſſe futurus à ſua cauſa, non poteſt non eſſe ab illa futurus: alteram intrinſecam, per ordinem

ordinem ad ſuum contradictorium, præſcindendo ab ordine ad quamcumque cauſam; quæ ſuppoſitio propterea eſt vniuerſaliſſima, & ideo conſiderari poteſt in ipſomet Deo; qui etiam, ex eo quòd ſupponitur eſſe Deus, non poteſt eſſe ſimul Deus, & non Deus. Hinc in forma ad obiectionem, conceſſa maiore, diſtinguo minorem: quia falſa eſt de infallibilitate ex ſuppoſitione extrinſeca, quam negaui in ſecunda concluſione: vera autem eſt de infallibilitate ex ſuppoſitione intrinſeca, quam rurſus diſtinguo: etenim ſuppoſitio intrinſeca conſiderari poteſt vel primò formaliter, ſub explicito, & formali conceptu entis, & non entis, concipiendo explicitè, non ſolùm hoc ſimpliciter, aut non hoc ſimpliciter; ſed etiam, hoc non poſſe eſſe non hoc, ex eo quòd ſupponatur eſſe hoc; aut non hoc non poſſe eſſe hoc, ex eo quòd ſupponatur eſſe non hoc: vel ſecundò fundamentaliter, ſub explicito, & formali conceptu aut entis tantùm, aut non entis tantùm, quod eſt tale fundamentum, vt eo præſuppoſito fundari poſſit incompoſſibilitas cum altero contradictorio. Dico igitur illam infallibilitatem ex parte ipſius effectus, in ſe præcisè conſiderati, quam ſolam in prima concluſione tribuimus futuro contingenti conditionato, eſſe ex ſuppoſitione intrinſeca, non formali, ſed fundamentali: quia ad hoc vt intelligamus, diuinam præſcientiam de tali obiecto eſſe omnino infallibilem, non eſt neceſſarium vt illius præſcientiæ præcedens obiectum ſit, non ſolùm hoc determinatum, ſed etiam, non poſſe hoc determinatum eſſe non hoc; quæ incompoſſibilitas verè eſt quid poſterius, & conſequens, fundatum in hoc determinato, cùm prius in vnaquaque re ſit, eſſe id, quod eſt, quàm non eſſe aliud à ſe diſtinctum, & ſibi oppoſitum; vnde variato hoc fundamento, variatur etiam hæc incompoſſibilitas; ſi enim fundamentum eſt ens, habebit incompoſſibilitatem cum non ente; ſi verò fundamentum eſt non ens, habebit contrariam incompoſſibilitatem cum ente. Satis igitur eſt vt illius præſcientiæ obiectum ſit præcisè id, quod prius eſt verum, & intelligibile, quod de facto à nobis prius intelligitur, nempe, hoc determinatũ; hoc enim obiectum tale eſt ex natura ſua, vt implicet contradictionem illud eſſe fallibile, hoc eſt, poſſe eſſe non hoc determinatum. Ergo priori illo obiecto, ſeu fundamento, in quo conſiſtit ſuppoſitio intrinſeca fundamentalis, intelligitur ſufficientiſſimè niti infallibilitas diuinæ ſciẽtiæ mediæ: alioqui ſi poſt prius illud rationis ſignum, in quo habetur veritas ſuppoſitionis intrinſecæ fundamentalis, non poſſumus adhuc concipere, diuinam præſcientiam tendere in illam veritatem, ſed id concipere ſolùm poſſumus poſt ſecundum aliud rationis ſignum, in quo habetur etiã alia veritas ſuppoſitionis intrinſecæ formalis, ſequeretur eamdem præſcientiã non poſſe pariter tendere in eumdem effectum contingentem conditionatè futurum, niſi poſt ſuppoſitionem extrinſecam; & conſequenter, ſemper præſupponere in ſuo obiecto infallibilitatem conditionatam ex ſuppoſitione, contra ſecundam concluſionem: quia in ſecundo illo rationis ſigno, ſicut intelligitur eſſe ſuppoſitio intrinſeca per ordinem ad contradictorium, ita debet pariter intelligi, eſſe ſuppoſitio extrinſeca per ordinem ad cauſam.

*Diſtinguitur duplex ſuppoſitio intrinſeca.*

### *An cauſet aliquam infallibilitatem.*

515. Tertia concluſio. Scientia media non quidem vt cauſa, infallibilitatem intrinſecè cauſans in rebus, quas prænoſcit; ſed formaliter extrinſecè, nimirum per extrinſecam denominationem, prouenientem formaliter ab ipſa, tamquam à forma extrinſeca, omnino infallibili, cauſat ſummam infallibilitatem in cauſa libera, & in antecedente conditione; ita vt effectus contingens conditionatè futurus à cauſa libera, ac proinde futurus fallibiliter à cauſa indeterminata, ac fallibili, potente ſe determinare ad oppoſitum, & ſub conditione non prædeterminante, ſed fallibili, ſub qua poteſt eſſe oppoſitum eius, ad quod præmouet, quod totum præcedit vt obiectum ante ſcientiã mediam, iuxta primam concluſionem, debeat poſt ſciẽtiam mediam, & vt formaliter, ac præcisè ſubſtat tali ſcientiæ, independenter à quacumque alia ſuppoſitione obiectiua, intelligi vt infallibiliter futurus à cauſa libera ſub tali conditione: & conſequenter cauſa libera, ac fallibilis, vt ſubſtat ſcientiæ mediæ, ſit neceſſariò, & infallibiliter ſe ad hoc vnum præſcitum determinatura; & conditio fallibilis ſit neceſſariò, & infallibiliter habitura illum determinatum effectum, ad quem præmouet: nimirum infallibilitate, ac neceſſitate præſupponente vſum liberum, quæ libertati non aduerſatur.

*Tertia concluſio affirmatiua.*

Hæc concluſio ab omnibus conceditur, præſertim Boëtio, S. Thoma, Ægidio, Ariminenſi, & aliis, quos refero ſupra dubit. 2. num. 23. & ſequentibus: in quibus explico quid ſit neceſſitas effectus futuri ex ſuppoſitione diuinæ præſcientiæ: quam omnes Theologi, etiam moderni Thomiſtæ, admittunt; vt Bagnes, Zumel, Nazarius, citati n. 25. & bene explicat Vazquez diſp. 68. cap. 4. & habet fundamentum in doctrina S. Thomæ. Nam præter locos ibi num. 24. allatos, etiam in 2. 2. q. 1. art. 3. ad 2. ait, *Quòd Deum non incarnari, ſecundum ſe conſideratum, fuit poſſibile: ſed ſecundum quod cadit ſub præſcientia diuina, habet quamdam neceſſitatem infallibilitatis.* & quæſt. 6. de Verit. art. 3. in fine corporis. *Salus reſpectu cauſæ proximæ, ſcilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem, ſed contingentiam: reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem. Prædeſtinatio autem,* vt dixerat ſupra initio corporis, *præſcientiam includit.* & poſtea in quæſt. 14. art. 8. ad 14. *Chriſti paſſio, quamuis in ſe conſiderata ſit contingens, tamen ſecundum quod diuinæ præſcientiæ ſubſtat, immobilem veritatem habet.* & Quodl. 12. quæſt. 3. art. 3. fin. *Iſte prædeſtinatus poteſt conſiderari, vel vt in ſe, vel vt diuinæ cognitioni relatus: & ſic vno modo attribuitur ei, quòd poſſit damnari, alio modo, non.* Præterea Ægidius 1. d. 46. q. 1. ad 5. *Omnia*, inquit, *relata ad præſcientiam diuinam, contrahunt quamdam neceſſitatem: nihilominus tamen contingentia contingenter eueniunt.* & Caietanus ſupra q. 1. art. 2. §. *Et ad primum*, ait, *Quòd incarnatio, & alia huiuſmodi, ſecundum ſe contingentia, vt ſcita à Deo, ſunt neceſſaria.* Idem ſentiunt reliqui omnes, qui etſi loquantur de ſcientia abſoluta, tamen in hoc eſt eadem ratio de ſcientia conditionata: quia illi fundantur in infallibilitate diuinæ præſcientiæ futurorum contingentium: quæ non eſt minùs infallibilis reſpectu contingentium conditionalium, quàm abſolutorum. Igitur ratio euidens concluſionis eſt, quia ſicut effectus contingẽs conditionatus denominatur fallibiliter futurus, per ordinem ad ſuam cauſam, inquantum ab illa ſic eſt futurus, vt poſſit non eſſe futurus: ita pariter denominari debet infallibiliter futurus, per ordinem ad præſcientiam diuinam, in quantum Deus id, quod eſt futurum à cauſa libera, ita præſcit eſſe futurum ab illa, vt non poſſit præſcire non eſſe futurum ab illa. Vbi diligenter aduer-

*Probatur cõcluſio ex S. Thoma.*

*Ægidius.*

*Caietan.*

*Ratio cõcluſionis.*



-tendum eſt, quòd infallibilitas futuri ex præſcientia, non tollit, ſed ſupponit fallibilitatem futuri ex cauſa; quia obiectum præſcientiæ eſt, futurum fallibiliter ex cauſa libera, quod obiectum fallibile ex parte cauſæ, poteſt præſciri infallibiliter, quia habet determinationem ad vnum ex parte effectus. Quod propterea nullam intrinſecam infallibilitatem ponit in re, ſed tantùm extrinſecam per ordinem ad infallibilitatem præſcientiæ. Et ideo nullum putari debet inconueniens, idem eſſe fallibile, & infallibile; non ex ea ratione, quam multi afferunt, quòd hæ denominationes ſint à diuerſis formis; nam denominationes contradictoriæ, quales ſunt fallibile, & non fallibile, ne per diuerſas quidem formas ſaluari poſſunt; neque enim in vno ſubiecto, v. g. aëre, cogitari poſſunt ſimul duæ formæ, quarum altera det eſſe luminoſum, altera non luminoſum; ſed quia infallibilitas præſcientiæ non negat fallibilitatem rei, vt res eſt ſecundùm ſe, imò eam neceſſariò præſupponit, tamquam obiectum, ſed ſolùm negat fallibilitatem rei, vt formaliter ſcita eſt: vnde futurum, non habet per ſe, ac directè, poſſe eſſe non futurum, ſed ſolùm habet, non poſſe ſciri non futurum: & hinc conſequenter habet, non poſſe eſſe non futurum, alioqui poſſet ſciri non futurum.

516. In effectu igitur contingente, conditionaliter futuro ſimpliciter, in quo antecedenter, ſiue obiectiuè nulla eſt infallibilitas ex parte cauſæ, atque antecedentis conditionis, hæc eadem infallibilitas habetur conſequenter poſt ſcientiam mediam, & quodammodo effectiuè ex ſcientia media, ſiue ex ſuppoſitione extrinſeca ſcientiæ mediæ. Quam infallibilitatem idemmet diuinus intellectus cognoſcit deinde in poſteriori ſigno per ſcientiam non quidem formaliter reflexam (hanc enim negauimus tom. 1. q. 4. art. 2. num. 74.) ſed ſecundum noſtrum modum imperfectum concipiendi. Vtrum autem infallibilitas in effectu cauſetur ex habitudine ad præſcientiam conditionatam quaſi directam, vt effectus à cauſa, & poſtea cognoſcatur vt obiectum per eandem ſcientiam quaſi reflexam, ſuo loco dicemus. Hanc ſecundam præſcientiam conditionatam ſignificare videtur Suarez opuſ. de ſcientia lib. 2. cap. 4. num. 5. vbi cùm rectè velit, gratiæ efficaciam, ſiue infallibilitatem, non poſſe aliunde haberi, niſi ex præſcientia conditionata, ita addit, *Prius ratione, quàm intelligatur Deus velle, talem vocationem alicui conferre, cognoſcit illam vt efficacem:* & ſtatim hanc cognitionem vocat, *ſcientiam conditionatam.*

*Diſtinguitur infallibilitas vt effectus, & vt obiectũ ſcientiæ Dei.*

517. Vbi præterea notandum eſt, me non negare, in eodem effectu conditionatè futuro haberi etiam infallibilitatem ex parte cauſæ, & conditionis antecedentis, ortam ex alia ſuppoſitione intrinſeca ipſiuſmet effectus futuri. Neque etiam me contendere, hanc infallibilitatem ortam ex ſuppoſitione effectus, eſſe minorem infallibilitate orta ex ſuppoſitione præſcientiæ, vt volunt quidam Iuniores; quia cum vtraque explicetur per tantam neceſſitatem, vt oppoſitum implicet contradictionem, non videtur vna poſſe aliam ſuperare. Neque præterea velle, infallibilitatem ex ſuppoſitione præſcientiæ, eſſe in priori ſigno intelligendam, quàm infallibilitatem ex ſuppoſitione effectus; nam præterquam quod nihil hoc referre cenſeo ad veritatem noſtrarum opinionum, nunc non video maiorem aliquam connexionem, qua poſt primum ſignum in quo intelligitur eſſe obiectiua veritas futuri conditionati ſimpliciter, debeat potius ſequi vna ſuppoſitio quàm alia: poteſt igitur vtraque ſimul, & concomitanter intelligi in ſecundo ſigno. Et conſequenter, in tertio ſigno diuinus intellectus concipiendus eſt, ſimul etiam, & concomitanter intelligere & infallibilitatem ortam ex ſuppoſitione ſuæ præſcientiæ, & infallibilitatem ortam ex ſuppoſitione effectus. Inter has autem ſuppoſitiones, & infallibilitates, eſſe notabilem quamdam differentiam in ordine ad effectum abſolutè futurum, mox explicabo.

*An infallibilitas orta ex effectu ſit maior, & prior infallibilitate orta ex præſciẽtia Dei.*

518. Quarta concluſio. Infallibilitas cauſata ex ſcientia media, quamuis ſit conſequens reſpectu futuri conditionati ſimpliciter, vt probatum eſt, tamen eſt antecedens reſpectu futuri abſoluti ſimpliciter: ita vt non ſit neceſſarium, ante infallibilitatem dari futurum abſolutum ſimpliciter, ſicut eſt neceſſarium dari futurum conditionatum ſimpliciter; ſed in eodem prorſus ſigno, in quo futurum conditionatum infallibiliter poſt infallibilem Dei præſcientiam, tranſit in futurum abſolutum, tranſire etiam in futurum abſolutum infallibiliter. Hoc nonnulli vel difficilè capiunt, vel etiam negant. Mihi tamen videtur non poſſe negari, ſi rectè declaretur, & percipiatur; & eſſe neceſſariò dicendum à noſtris Doctoribus, contendentibus, gratiam eſſe efficacem in actu primo antecedenter ad effectum, eámque efficaciam haberi ex ſcientia media. Sic arguo, & rem totam explico. Infallibilitas prouenienſ ex ſcientia media, eſt infallibilitas connexionis inter effectum, & cauſam: obiectum enim ſcientię mediæ, eſt connexio conditionata libera, ac proinde fallibilis inter effectum, & cauſam; ſupra hanc connexionem cadens ſcientia media, tamquam ſupra obiectum, efficit illam infallibilem. Ergo huiuſmodi infallibilitas prius ex natura rei intelligi debet cadere ſupra cauſam, quàm ſupra effectum: ſicut enim prius ex natura rei eſt, cauſam facere, quàm effectum fieri; ita hoc eodem ordine intelligi debet cognoſcere qui ordinatè, ac rectè cognoſcit; quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci: ergo cognitio infallibilis prius intelligi debet ſuam infallibilitatem communicare cauſæ, quàm effectui. Et in obiecto conditionato, quando adhuc eſt in ſtatu conditionato, & antequam intelligatur purificari conditio, prius eſt, cauſam infallibiliter operaturam effectum, ſi poneretur conditio; poſterius verò eſt, effectum futurum infallibiliter ex cauſa, ſi poneretur conditio. Sed quando purificatur conditio, omnia affecta illa conditione, fiunt ſimul abſoluta, & cum illo eodem ordine, quem inter ſe habebant in ſtatu conditionato: ergo in futuro conditionato infallibiliter, purificata conditione, non prius habetur abſolutum ſimpliciter abſque infallibilitate, & deinde habetur futurum abſolutum infallibiliter, ſed ſimul habetur & futurum abſolutum, & infallibilitas futuri abſoluti: & præterea, prius habetur infallibilitas in cauſa abſolutè operatura, quã in effectu abſolutè futuro.

*Quarta concluſio. Infallibilitas proueniens ex ſcientia mediæ, eſt ante futurum abſolutum.*

*Ratio, & explicatio concluſionis.*

519. In quo hæc infallibilitas ex ſuppoſitione præſcientiæ, differt ab alia infallibilitate ex ſuppoſitione eiuſdem effectus: hæc enim ſicut in ſtatu conditionato cõſequitur futurum conditionatum ſimpliciter, ita in ſtatu abſoluto conſequitur futurum abſolutum ſimpliciter. Quare ex eo quòd, *poſito, v. g. quòd ſi Paulus taliter vocaretur, conſentiret, eſſet infallibiliter conſenſurus, ſi taliter vocaretur*; non ſequitur, *Paulus taliter vocabitur, & infallibiliter conſentiet:* ſed hoc ſequitur ex iſta alia ſuppoſitione abſoluta, *Poſito quòd Paulus taliter vocabitur, & conſentiet, Paulus taliter vocatus, eſt infallibiliter conſenſurus.* Diſcriminis ratio aperta eſt, quia infalli

*Differẽtia inter infallibilitatẽ ex ſuppoſitione ſciẽtiæ, & ex ſuppoſitione effectus.*

infallibilitas ex ſuppoſitione præſcientiæ, oritur ex aliquo diſtincto à futuro conditionato ſimpliciter, & communicatur ipſi futuro conditionato ſimpliciter, dependenter quidem à conditione, ſed non dependenter ab ipſomet futuro conditionato; & ideo, purificata conditione, tranſire poteſt in futurum abſolutum ſimpliciter. At verò infallibilitas ex ſuppoſitione ipſiuſmet futuri, non oritur niſi ex ipſomet futuro conditionato ſimpliciter, in quantum tale formaliter eſt, quod, ſi ſupponatur, eſt incompoſſibile cum ſuo contradictorio; & recipitur in futuro conditionato, vt formaliter inuoluente ſe ipſum quatenus conditionatum; eſt enim conditionatum non ſolùm per dependentiam à conditione, ſed etiam per dependentiam ab ipſomet futuro conditionato; & ideo, purificata conditione, ac proinde, non remanente futuro, vt formaliter conditionato, ſed tranſeunte in abſolutum, non poteſt illa infallibilitas remanere abſoluta; ſed vt habeatur infallibilitas abſoluta, debet intelligi alia ſuppoſitio ex futuro abſoluto ſimpliciter. Quare non valet iſta conſequentia, futurum contingens conditionatum ex ſuppoſitione, eſt futurum infallibiliter: ergo etiam futurum abſolutum ſimpliciter, & ſine ſuppoſitione, eſt futurum infallibiliter: quia neceſſitas conditionata ex ſuppoſitione, non habetur niſi impleta conditione, & ſuppoſitione: ſed conditio eſt, v.g. *ſi vocaretur*, & ſuppoſitio eſt, *conſentiret*; ergo antequam habeatur neceſſitas conditionata ex ſuppoſitione, præintelligi debet veritas abſoluta ſimpliciter vocationis, & conſenſus futuri: ergo hæc non poteſt pendere ex illa neceſſitate, quæ poſt ipſam conſequitur.

520. *Eadem differentia magis declaratur.* Ex quo veriſſimo diſcrimine, in materia de Gratia demonſtraui contra aliquos Iuniores, ſubtiles Theologos, infallibilitatem ex ſcientia media, eſſe aptiſſimam ad explicandam efficaciam antecedentem in actu primo effectum abſolutè futurum; ineptiſſimam verò ad idem explicandum eſſe infallibilitatem ex futuro conditionato ſimpliciter: quia prima eſt quidem in ipſo futuro conditionato ſimpliciter, tamen non eſt ex ipſo, ſed ex alio, hoc eſt, præſcientia extrinſeca; & ideo cum futurum conditionatũ tranſit in abſolutum, ſimul etiam poteſt, ac debet eius infallibilitas conditionata tranſire in abſolutam: ſed ſecunda eſt ex ipſo futuro conditionato eſſentialiter incluſo, & eſſentialiter fundatur ſupra ipſum; ſi enim non intelligas futurum conditionatum vt tale formaliter, implicat intelligere infallibilitatem ex ſuppoſitione futuri conditionati: ergo eſſentiali illo fundamento deſtructo, hoc eſt, futuro conditionato tranſeunte in abſolutum, infallibilitas, quæ illo fundamento eſſentialiter nitebatur, deſtruatur neceſſe eſt. Eſto igitur prius ex natura rei ſit, non ſolùm futurum conditionatum ſimpliciter, ſed etiam futurum conditionatum ex ſuppoſitione, quàm futurum abſolutum ſimpliciter, negandum tamen eſt, infallibilitatem futuri abſoluti ſimpliciter poſſe pendere ex infallibilitate futuri conditionati ex ſuppoſitione: ſed ad ſummum, ſicut futurum conditionatum ſimpliciter, infert futurum abſolutum ſimpliciter, vt quia verum eſt, *Si Paulus vocaretur, conſentiret*; licet inferre, *Paulus vocabitur, ergo conſentiet*: ita futurum conditionatum ex ſuppoſitione, infert futurum abſolutum ex ſuppoſitione, vt quia verum eſt, *Poſito quòd ſi Paulus vocaretur conſentiret, Paulus vocatus, eſſet infallibiliter conſenſurus*, licet inferre, *Poſito quòd Paulus vocabitur, & conſentiet, Paulus vocatus eſt infallibiliter conſenſurus*. Hæc autem infallibilitas ſupponit veritatem futuri abſoluti ſimpliciter ex libera voluntate per talem conditionem præmota: quam infallibilitas gratiæ efficacis in actu primo non debet ſupponere, ſed cauſare.

521. *Quo ordine concipiendi ſint diuini actus.* Vt igitur breuiter, ac dilucidè complectar quæ hactenus probaui, & parem mihi viam ad ea, quæ dicenda ſunt infra de Prædeſtinatione, ſic debent diſtingui ſigna rationis in actibus intellectus, & voluntatis Dei. *In primo ſigno futurum conditionatum.* In primo ſigno pono effectum conditionatè futurum, v.g. *Si Paulus ita vocaretur, reſponderet*; hoc enim totum, eſt obiectum præſcientiæ diuinæ conditionatæ, ergo ſecundùm rationem prius illa. *In ſecundo ſcientia conditionata.* In ſecundo ſigno ponenda eſt huius obiecti præſcientia in Deo, quia poſito quocumque obiecto ſcibili, ſtatim, & immediatè conſiderari debet illius ſcientia in intellectu, habente intelligendi vim omnino infinitam, quem propterea nulla veritas, in nullo inſtanti, aut ſigno rationis latere poteſt. *In tertio futurum conditionatum infallibiliter.* In tertio ſigno concipiendus eſt effectus infallibilitatis in prædicto obiecto, cauſatus à prædicta præſcientia, non quidem per intrinſecam inhærentiam, & denominationem, ſed per denominationem extrinſecam ab infallibilitate ſcientiæ mediæ ad illud obiectum terminatæ, vnde in caſu ſupra poſito, Paulus iam habet quòd reſponderet infallibiliter. *In quarto ſciẽtia futuri cõditionati infallibiliter.* In quarto ſigno concipitur, & noſtro modo intelligendi diſtinguitur, alia præſcientia, non directa, vt in ſecundo ſigno, ſed reflexa; qua infallibilitas illa, in tertio ſigno cauſata, vt effectus, à præſcientia directa, & conſequenter, iam primò conſtituta vt obiectum ſcibile, cognoſcatur à diuino intellectu. Quæ ſecunda præſcientia ponitur ad hoc, vt intellectus diuinus proponat diuinæ voluntati medium infallibile ad conſequendum finem ab ipſa efficaciter intentum: nam vt intellectus proponat medium vt infallibile; non ſatis eſt, medium factum eſſe infallibile, ſed debet etiam cognoſcere illud vt infallibile. *In quinto decretum abſolutum finis.* In quinto ſigno intelligimus in diuina voluntate abſolutum, & efficax decretum talis finis liberi, v. g. ſalutis, & bonorum operum Pauli: quod decretum fieri iam poteſt ſalua libertate creaturæ, & ſumma efficacia diuinæ voluntatis, quia iam Deus in prioribus ſignis præſcit omnes modos, quibus ſi præmoueretur Paulus, liberè, & infallibiliter bene operaretur, & ſaluaretur. *In ſexto decretum abſolutum efficacium mediorum.* In ſexto demum ſigno diſtinguo aliud abſolutum, & efficax decretum dandi tale medium infallibile, ad aſſecutionem talis finis efficaciter decreti in priori quinto ſigno. Hoc igitur decreto vult Deus dare, v. g. Paulo talem vocationem infallibilem, propoſitam à præſcientia reflexa in quarto ſigno: & tunc purificatur illa conditio, ſi Paulus ita vocaretur, infallibiliter conſentiret. *Volũtas diuina nõ cauſat infallibilitatem, ſed exiſtentiam.* Vbi accuratè conſiderandum eſt, quòd illa particula conditionalis, *Si*, cadit ſolùm ſupra vocationem, non ſupra conſenſum, nec ſupra infallibilitatem: & ideo purificata conditione vocationis vi decreti diuini, ſtatim ſine alio decreto intelligitur non ſolùm abſolutè futurus conſenſus, ſed etiam abſolutè futura infallibilitas conſenſus. Quapropter voluntas diuina, eſt quidem cauſa effectiua infallibilitatis conſenſus, ſiue, vt ſit futurus, & producatur, atque exiſtat conſenſus infallibilis; tamen non eſt cauſa, vt conſenſus ſit infallibilis, ſiue, vt infallibilitas conueniat conſenſui; quia non eſt formalis, & prima cauſa infallibilitatis, antea cauſatæ à ſcientia media in tertio ſigno: alioqui ſi voluntas diuina primò

cauſaret



cauſaret illam infallibilitatem, nulla præſuppoſita præſcientia, non poſſet cum illa cohærere libertas creata; vt conſtat ex fusè probatis in ſuperioribus. Infallibilitas igitur per præſcientiam conditionatam directam, fuit abſolutè cauſata in obiecto conditionato, hoc eſt, non dependenter à conditione quoad exiſtentiam ſimpliciter; nam hanc habuit à ſola Dei præſcientia poſt conditionem, & etiam poſt conſenſum ipſum conditionatè futurum ſimpliciter; ſed dependenter à conditione ſolùm quoad exiſtentiam vel conditionatam, vel abſolutam; nam ante purificatam conditionem, exiſtentia infallibilitatis eſt conditionata; purificata conditione, eſt abſoluta.

522. *Obijcitur.* Dices cum aliquibus iunioribus: effectus futurus abſolutè, præſupponitur infallibiliter futurus ante præſcientiam abſolutam; hæc enim adueniens poſt decretum abſolutum, vnde iam habet effectus quod ſit infallibiliter abſolutè futurus, cognoſcit, & non facit effectum abſolutè, & infallibiliter futurum, ergo effectus futurus conditionatè, præſupponi pariter debet infallibiliter futurus ante præſcientiam conditionatam.

*Reſpondetur.* Reſpondeo, diſparitatem eſſe manifeſtam, quia futurum abſolutè, præſupponi poteſt infallibile ex vi alterius præcedentis præſcientiæ conditionatæ; at futurum conditionatè, cùm præcedat omnem præſcientiam, & abſolutam, & conditionatam, non habet vnde poſſit habere infallibilitatem, non ex cauſa, quæ eſt indeterminata: non ex ſe ipſo, quia nos quærimus nunc infallibilitatem effectus per ordinem ad ſuam cauſam, non per ordinem ad ſuam intrinſecam entitatem. Non ex decreto prædeterminante, quod lædit libertatem: neque poteſt aliud aſſignari. Vnde ſi præſcindamus à præſcientia conditionata, vt antecedente effectum abſolutè futurum, tunc ſicut effectus fallibiliter futurus conditionatè, præſupponitur ad præſcientiam infallibilem conditionatam; ita idem effectus liber fallibiliter futurus abſolutè, præſupponeretur ad præſcientiam infallibilem abſolutam. Et dicere contrarium, eſt verè, vel negare, vel non rectè concipere liberum arbitrium, & effectus liberos.

## DVBITATIO XXII.

### *Quem vſum habeat ſcientia media.*

### SVMMA.


1 *Eſſe neceſſariam, etiam ſine vllo vſu. num. 523.*

2 *Eſſe neceſſariam ad conciliandam libertatem cum diuina prouidentia, & prædeſtinatione. à n. 524. ad 529.*

3 *Soluuntur argumenta Nauarrete. à num. 529. ad 535.*

4 *Soluuntur argumenta Zumel, & Verdu. à n. 535. ad 540.*

5 *Soluuntur argumenta Gonzalez. à num. 540. ad finem articuli.*


523. *Prima concluſio. Scientia media eſt neceſſaria, etiam ſine vllo vſu.* Suarez. PRima concluſio. Scientia media, etiam ſi nullum vſum, nullam vtilitatem afferret erga creaturas, adhuc ponenda eſſet in Deo propter ſummam perfectionem intellectus diuini. Hoc rectè obſeruauit Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 6. ad 4. quia effectus contingens conditionatè futurus, eſt obiectum ſcibile: ergo de perfectione intellectus diuini, habentis infinitam ſciendi virtutem, eſt vt actu ſciatur: ergo ſi per impoſſibile, ſcientia talis obiecti, nullũ haberet vſum circa creaturas, adhuc neceſſarium eſſet, eam in Deo admittere; quia ſola ſcibilitas obiecti, præſcindendo à quacumque alia habitudine, eſt ſufficiẽs, & neceſſaria ratio, vt intellectus diuinus actu ſciat obiectum illud. Sicut de facto, abſoluta ſcientia viſionis, vt ſic formaliter, diſtincta à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & approbationis, eſt in Deo; & tamen non propter aliquem vſum erga creaturas, cum ex articulo octauo, illius ſit ſcire ſimpliciter, non cauſare; ſed ſolùm propter meram ſcibilitatem obiecti, nimirum effectus contingentis abſolutè futuri, cui ex parte intellectus diuini, ob ſuam perfectionem, non poteſt non correſpondere actualis ſcientia.

524. *Secunda concluſio. Scientia media eſt neceſſaria ad concordiã libertatis creatæ cum actibus diuinis.* Secunda concluſio. Scientia media eſt neceſſaria ad concordiam creatæ libertatis cum actibus intellectus, & volũtatis Dei circa liberos actus creaturarum. hoc eſt, niſi præcederet in intellectu diuino ſcientia media, non poſſet Deus per ſuam voluntatem efficaciter decernere, ſeu prædeſtinare, ac prædefinire actus liberos, quos de facto prædefinit: neque per ſuum intellectum prouidere, ac dirigere apta media, quibus infallibiliter eueniant actus liberi prædefiniti. Hæc eſt ſententia Theologorum noſtræ Societatis, non agnoſcentium libertatem cum prædeterminatione: contra aſſertores prædeterminationis, eorúmque aſſeclas. Ita Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 2. n. 4. & 5. & c. 4. toto. & c. 7. ad 6. & tomo 1. de Gratia, Prolegom. 2. c. 3. n. 15. & c. 7. n. 23. Molina hîc, d. 18. membro 2. §. *Authores.* Fonſeca 6. Metaph. c. 2. q. 4. ſect. 8. Vazquez diſp. 99. c. 7. Leſſius de Gratia, c. 19. n. 14. Cornelius 2. ad Timotheum, c. 2. n. 109. & 110. Quibus conſentit Maſcaregnas diſput. 2. parte 3. n. 23. & diſp. 3. parte 2. n. 8. Ex aduerſariis quoque, quos infra in obiectionibus referam, Zumel tomo 1. variarum diſp. pag. 97. col. 2. apertè aſſerit, *eſſe valde difficile, conciliare prædefinitionem Dei abſolutam, & efficacem cum vera libertate creatæ voluntatis, ſi hæc cognitio certa, & infallibilis futurorum conditionatorum non admittatur; & è conuerſo, illa admiſſa, ſi rectè intelligatur, facilius diſſolui argumenta oppoſita.* & ſtatim ex eadem ſcientia explicat efficaciam gratiæ. Sicut etiam infra pag. 98. §. *Quinto.* Vnde pag. 245. ad 8. initio, ait, *Cognitio futurorum conditionatorum maximè iuuat ad explicandam libertatem ſecundarum cauſarum.* Quod quidem cohærenter dici non poteſt ab eo, qui ante ſcientiam Dei conditionatam conſtituit prædefinitionem conditionatam; tunc enim perfectè in particulari prædefinito iam actu libero in priori ſigno rationis, quid ad libertatem conducere poſſit ſubſequens ſcientia conditionata, non apparet: ſed illa ſe haberet tamquam merus, ac ſpeculatiuus intuitus obiecti iam facti, non autem tamquam directio obiecti faciendi; ſicut de facto omnes concedimus, quòd ſcientia viſionis, vt formaliter viſionis, quia eſt merè ſpeculatiua actus liberi abſolutè futuri, non eſt neceſſaria ad libertatem conciliandam. Item Cabrera, quamuis tomo 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 1. §. 22. num. 344. aſſerat, *Scientia media tollit à Deo perfectam prouidentiam.* idémque repetat num. 359. tamen tomo 2. quæſt. 11. art. 1. d. 10. num. 3. ita ſcribit, *Cognitio futurorum contingentium conditionatorum pertinet ad perfectam prouidentiam, & prudentiam creaturarum rationalium.* Et ideo tenet, fuiſſe hanc cognitionem communicatam animæ Chriſti Domini.

Marginal names: Suarez. Molina. Fonſeca. Vazquez. Leſſius. Cornelius. Maſcaregnas. Zumel. Cabrera.

525. Probatur concluſio primò authoritate, diſcurrendo

*Probatur primò authoritate.* rendo per omnes fusè relatos in ſuperioribus. Etenim primò fauent omnes Patres, & Scholaſtici ſupra art. 8. docentes, ad libertatem ſaluandam, non ideo actus liberos eſſe futuros, quia Deus ſciuit; ſed contra, ideo Deum ſcire eſſe futuros, quia illi ex libera creaturarum determinatione futuri erãt. Quam authoritatem ad hoc propoſitum probandum expendi ſupra num. 333. & 345. & affert Molina ſupra. Secundò fauent omnes Patres, & Scholaſtici in hoc art. 13. allati, qui frequentiſſimè docent, voluntatem liberam non ab alio prædeterminari, ſed ſolùm à ſeipſa. Vnde ſequitur neceſſariò, non poſſe Deum, abſque præcedente ſcientia media, efficaciter prædeſtinare, vt hic, vel ille actus liber, abſolutè futurus ſit. Idémque ſignificare debent ſcripturæ citatæ ſupra n. 149. & 296. quibus dicitur, Deus expectare liberam creaturarum determinationem; vt arguo ſupra, num. 328. & 329. Tertiò fauent Patres adducti ſupra num. 335. & 336. negantes, præfiniri à Deo actus malos, ſed tantùm permitti: quos tamen Deus tam abſolutè quàm conditionatè paſſim reuelat, & præſcire dicitur: ergo ſcientia media eſt etiam neceſſaria ad explicandam infallibilitatem diuinæ reprobationis, & permiſſionis actuum malorum, quos liberè facturi ſunt homines improbi. Quartò fauent quoque Patres, præſertim Auguſtinus, & Chryſoſtomus, de quibus ſupra num. 294. & à num. 337. ad 341. docentes, Deum, vt efficaciter vocet, & infallibiliter trahat prædeſtinatos ad obedientiam, & ſalutem, inſpicere tempus, & modum vocandi, & vocandorum diſpoſitiones, aliáſque circumſtantias; nimirum vt ita infallibiliter conſentiant, vt tamen conſentiant liberè. Quintò Scriptura Sap. 4. & Patres paſſim docent, vt ſupra num. 229. & 230. Deum, præuidentem per ſcientiam mediam, aliquos in peccato morituros ſi longius viuerent, illos, vt ſaluet, è vita citius rapere. Vbi clariſſimè cernitur vſus ſcientiæ mediæ ad prædeſtinationem. Sextò eadem ſcientia vtuntur Patres tractantes de prouidentia, vt ſupra à num. 233. ad 237. Septimò multum faciunt verba Auguſtini tributa Arboreo ſup. n. 313. & verba Bernardi, quæ cito ſupra n. 341. & aliorum Authorum, quos pro noſtra opinione eſſe probaui in d. 17. Ex quibus patet, hunc vſum ſcientiæ mediæ, non eſſe nouum, & à nobis confictum, vt crebrò exprobrant aduerſarij, ſed antiquiſſimum, & fundatiſſimum.

526. Atque hoc ipſum fatentur Fonſeca, & Molina, vt demonſtraui ſupra num. 344. & 345. quamuis omnes penè aduerſarij ad opinionum noſtrarum inuidiam, falsò referant, quòd hi Doctores ſcripſerint, ſe fuiſſe primos huius concordiæ, & vſus inuentores. Solùm verè, atque ingenuè fatentur, concordiam libertatis cum intellectu, & voluntate Dei omnino infallibili, ex præcedente ſcientia futurorum contingentium conditionalium, eſſe quidem rem antiquam, tamen ab antiquis minùs clarè, ac fusè traditam. *Cur recẽtiores fusè diſputent de ſcientia media.* Ab ipſis verò traditam eſſe clarius, vberiúſque; ita ſanè ſapientiſſimè diſponente diuina prouidentia ex temporum neceſſitate. Veteres toti fuerunt contra hæreticos, aut Gentiles, libertatem manifeſtè negantes, quos tamquam ſeruos inſipientiſſimos, & publicos hoſtes, nullo negotio debellarunt. Nobis verò multò grauius, ac periculoſius pugnandum fuit aduerſus homines & zelo fidei, & ſapientiæ fama conſpicuos, qui ſe liberos quidem profitentur, tamen ad vnam tantùm partem prædeterminatos. Quæ duæ res nobis viſæ ſunt nouæ, & nunquã antea auditæ. Nam antea, qui ſe ad vnum prædeterminatos confeſſi ſunt, ſe ſeruos eſſe non negarunt. Qui ſe verò senſere liberos, ſe pariter ad vtrumlibet indifferentes, & nulli determinatæ parti antecedenter affixos eſſe, certiſſimè cognouerunt. Et ideò nouo, accuratiſſimóque ſtudio coacti ſumus maiorũ noſtrorum doctrinam traditam de libertate, de efficacia diuinæ gratiæ, de Dei prouidentia, ac prædeſtinatione introſpicere; in eáque ſcientiam mediam, eiúſque vſum non finximus, ſed certò agnouimus, ac demonſtrauimus eſſe vnicum noui mali remedium. Hinc, & nouitate ſententiæ, quam in materia grauiſſima impugnabamus, & nouis doctiſſimorum aduerſariorum contradictionibus, propemodum infinitis, neceſſarium fuit adeò longam de ſcientia media, & vſu ipſius, diſputationem texere, vt antiquiſſima veritas videri noua potuerit. Hanc autem diſputationis nouitatem iure nobis obiicere non poſſunt aduerſarij, quia ipſi quoque de eadem materia, ſi non magis prolixè, certè non minùs breuiter ſcripſerunt. Solùm differimus, quia ſententiæ noſtræ antiquitatem, quoad rem ipſam, apertè, ac ſolidè probamus; ipſi verò ad oppoſitæ ſententiæ antiquitatem perſuadendam, multas afferunt authoritates, ſed vel planè falſas, vel manifeſtè vanas. Quod profectò hic pronunciare non auderem, niſi in ſuperioribus diſtinctiſſimè, atque euidentiſſimè demonſtraſſem.

Probatur ſecunda concluſio rationibus, quæ 527.
certæ ſunt, poſitis veritatibus hactenus probatis. *Prima ratio concluſionis.*
Primò abſoluta, & efficax Dei voluntas non poteſt decernere actum liberè abſolutè futurum, ante omnem illius actus præuiſionem; hoc enim decretum prædeterminans pugnare cum libertate, latiſſimè oſtenſum eſt dub. 17. Poteſt autem id decernere poſt ſcientiam mediam, quæ præſupponit actum ſub conditione liberè, ac fallibiliter futurum, & cauſat infallibilitatem, vt probatum eſt dub. 21. ac proinde, ſaluat libertatem creatæ voluntatis, & fundat ſummam efficaciam voluntatis increatæ: ergo ſcientia media eſt neceſſaria ad diuinas prædeſtinationes, & prędefinitiones. *Secũda ratio.* Secundò, Intellectus diuinus diuinæ voluntati prædeſtinãti, ac prædefinienti prouidere, ac proponere debet media antecedenter infallibilia ad faciendos actus liberos, quos in creaturis efficaciter intendit. Hanc autem antecedentem infallibilitatem, ſalua libertate, habere non poſſunt media niſi per ſcientiam mediam, vt patet ex probatis, tum dub. 11. & 17. tum dub. 21. ergo infallibilitas diuinæ prouidentiæ concordari non poteſt cum libertate creaturarum, niſi per ſcientiam mediam. *Tertia ratio.* Tertiò, Deus non poteſt infallibiliter reprobare damnatos, ante præuiſa abſoluta eorum demerita, quomodo de facto reprobari infra oſtendemus, ſicut & prædeſtinatos eligi ante præuiſa abſoluta eorum merita, niſi infallibiliter præcognoſcat per ſcientiam mediam, quòd ſi illi haberent talia auxilia, nollent conſentire; hi verò ſi haberent, conſentirent, vt probaui ſupra dub. 11. præſertim num. 145. ergo diuinæ prædeſtinationes, & reprobationes, prout de facto fieri à Deo, ipſi etiam aduerſarij fatentur, fieri verè non poſſent abſque iactura noſtræ libertatis, niſi præſuppoſita ſcientia media.

Tertia concluſio. Scientia media eſt neceſſaria 528.
ad conſtituendam efficaciam diuinæ gratiæ. *Tertia cõcluſio. Scientia media eſt neceſſaria ad efficaciam gratiæ.* Hanc concluſionem & authoritatibus, & rationibus ex inſtituto comprobare, non eſt huius loci, neque temporis, quo materiam de auxiliis typis mandare, tam nos, quàm aduerſarij à Sancta Sede Apoſtolica prohibemur: quam tamen latè paratam

habe



habemus, eam cùm primum Sanctæ Sedi placuerit edituri, occaſione tamen præſentis materiæ, cũ qua maximam connexionem habet, ſic eam breuiſſimè declaro. Gratia efficax eſt medium, quo Deus antecedenter vtitur ad hoc, vt creaturæ intellectuales prædeſtinatæ, efficiant aliquos liberos actus, quos efficaciſſimè prædefiniuit, eſſe abſolutè futuros: ergo debet eſſe medium infallibile, infallibilitate antecedente effectum abſolutè futurum, & tamen non deſtruente libertatem: item infallibile tanta infallibilitate, quanta neceſſaria eſt ad efficaciam diuinæ voluntatis, ita vt oppoſitum fieri poſſe, implicet contradictionem. Quas omnes proprietates habet gratia, vt ſubſtat ſcientiæ mediæ, & ex nullo alio capite habere poteſt. Etenim ex dub. 21. ſcientia media præſupponit liberum voluntatis vſum ſub gratia conditionata futurum ſimpliciter: & in eadem gratia conditionata cauſat omnimodam infallibilitatem extrinſecam in ordine ad effectum futurum conditionatum: quæ infallibilitas, poſt purificatam conditionem per diuinum decretum volendi abſolutè dare illam eamdem gratiam ſub conditione præuiſam, tranſit in abſolutam, & antecedentem reſpectu effectus abſolutè futuri.

Ad hanc efficaciam explicandam media ſcientia vtuntur Auguſtinus, Ambroſius, & Chryſoſtomus, locis, ac verbis citatis ſupra num. 231. & 232. De illa etiam Auguſtinus de bono perſeuerantiæ, cap. 14. cùm definiuiſſet, prædeſtinationem eſſe *præſcientiam, & præparationem beneficiorum Dei*, ſtatim de his gratiæ efficacis beneficiis, vt infallibili præſcientiæ Dei conditionatæ ſubiectis, addit, *quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Eumdem vſum ex noſtris tradunt Suarez opuſculo de ſcientia Dei, lib. 2. cap. 2. num. 5. & cap. 4. n. 5. & cap. 6. num. 7. Lorinus Actorum 22. verſ. 18. Cornelius 2. ad Timoth. cap. 2. num. 109. & 110. & ex aduerſariis, Zumel tomo 1. variarum diſput. pag. 89. §. *Moueor.* & pag. 98. §. *Quinto.*

## *Obiectiones Nauarrete.*

529. *Obijcit primò.* Obiicies primò ex Nauarrete hîc, controu. 56. §. 3. vbi ita arguit primò, ſeu potius contra nos obloquitur. *Non caret aliqua præſumptionis nota, ſtatuere nouam concordiam liberi arbitrij cum diuina præſcientia; quam tamen Patres noſtri, & antiqui Doctores inuenire non potuerunt: vel ſi inuenerunt modum, quem iſti authores moderni iam audacter conſtituunt, ipſum reiecerunt, vt patet ex Proſpero, & Hilario, & alijs. Vnde multò melius authores antiqui probauerunt libertatem noſtram ex præſcientia Dei abſolutè loquendo, quàm ſi talis præſcientia non eſſet abſoluta, ſed conditionata, & expectaret Deus noſtrum liberum arbitrium, & determinationem eius ad ſciendum, quid futurum eſſet in ipſo.* Eamdémque nouitatem non minùs contumelioſè obiicit Cabrera tomo 3. in 3. p. *Cabrera.* quæſt. 62. art. 1. d. 12. §. 3. num. 61. & 62. vbi habet verba etiam communia cum Nauarrete. Multò modeſtius Machin diſp. 35. ſect. 2. initio, dicens tamen in fine ſect. 1. ſe aliquando publicè docuiſſe, ac defendiſſe noſtram ſententiam. *Machin.*

*Reſpondetur.* Reſpondeo, iam ſupra n. 525. & 526. ſufficienter oſtendi, quo modo non ſit noua concordia, quam defendimus. Et de Proſpero, Hilario, & aliis, ſatis, ſupérque probatum eſt ſupra, nihil prorſus habere contra nos. Quòd autem noſtra induſtria, qua ſacrarum litterarum, & omnium Patrum, & Scholaſticorum, præſertim S. Thomæ certam ſententiam, non tamen fusè, ac diſtinctè traditam, clarius, atque vberius in medium expoſuimus occaſione nouiſſimi dogmatis de arbitrio libero ad vtrumlibet, & tamen ad vnum abſque prædeterminato vocetur *præſumptio, & audacia*, quàm verè, ac modeſtè dictum ſit, ſapientum eſto iudicium. Certè mirabile valde eſt, hæc dici poſſe ab iis, qui concordiam libertatis, hoc eſt, indifferentiæ ad vtrumlibet, tradunt per prædeterminationem ad vnum, ad libitum primæ cauſæ. Quæ concordia vel ipſis terminis apertiſſimam diſcordiam demonſtrat. Et non ſolùm eſt noua negatiuè, quia antiquitatem non ſapit; ſed etiam poſitiuè, quia cum tota pugnat antiquitate, quæ prædeterminationem cum libertate ſemper abominata eſt; vt latiſſimè demonſtraui in dub. 17. Præterea quod additur de antiquis authoribus, probantibus noſtram libertatem ex præſcientia abſoluta, neſcio in quo vero, ac bono ſenſu ſcribi potuerit. Præſcientia Dei abſoluta multis olim Gentilibus, atque Hęreticis fuit occaſio negandi libertatem, ſed nulli vnquam Theologo fuit, aut eſſe potuit probandæ libertatis argumentum. Nónne omnes penè Patres ſupra art. 8. clamant, liberos actus noſtros non eſſe liberè futuros, quia præſciuntur à Deo, ſed contra, ideo præſciri à Deo, quia ſunt liberè futuri; ita vt ſi per impoſſibile non præſcirentur, adhuc eſſent futuri? ergo nullus rectè poteſt ex præſcientia probare libertatem. Neque nos ex præſcientia conditionata probamus ſimpliciter libertatem; ſed ſolùm probamus, vi præſcientiæ conditionatæ poſſe Deum efficaciter, & infallibiliter prædefinire actus liberos abſolutè futuros. Demum illam Dei expectationem, quam ſæpiſſimè nobis obiiciunt arguens, & alij ſimiles, nullius planè eſſe momenti, & maximè in æquiuoco laborare, patet ex dictis ſupra num. 149. & 292. *Quid antiqui de cõcordia libertatis.* Demum quod hæc concordia non fuerit ab antiquis ſatis explicata, teſtatur Aureolus 1. d. 39. quæſt. 1. art. 3. propoſit. 2. initio dicens, *eſt mihi res diu, multúmque quæſita; nec ab vllo hactenus ſatis diligenter, ac firmiter expedita.* *Aureol.* *Caietan.* Idémque multò poſt teſtatus eſt Caietanus infra quæſt. 22. art. 4. §. *Ad hanc dubitationem*; vbi loquens de concordia noſtræ libertatis cum prouidentia Dei, ait, *Nihil ſcriptum reperi in S. Thoma, quoniam nullibi eum mouiſſe hanc recolo. In alijs quoque Doctoribus nihil hactenus comperi ad quæſtionem iſtam.* Quæ eſt, inquit initio dubitationis, *valde ardua, & fortè ab humano intellectu inſolubilis.* Quod tandem fatetur in fine illius Commentarij.

Arguit ſecundò, *euidenti ratione*, vt ipſe ait, quia 530.
nos liberam arbitrij determinationem ſubtrahimus à Dei prædeterminatione: ergo ab origine omnis perfectionis. *Obijcit ſecundò.* *Quò fit*, inquit, *vt ſi Deus relinqueret hominem in manu conſilij ſui, taliter quòd abſque concurſu diuino ipſe homo poſſet liberè exercere quodcũque opus, hæc libertas non haberet tantam perfectionem, atque illa, quæ de facto ponitur ex prædeterminatione Dei, & concurſu eiuſdem.* Idem argumentum ferè ad verbum proponit Cabrera tom. 3. in 3. p. q. 62. ar. 1. d. 12. §. 2. n. 46. *Cabrera.*

Reſpondeo, liberam determinationem noſtram ſubtrahimus quidem à prædeterminatione diuina, non autem à concurſu diuino, quæ duo in progreſſu argumenti non bene confunduntur, quod non ſemel in ſuperioribus oſtenſum eſt. *Reſpondetur declarando modum, quo actus liberi pendẽt à prima cauſa.* Nego igitur primam conſequentiam, quia origo perfectionis libertatis non eſt in prima cauſa decretum prędeterminans ad vnum, quo planè deſtruitur libertas, & indifferentia ad plura, ſed eſt decretum indeterminatum, & indifferens ad plura, iuxta natu-



ralem

ralem conditionem, & exigentiam cauſæ ſecundæ liberæ. Secunda verò conſequentia, ſi intelligitur ex hypotheſi impoſſibili de ſubtractione liberorum actuum *à concurſu diuino*, vt ſimpliciter loquitur arguens, eſt falſa; tunc enim libertas noſtra non ſolùm haberet perfectionem, quam de facto habet, ſed aliam multò maiorem, & planè diuinam. Si autem intelligitur de ſubtractione à concurſu diuino, non ſimpliciter, ſed ſolùm prædeterminatiuo, quo modo intelligi ab arguente, patet ex vltimis verbis obiectionis propoſitæ, vbi indifferenter vtitur nomine prædeterminationis, & concurſus, tunc hypotheſis non eſt impoſſibilis. Imò impoſſibile omnino eſt, cum dependentia à decreto, & concurſu primæ cauſæ prædeterminante, cauſam ſecundam liberè operari ex perfectione libertatis ſimpliciter.

531. *Obijcit tertiò.*

Arguit tertiò, *Deus tribuit homini liberum arbitrium, & conſeruat ipſum: ergo propria operatio eiuſdem liberi arbitrij potius tribuitur præſcientiæ, & prædeterminationi diuinæ, quàm ipſi arbitrio.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, negando conſequentiam; imò ex antecedente ſequitur totum oppoſitum, quod manifeſtè docuerunt Iuſtinus, Origenes, Hieronymus, Cyrillus, Auguſtinus, Damaſcenus, Euſebius, Boëtius, citati ſupra art.8. à num.48. ad 54. his acutiſſimis cauſalibus concordiam noſtræ libertatis explicantes, non ideo futurum, quia Deus præſcit: ſed ideo Deus præſcit, quia futurum.

532. *Obijcit quartò.*

Arguit quartò, *Scientia media non eſt perfectè libera: ergo non poteſt intelligi, quomodo ab ea proueniat actibus creatis perfecta libertas.* Et eodem modo, imò iiſdem penè verbis arguit Cabrera tom.3. in 3.p. q.62. art.1. d.12. §.2. n.45.

Cabrera.

*Reſpondetur, liberum operandi vſum non cauſari à ſcientia media.*

Reſpondeo, hoc argumento ſupponi, quòd noſtri Theologi aſſerant, libertatem noſtrorum operum cauſari ex præſcientia conditionata illorum. Quod à nullo hactenus dictum eſt, niſi à nouis Thomiſtis contendentibus ſupra art. 8. res à Deo cauſari per ſcientiam viſionis. Noſter igitur liber vſus non cauſatur à ſcientia media, ſed potius illam quodammodo cauſat, nempe terminatiuè, cum ad illam præſupponi debeat, vt loco citato latè declaratum eſt. Quod autem contendimus, eſt, non poſſe ſaluari libertatem cum prædefinitionibus diuinis noſtrorum actuum abſolutè futurorum, niſi præſuppoſita in Deo ſcientia media; non quia hæc libertatem operandi cauſat, ſed potius quia præſupponit. Concedo igitur totum argumentum.

533. *Obijcit quintò.*

Arguit quintò, in controuerſia 62. concluſ. 1. Si ſcientia media eſſet neceſſaria ad diuinam prouidentiam, hæc, ciúſque infallibilitas, *dependeret à cauſa libera extrinſeca: ergo Deus, ex ſe ipſo, non poteſt habere infallibilem prouidentiam circa liberas creaturas. Quod quàm falſum ſit quiſque facilè poteſt videre. Quid enim apparentiæ habet dicere, quòd vt Deus prouideat circa res futuras, indiget cognitione ipſarum ſecundùm quod ſunt aliquid extra Deum?* Idem abſurdum affert Cabrera ſupra §.3. n.66.

*Reſpondetur, prouidentiam Dei non pendere, ſed præſupponere ſcientiã mediam.*

Reſpondeo, antecedens impropriè, & inſufficienter loqui. Impropriè quidem, quia diuinam prouidentiam dicit, *dependere*. Ex eo quod prærequirat ſcientiam mediam, non ſequitur, *dependere ab extrinſeco*, ſed ſolùm, *præſupponere extrinſecum*. Quod nullum eſt abſurdum. Vnde S.Thomas citatus ſupra num.508. tamquam rem prorſus indubitatam pronunciauit, ad infallibilitatem ſcientiæ Dei, eſſe præſupponendam aliquam infallibilitatem in obiecto ſcito: & ideo futura contingentia ſciri non poſſe in ſuis cauſis, ſed in ſe ipſis, quia non in cauſis, ſed in ſe ipſis habent infallibilitatem. Inſufficienter verò, quia dicit ſolùm, prouidentiam pendere *à cauſa libera extrinſeca*. Sufficienter, & ingenuè dicendum fuiſſet, cognitio Dei, prouidens effectus liberos abſolutè futuros à cauſa extrinſeca libera, præſupponit eoſdem effectus, non vt abſolutè futuros, ſub qua ratione cauſantur, non præſupponuntur à prouidentia, ſed vt futuros ſub conditione, & conſequenter, eorum præcognitionem conditionatam. Quod tam certum eſt debere præſupponi ad prouidentiam liberæ creaturæ, quàm certum eſt, debere præſupponi libertatem creaturæ, quæ per prouidentiam eſt liberè dirigenda. Quare ſi in conſequenti, illud, *ex ſe ipſo*, ſignificat, nullo præſuppoſito libertatis vſu, ne futuro quidem ſub conditione, concedenda eſt conſequentia. Et ratio hoc dicendi non eſt apparens, ſed realiter vera, ac manifeſta: quia ſi Deus ex ſe ipſo, & per ſuum decretum prędeterminans ad vnum, nullo habito reſpectu ad id, quod liberè futurum eſſet, vel non eſſet, ſub his vel illis conditionibus, prouideret infallibiliter de actibus liberis abſolutè futuris, noſtram libertatem deſtrueret: &, vt acutè diſtinguit Leſſius de gratia cap.19. num.14. *Hoc eſſet, Deum facere magis potentem, quàm prouidum, & circumſpectum.*

Leſſius.

534. *Obijcit ſextò cũ Cabrera.*

Arguit ſextò ibidem, ſicut etiam Cabrera ſupra à num.64. vſque ad 76. *Si Deus indigeret cognitione illa media, fieret conſequens, vt quando præfinit auxilium conferendum, expectet illam, qua cognoſcuntur actus in particulari, quia ſunt in ſe ipſis: & conſequenter, quòd ex vi ipſius præfinitionis non cognoſcat tales actus niſi in communi. Et hoc eſt, quod maximè reprehenditur in iſto authore,* nimirum Molina, *& alijs; quòd ſcilicet teneant, Deum debere expectare, quid in rebus creatis fiendum ſit, vt prouideat in particulari: & conſequenter quòd conſiderata tali prouidentia, ſecundùm quod per illam dirigit Deus res, conformiter ad ſuam præfinitionem, non poteſt diſponere in particulari, ſed ſolùm decernere auxilium conferendum in communi, quatenus ſufficiens eſt; expectando ab ipſis creaturis liberis efficaciam talis auxilij; quod eſt imaginarium prorſus, imò execranda imaginatio.* Quam ſtatim tribuit præclariſſimis Theologis Suarez, & Cardinali Bellarmino.

*Reſpondetur notãdo multos defectus obiectionis.*

Reſpondeo, in hoc argumento multa ſunt, quæ probari non poſſunt. Primò malè vtitur verbo, *indigeret*. Deus non indiget ſcientia media, ſicut nec in omnium opinione dicendus eſt, indigere ſcientia viſionis. Solùm creatura libera, propriè indiget ſcientia media, vt eius liberi actus præfiniri poſſint à diuina voluntate. Secundò perperam quoque dicitur, decretum Dei prædefiniens *expectare* ſcientiam mediam. Non expectat, ſed præſupponit: ita vt ſit in Deo ſcientia media, v.g. ſaluandi Iudam, ſine decreto; ergo potius ſcientia media expectat decretum, quàm decretum ſcientiam mediam. Tertiò, quando de noſtra opinione refert, per ſcientiam mediam cognoſci actus in particulari, *quia ſunt in ſe ipſis*, diminutè, & æquiuocè loquitur: addendum erat, *quia ſunt in ſe ipſis futuri ſub conditione*: ne quis putare poſſet, quod ad noſtræ opinionis infamiam intendi videtur, actus liberos ſupernaturales habere in ſe ipſis in particulari eſſe abſolutè futurum, ante præfinitionem diuinæ voluntatis. Quartò ex media ſcientia liberorum actuum in particulari conditionaliter futurorum, ſine vllo prorſus veritatis colore deducit, *Deum ex vi præfinitionis non cognoſcere tales actus, niſi in communi.* Deus præſuppoſita ſcientia media, qua



præcognoſcit tales actus in particulari ſub conditione futuros, non poteſt quidem, ex vi ſequentis præfinitionis, eos cognoſcere ſub conditione futuros, poteſt tamen cognoſcere vt abſolutè futuros: quia præfinitio cauſat actus liberos in particulari, tantùm vt abſolutè futuros; ſed vt conditionaliter futuros nõ cauſat, ſed præſupponit. Si arguens, ita diſtinctè, atque integrè, prout ſinceri diſputatoris fidelitas poſtulat, ſententiam noſtram retuliſſet, fortaſſe à maledictis temperaſſet; vel ſi ea ſcripſiſſet, à quouis irrideri facillimè poſſent. Quintò igitur cum Molinam, & reliquos omnes maximè reprehendit, iterum imperfectè, & falsò refert ex noſtra ſententia, *Deum expectare quid in rebus fiendum ſit, vt prouideat in particulari.* Nos autem dicimus, Deum, vt prouideat, & infallibiliter decernat res in particulari abſolutè futuras, non expectare, ſed præſupponere, & infallibiliter præcognoſcere, non quid in rebus abſolutè faciendum ſit, ſed ſolùm quid conditionaliter faciendum eſſet. Sextò hinc falsò infert, *Deum non poſſe præfinire, & diſponere in particulari*: falſitas oritur ex defectu diſtinctionis. Non diſtinguitur inter obiectum ſcientiæ mediæ, quod eſt futurum contingens conditionatum in particulari; & inter effectum prædefinitionis, qui eſt futurum contingens abſolutum in particulari. Illud à prædefinitione præſupponitur, non cauſatur; hoc contra, à præfinitione cauſatur, non præſupponitur. Septimò eadem falſitate infert, Deum ſolùm decernere auxilium conferendum in communi, quatenus ſufficiens eſt. Decernit in particulari, & cum ſumma efficacia, atque infallibilitate, antecedenter habita per præſcientiam mediam, vt ſupra dub.21. Octauò denique, falsò nobis tribuit, Deum expectare efficaciam auxilij à creaturis. Eam habet auxilium à diuina ſcientia media, vt ſupra dub.21. ſed quoniam ſcientia media habet pro obiecto præſuppoſito creaturam conditionatè futuram, hanc quoque efficacia præſupponat neceſſe eſt: tamen non præſupponit vt cauſam efficaciæ, ſed vt obiectum præſcientiæ. Quæ obiectiua præſuppoſitio cauſa fuit, vt Molina aliquando ſcripſerit, efficaciam haberi ex effectu, ſiue euentu conditionaliter futuro; ſed intelligendus eſt, haberi præſuppoſitiuè, non cauſaliter, ſeu formaliter, quia ille effectus debet præſupponi, vt efficacia in auxilio conditionato cauſetur formaliter à ſcientia media.

*Declaratur Molina.*

## *Obiectiones Zumel, & Verdu.*

535. *Obijcitur ex Zumel.*

Obiicies ſecundò ex Zumel 1.p. quæſt.14. art.1. d.vnica, concluſ.3. *Non eſt tutum in fide, dicere, libertatem arbitrij noſtri non poſſe conciliari, niſi per hanc ſcientiam mediam.* Hunc fidei articulum, quem ipſe primus ſua authoritate condidit, ita probat. *Quia de fide eſt quòd multa ſcit Deus abſque vlla hypotheſi, quia ipſe per determinationem liberam ſuæ voluntatis ita decreuit fore: ſicut eſt conuerſio Pauli, quæ prædefinita eſt à Deo vt futura eſſet, & vt liberè exerceretur à Paulo, abſque vlla hypotheſi, quam iſti conſtituunt.* Idem eſſe ait de omnibus actibus liberis Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, confirmatorum in gratia; de conuerſione Latronis, Magdalenæ, &c. *in quibus ſaluatur libertas ſine iſta ſcientia media.*

*Reſpondetur, nullum actũ liberum abſolutè futurũ ſciri poſſe abſque ſcientia media.*

Reſpondeo, negando aſſumptum, & ad illius probationem, nego antecedens, modo iuxta materiam, de qua diſputamus, intelligatur de actibus liberis abſolutè futuris à cauſis ſecundis liberis: quos ſciri poſſe abſque præcedente ſcientia media, ſi non contra fidem, ſaltem eſt euidenter contra naturale rationis lumen. Quia nullius actus liber poteſt eſſe à voluntate libera, niſi præcedente aliqua conditione, in illum aliquo modo influente; ſaltem præcedere debent obiecti propoſitio, diſpoſitiones, atque inclinationes ſubiecti; & in operibus ſupernaturalibus, auxilia gratiæ, quæ Deus operatur in nobis ſine nobis. Sicut igitur non poteſt eſſe actus liber abſolutè futurus, niſi dependenter ab aliqua abſoluta conditione, ita neque futurus conditionaliter, niſi dependenter ab eadem conditione vt conditionata. Quod clariſſimè cernitur in ipſiſmet exemplis, quæ pro ſe affert Zumel: nam antequam Deus prædefiniuit, vt Paulus liberè conuerteretur, ignorare ſanè non potuit, quòd Paulus cum his auxiliis conuerteretur, cum aliis non: quæ eſt ſcientia conditionata, & media, antecedens abſolutam. Et ita Matth. 11. & Lucæ 10. de facto præſciuit, quòd cum illis miraculis conuerterentur Tyrij, non conuerterentur Iudæi. Et idem dicendum de Chriſto, aliíſque in obiectione adductis. Alia obiectio ex Zumel habetur ſupra num.491. ratione 9. & ſoluitur numero 494.

Matth.11. Luc.10.

536. *Obijcitur ex Verdu. Primò.*

Obiicies tertiò cum Verdu, S.Thomam de Verit. quæſt.6. art.3. vbi ex iis, quæ habentur poſt medium corp. notat contra nos primò, quia S.Thomas ait, *Difficile videtur concordare infallibilitatem prædeſtinationis cum libertate arbitrij.* Hinc Verdu ita arguit, *Si conſulto per ſcientiam mediam vſu arbitrij, hunc potius quàm alium eligit, abſque difficultate omnia conciliarentur.* Secundò, quia S.Thomas ait, *Non poteſt dici, quòd prædeſtinatio ſupra certitudinem prouidentiæ nihil aliud addit, niſi certitudinem præſcientiæ: ſic enim prædeſtinatus non differret à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ euentus: & ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis; nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis: quod eſt contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.* Nos autem contra aſſerimus, inquit Verdu, *Quòd ſtante æquali auxilio, imò ſtante maiori in reprobo, & minori in electo, hic ob præſcientiam boni vſus prædeſtinaretur: & ita prædeſtinatio D.Petri, & reprobatio Iudæ, ſolùm à diuino decreto penderent quoad exercitium, non quoad ſpecificationem: nam ſi in quouis ordine rerum fuit Iudas præſcitus repugnaturus, imprædeſtinabilis erat: imò & ſi in aliquo præuideretur conſenſurus ex vſu arbitrij, & non ex decreto Dei, prædeſtinatio in illo ordine quoad exercitium penderet à Dei voluntate, & non quoad ſpecificationem. Nec enim prædeſtinabilis diceretur per poſſibile efficax auxilium voluntatis diuinæ, ſed ex vſu arbitrij.* Præterea ex noſtra ſententia infert duo abſurda: alterum, *Quod qui, quantum eſt ex parte ordinantis Dei per auxilia, minus ordinatur ad gloriam, eſſet electus, & prædeſtinatus: ille autem qui amplioribus auxilijs ordinaretur à Deo, eſſet reprobatus.* Alterum, quia ſi in præſcientiam mediam reuocatur certitudo prædeſtinationis, & præſcientia diſtinguit prædeſtinatos à non prædeſtinatis, electi omnes dicendi eſſent præſciti. Tertiò, quia S.Thomas, Scriptura, & Sancti omnes, cum explicant difficultatem conciliandi libertatem cum efficacia auxilij, *ad diuinam omnipotentiam ſe recipiunt.*

*Secundò.*

*Tertiò.*

537. *Reſpondetur, explicãdo locum S.Thom. q.6. de Verit. art.3.*

Reſpondeo, nihil ex S.Thoma loco citato, poſſe contra nos colligi, niſi confundantur termini, vt non bene intelligatur, aut non fideliter referatur ſententia noſtra. Verè enim nihil aliud intendit ibi S.Thomas, niſi homines non prædeſtinari ad gloriam poſt abſolutam præſcientiam bonorum operum, ſed prius per efficax, & abſolutum Dei decre

decretum eligi, & ordinari ad gloriam, deinde præſciri opera abſolutè futura. Quod nos non negamus, & non eſt ad rem; & tamen arguens ſemper accipit S. Thomam vt loquentem de præſcientia conditionata. Quod eſt manifeſtè falſum: quia abſolutè eam explicat, tum poſt medium corporis, illis verbis, *Hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute.* tum ad 6. *Veritas prædeſtinationis, & præſcientiæ reſpicit futurum, vt eſt præſens.* Igitur in particulari.

*Ad primum.* Ad primum, concordia libertatis per ſcientiam mediam, habet multas, & acutas difficultates, vt omnes ingenuè teſtari poſſunt, & qui eam impugnant, & qui defendunt. Verùm Verdu non ex noſtro, ſed ex ſuo ingenio perperam addit, *per ſcientiam mediam hunc potius quàm alium eligi.* Hunc effectum Paulus, & Auguſtinus ſemper referunt in altitudinem diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, cuius incomprehenſibilia iudicia, & inueſtigabiles viæ ſunt. Per ſcientiam mediam ſolùm habetur, vt is, quem Deus puriſſima, ac ſapientiſſima ſua miſericordia ſegregare vult à maſſa perditionis, poſſit antecedenter ad omnem effectum abſolutè futurum, dirigi infallibiliter per libera, ac meritoria opera ad intentum gloriæ finem.

538. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, ſententiam, quam ibi S. Thomas confutat, eſſe à noſtra diuerſiſſimam. Sic enim illam declarat, *vt ſi dicatur, quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium; ſed hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute.* Noſtra autem fatetur, prædeſtinatos, & non alios, ad ſalutem ordinari per certiſſimum decretum eligens, ac prædefiniens finem, & per media prorſus infallibilia. Hæc autem præſupponere præſcientiam conditionatam mediam, non qua abſolutè ſcit, quòd prædeſtinatus *non deficiet à ſalute,* ſed qua ſcit conditionatè, *quòd non deficeret à ſalute, ſi his vel illis auxilijs præueniretur.* Quam conditionatam ſcientiam S. Thomas non negat, ſed tamquam indubitatam ſupponit, & aliquando concedit, vt ſupra à num. 222. ad 217. Et cum illa bene ſtant omnia, quæ ibi S. Thomas docet de prædeſtinatione, nempe, *prædeſtinatum differre à non prædeſtinato ex parte ordinis,* ſcilicet antecedentis abſolutam præſcientiam. Item, *prædeſtinationem eſſe per electionem prædeſtinantis,* quæ nimirum electio præcedat præſcientiam abſolutam. Item, *præſcientiam non eſſe cauſam prædeſtinationis.* Quod inconueniens habet locum, ſi electio prædeſtinantis eſſet poſt abſolutam præſcientiam operũ meritoriorum; tunc enim propter iſta opera abſolutè præuiſa in his, non in aliis, moueretur Deus ad eligendum, ſeu prædeſtinandum hos, & non alios. Non habet autem locum in præſcientia conditionata antecedente electionem: opera enim conditionatè futura, per illam præſcientiam præuiſa, habere nequeunt rationem meriti, vel demeriti, vt cum Auguſtino in ſuperioribus non ſemel notatum eſt contra Semipelagianos. Et ſanè, cum per ſcientiam mediam Deus præuiderit de prædeſtinatis, quòd ſi haberent alia auxilia, non ſaluarentur, & non eſſent prædeſtinati; & de non prædeſtinatis, quòd per alia auxilia ſaluarentur, & eſſent prædeſtinati, dici nulla ratione poteſt, ſcientiam mediam eſſe cauſam prædeſtinationis, aut non prædeſtinationis.

Hinc apparet, quàm falſa ſint quæ ex ſe addit Verdu. Etenim primò, nimis confusè refert, nos tenere, vnum cum æquali, vel etiam cum minori auxilio conuerti, alium cum maiori non conuerti. Hoc verum eſt de auxiliis materialiter ſpectatis ante præſcientiam conditionatam, quando nullum auxilium eſt efficax, ſed omnia ſunt ſimpliciter ſufficientia: falſum de iiſdem auxiliis formaliter ſpectatis vt ſubſtant præſcientię conditionatę: tunc enim quæ dantur prædeſtinatis, habent efficaciam, & infallibilem connexionem cum effectu; non autem quæ dantur non prædeſtinatis. Et ideo auxilium reſpectu abſolutè futurorum, ſemper eſt multò maius ſimpliciter in eo, qui conuertitur, quàm in eo, qui non conuertitur. Secundò, falſiſſimè aſſerit, quòd in noſtra ſententia, *homo ob præſcientiam boni vſus prædeſtinaretur,* vt declaratum eſt ſupra, confundit præſcientiam abſolutam cum conditionata; quæ confuſio familiaris eſt omnibus aduerſariis noſtris. Tertiò, eadem falſitate nobis tribui, quòd prædeſtinatio Petri, & reprobatio Iudæ non pendeant à diuino decreto quoad ſpecificationem: Deus enim ex libera ſua voluntate, quamuis miſericordiſſima, ac iuſtiſſima, decreuit ex ſe, & non ex aliqua cauſa aut præſcientia eligere Petrum, & non Iudam. Nego igitur Iudam eſſe imprædeſtinabilem; quia omnipotenti Deo, qui, vt docet Auguſtinus lib. de correptione, & gratia, cap. 14. circa medium, *ſine dubio habet humanorum cordium, quò placet inclinandorum, omnipotentiſſimam poteſtatem;* deeſſe non poteſt modus inducendi Iudam, aut quemlibet alium multò peiorem, ad bene operandum. *Quis enim,* inquit idem Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. circa medium, *audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt?* Quartò denique, falsò repetit, homines prædeſtinari ex vſu arbitrij, non ex decreto diuino, & efficaci auxilio.

*Auguſtinus.*

Præterea ex noſtra ſententia non ſequi primum abſurdum, patet ex modò dictis de differentia auxiliorum. Nec ſequitur ſecundum, quia falsò nobis imponit, *præſcientiam diſtinguere prædeſtinatos à non prædeſtinatis.* Scientia media, vt dixi, æquè communis eſt omnibus, & in vnoquoque præuidet bona, & mala. ergo ipſa per ſe non ſatis eſt ad diſtinguendum; ſed hæc diſtinctio facienda eſt per diuinam electionem, & prædeſtinationem; vnde electi, & prædeſtinati, non omnes præſciti.

Ad tertium, cauſam concordiæ libertatis, eſſe quidem diuinam omnipotentiam, tamen nimis remotam, & vniuerſalem. Nos autem proximam, & particularem cauſam inquirimus. Certè hanc reddere ex prædeterminatione liberi arbitrij, eſt contra S. Thomam hoc eodem loco, contra nos citatum, vt interim omittam alia. Enimuerò docet, difficultatem concordandi infallibilitatem prædeſtinationis cum libertate arbitrij, oriri ex eo quòd, *in prædeſtinatione cauſa proxima, ſcilicet liberi arbitrij, non producit effectum niſi contingenter.* quod paulò poſt iterum repetit. At operari cum prædeterminatione ad vnum, & operari contingenter, ſunt res oppoſitæ, vt ex doctrina huius articuli probaui ſupra num. 5. Vel ſi non opponuntur, quid quæſo difficultatis cogitari poteſt in iſta concordia? Deus ſuo libero decreto facillimè poteſt liberum arbitrium prædeterminare ad vnam partem; quod vt taliter prædeterminatum non poteſt ſe mouere ad partem oppoſitam, imò non ſe mouere ad partem prædeterminatam: ergo ceſſat planè omnis difficultas de incertitudine prædeſtinationis, non ſolùm ex parte cauſæ primæ, ſed etiam ex parte cauſæ proximæ, ex parte cuius etiam aduerſarij ponunt in prædeſtinatione prædeterminationem, & certitudinem: apertè reclamante S. Thoma in fine corporis, his verbis, *Si ergo conſi-* 539. *Ad tertium.*

*Concordia libertatis nõ eſt ex prædeterminatione.*



*conſideremus ſalutem reſpectu cauſæ primæ, ſcilicet liberi arbitrij, non habet certitudinem, ſed contingentiam; reſpectu autem cauſæ primæ, quæ eſt prædeſtinatio, habet certitudinem.* Præterea modus, quo S. Thomas declarat, ſaluari infallibilitatem prædeſtinationis, non obſtante contingentia, ac fallibilitate arbitrij, manifeſtè contradicit prædeterminationi arbitrij ad vnum. Ait enim illum eſſe, quia Deus cum libero prędeſtinati arbitrio, potente deficere à ſalute, tot auxiliis concurrit, vt cum deficit vnum, adhibeat aliud, & hoc rurſus deficiente, adhibeat tertium, & ſic de aliis, vſque ad aliquod auxilium, quod non deficiet: *diuina prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant, vno deficiente.* Quæ auxiliorũ ſucceſſiua variatio, & quædam quaſi inquiſitio, & experimentalis applicatio ad inueniendum auxilium efficax, eſſet planè ridicula, ſi ſupponatur cum aduerſariis, liberum arbitrium cum auxilio prædeterminante eſſe infallibiliter conſenſurum, & cum omni alio auxilio non prædeterminante eſſe infallibiliter diſſenſurum; tanta ſcilicet infallibilitate, vt in cauſa, auxilio prædeterminante præmota, videat Deus infallibiliter conſenſum futurum; non præmota autem illo auxilio, videat futurum diſſenſum. Maneat igitur hunc S. Thomæ locum, in quo Verdu multum confidit, eſſe potius contra ipſum.

## *Obiectiones Gonzalez.*

540. *Probat per ſcientiã mediã tolli prædeſtinationẽ. Primò.* Obiicies quartò ex Gonzalez hîc, d. 45. ſect. 3. & primò intendit probare, *præſuppoſita ſcientia media, ſpecialiorem prouidentiam, & prædeſtinationem Dei, neceſſariam non eſſe ad finem ſupernaturalem conſequendum cum effectu.* Quod conſequens abſurdum eſſe, probat primò ex Auguſtino lib. de Hæreſibus. 88. vbi referens hæreſim Pelagianorum, ait, *Hi Dei gratiæ, qua prædeſtinati ſumus, in tantum inimici ſunt, vt ſine hac poſſe hominem credant facere omnia diuina mandata.*

*Secundò.* Probat ſecundò ex Trident. ſeſſ. 6. can. 22. definiente, *Iuſtificatum, ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare non poſſe.* Conſequentiam verò probat, quia poſita ſcientia media, hæc eſt vera, *Si Petrus crearetur, & darentur ei auxilia communia ordinis gratiæ, quæ dantur omnibus, ille ſaluaretur.* ergo ad ſalutem neceſſaria non ſunt auxilia ſpecialiora, nec conſequenter, ſpecialior

*Confirmatur.* prouidentia, & prædeſtinatio. Confirmat, loquendo *de Petro abſolutè ordinato ad ſalutem,* & inquirendo à nobis, *An neceſſaria ſit ſpecialior prouidentia intra ordinem gratiæ, ſeu prædeſtinatio, vt Petrus re ipſa ſaluetur, vel non ſit neceſſaria? Si ſecundum, habetur intentum: ſi primum, ergo conditionalis ſupra aſſumpta, falſa erat.*

*Reſpondetur explicãdo neceſſitatẽ prædeſtinationis.* Reſpondeo, in ſpecialiori prouidentia, & prædeſtinatione, eſſe duo. Primum, dationem auxiliorum ſimpliciter, vi quorum homo eſt ſimpliciter conſenſurus, & perſeueraturus. Secundum, decretum antecedenter prædefiniens, vt abſolutè cónſentiamus, & perſeueremus; & actum intellectus proponentis, & ordinantis, ſeu dirigentis auxilia, ac media vt infallibilia, hoc eſt, habentia infallibilem, & antecedentem connexionem cum conſenſu, & perſeuerantia abſolutè futura. Hac diſtinctione habita, dico, ex ſcientia media non ſequi, non eſſe neceſſariam ſpecialiorem prouidentiam, & prædeſtinationem, quoad primum; nempe quoad dationem eorumdem auxiliorum ſimpliciter, ſeu quoad totam eorum entitatem in ſe extra Deum, quam de facto habent per actus ſpecialis prouidentiæ, & prædeſtinationis diuinæ: ſed ſolùm ſequi, non eſſe neceſſariam quoad ſecundum, nempe, quoad decretum prædefiniens, & ordinationem auxiliorum vt infallibilium, & efficacium; vt cum Suárez contra Machin notaui ſupra n. 414.

*Ad primum.* Neque contra hoc eſt Auguſtinus ſupra, quia apertè loquitur de gratia, qua prædeſtinati ſumus, non de prædeſtinatione. Quamuis enim Deus vt prædeſtinet Petrum, dare debeat illi gratiam, qua conditionatè præuidit illum conſenſurum, & perſeueraturum; non aliam, qua præuidit oppoſitum; qua ratione vocatur ab Auguſtino gratia prædeſtinationis, ſeu, *qua prædeſtinati ſumus;* tamen ſi illa daretur ſine prædeſtinatione, adhuc Petrus vi illius conſentiret, & perſeueraret.

*Ad ſecundũ.* Neque Tridentinum ſupra, tum quia loquitur de facto, ſecundùm ordinatam noſtræ ſalutis inſtitutionem; ſecundùm quam ad perſeuerandum vſque in finem requiruntur & auxilia infallibilia, eorúmque ordinatio per intellectum, & prædefiniens decretum per voluntatem: tum quia loquitur ſolùm de prædeſtinatione quoad primum conceptum, hoc eſt, de ipſis auxiliis in ſe, nos autem loquimur de particularibus actibus intellectus, & voluntatis Dei, quibus illa dantur.

Ad probationem conſequentiæ, negandum ſimpliciter eſt, conditionalem illum ſequi ex ſcientia media. Enimuerò media quoque ſcientia non prȩuidet conditionatum Petri conſenſum ex quacumque gratia, quæ ſibi, vel aliis communiter dari poteſt; ſed præuidet, quòd Petrus cum hac gratia eſſet conſenſurus, cum alia eſſet diſſenſurus: ergo illa conditionalis, quam nobis tribuit Gonzalez, *Si Petrus crearetur, & darentur ei auxilia communia ordinis gratiæ, quæ dantur omnibus, ille ſaluaretur;* falſa ſimpliciter eſt, etiam in ſententia noſtra. Dico, *ſimpliciter,* quia ſi Gonzalez per auxilia communia, quæ dantur omnibus, intelligit auxilia non efficacia in actu primo, quo modo vt obiectum præcedunt ſcientiam mediam, ab eáque intelliguntur recipere efficaciam, ſiue infallibilitatem, tamquam effectum, vt ſupra dub. 21. admitto illam conditionalem: ſed ex ea nihil aliud ſequitur, niſi efficaciam eſſe neceſſariam, non ad habendum effectum ſimpliciter, ſed ſolùm ad habendum effectum infallibiliter.

*Ad confirmationem.* Ad confirmationem, *de Petro abſolutè ordinato ad ſalutem,* loqui poſſumus, vel prout de facto eſt, & ita eſt neceſſaria prædeſtinatio; vel prout poteſt intelligi, & ita non eſt neceſſaria prædeſtinatio; ſed ſicut ante ſcientiam mediam Petrus intelligitur futurus conditionaliter ſaluus abſque prædeſtinatione, ita abſque eadem prædeſtinatione intelligi poteſt futurus abſolutè ſaluus; ſi nimirum darentur abſolutè Petro auxilia illa gratiæ, ſub quibus præuiſus conditionatè eſt futurus ſaluus.

Obiicies quintò ex eodem ſupra num. 26. Prædeſtinatio eſt cauſa effectus ſupernaturalis abſolutè futuri: ergo idem effectus, vt conditionatè futurus, prȩſciri non poteſt niſi dependenter à prȩdeſtinatione: quia veritas effectus conditionatè futuri, nimirum perfectè, & adæquatè futuri, pendere debet ab omnibus cauſis eiuſdem effectus abſolutè futuri. 541. *Obijcitur ex Gonzalez.*

*Reſpondetur.* Reſpondeo, prędeſtinationem eſſe quidem cauſam conuenientiſſimam de facto, non tamen neceſſariam de abſoluta potentia, vt ſupra num. 414. circa finem explico, & teneo cum Suarez, & infra in proprio loco clarius oſtendam.

Obiicies ſextò ex eodem num. 27. probante, *voluntatem efficacem, & abſolutam finis non eſſe compoſſibilem cum ſcientia conditionata media;* quam tamen 542. *Obijcitur ex eodem.*

volun

voluntatem nos reſpectu prædeſtinatorum, de facto admittimus poſt ſcientiam mediam. Sic arguit, *Si in Deo præſupponitur voluntas illa abſoluta finis, qua efficaciter vult, vt Petrus credat, hæc voluntas abſoluta, & efficax non poteſt non habere rationem cauſæ prærequiſitæ, & efficacis reſpectu illius actus fidei: ac proinde talis actus, etiam vt futurus ſub conditione, in ſuo ordine præſupponit illam voluntatem efficacem Dei.* ergo ſcientia de tali obiecto conditionato non eſſet media, ſed omnino libera, quia præſupponeret liberum illum actum diuinæ voluntatis. ergo ſcientia media eſt incompoſſibilis cum voluntate Dei prædefiniente actus abſolutè futuros.

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, ex eo quòd voluntas abſoluta, & efficax, interueniat vt cauſa reſpectu effectus abſolutè futuri, non ſequitur quòd eadem interuenire debeat vt cauſa reſpectu eiuſdem effectus futuri ſub conditione. Et ratio eſt, quia illa, vt diximus, non eſt cauſa omnino neceſſaria reſpectu effectus ſecundùm ſe conſiderati: nam actus, v.g. fidei, ſecundùm ſe conſideratus, poteſt ſufficienter fieri à creatura intellectuali libera, habente neceſſaria gratiæ auxilia, & ſubiecta decreto indifferenti primæ cauſæ, de concurrendo ad duo oppoſita, iuxta liberam determinationem creaturæ. Et totum hoc præcisè, eſt obiectum ſcientiæ mediæ. Dixi, *ſecundùm ſe conſideratus*; nam quòd deinde idem actus in quantum abſolutè futurus, præfiniri debeat vt finis, prius quàm intelligatur Deus velle dare medium infallibile ad illum finem conſequendum; vel primò hoc non eſt ſimpliciter neceſſarium, nam licèt illud medium ſit infallibile reſpectu talis finis, tamen non habet puram rationem medij ad talem finem, ſed poteſt ordinari, & appeti, vt medium reſpectu alterius finis; ſicut tentatio ſub qua præuiſus conditionaliter eſt Petrus peccaturus, vt ſtat ſub præſcientia conditionata, eſt medium infallibile ad peccandum, tamen eam Deus efficaciter, & abſolutè vult, non vt medium ad peccandum, ſed vt medium dandi occaſionem pugnę, & victoriæ, & meriti; ita poſſet Deus medium gratiæ, infallibile ad credendum, dare non ex præcedente voluntate fidei, ſed ex alia voluntate, v.g. oſtendendi diuitias gratiæ ſuæ, vel miſericordiam, vel potentiam, &c. Vel ſecundò, ſi hoc eſt neceſſarium, talis neceſſitas non eſſet ex parte obiecti, ſed ſolùm ex parte ſubiecti, ſeu Dei dantis; qui cum non poſſit præſcire fidem conditionatè futuram ſub tali gratia, niſi efficiendo illam gratiam medium infallibile ad habendam illam fidem; fortaſſe etiam, quod infra q.23. art.1. à n.60. diligentius examinabitur, ob perfectionem ſui modi operandi, non poteſt velle efficaciter dare medium infallibile ad aliquod bonum conſequendum vt finem, niſi ex efficaci intentione dandi illum finem. Sed ad hoc vt intelligatur talis voluntas prędefiniens non ingredi eſſentialem conceptum obiecti conditionati, præcedentis ſcientiam mediam, quo tantùm dicitur, *Si Petrus haberet talé medium, non neceſſariò, ſed contingenter, & fallibiliter inducens ad credendum, ille liberè, ac fallibiliter crederet*; ſatis eſt vt concipiamus illud medium dari Petro per impoſſibile, vel caſu, vel etiam abſque vlla voluntate Dei: tunc enim purificata conditione, ita eſſet abſolutè futura fides, ſicut præuiſa eſt futura ſub conditione: ergo prædeſtinatio non requiritur ex parte effectus ſecundùm ſe, ſed ſolùm ex parte Dei, ob peculiarem modum ſuum operandi. Et ideo optimè Suarez 1.p.lib.1. de prædeſtinatione, cap.7. fin. ita limitat, ac diſtinguit. *Omnia principia neceſſaria ad talem actum, poſſunt poni abſque præfinitione abſoluta ipſius actus, quantum eſt ex parte actus ſecundùm ſe ſpectati. Vnde illa etiam omnia ſub conditione poſita, abſque alia præfinitione, vel poſita, vel in conditione incluſa, ſufficiunt vt præſcire poſſit Deus, quid eſſet operatura voluntas, ſi talis conditio poneretur. ergo ad futuritionem talis effectus, ex parte eius, non eſt neceſſaria talis præſcientia. Eſt tamen neceſſaria illa præſcientia ad diuinam præfinitionem, ex parte ipſius Dei.*

*Quo modo præfinitio ſit, vel nõ ſit neceſſaria.*

*Eſt neceſſaria ex parte Dei, non ex parte effectus.*

Suarez.

543. *Obijcitur ex Gonzalez.*

Obiicies ſeptimò ex eodem, num.28. probante, *ſcientiam mediam eſſe incompoſſibilem cum præparatione auxiliorum efficacium*; quam tamen efficaciam, ex probatis ſupra dub.21. habent auxilia à pręſcientia media. Sic arguit, *Poſita præſcientia media de actu credendi, tunc ille effectus deberet eſſe futurus ſub conditione, quòd Deus vocaret Petrum tali tempore, vocatione congrua, & efficaci.* Sed hoc obiectum ſupponit efficaciam, ſiue infallibilem connexionem ex vi illationis conſequentis ex tali antecedenti, ergo ſupponit liberum, & efficax Dei decretum: ergo ſcientia, quæ circa hoc obiectum verſatur, non poteſt eſſe ſcientia media: ergo hæc eſt incompoſſibilis cum efficacia diuinæ gratiæ.

*Reſpondetur explicãdo obiectũ, & effectum ſcientiæ mediæ.*

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem ex dictis ſupra dub.11. Si ille effectus accipiatur ſecundùm id, quod, vt obiectum, præſupponitur ſcientiæ mediæ, nego in illo includi vocationem vt efficacem, hoc eſt, vt infallibiliter habituram effectum; ſed ſolùm, vt ſimpliciter habituram effectum. Si verò accipiatur non vt formaliter obiectum ſcientiæ mediæ, ſed vt formaliter effectus illius, hoc eſt, ſecundùm id, quod recipit à ſcientia media, prout illi ſubſtat, terminando illam, concedo maiorem, quòd ſcilicet in illo effectu includatur efficacia. Sed tunc ad minorem dico, efficaciam præſupponi, non ad ſcientiam mediam, ex qua prouenit, ſed ad decretum abſolutum, quod efficacem vocationem poſtulat, vt proportionatum medium, ad infallibiliter conſequendum finem, à ſe efficaciter intentum. Vnde omnes conſequentiæ falſæ ſunt.

544. *Obijcitur ex eodem.*

*Quo modo ſit, vel nõ ſit neceſſaria efficacia medij ad finem.*

Obiicies octauò ex eodem à num.29. Vocatio, vt formaliter efficax, eſt neceſſaria cauſa conſenſus ſupernaturalis, abſolutè futuri; ergo etiam vt futuri ſub conditione. Probat conſequentiam, *quia à quo dependet, tamquam à cauſa requiſita, futurum abſolutum, pendet etiam ſub hypotheſi futurum conditionatum.* Antecedens verè, & acutè diſtinguitur à Suarez ſupra, de neceſſitate *ad effectus vt ex prædeſtinatione fiant*, non autem *ad effectus, qui prædeſtinantur, per ſe ſpectatos.* Cui ego addo, idem magis explicando, infallibile medium efficacis vocationis reſpectu finis, ſiue effectus, abſolute futuri, eſſe omnino neceſſarium, non propter effectum ſecundùm ſe, qui ad hoc vt ſimpliciter, & abſolutè fiat, poſtulat quidem auxilium ſupernaturalis vocationis, & gratiæ, tamen non poſtulat in hoc auxilio, vt à ſcientia media præcognoſcatur, & fiat efficax: ſed propter Deum dantem illud auxilium, etiam ſi daret tale medium abſque vlla prædeſtinatione, ſeu abſoluto, & antecedente decreto efficaci dandi finem; quia cum ante abſolutam voluntatem dandi medium, non poſſit non ſcire Deus, quòd ſi daretur tale medium, haberetur talis finis; qua præſcientia conditionata media habetur neceſſariò in medio efficacia, ſeu infallibilis connexio cum fine, non poterit ſequens diuina voluntas, quocumque modo velle producere medium, & non velle producere medium efficax, & infallibile.

545. *Vocationem efficacem eſſe neceſſariã ad effectum ſimpliciter: probat Gonzalez primò.*

Igitur antecedens, in ſenſu, quo à Suarez, & à me negatur, nempe, *vocationem efficacem, in quantum eiuſmodi, eſſe neceſſariò requiſitam ex parte effectus, id eſt, vt ille ſimpliciter fiat*, incipit probare Gonzalez *validiſſimis teſtimonijs*, vt ipſe ait. Primò affert illud ad Rom.11. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo, & in hoc tempore, reliquiæ, ſecundùm electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt.* Et alia verba citat ex Scriptura, SS. Auguſt. & Thom. quæ non neceſſe eſt referre, quia manifeſtè non probant propoſitum, cum ex illis nil aliud colligatur, niſi de facto dari gratiam ſpecialem, & efficacem, qua electi, & prędeſtinati perducuntur ad ſalutem. Et tamen propoſitum erat probare, hanc efficaciam eſſe neceſſariam propter effectum, non propter electionem, & prædeſtinationem Dei. Verba verò Pauli cum dicant, iſtam gratiam eſſe, *ſecundùm electionem*, non obſcurè, contra ipſummet arguentem, ſignificant neceſſitatem gratiæ ſpecialis per ordinem ad efficacem Dei electioné, ac prædeſtinationé; quod nos intendimus.

*Reſpondetur.*

546. *Probat 2.*

Secundò affert teſtimonia Auguſtini, in quibus eſt, inquit, *vis magna*, & omnia reuocat ad hunc diſcurſum *in forma*, vt ipſe ait. *Gratia congrua, in quantum eiuſmodi, eſt neceſſaria vt Deo vocanti conſentiamus. At gratia præueniens, quæ neceſſaria eſt vt Deo vocanti conſentiamus, debet antecedere conſenſum noſtrum, vt futurum ſub conditione: ergo vt ſit verum tale conditionatum, in eius antecedenti debet includi gratia congrua, in quantum eiuſmodi.* Fateor me in hoc diſcurſu ex quatuor terminis non videre formam.

*Reſpondetur.*

Sed relinquendo hoc negotium Logicis, ad maiorem dico, quòd gratia congrua (quæ pro nunc cum ipſomet arguente ſumatur vt eſt eadem cum gratia efficaci) vt eſt gratia præueniens, quo modo vocatur in minore, eſt neceſſaria antecedenter ad conſenſum ſecundùm ſe, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè futurum: ſed vt eſt formaliter congrua, & efficax, eſt quidem neceſſaria ad conſenſum, vt fiat infallibiliter ex diuina prædeſtinatione, & ex parte Dei; non autem vt fiat ſimpliciter, & ex parte ipſius conſenſus ſecundùm ſe ſpectati. Quod vltimum probare ſumpſerat Gonzalez.

*Declarantur multa Aug. teſtimonia.*

Et probat ex verbis Auguſt. lib. de gratia Chriſti cap.10. & lib. de prædeſtinatione Sanctorum c.8. & lib. de Bono perſeuerantiæ c.14. vbi non negamus, Auguſtinum loqui de gratia ſpeciali, & congrua; & docere, eam eſſe neceſſariam vt Deo vocanti conſentiamus, ſcilicet vocanti ſecundùm propoſitum, & prædeſtinationem, conſentiamus infallibiliter, non autem vt ſimpliciter vocanti, ſimpliciter conſentiamus; quod erat probandum, ſed verè probari non poteſt: tum quia Paulus, & Auguſtin. vt notaui ſuprà num. 313. vocationem congruam, appellant frequentiſſimè *vocationem ſecundùm propoſitum*; indicantes, efficaciam in vocatione eſſe neceſſariam per ordinem ad efficaciam diuinæ voluntatis prædeſtinantis infallibiliter conſenſum: tum quia Auguſtinus lib. de correptione, & gratia cap.12. fin. explicans gratiæ efficaciam, docet illã eſſe, qua *infirmitas voluntatis humanæ indeclinabiliter, & inſeparabiliter agitur.* Non dixit ſimpliciter, *agitur.* Quocirca Gonzalez ad probandum intentum, fruſtra ita arguit num.33. *Si numquam conſentimus Deo vocanti, niſi datum fuerit nobis hoc ſpeciale donum; manifeſtum eſt illud eſſe neceſſarium, vt Deo vocanti conſentiamus.* Verùm hoc ita vniuerſaliter, & confusè pronunciatum, non negatur, & non eſt apud nos in controuerſia. Erat diſtinctè probandum, quod num.29. contra Suarez diſtinctè probandum ſuſceperat, vocationem efficacem eſſe neceſſariam vt conſentiamus ſimpliciter, propter ipſum ſupernaturalem conſenſum, per ſe ſpectatum; & non ſolùm propter conſenſum vt prædeſtinatum, & cauſatum à Deo. Et quoniam ab iſto modo cauſandi Deus de facto non præſcindit, mirum eſſe non debet, quòd de facto nunquam ſine ſpeciali dono cõſentiamus Deo vocanti; quamuis cum eodem dono, etiam ſi non eſſet ſpeciale, ſi per impoſſibile, vel per poſſibile nobis à Deo daretur, eumdem conſenſum ſimpliciter elicere poſſimus, & de facto eliceremus. Cum eadem inſufficientia manifeſtè procedunt multæ aliæ obiectiones, quas Gonzalez ex Auguſtino congerit vſque ad num.38. & ideo illis referendis tempus, ac paginas terere non eſt operæ pretium. Satis ſit in paucis præcipuis membris totius probationis inefficaciam perſpexiſſe.

*Totius cõtrouerſiæ finis.*

Atque hæc ſufficiant de diuina præſcientia futurorum contingentium, tam abſoluta, & extrema, quàm conditionata, ac media; atque adeo de vniuerſa materia huius art.13. de qua, ob celeberrimæ controuerſiæ nouitatem, difficultatem, grauitatémque; & omnium Theologorum hinc inde vehementiſſimè contradicentium multitudinem, atque diſcordiam propemodum infinitam, neceſſe fuit fuſiſſimè ſcribere: non quidem animo offendendi, ſed defendendi ſtudio, ex zelo grauiſſimæ veritatis; quam indignum ſanè eſt, vel obſcuritatibus obtegi; vel nimia breuitate non apparere, vel omnium contrariorum argumentorum fideliſſima narratione, atque exactiſſima diſſolutione omiſſa ſuſpectam, incertámque reddi; vel æquiuocationibus confundi; vel falſitatibus opprimi. Saltem huius prolixitatis fructus erit, omnia vtriuſque ſententiæ ſiue bona, ſiue mala clariſſimè, ac diſtinctiſſimè aperuiſſe, vt hinc ſinceri, ac prudentes rerum æſtimatores veritatem ipſam, quam omnes par eſt in Domino quærere, facilius cernere, atque amplecti queant.

## ARTICVLVS XIV.

### *Vtrùm Deus cognoſcat enuntiabilia.*

### Ad decimumquartum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non cognoſcat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Declaratur titulus articuli. num.1.*
2 *Probatur pars affirmatiua articuli. num.2.*
3 *Explicatur modus, quo Deus ſcit enuntiabilia. n.3.*

COMMENTARIVS.

1. *Quo modo ſumantur enũtiabilia.*

ENVNTIABILIA hîc ſumuntur formaliter, non obiectiuè, vt patet ex arg. *Sed contra.* & ratione articuli; hoc eſt, ſumuntur pro actibus formalibus, quibus per ſecundam intellectus operationem iudicamus, & per vocales propoſitiones enuntiamus, aliqua eſſe inter ſe vel compoſita, vel diuiſa; non pro rebus ipſis, circa quas verſantur iudicia, & propoſitiones. Eodémq; modo ſumũtur ab Alenſi p.1.q.23.art.5. Albert.1.d.39.ar.5. Ægid. d.38.p.2.q.2. Riccard. ar.1.q.4. Durand. q.2. & aliis.

Alenſis. Albert. Ægidius. Riccard. Durand.

2. *Prima concl. affirmatiua.*

Prima concluſio ſimpliciter affirmatiua eſt de fide, nam pręter vniuerſalia teſtimonia allata ſupra art.5.n.1. & art.6.n.3. quibus docemur, Deum cognoſcere omnia vniuerſaliſſimè, in Scriptura paſſim legimus, Deum ſcire omnes cogitationes, & quicquid eſt in homine; & ſcrutari corda, & ſimilia, quibus clarè comprehenduntur in particulari

omnes actus intellectuũ creatorum. Ratio S.Thomæ eſt, *Formare enuntiabilia eſt in poteſtate intellectus noſtri; ſed Deus ſcit quicquid eſt in poteſtate creaturæ, vt ſupra dictum eſt: ergo neceſſe eſt, quòd Deus ſciat omnia enuntiabilia, quæ formari poſſunt.*

3.
*Secũda concl. de modo, quo Deus ſcit enuntiabilia.*
Secunda concluſio. *Deus ſcit enuntiabilia non per modum enuntiabilium, quòd ſcilicet in intellectu eius ſit compoſitio, vel diuiſio enuntiabilium: ſed vnumquodque cognoſcit per ſimplicem intelligentiam.* Ita S.Thomas hîc, cum omnibus ſupra citatis. Enuntiabilia igitur Deus cognoſcit *incompletè*, vt loquitur Albertus ſupra, vel *non enuntiabiliter*, vt loquitur Ægidius ſupra initio corporis, vel *non componendo, & diuidendo*, vt loquuntur S.Thomas 1. contra gent. cap.58. Ægidius ſupra ad 1. Riccardus, & Durandus ſupra. Probat S.Thomas dupliciter. Primò à ſimili: *ſicut ſcit materialia immaterialiter, & compoſita ſimpliciter; ita ſcit enuntiabilia*, vt bene exponit hîc Caietanus, *non enuntiando, ſed intuendo*; hoc eſt, per vnicum ſimpliciſſimum

*In quo conſiſtat imperfectio noſtri iudicij.*
actum. Nos autem enuntiamus, ſeu iudicamus imperfectè, nempe, vt rectè explicat S. Thomas, *diuiſim, ſecundùm quamdam ſucceſſionem.* hoc eſt, prius vno actu per primam operationem apprehendimus ſubiectum, & alio actu per eamdem operationem primam apprehendimus prædicatum, & deinde iudicamus, prædicatum eſſe, vel non eſſe in ſubiecto: vel ſi per primam operationem apprehendimus ſimpliciter prædicatum in ſubiecto, vel extra ſubiectum; tamen, quia hæc noſtra apprehenſio eſt imperfecta, neceſſe eſt poſtea formare alium intelligendi actum, quo quaſi reflexè iudicemus, & feramus quamdam veluti ſententiam, ita verè eſſe, ſicut per priorem actum erat ſimpliciter apprehenſum: vt in Logica fuſius explicauimus. Enunciatio enim, vt ex Philoſopho bene probat Ægidius ſupra, *ſine pluralitate conceptuum, vel intellectuum eſſe non poteſt.* Secundò afferẽdo huius diſcriminis rationem à priori: quia ſpecies noſtræ intelligibiles, cum ſumantur à rebus, quæ & ſeorſim, & ſucceſſiuè applicantur, atque agunt, ſunt limitatæ, *& ſic repræſentant vnum, quòd non repræſentant aliud*, vt ratiocinatur etiam Albertus ſupra ad primum; ſed ſpecies intellectus diuini, ſcilicet eius eſſentia, eſt ſimpliciſſima, & omnia eminentiſſimè continens, ac repræſentãs, & eſt ſemper perfectiſſimo modo applicata illi intellectui in perfectione intelligendi prorſus illimitato: ergo ſicut diuina ſpecies ſemper, & ſimul, & ſimpliciſſimè repræſentat omnia; ita diuinus intellectus per vnum ſimpliciſſimum, ac perfectiſſimum actum, ſemper, & ſimul intelligit omnia.

Aureol.
Contra hunc articulum quædam obiicit Aureolus 1.d.35.q.4.art.4.inquiſitione 4.quę bene, ac

Capreol.
facilè ſoluit Capreolus ibid. q.2. art. 2. in reſponſionibus ad argumenta contra quartam, & ſextam concluſionem; & ideo apud ipſum legi poſſunt.

---

## ARTICVLVS XV.

### *Vtrùm ſcientia Dei ſit variabilis.*

Ad decimumquintum ſic proceditur. Videtur quòd ſcientia Dei ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Exponitur ſenſus quæſtionis. num.1.*

2 *Scientiam Dei eſſe inuariabilem tam in ſe, quàm reſpectu ſuorum obiectorum. à num.2.ad 6.*

3 *An Deus poſſit plura ſcire quàm ſciat. n.6.ad 9.*

4 *An Deus antea neſciat, & poſtea ſciat. n.8.*

5 *An quicquid Deus ſciuit, ſciat. n.9.*

6 *An ſit in noſtra poteſtate vt Deus videat hoc, & non aliud. num.10.*

7 *An poſſimus mutare ſcientiam Dei. num.11.*

### COMMENTARIVS.

QVÆRI poteſt primò, facilius de re ipſa. Secundò, difficilius de quibuſdam loquendi modis. Igitur, vt rem aggrediamur, cum in ſcientia Dei, per ſe conſiderata, nil aliud ſit, niſi actus diuini intellectus, eiúſque ſpecies, circa obiectum primarium, & ſecundarium, variabilitas illius eſſe poſſet vel in ſubſtantia ipſius actus, vel in ſpecie intelligibili, vel in obiecto primario, vel in obiecto ſecundario. Et ſi probatum fuerit, in nullo horum eſſe variabilitatem, remanebit perfectè probata concluſio negatiua articuli, quæ eſt omnium Theologorum, eam probantium ex illo Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*; vt hîc in argum. *Sed contra*, & eſt adeo certa, vt Hugo Victorinus in ſumma ſentent.tract.1.cap.12. aliquanto poſt principium, ita pronunciauerit, *Dicit authoritas, quod eius ſcientia non poteſt augeri, nec minui.* 1. *Declaratur ſenſus quæſt.* Iacobi 1. Hugo de S.Vict.

Prima concluſio. Scientia Dei, abſolutè conſiderata quoad omnia ipſius intrinſeca eſt prorſus inuariabilis. Hoc ſolùm intendere videtur S.Thomas in breuiſſimo corpore huius articuli, vbi, *ſcientiam Dei omnino inuariabilem eſſe*, non aliter probat, niſi quia, *ſcientia Dei eſt eius ſubſtantia, quæ eſt omnino immutabilis.* Ex quibus duobus principiis probatis ſupra art. 4. & in primo tomo quæſtione 9. ſufficienter conſtat veritas huius concluſionis. 2. *Prima concl. negatiua quoad intrinſeca.*

Secunda concluſio. Scientia Dei, reſpectiuè conſiderata per habitudinem ad obiectum primarium, eiúſque ſpeciem intelligibilem, eſt eodem modo inuariabilis. Hoc etiam neceſſariò ſequitur ex probatis ſupra art.2.3.& 4.de obiecto primario, & ſpecie ſcientiæ Dei, quòd nihil aliud ſint niſi ipſamet diuina eſſentia, quæ, vt dictum eſt, nullam variabilitatem pati poteſt. 3. *Secũda concl. negatiua reſpectu obiecti primarij.*

Tertia concluſio. Scientia Dei, reſpectiuè conſiderata per habitudinem ad obiecta ſecundaria, vt poſſibilia, ſub quo formali reſpectu denominata eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt etiam omnino inuariabilis. Hoc æquè certum eſt apud omnes, quia creaturæ vt poſſibiles maximam habent neceſſitatem, atque inuariabilitatem, ita vt neque tranſire poſſint ab impoſſibilitate ad poſſibilitatem, neque à poſſibilitate ad impoſſibilitatem, cùm nec eſſe poſſint plures, nec pauciores quàm ſunt; vnde per ſe pertinent & ad comprehenſiuam notitiam, qua Deus ſe ipſum perfectè cognoſcit, vt ſupra quæſt.12. art.7. & ad generationem diuini Verbi, quod procedere etiam ex cognitione poſſibilium, Deo fauente probabimus cum S.Thoma infra quæſt.34. art.1. ad 3.& art.3. & quæſt.37.art.2.ad 3.in noſtro tertio tomo. Et de hac ſcientia ſimplicis intelligentiæ loquens expreſsè S.Thomas 1.d.39.art.2.corp.ait, *Deum non poſſe ſcire aliquid aliud ab his, quæ ſcit.* Idémque tenent Altiſiodorenſis lib.1. ſummæ cap.8. quæſt.2. Alenſis 1. part. quæſt.23. membro 4. art.5. Albertus 1.p.ſummæ tract.15.q.60. memb.4.art.1. circa finem. Bonauentura 1. d.39. art.1. q.3. Durandus quæſt.1. 4. *Tertia concl. negatiua reſpectu obiecti ſecũdarij poſſibilis.* S.Thomas. Altiſiod. Alenſis. Albert. Bonauent. Durand.



Baſſolus.
quæſt.1.num.10. Baſſolus quæſt.vnica, art.2.& alij omnes.

5.
*Quarta concluſio negatiua reſpectu actualium. Proponuntur duæ difficultates concluſionis.*
Quarta concluſio. Scientia Dei, reſpectiuè conſiderata per habitudinem ad obiecta ſecundaria vt actualia, ſub quo formali reſpectu denominata eſt ſcientia viſionis, eſt propriè inuariabilis. Hoc tantùm habet aliquam in re difficultatem. Primò, quia creaturæ, vt actuales, nullam habent neceſſitatem, cum per liberam Dei voluntatem de eſſe poſſibili, ſeu de non eſſe actuali tranſierint ad eſſe actuale; vnde nec ad comprehenſionem Dei, nec ad Verbi proceſſionem pertinere poſſunt, vt ſupra. Secundò, quia in ipſa actualitate variabiles ſunt, cùm aliquando ſint futuræ, aliquando præſentes, aliquando præteritæ. Verùm

*Soluitur prima difficultas.*
ex primo ſequitur ſolùm, prædictam habitudinem ad creaturas, vt actuales, potuiſſe eſſe, vel non eſſe in ſcientia Dei; ac proinde ſcientiam Dei potuiſſe eſſe, vel non eſſe ſcientiam viſionis; quod Hugo

Hugo de S.Vict.
de S.Victore lib.1.de Sacrament.part.2.cap.16.docuit illis verbis, *Si res futuræ non fuiſſent, fuiſſet quidem ſcientia in Creatore, præſcientia autem non fuiſſet.* Hoc autem neque in aliqua intrinſeca perfectione ſcientiæ ponit mutationem aut contingentiam, cum prædicta habitudo ſit ſolùm per extrinſecam terminationem ad extrinſecum terminum, vt ſupra art.8.à num.135. Neque in ipſamet extrinſeca habitudine præcisè ponit mutationem, ſed ſolam contingentiam, vt explico in 1. tomo quæſt.9. art.1. num.11. & ad hoc propoſitum ap-

S.Thomas.
plicat S.Thomas 1.d.39.quæſt.1.art.2. in fin.corp. docens, quod cùm verè dicitur, ſcilicet non coniunctim, ſed diuiſim, Deum poſſe per viſionem ſcire quod non ſcit, & per voluntatem velle quod non vult, deſignatur poteſtas libertatis, & non mu-

*Soluitur ſecunda difficultas.*
tabilitas ſcientiæ, aut voluntatis. Ex ſecundo autem ne in ipſa quidem extrinſeca ſcientiæ habitudine oritur variatio; nam ex variatione entium actualium, quæ ſunt obiecta ſcientiæ viſionis, *non ſequitur*, inquit S.Thomas hîc, ad 2. *quòd Dei ſcientia ſit variabilis, ſed quòd cognoſcat rerum variabilitatem.* & ſtatim optimè probat, *quia quicquid eſt; vel poteſt eſſe ſecundùm aliquod tempus; Deus in æterno ſuo ſcit.* hoc eſt, in ſua æternitate, in quantum ſcit per cognitionem æternitate illa menſuratam: vnde hoc *ſcire in æterno ſuo*, ſtatim explicat per *ſcire ab*

*Deũ ab æterno, & inuariabiliter ſcire tẽporalia, & variabilia.*
*æterno.* Scientia igitur Dei, nõ ſolùm quoad actum, ſed etiam quoad extrinſecam terminationem ad creaturas vt actuales in hac vel illa differentia temporis, & cum hac vel illa reali earum mutatione, eſſe debet ab æterno, alioqui non eſſet intrinſecè in ſe omnino perfecta, & infinita: quia quod hodie incipit eſſe actu præſens, heri, & antea, & antea in infinitum, & conſequenter ab æterno, erat ſcibile vt futurum hodie actu præſens: quare ſi non actu ſciretur, non eſſet ex defectu ſcibilis, ſed ex aliquo intrinſeco defectu ſcientię, vel ſcientis; quamuis enim habitudo, ſeu terminatio ſcientiæ ad ſcibile, ſit extrinſeca, tamen fundatur in aliqua intrinſeca ſcientiæ perfectione, ob quam illi debet neceſſariò conuenire poſito ſcibili: vnde ſi non conueniat, eſt à poſteriori euidens ſignum defectus perfectionis intrinſecæ: ergo ab æterno & perfectiſſimo Dei intellectu non potuit, non ſemper, & inuariabiliter in æternitate actu ſciri. Si enim prædicta terminatio fuit æterna, non potuit non durare per totam æternitatem; nec etiam poſt æternitatem, poteſt in quacumque differentia temporis deſinere eſſe; quia tunc diuinus intellectus tranſiret de ſciente in ignorantem, quæ eſt imperfectio Deo indigniſſima, ergo ſcientia Dei etiam prout viſionis, licèt dici poſſit libera, ſeu potius indifferens, atque contingens, in quantum potuit eſſe vel non eſſe creatura vt viſibilis, & conſequenter ſcientia vt viſionis; tamen dici nulla ratione poteſt propriè variabilis, ſeu mutabilis; quia obiectum ſuum viſibile ſciuit, imò non potuit non ſcire ſtatim ac vt tale ſciri, & videri potuit, hoc eſt, ab æterno; & non potuit incipere ſcire quod antea non ſciuit; nec contra, incipere non ſcire quod antea ſciuit: quæ eſt propriiſſima, ac maxima ſciendi inuariabilitas, ſiue immutabilitas. Atque hæc de re, nunc de modo loquendi ſit.

Quinta concluſio. Dici poteſt, quòd Deus per ſcientiam viſionis poſſit plura ſcire quàm ſciat, loquendo de potentia remota, ſeu mediata. Dici etiam contra poteſt, quòd Deus per ſcientiam viſionis non potuit plura ſcire quàm ſciat, loquendo de potentia proxima ſiue immediata. Ita diſtinguo ad concilianda duo dicta S. Thom. hîc, in reſponſione ad 2. quæ videntur contraria. Primum eſt, *ex hoc, quòd Deus poteſt plura facere quàm facit, non ſequitur, quòd poſſit plura ſcire quàm ſciat, niſi hoc referatur ad ſcientiam viſionis.* vbi planè concedit, Deum per ſcientiam viſionis poſſe plura ſcire quàm ſciat, quæ eſt prima pars huius concluſionis. Secundum eſt, *non debet concedi, quòd Deus poſſit plura ſcire quàm ſciat.* & cùm apertè loquatur de illis pluribus, quæ non ſolùm poſſunt eſſe, ſed etiam quæ actu ſunt, *& ponuntur eſſe ſecundùm quodcumque tempus*, debet intelligi etiam de ſcientia viſionis, de qua expreſsè idem docet de Veritate quæſt.2.art.13.ad 5.& 1.d.39.quæſt.1. art.2. corp. & non de ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ: & hæc eſt ſecunda pars concluſionis, quæ concluſio eſt etiam Altiſiodorenſis libro 1. ſummæ cap.8. quæſt. 2. Alenſis 1. part. quæſt.23. membro 4. art. 5. & quæſt.24. membro 7. initio. Alberti 1.d.39.art.1.fin.& 1.part.ſummæ, tract.15. quæſt.60. membro 4. art.1. circa fin. & quæſt.61. membro 6. Ægidij 1. d. 39. quæſt.1. circa finem corp.& quæſt.2. Riccardi art.1.quæſt.2. & 3. Durandi quæſt.1. num.10. Bonauenturæ art.1. quæſtione 3.& omnium Thomiſtarum, & interpretum S.Thomæ. 6. *Quinta concluſio de modo loquẽdi in hac materia.* *Concliantur duo dicta S.Thomæ.* Altiſiod. Alenſis. Albertus. Ægidius. Riccard. Durand. Bonauent.

Prima pars rectè dicitur à S. Thom. ſequi ex illa veriſſima propoſitione, *Deus poteſt plura facere quàm facit*: ſic enim euidenter argui poteſt. Quæ à Deo actu fiunt, ſciuntur actu per ſcientiam viſionis; ergo quæ à Deo poſſunt actu fieri, poſſunt actu ſciri per ſcientiam viſionis, licèt actu ſciantur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Sed à Deo poſſunt actu fieri plura quàm actu facit; ergo à Deo poſſunt per ſcientiam viſionis plura ſciri actu quàm actu ſcit. Hanc autem potentiam vocaui *remotam, & meditatam*, quia non eſt in ſcientia Dei niſi ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis: in illo enim priori rationis ſigno, ſicut intelligitur Deus indeterminatus, & indifferens ad volendum tot, quot de facto voluit, & non plura, vel pauciora; ſed poſſe velle vel plura, vel pauciora quàm de facto voluit; ita etiam ſcientia Dei intelligi debet indifferens ad videndum tot, ſed poſſe videre plura, vel pauciora. Hæc igitur videndi potentia in ſcientia Dei, qua potentia ſcientia Dei denominari poteſt ſcientia viſionis, tunc intelligitur immediata, & proxima, ſeu perfectè completa, cùm adſunt omnia neceſſariò prærequiſita ad actu videndum, ſiue ad actualem terminationem circa obiectum actuale viſibile; quæ ſunt liber 7. *Deum poſſe plura ſcire quàm ſciat.* *Declaratur duplex potẽtia ſcientiæ viſionis ad ſciendum.*

diuinæ voluntatis actus, qui eſt cauſa actualitatis creaturæ, & ipſamet creatura vt actualis, quæ præſupponi debet ad ſcientiam viſionis, tamquam obiectum, vt ſupra art.8. Quando verò hæc non adeſſe intelliguntur, eadem potentia concipienda eſt vt remota, & mediata; hoc eſt, non poſſe in actum extrinſecæ ſuæ terminationis exire, niſi poſita prius libera voluntate Dei, & futuritione, ſiue actualitate creaturæ.

*Deum in alio ſenſu nō poſſe pluræ ſcire, quàm ſciat.* Aureol.

8\. Hinc patet ſecunda pars concluſionis, quam tantùm probat ratio Aureoli 1.d.39.quæſt.1.art.4. §. *Tertio verò.* & non improbat primam partem, quia in toto tempore non poſſunt eſſe actu futura plura, quàm actu futura eſſe Deus liberè voluit ab æterno: ergo hac libera Dei voluntate poſita, quando iam habetur in ſcientia Dei, proxima, atque immediata potentia videndi res futuras, ſeu ſcientiæ viſionis rerum futurarum, non poteſt Deus per ſcientiam viſionis ſcire plura quàm actu ſcit: hæc enim propoſitio, *Deus poteſt plura ſcire quàm ſciat*, vt iuxta hunc ſenſum ratiocinatur S.Thomas ſupra, *implicat, quòd antea neſciuerit, & poſtea ſciat.* Quod, rectè inquit Albertus 1.d.39.art.7. *videtur mihi quòd non ſit concedendum.* Quæ ratio niſi intelligeretur de potentia proxima, non haberet vim, neque veritatem: quia ſcientia Dei conſiderata remotè vt præcedit omnem actum liberum diuinæ voluntatis, in illo priori rationis ſigno, verè neſcit, ſeu non ſcit creaturas vt futuras, & actuales, quia ſcilicet in illo ſigno vt tales non ſunt ſcibiles. At verò proximè conſiderata poſt voluntatem Dei, & actualitatem creaturæ, iam eſt ita diſpoſita, vt concipi nequeat in aliquo ſigno non ſcire, & poſtea ſcire. ergo tunc ſcientia viſionis ſpectata ſub tali formali complemento in actu primo, non poteſt plura ſcire quàm ſciat: tunc enim ſolùm implicaretur illud, quod, tamquam abſurdum, implicari docuit S.Thomas, & proponitur etiam ab Altiſiodorenſi ſupra, nempe, *Deum aliquid antea neſcire, & poſtea ſcire.* Si enim poſitis omnibus neceſſariò prærequiſitis ad ſciendum, adhuc dicitur Deus poſſe ſcire plura quàm ſciat, ergo Deus poteſt non ſcire omnia, quæ actu, & proximè ſcibilia ſunt: ergo ea ipſa, quæ actu ſcit, poteſt antea neſcire, & poſtea ſcire: quæ eſt manifeſta imperfectio intellectiua. Quos duos ſenſus ſignificaſſe videtur S.Thomas de Veritate quæſt.2. art.13. ad 5. cum docet, *Quòd cum dicitur, Deus poteſt ſcire quod neſcit, loquendo etiam de ſcientia viſionis, eſt falſum in ſenſu compoſito; non enim poteſt vtrumque horum eſſe ſimul, vt ſcilicet Deus neſciuerit aliquid, & poſtea ſciat illud: eſt autem verum in ſenſu diuiſo.* Vbi ſenſus compoſitus refertur ad potentiam proximam, ſenſus diuiſus ad potentiam remotam. Et cum dicitur, *Deus poteſt ſcire plura quàm ſciat*, implicari ſenſum compoſitum, ibidem probat, quia per illud, *plura, importatur comparatio ad præexiſtentia*; quæ ſcilicet præexiſtant vt actu, & proximè ſcibila, ſicut ea, quæ ſcire dicitur, & tamen neſciat. Per hanc igitur proximam potentiam dici verè non poteſt Deus poſſe ſcire plura, quia, vt ibidem diſcurrit in ſexto argumento, quod concedit, *Si Deus poſſet plura facere quàm potuit, eius potentia augeretur, minueretur autem ſi poſſet pauciora: ergo eadem ratione, ſi plura ſciret quàm priùs ſciuiſſet, augeretur ſcientia eius. Quod*, inquit Albertus 1.d.39.art.1.fin. *nefas eſt dicere.*

S.Thomas. Albert. *An Deus antea neſciat, & poſtea ſciat.* S.Thomas.

*Sexta concluſio.*

9\. Sexta concluſio. Hæc propoſitio, *Quicquid Deus ſciuit, ſcit, non eſt vera, ſi ad enunciabilia referatur*, hoc eſt, ad ipſas propoſitiones, quas Deus ſcit: eſt autem vera, ſi referatur ad actum ſcientiæ diuinæ. Ita S.Thomas hîc ad 3. & ſecundam partem eſſe ex prædictis verbis ſubintelligendam rectè aduertit Syluest.1.p. conflati, quæſt.14.art.18. ad 3. Primam partem S.Thomas notat contra *antiquos Nominales*; in quorum ſententiam magis inclinat Altiſiodorenſis ſupra in fine quæſtionis, ex eo quòd non ſunt idem enuntiabile, ſiue eædem propoſitiones, vbi prædicatur quidem eadem res, tamen in diuerſis temporibus, vt, Chriſtus eſt naſciturus, Chriſtus naſcitur, Chriſtus eſt natus; vt hîc ex Logica ſupponendum eſt, & teſte S.Thom. 1.d.41.quæſt.1.art.5. circa medium corp. *ab omnibus modernis conceditur.* Hinc enim apertè ſequitur, Deum hodie ſcire, Chriſtum eſſe natum, & non eſſe naſciturum, quod ſemper non ſciuit, quia aliquando, ſcilicet per totam æternitatem, ſciuit, Chriſtum eſſe naſciturum, & non eſſe natum: ergo non quicquid Deus ſciuit, ſcit: hoc eſt, non eſt ſemper idem, & inuariabile, quod Deus ſcit. *Sed ex hoc non ſequitur*, inquit S.Thomas, *quòd ſcientia Dei ſit variabilis, ſicut enim abſque variatione diuinæ ſcientiæ eſt, quòd ſciat vnam, & eamdem rem quandoque eſſe, & quandoque non eſſe; ita abſque variatione diuinæ ſcientiæ eſt, quòd ſcit, aliquod enuntiabile quandoque eſſe verum, & quandoque eſſe falſum.* Quibus verbis probata remanet ſecunda pars, quia Deus ipſe actu ſuo, per modum enuntiabilis, componendo, non iudicat, v.g. Chriſtus eſt naſciturus; ſic enim pro alio tempore, quo Chriſtus naſcitur, ſeu natus eſt, tale iudicium vel variaretur de vero in falſum, ſi idē ſemper remaneret; vel variaretur de vno in alium actum, ſi relicto priori vero iudicio, quòd Chriſtus eſt naſciturus, eliceretur aliud iudicium, etiam verum, quòd Chriſtus eſt natus; ſed ſimpliciter, & inuariabiliter intuetur natiuitatem Chriſti præſentem in tali differentia temporis, in aliis verò non præſentem, ſed vel futuram, vel præteritam, quod ſemper, & inuariabiliter eſt verum: vt bene, & clarè explicatur loco citato de Verit. ad 7. & ſequuntur Altiſiodorenſis ſupra, Alenſis 1.part. quæſt.23. membro 4.art.6. ad 5. Ægidius 1.d.39. quæſt.2.initio corporis.

*An quicquid Deus ſciuit, ſciat.* Syluester.

*An Deus omnia vniformiter cognoſcat.* S.Thomas.

Concludendum igitur vniuerſaliter eſt cum eodem S.Thom.1.d.38.quæſt.vnica, art.2.in fin.corporis. *Cum quæritur, vtrùm Deus omnia vniformiter cognoſcat, diſtinguendum eſt; quia aduerbium poteſt determinare modum actus cognitionis, & ſic verum eſt; vel modum obiecti, & ſic eſt falſum: quia Deus non tantùm ſcit rem, ſed proprium modum rei; vnde ſcit diuerſis diuerſos modos ineſſe.* Eamdem doctrinam iiſdem pene verbis habet Ægidius 1.d.38.1.part.quæſt.2.in fin. corporis. Ægidius.

Contra hæc nihil graue obiiciendum occurrit, niſi quod, poſita noſtra communiſſima, ac veriſſima ſententia de voluntate liberè ſe determinante ad vnam, non ad aliam partem contradictionis, abſque vlla antecedenti prædeterminatione, proponere poſſent prædeterminatores. Inde enim neceſſariò ſequitur, eſſe in libera noſtra poteſtate, vt Deus ex pluribus effectibus, quos voluntas noſtra efficere poteſt per potentiam indifferentem ad vtrumlibet, videat potius hunc futurum, quàm alium: ac proinde nullum prorſus liberum effectum, futurum ex noſtra voluntate, videri à Deo niſi dependenter aliqua ratione à libero arbitrio. Vnde præterea ſequi videtur, quod aliqui recentiores apud Vazquez hîc, d. 68. numero 50. obiiciunt, nos poſſe mutare ſcientiam Dei. 10.

*Eſſe in libera noſtra poteſtate, vt Deus videat potius hunc actum liberū, quàm alium.* Vazquez.

Reſpon-



Reſpondeo, concedendo primam ſequelam, quam concedunt Ariminenſis 1. d. 38. quæſt. 2. art.3.col.10. §. *Per hoc etiam.* Marſilius quæſt. 40. in ſolutionibus argument. ad 5. rationem. Valentia hîc, puncto 5.quæſt.3. §. *Et ob eamdem.* & apud ipſum Thomas Vvaldenſis. Vazquez ſupra cap.7. initio. Arrubal diſput.33. cap.6. Machin d.26.corollario 3.& 4.Imò omnes Patres citati ſupra art.8. à num.48.ad 52.docentes, ideo Deum præſcire futura, quia futura ſunt. Ex quibus rem illuſtrius exprimit Damaſcenus, *Vt ea, quæ facturi ſumus, præſciat Deus, à nobis proficiſcitur. Nam ſi facturi non eſſemus, ne ipſe quidem quod futurum non eſſet, prænoſceret.* Item Euſebius, *Id, quod futurum eſt, cauſa eſt vt Deus euenturum illud præuideat.* & Beda citatus ibidem, num.77. *Nos coëgimus Deum, vt nos malos videret.* Qualis autem ſit illa dependentia, nempe non quoad rem, ſed quoad extrinſecam terminationem, ſecundùm quam præſcientia Dei à libertate noſtra vtcumque pendere dicitur, ſufficienter declaratum eſt ſupra art.8.

Ariminenſis. Marſilius. Valentia. Arrubal. Machin. Damaſcen. Euſebius. Beda.

11\. Secundam verò ſequelam nego cum Ariminenſi, Marſilio, Vazquez, Arrubal, Machin, imò cum Hugone de S.Victore lib. 1. de Sacram. p. 2. cap. 18. vbi quamuis concedat primam ſequelam his verbis, *Si factum fuiſſet quod eſſe potuit, & tamen futurum non fuit, fuiſſet præſcitum quod futurum non fuit.* tamen ſtatim negat hanc ſecundam ſequelam, ita immediatè addens, *Nec præſcientia huius futuri mutata fuiſſet, ſed nunquam habita, quia futurum non fuiſſet.* Ratio manifeſta eſt, quia etſi in libera poteſtate noſtra ſit facere futurum vel non futurum, non tamen eſt facere futurum non futurum, vel non futurum futurum: ergo etſi nos poſſimus ponere quodammodo præſcientiam Dei quoad terminationem extrinſecam ad futurum, vel non futurum; tamen poſtquam poſita eſt diuina præſcientia terminata ad futurum, v.g. planè non poſſumus eam mutare, ita vt terminetur ad non futurum; tunc enim neceſſarium eſſet, nos poſſe mutare futurum in non futurum, quod fieri nulla ratione poteſt.

*Nos non poſſe mutare ſciētiam Dei.* Hugo de S. Vict.

## ARTICVLVS XVI.

### *Vtrùm Deus de rebus habeat ſcientiam ſpeculatiuam.*

### Ad decimumſextum ſic proceditur. Videtur quòd Deus de rebus non, &c.

TExtvs S. Thomæ clarus eſt, ac facilis. Quicquid præterea addi poſſet in communi de ſpeculatiuo, & practico, & multa in particulari ad ipſam ſpeculatiuam, ac practicam Dei ſcientiam pertinentia, ſunt ſatis explicata in 1.tomo, quæſt.1. artic.4. fusè per totum, & art.7. num.15. & in hoc 2.tomo, quæſt.14. art.8. à numero 16.ad 19.& rurſus à num.37.ad 44. & deinceps, tractando, quænam Dei ſcientia ſit vel non ſit cauſa rerum, quod eſt eſſe ſcientiam practicam, vel ſpeculatiuam.



# QVÆSTIO XV.

## *De Ideis, in tres articulos diuiſa.*

### Poſt conſiderationem de ſcientia Dei, reſtat conſiderare, &c.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm ideæ ſint.*

### Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd ideæ non ſint, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Dari ideas. num.1.*
2 *Ideam non eſſe creaturam. à n.2. ad 5.*
3 *Ideam eſſe eſſentiam diuinam ſub ratione obiecti vt* quod. *num.5. & 6.*
4 *Ideam eſſe eſſentiã diuinam vt cognitam. n.7. & 8.*

COMMENTARIVS.

PRima concluſio. Certum omnino eſſe debet, dari ideas in mente diuina, primò, propter grauiſſimam authoritatem omniũ Patrum, & Scholaſticorum, nemine prorſus diſcrepante: adeo vt S.Thom. de Verit. quæſt.3.art.1.in 1.argum. *Sed contra.* Auguſtino tribuat, quòd *in libro de ciuitate Dei* dixerit, *Qui negat ideas eſſe, infidelis eſt.* Idem quoque Auguſtinus lib.83.qq.q.46. probans idearum exiſtentiam in Deo, ait, *Quis religioſus, & vera religione imbutus, quamuis nondum poſſit hæc intueri, negare tamen audeat, imò non etiam profiteatur?* & ideo concluſionem eſſe de fide, dicunt Bagnes hîc, §. *Ad hoc reſpondetur.* Trigoſius in Bonauent. 1.p.quæſt.11.art.1. dubio vnic.concl.1. Zumel hîc, d.1.concl.2. Secundò, ratione naturali, quam ſignificat Dionyſius de diuinis nominibus cap.5. aliquanto ante finem, & vt manifeſtam tradit Auguſtinus ſupra, & S.Thomas hîc, & reliqui omnes afferunt; quia Deus eſt prima omnium cauſa, non neceſſitate naturæ, aut caſualiter, aut irrationabiliter, ſed liberè per intellectum, & voluntatem. Nullum autem tale agens producere poteſt aliquod opus, niſi prius in mente ſua præconceptam habeat formam operis producendi, ad cuius ſimilitudinem opus efficiat; quam formam omnes intelligunt nomine ideæ, ſiue exemplaris. 1.

*Prima cōcluſio affirmatiua certa.* S.Thomas. Auguſtinus. Bagnes. Trigoſius. Zumel. *Ratio cōcluſ. ex Dionyſ.*

Secunda concluſio. Idea non eſt ipſa creatura, ab æterno exiſtens obiectiuè in mente Dei. Vnde ſequitur, quod eſſe debeat aliquid diuinum, & increatum, formaliter exiſtens in Deo. Sequela patet, quia excluſis creaturis, nihil remanet præter Deum. Et in hoc ſenſu, excluſiuo tantùm creaturarum, accipiendus eſt S.Thomas cum in fine huius articuli docet, *Idea in Deo nihil eſt aliud, quàm Dei eſſentia*; alioquin eſſentia, vt ſit idea, induere debet peculiarem aliquam rationem formalem, de qua infra. Antecedens igitur, & tota concluſio eſt omniũ, exceptis Scoto 1.d.35.q.1.§. *Ad iſta.* & Scotiſtis ibid. Ochamo q.5. cum Gabriele ar.2. notab.1. & concl.1. & 4. & coroll.1. & 2. Durando d.36.q.3. 2.

*Secunda concluſio, Idea non eſt creatura.* *In quo ſenſu dicat S. Th.* Idea nihil eſt aliud, quã Dei eſſentia. *Concluſio eſt contra* Scotum. Ocham. Gabriel. Durand.

Alliacenſ. Riccard. Maior. *Probatur ex Auguſt.*

Alliacenſi q.6. art. 3. quorum ſententiam problematicè defendunt Riccardus d.36.art.2.q.2.Maior d.35. q.1. fin. Sed contra ipſos apertè eſt Auguſt. nam citata q.46. ideas vocat, *æternas, atque incommutabiles, quarum participatione fit, vt ſit quicquid eſt, quoquo modo eſt.* Creaturæ verò non ſunt participatione ipſarummet creaturarum. Et in eaſdem creaturas quadrare videntur illa alia verba, *Non enim extra ſe quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat: nam hoc opinari ſacrilegum eſt.* Etenim creaturæ ſecundùm ſe, ſunt extra Deum, in quantum habent peculiare, ac limitatum eſſe diſtinctum ab eſſe diuino: ſi igitur creaturæ eſſent ideæ, quas Deus intuetur cum res producit, Deus cum mundum conſtituit, intuitus eſſet eumdem mundum extra ſe. Præterea tractat.1. in Ioannem aliquanto ante fin. exponens illud, *quod factum eſt, in ipſo vita erat:* docet, id verificari ratione ideæ, quæ eſt ipſa vita Dei, illis verbis, *eſt in ipſa ſapientia ſpiritaliter ratio quædam, qua terra facta eſt: hæc vita eſt.* Creaturæ autem, vt contradiſtinctæ ab eſſentia Dei, dici non poſſunt vita Dei: ergo ſecun-

*Probatur ex Dionyſ.*

dùm Auguſt. creaturæ non ſunt ideæ. Idem non minus clarè colligitur ex Dionyſio ſupra, docente, *exemplaria dicimus in Deo eſſe eſſentiæ rerum effectrices rationes, quas ſcripta diuina prædeſtinationes appellant, diuináſque, ac bonas voluntates, quæ conſtituunt, & faciunt omnia.* Quæ dicta in ipſas creaturas cadere minimè poſſunt, ſed ſolùm in diuinam eſſentiam, quæ ſola verè conſtituit, & facit omnia; & denominari poteſt diuina voluntas, ac prædeſtinatio; quia hi actus cum diuina eſſentia identificantur; & idea, quamuis ad intellectum pertineat, tamen numquam actu concurrit ad actualem rerum productionem, niſi determinata à voluntate.

3\.

*Ratio cõcluſionis à quibuſdã allata non probatur.*

Hanc ſecundam concluſionem aliqui hac ſola ratione exiſtimant poſſe efficaciter probari. Creatura in mente Dei, in nullo differt à creatura extra Deum; cùm quicquid, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, habeat creatura in re, & in tempore, ſit ab æterno, & ſemper intuitiuè præſens intellectui diuino; ergo creatura in mente Dei dici non poteſt idea creaturæ extra Deum. Conſequentiam probant, *quia idem omnino ſui ipſius idea eſſe non poteſt: idea enim eſt forma illa exemplaris, quam artifex aſpiciens, inſtar illius aliquid aliud operatur.* Ni-

*Quæ diſtinctio neceſſaria ſit inter ideã, & ideatum.*

hilominus iſta ratio videtur mihi minus efficax. Quia idea ab ideato nullam aliam diſtinctionem poſtulat, niſi illam, qua res vt realiter exiſtens, differt à ſe ipſa, prout exiſtens obiectiuè; imò quantum de iis, quæ opus artificioſum habet extra artificem, deeſt in mente artificis, eiúſque idea, tantum deeſt de perfectione ideæ. Vnde, vt bene

Molina.

notat Molina hîc, d.2. ſi artifex creatus præconciperet omnino idem numero opus, quod in re facturus eſt, hoc opus præconceptum haberet propriam rationem ideæ: quia, vt ait circa fin. diſput. *De ratione exemplaris non eſt, vt ſit diſtinctum à re, cuius eſt exemplar.* Quocirca ratio ſolui facilè poſſet negatione conſequentiæ. Et ad probationem dici, idem in eſſe obiectiuo eſſe ideam ſui ipſius in eſſe reali. Cæterum tale omnino eſſe debere in re ipſa ideatum, qualis eſt eius idea in mente artificis. Artifex igitur ad inſtar ideæ aliquid aliud operatur. Verùm ad hoc verificandum nulla alia differentia debet attendi, niſi in eſſe obiectiuo, & eſſe reali.

4\.

*Vera ratio Mol. & Arrubal.*

Probabilior, ac facilior concluſionis ratio eſt, quam tradunt Molina hîc, d.2. concluſ.1. Arrubal num.4. quia creatura, vt quid contradiſtinctum à Deo, quamuis conſideretur vt habens eſſe obiectiuum in mente Dei, eſt effectus diuinæ cauſalitatis, cum à Deo dependeat, & ſit ens limitatum, ac participatum; & quædam veluti imitatio, ac particula diuinæ naturæ: ergo præſupponit ex parte Dei omnes cauſas neceſſarias ad eius productionem; inter quas eſt cauſa exemplaris, à qua exemplariter dependet quicquid eſt diſtinctum à Deo: ſed creatura, etiam ſecundùm quod eſt terminus diuinæ cognitionis, eſt ens diſtinctum à Deo, ergo pendens à diuino exemplari. ergo non eſt idea Dei, ſed præſupponit illam in ipſomet Deo. Explicatur ratio, aperiendo radicem huius veritatis; quæ pendere videtur ex eo quòd Deus creaturas intelligit, non in creaturis, ſed in ſe ipſo, vt ſupra quæſt.14.art.5. Ex hoc autem quòd eſſen-

*Aperitur radix prædictæ rationis.*

tia diuina ſit intellectus diuini obiectum primarium, imò etiam vnicum, vt ſupra quæſt.14. art.2. num.11. ſequitur, vt cum Deus per intellectum concurrit ad formationem creaturarum, prius, imò etiam ſolùm reſpicere debeat ad eſſentiam ſuam, in qua obiectiuè viſa videt creaturas; & quæ verè, licèt eminentiſſimè continet omnes creaturas, quamque propterea quælibet creatura eſſentialiter imitatur, ac participat; & non ad ipſas creaturas ſecundùm ſe. ergo non creaturæ conſideratæ in ſe ipſis formaliter, ſed conſideratæ in eſſentia diuina eminenter, dicendæ ſunt habere in Deo formalem rationem ideæ in effectione creaturarum.

5\.

*Tertia cõcluſio, idea eſt eſſentia ſub ratione obiecti* vt quod.

Tertia concluſio. Eſſentia diuina non eſt idea ſub ratione ſpeciei, vel cognitionis, ſeu verbi creaturarum; ſed ſub ratione continentis creaturas, ſeu in quantum eſt imitabilis, & participabilis à creaturis. Ita omnes, paucis quibuſdam recentioribus exceptis. Probatur primò, expreſſa authori-

*Probatur ex* S.Thom.

tate S.Thom. art.2. tum quia in medio corporis, ait, *Ideam operati eſſe in mente artificis, ſicut quod intelligitur, non autem ſicut ſpecies, qua intelligitur; quæ eſt forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris, eſt aliquid ab eo intellectum, ad cuius ſimilitudinem domum in materia format.* Eſſentia autem diuina, ſpectata formaliter vt ſpecies, vel intellectio, vel verbum, & vniuerſaliter vt repræſentatio creaturarum, non vt formaliter obiectum, non habet formalem rationem eius quod intelligitur dum Deus intelligit creaturas, ſed ſolùm eius, quo Deus creaturas intelligit: ergo eſſentia diuina non ſub præciſa formalitate ſpeciei, aut intellectionis, aut verbi, ſed ſub formalitate obiecti dici debet idea creaturarum. Tum quia paulò poſt, applicando dicit, quòd *ideæ ſunt in mente diuina, vt intellectæ ab ipſo.* Et ſtatim clarius, ac diſtinctius explicat, eſſentiam diuinam eſſe ideam, *non ſolùm ſecundùm quod in ſe eſt, ſed ſecundùm quod eſt participabilis ſecundùm aliquem modum ſimilitudinis à creaturis.* Vnde ſic clariſſimè concludit. *Sic igitur in quantum Deus cognoſcit ſuam eſſentiam, vt ſic imitabilem à tali creatura, cognoſcit eam, vt propriam rationem, & ideam huius creaturæ.* Et ad ſecundum probat, ſapientiam, & artem non eſſe ideam, quia, inquit, *ſapientia, & ars ſignificantur, vt quo Deus intelligit; ſed idea, vt quod Deus intelligit.* Quare cum hîc, initio corporis, docet, *ideam eſſe principium cognitionis rei*, eſt accipiendum de principio formali *vt quod* cognoſcitur, non *vt quo* cognoſcitur.

6\.

*Ratio cõcluſionis.*

Probatur ſecundò ratione, tum quia ex Auguſt. ſupra n.2. idea eſt id, *cuius participatione fit quicquid eſt*, & quod Deus intuetur, vt aliquid conſtituat. At creatura, non eſt participatio Dei intellectionis,





vt formaliter intellectio eſt, neque ſpeciei, aut verbi, vt talia formaliter ſunt: hæc enim ſub his rationibus formalibus præciſè conſiderata, habent munus repræſentandi vitaliter creaturas, non realiter continendi; creatura autem, vt formaliter participatio Dei, illam diuinam perfectionem reſpicit, à qua realiter continetur, quæ eſt ſolùm eſſentia diuina, vt res quædam eſt omnino infinita, & illimitata. Neque Deus, cum creaturam format, intuetur ſeipſum, vt eſt formaliter repræſentatio creaturæ, tunc enim intueretur ſuum intuitum, vt formaliter intuitus eſt, quod vel ex terminis ipſis apparet inconueniens; ſed vt eſt formaliter continens creaturam, ab eáque imitabilis, ac participabilis. Tum quia in ideis creatis, idea non dicitur eſſe cognitio, ſed aliquid aliud, quod per cognitionem reſpicit, & imitatur artifex. Tum quia (quod peculiare eſt in diuinis ideis, ex eo quòd Deus cognitionem creaturarum non ſumit à creaturis, ſed à ſeipſo) cognitio creaturarum præſupponit creaturas, vt ſupra q. 14. art. 8. à num. 58. Creatura autem ad diuinam cognitionem præſupponi non poteſt, niſi cum omnibus ſuis cauſis neceſſariis, ergo cum cauſa exemplari: ergo in Deo cauſa exemplaris, quæ eſt idea, præſupponitur ad cognitionem creaturarum; ergo hæc formaliter dici non poteſt idea creaturarum.

*Idea non eſt verbum, contra Bagnes, & Zumel.*

Tum peculiariter contra Bagnes hic, §. *Sequitur* 2. quem ad verbum ſequitur Zumel d. 2. notab. 2. coroll. 2. & concl.1. dicentem, quòd in Deo *ſolum verbum poteſt cum proprietate appellari idea.* quia, vt

S.Thomas.

expreſſiſſimè docet S.Thom.1.d.27.quæſt.2. art.1. ad 4. *eſſentia, in quantum ſe habet, vt quo intelligitur, ſic eſt ibi ratio verbi.* & art.2. multò poſt med. corp. *Verbum definit eſſe id, quo aliquid formaliter intelligitur:* quod fuſius ex inſtituto probo tom.1. q.12. art. 2. dub. 6. & ex Thomiſtis expreſsè aduertit

Syluester.

Sylueſt.1.p.conflati q.15. art.2. §.6. idea autem ſe habet, vt id, quod intelligitur. Plura contra hanc opinionem legi poſſunt apud Molinam hîc d. 1. §. *Sententia.*

7\.

*Quarta cõcl. Idea eſt eſſentia vt cognita.*

*Probatur ex S.Thom.*

Quarta concl. Eſſentia diuina non habet perfectam, & adæquatam rationem ideæ, niſi vt directè cognita ab intellectu diuino; quare cognitio, qua Deus intuetur ideam ſuam, vt ſecundùm illam creaturas formet, eſt cognitio reflexa, non directa. Eſt expreſſa ſententia S. Thom. art. ſeq. ad 2. dicentis, *Deus intelligit multa, non ſolùm ſecundùm quod in ſeipſis ſunt, ſed etiam ſecundùm quod intellecta ſunt: quod eſt intelligere plures rationes rerum. Sicut artifex dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum: dum autem intelligit formam domus, vt à ſe ſpeculatam, ex eo quòd intelligit ſe intelligere eam, intelligit ideam, vel rationem domus. Deus autem non ſolùm intelligit multas res per eſſentiam ſuam, ſed etiam intelligit ſe intelligere multa per eſſentiam ſuam. Sed hoc eſt intelligere plures rationes rerum, vel plures ideas eſſe in intellectu eius, vt intellectas.* & de Verit. quæſt. 3. art. 2. circa fin. corp. *Eſſentia ſua eſt idea rerum: non quidem vt eſſentia, ſed vt eſt intellecta.* Quod ad mentem S.Tho-

Eſt Capreoli,

mæ optimè declarat Capreolus 1. d. 36. quæſt.1. art.1. ad 3. contra ſecundam, & 3. concl. his verbis. *Cum diuinus intellectus concipit eſſentiam ſuam, vt eſt viuens, & cognoſcens, concipit rationem animalis; ad quem actum intelligendi ſtatim ſequitur reſpectus animalis ad formam, quam Deus concipit, ſicut repræſentati ad ſuum repræſentatiuum. Super illum actum verò, & ſuper formam illam conceptam, & ſuper reſpectum prædictum, diuinus intellectus reflectitur; licèt ibi non differat actus rectus à reflexo, nec ſit ibi diſcurſus, aut ſucceſſio, licèt ſucceſſiuè intelligatur. Cùm autem diuinus intellectus reflectitur ſuper hoc, tunc intelligit, illam formam eſſe rationem, vel ideam animalis. Sic ergo reſpectus non intrat rationem animalis, licèt non intellecto tali reſpectu, intelligi non poſſit diuinam eſſentiam eſſe rationem animalis, aut eius ideam.* Idem tenet Bonauent.1.d.35. art.1. quæſt.2. ad 1. Bonauent.

dicens, quòd eſſentia diuina, prout eſt forma exemplaris, *relatiuè dicitur ad exemplatum.* & q.3. init. corp. *Idea ſignificat diuinam eſſentiam in comparatione, ſiue in reſpectu ad creaturam.* hic enim reſpectus ad creaturam, cum in Deo eſſe non poſſit realis, ſed rationis comparantis eſſentiam ad creaturam, ſupponere debet cognitionem eſſentiæ imitabilis à creatura. Vnde Trigoſius 1.p. q.11. Trigoſ.

art. 3. dubio 2. concl.1. in ſententia S. Bonauent. tenet, ideam non eſſe eſſentiam vt imitabilem, quod eſt quid prius, ſed cognitam vt imitabilem, quod eſt quid poſterius. Eamdem ſententiam ſequuntur Fonſeca 7. Metaph. cap.8. quæſt.2. ſect.3. Fonſecæ,

Valen. hîc punct.2. ſent.6. Bagnes concl.3. Molin. Valentiæ,

diſput.2. Zumel d. 2. concl.2. & 5. Ripa in dubit. Bagnes,

§. *Dicamus.* Nazarius concl.2. & 9. Gonzalez d.47. Molinæ,

ſect.2. concl.7. Idem docent Henricus quodlib.8. Zumel, Ripæ,

quæſt.1. dicens, quòd reſpectus non reales, ſed ra- Nazarij,

tionales, quibus eſſentia diuina conſtituitur in Gonzalez,

ratione ideæ, *conueniunt Deo ex conſideratione in-* Henrici,

*tellectus comparantis eſſentiam ſuam ad eſſentias creaturarum, vt imitabilem ab eis.* Sylueſt.1.p.conflati, Sylueſtri,

quæſt.15. art.2. ad 2. Ferrarienſ.1. cont. gen. c.54. Ferrarienſis.

§. *Conſiderandum.*

8\.

*Ratio concl.*

Hanc concluſionem probo, & explico obiter in 1. tomo quæſt.12. art.8. num.102. Ratio breuiter eſt, quia idea in Deo, non eſt ratio communis omnibus creaturis, ſed propria vniuſcuiuſque. v.g. idea hominis eſt quædam particularis ratio, quam reſpicit Deus, vt faciat hominem, & non vt faciat Angelum, aut cœlum, aut quodlibet aliud præter hominem. Ergo ſi idea eſt eſſentia, vt probatum eſt, non poteſt eſſe eſſentia ſecundùm ſe, quia vt ſic, non eſt magis propria vnius creaturæ, quàm alterius: ergo eſt eſſentia, vt directè concepta imitabilis ab hac, & ab illa creatura; ex hac enim conceptione, vt terminata ad hanc creaturam, diſtinctam ab alia creatura, habet eſſentia, vt ſit, & concipi poſſit idea propria huius creaturæ, non alterius. Eſſentia igitur in vltimato conceptu formali ideę conſtituitur per diſtinctum, ac proprium imitabilitatis reſpectum, quem eſſentia vt eſſentia, ex ſe habet quidem remotè, tamen proximè non habet, niſi vt conceptæ participabilis à tali creatura per quamdam propriam, ac diſtinctam participabilitatem. Hinc enim proximè conſurgere poteſt formalis reſpectus rationis, quem idea, quæ, vt patet, & bene probat Mayronus 1.d.47.q.1. Mayronus.

art.2. initio, eſt quid relatiuum, addit ſupra eſſentiam: ergo hanc eſſentiam inadæquatè acceptam, & conceptam reſpicit reflexè diuinus intellectus dum format creaturas. Etenim per primam cognitionem directam, vt bene declarat Ferrarienſis Ferrarienſis.

ſupra, *Diuinus intellectus apprehendens eſſentiam ſuam abſolutè, apprehendit proprium exemplar rerum materialiter, quia apprehendit illam rem, quæ eſt exemplar denominatiuè; non autem apprehendit proprium exemplar formaliter, quia non apprehendit ipſam cum habitudine ad rem, ex qua formaliter habet, vt ſit propria ratio, & proprium exemplar: ſicut apprehendens naturam animalis abſolutè, apprehendit genus materialiter, quia apprehendit illam rem, quæ denominatur genus; non tamen apprehendit genus formaliter, quia non apprehendit illam cum habitudine ad ſpecies,*

*ex qua aliquid habet, vt formaliter, & completiuè ſit genus.*

Contra doctrinam traditam in toto hoc articulo multa obiiciunt Aureolus, Durand. Scotus, quæ rectè diſſoluunt Capreolus 1. d. 36. q. vnica, art. 1. & Caiet. hîc, & ex dictis haud difficilè ſolui poſſunt.

---

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm ſint plures ideæ.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd non ſint plures, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur concl. affirmatiua ratione S. Thom. & aliorum. num. 1. & 2.*
2 *An reſpectus ideæ ſit in Deo. num. 3.*
3 *An reſpectus ideæ ſit ens rationis factum à Deo. num. 4.*

#### COMMENTARIVS.

1. *Concl. affirmatiua probatur à priori.* CONCL. affirmatiua omnium Scholaſticorum, quam clarè ſupponunt Dionyſius, & Auguſt. locis, & verbis citatis art. præced. num. 1. & 2. ſequitur ex modò probatis de natura ideæ diuinæ. Dictum eſt, hanc non eſſe ſolam eſſentiam, quæ eſt ſummè vna abſque vlla actuali pluralitate; ſed eſſentiam cognitam vt imitabilem à tali creatura ſecundùm aliquem imitabilitatis modum proprium talis creaturæ. Ex hac enim cognitione habet eſſentia, vt tota, licèt non totaliter, reſpiciat talem creaturam, tamquam aliquid proprium talis creaturæ, & non alterius. Quod non habet eſſentia antequam intelligatur vt cognita: nam quamuis eſſentia vt eſſentia, præſcindendo ab eſſe cognito, habeat vt ſit imitabilis à tali creatura, id tamen non habet per aliquid proprium talis creaturæ, ſed per aliquid commune reliquis omnibus creaturis; nimirum per eſſentiam, quæ, quantum eſt ex ſe, & in ſe, non eſt participabilis ab Angelo, v. g. per aliquid proprium ipſius Angeli, ſed potius per aliquid commune homini, bruto, & reliquis. Verùm cum per cognitionem comparatur, & refertur vt imitabilis ad talem creaturam, iam eſſentia, vt ſtat ſub tali eſſe cognito, ſiue ſub tali reſpectu cognitionis comparantis illam, intelligitur habere aliquid proprium talis creaturæ; quia per illum imitabilitatis reſpectum, per quem reſpicit talem creaturam cum tali particulari imitatione, ac participatione, nullam aliam creaturam reſpicere poteſt; ſed vnamquamque reſpicit per alium proprium, ac peculiarem reſpectum. Igitur cum idea talis creaturæ, importet eſſentialiter, eſſe aliquid proprium talis creaturæ, alioquin idea eſſet improportionata ideato, nec ideatum formaretur ad ſimilitudinem ideæ; & hanc appropriationem diuina eſſentia non habeat, niſi per reſpectum imitabilitatis, qui eſt rationis, cùm reſultet ex cognitione comparatiua; fit, vt idea eſſentialiter ſit eſſentia cum reſpectu rationis, ſiue vt ſtat ſub cognitione comparante ipſam vt imitabilem ad hanc vel illam creaturam, hoc vel illo particulari modo imitantem eſſentiam illam, infinitis aliis modis, quantum eſt ex ſe, imitabilem. Sed iſti reſpectus ſunt plures, ergo plures ideæ.

2. *Prædicta ratio eſt S. Thomæ.* Hæc eſt concluſionis ratio à priori, quam potiſſimum tradi in corpore articuli, patet ex eo, quòd in reſponſione ad 3. doctrina corporis ita clarè colligitur, *Huiuſmodi reſpectus, quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu diuino, comparante eſſentiam ſuam ad res.* & rurſus ad 4. *Reſpectus, multiplicantes ideas, non ſunt in rebus creatis, ſed in Deo: non tamen ſunt reales reſpectus, ſicut illi, quibus diſtinguuntur perſonæ, ſed reſpectus intellecti à Deo.* Eamdem alij grauiſſimi Theologi tradiderunt. Alenſis 1. p. q. 23. membro 4. art. 1. §. 2. *Dicuntur*, inquit, *ideæ plures, propter reſpectum creaturarum ad ipſas*: quia ſcilicet idea eſt eſſentia, vt cognita imitabilis à tali creatura; quæ vt ſtat ſub tali cognitione, habet reſpectum rationis ad eſſentiam, inadæquatè ſumptam, prout eſt propria participabilitas talis creaturæ. Sic etiam Magnus Albertus 1. p. d. 35. art. 8. *Multitudo idearum non eſt ex parte ſui, ſed tantùm intelligitur ex relatione ideatorum ad ipſum.* & ideo addit art. 9. *Meo iudicio melius dicitur, multorum idea, quàm multæ ideæ.* Præterea Ægidius 1. d. 36. p. 2. q. 2. ad 4. *Idea quaſi completiuè, & formaliter dat intelligere reſpectum ad ideata: & ideo propter pluralitatem reſpectuum, eſt in Deo pluralitas idearum.* Idem docent Bonauent. Henricus, & Capreolus verbis citatis art. præced. num. 7. & alij poſteriores communiter.

Alenſis, Alberti, Ægidij.

3. *An reſpectus ideæ ſit Dei ad creaturā: an creaturæ ad Deum.* Ad huius rationis intelligentiam duo quæri poſſent. Alterum, an hi reſpectus rationis, ſint eſſentiæ ad creaturam, an contra, creaturæ ad eſſentiam? in hoc enim variare videntur Doctores, vt patet ex verbis eorum allatis: nam S. Thom. hîc ad 4. expreſsè docet, non eſſe in rebus creatis, ſed in Deo. Idem ſignificant Bonauent. Ægidius, & Henricus ſupra, & alij multò cõmunius, & rationabilius: licèt contrarium aſſerant Alenſis, Albertus, & Capreolus ſupra. quia eius eſſe debet reſpectus rationalis, quod primò, & directè per cognitionem refertur ad aliud: Deus autem per cognitionem ſuam refert, & intelligit primò, & directè eſſentiam vt imitabilem à creaturis, quod eſt à parte rei quid prius; & non creaturas vt dependentes ab imitabilitate eſſentiæ, quod eſt in re quid poſterius. Præterquam quòd, poſito quod idea ſit eſſentia, & non creatura, vt ſupra art. 1. reſpectus, quo idea completur in ratione formali ideæ, conuenientius ponitur in eſſentia, quàm in creatura.

4. *An reſpectus ideæ, ſit ens rationis factum ab intellectu diuino.* Alterum, an iſti imitabilitatis reſpectus, de quibus apud omnes conſtat, eſſe rationis, ſint entia rationis ab ipſomet intellectu diuino fabricata; an ſolùm, propter intellectum diuinum comparantem eſſentiam ad creaturas, ſint proximè, & formaliter conuenientia eſſentiæ, non actu exiſtentia in eſſentia, vt obiectiuè exiſtente in diuina cognitione comparatiua: & ideo concipiantur à Deo in eſſentia, vt conuenientia illi ab intellectu creato, cuius proprium eſt, fingere entia, quæ non ſunt verè entia; & non vt neceſſariò exiſtentia ex vi cognitionis diuinæ, quæ etſi referat vnum ad aliud, id non facit adeò imperfectè, vt in obiecto, in quo verè relatio nulla eſt, relationem eſſe confingat? De qua controuerſia, ex verbis S. Thom. aliorúmque veterum Doctorum, nihil certi colligi poteſt. Secundum ſenſum colligo ex Heruæo 1. d. 36. q. 1. Nam art. 2. aliquantò poſt principium, ait, *Falſum eſt, quòd idea formaliter dicat reſpectum, ſed eſt illud, ad quod, ſicut ad per ſe fundamentum ſequitur reſpectus. Vnde etſi inueniatur in aliquo Doctore,* Heruæus.



*quòd idea eſt aliquid reſpectiuum, debet intelligi, non formaliter, ita quòd idea ſit formaliter reſpectus, ſed fundamentaliter, quia ad ipſam ſequitur reſpectus.* & tamen poſtea in art. 3. poſt medium, ait, *Quòd pluralitas idearum primò prouenit ex perfectione diuina: ſecundariò ex creaturis, ex quarum parte eſt pluralitas ſecundùm rem. Sed formaliter completur in actu intelligendi, quo intelligitur eſſentia diuina: quia talis differentia rationis eſt proprietas conſequens eam vt ſic.* Negat in idea formaliter reſpectum; & deinde aſſerit, differre ideas formaliter per rationis differentiam, ſeu reſpectum conſequentem diuinam cognitionem: ergo loquitur de reſpectu formaliter conueniente eſſentiæ poſt cognitionem comparantem eſſentiam ad creaturas; non formaliter exiſtente in eſſentia prout obiecta prædictæ cognitioni comparatiuæ. Idem quoque ſignificat Mayronus 1. d. 47. q. 1. art. 2. concl. 3. dum probat, quòd reſpectus, quem idea addit ſupra eſſentiam, *non eſt relatio actualis, & formalis, ſed fundamentalis.* Res eſt merè philoſophica, de qua maximè moderni contendunt in Logica, vbi eam diligenter examinaui in communi, an ens rationis fieri poſſit ab intellectu diuino. Et quamuis ibi vera mihi viſa ſit pars affirmatiua, quam ſignificaui etiam tomo 1. q. 4. art. 2. num. 119. & clarius q. 13. art. 7. num. 6. nunc tamen videtur probabilior contraria pars negatiua, quam breuiter oſtendi ſupra q. 14. art. 9. dubit. 2.

Mayronus.

---

## ARTICVLVS III.

### *Vtrum omnium, quæ cognoſcit Deus, ſint ideæ.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd non omnium, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *An detur idea Dei, & diuinarum perſonarum. num. 1. 2. 3.*
2 *An detur idea actualium, & poſſibilium. num. 4. ad 7.*
3 *An detur idea rerum in indiuiduo. num. 7.*
4 *An detur idea generum, & ſpecierum. num. 8. & 9.*
5 *An detur idea accidentium. num. 10. & 11.*
6 *An detur idea mali. num. 12.*
7 *An detur idea materiæ primæ. num. 13. & 14.*

#### COMMENTARIVS.

1. *Prima concl. Non eſt idea Dei.* PRIMA concl. Quamuis Deus ſe ipſum comprehendat, tamen ſuiipſius ideam non habet. Ita S. Tho. ſupra art. 1. ad 2. & optimè probat, *Quia eſſentia ſua eſt principium operatiuum aliorum, non autem ſuiipſius.* Qua ratione excluditur etiam ab intellectu diuino idea primæ perſonæ Trinitatis, quæ eſt Pater; quia hæc quoque eſt omnino improducta.

2. *Secunda concluſ. Non eſt idea Filij, & Spiritus S. Contra Alliacenſem.* Secunda concl. Reliquæ duæ Trinitatis perſonæ, Filius, & Spiritus S. quamuis non ſolùm cognoſcantur à Deo, vt cętera, ſed etiam verè, ac realiter producantur, tamen ideam in Deo non habent. Ita omnes, vno excepto Alliacenſi 1. ſent. quæſt. 6. art. 3. concl. 1. quia, inquit, *Omnia quæ attribuit Auguſt. ideis, conueniunt Filio, & Spiritui ſancto ita propriè, & fortè magis de virtute ſermonis, quàm conueniant creaturis.* Quod, inquit Bagnes hîc art. 1. concl. 5. *eſt valde temerarium, ne dicam erroneum.* Id tamen refert Gabriel 1. d. 35. q. 5. art. 2. poſt ſextam propoſitionem; & tamquam aliquid ſpectans ad quæſtionem de nomine latius vſurpato, nec probat, nec reiicit. Probatur primò, remouendo fundamentum Alliacenſis, quia ex Auguſt. lib. 83. qq. q. 46. *ſunt ideæ, formæ vel rationes rerum.* Nomine autem *rerum*, cum de rebus à Deo contradiſtinctis loquimur, veniunt ſolùm creaturæ: quod apertè expreſſit idem Auguſt. de iiſdem ideis ſtatim addens, *& cum ipſæ neque oriantur, neque intereant, ſecundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire poteſt, & omne, quod oritur, & interit.* Poſſe autem oriri, & interire, non competit filio, & Spiritui ſancto, ſed creaturis duntaxat. Præterea dari ideas, Auguſt. ibidem probat, ex eo quòd, *Omnia Deo authore procreata ſunt, & ſummi Dei legibus continentur, & gubernantur.* & paulò poſt clariſſimè addit, *Quòd ſi hæ rerum omnium creandarum, creatarúmve rationes in diuina mente continentur,* &c. Semper igitur Auguſt. abſque vllo dubio ſupponit, ac docet, ideas eſſe proprias creaturarum, inter quas Filium, & Spiritum S. numerari, nefas eſt. Idem videre eſt in verbis Dionyſij ſupra art. 1. n. 2. vocantis ideas, *eſſentiæ rerum effectrices rationes.* At omnino abſurdum eſt, & ipſemet Alliacenſis negat, dari ideam, effectricem eſſentiæ Filij, & Spiritus ſancti.

Bagnes, Gabriel. *Ratio ex Auguſt.* *Ex Dionyſio.*

3. *Ratio à priori.* Hinc ſumitur huius veritatis ſecunda probatio per rationem à priori, quia nomine ideæ omnes intelligimus cauſam exemplarem, quam Deus reſpicere debeat cum extra ſe aliquid liberè operatur. Enimuerò neceſſitas ponendi in Deo ideas oritur ex eo, quòd Deus infinitas res producere poſſit, ex quibus aliquas non producit, & alias producit; & quas producit, producit ſapienter. Vnde fit, vt per liberam ideam determinari debeat ad has potius, quàm ad alias producendas, & harum rerum ideas, & non aliarum reſpicere in ſuis actionibus; alioquin ageret caſualiter, & irrationabiliter. Hæc autem omnia ceſſant in generatione Filij, & proceſſione Spiritus ſancti; quæ perſonæ producuntur quidem per intellectum, & voluntatem, tamen neceſſariò, & per modum naturæ ad vnum prorſus determinatæ: ergo huiuſmodi productiones non indigent idea vt determinante, vel vt ſapienter dirigente.

*Neceſſitas ponẽdi ideas in Deo.*

4. *Tertia concl. Sunt ideæ actualium.* Tertia concl. Sunt in Deo ideæ omnium creaturarum actualium, *quæ à Deo fiunt ſecundùm aliquod tempus.* Ita S. Thom. hîc, & alij omnes. Et patet ex ipſa ratione, propter quam ſupra art. 1. num. 1. probauimus cum Dionyſio, & Auguſt. dari ideas.

5. *Quarta concluſio. Sunt ideæ poſſibilium.* Quarta concl. Sunt quoque in Deo ideæ omnium creaturarum poſſibilium, *etiam ſi nullo tempore fiant.* Eſt S. Thom. hîc, idque ex inſtituto probat de Verit. q. 3. art. 6. & nemo negat: quia Deus has etiam creaturas, quas non vult producere, videt in ſua eſſentia ab illis imitabili. Ergo eſſentia diuina vt cognita imitabilis à creaturis poſſibilibus, eſt idea, non qua Deus aliquid producturus eſt, ſed qua aliquid producere poteſt, & produceret, ſi vellet. Etenim, vt dicitur citato art. 6. *Idea propriè dicta reſpicit practicam cognitionem non ſolùm in actu, ſed in habitu. Deus autem de his, quæ facere poteſt, quamuis nunquam fiant, habet cognitionem virtualiter practicam.*

6. Inter ideam actualium, & ideam poſſibilium ex S. Thom. hîc eſt hæc differentia: prima, *eſt principium*

*Differentia inter ideam actualium, & poſſibilium ex S. Thom.*

*cipium factionis rerum, & exemplar dici poteſt; & ad practicam cognitionem pertinet.* Secunda, *eſt principium cognoſcitiuum; & propriè dicitur ratio; & poteſt etiam ad ſcientiam ſpeculatiuam pertinere.* Quod breuiter, ac dilucidè ita intelligendum eſſe exiſtimo: vt idea actualium, ſit principium factionis in actu ſecundo; ſed idea poſſibilium, eſt etiam principium factiuum in actu primo. Illa quoque eſt *practica actu*, vt loquuntur S. Thom. de Verit. q.3.art.3. Ægidius 1.d.36.p.2.q.3. circa fin. corp. hoc eſt, practicans in actu exercito; ſed hæc eſt practica *virtute*; vt dicitur ad 2. & loquitur etiam Ægidius ſupra, & ideo illa dicitur propriè exemplar, non hæc; quia propriè exemplar refertur ad opus actualiter exemplatum. Præterea idea poſſibilium, eſt principium cognoſcitiuum, ſcilicet, præciſum ab actuali ordinatione ad opus; alioquin idea actualium, eſt etiam principium cognoſcitiuum, ſed coniunctum cum actuali operis exercitio: & ideo illa, non hæc dici poteſt ratio, & *aliquo modo ſpeculatiua*, vt limitanter dicitur de Verit.q.3.art.3.ad 1. iuxta varios modos ſumendi practicum, & ſpeculatiuum traditos ſupra q.14. art.16. & de Verit. q.3.art.3.

S.Thomas. Ægidius.

7\. *Quinta cõcl. ſunt ideæ indiuiduorum. Contra Henricũ, & Platonem. Ratio S. Th.*

Quinta concl. Sunt in Deo ideæ rerum in indiuiduo. Ita S.Thom. hîc ad 4. & fuſius q.3.de Verit. art. 8. per totum, & reliqui omnes, vno excepto Henrico quodlib.7. q.5. & quodl. 9. q. 2. & olim Platone, vt illi tribuit, & explicat S.Thom. locis citatis. Cuius ratio optima eſt, quia, inquit citato art. 8. in fin. corp. *Nos ponimus, Deum eſſe cauſam ſingularis, & quantum ad formam, & quantum ad materiam. Ponimus etiam quòd per diuinam prouidentiam diffiniuntur omnia ſingularia:* quia nimirum, vt oſtendi tomo 1.q.7. art.1. num.6. & q.12. art.5. num.51. & art.8. num.92. determinata productio horum determinatorum ſingularium habetur ex extrinſeco Dei decreto, non ex natura ſecundorum agentium. Nihil autem aliud requiritur ad propriam, & per ſe ideam, niſi vt id, quod producitur, propriè, & per ſe producatur, atque intendatur.

8\. *Sexta concl. de idea generũ, & ſpecierum.*

Sexta concl. Non eſt in Deo idea propriè generum, & ſpecierum, ſecundùm quod idea ſignificat exemplar; ſed ſolùm idea communiter, pro ſimilitudine, vel ratione. Ita ad verbum S.Thom. partim hîc ad 4. partim de Verit. q.3.art.8.ad 2.

Prima pars de generibus probatur hîc ad 4. *quia nunquam genus fit, niſi in aliqua ſpecie: ergo genera non poſſunt habere ideam aliam ab idea ſpeciei.* Eadem ratione probatur, non dari ideam ſpecierum, quia nunquam ſpecies fit, niſi in aliquo indiuiduo. Ergo ſpecies non poſſunt habere ideam aliam ab idea indiuidui. Igitur, vt dicitur citato art.8. vna idea reſpondet ſingulari, ſpeciei, & generi, indiuiduatis in ipſo ſingulari; eo quòd Sortes, homo, & animal non diſtinguuntur ſecundùm eſſe.

9\. Secunda pars de idea largè accepta, probatur à S.Thom. cit. art.8. quia, *cum diuerſa ſit conſideratio Sortis vt Sortes eſt, & vt homo, & vt animal, reſpondebunt ei plures ideæ, vel ſimiles.* Quæ ratio, & conſequenter concluſio per talem rationem probata, locum habent, ſi inter hos gradus metaphyſicos indiuidui, ſpeciei, & generis, detur aliqua diſtinctio ex natura rei: tunc enim ratione graduum, in re diſtinctorum, diſtingui poteſt in intellectu diuino, non in ordine ad per ſe operandum, ſed in ordine ad per ſe intelligendum, alia idea, ſeu ratio generis, & alia ſpeciei, & alia indiuidui; quia etſi in diuino intellectu nulla ſit diſtinctio à parte rei, eſt tamen in gradibus, ad quos diuinus intellectus terminatur; quæ diſtinctio eſt neceſſaria ad fundandos diſtinctos reſpectus, quibus ſupra diximus conſtitui diſtinctas ideas. At ſi inter gradus iſta diſtinctio non eſſet, vt hodie moderni multò communius opinantur, cum nec diuinus intellectus eam facere poſſit, vt patet ex dictis tomo 1. q.4. art.2. num.118. & 119. non haberemus ſufficiens fundamentum diſtinguendi prædictas ideas, vt bene docet Vazquez hîc, d.74.cap.2. Vazquez.

10\. *Septima cõcl. de idea accidentium.*

Septima concl. Accidentia, quæ inſeparabiliter concomitantur ſubiectum, non habent ſpecialem ideam, diſtinctam ab idea ſubiecti, ſed ſubiecti cum omnibus inſeparabilibus eius accidentibus erit vna idea propriè loquendo: habent autem ſi largè accipiamus ideam pro ſimilitudine, ſeu ſpeculatiua ratione. Alia verò accidentia, quæ ſuperueniunt ſubiecto, & produci per ſe poſſunt per actionem propriam, ac diſtinctam ab ea, qua producitur ſubiectum, habent etiam ideam ſpecialem, & propriè dictam. Ita S.Thom. hîc ad 4. & fuſius de Verit. q. 3. art.7. S.Thom. Primam partem probat, *quia accidentia inſeparabilia ſimul fiunt cum ſubiecto.* Per accidentia inſeparabiliter concomitantia ſubiectum, puto eſſe intelligenda accidentia, ſine quibus per nullam potentiam produci poteſt ſubiectum; vt in multorum opinione ſunt propriæ paſſiones, ex principiis eſſentialibus emanantes. Si enim produci aliquo modo poteſt ſubiectum, non producto accidente in illo, ergo ſubiectum, in ratione producibilis ſimpliciter, habere debet aliquam ideam ſibi correſpondentem, in qua non appareat accidens: & accidens habere debet aliam ſpecialem ideam, ſecundum quam ſit producibile, abſque productione ſubiecti. Præterea ſi inſeparabilitas largius accipiatur, nullius accidentis dabitur idea propriè, contra S.Thom. & omnes alios; quia nullum accidens, ne ipſa quidem quantitas, maximè omnium à ſubiecto ſeparabilis, ſeparari naturaliter poteſt ab aliquo ſubiecto. Qua in re differunt accidentia à gradibus metaphyſicis; quia in his, ne per diuinam quidem omnipotentiam dari poſſunt gradus inferiores ſine ſuperioribus, aut etiam ſuperiores ſine inferioribus: in illis verò ferè omnibus non datur tanta inſeparabilitas mutua; quia eſto in quibuſdam, vt in prædictis paſſionibus, neque ſubiectum ſine accidentibus, neque accidentia ſine ſubiecto fieri aliqua ratione poſſint; tamen in reliquis, non implicat, ſubiectum fieri ſine accidentibus, aut accidentia fieri ſine ſubiecto, quod ſcilicet tunc fiat, cum fiunt accidentia; ſunt enim pleraque accidentia, vt motus, relatio, inhærentia, & ſimilia, quæ etſi eſſentialiter poſtulent eſſe, & fieri in ſubiecto, tamen non eſſentialiter poſtulant eſſe, & fieri cum ſubiecto, ſed ſubiectum eſſe, & fieri ſimpliciter poteſt ſine illis.

Secunda pars patet eadem omnino ratione, qua ſupra num. 9. idem probatum eſt de idea generum, & ſpecierum. 11. Tertia pars probatur à S.Thoma in art.7. citato. *Quia accidentia, quæ non ſequuntur inſeparabiliter ſuum ſubiectum, nec ex eius principiis dependent, producuntur in eſſe alia operatione præter operationem, qua producitur ſubiectum; ſicut,* inquit, *non ex hoc ipſo, quòd homo eſt homo, ſequitur quòd ſit grammaticus, ſed per aliquam aliam operationem. Et talium accidentium eſt in Deo idea ſpecialis, & diſtincta ab idea ſubiecti, propriè loquendo de idea, prout eſt forma rei operabilis, in quantum huiuſmodi.*

12\. *Octaua cõcl.* *Non eſt idea mali.*

Octaua concl. Malum nõ habet in Deo ideam, neque propriè ſecundum quod idea eſt exemplar, neque



neque communiter ſecundum quod eſt ratio, ſeu ſimilitudo. Ita ad verbum S.Thom. partim hîc ad 1. breuiter, partim de Verit. q. 3. toto art. 4. Vnde malum cognoſcitur à Deo nõ per propriam rationem, ſed per rationem boni; vt dicitur hîc ad 1. & latius probatum, ac declaratum eſt ſupra q.14. art. 10. dub. 2. Ratio euidens concluſionis eſt, quia in Deo, ſummo bono, nec eſſe, nec conſiderari poteſt aliqua forma, quæ ſit aut principium formationis mali, quod habere deberet idea vt exemplar mali, aut ſimilitudo aliquo modo participata à malo, quod habere deberet idea vt ratio mali. Hic eſt optimus diſcurſus S. Thom. in citato art.4.

13\. *Nona concl. de idea materia prima.*

Nona concl. Materia prima dici poteſt habere, vel non habere per ſe ideam propriè, iuxta varias opiniones de actu ipſius entitatiuo. In omni autem opinione dici debet habere per ſe ideam communiter ac largè. Declaratur, & probatur prima pars. Si dicamus cum Scoto, & Scotiſtis, aliiſque multò communius, materiam habere propriam exiſtentiam, realiter diſtinctam ab exiſtentia formæ, ſecundùm quam, ſaltem per diuinam omnipotentiam, ſit apta per ſe produci, & eſſe, abſque forma, & compoſito, illa procul dubio habet per ſe in Deo ideam propriè dictam, vt tenent Albertus 1. d.35. art.10. Suarez 1.p. tract.1. lib.3. cap.5. num.13. Vazquez hic, d.74. cap.3. Molin. concl.5. Fonſ.7.Metaph.cap.8.q.2.ſect.6.§. *Quinto loco.* Si verò dicamus cum S. Thoma, Thomiſtis, & multis aliis, materiam nullo modo poſſe exiſtere niſi formaliter per exiſtentiam formæ, illa per ſe non habet ideam propriè, ſed eius idea erit idea formæ, vel compoſiti. Quod conſequenter, & conſtanter abſque vlla retractatione, ſemper aſſeruit S. Thom. tam hîc ad 3. quàm de Verit. q. 3. art.5. & 1.d.36. art. vlt. ad 2. vt contra Caiet. hîc, bene oſtendit Sylueſt. 1.p.conflati, q.15.art.4.ad 3. Huius diuerſitatis ratio eſt, quia, vt ait S.Thom. citato art. 5. *Idea propriè dicta, reſpicit rem, ſecundùm quod eſt producibilis in eſſe.* Ergo ſi materia eſt per ſe producibilis in eſſe, ſeparata à forma, & compoſito, habet per ſe ideam: ſi non eſt ita producibilis, non habet per ſe ideam, diſtinctam ab idea formæ, vel compoſiti; vt tenet etiam Ægidius 1.d.36.p.2.q.4. Addit S.Thom. eodem art.5. *Propria idea non reſpondet materiæ tantum, nec formæ tantum; ſed compoſito toti reſpondet vna idea, quæ eſt factiua totius, & quantum ad formam, & quantum ad materiam.* Idque deducit ex eo quòd, *materia non poteſt exire in eſſe ſine forma, nec è conuerſo.* Quibus ſignificat, materiam, etiam ſi propriam exiſtentiam haberet, ſicut habet forma, adhuc non habituram ideam propriè, quia tunc etiam non poſſet naturaliter produci, & eſſe ſine forma; vt probaui in phyſicis. Quod intelligendum eſt de idea naturali, quæ correſpondet rei ſecundum naturalem eius producibilitatem: non de idea ſupernaturali, rebus correſpondente ſecundum earum producibilitatem ſupernaturalem. Si enim res aliquæ duobus diſtinctis modis producibiles ſunt à Deo, eſt neceſſarium reſpectu illarum duas diſtinctas ideas in Deo admittere. Nam, vt ex Dionyſio docet S.Th. 1.d.36. art. vlt. in corp. *Idea dicitur ſimilitudo, vel ratio rei in Deo exiſtens, ſecundùm quod eſt productiua ipſius rei. Et ideo vnumquodque, ſecundùm quod ſe habet ad hoc, quod à Deo producatur, ita ſe habet ad hoc, quod ipſius idea ſit in eo.* Materia igitur, iuxta opinionem Thomiſtarum, nullam per ſe habere poteſt ideam propriè, neque naturalem, neque ſupernaturalem: ſed iuxta opinionem Scotiſtarum, ſupernaturalem habet, naturalem non habet. Forma autem materialis ſecundùm omnes non habet ideam naturalem, habere tamen debet ſupernaturalem ſecundùm modum.

Albertus. Suarez. Vazquez. Molina. Fonſeca. S.Thom. Syluester. Ægidius. Dionyſius. S.Thom.

Secunda pars patet, quia materia, vt optimè ratiocinatur Syluest. ſupra, *licèt ſolùm ex forma cognoſcatur, conceptum tamen alium de ea, quàm de forma concipimus.* 14. Quod ſufficit ad ideam communiter dictam, prout eſt quædam ratio, ſeu ſimilitudo, quam verè, ac realiter participat materia ideata: vt patet ex dictis de idea generum, ſpecierum, & accidentium inſeparabilium. Quamuis enim exiſtentia materiæ, ſit exiſtentia formæ, tamen eſſentia materiæ longè diuerſa eſt ab eſſentia formæ, etſi altera concipi nequeat abſque ordine ad alteram. Et in hoc differt idea materiæ, ab idea mali, cuius ne ratio quidem propria eſt in Deo, vt ſupra num. 12. quia eſſentia mali, vt mali formaliter, non eſt ens aliquod poſitiuum, ſicut eſt eſſentia materiæ; vt rectè adnotauit idem Sylueſt. ſupra, & probat S.Thom. 1.d.36.art.vlt.ad 1. Syluester. S.Thom.

# QVÆSTIO XVI.

## *De Veritate, in octo articulos diuiſa.*

## Quoniam autem ſcientia verorum eſt, poſt conſiderationem, &c.

### ARTICVLVS I.

*Vtrùm veritas ſit tantum in intellectu.*

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd veritas non ſit tantum, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Diſtinguitur, & dari probatur duplex veritas. n.1. & 2.*

2 *Quid ſit veritas propria operationum intellectus. n.3. ad 21.*

3 *Quid ſit conformitas veritatis intellectiua. n.21. ad 30.*

4 *An veritas tranſcendentalis ſit formaliter in rebus. n.30. ad 37.*

5 *An conſiſtat in conceptu negatiuo. n.37. ad 40.*

6 *An in conceptu abſoluto, vel reſpectiuo. n. 40. ad 44.*

7 *Ad quid terminetur reſpectus veritatis tranſcendentalis. n.44. ad 59.*

8 *An ſit reſpectus realis, vel rationis. n.59. ad 69.*

9 *An veritas ſit in ſolo intellectu, vel etiam in rebus. n.69. ad finem art.*

### COMMENTARIVS.

1\. *Diſtinguitur duplex veritas.*

VT omnis hæc de Veritate diſputatio plenius tradatur, & facilius percipi poſſit, duplex veritas diſtinguenda eſt, & diligenter explicanda; ſic enim fiet, vt varia ſancti Thomæ in hac, & ſequenti quæſtione, & aliorum Theologorum, ac

ac Philoſophorum dicta, de veritate indiſtinctè prolata, in bono ſenſu accipi facile poſſint. Alia igitur eſt veritas vniuerſaliſſima, omnibus rebus communis, quæ paſſio entis dicitur, & cum ente conuertitur, vt probatur infra, art.3. de qua pronunciauit Philoſophus 2. Met. t. 4. *Vt ſecundum eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundum veritatem.* Hæc veritas, quia nulli certo affixa eſt rerum generi, ſed omnia tranſcendit, dicitur tranſcendentalis: præterea quia conuenit ipſis entibus quatenus entibus ſecundum ſe ſumptis, dici etiam ſolet veritas in eſſendo: demum, quia reperitur quoque in rebus ſimplicibus, & incomplexis, appellatur veritas incomplexa.

*Alia tranſcendentalis, & in eſſendo, & incomplexa.* Ariſtoteles.

2. Alia verò eſt veritas particularis, & intellectus propria, de qua accipi poteſt dictum illud Ariſtotelis 6. Met. t. 8. *Non eſt falſum, & verum in rebus, ſed in mente*, ergo in intellectu non ſolum eſt veritas tranſcendentalis, quæ etiam in omnibus rebus eſt, atque adeo in ipſomet intellectu, qui res quædam eſt; ſed quædam etiam alia veritas, quam cæteræ omnes res non habent. Has duas veritates diſtinguere videtur ſanctus Thomas infra art. 3. ad 1. illis verbis. *Verum eſt in rebus, & in intellectu. Verum autem quod eſt in rebus, conuertitur cum ente ſecundum ſubſtantiam. Sed verum quod eſt in intellectu, conuertitur cum ente, vt manifeſtatiuum cum manifeſtato.* & in hoc articulo ante finem corporis diſtinguit, *veritatem ſecundum quod eſt in intellectu*, ab alia veritate, *ſecundum ordinem ad intellectum.* Hinc colligitur huius diſtinctionis ratio à priori. Quoniam operationes intellectus habent quandam regulam, diſtinctam à communi regula cæterarum rerum, cum qua & difformitatem, & conformitatem habere poſſunt: ergo etiam habere debent diſtinctam veritatem, cum hanc omnes rectè aſſerant eſſe conformitatem cum regula. Antecedens patet, quia regula operationum intellectus eſt obiectum, cuius ex propria natura manifeſtationes, ac repræſentationes quædam ſunt: quam regulam certum eſt non habere omnia entia. Quare præter commenſurationem ad ideam diuinam, in qua veritatis tranſcendentalis rationem ſitam eſſe infra oſtendam, datur in operationibus quædam alia commenſuratio, ſiue adæquatio ad obiectum: de eſſentia enim operationis intellectiuæ eſt repræſentare obiectum; quando igitur operatio repræſentat obiectum eo modo, quo ipſum obiectum repræſentari exigit, dicitur vera; quod ſi ſecus repræſentet, dicitur falſa; non veritate, ſeu falſitate tranſcendentali, ſed quadam alia, quæ appellari poteſt repræſentatiua, ſiue in repræſentando. Confirmari poteſt primò ex communi modo loquendi, quia omnes ſemper, & abſolutè dicimus, orationem, ſiue propoſitionem, ſiue apprehenſionem eſſe veram, vel falſam; & ferè nunquam dicimus, hominem, vel lignum, vel aërem verum, & falſum: ergo ſignum eſt ineſſe intellectui peculiarem quamdam veritatem. Secundò, quia operatio, qua ego apprehendo hominem, rationale animal; ita vt rationale ſit loco generis, animal ſit loco differentiæ, vel qua iudico, hominem eſſe immortalem, eſt vera operatio veritate tranſcendentali, cùm ſit eſſentialiter perfecta in ratione operationis, & verus, ac realis actus mentis; & tamen eſt falſa: ergo operatio intellectus præter tranſcendentalem, habet aliam veritatem in ordine ad obiectum, cui conformis, aut difformis in repræſentando eſſe poteſt. Agam prius de de veritate intellectiua, poſterius de tranſcendentali: tam quia intellectiua eſt facilior, & nobis notior: tum quia tranſcendentalis eſſentialiter includit veritatem aliquam intellectiuam, vt probabo.

*Alia particularis in repræſentando, & complexa.* Ariſtoteles. S.Thom. *Probatur prædicta diſtinctio.* *Ratio ordinis diſputandi.*

## DVBITATIO I.

### *Quid ſit veritas propria operationum intellectus.*

SVMMA.

1 *Probatur primo contra Heruæum, & Soncinatem, non eſſe conformitatem rei ſecundùm ſe cum eadem re, vt cognita. n.3.& 4.*
2 *Probatur ſecundo contra Durandum, non eſſe conformitatem rei, vt cognitæ cum re ſecundùm ſe. num.5.*
3 *Probatur tertio cum communi, eſſe conformitatem cognitionis cum obiecto. n.6.ad 10.*
4 *An veritas intellectiua ſit etiam in ſpecie intelligibili. n.8.*
5 *Probatur quarto eſſe conformitatem cognitionis cum obiecto ſecundùm ſe. n.10.*
6 *Soluuntur argumenta Durandi. n.11.& 12.*
7 *Soluuntur argumenta Heruæi. n.13.& 14.*
8 *Soluuntur argumenta aliorum. n.15.ad 21.*
9 *De veritate cognitionis diuinæ. n.15.*
10 *De veritate, & falſitate cognitionis entium rationis. n.16.& 17.*
11 *De veritate cognitionis practicæ. n.19.*
12 *De veritate ſecundæ operationis. n.20.*

3. PRima concluſio, peculiaris illa veritas, quam operationes intellectus habent in repræſentando, non eſt conformitas rei ſecundùm ſe, & vt habet eſſe reale cum eademmet re, vt eſt concepta à nobis. Eſt ſancti Thomæ hîc ad 3. qui de hac veritate loquitur, cùm docet, eã eſſe in intellectu, non in rebus, ſicut ſanitas eſt in animali, non in medicina. Sequuntur alij communiter contra Heruæum quodlib.3.q.1.art.2.3.& 4. qui expreſsè lõquens de veritate intellectiua, & repræſentatiua, vt diſtincta à veritate tranſcendentali, in art.3. clarius exponit opinionem ſuam his verbis, *Dicendum quòd veritas, formaliter accepta, eſt conformitas rei, ſecundùm id, quod eſt, ad illud, quod de ea intelligitur.* & paulò poſt ita concludit, *Veritas formaliter conſiſtit in conformitate rei, ſecundùm quod eſt, ad ſeipſam, ſecundùm quod intellecta.* Heruæum ſequutus eſt Soncinas 6.Metaph. q.16. concluſione 3. Probatur concluſio primò, ſi homo, v.g. ſecundùm ſe, conformis homini concepto, eſt verus homo; ergo homo ſecundùm ſe, difformis homini concepto, eſt homo falſus. Quod conſequens videtur valde abſurdum, quoniam aliquis in ſe veriſſimus homo habere poteſt difformitatem cum aliquo malè concipiente hominem. Dices, ſolum ſequi, hunc hominem eſſe falſum, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed repræſentatiuè, ſiue conceptibiliter; quia, ſcilicet, non rectè repræſentatur, & concipitur. Sed contra, quia cum aliquid non rectè repræſentatur, vitium, ſiue irrectitudo falſæ repræſentationis non eſt in repræſentato, ſed in repræſentante, eiúſque repræſentatione; ita vt ideo homo ſit falſus repræſentatiuè, quia eius repræſentatio falſa in ſe eſt, non autem quia homo ipſe repræſentatus falſus in ſe eſt, ſed ſolum eſt in ſe verus terminus falſæ repræſentationis; & denominatur falſus in repræſentando paſſiuè, non ex intrinſeca aliqua falſitate repræſentatiua in ſe exiſtente, ſed per extrinſecam denominationem à falſitate repræſentatiua

*Prima concluſio, non eſt conformitas rei, ſecũdùm ſe ad rem, vt intellectam. Eſt S.Thomæ.* *Contra Heruæum.* *Et Soncinatem.* *Prima concluſionis ratio ex oppoſita falſitate.*



intrinſecè exiſtente in ipſa repræſentatione, ſeu conceptione, malè ipſum repræſentante. Vnde ſi imago Chriſti Domini non bene Chriſtum repræſentaret, valde impropriè diceremus Chriſtum eſſe falſum imaginatum per illam imaginem: propriiſſimè verò, imaginem eſſe falſam imaginem Chriſti imaginati. Ergo ſi res ſunt veræ, & falſæ repræſentatiuè, ex eo quod rectè, & non rectè ab intellectu repræſentantur, ipſæ res non erunt veræ, & falſæ per veritatem, & falſitatem repræſentatiuam ipſis formaliter, & intrinſecè conuenientem, ſed tales erunt conceptiones rerum. Quare veritas, & falſitas in repræſentando non erunt conformitas, & difformitas rerum repræſentatarum, ſed conceptionum repræſentantium.

4. Probatur ſecundò à priori. Veritas, vt omnes fatentur, etiam ipſemet Heruæus ſupra, eſt conformitas, ſiue commenſuratio rei veræ cum ſua regula, & menſura: ſed res intellecta non eſt regula rei ſecundùm ſe, ergo veritas non poteſt eſſe conformitas rei ſecundùm ſe cum eadem re prout intellecta. Minor patet, quia veritas menſurati dependet à veritate menſuræ, ita vt ideo ſit verum menſuratum, quia tale eſt, qualis eſt eius menſura. v. g. quia Cæſar eſt menſura, & regula imaginis Cæſaris, ſequitur, hanc ideò eſſe veram Cæſaris imaginem, quia talis eſt, qualis eſt Cæſar. Sed veritas rei ſecundùm ſe non pendet à veritate rei prout conceptæ. v. g. aurum in ſe non ideo eſt verum aurum, quia aurum conceptum eſt verum; ſed contra potius, ideo aurum conceptum eſt verum, quia aurum ſecundùm ſe eſt verum, ſiue, quia tale eſt, quale eſt aurum ſecundùm ſe: alioqui cùm quis pro auro intelligit aurichalcum, & non verum aurum, iam aurum ſecundùm ſe non erit verum aurum, quia non eſt tale, quale eſt aurum in intellectu. Arguo tertiò ex Ariſtotele, quia 6. Met. t. 8. & 9. Met. t.21. & 22. & 6. Ethic.cap.2. & in Poſtprædicamentis cap.de Priori. & in 3.de anima t.21. & 22. apertè docet, veritatem, & falſitatem non eſſe in rebus, ſed in intellectu. Quartò, ex communi vſu loquendi; omnes enim abſolutè, & ſimpliciter dicimus, orationes, propoſitiones, & operationes mentis eſſe veras, & falſas; & non eodem modo de rebus loquimur. Vnde Philoſophus in Prædicamentis cap. de ſubſtantia circa finem, *eo*, inquit, *quod res eſt, aut non eſt, eo etiam oratio vera, vel falſa eſſe dicitur.* Vbi, vt rectè adnotauit S. Thom. hic ad 3. non dicitur propoſitio vera, ex eo quod res eſt vera, ſed ſolum ex eo quod res eſt ſimpliciter. Quia *licet veritas intellectus noſtri à re cauſetur, non tamen oportet, quod in re per prius inueniatur ratio veritatis: ſicut nec ratio ſanitatis per prius inuenitur in medicina, quàm in animali; virtus enim medicinæ, non ſanitas eius cauſat ſanitatem, cum non ſit agens vniuocum; & ſimiliter eſſe rei, non veritas eius cauſat veritatem intellectus.*

*Secũda ratio à priori ex eſſentia veritatis.* *Tertia ratio ex Ariſtotele.* *Quarta ratio ex vſu loquendi.* Ariſtoteles. S.Thomas.

5. Secunda concluſio. Eadem veritas non eſt conformitas rei vt cognitæ cum re ſecundùm ſe. Ita omnes contra Durandum 1. d. 19. q. 5. à num.12. contendentem, veritatem, ſeu conformitatem illam, quæ eſt veritas intellectiua, non eſſe in intellectu ſubiectiuè, ſed ſolum obiectiuè; *eſt enim veritas*, inquit num. ſuo 13. initio, *conformitas eiuſdem ad ſeipſum ſecundùm aliud, & aliud eſſe, ſcilicet eſſe intellectum, & eſſe reale.* Quæ opinio conuenit cum opinione Heruæi; quia vtraque ponit veritatem formaliter in re, non in intellectu, & eſſe conformitatem eiuſdem ad ſeipſum. Differt autem, quia Heruæus eam eſſe vult formaliter in re ſecundùm ſe, & terminari ad eandem rem, vt intellectam: contra verò Durandus vult eſſe formaliter in re, vt intellecta, & terminari ad eandem rem ſecundùm ſe. Illud, in quo conuenit, ſatis reiectum eſt concluſione præcedenti, probando, veritatem eſſe formaliter in intellectu, non in rebus. Illud, in quo differt, impugnatur primò, quia eſſe cognitum, nihil verè addit rei, cum ſit denominatio extrinſeca ab actu cognitionis: ergo ſi veritas eſt conformitas rei, vt cognitæ, ad rem ſecundùm ſe, & illud, *vt cognitæ*, non reduplicat ſubiectum veritatis, ſeu cognitionem in ſe formaliter veram, ſed ſolum, vt explicat ipſemet Durandus ſupra, *dicit conditionem denominantem obiectum*, iam veritas erit conformitas eiuſdem omnino ad ſeipſum. Quod etſi concedatur à Durando, tamen dici verè non poteſt, quia tunc idem reſpectu ſui ipſius erit formaliter menſura, & menſuratum; nam veritas ſecundùm omnes, eſt relatio menſurati ad menſuram. Idem autem menſurare ſeipſum, nihil prorſus conducit ad cognoſcendam veritatem potius, quàm falſitatem, cum tam vero, quàm falſo conueniat, idem menſurare ſeipſum; quod nihil aliud eſſe videtur, niſi idem eſſe id quod eſt. Secundò, ideo res vt cognita, eſt vera, & conformis rei ſecundùm ſe, quia denominatur à cognitione, quæ eſt conformis rei ſecundùm ſe; ſicut ambulatio, v. g. prout volita humano modo, eſt libera, quia vt ſic dependet ab actu libero voluntatis, à quo ambulatio extrinſecè denominatur libera; alioqui nulla in re ipſa apparet neceſſitatis ratio, ob quam res indigeat cognitione, tanquam pura conditione, ad hoc vt res eſſe poſſit in ſe formaliter vera, & conformis ſibi ipſi. Ergo ſi res vt cognita habet conformitatem cum re ſecundùm ſe, propter cognitionem, à qua denominatur conformis, in ipſa cognitione præcipuè, & formaliter ponenda eſt conformitas, & veritas, non in re vt cognita. Tertiò. Peculiaris iſta veritas intellectiua, de qua nunc agimus, eſt conformitas repræſentationis, & commenſurationis. Res autem vt cognita, repræſentat rem ſecundùm ſe, præcisè ratione cognitionis, quia hæc ſimpliciter, ac præcisè eſt repræſentatio rei, non res repræſentatio ſui ipſius. Item res vt cognita menſuratur à re ſecundùm ſe, ratione cognitionis præcisè, quia hæc pendet ab obiecto, tanquam à regula menſurante cognitionis repræſentationem de ipſo obiecto: ergo veritas non eſt conformitas rei vt cognitæ ad rem ſecundùm ſe, ſed ſolius cognitionis; quoniam veritas eſt conformitas menſurati cum ſua regula menſurante; non menſuratur autem res ſecundum ſe à re vt cognita, ſed ſolum cognitio menſuratur à re ſecundùm ſe.

*Secunda concluſio contra Durand. Non eſt conformitas rei vt intellectæ cum re ſecundùm ſe.* *Conueniẽtia, & differẽtia opinionum Heruæi, & Durandi.* *Prima concluſionis ratio.* *Quid ſit idẽ omnino menſurare ſeipſum.* *Secũda ratio.* *Tertia ratio.*

6. Tertia concluſio. Veritas intellectiua eſt conformitas cognitionis cum ſuo obiecto. Eſt valde communis, nam teſte ipſomet Durando 1. d. 19. quæſt. 5. num. 8. *communiter dicitur, veritas eſt conformitas, vel adæquatio intellectus ad rem.* Et clarè ſignificatur ab Ariſtotele locis ſupra citatis, ſæpe negante, veritatem eſſe in rebus, & affirmante eſſe in intellectu. Significatur etiam à ſancto Thoma hic illis verbis poſt principium corporis, *Cum verum ſit in intellectu, ſecundùm quod conformatur rei intellectæ*, & articulo ſequenti initio corp. *Neceſſe eſt quod intellectus, in quantum eſt cognoſcens, ſit verus, in quantum habet ſimilitudinem rei cognitæ, quæ eſt forma eius in quantum eſt cognoſcens.* Et de illa Auguſtini definitione, *Veritas eſt, qua oſtenditur id quod eſt.* & de illa alia Hilarij definitione, *Verum eſt declaratiuum, aut manifeſtatiuum eſſe*, ait in hoc articulo ante finem corp. iuxta

*Tertia cõcluſio. Eſt cõformitas cognitionis cũ obiecto.* Durand. Ariſtoteles. S.Thom. *Definitiones veritatis ex Auguſtino & Hilario.*

ſenſum huius concluſionis; *Pertinet ad veritatem, ſecundùm quod eſt in in ellectu, & ad non veritatem, ſecundum ordinem ad intellectum*, quæ eſt rerum omnium tranſcendentalis veritas; & iuxta hanc concluſionem

Aureol.

Aureolus 1.d.19.q.3.art.2.propoſitione 1. §. *Ex prædictis*, quamuis teneat, veritatem tranſcendentalem non conſiſtere in conformitate ad intellectum, de qua re infra, dub.6. dixit, quòd *fortè illa veritas quæ reſpicit intellectum, conſiſtit formaliter in conformitate intellectus ad rem.*

7.

*Probatio cõcluſionis.*

Hæc concluſio ſequitur ex probatis; quia cum hæc veritas ſit quædam conformitas, & non ſit conformitas rei, neque ſecundùm ſe, neque vt cognitæ, vt oſtenſum eſt, ſequitur neceſſariò, vt ſit conformitas intellectus; quia ſecundùm illud commune axioma, cuius meminit S. Thomas hic in fine corp. *Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus.*

*Cõmunis definitio veritatis.*

Si igitur veritas non ſubiectatur in re, non remanet aliud, in quo ſubiectari poſſit, niſi in intellectu. Vnde fit, quod expreſsè aduerterunt Heruæus, & Durandus ſupra, & reliqui omnes, vt hæc conformitas, ſiue adæquatio, eſſe debeat in repræſentando, vt ſcilicet per cognitionem ita repræſentetur intellectui res, ſicut in ſe eſt; non autem in eſſendo, vt ſcilicet cognitio, & eius obiectum ſimilitudinem habere debeant in entitatibus; hoc enim falſum eſſe patet, quoniam res cognita poteſt eſſe ſubſtantia, vel quantitas, vel aliquod aliud rerum genus, ſiue materiale, ſiue immateriale; creata verò cognitio ſemper eſt immaterialis quædam qualitas. Eſto autem detur talis conformitas in eſſendo inter cognitionem, & obiectum, vt cum per vnam cognitionem intelligitur alia eiuſdem naturæ cognitio, adhuc tamen, vt acutè notauit

*Veritas intellectus eſt cõformitas in repræſentãdo, nõ in eſſendo.*

Durandus.

Durandus ſupra num. ſuo 8. *non conſiſtit in illa veritas, quia cum illa attendatur ſecundùm naturam rerum, æqualiter poteſt eſſe inter intellectum, & res, quas nunquam intelliget, aut intellexit, ſicut inter intellectum, & res, quas intelligit; veritas autem non eſt ſine cognitione. Quare, &c.*

8.

Declaratur magis dependentia huius concluſionis ab aliis præcedentibus, ex quibus habemus, quòd hæc veritas intellectiua, eſſe debeat in intellectu: quoniam verò in intellectu poſſumus quatuor conſiderare, ac diſtinguere, in quibus huiuſmodi veritas reperiatur: primum eſt ipſamet potentia intellectiua; ſecundum actus cognitionis; tertium ſpecies intelligibilis: quartum eſt verbum mentis, hoc eſt, qualitas quædam producta per actum intelligendi, quæ eſt imago, & ſimilitudo expreſſa obiecti, in qua immediatè intellecta intelligitur obiectum.

*Veritas intellectiua eſt in potentia intellectus.*

Veritatem igitur non eſſe conformitatem potentiæ, patet, quia potentia non eſt ex ſe repræſentatiua, ergo non poteſt habere immediatè in ſe veritatem intellectus, quæ conſiſtit in conformitate in repræſentando.

*Non in verbo.*

Patet etiam non eſſe conformitatem verbi prædicti, quia illud non datur ex probatis in 1. tom. q.12. art.2. dubio 6. & 7. etiam iuxta ſententiam S. Thomæ.

*Non in ſpecie impreſſa.*

Demum non eſſe conformitatem ſpeciei intelligibilis, probo primò, quia multi negant iſtas ſpecies, nemo autem negat veritatem intellectiuam. Secundò, viſio beatifica habet ſine dubio veritatem intellectiuam, & tamen de facto non habet ſpeciem intelligibilem, vt ſupra q. 12. art. 2. dubio 8. & 9. De facto etiam Angeli ipſi ſe cognoſcunt ſine ſpecie, vt probaui in proprio loco, & tamen ipſi ſe veriſſimè cognoſcunt. Tertiò, ſi per impoſſibile haberem veram ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam, v. g. diuiſionis inter bipedalitatem, & ſolem, & tamen iudicarem, ſolem eſſe bipedalem, adhuc intellectus falsò operari diceretur: & ſi è contra, haberem falſam ſpeciem, repræſentatiuam compoſitionis inter illa duo, & tamen illa diuiderem, vere operarer; ergo veritas intellectus cognoſcentis, & operantis eſt attendenda ſimpliciter, & abſolutè penes conformitatem cognitionis, & non ſpeciei; licet per accidens, quia, ſcilicet, intellectus non poteſt cognoſcere rem, ſicuti eſt, niſi res ſicuti eſt repræſentetur à ſpecie, eſſe nequeat veritas cognitionis, niſi etiam ſpecies ſuam habeat veritatem, quæ nimirum intellectiua quædam veritas eſt incompleta, & in actu primo, non autem completa in actu ſecundo vltimato, quæ eſt abſoluta, & vltimata perfectio intellectus operantis, & cognoſcentis, quam veritatem nunc inquirimus; eſto in ſpecie intelligibili aliqua veritas ſimpliciter admitti poſſit, quam veritatem concedunt Ferrarienſis 1. contra gent. cap.59. in prima reſponſione ad primum dubium, in hoc ſenſu exponens dictum illud ſancti Thomæ de Veritate quæſt.1.art.1. circa finem corporis, *cognitio eſt quidam veritatis effectus*; *quod*, inquit Ferrarienſis, *intelligitur de veritate imperfectè ſumpta ratione ſpeciei intelligibilis*: Fonſeca 4. Met. cap.2.quæſt.6.ſect.5.ad 2. Zumel hic, diſp. 2. concluſ. 2. quia ſpecies quoque eſt quædam imago, obiecti repræſentatiua, nimirum imperfectè, & veluti habitualiter; ſi igitur hæc ſpeciei imago repræſentat rem talem, qualis in ſe eſt, erit imago conformis rei repræſentatæ, ac proinde vera, ſicut vera eſt imago Cæſaris, repræſentans Cæſarem, prout eſt à parte rei; ſi verò repræſentet contrario modo, erit falſa. Verum de hac ſpeciei qualicunque veritate, ac falſitate, idem iudicium ferendum eſt, quod de veritate, ac falſitate primæ operationis intellectus, art. ſequenti.

*Quæ veritas concedi poſſit ſpeciei intelligibili cum Ferrarienſi, Fonſeca, & Zumel.*

Supereſt igitur, vt veritas intellectiua in repræſentando ſit in ſolo actu cognitionis, & ſuaderi poteſt primò à priori, quia obiectum eſt regula, & menſura cognitionis, cum qua regula cognitio habere poteſt conformitatem, & difformitatem, vt patet; ergo veritatem; quia veritas eſt conformitas rei cum ſua regula. Secundo à poſteriori certum eſt, ipſammet operationem intellectus præciſè, ac ſimpliciter denominari veram, vel falſam; non extrinſecè à re ſecundùm ſe, ſiue à veritate, & falſitate, quæ formaliter, & intrinſecè ſit in rebus; quia eodem obiecto inuariato manente, & eodem tempore, aliquæ operationes circa illud obiectum ſunt veræ, aliquæ falſæ, v. g. circa eundem ſolem, dum Philoſophus verè iudicat eſſe maiorem terra, ruſticus falsò iudicat eſſe multò minorem. Ergo talis denominatio erit à veritate, & falſitate, quæ formaliter ſit in operationibus. Habemus hactenus, quod ad ſubiectum veritatis pertinet, veritatem eſſe conformitatem cognitionis. Quoniam verò hæc conformitas terminatur ad obiectum, ſiue rem, quæ cognoſcitur, & hæc res poteſt dupliciter conſiderari, primò, vt eſt in ſe, ſecundò vt repræſentatur, & apprehenditur, de hoc veritatis termino inquirendum remanet, an veritas ſit conformitas cum re ſumpta primo modo, vel ſecundo modo. Pro qua difficultate ſit

9.

*Sed in actu intelligendi.*

10.

*Quarta cõcl. Eſt cõformitas cognitionis cũ obiecto ſecũdùm ſe. S. Thomã non eſſe contrarium.*

Quarta concluſio. Veritas intellectiua, eſt conformitas cognitionis cum re, non vt cognita, ſed vt eſt in ſe. Eſt communis, neque contrarium docet S. Thomas verbis relatis ſup. n.6. quia illis tradere voluit conditionem quandam termini veritatis, materialiter neceſſariam, non formalitatem ipſam termini, quia res terminare non poteſt conformitatem

tatem



tatem cognitionis, niſi prius natura intelligatur cognita, prius enim ſecundùm naturam eſt, rem cognoſci ſimpliciter, quàm talem cognitionem eſſe veram, & conformem, vel falſam, & difformem, cùm veritas, & falſitas ſint quædam cognitionis proprietates, cognitionem præſupponentes, & conſequentes, tamen non habet formalem rationem termini veritatis ex eo reduplicatiuè, quòd ſit cognita, vel repræſentata, per ſpeciem ſiue impreſſam, ſiue expreſſam; ſed ſolum ex eo quod ſibi ſecundùm ſe intrinſecè competit. Vnde hic ad 3. ait, *eſſe rei, non veritas eius cauſat veritatem intellectus*, ergo ſentit, veritatem intellectus terminari ad *eſſe rei* ſimpliciter, & abſolutè, non ad eſſe rei vt cognitum.

*Prima concluſionis ratio à priori.*

Probatur primò à priori; veritas in genere eſt conformitas entis cum ſua regula, ſeu menſura: ſed menſura cognitionis non eſt res vt formaliter cognita, ſed res ſecundùm ſe; quia illud eſt menſura, & regula cognitionis, quod à cognitione repræſentatur, & apprehenditur; hoc autem, vt patet, non eſt res quatenus repræſentata, & apprehenſa, ſed quatenus eſt in ſe: ergo ad hanc formaliter terminatur veritas cognitionis.

*Secunda ratio à poſteriori.*

Secundò à poſteriori, quoniam ſequeretur, nullam cognitionem eſſe falſam, ſed omnes eſſe veras: nam cognitio ſemper eſt conformis rei vt repræſentatæ. Vnde ſi quis iudicaret, v. g. ſolem eſſe bipedalem, Angelum eſſe corporeum, haberet conformitatem cum re vt repræſentata, quia ſol illi repræſentaretur bipedalis, & Angelus corporeus: & tamen non verè iudicaret, quia illa iudicia non eſſent conformia rebus ſecundùm ſe: ergo ad res vt ſunt in ſe, & non vt cognitas, terminatur formaliter conformitas, in qua veritatis intellectiuæ ratio conſiſtit.

## *Diſſoluuntur contraria argumenta.*

11.

*Prima obiectio ex Durando.*

Obiicies primò ex Durando ſupra num. ſuo 12. *Conformitas in repræſentando, vel cognoſcendo, præciſè conſiſtit in hoc, quòd repræſentans, vel cognoſcens, repræſentat, vel cognoſcit, rem ſic eſſe, ſicut ipſa eſt. Sed talis conformitas attenditur ſolum ſecundùm id quod ſe habet obiectiuè ad intellectum, & non ſubiectiuè*: ergo conformitas in repræſentando, & veritas ipſa, eſt conformitas obiecti cogniti, & non cognitionis. Minorem probat, quia particulæ illæ, *ſic, & ſicut, notæ ſunt conformitatis prædictæ, in qua formaliter conſiſtit veritas. Sed ſic, & ſicut, ſunt ibi conditiones obiecti, & non ipſius actus intelligendi: non enim eſt ſenſus, quòd actus intelligendi, ſic ſe habeat ad intellectum, in quo eſt ſubiectiuè, ſicut ſe habet res intellecta ad ſuum eſſe reale, quia hoc eſſet falſum; ſed eſt ſenſus, quòd res intelligitur ſic eſſe, ſicut ipſa eſt, ita quod conformitas eſt inter eſſe apprehenſum, & eſſe in re; quia quale eſſe habet res, tale apprehenſum, & non aliud.*

*Reſpondetur declarando ſenſum, quem faciũt* ſic *&* ſicut *in hac materia.*

Reſpondeo illas particulas, *ſic*, & *ſicut*, poſſe cadere tam ſupra rem repræſentatam, quàm ſupra cognitionem repræſentantem; ſignificant enim relationem quandam inter rem, & cognitionem, v. g. veritas cognitionis de cœlo, dupliciter explicari poteſt, primò *ſic* cœlum repræſentatum eſt, *ſicut* cœli natura poſtulat; & tunc, *ſic*, & *ſicut* cadunt ſupra obiectum: ſecundò *ſic* cognitio repræſentauit cœlum, *ſicut* exigebat natura cœli; & tunc *ſic*, & *ſicut* cadunt ſupra cognitionem. Quando igitur iſtæ particulæ tenent ſe ex parte rei, habent rationem repræſentati; quando verò ex parte cognitionis, habent rationem repræſentantis. Veritas igitur, cum ſit formaliter conformitas in repræſentando, non in repræſentato eſſe, penes id attendenda formaliter eſt, ſupra quod cadunt *ſic*, & *ſicut* in repræſentando, quod eſt cognitio, & non in repræſentato, quod eſt obiectum; igitur *ſic* & *ſicut*, ſi cadunt ſupra repræſentantem, ſunt notæ formalis conformitatis, & veritatis in repræſentando: ſi cadunt ſupra repræſentatum, ſunt notæ termini, ad quem talis conformitas ordinatur.

12.

*Secunda obiectio ex Durando.*

Obiicies ſecundò ex eodem, num. ſuo 13. *Illud eſt verum formaliter, quod ſignificatur per propoſitionem veram*, ſed hoc eſt obiectum, ergo, &c. Maiorem ſic probat, *Quia ſignum non dicitur tale, niſi quia ſignificat illud, quod eſt tale formaliter; ſicut vrina non dicitur ſana, niſi quia ſignificat ſanitatem animalis, quæ eſt formaliter ſanitas. Similiter propoſitio non dicitur vera, niſi quia ſignificat illud, quod eſt formaliter verum.* Ergo cum cognitiones, & propoſitiones ſint ſigna rerum, dicentur veræ à veritate, non in ipſis exiſtente, ſed in rebus ſignificatis.

*Reſpondetur declarando quid ſit eſſe verum formaliter.*

Reſpondeo, falſam eſſe maiorem. Verum enim formaliter in repræſentando, de quo nunc diſputamus, definiri potius debet, eſſe id, quod repræſentat aliud ſicuti eſt; quod in caſu noſtro non eſt obiectum, ſed cognitio. Ad probationem maioris dico, ea quæ ſigno attribuuntur, non eſſe omnia ſemper eiuſdem rationis: quædam enim tenent ſe ex parte rei ſignificatæ, quædam ex parte ipſius ſigni. v. g. Vrina dicitur ſignum, dicitur indicare, &c. ex ſe, & non quia repræſentat aliud, quod ſit formaliter ſignum, vel formaliter indicatiuum, &c. Dicitur verò ſana, infirma, &c. propter rem ſignificatam, quæ eſt formaliter ſana, & infirma. Quando igitur ſignum dicitur tale per denominationem ſumptam à re ſignificata, vera eſt maior probationis: quando autem dicitur tale ex ſe, & non per aliud, quod ſit in ſignificato, tunc eſt falſa. At in caſu noſtro cognitio ſeu propoſitio dicitur vera, & conformis, non quòd ſignificet veritatem, & conformitatem, quæ ſit in re; ſed ſolum, quia ipſa in ſe eſt talis formaliter.

13.

*Tertia obiectio ex Heruæo.*

Obiicies tertiò ex Heruæo ſupra in tertia ratione contra primam opinionem. *Contingit, quòd aliquid moueat intellectum ad cognoſcendum rem, quæ intellectum adhuc non mouet: ſicut Deus poteſt mouere intellectum meum ad cognoſcendum Antichriſtum futurum: ſed in tali cognitione eſt veritas; ergo ad veritatem nihil facit, quod intellectus moueatur ab obiecto, vel non. Nec per conſequens, quod vnum dicatur menſuratum ab alio.*

*Reſpondetur ad veritatẽ requiri motionẽ, & commenſurationẽ formalem, non effectiuã.*

Reſpondeo, obiectum mouere intellectum, poſſe ſumi dupliciter. Primò de mouere effectiuè, & hoc non eſſe neceſſarium ad veritatem repræſentatiuam intellectus, conuincit argumentum factum; ſecundò de mouere formaliter, quod nihil eſt aliud, quàm exigere ab intellectu talem repræſentationem, qualis eſt ipſa intrinſeca forma, ac natura rei ſecundùm ſe, quæ ab intellectu repræſentatur per ſuam intellectionem. Quæ formalis, ſeu terminatiua motio, ſemper eſt eſſentialiter neceſſaria ad fundandam huiuſmodi veritatem, ſiue obiectum ipſum immediatè, ſiue eius ſpecies intelligibilis, ſiue etiam ipſemet Deus ſupplens vicem creati obiecti, & ſpeciei intelligibilis, moueat effectiuè intellectum ad intelligendum. In eodem ſenſu dicendum ad vltimum conſequens, non eſſe neceſſarium ad veritatem, vt vnum dicatur ab alio menſuratum effectiuè, ſed ſolum formaliter.

14.

*Quarta obiectio ex Heruæo.*

Obiicies quartò ex eodem quodlib.3. q.1.art.2. multo poſt med. *In eo eſt veritas formaliter, quod reſpondet ei, quod eſt verum repræſentatiuè. Sed propoſitio, & conceptus mentis dicuntur veræ repræſentatiuè: ergo*



illud

*illud quod eſt repræſentatum per ipſas eſt verum formaliter, ſed tale repræſentatum eſt obiectum intellectus; ergo veritas formaliter conuenit obiecto intellectus.*

*Reſpondetur verum formaliter non eſſe, quod correſpondet vero repræſentatiuè.*

Reſpondeo, negando maiorem. Nam illud, quod reſpondet ei, quod eſt verum repræſentatiuè, eſt res repræſentata, & non repræſentans, veritas autem in repræſentando, eſſe formaliter debet in eo, quod repræſentat, & eſt cognitio; non poteſt autem eſſe in eo, quod repręſentatur, & eſt obiectum. Itaque illud idem quod eſt verum repræſentatiuè, eſſe debet verum formaliter in repræſentando, quod autem illi reſpondet, eſt verum terminatiuè, non formaliter.

15. *Quinta obiectio ex alijs.*

Obiicies quintò. Intellectus diuinus eſt verus magis, quàm quiuis alius intellectus; & tamen non eſt verus per conformitatem ad res cognitas, tanquam ad menſuram; quia cum actus diuinus ſit infinitè perfectus, non poteſt dependere à re creata, vt à menſura: ergo veritas ſimpliciter non conſiſtit in conformitate menſurati ad menſuram.

*Reſpondetur explicando quomodo veritas ſit etiã formaliter in cognitione diuina.*

Reſpondeo ex probatis ſupra q. 12. art. 8. Deum cognoſcere res omnes creatas, & poſſibiles per cognitionem ſuæ propriæ eſſentiæ, in qua ſicut eminenter, & virtualiter continentur omnia, ita eſt virtus omnium repræſentatiua. Obiectum igitur intellectus diuini, eſt ipſamet diuina eſſentia: & eius veritas formaliter etiam conſiſtit in conformitate ad eſſentiam; quæ dici poteſt menſura intellectus diuini, in quantum ratio menſuræ importat tantum perfectam quandam adæquationem cum menſurato: alioqui ſi accipiatur etiam menſura, prout ſignificat ordinem ad menſuratum, quod ſit finitum, vel dependens, nullo pacto eſt in Deo concedenda.

16. *Sexta obiectio.*

Obiicies ſextò. Intellectus noſter, verus etiam eſt, intelligens entia rationis: ſed iſtis non poteſt conformari intellectio, neque ab iſtis menſurari, tum quia habent eſſe poſt operationẽ intellectus; nullum autem prius menſuratur ab alio poſteriori: tum quia operatio intellectiua eſt ens reale, ergo menſurari non poteſt ab ente rationis.

*Reſpondetur cognitionem noſtram veram menſurari etiã ab entibus rationis.*

Reſpondeo, negando minorem. Et ad primam illius probationem dico, ens rationis, & cognitionem, ad quam illud conſequitur, eſſe viciſſim priora, & poſteriora in diuerſo genere cauſæ; nam in genere cauſæ efficientis, ſeu quaſi efficientis, prius eſt apprehenſio entis rationis, quàm ens rationis apprehenſum; ideo enim eſt ens rationis, quia apprehenditur. In genere autem cauſæ formalis prius eſt ens rationis, quàm ſit illius apprehẽſio, eſt enim non ſolum effectus, ſed etiam obiectum ſuæ apprehenſionis, vnde communiter dicitur, nullum aliud eſſe habere niſi obiectiuum; omne verò obiectum, vt formaliter obiectum, eſt prius illa apprehenſione, cui obiicitur, & quam extrinſecè ſpecificat, vt probaui ſupra q. 14. art. 8. à num. 50. ad 62. In hoc igitur genere cauſæ formalis extrinſecæ, ac terminatiuæ, poſſunt reales operationes menſurari ab entibus rationis, quia in tali genere hæc ſunt illis priora: & in caſu noſtro operationes in ratione formali veritatis, & conformitatis repræſentatiuæ ſuorum obiectorum, non menſurantur, ac regulantur ab obiectis, niſi vt formaliter obiectis, quam obiectiuam rationem ſine dubio participant entia rationis reſpectu operationum intellectus. Vnde nullum eſt abſurdum, quod in ſecunda probatione obiiciebatur, ens reale ab ente rationis menſurari, nimirum non realiter, ſed tantum obiectiuè.

17. *An cognitio entis rationis poſſit eſſe falſa.*

Sed aliquis quæret vlterius de hac materia obiter, an intellectus circa entia rationis, & entia ficta poſſit eſſe falſus? Reſpondeo, cum hæc entia nullum eſſe formaliter habeant, niſi obiectiuum, ſiue repræſentari, & cognoſci, intellectum, quatenus circa illa præcisè, & ſecundùm ſe verſatur, non poſſe propriè, & formaliter eſſe falſum: nam vt notaui ſupra n. 5. & 10. intellectus ſemper conformatur rei vt apprehenſæ, & vt repræſentatæ. At verò ratione fundamenti horum entium, intellectus, & verus, & falſus dici poteſt: verus, quando apprehendit illud ens rationis, quod eius fundamentum poſtulat, vt ſi quis iudicaret animal, vt prædicatum referri ad hominem vt ſubiectum, eſſet verum iudicium, ſiue vera apprehenſio prædicabilitatis, & ſubiicibilitatis; falſus, quando non ea rationis entia fundamento tribuit, quæ illi conueniunt, vt ſi animal reſpectu hominis faceret ſubiectum.

18. *Septima obiectio.*

Obiicies ſeptimò. Sicut cognitio, vt menſurata, dicit relationem ad obiectum vt menſuram, ita contra, obiectum vt menſura dicit relationem ad cognitionem vt menſuratam. Ergo non eſt maior ratio, cur veritas formaliter conſiſtat potius in illa relatione, & non in hac.

*Reſpondetur relationẽ obiecti ad cognitionẽ non eſſe veritatẽ.*

Reſpondeo maiorem rationem eſſe, quia non quælibet relatio eſt veritas, ſed relatio conformitatis cum ſua regula; quam conformitatis relationem non habet obiectum ad cognitionem, ſed cognitio ad obiectum.

19. *Octaua obiectio.*

Obiicies octauò. Saltem hanc veritatem, & conformitatem habere nequit cognitio practica, quia non hæc ab obiecto, ſed potius ab hac menſuratur obiectum, cùm ſecundùm omnes cognitio practica ſit cauſa, & menſura rerum practicarum.

*Reſpondetur declarando veritatẽ cognitionis practicæ.*

Reſpondeo in cognitione practica eſſe tria diſtinctè conſideranda, primò, quod ſit cognitio, hoc eſt, vitalis, atque actualis repræſentatio obiecti, in quo conuenit cum cognitione ſpeculatiua. Secundò, quod ſit cauſa operis ad extra. Tertiò, quod habeat ideam operis intra ſe præconcepti. Ratione primi habet in ſe formaliter veritatem, propter rationes vniuerſaliter factas de omni cognitione reſpectu ſui obiecti, vt formaliter obiecti, quod ſemper præſupponi debet cognitioni, vt formaliter cognitioni, tanquam menſura, ac forma illam formaliter, atque extrinſecè ſpecificãs. Idem enim opus artificioſum, quamuis vt effectus, ſit poſterius cognitione artificis, tamen vt obiectum, eſt prius, vt fuſius oſtenſum eſt loco citato. Ratione ſecundi, veritas neque eſt in cognitione per ordinem ad rem; neque in re per ordinem ad cognitionem, quia, vt optimè aduertit Heruæus quodlib. 3. q. 1. art. 2. in ſecunda ratione principali contra primam opinionem, de ratione veritatis non eſt, *menſurari, & menſurare ſecundùm rationem efficiendi, vel effecti, quia tunc veritas diceret relationem omnem, quæ eſt inter cauſam efficientem, & effectum, qui menſuratur à cauſa efficiente effectiuè.* Sola igitur relatio menſurationis, non effectiuæ, ſed formalis, ſeu commenſurationis regulantis, & regulatæ, facit ad propriam, ac formalem veritatis rationem. Ergo cognitio practica non eſt formaliter vera, quia producit opus; neque opus eſt formaliter verum, quia productũ eſt à cognitione practica: ſicut v. g. non ideo eſt verus ignis, quia efficit calorem; neque calor eſt verus calor, quia producitur ab igne.

*Inter cauſam efficientẽ, & effectum non eſſe veritatẽ.*
Heruæus.

*De veritate ideati reſpectu ideæ.*

Ratione tertij, veritas formaliter eſt in ideato extra artificem, terminata ad ideam in mente artificis, & non formaliter in ipſa idea; quia ideatum commenſurari, & formaliter conformari debet ideæ, non idea ideato. Sicut imago Cæſaris eſt formaliter vera, quia conformatur Cæſari; & non



& non Cæſar eſt verus Cæſar, quia illi conformatur imago Cæſaris. Hæc autem veritas, quam formaliter eſſe diximus in ipſis rebus ideatis, & imaginatis nõ eſt veritas obiecti, vt formaliter obiecti, ad cognitionem, vt formaliter cognitionem, ſiue vitalem, atque actualem repræſentationẽ obiecti, quam veritatem generaliter probauimus eſſe formaliter in cognitione, quæcunque illa ſit, ſiue ſpeculatiua, ſiue practica, ſed eſt alia peculiaris veritas, conſiſtens in paſſiua quadam conformitate, non quidem in vitaliter repræſentando, ſicut eſt veritas intellectus propria hactenus explicata, ſed potius in eſſendo; non realiter, ſeu phyſicè, in genere cauſæ efficientis, ſed exemplariter, in genere cauſæ formalis extrinſecæ; ſecundùm quam ideatum, ſiue imaginatum, dicitur verum, quia habet in ſe tale eſſe, quale eſt eſſe ideæ, ſiue imaginis, ad quod realiter exprimendum, ſeu repræſentandum, eſt ordinatum; itaque non eſt aliter philoſophandum de veritate cognitionis practicæ, ac ſpeculatiuæ, ita vt hæc ponatur formaliter in cognitione, illa in rebus cognitis, vt faciunt nonnulli, quos refert, & impugnat Heruæus ſupra; & ſequi videtur Ægidius 1. d. 19. parte 2. q. 1. *§. Aduertendum*; modò cognitio accipiatur formaliter, vt cognitio, non vt cauſa, & res cognita accipiatur formaliter, vt obiectum, non vt effectus.

*Eodem modo philoſophandum de veritate cognitionis practicæ, & ſpeculatiuæ.*
Heruæus.
Ægidius.

20. *Nona obiectio.*

Obiicies vltimò contra quartam concluſionem. Secunda operatio verſatur neceſſariò circa rem vt cognitam; ergo illius veritas eſſe debet conformitas cum re vt cognita.

*Reſpondetur quartam cõcluſionẽ verificari etiã de veritate ſecundæ operationis.*

Reſpondeo, concedo antecedens, verſari immediatè, nego autem verſari mediatè. Et ideo nego ſimpliciter conſequentiam: quamuis enim ſecunda operatio verſetur circa res antecedenter apprehenſas per primam operationem, vt declarabo art. ſequenti, tamen veritas non conſiſtit in conformitate cum re, vt apprehenſa, ſed cum re prout eſt in ſe, independenter ab apprehenſione, quæ eſt quidem neceſſaria ad formandum actum iudicij, non autem ad terminandam formalem veritatem iudicij, v. g. ſecunda operatio, qua verè iudicatur, homo eſt animal, verſatur circa terminos hominis, & animalis, per primam operationem apprehenſos; tamen eſt verum iudicium, non ex eo quod conformetur circa prædictos terminos vt apprehenſos, alioqui nunquam daretur aliquod iudicium falſum, ſed ex eo quod conformetur connexioni reali inter hominem, & animal.

## DVBITATIO II.

### *Quid ſit illa conformitas, in qua ſita eſt ratio veritatis intellectiuæ.*

SVMMA.

1 *Non eſt ipſemet actus. n. 21.*
2 *Eſt aliqua relatio addita actui. n. 22. ad 25.*
3 *Aliquando eſt relatio rationis. n. 25.*
4 *Aliquando eſt relatio realis. n. 26.*
5 *Satisfit oppoſitis rationibus. n. 27. ad 30.*

21. *Prima concluſio. Nõ eſt actus ipſe.*
Heruæus.

PRima concluſio. Hæc conformitas non eſt ipſa entitas actus præcisè, nec eius realis, & tranſcendentalis habitudo ad obiectum; ita omnes, contra quamdam antiquam opinionem, quam refert, & impugnat Heruæus quodlib. 3. q. 1. art. 2. initio. Probatur, quia hæc duo reperiuntur etiam in actu difformi, & falſo, v. g. in actu iudicante, hominem eſſe lapidem. Quare videntur de eſſentia actus ſimpliciter, & ſunt à quolibet actu inſeparabilia, & priora ſecundùm naturam conformitate, & difformitate: prius enim quàm intelligatur actus conformis, vel difformis obiecto, hoc eſt, eſſe, vel non eſſe talis in repræſentando, quale eſt obiectum in ſeipſo, præſupponitur neceſſariò actus circa obiectum ſimpliciter, & deinde ſequitur bona, vel mala repræſentatio. Ergo conceptus conformitatis addit aliquid aliud ſupra entitatem actus ſimpliciter, & tranſcendentalem eius relationem ad obiectum.

22. *Secunda concluſio. Eſt relatio addita actui.*

Secunda concluſio. Huiuſmodi additum non eſt aliquid abſolutum, ſed relatiuum. Hoc dictum eſt valde commune; & patet primò, quia hæc conformitas, eſt veluti ſimilitudo, æqualitas, proportio, & ſimilia, quorum conceptus eſſe relatiuos fatetur multò grauior, & communior opinio in ſchola Peripatetica, licet hodie à multis iunioribus Philoſophis eam negari videam; eſſe enim huius conformitatis, ſicut & aliorum ſimilium, eſt eſſe relatiuum, nempe eſſe ad aliud, hoc eſt, eſſe ad terminum, cui conformatur, & à quo regulatur, ac menſuratur, ſine quo nec explicari poteſt, nec intelligi. Secundò, docet Philoſophus in Prædicamentis cap. de ſubſtantia circa finem, eundem omnino actum, & inuariatum quoad ſua abſoluta, ex ſola variatione obiecti extrinſeci, ſeu termini, mutari de vero in falſum, & de falſo in verum. v. g. actus iudicans, Petrum currere, & durans per vnam horam, in prima ſemihora Petro currente, eſt verus, in alia ſemihora Petro quieſcente, deſinit eſſe verus, & fit falſus: ſed hoc eſt proprium relatiuorum, ex eo quod eorum eſſe ſit eſſe ad aliud; ergo conceptus veritatis, & conformitatis eſt reſpectiuus.

Ariſtoteles.

23. *Tertia concluſio. Aliquãdo eſt relatio rationis, aliquãdo realis.*

Tertia concluſio. Hæc relatio conformitatis, aliquando eſt rationis, aliquando etiam realis. Vtraque pars eſt valde communis Doctorũ, quos infra citabo, cõtra Suarez in Met. d. 8. ſect. 2. de hac peculiari veritate intellectiua, de qua nũc agimus, ingenioſè docentem, veritatis rationem, neque eſſe realem abſolutam, neque realem reſpectiuam, neque etiam reſpectiuam rationis; ſed ſolum conſiſtere formaliter in connotatione obiecti, ita ſe habentis, ſicut per actum repræſentatur. Quare vult, verum ſupra actum addere ſolam concomitantiam obiecti, vel denominationem conſurgentem ex connexione, ſeu coniunctione talis actus, & obiecti. Hic autem dicendi modus omnẽ prorſus veritatis rationem deſtruere videtur, cùm nullam illi entitatem, neque realem, neque rationis concedat, quod enim neque eſt ens reale, neque ens rationis, eſt purum nihil. Præterea argumenta facta pro concluſione præcedenti, ſatis ſuadent, conformitatis conceptum eſſe propriè reſpectiuum; alioquin licebit pariter relationum prædicamentum funditus tollere, eaſque per quaſdam connotationes, & concomitantias terminorum ſimiliter explicare, v. g. ſimilitudinem albi nihil eſſe aliud, præter connotationem alterius albi, quo variato, variari ſolum quandam denominationem, ortam ex coniunctione, ſeu coëxiſtentia duorum alborum; & eadem ratione de cæteris philoſophari.

24. *Relatio cognitionis ad obiectum eſt formaliter veritas.*

Reſpondet Suarez in num. 18. eſto conſurgat aliqua relatio inter cognitionem, & obiectum, hãc tamen ſemper natura præcedit ratio veritatis formaliter, in illo priori, quo præintelligitur exiſtentia cognitionis, & obiecti. Verùm iſta reſponſio videtur multiplicare entia ſine vlla neceſſitate, & non diſtinguere inter veritatem fundamentalem,

talem,& formalem. Quid enim aliud fingi poteſt eſſe illa relatio cognitionis ad obiectum, niſi relatio menſurati ad menſuram, ſeu conformitatis, & adæquationis cum ſua regula, quam relationem nomine veritatis omnes intelligunt? Illa igitur concomitantia, & coëxiſtentia obiecti, & cognitionis repræſentantis illud ſicut in ſe eſt, non eſt formaliter veritas, ſed veritatis formalis fundamentum; alioquin quiſpiam pariter dixerit, ſimilitudinem, v. g. non eſſe nomen relationis, ſed cuiuſdam coëxiſtentiæ duorum terminorum, præcedentis in priori naturæ, innominatam aliquam relationem, ſi libuerit; itémque reliqua omnia relationum vocabula ad relationum fundamenta pertrahere.

25\. *Veritas cognitionis aliquãdo eſt relatio rationis.* Durandus. Heruæus. Soncinas.

Hoc igitur dicendi modo obiter impugnato, prima pars concluſionis eſt expreſsè Durandi 1. d. 19. q. 5. num. ſuo 14. circa finem, dicentis de hac veritate in repræſentando, *non eſt aliud quàm relatio eiuſdem ad ſeipſum.* Vnde conſequenter deducit, *quod veritas eſt ens rationis*; ergo tenet, eſſe relationem rationis; & Heruæi quodlib. 3. q. 1. nam art. 2. fine, ait eſſe *ens rationis*, & deinde art. 3. fine, ait eſſe *habitudinem rationis.* Soncinatis 6. Metaph. q. 16. concluſione 3. Quamuis iſti authores loquantur vniuerſaliter, ex ſuppoſitione falſæ opinionis, quod veritas repræſentatiua conſiſtat in conformitatis relatione eiuſdem ad ſe ipſum; ſed ſuppoſita alia vera opinione ſuperius probata de veritate exiſtente formaliter in cognitione, & terminata ad rem in ſe, eadem prima pars probatur primò, quia terminus huius conformitatis ſæpe eſſe poteſt aliquid non exiſtens, imò ſimpliciter non reale, vt cùm quis habet actum verum de Antichriſto; aut de roſa in hyeme, aut de alia re non exiſtente, vel de entibus rationis, & fictis, vt ſi iudicet, chimæram eſſe ens fictum, relationes prædicati, ſubiecti, generis, & ſimiles, eſſe rationis. Secundò, in iudiciis veris negatiuis, vt cùm dicitur, homo non eſt lapis, conformitas terminatur formaliter, & directè ad non eſſe rei: relatio autem realis exiſtens habere debet pro termino rem aliquam poſitiuam, realem, & exiſtentem. Tertiò, cognitio diuina, ſiue terminata ad eius eſſentiam, ſiue ad creaturas, eſt vera: eius autem veritas nullo pacto poteſt eſſe realis relatio; namneque realiter refertur ad creaturas Deus, vt ſupra q. 9. art. 1. n. 14. & q. 13. art. 7. n. 2. & 5. neque diuina cognitio ad diuinam eſſentiam referri realiter poteſt, cum ſint in re prorſus idem, vt rectè arguit Heruæus ſupra art. 2. ratione prima contra primam opinionem.

26\. *Aliquãdo eſt relatio realis.* Ægidius. *Relatio menſuræ ad menſuratum eſt rationis, mẽſurati ad menſurã eſt realis.*

Secunda concluſionis pars probatur. Primò, quia vnum ex tribus relationum realium, & prædicamentalium generibus à Philoſopho traditis 5. Met. textu 20. numeratur relatio menſurati ad menſuram, quam ipſemet Suarez, & alij communiter admittunt, vt in propria materia ex inſtituto diſſerui: quamuis enim, vt tanquam aliquod Ariſtotelicum ab omnibus receptum docet Ægidius 1. d. 19. parte ſecunda q. 1. §. *Sciendum,* relatio menſuræ ad menſuratum, ſcilicet, independentis ad dependens, ſit relatio rationis, contra tamen relatio menſurati ad menſuram, quia eſt realiter dependentis ad independens, eſt relatio realis. Huius autem relationis ratio, vt idem Ægidius ſupra diſcurrit, reperitur potiſſimum in cognitione, quæ ab obiecto eſt ex natura ſua menſurabilis. Secundò, quia ſæpe ſunt omnia requiſita, ad hoc vt veritas ſit relatio realis; etenim cum quis iudicat, ſolem eſſe multò maiorem terra, datur terminus realis, & exiſtens; datur fundamentum, quod eſt ipſe actus iudicij; datur ratio fundandi, quæ eſt realis quædam dependentia adæquationis in ratione repræſentatiua. Ergo ad hos, & ſimiles actus conſurgere debet relatio realis; cùm non poſſit in contrarium afferri aliquod rationabile impedimentum; & non ſit maior ratio excludendi hanc relationem potius, quàm reliquas omnes prædicamentales, ac reales relationes.

27\. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Veritas æqualiter competit actui terminato ad rem non exiſtentem, & ad eandem rem exiſtentem, vt tam verum eſt iudicium, quod equus ſit animal, exiſtente equo, quàm non exiſtente. Sed ad rem non exiſtentem veritas eſt relatio rationis; ergo ſemper eſt relatio rationis.

*Reſpondetur relationẽ cognitionis ad obiectum non exiſtens, non eſſe realem.*

Reſpondeo falſam eſſe maiorem, loquendo de veritate formali, de qua nunc diſputamus, & non de fundamentali, quemadmodum enim paries albus non eſt eodem modo ſimilis alteri parieti exiſtenti, & alteri futuro, vel tantũ poſſibili, ita actus non erit eodem modo verus, & conformis ad terminum exiſtentem, & non exiſtentem, ſed ad illum erit veritas realis; ad hunc, rationis, ob defectum exiſtentiæ termini, quæ ad exiſtentiam realis relationis omnino requiritur, vt ſupra q. 13. art. 7. num. 5.

28\. *Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò ex Suarez ſupra. Quia actus eſt ſimpliciter, & formaliſſimè verus, antequam intelligatur ex illo reſultare aliqua relatio, ſiue realis, ſiue rationis ad obiectum.

*Reſpondetur actum ante relationẽ non eſſe verũ, niſi fundamẽtaliter.*

Reſpondeo, hoc aſſumptum, niſi amplius probetur, putamus eſſe falſum ex defectu diſtinctionis inter veritatem fundamentalem, & formalem; enimuerò, ſicut in illo priori naturæ, quo Pater eſt generans, & filius eſt genitus, antequam intelligamus conſurgere in Patre relationem paternitatis, in filio relationem filiationis, generans, & genitus non ſunt ſimpliciter, & formaliter pater, & filius, ſed tantum fundamentaliter; ita poſito cognitionis actu, & poſito obiecto, antequam intelligamus aduenire actui quandam relationem conformitatis ad obiectum, tanquam menſurati in repræſentando ad ſuam menſuram, actus eſt verus fundamentaliter, & ſecundùm quid, non formaliter, & ſimpliciter. Et niſi hæc diligenter diſtinguantur, incredibiles relationis prædicamento tenebras offundemus.

29\. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò. Verum eſt perfectio, & bonum intellectus; ergo ſemper eſt ens reale.

*Reſpondetur cum Heruæo, & Durando quomodo verum ſit, & nõ ſit perfectio intellectus.* S. Thomas.

Reſpondeo cum Heruæo quodl. 3. q. 1. art. 4. ad 1. Durando 1. d. 19. q. 5. ad 1. Antecedens eſſe verum, ſi, vt loquitur Heruæus, *intelligitur de veritate fundamentali, & materiali,* quæ conſiderata vt obiectũ, bene dicitur ab eodem Heruæo, *eſſe in re ipſa quæ mouet ipſum intellectum ad eam intelligendam*; conſiderata verò vt ſubiectum, bene etiam à Durando dicitur, *eſſe in actu quo intellectus intelligit rem ſicut eſt, quia actus eſt ſummè conueniens intellectui, cuius natura eſt cognitiua rerum:* atque hanc fundamentalem veritatem actus indicat ſanctus Thomas illis verbis in fine art. 2. *Perfectio intellectus eſt verum vt cognitum*: hoc eſt, ratione cognitionis, qua verum cognoſcit. Eſſe autem falſum de veritate formali, quia, vt ait Durandus, *verum formaliter acceptum non eſt perfectio intellectus*, &, vt addit in reſponſione ad ſecundum; *Veritas, quantum ad id, quod dicit formaliter, non eſt obiectum, & principaliter cognitum*: ſed, vt ait Heruæus, *eſt quoddam conſequens bonum intellectus, & non dicit perfectionem ſimpliciter, ſed ſupponit.*

DVBI



# DVBITATIO III.

## *An detur formaliter in rebus alia veritas tranſcendentalis.*

### SVMMA.


1 *Declaratur titulus dubitationis. num. 30.*
2 *Pars affirmatiua probatur ex Ariſtotele, & S. Thoma. num. 31.*
3 *Impugnatur contraria opinio Caietani, & Vazquez. num. 32.*
4 *Contraria argumenta ſoluuntur. num. 33. ad 37.*


30\. *Declaratur titulus.*

INquirimus, an præter peculiarem veritatem, intellectualium operationum propriam, hactenus probatam, ac definitam, detur generalis quædam alia veritatis ratio rebus omnibus formaliter competens, atque adeo ipſiſmet operationibus intellectus, quæ ſunt etiam res quædam. An potius illa ſolum reperiatur, per quam ipſæ mentales enunciationes formaliter veræ dicantur, cætera autem dicantur vera per denominationem extrinſecam, quia, ſcilicet, habent aliquam attributionem ad mentalem enunciationem, vt verus intellectus, quia profert illam; vera oratio vocalis, quia ſignificat; veræ res ipſæ, quia ſunt illius obiecta: ad eum fermè modum, quo iuſtitia dicitur formaliter de homine iuſto, de aliis verò extrinſecè; vt de iudice, etiam vitioſo, quia quod iuſtum eſt iudicat; de præcone, quia iuſtam ſententiam diuulgat; & de ipſo opere iuſtitiæ, vt de punitione latronis, quia eſt materia obiecta iuſtitiæ.

31\. *Pars affirmatiua probatur ex Ariſt.*

Concluſio affirmatiua valde communis, & ſine dubio ipſiuſmet Ariſtotelis, illis verbis 2. Metaph. textu 4. *Vt ſecundùm eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundùm veritatem*: ergo ſicut res in ſeipſis formaliter ſunt entia, ita etiam in ſe ipſis ſunt formaliter veræ. Saltem ex ipſo pronunciato habemus, conceptum veritatis conſequi conceptum entis; ergo conceptus veritatis formaliter reperitur in ente, vt ens eſt; ſicut in omni alio caſu, paſſio propria alicuius ſubiecti, conſequens illud, reperitur formaliter in ipſo ſubiecto.

*Ex S. Thom.* Bagnes. Zumel.

Mihi etiam indubitatum eſt, idem ſentire S. Thomam in hac quæſt. quamuis minùs clarè loqui videatur: nam aliquanto poſt principium corporis de hac tranſcendentali rerum omnium veritate, ita habet: *Neceſſe eſt, quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam deriuetur, vt res etiam intellecta vera dicatur, ſecundùm quod habet aliquem ordinem ad intellectum.* Vbi, vt rectè notauit Bagnes hîc, notab. 2. & ferè ad verbum ſequitur Zumel initio diſcurſus articuli, non eſt intelligendus de deriuatione per denominationem extrinſecam, ſed de deriuatione per denominationem intrinſecam, & formalem, ex eo quod ipſamet formalis veritas tranſcendentalis, rebus formaliter competens, pendet à veritate intellectiua diuini intellectus, vt ipſemet inferius non ſemel docet, & nos fuſius exponemus d. 8. Atque hanc ſecundam deriuationem tantùm vult ſignificare, cum in hoc articulo concludit, *veritatem principaliter eſſe in intellectu, ſecundariò verò in rebus, ſecundùm quod comparantur ad intellectum, vt ad principium.* Quam etiam intrinſecam deriuationem ibidem ſignificat dicens, *Iudicium de re non ſumitur ſecundùm id, quod ineſt ei per accidens, ſed ſecundùm id, quod ineſt rei per ſe.* Ex quo principio ſtatim immediatè ita concludit ad propoſitum noſtrum, *vnde vnaquæque res dicitur vera abſolutè ſecundùm ordinem ad intellectum à quo dependet*; quem paulò poſt explicat eſſe intellectum diuinum. Veritas igitur rebus omnibus *ineſt per ſe, & abſolutè*, ergo formaliter intrinſecè, non extrinſecè tantum; licet ita formaliter inſit, vt tamen dicat ordinem ad intellectum diuinum, ſicut, v. g. filiatio ita formaliter ineſt filio, vt tamen dicat ordinem ad patrem. Quod ſtatim confirmat, ita deducens, *Et inde eſt, quod res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum noſtrum; dicitur enim domus vera, quia aſſequitur ſimilitudinem formæ, quæ eſt in mente artificis.* Et eadem ratione ait, res omnes eſſe veras, *ſecundùm quod aſſequuntur ſimilitudinem ſpecierum, quæ ſunt in mente diuina.* Certum autem eſt, domum, v. g. eſſe in ſe ipſa formaliter veram per veritatem ſibi formaliter, & intrinſecè conuenientem, ex eo quod conformetur ideæ artis, & non eſſe veram ideam artis per ordinem ad domum, cui conformetur; & deinde clariſſimè duas veritates diſtinguit, *veritatem ſecundùm quod eſt in intellectu, & veritatem rei ſecundùm ordinem ad intellectum.* Ergo ſecundùm S. Thomam *veritas rei*, quæ eſt tranſcendentalis conueniens omni rei, ſiue enti, quatenus enti, non *eſt in intellectu,* ſed ſolùm dicit *ordinem ad intellectum,* ergo eſt formaliter in re ipſa.

*Ex Auicẽna.*

Et Auicennæ definitio, quam refert, & de hac ſecunda veritate rei intelligendam eſſe docet S. Thomas in fine corporis, idem apertè ſignificat, *Veritas vniuſcuiuſque rei,* inquit Auicenna, *eſt proprietas ſui eſſe, quod ſtabilitum eſt ei.* Et ad ſecundum docet, *Veritatem conſiſtere in comparatione ad intellectum diuinum*: ſed iſta comparatio eſt formaliter in rebus, non in intellectu diuino, quia res comparantur ad intellectum diuinum, à quo procedunt, non autem intellectus diuinus ad res. Quare cum ad 3. dicit, *eſſe rei, non veritas eius cauſat veritatem intellectus,* ſicut, inquit, *virtus medicinæ, non ſanitas eius cauſat ſanitatem,* manifeſtè loquitur de alia peculiari veritate intellectiua, quæ eſt ſolùm in intellectu, non in rebus: alioqui certum eſt, veritatem intellectus diuini non cauſari à rebus. Præterea art. 2. circa principium corporis ait, *Per conformitatem intellectus, & rei, veritas diffinitur. Vnde conformitatem iſtam cognoſcere, eſt cognoſcere veritatem.* Sed iſta conformitas eſt formaliter in rebus reſpectu intellectus diuini, non in intellectu diuino reſpectu rerum, quia res creatæ ſunt in ſe formaliter conformes ideis intellectus diuini, & non ideæ rebus creatis, cum ille ab his, non hæ ab illis principientur, & pendeant in genere cauſæ exemplaris. Et art. 3. in fine corporis, *ſicut bonum addit rationem appetibilis ſupra ens; ita & verum comparationem ad intellectum*; ſed ratio boni, & appetibilis eſt formaliter in rebus per ordinem ad appetitum, vt ſupra quæſt. 5. art. 1. ergo etiam ratio veri, & comparationis ad intellectum, eſt formaliter in rebus per ordinem ad intellectum. Et poſtea ad primum apertè concedit, *Quod verum eſt in rebus, & in intellectu.* & ad ſecundum, *Verum fundatur in ente.* Sed ſi eſſet formaliter tantum in intellectu, non in rebus, tunc fundaretur in intellectu, non in ente. Et clariſſimè de Veritate quæſt. 1. art. 4. in fine corporis ait: *Denominantur res veræ à veritate, quæ eſt in ipſa re, ſicut à forma inhærente: ſicut cibus denominatur ſanus à qualitate ſua, à qua ſanus dicitur.*

32\. *Eſt Capreoli, & Riccardi cõtra Caiet. & Vazquez.*

Eodem modo loquuntur, ac ſentiunt reliqui omnes, inter quos apertiſſimè Capreolus 1. d. 19. quæſt. 3. art. 1. concluſ. 2. fin. *Veritas*, inquit, *rei, quæ formaliter in ipſa eſt*, &c. & concluſ. 4. *Res creata extra animam exiſtens, poteſt dici vera, veritate, quæ eſt formaliter in re.* & Riccardus 1. d. 19. art. 3. quæſt. 3. initio corporis: *Omnis veritas conſideratur, aut vt eſt*

*in intellectu, aut vt eſt in re.* & paulò poſt diſtinguit duplicem veritatem, alteram, quæ *eſt in intellectu per comparationem ad rem*; alteram, quæ *eſt in re per comparationem ad intellectum.* Quamuis repugnare videatur primò Caietan. infra art. 6. circa finem, §. *Ad dubium*; vbi ait, quod *res omnes veræ dicuntur extrinſeca tantum denominatione; ita quod nulla eſt in rebus formaliter veritas, ſed imitatiuè, ſeu adimpletiuè reſpectu intellectus diuini, & cauſaliter reſpectu noſtri intellectus ſpeculatiui.* Secundò Gabriel Vazquez 1.p. d.77. cap.4. contendens, res dici veras, vel falſas, per ordinem ad ſecundam operationem intellectus, quia, ſcilicet, ſunt cauſa veri, aut falſi iudicij: ad eum modum, quo medicina dicitur ſana ab extrinſeca animalis ſanitate, quam poteſt cauſare. Citat autem pro ſe Heruæum, & Durandum, qui loquuntur de veritate intellectiua, eorúmque ſententia longè alia eſt, vt accuratè retuli ſupra d.1. concluſ.1. & 2. Sed ſi Vazquez loquitur, vt videtur, de veritate tranſcendentali, eius ſententia non poteſt recipi, primò, quia eſt manifeſtè contra S.Thomam, ſæpe docentem, quod tamen Vazquez ſupra circa initium cap. 3. expreſsè negat, *hanc veritatem conſiſtere in comparatione ad intellectum diuinum, vt ad principium:* in quo non eſt ſecunda operatio intellectus, neque veritas principiata, & cauſata à rebus.

*Arguitur primò contra Vazquez.*

*Arguitur 2.* Secundò, ideo intellectus dicitur verus formaliter, quia conformatur, & quaſi commenſuratur ſuæ regulæ, quæ eſt ipſa res cognita ſecundùm ſe: ſed eadem ratione res conformantur aliis regulis, vt artefacta ideæ artis, imagines imaginatis, & quæuis res eſt etiam cõformis, & adæquata alicui communi regulæ, ac menſuræ, nimirum intellectui diuino, vt infra plenius dicetur: ergo res omnes ſunt veræ formaliter, non minus quàm intellectus.

*Arguitur 3.* Tertiò, nemo dixerit, aliquod aurum eſſe falſum aurum, quia intellectus iudicauit, illud non eſſe aurum; vel Deum non eſſe verum Deum, quia non vt Deus ab intellectu aliquo iudicatus eſt; vel ſolem à ruſtico apprehenſum eſſe falſum ſolem; ergo ſicut ex falſitate intellectus iudicantis, res non dicuntur falſæ; ita pariter à contrario, nec ex eiuſdem veritate dici debent veræ.

*Arguitur 4.* Quartò, prius eſt, rem poſſe cauſare verum iudicium, quàm iudicium habere veritatem à rebus: ſed res veritatem hanc cauſare nequeunt, niſi præſupponantur conformes ſuis principiis, earúmque ideis exiſtentibus in mente diuina: ergo hæc conformitas præcedit intellectus conformitatem cum rebus. Sed illa eſt quædam veritas omnibus rebus formaliter conueniens: ergo potius in hac priori, & intrinſeca, quàm in alia poſteriori, & extrinſeca conſiſtere debet veritas tranſcendentalis.

*Arguitur 5.* Quintò, ſi aurum, v.g. eſſet verum à veritate intellectus, iudicantis illud eſſe verum aurum, ſicut medicina eſt ſana à ſanitate animalis, ſequeretur, neminem poſſe concipere verum aurum, niſi concepta veritate prædicti intellectus, ſicut non poteſt concipi medicina ſana, ſine ſanitate animalis; quod tamen eſt falſum, & euidenter contra omnium experientiam; concipimus enim verum aurum, verum Deum, & reliqua entia vera, nulla prorſus facta ad iudicium verum reflexione.

33. Obiicies primò ex Caietano ſupra; *Si nullus eſſet intellectus, nulla res vera, nullus ſenſus verus dici poſſet, niſi æquiuocè, vt in quæſt. 1. de Veritate art. 4. dicitur, quemadmodum ſi non eſſet ſanitas animalis, medicina, nulláque dieta, ſana dici poſſet.* ergo veritas de rebus dicitur per ſolam denominationem extrinſecam.

*Prima obiect. ex Caietano.*

Reſpondeo negando conſequentiam, quia veritas tranſcendentalis, cùm ſit eſſentialiter quædam relatio conformitatis, vt mox probabitur, vt exiſtat, non ſolùm requirit ſubiectum, in quo formaliter ſit, & fundetur, ſed etiam terminum, ad quem eſſentialiter referatur, qui terminus reſpectu veritatis eſt intellectus. Deficiente igitur intellectu deficit veritas in rebus, non ex defectu ſubiecti, in quo formaliter ſit, ſed ex defectu termini, ſine quo eſſe formaliter nequit in ſuo ſubiecto, quod ſunt res omnes. Sicut deficiente vno ſimili, deficit ſimilitudo in alio ſimili, & tamen ſimilitudo formaliter ineſt in vtroque ſimili.

*Reſpondetur declarando dependentiã veritatis ab intellectu diuino.*

Quare allatum exemplum de ſanitate, quo S.Thomas vtitur loco cit. de Veritate, & infra art. 6. & alibi, non adducitur ad ſuadendam puram denominationem extrinſecam veritatis in rebus, & formalem veritatis exiſtentiam in ſolo intellectu, ſed ad explicandam eſſentialem attributionem principij, quam vnaquæque res formaliter in ſe vera habet ad veritatem intellectus diuini; ſicut enim quælibet creatura, quamuis in ſe ſit formaliter ens, tamen in ipſamet ratione entis dicit eſſentialem habitudinem ad eſſentiam diuinam, cuius eſt eſſentialis quædam participatio; ita eſt formaliter vera per eſſentialem habitudinem ad veritatem diuini intellectus: ita enim à veritate diuina pendet quicquid præterea eſt formaliter verum, ſicut quicquid eſt formaliter ens pendet ab entitate diuina.

*In quo ſenſu verũ à S.Th. aſſimiletur ſano.*

34. Obiicies ſecundò ex eodem. *In ratione veri in rebus cadit veritas intellectus, & in ratione ſani in medicina, & dieta cadit ſanitas animalis; & ſic de alijs: ſublata autem definitione non remanet idem nomen, niſi æquiuocè.*

*Secũda obiectio ex Caiet.*

Reſpondeo, in definitione veri in rebus cadit veritas intellectus diuini, non tamquam forma extrinſecè tantum denominans, vt cadit ſanitas animalis in definitione medicinæ, ac dietæ ſanæ, ſed tamquam forma quædam extrinſeca, à qua eſſentialiter in genere cauſę exemplaris pendet omne aliud verum, quamuis in ſe ſit formaliter verum. Ideo enim aliquis, v.g. eſt in ſe formaliter verus homo, quia eſt conformis homini, quem Deus intelligendo ſeipſum veriſſimè intelligit eſſe hominem.

*Reſpondetur, in veri definitione intellectus diuinus ponitur vt terminus, non vt ſubiectum.*

35. Obiicies tertiò fundamentum Vazquez ſupra 1.2. & c.4. n.12. in rebus non eſt formaliter falſitas, ergo nec veritas.

*Tertia obiect. ex Vazquez.*

Reſpondeo, antecedens eſſe verum, ſed malam conſequentiam; cum in hoc eſſe nequeat eadem ratio de tranſcendentali rerum omnium veritate, & falſitate, vt fuſius explicabitur quæſt. ſeq. de falſitate, art. 1.

*Reſpondetur.*

36. Obiicies quartò. Quoniam Ariſtoteles in Poſtprædicamentis cap. de priori. & lib. 1. periher. c. 1. & lib. 1. ethicorum cap. 2. & lib. 3. de Anima 21. 22. 26. & lib. 6. metaph. textu 8. & lib. 9. metaph. textu 21. 22. apertè aſſerit, verum non eſſe in rebus, ſed in intellectu; imò ne in intellectu quidem apprehendente, ſed ſolùm in intellectu componente, ac diuidente, hoc eſt, affirmante, ac negante. Vnde 4. metaph. 27. eſſe verum definitur, dicere eſſe id quod eſt, & non eſſe id quod non eſt. quod quidem dicere, eſt ſolius intellectus enunciantis.

*Quarta obiectio ex Ariſt. docẽte verum non eſſe in rebus.*

Reſpondeo, hæc eſſe intelligenda de veritate repræſentatiua, & vt plurimum complexa. Et quidem meritò de hac veritate frequentius apud Philoſophos ſermo eſt; nam verum, & falſum ſimpliciter, & ſine addito dicitur de ſolis enunciationibus: ſi enim affirmaueris, hominem eſſe animal, vel, equum eſſe lapidem, ſimpliciter, & ſine adiectione dicetur, illud eſſe verum, hoc falſum. At cùm loquimur de ſimplicibus, ſiue rebus, ſiue conceptibus, non ſimpliciter dicere ſolemus, hoc eſt verum, illud falſum: ſed cum addito; hoc eſt verum aurum, aut verum ens; hic eſt verus conceptus auri, verus conceptus entis, & ſimiliter de falſo. Ratio autem cur Philoſophus ſæpius intellectui, quàm rebus veritatem tribuerit, eſt, tum quia intellectus non ſolùm eſt verus, ſed etiam ipſe ſolus eſt veritatis cognitor, ac iudex: tum quia quicquid eſt verum, vt ſic, ordinem quemdam dicit ad intellectum, veritas enim definitur conformitas cum aliquo intellectu; aliquis verò intellectus, nempe diuinus, eſt verus, non per ordinem ad res, ſed per eſſentiam ſuam: tum quia ipſa iudicia per ſe dicunt verum, & falſum; vnde enunciatio, quæ mentali iudicio correſpondet, definitur ab Ariſtotele, oratio, quæ verum, aut falſum ſignificat: tum quia hæc veritas eſt nobis notior.

*Reſpondetur exponendo Ariſtotelem.*

*Cur verũ tribuatur magis intellectui, quàm rebus.*



## DVBITATIO IV.

### *An veritas tranſcendentalis conſiſtat in aliquo negatiuo.*

#### SVMMA.

1 *Refertur opinio Aureoli, & ratio Capreoli contra illam. num. 37.*

2 *Impugnatur prædicta ratio, & oſtenditur, puritatem eſſe priorem conformitate. num. 38.*

3 *Aliter impugnatur opinio Aureoli. num. 39.*

37. Concluſio negatiua omnium, vno excepto Aureolo 1. d. 19. quæſt. 3. art. 2. propoſitione 2. contendente, *quòd veritatis ratio generalis conſiſtit in quadam puritate, & ſinceritate, & impermixtione, & excluſione, & ſegregatione cuiuſlibet ab omni ſibi extraneo poſitiuo, & priuatiuo.* v.g. ratione poſitiui admiſti, vult aurum miſtum argento, non eſſe verum aurum: ratione verò priuatiui admiſti vult, hominem purum non eſſe verum hominem; quia & argentum eſt extraneum naturæ auri, & priuatio humanæ naturæ, eſt extranea homini picto, quatenus eſt quidem homo.

*Concluſio negatiua cõtra Aureolum.*

Contra hanc opinionem Aureoli arguit Capreolus 1. d. 19. quæſt. 3. art. 2. ad 1. eorum, quæ ſecundo loco inducta ſunt contra ſecundam concluſionem. *Quia illa ſegregatio, & depuratio ab omni extraneo poſitiuo, & priuatiuo, nunquam faciet lapidem eſſe veram margaritam, imò nec eſſet in lapide, niſi prius eſſet in eo adæquatio ad ideam diuinam: non enim ideo lapis ille eſt ſegregatus ab omni priuatiuo alicuius participantis ad margaritam; niſi quia habet oppoſitum priuationis; cùm priuatio non tollatur, niſi per habitum oppoſitum: & ita prius ineſt conformitas ad ideam, quàm ſegregatio à priuatione conformitatis.*

*Ratio Capreoli contra Aureolum.*

38. Hæc ratio, qua alij etiam vtuntur, videtur minùs efficax. Primò, quia eſto rei puritas, ſiue negatio extranei, ſit poſterior conformitate eiuſdem rei ad ſuam ideam, hinc tamen non neceſſariò ſequitur, conformitatem eſſe veritatem, & non illud negatiuum: ſicut ex eo, quod intelligibilitas ſit prior conformitate ad ideam, (idea enim cùm ſit ipſa res concepta, præſupponit neceſſariò rem conceptibilem) non ſequitur, verum conſiſtere in intelligibilitate, & non in conformitate.

*Prædicta ratio non probatur.*

Secundò, falsò aſſumit, conformitatem eſſe priorem rei puritate: quia prius eſt, rem eſſe in ſe talem, quàm conformari alicui intellectui: ideo enim aurum conformatur ideæ, quam de auro habet diuinus intellectus, quia in ſe eſt tale, quale ab illa idea repræſentatur: & ideo intellectus repræſentat aurum, quia repræſentat talem rem, qualem poſtulat ipſa natura auri ſecundùm ſe. Res enim ex ſe ipſis, & non ex aliquo intellectu, ſeu regula, cui conformentur, habent vt ſint huius, vel illius naturæ: ſed cum ipſa rei natura ſecundùm ſe, intrinſecè, & omnino inſeparabiliter coniungitur negatio cuiuſcunque extranei: ergo prius eſt, rem non habere in ſe admiſtionem cum aliquo extraneo, quàm conformari alicui intellectui.

*Rei puritas eſt prior conformitate cũ intellectu.*

Tertiò, hæc conformitas eſt relatio rationis, vt fatetur ipſemet Capreolus ſupra art. 1. concluſione 2. cum S.Thoma, & probabo infra dub. 7. *Puritas* verò, vt bene ait idem Capreolus ſupra ad 2. *conſiſtit in negatione*, quæ datur à parte rei, & non reſultat ad aliquam cognitionem, quia præſcindendo à quacumque cognitione, adhuc res in ſeipſis eſſent puræ, vel impuræ. Ergo puritas ex natura ſua prior eſt conformitate, & ſupponitur à conformitate: niſi enim aurum ſit purum aurum, nunquam in eo reſultare poterit reſpectu rationis conformitas ad ideam, quam de auro habet Deus. Vnde valet hæc cauſalis; Ideo hoc aurum conformatur diuinæ ideæ de auro, quia eſt purum. Quartò, quia Capreolus in ſuo argumento non arguit formaliter de ipſa ratione veritatis, quæ intelligitur ſuperaddi enti vero, tanquam paſſio ſuperaddita ſubiecto ſuo, ſed materialiter de ipſo ente vero. Quamobrem cùm dicitur, *Ideo lapis eſt ſegregatus ab omni priuatiuo alicuius participantis ad margaritã, quia habet oppoſitum priuationis*; hoc eſt, ideo margarita eſt ſegregata ab omni re, quæ eſt non margarita, quia eſt margarita, & non eſt non margarita; eſt vera cauſalis, & verè etiam concluditur, quòd *prius ineſt conformitas ad ideam, quàm ſegregatio à priuatione conformitatis.* Sed non conuincitur Aureolus, quia ipſe ſolum contendit, ſegregationem rei ab extraneo eſſe priorem conformitate eiuſdem rei ad ideam diuinam; non autem eſſe priorem ipſa re, quod tantum impugnare videtur Capreolus: loquitur enim de ſegregatione lapidis ab omni priuatiuo margaritæ, quam ſegregationem ille lapis prius in ſe intrinſecè habet, ex eo quòd in ſuo eſſe poſitiuo eſt margarita, quàm ex eo quod ſit conformis ideæ diuinæ de margarita. Item loquitur de ſegregatione à priuatione conformitatis, quæ ſegregatio eſt ipſa conformitas. Igitur Aureolus docens, ſegregationem eſſe priorem conformitate, non facit comparationem inter ſegregationem, & rem quæ ſegregatur, ſed inter ſegregationem, & conformitatem, quæ in eadem re ſunt, ſed cum hoc ordine, vt prius in re intelligatur eſſe ſegregatio, quàm conformitas.

39. Aliter igitur impugno Aureolum, quia, vt ipſemet in ſua prima ratione rectè aſſumit, *Ratio ſignificata per nomen aliquod, maximè poteſt colligi ex vſu loquentium, ſemper enim loquendum vt plures*: ſed verum, eſt nomen poſitiuum, & concipitur, ac definitur per aliquod poſitiuum, vt per conformitatem, & adæquationem. Verè enim omnes communiter alium conceptum formamus de puritate, alium de veritate. Et patet, quia cum dicimus, hæc imago eſt pura imago Chriſti, ſignificamus, & intelligimus, in illa imagine non eſſe aliquid aliud, quod non ſit imago Chriſti; & hic eſt conceptus negatiuus. At cũ dicimus, hæc imago eſt vera imago Chriſti, præſupponimus totum iſtum conceptum negatiuum, & præterea intelligere, ac ſignificare volumus, illam imaginem eſſe conformem, & adæquatam Chriſto, quem repræſentat. Itaque

*Alia efficacior ratio cõtra Aureolũ.*

*Differentia inter puritatem, & veritatem.*

per

per formalem conceptum puritatis, illa imago refertur vniuerſaliſſimè ad omnia, quæ non ſunt Chriſtus; per formalem verò conceptum veritatis refertur ſolum ad Chriſtum, tanquam ad prototypum, & exemplar ſuum: qui vltimus conceptus eſt poſitiuus. Verè igitur illa negatio, ſeu puritas, non eſt præciſè, ac formaliter veritas, ſed videtur potius eſſe proximum illius fundamentum, ab ea eſſentialiter præſuppoſitum. Atque ex his quilibet facilè poterit ſatisfacere argumentis, quæ in citata propoſitione ſecunda attulit Aureolus ad probandam opinionem ſuam, & ſoluit Capreolus ſupra; omnia enim conantur oſtendere, puritatem, ſeu ſinceritatem nulla ratione differre à veritate; quod falſum eſſe demonſtrauimus.

## DVBITATIO V.

### *An poſitiuus veritatis tranſcendentalis conceptus ſit abſolutus, vel reſpectiuus.*

SVMMA.

1 *Non eſt abſolutus diſtinctus ab ente. num.*40.
2 *Non eſt abſolutus identificatus cum ente. n.*41.
3 *Eſt formaliter reſpectiuus. n.*42.
4 *Opinio Suarez refertur, & impugnatur. num.*42. *&* 43.

40. *Prima concl. Non eſt abſolutus diſtinctus ab ente.* Suarez.

PRima concluſio. Non eſt abſolutus realis diſtinctus ab ente; eſt contra quoſdam modernos Theologos Thomiſtas apud Suarez in metaphyſic. d. 8. ſect. 7. n. 5. & probata remanet ex dictis in ſuperiori tomo quæſt. 5. art. 1. & quæſt. 11. art. 1. ad idem probandum de bono, & vno; vnum enim, bonum, & verum in hoc conueniunt, vt ſint tranſcendentales paſſiones entis, quatenus entis, vt hic ſupponendum eſt ex metaphyſica. Vnde manifeſtè ſequitur, quod nulla earum importare poteſt ens aliquod reale, diſtinctum ab ente, & non incluſum in ente quatenus ente; quia, vt ad hoc ipſum in genere probandum ratiocinatur S. Thomas de Veritate quæſt. 21. art. 1. ante medium corporis, *Nulla res naturæ eſt, quæ ſit extra eſſentiam entis vniuerſalis.* Præterea, vt idem S. Thomas ibidem circa finem corporis optimè docet, & in ſuperioribus demonſtratum eſt, *Vnumquodque ens, in tantum dicitur verum, in quantum conformatum eſt, vel conformabile intellectui; & ideo omnes rectè definientes verum, ponunt in eius diffinitione intellectum.* Sed conceptus conformitatis ad intellectum, manifeſtè non eſt abſolutus, & ad ſe, ſed reſpectiuus, & ad aliud; ergo conceptus veri eſſe non poteſt abſolutus.

*Probatur ex S. Thoma.*

41. *Secũda concl. Non eſt abſolutus identificatus cum ente.*

Secunda concluſio. Non eſt abſolutus realis omnino identificatus cum ente. Hoc ſequitur ex eodem principio, quòd verum ſit paſſio entis: quoniam eſt apertè contra eſſentiales rationes paſſionis, & ſubiecti, aſſerere, quòd paſſio entis nihil aliud omnino ſit præter ens, cuius eſt paſſio, vt latè probaui ſupra quæſt. 5. artic. 1. num. 16. Vnde ſicut ibidem dub. 5. & quæſt. 11. art. 1. dub. 2. probatum eſt de bono, & vno, quòd formaliter addant enti bonitatem, & vnitatem, quæ non ſint ipſum ens, ſed aliquid aliud ſuperadditum enti; ita de vero probandum eſt, formalem veritatis rationem conſiſtere in aliquo conceptu, ſuperaddito conceptui entis.

42. *Tertia concl. Eſt formaliter reſpectiuus.*

Tertia concluſio. Conceptus veritatis tranſcendentalis non conſiſtit in poſitiua aliqua denominatione extrinſeca, vel in aliqua antecedenti coniunctione inter res, & cognitionem, ſed ſolùm in aliquo vero reſpectu, ſiue reali, ſiue rationis. Prima pars eſt contra Caietanum infra art. 6. fine, explicantem rationem creatæ veritatis per ſolam denominationem extrinſecam, ortam, vel à veritate diuina, quatenus creaturæ ſunt illius ſigna, eámque imitantur; vel à veritate intellectus creati, quatenus eam cauſare poſſunt tanquam illius obiectum, ac menſura: & contra Vazquez hîc, d. 77. cap. 4. adhuc anguſtius explicantem veritatis rationem per extrinſecam denominationem à veritate ſolius ſecundæ operationis intellectus creati, quæ opiniones ſupra dubitatione tertia impugnatæ ſufficienter ſunt.

*Cõtra Caiet.* *Cõtra Vazq.*

Secunda pars eſt contra Suarez in metaphyſic. diſput. 8. ſect. 7. num. 24. & deinceps, vbi vult, veritatem formaliter ſignificare entitatem, connotare verò, ſiue includere coniunctionem, conſortium, proportionem, ſeu conformitatem (his enim omnibus vocabulis vtitur) cum cognitione, cui entitas conformatur: ex qua coniunctione oriri, ac reſultare extrinſecam veri denominationem: quo eodem modo proportionaliter diſput. 10. philoſophatur de bono.

*Cõtra Suar.*

43. *Verũ formaliter non importat ens.*

Sed contra primò, quia omnes authoritates, & rationes allatæ in ſuperiori tomo quæſt. 11. art. 1. dub. 3. ad probandum, vnum formaliter importare indiuiſionem ſuperadditam enti, & non ipſum ens, probant pariter, verum formaliter non importare ens, ſed conformitatem ſuperadditam enti, vt adnotabam loco citato num. 8. fine. Et breuiter ratio à priori eſt, quia verum, vt verum formaliter, eſt nomen paſſionis; ergo non debet formaliter eſſe ſubiectum, & connotare id, in quo à ſubiecto aliqua ratione diſtinguitur; ſed potius, hoc ſignificare formaliter, illud connotare, vt inductione patet in cæteris omnibus paſſionibus: paſſio enim eſt formaliter paſſio, non quatenus dicit ſubiectum, ſed quatenus dicit id, per quod à ſubiecto diſtinguitur, ſeu, quod addit ſupra ſubiectum. Ergo paſſio, vt paſſio formaliter importare debet hoc additum, & non ſubiectum. Secundò, Suarez vtitur nominibus proportionis, ac conformitatis; quæ, vt patet, ſunt relatiua, & ſine ordine, ac relatione, nec explicari, nec apprehendi poſſunt. Tertiò, illa concomitantia præciſè ſumpta, vt ab ente aliqua ratione diſtinguitur, non eſt ſecundùm Suarez, aliquid reale, non rationis, ergo prorſus nihil; ergo paſſio entis eſt formaliter nihil: quod vel ex ipſis terminis abſurdum videtur. Quartò, minùs rectè dicitur, ex illa coniunctione oriri denominationem veri: enimuerò huiuſmodi coniunctio non eſt veritas; ergo non poteſt eſſe radix, & forma denominationis veri. Qua in re congruentius philoſophari videtur Caietanus ſupra, qui veri denominationem deſumi voluit ab aliqua formali veritate. Eſt enim inauditum in Philoſophia, aliquid denominari tale ab eo, quod non eſt tale formaliter; cum denominatiua à Philoſopho in Antepræedicam. cap. 1. definiantur, *Quæcunque ab aliquo differentia caſu, ſecundùm nomen habent appellationem, vt à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis.* Quintò, coniunctio ſimpliciter cum cognitione, non ſatis eſt ad rem denominandam veram, niſi cognitio cognoſcat rem: præterea requiritur, vt res ſecundùm ſe ſit conformis eidem rei conceptæ; alioqui ſine hac conformitate res in ordine ad cognitionem eſſet falſa potius, quàm vera: ergo non à coniunctione ſimpliciter rei cum cognitione, ſed à conformitate, quæ eſt illa coniunctione poſterior, denominantur

*Quid requiratur ad denominationẽ ex Ariſtot.*



nantur res veræ: ergo veritas formaliter conſiſtit in iſta conformitate. Sed conformitas ad aliud, eſt formaliter conceptus quidam poſitiuus reſpectiuus, eſt enim veluti ſimilitudo, æqualitas, & ſimilia, quæ formaliter ſunt conceptus quidam reſpectiui: & ſicut hi, ita etiam ille, concipi nequeunt ſine habitudine ad aliud. Confirmatur, quia noſtra ſententia bene conſonat cum vulgata illa veritatis definitione, quam tradidit Iſaac in l. de diffinitionibus, vt refert S. Thomas hîc in fin. corp. & articulo ſequenti, argumento 2. *Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus.* Quam definitionem ſine vlla prorſus relatione explicare, vt aduerſarij faciunt, apparet valde durum: eámque dixit S. Thomas hic in fine corporis, *poſſe ad vtrumque pertinere,* hoc eſt, ad veritatem rerum, & ad veritatem intellectus; *nam,* vt bene exponit Ferrarienſis lib. 1. contra gentes cap. 59. in primo Aduertend. *res dicitur vera ſecundùm quod adæquatur intellectui, & intellectus dicitur verus ſecundùm quod eſt rei adæquatus.*

*Definitio veritatis ex Iſaac, & explicatio S. Th. & Ferrar.*

Tertia pars concluſionis neceſſariò ſequitur ex dictis à ſufficienti partium enumeratione: quoniam præter excluſos iam conceptus entis abſoluti, & extrinſecæ denominationis, non ſupereſt alius entis conceptus, qui veritati tribui poſſit, niſi reſpectiuus, quem S. Thomas explicauit art. 3. illis verbis in fin. corp. *Verum addit ſupra ens comparationem ad intellectum.*

S. Thomas.

## DVBITATIO VI.

### *Quiſnam ſit veritatis tranſcendentalis terminus.*

SVMMA.

1 *Omnem veritatem terminari ad rationem menſuræ. n.*44. *ad* 47.
2 *Non omnem conformitatem eſſe veritatem. n.*45.
3 *Subiectum veritatis non eſſe menſuram, ſed menſuratum. n.*46.
4 *Veritatem non terminari ad principia intrinſeca. num.*47. 48.
5 *Terminari ad aliquem intellectum. n.*49.
6 *Non terminari ad intellectum creatum. n.*50.
7 *Terminari ad intellectum diuinum. n.*51.
8 *Diſſoluuntur rationes oppoſitæ. n.*52. *ad* 59.
9 *An veritas ſuſcipiat magis, & minùs. n.*54.
10 *Quo modo intelligibilitas ſpectet ad veritatem. numero* 57.

CVm probatum ſit veritatem tranſcendentalem eſſe quandam relationem, relatio autem eſſentiam ſumat à termino, hîc neceſſariò eſt explicandus.

44. *Prima concl. Eſt ratio mẽſuræ.*

Prima concluſio in genere. Quælibet veritas eſſentialiter terminatur ad rationem regulæ, ſeu menſuræ. Ita communiſſimè omnes, definientes veritatem per conformitatem rei cum ſua menſura. Quicquid enim verum eſt, ideo eſt verum, quia conformatur, & quaſi commenſuratur alteri, quod eſt illius regula, ac menſura. Quod inductione manifeſtum eſt: etenim res, quæ arte conficiuntur, regulantur ab intellectu artificis; & tunc dicuntur veræ, vt vera domus, verus gladius, quando cum hac menſura conformitatem habent. Item operationes mentis noſtræ tunc veræ ſunt, cum conformantur obiecto, quod eſt illarum menſura, vt ſupra dub. 1. & 2. Imagines etiam tunc veræ dicuntur, cùm conformes ſunt rebus imaginatis, à quibus regulantur; eodémque modo res habet in cæteris. Veritas igitur vt abſtrahit à tranſcendentali, repræſentatiua, & quauis alia particulari veritate, definiri optimè poteſt, conformitas cum ſua regula. Ergo omnis res vera, per veritatem formaliter terminatur ad id, quod eſt eius regula, ſeu menſura.

*Probatur inductione.*

45. *Non qualibet conformitas eſt veritas.*

Ex hac concluſione licet colligere, veritatem non conſiſtere in qualibet conformitate. Primò enim ſimilitudo inter duos parietes albos, quæ conformitas quædam eſt, non eſt veritas: non enim alterum parietem dicimus eſſe verum parietem per reſpectum ad alterum, cum etiam ſi vnus paries eſſet in mundo, & cæteri implicarent contradictionem, adhuc ille eſſet veriſſimus paries. Æqualitas etiam inter duas quantitates eſt quædam conformitas, non tamen veritas. Hoc autem non accidit ex eo, quòd omnis veritas, vt aſſerit Suarez in metaphyſ. diſp. 8. ſect. 7. num. 8. ſit conformitas in ordine ad intellectum, nam & intellectus ipſe eſt verus in ordine ad res, & imago dicitur vera per ordinem ad imaginatum extra intellectum: ſed quia huiuſmodi conformitates non ſunt ad aliud, tanquam ad menſuram, ſed tanquam ad purum terminum ſimpliciter correlatiuum.

Suarez.

46. *Subiectũ veritatis non eſt menſura, ſed menſuratũ.*

Secundò, quando ſunt duæ res ita inter ſe conformes, vt tamen vna ab alia dependeat, tunc relatio dependentis ad independens debet dici veritas, non autem relatio independentis ad dependens, ſed hæc dici potius debeat relatio menſuræ. Non enim dicimus verum Cæſarem reſpectu ſuæ imaginis, neque Cæſarem conformem ſuæ imagini; ſed potius, imaginem veram reſpectu Cæſaris, & imaginem conformem Cæſari. Similiter Sol conceptus à Philoſopho, non dicitur verus ex eo quod conformatur conceptui Philoſophi; ſed hic dicitur verus, quia conformatur Soli, prout eſt à parte rei: & domus vera, atque conformis intellectui artificis, non autem verus intellectus artificis, & conformis domui. In his enim, & ſimilibus caſibus, vnus tantùm terminus habet rationem menſuræ, ac regulæ, alter verò ſolum habet rationem menſurati, ac terminati. Ex eo igitur, quod veritas ſit conformitas cum ſua regula, ſequitur in termino menſurato, reſpiciente alium, tanquam menſuram, eſſe veritatem: in termino autem menſurante, reſpiciente alium, tanquam menſuratum, non eſſe veritatem, ſed ſolùm relationem menſuræ.

47. *Secũda concl. Non ſunt intrinſeca rei principia cõtra Aureol.*

Secunda concluſio. Veritas tranſcendentalis non eſt conformitas rei ad ſua principia ſecundùm ſe, & ſimpliciter ſumpta, ſine vllo ordine ad intellectum. Quare menſura, ad quam veritatis relatio terminatur, non ſunt ipſa intrinſeca principia rei, quæ vera dicitur. Ita fere omnes, non explicantes rationem veritatis, niſi per ordinem ad intellectum, ex illa receptiſſima definitione, Veritas eſt adæquatio, ſeu potius conformitas rei, & intellectus. Solùm contrarius videtur Aureolus 1. d. 19. quæſt. 3. art. 2. propoſitione 1. §. *Et ſi dicatur quod res,* dicens, *quod non habito reſpectu ad intellectum, res iudicantur veræ per hoc, quod aſſequuntur naturam propriam, & falſæ, dum non aſſequuntur.* Probatur concluſio, quia Deus eſt verus, & tamen non habet principia. Reperiuntur etiam res ſimpliciter ſimplices, quæ ſunt quidem aliarum rerum principia, tamen ipſa in ſe nulla habent intrinſeca principia, quibus conformari poſſint, & nihilominùs veræ ſunt, ac denominantur. Secundò, ipſamet principia rei principiatæ ſunt vera per ordinem

dinem ad aliquam aliam regulam certiorem, & magis infallibilem, nempe diuinum intellectum: ergo tum rerum, tum principiorum veritas ad hanc regulam referenda eſt. Explicatur ratio. Quia hæc eſſe principia auri, v. g. & non aurichalci, nullo alio ex capite ſcire poſſumus, niſi quia hæc ſunt, quæ omnino infallibilis intellectus Dei cognoſcit eſſe auri principia; ergo veritas communis rebus omnibus non debet eſſe conformitas cum alia re, ſeu menſura, niſi cum intellectu diuino.

48. *Obijcitur.*

Obiicies, homo, v. g. non eſt talis eſſentiæ, quia talis cognoſcitur à Deo; ſed contra potius, ideo talis eſſentia à Deo cognoſcitur, quia talis eſt eſſentialiter: ergo rerum eſſentiæ non habent veritatem ex conformitate ad mentem, ſiue ideam diuinam.

*Reſpondetur, veritatẽ terminari ad rẽ conceptã potius quàm ad conceptionẽ.*

Reſpondeo, ſi magis directò, & formaliter loqui volumus, non eſt ſimpliciter dicendum, veritatem terminari ad intellectum diuinum, quod rectè impugnat ratio obiecta; ſed ad rem ipſam, quam talem eſſe cognoſcit intellectus diuinus, qui certiſſimè ſcit res omnes, & rerum omnium principia. Et ratio à priori eſt, quia regula veritatis, quantum fieri poteſt, debet eſſe certa, ac nota. At rerum principia, & eſſentiæ, ſecundùm ſe, ſunt nobis ignotæ, neque certò, atque infallibiliter ſcimus eſſe has, vel illas: quam infallibilitatem habemus de rerum principiis, rebúſque omnibus à Deo cognitis. In hoc igitur ſenſu accipiendum eſt, quod cum S.Thoma, & aliis communiter diximus, & dicemus, veritatem terminari ad intellectum, & cognitionem Dei. Vnde S.Thomas hîc, cum poſt medium corporis formaliſſimè dixiſſet, *Dicitur verus lapis, quia aſſequitur propriam lapidis naturam, ſecundùm præconceptionem intellectus diuini*, poſtea in reſponſione ad 2. docuit, *Veritatem rerum conſiſtere in comparatione ad intellectum diuinum.*

49. *Tertia concl. Eſt aliquis intellectus.*

Tertia concluſio. Veritas tranſcendentalis eſt conformitas cum aliquo intellectu, ſeu, terminatur ad rem ipſam, vt cognitam ab aliquo intellectu: in hoc ſenſu accipio communiſſimam illam veritatis definitionem, *Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus*, hoc eſt, qua res, quæ dicitur vera, ſic eſt in ſe, ſicut eſſe cognoſcitur ab intellectu, & iuxta hanc concluſionem S. Thomas de Veritate quæſt. 21. art. 1. circa finem corporis, exponit dictum illud Philoſophi 6. metaphyſic. 8. *Verum eſt in mente, non in rebus*, quia, inquit S. Thomas, *vnumquodque ens in tantum dicitur verum, in quantum conformatum eſt, vel conformabile intellectui. Et ideo omnes rectè diffinientes verum, ponunt in eius diffinitione intellectum.* Ratio eſt, quia veritas tranſcendentalis eſt veritas communis rebus omnibus. Sed ex concluſione prima, veritas ſimpliciter eſt conformitas cum ſua menſura; ergo omnes res dici debent veræ tranſcendentaliter in ordine ad id, quod eſt omnium rerum menſura. Hæc autem alia eſſe nequit, niſi aliqua potentia intellectiua, quæ ad omnia entia ſe extendit. Confirmatur, quia ſi quæ alia fingi poteſt rerum omnium menſura, maximè eſſet ipſa diuina eſſentia, in qua rerum omnium perfectiones continentur: ſed hæc non poteſt eſſe, quia diuina eſſentia ita participatur ab vno ente, vt eadem participetur etiam à reliquis omnibus, & ſit participabilis ab infinitis aliis entibus. Cùm igitur menſura eſſe debeat adæquata rei, quam menſurat, diuina eſſentia ſecundùm ſe, abſolutè, & indiſtinctè accepta, conſtitui non poteſt entium menſura; ſed hoc habet ſolùm, vt concipitur ſtare ſub intellectu diuino, eam ſingulis rebus appropriante, ſecundùm illas rationes, ſecundùm quas participatur ab vna re, non ab alia, vt ſupra declaratum eſt de ideis diuinis.

*Quid ex S.Th. ſit illud Ariſt. Verum eſt in mente.*

*Menſura rerum omnium eſt Dei intellectus, potius quàm eſſentia.*

Quarta concluſio. Tranſcendentalis veritas non eſt conformitas cum cognitione intellectus creati. Hoc non obſcurè indicat S. Thomas hîc, circa medium corporis, docens, rerum veritatem conſiſtere per ſe in ordine ad intellectum, à quo res omnes cognoſcuntur, & dependent, qui eſt intellectus Dei; per accidens verò in ordine ad intellectum, à quo res omnes cognoſcuntur tantum, ſed non dependent, qui eſt intellectus creaturæ. Probatur primò, quia veritas tranſcendentalis conuenit etiam Deo, & rebus naturalibus, non fictis per artem alicuius creaturæ. At Deus, & res naturales non ſunt veræ per ordinem ad intellectum creatum; nam quocumque intellectu creaturæ ablato, adhuc Deus eſſet veriſſimus Deus, & Sol veriſſimus Sol, eodémque modo, cætera entia naturalia veriſſima. Secundò, intellectus creatus poteſt decipi: ergo veritatis regula eſſe non poteſt. 50.

*Quarta cõcl. Nõ eſt intellectus creatus.*

*S.Thom.*

Quinta concluſio. Veritas tranſcendentalis eſt conformitas cum cognitione intellectus diuini. Ita ſæpe S. Thomas in hoc articulo, & in tota hac quæſt. & in aliis locis; ſequuntur Thomiſtæ omnes, & præterea Molina hîc, diſput. 1. Fonſeca 4. metaphyſ. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 10. & alij communiter, contra Aureolum 1. d. 19. quæſt. 3. art. 2. propoſit. 1. §. *Ex his patet*, & Vazquez ſupra num. 32. Probatur primò ex confutatione aliarum opinionum, præter quas non videtur alia ſupereſſe, niſi hæc, quæ docet, veritatis relationem terminari ad intellectum diuinum. Secundò, quia hæc veritatis ratio conuenit rebus omnibus, etiam ipſi Deo, eiúſque intellectui: nam ipſe quoque Deus cognoſcit ſuam cognitionem, ac proinde ipſa etiam cognitio diuina vera eſt, & conformis diuino intellectui. Præterea ens, comprehendens Deum & creaturas omnes, verum eſt ex eo, quod conformatur infallibili cognitioni, quam de illo habet Deus. Ergo in hac conformitate conſiſtere debet ratio veritatis communiſſimæ, quam vocamus tranſcendentalem. Tertiò à priori. Diuina cognitio eſt menſura repræſentatiua rerum omnium, eáque infallibilis, & illi infallibiliter conformantur omnia entia, quæ dicuntur vera: ergo conformitas ad talem menſuram communem rebus omnibus, erit veritas cõmunis rebus omnibus. Quartò, res ſaltem ab æterno futuræ, quas Deus æterno ſuo decreto creare ſtatuit in tempore, fuerunt veræ ab æterno: ſicut enim rebus futuris, imò etiam poſſibilibus, antequam præſentialiter exiſtant, conuenit ratio entis, ita etiam ratio veri entis; vera enim entia incipiunt quidem verè exiſtere, non tamen incipiunt eſſe ſimpliciter vera entia. Ergo, quia ex concluſione 3. veritas eſt conformitas cum aliquo intellectu, res dici debent veræ primò, & per ſe, in quantum ſunt conformes alicui intellectui æterno, qui ſolus eſt diuinus. 51.

*Quinta cõcl. Eſt intellectus Dei.*

*Molina. Fonſeca. Aureol. Vazquez.*

*Veritas cõuenit etiam rebus non exiſtentibus.*

## *Occurritur oppoſitis argumentis.*

Obiicies primò ex Aureolo ſupra; *Manifeſtum eſt, quod non conſiderato aliquo ordine ad intellectum diuinum, adhuc iudicari poteſt de rebus, an ſint veræ, vel falſæ.* &, vt arguunt aliqui apud Heruæum quodlib. 3. quæſt. 1. art. 4. argum. 2. *Si per impoſſibile Deus non intelligeret lapides, qui ſunt in profundo maris, adhuc eſſent lapides veri: ergo veritas non eſt definienda per ordinem ad intellectum diuinum.* 52.

*Prima obiect. ex Aureol.*

*Heruæus.*



*Reſpondetur, res abſque ordine ad intellectum eſſe veras materialiter.*

Reſpondet optimè Heruæus ſupra ad 2. Quod tunc illi lapides, eſſent veri lapides, *veritate materiali, & fundamentali; ſed eis non competeret veritas formalis, excluſo omni intellectu.* Quapropter non conſiderato aliquo ordine ad intellectum diuinum, non iudicari poſſet de rebus, an ſint veræ, vel falſæ formaliter; ſed materialiter dumtaxat: & hoc ſolùm probant multa exempla, quæ Aureolus ſupra attulit ad perſuadendum illud ſuum aſſumptum, & aliter ſoluuntur à Capreol. 1. d. 19. q. 3. ar. 2. in reſponſionibus ad argumenta primo loco contra primam concluſionem facta; vbi recurrit ad modum videndi res, vel in ipſomet Deo, eiúſque increatis ideis, vel in lumine participato intellectus creati. Verum difficultas argumentorum Aureoli, non eſt de modo cognoſcendi, ſed de ipſa rerum cognitione, qua cognoſcimus res veras, & tamen non cognoſcimus aliquẽ ordinem ad intellectũ diuinum.

*Aliter reſpõdet Capreol.*

53. *Secũda obiectio ex Aureolo.*

Obiicies 2. ex eod. *Impoſſibile eſt non ignorare conformitatem aliquorum conformium, niſi cognoſcãtur conformia, quæ ſunt extrema conformitatis illius. Sed cõſtat, quòd diuinus intellectus, & ideæ quæ ſunt in Deo, à nobis non cognoſcuntur: ergo nullus poteſt iudicare, vtrùm aliqua res illi intellectui ſit conformis; & per conſequens, nullus ſciet aliquam veritatem ex puris naturalibus.*

*Reſpondetur, in cognitione veritatis, eſſe cognoſcendũ intellectũ diuinũ abſtractiuè, non intuitiuè.*

Reſpondeo, conformia, inter quæ verſatur conformitas, non eſſe eiuſdem rationis; alterum enim ad conformitatem pertinet vt ſubiectum, in quo illa intrinſecè inhæret: alterum verò ad conformitatem pertinet vt terminus extrinſecus, quem illa, quia relatio quædam eſt, reſpicit. v. g. conformitas ſtatuæ Cæſaris, eſt in ſtatua, & terminatur ad Cæſarem extra ſtatuam. Quando igitur cognoſcitur conformitas aliquorum conformium; eſto neceſſarium ſit videre non ſolùm abſtractiuè, ſed etiam intuitiuè conformitatem, eiúſque ſubiectum, nulla tamen ratione, vt fuſius oſtendo ſupra q. 12. art. 2. n. 4. & 44. neceſſarium eſt, videre etiam intuitiuè extrinſecum terminum conformitatis, ſed ſatis eſt illum videre abſtractiuè. Quo modo certum eſt nos ex puris naturalibus cognoſcere diuinum intellectum, & ideas, quæ in eo ſunt; & conſequenter poſſe cognoſcere naturales aliquas veritates.

54. *Tertia obiect.*

Obiicies 3. Non omnes res ſunt æqualiter veræ, 2. metaph. 4. ſed ſunt omnes æqualiter conformes diuinæ cognitioni: ergo huiuſmodi conformitas dici non debet rerum veritas.

*Reſpondetur, veritatẽ non formaliter, ſed fundamẽtaliter ſuſcipere magis, & minus.*

Reſpõdeo, ſi ſumatur veritas formaliter pro ipſa conformitate rei ad cognitionem, quam de illa re Deus habet, tunc res omnes æquè veras eſſe; hæc enim conformitas conſiſtit in indiuiſibili, & non magis, vel minùs conformatur equus diuinæ cognitioni de equo, quàm homo diuinæ cognitioni de homine; ſed verus equus, & verus homo, eodem modo perfectiſſimè conformantur illi cognitioni: ſi enim vel equus, vel homo, in aliquo deficeret ab idea, quam de equo, vel de homine habet Deus, iam non eſſet verus, ſed potius falſus, ac difformis. Quemadmodum ſi imago Cæſaris non repræſentaret totum Cæſarem, prout eſt à parte rei, ſed in aliquo eſſet illi difformis, dici ſimpliciter nõ poſſet vera imago Cæſaris. Si verò ſumatur veritas materialiter pro ipſo ente, cuius paſſio veritas eſt, tũc aliquę res dici poſſunt aliis veriores, vel minùs veræ, prout perfectius, vel imperfectius rationem entis participant. Et de veritate hoc ſecundo modo conſiderata, non primo, intelligendus eſt Philoſophus loc. cit. Vnde in fin. text. concludit, *Quare vt ſecundùm eſſe vnumquodque ſe habet; ita etiã ſecundùm veritatem.* Vbi patet, conſiderari veritatem, non in ordine ad terminum, ſeu regulam, reſpectu cuius conſiſtit in indiuiſibili, ſed in ordine ad ſubiectum, quod eſt eſſe, ſiue ens, reſpectu cuius ſuſcipit magis, vel minus.

*In quo ſenſu dicat Ariſt. non omnia eſſe æqualiter vera.*

Obiicies 4. Hęc veritatis ratio non videtur conuenire noſtris conceptionibus ſpeculatiuis, nec rebus artificiatis: illæ enim dicuntur veræ, in quantum conformantur rebus ſecundùm ſe: hæ autem in quantum conformantur ideis artificum, nulla habita ratione diuinæ cognitionis. Vnde propoſitio, non adæquata obiecto, dicitur falſa, & tamen eſt conformis cognitioni diuinæ de operatione falſa: ſimiliter domus difformis ideæ artificis, eſt falſa, & tamen cõformis eſt ideę, quam habet Deus de illa domo, ſicut de quauis alia re ideata falſa. 55.

*Quarta obiectio.*

*Reſpondetur, veritatẽ conuenire conceptionibus, & artefactis, etiam falſis.*

Reſpondeo, operationes mentis noſtræ, præter veritatem peculiarem, quã ex obiecto participant, habere etiam tranſcendentalem, in quantum conformes ſunt ideæ diuinę de operatione in communi, vel de operatione vera, vel de operatione falſa: quæcunque enim operatio, ſiue conſideretur vt ens, ſiue vt operatio, ſiue vt ſignum, ſiue falſa, ſiue vera ſit per ordinem ad obiectum, ſemper habet aliquid in mente diuina, cui tanquam cuidam menſuræ conformatur; & in ordine ad illud dici poteſt vera tranſcendentaliter, eodem modo, quo reliqua entia. Idem quoque ſentiendum eſt de operibus artefactis: in illis enim præter veritatem in ordine ad intellectum artificis, ineſt veritas in ordine ad intellectum diuinum, in quo ſemper aſſignabile eſt aliquid, cui conformantur, ſiue ſint conformia, ſiue difformia ideæ artificis.

Obiicies 5. Relatio conformitatis eſt relatio æquiparantiæ, hoc eſt, æqualis comparationis; cuius ea natura eſt, vt cum vtroque extremo reciprocetur, veluti ſimilitudo; ſi enim Petrus eſt ſimilis Paulo, ergo & Paulus Petro: quòd ſi Paulus non eſt ſimilis Petro, nec etiam erit Petrus ſimilis Paulo. Sed intellectus diuinus non eſt verus propter conformitatem cum rebus: ergo neque res erunt veræ propter conformitatem cum intellectu diuino. 56.

*Quinta obiectio.*

*Reſpondetur, veritatẽ eſſe relationẽ diſquiparantiæ.*

Reſpondeo, maiorem non eſſe vniuerſaliter veram, vt latè probaui in ſuperiori tom. q. 4. art. 3. concl. 3. Si enim conformitatis, ſeu ſimilitudinis extrema talia ſunt, vt vnum dependeat ab altero, alterum non dependeat, tunc conformitas eſt relatio diſquiparantiæ; ſolùm enim reſultat in extremo dependente: in alio autem independente reſultat alia diuerſa relatio menſuræ, vt dictum eſt ſupra n. 46. Cuius rei ratio colligitur ex concluſione prima, quia relatio talis conformitatis, quæ eſt veritas, reſpicit propriè terminum qui ſit menſura. Sed extremum independens, eſt menſura alterius extremi dependentis, non contra: ergo relatio veritatis non poterit reſultare in extremo independente ad dependens, ſed ſolùm in extremo dependente ad independens; cum igitur res creatæ dependeant, & menſurentur ab intellectu diuino, nõ intellectus diuinus à rebus creatis, res erunt conformes intellectui diuino, non contra. Quamuis Durand. 1. d. 48. q. 1. ad 2. concedat, Deum eſſe conformem creaturis, non tamen conformari, ſed potius creaturas conformari Deo: diſtinguit enim inter cõformari, & eſſe cõforme, ſicut inter aſſimilari, & eſſe ſimile: *quia*, inquit, *cõformari eſt fieri quaſi ad alterius formam: ſed eſſe conforme, dicit abſolutè participationem, vel proportionem plurium in vno.* Verum in hac proprietate vocabulorum ſtandum eſt vſui, qui videtur in contrarium; cùm quicquid dicitur

*Deum neque conformari, neque eſſe cõformem creaturis, contra Durandum.*

conforme, & ſimile alteri, non minus propriè dicatur conformari, & aſſimilari eidem. v. g. ſtatua Cæſaris, etiam quando non ſit conformis, dicitur propriiſſimè conformari Cæſari; & paries albus, etiam quando non ſit ſimilis, aſſimilatur alteri parieti albo. Conformari igitur, & aſſimilari non ſolùm importat ex communi vſu loquendi fieri conforme, & fieri ſimile, ſed etiam eſſe conforme, & eſſe ſimile. Quocirca ſi dici nequit Deus conformari creaturis, neque etiam dici poterit conformis creaturis.

57. *Sexta obiect.*

Obiicies ſextò. Si veritas eſſet conformitas cum cognitione diuina, prius aliqua ratione eſſet, res concipi, & res eſſe intelligibiles à Deo, quàm eſſe veras: quod eſt abſurdum, quia ante veritatem daretur in ente alia paſſio intelligibilitatis, diſtincta ab vno, & bono.

*Reſpondetur, intelligibilitatē non eſſe paſſionem diſtinctā à veritate contra Fonſecam.*

Reſpondet Fonſeca 4. metaph. c. 2. q. 6. ſect. 14. nihil eſſe incommodi, ſi detur alia proprietas entis inter Vnum, & Verum: neq; enim omnes numerãtur à Philoſophis, ſed tantùm inſigniores; nimirum Vnum, quod ſine alterius comparatione dicitur: Verum, per quod omnia habent ordinem ad intellectum: & Bonum, per quod omnia habent ordinē ad appetitum; quibus ſolis potentiis omnia entia obiici poſſunt: ſed melius videtur negare vltimam ſequelam. Non enim intelligibilitas ponenda eſt paſſio diſtincta à veritate, ſed ad veritatem, tanquam illius proximum fundamentum, reuocanda. Idémque proportionaliter dicendum eſt de appetibilitate, quæ bonitatem præcedit. Enimuerò debemus, quoad eius fieri poteſt, ſaluare communem omnium ſentētiam dicentium, Vnum, Verum, Bonum, eſſe primas entis paſſiones. Igitur intelligibilitas, ſi fundamentaliter ſumatur, non eſt entis paſſio, ſed ens ipſum: ſi formaliter pro relatione rationis ad intellectum potentem intelligere, vel ad intellectionem, qua ens proximè poteſt intelligi, eſt quidem iſta relatio prior relatione conformitatis ad rem intellectam, quia conformari rei intellectæ præſupponit illius rei intellectionem; tamen non fuit numerata, neque verò numeranda eſt tanquam paſſio entis realis, quia nihil ferè noui explicabat præter intelligibilitatem fundamentalem, & præter cognitionem ipſam, quam illa relatio intelligibilitatis neceſſariò ſupponit; nam cùm ens ipſum ſit ſuapte natura abſque vlla relatione aptum intelligi, & cognitio ipſa ſit ex ſe realiter apta cognoſcere ens, ſi deinde referas ens vt cognitum, vel vt cognoſcibile per cognitionem, videtur inutilis quædam relatio, qua nihil de nouo exprimitur, quod in ipſa cognitione cognoſcente ens non includeretur explicitè. Relatio verò conformitatis nouum quendam, ac prorſus diſtinctum conceptum addit, vt patet. Eodémque modo philoſophandum de Bono.

58. *Septima obiect. ex Ariſt.*

Obiicies ſeptimò ex Ariſtot. 2. metaph. 4. Res non ſemper ſunt veræ, ſed ſolum dum exiſtunt. Res autem ſiue exiſtant, ſiue non exiſtant, conformantur ſemper ideis diuinis: ergo veritas non eſt conformitas ad ideas diuinas.

*Reſpondetur diſtinguendo duplex verũ in actu, & in potentia.*

Reſpõdeo, ſicut ens duplex eſt, & exiſtens actu, & exiſtens in potentia, ita etiam Verum eſt duplex; alterum, quod conformatur intellectui diuino ſecundùm actualem exiſtentiam; alterum quod eidem conformatur ſecundùm exiſtentiam poſſibilem. Philoſophus igitur videtur primo modo ſumpſiſſe Verum. Nos autem ſumimus vt abſtrahit à primo, & ſecundo modo: quo pacto eſt etiam paſſio entis abſtrahentis ab eo, quod eſſe poteſt, & ab eo, quod eſt actu.

## DVBITATIO VII.

### *An prædicta veritatis tranſcendentalis relatio ſit realis, vel rationis.*

SVMMA.

1 *Probatur non eſſe realem, ſed rationis. n. 59. 60.*
2 *Occurritur contrarijs argumentis. n. 61. ad 69.*
3 *Quomodo verum pertineat ad obiectum intellectus, & bonum ad obiectum voluntatis. n. 61. ad 69.*

59. *Eſt rationis.* S. Thom. Ægid. Capreol. Molina. Vazquez. Fonſeca. Contra Ferrar. Soncin. Aureol. Suar.

DIcendum eſt, non eſſe realem, ſed rationis. Eſt S. Thomæ de Verit. q. 21. art. 1. & 1. ſent. d. 19. q. 5. art. 1. Ægidij 1. d. 19. p. 2. q. 1. ad 2. Capreoli 1. d. 19. q. 3. art. 1. concluſ. 2. & art. 2. ad 1. eorum, quæ ſecundo loco inducta ſunt ab Aureolo contra primam concluſionem, & ad 2. Durandi, & Heruæi; eſt præterea Molinæ hîc, diſp. 2. Vazquez diſp. 77. c. 3. Fonſecæ 4. metaph. c. 2. q. 6. ſect. 2. concl. 1. qui rectè adnotauit, in hanc concluſionem omnes penè conuenire. Quamuis contrarium ſentiant Ferrarienſis 1. contra gent. c. 60. §. *Ex quibus*. & Soncinas 6. metaph. q. 17. immediatè ante §. *Quantum ad ſecundum*, Aureolus 1. d. 19. q. 3. art. 2. propoſit. 1. §. *Ex prædictis*. contendens, neque eſſe reſpectum realem, neque rationis. Sicut etiam Suarez in metaph. diſp. 8. ſect. 7. n. 11. & 24. vniuerſalius contradicens, cum conceptum veritatis, neque velit eſſe abſolutum, neque vllo modo reſpectiuum, neque negatiuum, neque denominationem extrinſecam. Quo omnem planè conceptum veritati adimere, eúmque nihil prorſus eſſe affirmare videtur, quamuis in illo indagando, atque explicando multum laboret.

60. *Probatur non eſſe realem.*

Quòd veritatis relatio non ſit realis, probatur, primò ratione Aureoli ſupra, quia cùm Deus ſit ens veriſſimum, veritate etiam tranſcendentali, daretur in Deo aliqua realis relatio, quæ omnibus diuinis perſonis communis eſſet. Quod & Sanctorum, & omnium penè Scholaſticorum dictis repugnat, vt latius oſtendit Suarez loc. cit. n. 12. Secundò, veritas eſt proprietas cuiuſcumque entis realis: quoduis enim vt eſt, cognoſcitur à Deo, & eius cognitioni conformatur: ergo nõ poteſt eſſe aliquod ens reale: alioquin idem eſſet proprietas ſui ipſius; & ſubiectum de proprietate prædicaretur in recto eſſentialiter. Quod repugnare probaui tom. 1. q. 5. art. 1. dub. 5.

*Probatur eſſe rationis.*

Præterea quòd ſit relatio rationis probatur tertiò, quia ex dub. 5. conceptus veritatis formaliter eſt verè, ac propriè reſpectiuus, non realis, vt modò probatum eſt; ergo rationis: cùm omnis formalis reſpectus adæquatè diuidatur in realem, & rationis. Quartò, veritas conſiſtit in conformitatis relatione, quam res in ſe habet ad eandem rem, vt eminenter contentam in eſſentia diuina, & formaliter, ac diſtinctè cognitam à diuino intellectu; ergo eſt relatio eiuſdem ad ſe ipſum: ergo non realis, ſed rationis. Quocirca optimè docuit S. Thomas 1. d. 19. q. 5. art. 5. aliquanto poſt principium corporis. *Quod veritas habet fundamentum in re, ſed ratio eius completur per actionem intellectus; vnde dicit Philoſophus 6. metaph. quod verum, & falſum ſunt in anima; ſed bonum, & malum in rebus.* (S. Thomas. Ariſtoteles.)

61. *Prima obiect. ex Aureol.*

Obiicies primò ex Aureolo ſupra. *Conſtat, quòd veritas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & quòd attribuitur primo principio in ſummo.* Veritati enim conuenit vulgata definitio perfectionis ſimpliciter ſimplicis; cùm melius ſit vnicuiq; verum eſſe, quàm non eſſe verum. Et Patres, ac Scholaſtici omnes, Deum primã veritatem, ac ſummam veritatem eſſe docēt.

Vnde



Ioan. 14. Ariſtoteles.

Vnde ipſemet Dominus de ſe ipſo dicit Ioan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Præterea Ariſtot. lib. 2. metaphyſ. initio ait, *ſpeculatio de veritate partim difficilis, partim facilis eſt.* & textu 3. Philoſophiam appellat, *ſcientiam veritatis contemplatricem.* & Auguſtinus apud S. Thomam quæſt. 1. de Veritate art. 1. in 1. argum. definit, *verum eſſe id quod eſt.* Quæ omnia indicant, veritatem non ſolùm eſſe ens reale, ſed perfectiſſimum ens reale. (*Definitio veritatis ex Auguſt.*)

*Reſpondetur, multa dici de veritate materialiter accepta.*

Reſpondeo, veritatem non ſemper ſumi formaliter pro relatione rationis; ſed aliquando pro vero, atque infallibili iudicio de rebus, & ſic Deus dicitur perfectiſſima, & prima veritas, quia eius omnino infallibile iudicium de rebus eſt prima, & ab omni alio independens, atque vniuerſaliſſima norma, ac regula omnis veri iudicij, & rerum omnium. Aliquando pro vero, ſeu rebus veris; & ſic exponi etiam poteſt, cùm dicitur Deus veritas prima, ac perfectiſſima; & cùm dicitur Philoſophia, ſpeculatio veritatis, hoc eſt, rerum verarum. Aliquando pro ipſa cognitione veri, & hoc pacto veritas dici ſolet perfectio intellectus, & cibus animi; non enim intellectus tam expetit cognitionem ipſius relationis, quæ eſt formalis veritas, quàm cognitionem rei veræ. Aliquando fundamentaliter pro ipſo ente, quod eſt fundamētum relationis veritatis; & ita S. Thomas ſupra ait, *illa definitio Auguſtini datur de vero ſecundùm id quod habet fundamentum in re, & non ſecundùm id, quo veri ratio completur in adæquatione rei ad intellectum*: & in eodem ſenſu, ſicut eſſe ſimpliciter, ita veritas, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; & cuilibet melius eſt verum eſſe, quàm non eſſe. (*In quo ſenſu dicitur Deus veritas Ioan. 14.* — *Quomodo veritas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex.*)

62. *Secũda obiectio ex Aureolo.*

Obiicies ſecundò ex eodem, ſi veritas conſiſteret in relatione rationis, tunc circumſcripto actu intellectus, veritas in Deo non eſſet.

*Reſpondetur cum Capreol. & S. Thoma, abſque intellectu nihil eſſe formaliter verum.*

Reſpondeo cum Capreolo ſupra ad 1. concedendo ſequelam, ſi veritas ſumatur formaliter, & præcisè pro eo quod addit ſupra ens, quod additum non poteſt in aliquo reali conſiſtere, ſed in ſolo reſpectu rationis; in quo ſenſu dicit S. Thomas de Veritate quæſt. 1. artic. 2. fine corporis, *ſi vterque intellectus*, nempe diuinus, & humanus, *quod eſt impoſſibile, intelligeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret*; negando autem, ſi ſumatur materialiter, pro omni eo quod ſubſternitur prædicto reſpectui: hoc enim formaliſſimè, ac perfectiſſimè ſemper eſt in Deo, independenter ab omni intellectu creato, à quo ſolum pendere poteſt ens rationis relatiuum.

63. *Tertia obiect. ex Soncinate, & Ferrarieſ.*

Obiicies tertiò fundamentum Soncinatis ſupra, quod clarius ita ſumit etiam Ferrarienſis ſupra: *reſpectus ad intellectum diuinum eſt realis, quia eſt reſpectus menſurati ad menſuram; eſt enim intellectus diuinus menſura omnium rerum, ſicut intellectus artificis eſt menſura artificiatorum.* Reſpectum autem menſurati ad menſuram eſſe realem, conſtat ex dictis ſupra num. 26.

*Reſpondetur explicando magis diſtinctè, quomodo veritas reſpiciat intellectum diuinũ.*

Reſpondeo, reſpectum veritatis tranſcendentalis ad intellectum diuinum, poſſe tribus modis explicari: primo per ordinem ad ipſam cognitionem directè, quæ eſt cauſa rerum, ex q. 14. art. 8. & ſic eſt reſpectus realis, quem omnis creatura, vt effectus, habet ad ſcientiam diuinam, vt cauſam directiuam. Secundo per ordinem ad ideam diuinam, vt formaliter ideam, quam quæſt. præcedenti art. 1. probauimus eſſe eſſentiam Dei, non creaturam; & ſic etiam eſt reſpectus realis, quia eſſentia, & creatura extra illam, ſunt res diſtinctæ, & creatura ad eſſentiam vt ideam comparatur etiam tanquam effectus ad cauſam ſuam exemplarem. Tertio, per ordinem ad hanc, vel illam creaturam, quam etiam diſtinctè includit eſſentia, vt formaliter idea, hoc eſt, vt cognita imitabilis ab hac, vel illa creatura; ſicut fuſiùs declaratum eſt q. 15. art. 1. & 2. & ſic eſt reſpectus rationis, ſcilicet eiuſdem ad ſe ipſum: nam eadem res ſecundùm ſe, & extra Deum conſiderata, habet rationem ideati, & menſurati; conſiderata verò vt ſtat obiectiuè ſub intellectu diuino cognoſcēte eſſentiã ſuam, hoc, vel illo modo, ab hac, vel illa creatura imitabilem, ſeu participabilem, habet rationem ideæ, ac menſuræ. In quo caſu menſuratũ non refertur realiter ad menſuram ex defectu diſtinctionis, quam omnis realis relatio poſtulat, quæ eſt ordo vnius ad aliud realiter. Neque ex alio capite eſt neceſſarium, vt exemplar ſit diſtinctum à re cuius eſt exemplar, vt cum Molina notabam ſupra q. 15. art. 1. n. 3. Quando igitur in ſuperioribus cum S. Thoma & aliis dicimus, tranſcendentalem rerum omnium veritatem conſiſtere in reſpectu ad intellectum diuinum, tanquam menſurati ad menſurã, ſiue ideati ad ideam, id non eſt intelligendum primo, & ſecundo modo, vbi realis reſpectus interuenit; ſed tertio modo dumtaxat, qui non eſt per alium reſpectum, niſi rationis.

64. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Obiectum intellectus eſt verum, ergo verum præcedere debet intellectum: ſed relatio rationis eſt poſt actum intellectus, cùm ab hoc ſuum eſſe habeat: ergo verum conſiſtere non poteſt in relatione rationis.

*Reſpondetur cum S. Thom. Auicen. Scot. Capr. Caiet. Vazq. Molin. Zumel, Fonſeca, verum formaliter nõ eſſe obiectum intellectus.*

Reſpondeo cum S. Thoma infra art. 3. ad 3. & de Veritate q. 1. art. 1. & Auicenna apud ipſum initio corp. cum Scoto 1. d. 3. q. 4. Capreol. 1. d. 19. q. 3. art. 2. ad 1. Durand. contra primam concluſionem 3. loco, Caietan. infra art. 3. §. *in reſponſione ad* 3. & aliis communiter, quos ſequuntur Vazquez hîc, d. 77. c. 5. Molina diſp. 3. Zumel diſp. 1. in dub. vlt. & valde probabiliter ſentire dixit Fonſeca 4. metaphyſ. c. 2. q. 6. in fin. obiectum per ſe intellectus non eſſe verum, formaliter loquendo, ſiue, vt loquitur Capreolus ſupra, *ſub ratione veri*, hoc eſt, ratione eius quod verum addit ſupra ens, ſed eſſe ens ipſum, quod, vt *obiectum intellectus actu intellectum conſequitur veritas tanquam paſſio*, vt loquitur idem Capreol. vel *tanquam conditio*, vt loquitur Vazquez ſupra. Quamobrem in hoc maximè differt verum reſpectu intellectus à bono reſpectu voluntatis; quia ens bonum, non ſub formali ratione entis, ſed ſub formali ratione boni eſt obiectum formale voluntatis; quicquid enim voluntas appetit, non appetit, quia apprehenditur eſſe ens, ſed quia apprehenditur eſſe conueniens, quod eſt eſſe bonum, vt formaliter bonum, ex dictis ſupra q. 5. art. 1. Contra autem ens verum, non ſub formali ratione veri, ſed ſub formali ratione entis eſt formale obiectum intellectus, qui omne quod intelligit, ideo intelligit, quia præſupponitur eſſe ens, & non quia præſupponitur eſſe verum, quod formaliter conſurgit ex eo, quod iam eſt intellectum ens. Vnde hanc ob cauſam præcipuè omnes cum Philoſopho pronunciamus 6. metaph. 8. Bonum eſſe in rebus, verum in intellectu. Quæ doctrina hoc loco ſupponenda eſt latius probata ex aliis materiis. Nunc ſatis fuerit eam breuiter ſuadere duabus rationibus; altera S. Thomæ infra art. 3. ad 3. quia verum non poteſt apprehendi ab intellectu, niſi apprehēdatur ratio entis, quia ens cadit in ratione veri: & tamen ens apprehenditur, etiã ſi non apprehendatur ratio veri; quãquam ratio veri ſemper conſequitur apprehenſionē entis, cùm non poſſit eſſe ens (*Differentia inter verum, & bonum.* — *Exponitur illud Ariſtot. Bonum eſſe in rebus, verum in intellectu.* — *Verum nõ eſſe obiectũ intellectus probatur ratione S. Thomæ.*)

apprehenſum, quin ſit conforme ſuæ menſuræ.

*Probatur ratione Scoti.*

Altera Scoti ſupra, quia obiectum habitus cuiuſcumque potentiæ non eſt prius natura obiecto potentiæ; cùm enim habitus ſit quædam perfectio adueniens potentiæ, non poteſt verſari circa obiectum, quod ſit extra obiectum ipſius potentiæ. Sed obiectum metaphyſicæ, quæ eſt habitus intellectiuæ potentiæ, non eſt verum, ſed ens; quod quidem naturæ ordine antecedit verum; ergo verum non eſt per ſe obiectum intellectus, ſed conſequens aliud per ſe obiectum, nempe ens.

65. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò, fundamentum veritatis eſt reale, nimirum ipſa entitas rei: ergo veritas eſt relatio realis.

*Reſpondetur explicando quodnam ſit proximũ fundamentum veritatis.*

Reſpondeo, fundamentum non eſſe realem entitatem ſimpliciter, ſed vt ſtat ſub apprehenſione, ſiue vt apprehenſam. Vnde S. Thomas ſupra in hoc ſenſu dixit, *Ratio veri aſſequitur apprehenſionem entis; non dixit, aſſequitur ens, ſed formalius, apprehenſionem entis.* Et ſignificat Capreolus ſupra illis verbis, *Veritas eſt paſſio obiecti intellectus, vt intellectum in actu.* Etenim veritatis tranſcendentalis, relatio non fundatur in entitate rei ſimpliciter, ſed in entitate cognita ab intellectu diuino. Qua ratione fundamentum non eſt merè naturale, ſed intentionale, hoc eſt, dependens etiam ab operatione intellectus, cuius generis fundamenta fundare facilè poſſunt relationes rationis.

66. *Sexta obiect. ex Suarez.*

Obiicies ſexto ex Suarez loco citato, relatio rationis eſt per fictionem intellectus; ſed verum ficto repugnat, ergo verum non claudit in ſuo conceptu relationem rationis.

*Reſpondetur, veritatis relationem non ſingi ab intellectu.*

Reſpondeo, maiorem ſimpliciter negandam eſſe: nam relatio rationis, quæ eſt veritas, non per ſe, & propriè fingitur, vt hircoceruus; ſed magnum habet in re fundamentum, quod imperfectus creaturæ intellectus concipere non poteſt, niſi obiiciendo ſibi in rebus aliquam relationem, quæ verè in rebus non eſt.

67. *Septima obiectio ex Suar.*

Obiicies ſeptimò ex eodem: ante conſiderationem intellectus, Deus eſt verus Deus, completa, & exacta ratione veritatis; & aurum eſt verum aurum; ergo veritas non eſt poſita in relatione rationis.

*Reſpondetur, non eſſe veritatem ſine intellectu.*

Reſpondeo, negandum eſſe antecedens de vero formaliter, admittendum in aliis ſenſibus explicatis ſupra ad 1. & 2.

68. *Octaua obiectio ex Suar.*

Obiicies octauò ex eodem in numero ſuo 15. & 16. tum quia res artefacta, non eſt conformis per relationem ad intellectum artificis, ſed quia eſt talis, qualem ars poſtulat, hoc eſt, habet talem figuram, proportionem, &c. abſque ordine rationis ad artem. Tum quia prius natura eſt, creaturam eſſe productam, quàm referri ad Deum per intellectum, quia illud eſt fundamentum huius; ſed in illo priori creatura eſt vera; ergo verum non addit conceptum relatiuum per intellectum.

*Reſpondetur diſtinguendo veritatem in formalem, & fundamentalem.*

Reſpondeo, hæc, & ſimilia poſſe facilè ſolui, ſi diſtinxerimus conformitatem, & veritatem, in formalem, & fundamentalem, vt diſtinguunt S. Thomas, Heruæus, Durandus, aliíque ferè omnes Doctores ſuperius allati. Igitur artefacta, ſunt conformia formaliter per relationem conformitatis; fundamentaliter per figuram, proportionem, &c. creatura quoque in illo priori eſt vera fundamentaliter, non formaliter.

## DVBITATIO VIII.

### *An veritas ſit ſolo intellectu, vel etiam in rebus.*

#### SVMMA.

1. *Veritas in repræſentando eſt formaliter in intellectu; cauſaliter in rebus reſpectu intellectus creati; quaſi cauſaliter in diuina eſſentia reſpectu intellectus diuini. num. 69.*
2. *Veritas in eſſendo eſt formaliter in omni re. num. 70.*
3. *Tamen principalius eſt in intellectu diuino. num. 71.*
4. *Quomodo in ratione veri ſe habeant diuina eſſentia, & diuinus intellectus. num. 71. 72.*
5. *Diluuntur tres obiectiones num. 73. ad finem articuli.*

HOc eſt quæſitum, quod directè intenditur à S. Thoma in hoc articulo, & non poterat ſufficienter ſolui, niſi diſtincta prius duplici veritate, & vtriuſque natura diligenter inueſtigata. Ex quibus quid ad propoſitam quæſtionem reſpondendum ſit facilè conſtat.

69. *Prima concl. Veritas in repræſentando eſt in ſolo intellectu formaliter.*

Prima concluſio. Veritas intellectus in repræſentando eſt tantum formaliter, & intrinſecè in intellectu; in rebus autem non eſt niſi cauſaliter, vel quaſi cauſaliter. Hæc concluſio abundè, & auctoritatibus, & rationibus probata remanet ex dictis dubitatione prima, præſertim concluſione 3. Solum quoad modum loquendi aduerto primò, me vocare veritatem intellectus non ſimpliciter, ſed limitatè, *in repræſentando*; quia eſt alia veritas intellectus in eſſendo, quæ eſt veritas tranſcendentalis conueniens rebus omnibus, atque adeo ipſimet intellectui, qui proculdubio res quædam eſt. Secundò, cum dicitur veritas repræſentatiua in intellectu eſſe *formaliter, & intrinſecè,* non ſignificatur forma intrinſeca realiter inhærens, ſed vel inhærens realiter, vel inhærens obiectiuè, quæ nimirum per intellectum concipitur ineſſe, ſed verè extra animam non ineſt: quia ex dubitatione 2. concluſione 3. hæc veritas aliquando eſt relatio realis, aliquando ſolius rationis. Tertiò, cum eadem veritas dicitur in rebus *eſſe cauſaliter*, quomodo loquitur Bagnes hîc, notabili ſecundo, & ſequitur Zumel in fine diſcurſus articuli, nihil aliud ſignificatur niſi quod docet S. Thomas hîc ad 3. *eſſe rei, non veritas eius cauſat veritatem intellectus*; & quod dicunt aliqui apud Aureolum 1. d. 19. quæſt. 3. artic. 2. propoſitione 1. §. *Et ſi dicatur quòd ſunt vera cauſaliter, per hoc, quòd ſunt aptæ natæ non decipere intellectum.* Et magis directè alij apud Heruæum quodlib. 3. quæſt. 1. art. 2. initio, *Veritas non eſt in re, niſi tantum cauſaliter:* eumdémque loquendi modum refert Durandus 1. d. 19. quæſt. 3. num. 4. Hoc autem intelligendum eſt de rebus in ordine ad intellectum creatum, cuius veritas verè, ac realiter cauſatur ab obiecto, vel ſpecie gerente vices obiecti. Et ideo S. Thomas ſupra id prudenter limitat ad intellectum noſtrum, dicens, *licet veritas intellectus noſtri à re cauſetur.* Enimuerò veritas, quam habet intellectus diuinus in repræſentando, neque vllo modo cauſatur, aut habetur à rebus creatis, quæ non ſunt eius obiectum, ſed purus terminus obiectiuus, vt ſupra quæſt. 14. artic. 5. neque propriè cauſatur, aut dependet ab ipſa diuina eſſentia, quæ ſola eſt proprium, ac formale obiectũ illius; quia ſunt omnino idem, cùm ex S. Thoma ſupra quæſt. 14. art. 4. *ipſum eius intelligere ſit eius eſſentia,*

*Sed cauſaliter, & quaſi cauſaliter eſt in rebus.* Bagnes. Zumel. S. Thomas. Aureol. Heruæus. Durandus.

*Quomodo veritas diuini intellectus pendeat ab eſſentia diuina.*



*eſſentia, & eius eſſe.* Habetur tamen ex diuina eſſentia, tanquam ex aliquo priori ſecundùm rationem ratiocinatam præſuppoſito in ratione conformitatis per ſimplicem quamdam adæquationem abſque vlla vera dependentia, & cauſalitate. Propter quam prioritatis rationem dumtaxat, valet dicere, ideo intellectus diuinus taliter repræſentat Deum, quia Deus in ſe taliter eſt, & taliter repræſentari exigit: non autem contra, ideo Deus taliter in ſe eſt, quia taliter repræſentatur ab intellectu ſuo. Atque ad hanc veritatem intellectus diuini reſpiciens, dixi in concluſione, quod veritas in repræſentando, non ſemper eſt cauſaliter in rebus repræſentatis, ſed interdum eſt ſolum, *quaſi cauſaliter.*

70. *Secũda concl. Veritas in eſſendo eſt formaliter in omni re.*

Secunda concluſio. Veritas tranſcendentalis in eſſendo, in quocunque intellectu, ſiue increato, ſiue creato, & in quacunque alia re eſt formaliter, & intrinſecè, non quidem realiter, ſeu ſubiectiuè in re, ſed obiectiuè tantum in intellectu. Hæc etiam concluſio probata ſufficienter remanet ex duobus ſupra probatis, primò in dubitatione 3. cum Ariſtotele, S. Thoma, Capreolo, & aliis communiter contra Caietan. & Vazquez, quòd res non ſunt tranſcendentaliter veræ per puram denominationem extrinſecam à veritate alicuius intellectus.

*Contra concluſionem nõ eſſe Syluestrũ, Ægidium, & Ferrarienſ.*

Neque diſſentiunt Syluest. 1. p. conflati, quæſt. 16. art. 8. quamuis enim §. 1. & §. 2. initio videatur contrarius, tamen eodem §. 2. in tertia adnotatione refert, & reiicit ſententiam Caietani. Neque etiam Ægidius 1. d. 19. part. 2. quæſt. 1. & 2. neque Ferrarienſis 1. contra gent. cap. 60. §. *Ex quibus.* vt aliqui referunt. Quamuis enim Ægidius quæſt. 1. neget, *res eſſe ſubiectum veritatis*; tamen eum loqui iuxta primam concluſionem de veritate repræſentatiua, patet ex eo, quod deinde limitando dictum ſuum ita ſubdit, *licet ſecundùm alium modum ſumpta veritas reperiatur in rebus.* Vnde ad 2. loquens de veritate tranſcendentali, & explicans quid addat verum enti, ait, *illa additio non eſt quid rei, ſed quid rationis, quæ conſequitur omne quod eſt: ſicut vnum ſupra ens indiuiſionem addit.* Ergo ſecundùm ipſum ſicut ens eſt ſubiectum vnitatis, ita & *veritatis.* & ad 4. *verum addit ſupra ens ordinem ad intellectum; & eſt ibi talis ordo.* & quæſt. 2. fusè, & bene declarat, ita eſſe veritatem in intellectu diuino, & in rebus, ſicut eſt ens in ſubſtantia, & accidente.

*Veritas ita eſt in rebus, & in intellectu, ſicut ens in accidente, & ſubſtãtia.*

Sunt autem in ſe formaliter, & intrinſecè ens non ſolùm ſubſtantiæ, ſed etiam accidentia: ergo pariter veritas erit formaliter, & intrinſecè non ſolùm in intellectu diuino, ſed etiam in aliis omnibus rebus; ſed ſicut ens principaliùs, & per ſe eſt in ſubſtantia, & non eſt in accidente, niſi ſecundariò per eſſentialem ordinem ad ſubſtantiam, vnde illud dicitur non eſſe abſolutè ens, ſed potius entis ens; ita verum eſt in intellectu, & in rebus iuxta ſequentem concluſionem. In quo etiam ſenſu ſcripſit Ferrarienſis ſupra, *Quòd licet veritas modò ſit in re, tamen illa impropriè dicitur veritas, cùm veritas primò, & per ſe ſit in intellectu: vnde ſimpliciter, & propriè loquendo, res non dicitur vera niſi extrinſeca denominatione, ſcilicet, à veritate intellectus: à forma autem in ſe exiſtente intrinſecè dicitur vera, ſed impropriè; ſicut medicina propriè dicitur ſana à ſanitate exiſtente in animali, impropriè autem à virtute in ipſa exiſtente.* Quibus verbis non vult à rebus excludere veritatem, quæ illis nullo modo formaliter conueniat, ſed ſolùm vult explicare huius formalis veritatis dependentiam à prima, atque omnino independente veritate intellectus diuini, vt ſupra num. 31. & 33. dictum eſt de S. Thoma.

Vnde Ferrarienſis in alio præcedenti §. *Quartò veritas.* pro hac concluſione clarè dixit, *Quod veritas, licet in intellectu ponatur, eſt tamen etiam in re, in quantum res propriam ſui rationem, quæ eſt in mente diuina imitatur.* Eodémque modo dixit Soncinas 6. metaphyſic. quæſt. 17. art. 1. in fine corporis. *Adæquatio, & conformitas eſt in creatura ad intellectum diuinum, ſiue ad ideam in eo exiſtentem.* Secundò eadem concluſio probata remanet ex dictis in d. 7. quod veritas tranſcendentalis non ſit relatio realis, ſed rationis.

Soncinas.

71. *Tertia concl. Veritas trãſcendentalis eſt principaliter in intellectu diuino.*

Tertia concluſio. Eadem veritas tranſcendentalis, *principaliter eſt in intellectu diuino, ſecundariò verò in rebus, ſecundùm quod comparantur ad intellectum diuinum, vt ad principium.* Ita S. Thomas hîc, & aliis in locis, in quibus de hac materia agit. Et ſequuntur Ægidius, Capreolus, Soncinas, Ferrarienſis, & alij ſupra citati, & fortaſſe non plus voluit Caietanus impugnatus ſupra dub. 3. Sequitur concluſio ex dub. 6. concluſ. 5. quòd omnium rerum veritas terminatur eſſentialiter ad veritatem intellectus diuini: inter quas duas veritates facta comparatione, hæc ſine dubio eſt longè præſtantior illa; primò, quia veritas huius, vel illius rei, eſt veritas particularis; veritas autem intellectus diuini eſt generaliſſima. Secundò, quia veritas diuina ad veritates creatas comparatur vt principium; cùm Deus per intellectum ſuum, ideáſque in eo exiſtentes, ſit cauſa directiua, & exemplaris rerum, & veritatum omnium ad extra; comparata verò ad ipſammet Dei eſſentiam, quamuis non ſit illius principium, aut exemplar, aut quomodolibet cauſa, nec vllam prorſus reſpectu illius habeat prioritatis rationem in genere entis, tamen prior illa eſt in genere veri formaliter, in quantum diuinus intellectus non eſt verus propter veritatem exiſtentem formaliter in eſſentia diuina, ſed contra potius, hæc eſt vera propter veritatem exiſtentem formaliter in diuino intellectu. Quod ita explico: Eſſentia Dei eſt formaliter vera in eſſendo, intellectus Dei eſt formaliter verus in repræſentãdo, veritas eſſentiæ, vt eſt formaliter relatio cõformitatis, terminatur eſſentialiter ad veritatem intellectus, ab eáque regulatur, & quodammodo pendet: omnis enim relatio conformitatis, ac veritatis, eſt relatio menſurati ad menſuram; menſuratum autem, vt formaliter menſuratum, regulatur, & aliqua ratione pendet à ſua menſura: ergo Dei eſſentia, in quantum eſt formaliter vera, debet regulari, & quodammodo pendere ab aliqua menſura, ſeu regula: quæ alia eſſe non poteſt, niſi intellectus ipſiuſmet eſſentiæ, in ea eſſentialiter incluſus. Ergo eſſentia diuina in quantum formaliter vera, ſiue in formali ratione veritatis, pendet quodammodo à veritate, ſeu vera repræſentatione intellectus diuini: ita vt ideo Dei eſſentia ſit formaliter vera, quia conformatur veriſſimæ cognitioni, quam de eſſentia Dei habet diuinus intellectus, & non contra, ideo intellectus Dei eſt verus, quia conformatur veritati eſſentiæ diuinæ, quia ante veritatem in repræſentando diuini intellectus, nulla formalis veritas in eſſendo fingi poteſt in diuina eſſentia, ſed tantum veritas fundamentalis, vt bene notat Bagnes hîc, notabili 3. Ex alia verò parte veritas intellectus diuini, quia non minùs quàm veritas eſſentiæ eſt conformitas cum ſua regula, ipſa etiam reſpicere debet priorem aliquam menſuram, à qua pariter reguletur, & quodammodo pendeat, quæ alia eſſe non poteſt, niſi proprium, ac formale eius obiectum, quod eſt ſola diuina eſſentia, non prout vera formaliter,

*Quo modo in ratione veri ſe habeãt diuina eſſentia, & diuinus intellectus.*

Bagnes.

ſed ſolum prout eſt à parte rei, quæ vt formaliter regulans intellectum diuinum, habet vt illi conueniat, non relatio veritatis, & menſurati, ſed potius oppoſita relatio menſuræ ad menſuratum. Et in hoc alio ſenſu verificantur contrariæ cauſales poſitæ ſupra num. 69. circa finem; & cognitioni, atque eſſentiæ Dei applicare poſſumus, quod S. Thomas hic ad 3. cum Ariſtotele dixit de opinione, & oratione, nempe, *quòd cognitio Dei de ſua eſſentia vera eſt, ex eo quòd eſſentia diuina eſt; non ex eo, quòd eſſentia diuina vera eſt*. Et hoc eſt, quod antea dicebam, eſſentiam diuinam eſſe priorem cognitione diuina in genere entis, cognitionem autem diuinam eſſe priorem diuina eſſentia in genere veri.

S. Thomas.

*Veritas intellectus diuini in repræſentãdo eſt prior omni alia veritate, etiã eſſentia diuina.*

72. Atque ex his habetur tertia præſtantia veritatis intellectus diuini ſupra omnem aliam veritatem, quia illa eſt ſimpliciter prima, & eſſentialiter præſuppoſita ab omni alia veritate: omnis enim veritas rei, ſiue creatæ, ſiue etiam increatæ, eſſentialiter reſpicit, & præſupponit veritatem intellectus diuini in repræſentando: hæc verò, licet reſpiciat, & præſupponat eſſentiam diuinam, vt formaliter eſſentia diuina eſt, ſub qua formali ratione non eſt formaliter vera, ſed ſolum fundamentaliter, tamen nullam aliam formalem veritatem, neque in eſſendo, neque in repræſentando reſpicit, aut præſupponit: ergo illa eſt veritas omnium prima, & in hoc ſenſu vera eſt hæc concluſio S. Thomæ, quòd veritas *principaliter eſt in intellectu, ſecundariò in rebus, ſecundùm quod comparantur ad intellectum.* Ex quibus patet, quòd veritas tranſcendentalis in ſuo eſſentiali conceptu claudit duplex genus veritatis, alterum in eſſendo reſpectu ſubiecti, in quo formaliter eſt; alterum in repræſentando, reſpectu termini, ad quem eſſentialiter ordinatur. Eſt enim veritas tranſcendentalis, quædam veritas, quam habet omnis res in ſuo eſſe, ſed terminatur ad veritatem prorſus infallibilem, quam intellectus diuinus habet in repræſentando quodlibet eſſe cuiuſcunque rei.

*Quo modo in veritate trãſcendẽtali ſit duplex veritatis genus.*

73. *Prima obiect.* Obiicies primò. Veritas rei cauſa eſt veritatis in intellectu, docente Philoſopho in Prædicamentis cap. de ſubſtantia circa finem. *Eo quod res eſt, aut non eſt, eo etiam oratio vera, vel falſa eſſe dicitur.* Ergo veritas per prius, & principalius eſt in rebus, quàm in intellectu. Conſequentia patet ex illo axiomate 1. Poſteriorum t. 5. *Propter quod eſt vnumquodque, illud magis eſt.*

*Reſpondetur cum S. Thom. & Capr. veritatẽ intellectus cauſari à re, non à veritate rei.*

Reſpondet optimè S. Thomas hîc ad 3. & Capreolus 1. d. 19. quæſt. 3. art. 2. ad primum eorum, quæ quarto loco inducit ex aliis innominatis contra primam concluſionem; negandum eſt igitur antecedens, formaliter loquendo de veritate, non de re: quoniam, inquit S. Thomas, *eſſe rei, non veritas eius, cauſat veritatem intellectus; ſicut virtus medicinæ, non ſanitas eius cauſat ſanitatem in animali.* Neque repugnat Philoſophus, quia, vt acutè adnotauit ibidem S. Thomas, *Philoſophus dicit, quòd opinio, & oratio vera eſt, ex eo quòd res eſt, non ex eo quòd res vera eſt.* Ergo formaliter loquendo, non veritas rei, ſed res ipſa cauſat veritatem intellectus, in quo caſu non habet locum illud axioma, quia, vt rectè ratiocinatur S. Thomas ibidem, non eſt agens vniuocum.

*Exponuntur duo Ariſtot. axiomata.*

74. *Secunda obiectio.* Obiicies ſecundò. Res per id eſt vera, per quod manifeſtatur; quia verum eſſe eſt eſſe manifeſtatiuum. Sed res manifeſtant ſe per ſuas actualitates, quæ in ſe ipſis ſunt, & non in intellectu, quia 9. metaphyſic. 20. Quod eſt in potentia, eſt ignotum, quod eſt in actu, eſt manifeſtum; ergo rerum veritas eſt principaliter, vel etiam ſolum in rebus, non in intellectu.

*Reſpondetur cum Capreol. explicãdo per quid dicatur aliquod verum.*

Reſpondeo cum Capreolo ſupra ad 5. illud, *per*, aliquando ſignificare cauſam effectiuam, vt cùm dicitur, aër eſt illuminatus per Solem; aliquando cauſam fundamentalem, vt cùm dicitur, res per ſuam entitatem eſt vna, vel homo eſt pater per potentiam generatiuam, ſeu per generare; aliquando cauſam formalem, vt cùm dicitur, homo eſt albus, pater eſt pater per albedinem, panitatem, &c. Igitur in caſu noſtro ſi illud, *per*, dicat cauſam formalem, res non ſunt per aliud veræ, niſi per veritatem, quæ in omni re formaliter eſt. Si dicat fundamentum veritatis, res ſunt quidem veræ per ſe ipſas, & intellectus etiam eſt verus per ſe ipſum, quia vnumquodque eorum in ſe ipſo habet veritatis fundamentum: tamen principaliùs eſt verus intellectus, qu a fundamentum veritatis in rebus ordinatur ad fundamentum veritatis in intellectu diuino, non contrà: ſi demum dicat cauſam effectiuam exemplariter, res omnes ſunt ſolum veræ per veritatem intellectus diuini.

Obiicies tertiò. Ens, & verum conuertuntur, infra art. 3. ſed ratio entis principalius reperitur in rebus extrà intellectum, quàm in ipſo intellectu: ergo & ratio veri. 75. *Tertia obiect.*

*Reſpondetur cum Capreol. verum conuerti cum ente, eſſe tamẽ principalius in intellectu, non in ente.*

Reſpondeo cum eodem Capreolo ad 7. negando conſequentiam: quia, vt optimè diſcurrit Capreolus, *Ens, & verum conuertuntur ſolum quoad ſuppoſita, non quoad conſtitutiuum rationis vtriuſque, ideo vbicunque eſt ſuppoſitum entis, eſt ſuppoſitum veri: ſed non oportet, vt vbicunque eſt principaliter formale entis, ſcilicet eſſe, ſit formale veri, ſcilicet reſpectus adæquationis:* & ſumpſit ex S. Thoma infra art. 4. docente, *quòd licèt bonum, & verum ſuppoſito conuertantur cum ente, tamen ratione differunt.* S. Thomas.

---

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm veritas ſit in intellectu componente, & diuidente.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd veritas non ſit ſolum, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Exponuntur termini propoſitæ controuerſiæ. numero 1.*
2 *An in prima operatione ſint veritas, & falſitas. n. 2. ad 14.*
3 *Quid ſint veritas, & falſitas ſecundæ operationis. num. 14. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

1. *Declaratur quæſt. ſenſus.* EX titulo, & ex tota doctrina articuli perſpicuè conſtat, quæſtionem non eſſe intelligendam de veritate tranſcendentali, quia iam probatum fuerat articulo præcedenti, eam eſſe in omni re, atque adeo in omni intellectu, ſiue ſimplici, ſiue componente, ac diuidente. Neque de veritate intellectus diuini, aut angelici, in quo ex probatis ſupra q. 14. art. 7. & probandis infra, q. 58. art. 4. nulla eſt compoſitio, ac diuiſio, ſed ſimplex apprehenſio, atque intuitus: ſed ſolum de veritate intellectus humani, cui ob imperfectionem conuenit, & diſcurrere per tertiam operationem, & iudicare componendo, ſeu diuidendo per ſecundam operationem, & ſimpliciter apprehendere per primam operationem. Vnde S. Thomas loquitur de intellectu componente, & diuidente, qui, inquit, *in propoſitione aliquam formam ſignificatam per prædicatum, vel applicat alicui rei ſignificatæ per ſubiectum, vel remouet ab ea;* qui intellectus alius non eſt, niſi humanus.



## DVBITATIO I.

### *An veritas, & falſitas reperiantur in prima operatione intellectus creati.*

### SVMMA.

1 *Diſtinguitur, & declaratur duplex operatio prima, incomplexa, & complexa. n. 2.*
2 *Probatur prima operatio complexa. n. 3.*
3 *Dari veritatem in prima operatione ſimpliciter. n. 4. ad 7.*
4 *Prædictam veritatem eſſe diſtinctam à tranſcendentali. n. 7. & 8.*
5 *Non dari falſitatem in prima operatione incomplexa. n. 9. & 10.*
6 *Dari falſitatem in prima operatione complexa. n. 11. ad 14.*

2. *Diſtinguitur prima operatio in incomplexam, & complexam.*

NOtandum eſt, primam operationem poſſe eſſe vel de rebus ſimpliciter, vt de animali abſolutè; & dici poteſt ſimpliciter incomplexa: vel de rebus vnitis, ſiue applicatis, vt de animali in homine; & dici poteſt prima operatio complexa, non quidem effectiuè, vt eſt ſecunda operatio, quæ mentalem quandam complexionem facit, dum intra ſe vnit vnam rem cum alia, dicendo, hoc eſſe illud; ſed obiectiuè, quia illi obiicitur tantum vnio huius cum illo ſine vllo iudicio. Primum apprehenſionis genus in prima operatione reperiri, nemo dubitat. Secundum quoque ad eandem pertinere, expreſsè docuit S. Thomas 1. contra gentes cap. 59. ratione ſecunda, ibíque fusè, & optimè Ferrarienſis. *Intellectus incomplexus*, inquit S. Thomas, *intelligendo quod quid eſt, apprehendit quidditatem rei in quadam compoſitione ad rem, quia apprehendit eam, vt huius rei quidditatem.* v. g. vt exemplificat Ferrarienſis §. *Circa ea; intellectus apprehendit animal rationale, non per abſtractionem à quocumque, & indifferenter, ſed vt hominis quidditatem.* Vbi interuenit quidem complexio, ſeu compoſitio, ſeu comparatio, tanquam obiectum ſimpliciter cognitum, & apprehenſum, ſiue, vt loquitur Ferrarienſis §. *Ad euidentiam primi.* & §. ſequenti, *ex parte modi cognoſcendi, & in modo intelligendi;* non autem tanquam obiectum *dictum*, hoc eſt, iudicatum eſſe tale, quale eſt apprehenſum; neque tanquam aliquid, *formaliter incluſum in ratione primæ operationis*, quæ eſſentialiter eſt quidam actus, non componens hoc cum illo, quia non dicit, ſeu iudicat, hoc eſſe illud, ſed tantum ſimpliciter, & extra ſe in obiecto ſuo præſuppoſito cognoſcens hoc in illo, ſiue hoc compoſitum cum illo: neque aliud verè vult Ferrarienſis, quamuis in modo loquendi videatur aſſerere, comparationem, & complexionem nullo modo cognoſci ab intellectu incomplexo primæ operationis. Sed de hoc intellectu incomplexo, veriſſimè pronunciauit S. Thomas, eum apprehendere *in quadam compoſitione*, hoc eſt, non componendo ex parte actus, ſed tantum cognoſcendo, & ſimpliciter apprehendendo compoſitionem ex parte obiecti.

S. Thom.

Ferrarienſis.

3. *Dari primã operationem complexam. Probatur primò.*

Hoc autem, quoniam ex eo maximè pendet reſolutio propoſitæ dubitationis, ſuaderi poteſt primò, quia viſio ipſa corporalis, quæ eſt ſimpliciſſima quædam apprehenſio ſenſitiua, cognoſcit res aliis vnitas: videmus enim colores, non ſimpliciter, & abſtractos, ſed concretos in aliquo ſubiecto, vt in hac imagine, in collo huius columbæ, in hac iride. Item viſus apprehendit remum, non abſolutè, & quomodocumque, ſed cũ fractione, & aquis immerſum: ergo multò magis huiuſmodi apprehenſiones tribuendæ ſunt ſimplici operationi intellectiuæ. Secundò, in his apprehenſionibus nullum interuenit iudicium, vt quiſque in ſe experiri facilè poteſt; ergo pertinent ad primam operationem: primæ enim operationis nomine ſignificatur quæuis cognitio intellectiua, qua ita res apprehendimus, vt nihil omnino de illis iudicemus, neque affirmantes, neque negantes. Tertiò, omnes illæ apprehenſiones, quæ præcedunt actum iudicij, ſpectant ad primam operationem; ſecunda enim communiter appellari ſolet iudicium; ergo apprehenſiones ſine iudicio, erunt primæ operationes, non ſecundæ: ſed antequam iudicemus, v. g. hominem eſſe animal, neceſſe eſt apprehendere non ſolùm hominem ſimpliciter, & animal ſimpliciter, ſed vnionem quamdam inter hominem, & animal, ſiue animal in homine; in hoc enim iudicio non iudicamus de homine, aut animali ſimpliciter, ſed de inexiſtentia animalis in homine: ergo hæc etiam inexiſtentia apprehenſa eſſe prius debet; non enim fertur i[illegible]m de rebus ignotis, & non apprehenſis, [illegible] iudicare nihil aliud re ipſa ſit, niſi quamdam veluti ſententiam ferre de bonis, vel malis apprehenſionibus: ergo ſimplices apprehenſiones de connexione rerum cum aliis rebus, ſeu de rebus vnitis cum aliis, ſpectabunt ad primam operationem. Quartò, cognitio definitiua ab omnibus reuocatur ad primam operationem; & tamen per illam non apprehendimus genus, & differentiam ſimpliciter, ſed cum mutua vnione in ſpecie, v. g. animal rationale in homine.

*Secundò.*

*Tertiò.*

*Quartò.*

4. *Prima concl. In prima operatione ſimpliciter eſt veritas.* Eſt S. Thom.

Prima concluſio. Veritas non eſt primæ operationis ſimpliciter deneganda. Eſt ſancti Thomæ in hoc ipſo articulo, in quo contrarium tenere videtur, cum in fine ita concludat, *Et ideo propriè loquendo veritas eſt in intellectu componente, & diuidente; non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente quod quid eſt:* ſed antea pro hac concluſione ita apertè habet; *Et ideo bene inuenitur, quòd ſenſus eſt verus de aliqua re, vel intellectus cognoſcendo quod quid eſt; ſed non quod cognoſcat, aut dicat verum; & ſimiliter eſt de vocibus complexis, aut incomplexis. Veritas quidem igitur poteſt eſſe in ſenſu, vel in intellectu cognoſcente quod quid eſt, vt in quadam re vera, non autem vt cognitum in cognoſcente, quod importat nomen veri.* Eadem docet lib. 1. contra gentes cap. 59. ratione ſecunda, dicens, *Intellectus incomplexus apprehendens quod quid eſt, dicitur quidem per ſe ſemper eſſe verus, vt patet in 3. de anima: etſi per accidens poſſit eſſe falſus, in quantum diffinitio includit aliquam complexionem, vel partium diffinitionis ad inuicem, vel totius diffinitionis ad diffinitum; vnde diffinitio dicetur, ſecundùm quod intelligitur vt huius, vel illius rei diffinitio, ſecundùm quod ab intellectu accipitur, vel ſimpliciter falſa, ſi partes diffinitionis non cohæreant in inuicem, vt ſi dicatur animal inſenſibile; vel falſa ſecundùm hanc rem, prout diffinitio circuli accipitur vt trianguli.* Quam doctrinam fusè declarat, & ſequitur

Ferrarienſis, Ægidij, Soncinatis, Fonſecæ, Molinæ, Suarez, Zumel.

quitur ibi Ferrarienſis. Eſt etiam Ægidij quodl.4. quæſt.7. §. *Viſo quòd veritas.* Soncinatis 6.Metaph. quæſt.17. aliquantò poſt principium corporis obiter. Fonſecæ 4. Metaph.cap.2.quæſt.6.ſect.4. Molinæ hic diſp.1. §. *Dubium eſt.* Suarez in Metaph. diſp. 8. ſect. 3. num. 7. Zumel hic concluſione 1.

Cõtra Ægidium, Heruæum, Durandum,

contra Ægidium, 1. d.19. parte 2. quæſt. 1. Heruæum quodlib. 3. quæſt.1. art. 2. dum probat ſecundam opinionem: & art. 3. fine. Durandum 1.d.19.quæſt.5.num. ſuo 14. fine. Sed hi tres Doctores accipi facilè poſſunt iuxta doctrinam ſequentis dubitationis.

Caietanum, Bagnes, Vazquez.

Item contra Caietanum hic, quem ſequuntur Bagnez hic, Vazquez diſput.75. cap.2. & alij recentiores: ſed eius dicta refert Ferrarienſis ſupra §. *Ad euidentiam quarti dubij.* & benè oſtendit eſſe contra ſancti Thomæ mentem, & veritatem.

*Probatur 1. ex Ariſtotele.*

5. Probatur concluſio primò ex Ariſtotele 3. de Anima 26. quem locum ad idem probandum attulit S. Thomas ſupra, *intellectus*, inquit Philoſophus, *qui eſt ipſius quid eſt, ſecundùm ipſum quid erat eſſe,* hoc eſt, ſimpliciter apprehendens quidditates rerum, *verus eſt, & non aliquid de aliquo*; hoc eſt, etiamſi non enunciet aliquid de aliquo. Et 9. Metaph. 22. docet, intellectum de rebus incompoſitis, & ſimplicibus, ſemper eſſe verum. Imò 2. de Anima 161. & 3. de Anima 26. aſſerit, veritatem eſſe etiam in ſenſibus, quod ex inſtituto probat S.Thomas infra quæſt.17. art. 2. & de Verit. q. 1. art.9.ergo multò magis ponenda veritas eſt in primis operationibus intellectus.

*Veritas etiã in ſenſu ex Ariſtotele, & S.Thoma.*

*Secundò ratione.*

6. Probatur ſecũdò ratione, quoniam prima quoque operatio habet conformitatem in repræſentando cum obiecto ſecundùm ſe, ergo & veritatem, ex probatis art.præcedenti dub.1. de eſſentia veritatis intellectiuæ; etenim prima etiam operatio, eſt quidem obiecti repræſentatio, & in ratione repræſentandi dependet ab obiecto, tanquam à regula, & menſura, cui adæquari, & conformari debet; apprehenſio enim, v.g. albi, vel equi, pendet, & menſuratur ab albo, vel equo, ita vt cum his conformari omnino debeat, alioqui non erit apprehenſio albi, vel equi, ſed nigri, vel hominis. Confirmatur, quia ſimplices voces habent veritatem in ſignificando, v. g. vox, *leo*, eſt verum ſignum leonis, quia ex ſapientum inſtituto habet conformitatem in ſignificando cum leone ſecundùm ſe, ita vt ſignificet rem illam, quæ dicitur leo, & non aliam. Ergo multò magis conceptus, quantumuis ſimplices, qui ſunt naturalia ſigna, ac vitales rerum repræſentationes, habebunt etiam veritatem in repræſentando. Neque vrget contrarium motiuum Caietani, quod refert, & bene ſoluit Ferrarienſis ſupra, volentis probare, *Quod nulli intellectui incomplexo, vt ſic, conuenit per ſe conformitas ad rem; quia incomplexum, vt ſic, reſpectum nullum æqualitatis, aut inæqualitatis ad alterum includit.* Nam licet obiectum incomplexum nullã importet comparationem ad alterum, tamen prima operatio repræſentatiua rei incomplexæ, prout vt in ſe eſt, habet habitudinem conformitatis ad rem illam, in quantum ita repræſentat incomplexum, ſicut incomplexum in re eſt. Quod ad rationem veritatis ſatis eſſe, patet ex dictis.

*Soluitur cum Ferrarienſi obiectio Caietani.*

*Secũda concl. Prædicta veritas non eſt tranſcendentalis.*

7. Secunda concluſio. Prædicta veritas primæ operationis, non eſt veritas tranſcendentalis, ſed alia propria operationum intellectus; eſt omnium authorum primæ concluſionis, excepto Suarez ſupra, ponente quidem veritatem in prima operatione, tamen dicente, illam non eſſe aliam niſi tranſcendentalem; ſed concluſio probata manifeſtè remanet ex concluſione præcedenti, & ex ſuperius dictis de duplici veritate, altera tranſcendentali, altera repræſentatiua, intellectus propria. Enimuerò cum enti, vt enti, competat duplex veritas, nimirum, & conformitas cum ſua regula in communi, & conformitas cum intellectu diuino, quæ eſt quædam particularis regula, omnibus communis, in hac potius, quàm in illa veritatem tranſcendentalem ſitam eſſe volunt communiter Theologi, & Philoſophi: veritas enim tranſcendentalis eſt paſſio entis; paſſio autem vt paſſio, quoad eius fieri poteſt, eſſe debet particularis, & diſtincta; conceptus verò ſecundæ veritatis, vt patet, eſt magis particularis, & diſtinctus: paſſio enim ſubiecti communis eſt illa, quæ à parte rei conuenit omnibus, & ſingulis ſubiectis, & non illa, quæ eſt abſtracta ab omnibus particularibus paſſionibus. At ſecunda veritas eſt illa, quæ cùm particularis ſit, conuenit tamen omni enti; prima verò eſt abſtracta ab omnibus particularibus veritatibus, atque adeò ab ipſamet veritate ſecunda; quare vt ſic, habet potius rationem vniuerſalis, quàm paſſionis. Igitur primæ operationi conuenit quidem veritas tranſcendentalis reſpectu intellectus diuini, & vniuerſalis, ſiue abſtracta à veritate tranſcendentali, & reliquis omnibus particularibus veritatibus; ſed præterea illi etiam conuenit alia particularis veritas reſpectu alterius cuiuſdam particularis regulæ in repræſentando, quod eſt obiectum, ex natura ſua exigens, etiam à prima intellectus operatione taliter repræſentari, qualiter in ſeipſo eſt.

*Duplex veritatis tranſcendentalis conceptus.*

*Diſtinguitur triplex veritas in prima operatione.*

8. Præterea ipſemet Suarez deinde in eadem diſputatione 8. ſect.8. num.8. bene probat, in iudicio eſſe duplicem veritatem, & tranſcendentalem, & aliam, quam vocat accidentalem, & alij formalem: & nos in ſuperioribus vocauimus repræſentatiuam, ſiue in vitaliter repræſentando; quoniam idem iudicium, dum mutatur de vero in falſum, non amittit veritatem tranſcendentalem, quia etiam quando eſt falſum, remanet reale iudicium, & reale ens, cum quo verum tranſcendentale ſemper conuertitur; ergo amittit aliam veritatem in repræſentando. Qua eadem ratione hanc concluſionem contra ipſum probare poſſumus: nam prima operatio, qua quis per aliquod tempus apprehendit curſum in Petro, ſeu Petrum currentem; poteſt etiam de vera mutari in falſam, ſi intra illud tempus, quo huiuſmodi apprehenſio durat, Petrus modò currat, modò non currat. Sed non mutatur vt ens reale, & vt vera tranſcendentaliter: ergo vt vera repræſentatiuè reſpectu obiecti: ergo in illa etiam reperitur duplex veritas.

*Duplex veritas in ſecũda operatione ex Suarez.*

9. Tertia concluſio. In prima operatione incomplexa, de rebus abſolutè conceptis, non poteſt eſſe falſitas. Ita omnes, quorum plerique primæ operationi veritatem aliquam concedunt, falſitatem autem omnes ſimpliciter negant, nec ſatis diſtinguunt, de qua prima operatione intelligant, ſed vniuerſaliter loquuntur, vt Suarez in Metaph. diſp.9.ſect.1.num.5. & alij apud ipſum. Probatur primò ex Ariſtotele, qui 9. Metaph.22. in ſimplicibus conceptibus ponit quidem veritatem, non tamen deceptionem, & falſitatem, ſed ſolum ignorantiam, & nõ attingentiam. Item 3. de Anima 26. in ſecunda operatione ponit indifferenter veritatem, & falſitatem, in prima verò ſemper veritatem. Quod intelligendum eſt de prima operatione omnino ſimplici, abſque vlla vnione, & compoſitione, & per ſe, non per accidens, vt loquitur S.Thom. in ſeq. concl. referendus, & explicandus.

*Tertia concl. Non eſt falſitas in prima operatione incõplexa.*

*Probatur ex Ariſtotele.*

Pro



*Probatur ratione.*

10. Probatur ſecundò ratione à priori, quia falſitas eſt difformitas quædam inter cognitionem, & eius obiectum; ſicut enim cognitio dicitur vera, quia conformatur obiecto, ita falſa, quia non conformatur, ſed difformis eſt obiecto: at cognitio ſimplex de rebus ſimpliciter, nunquam poteſt eſſe difformis obiecto; nam huius cognitionis obiectum eſt res abſolutè, & non hoc, vel illo modo ſe habens, v. g. eſt homo, ſiue animal rationale ſimpliciter, & non homo vt animal, aut vt rationalis. Ergo per iſtam cognitionem non poteſt concipi obiectum aliter ac eſt, ſed vel concipitur, & ſic eſt vera cognitio: vel omnino non concipitur, ſed concipitur aliud, & tunc non poteſt habere falſitatem reſpectu eius, quod non concipitur, ſed potius ignorantiam; habebit autem veritatem, & conformitatem cum alio, quod loco illius concipitur; ſemper igitur huiuſmodi apprehenſiones erunt veræ, & nunquam falſæ. Explicatur magis ratio exemplo; ſi quis volens concipere album, aut hominem, concipit nigrum, aut leonem, iſta conceptio non erit falſa reſpectu albi, aut hominis, quia album, & homo non ſunt illius obiecta; falſitas autem, vt probatum eſt, & fuſius probat Suarez ſup.num.ſuo 14.non eſt quælibet difformitas cum re, ſed cũ re obiecta, quæ cognoſcitur; nec etiam erit falſa reſpectu nigri, & leonis, quia verè, & bene concipit nigrum, & leonem: neque aſſignari poteſt aliud obiectum, reſpectu cuius dici poſſit falſa: ergo illa non eſt ſimpliciter falſa, ſed ſolum ignorabit, & non attinget naturam albi, aut hominis; veritatem autem ſimpliciter continebit.

*Quarta cõcl. Datur falſitas in prima operatione complexa. Probatur ex S.Thoma.*

11. Quarta concluſio. In prima operatione complexa, hoc eſt, de rebus applicatis, & vnitim conceptis, non ſolum veritas, vt probatum eſt, ſed etiam falſitas eſſe poteſt. Eſt aperta ſententia S.Thomæ 1. contra gent. cap.59. verbis citatis ſupra num.4. quibus in prima operatione definitiua ponitur falſitas *per accidens.* & prima operatio, qua concipitur *animal inſenſibile,* dicitur, *ſimpliciter falſa:* alia verò, qua *definitio circuli concipitur vt definitio trianguli*; vocatur *falſa ſecundùm hanc rem.* Et ita etiam ſentit Ferrarienſis eodem loco, qui §. *Pro intelligentia,* & aliis ſequentibus, plurimum laborat, vt explicet, cur à S.Thoma veritas primæ operationi dicatur conuenire *per ſe*, falſitas verò *per accidens:* ſed ipſemet S.Thomas ſeſe explicat, dum ait, quòd *intellectus incomplexus eſt falſus per accidens, in quantum diffinitio includit aliquam complexionem:* hoc eſt, prima operatio eſt falſa per accidens, non quòd illa falſitas non ſit vera falſitas, aut illa prima operatio non ſit vera prima operatio, ſed quia falſitas illa oritur ex complexione, ſeu compoſitione quadam obiectiua, quæ etſi non tollat naturam primæ operationis, ad illam tamen per ſe non facit, cum prima operatio poſſit eſſe perfecta ſine tali complexione, imò per illam prima operatio videtur potius accedere ad ſecundam, cuius proprium eſt perfectè verſari circa compoſitionem, componendo, & ferendo iudicium de illa. Eandem ſententiam non obſcurè ſignificant Fonſeca 4. Metaph.cap.2.quæſt.6.ſect.5. ad 3. quamuis enim ibi ſimpliciter neget, dari in prima operatione falſitatem, tamen hoc ſtatim ita limitat iuxta hanc quartam concluſionem. *Hoc tamen, quod dicimus, intelligendum eſt de ſimplici rerum apprehenſione, quatenus ei nulla admiſcetur compoſitio, aut diuiſio.* & Molina hîc diſp.1. §. *Illud tamen.* vbi negat falſitatem primæ operationi; ſed limitando addit, *regulariter, ac per ſe*, ſicut, inquit, *in compoſitione, & diuiſione poteſt eſſe indifferenter veritas, ac falſitas.* Igitur bene diſtinguit primam, ac ſecundam operationem in ratione veri, & falſi, ex eo quòd prima per ſe, hoc eſt, quia prima & incomplexa, ac ſimplex operatio eſt, habet ſemper veritatem, & nunquam falſitatem, licèt falſitatem etiam aliquando habeat ratione admixtæ complexionis ex parte obiecti, qua quoniam iuxta naturam ſuam poteſt ſimpliciter carere, ideo & complexio, & conſequenter falſitas dicitur illi conuenire, non per ſe, ſed per accidens. At verò quamuis ſecunda operatio, ex eo quòd eſſentialiter habeat plures res inter ſe componere, vel diuidere, habet vt circa idem obiectum ſuum poſſit indifferenter eſſe vera, vel falſa, v. g. ſecunda operatio, quæ de homine verè iudicat, hominem eſſe riſibilem, poſſet etiam de eodem homine falsò iudicare, hominem non eſſe riſibilem: at vera, & ſimplex apprehenſio de animali ſimpliciter, ſi non animal, ſed quoduis aliud ſimplex obiectum, ſimpliciter apprehendat, erit vera apprehenſio alterius obiecti, nunquam erit falſa apprehenſio animalis.

Ferrarienſis.

*Cur falſitas primæ operationi conueniat per accidens, nõ per ſe.*

Fonſeca.

Molina.

*Differentia falſitatis primæ, & ſecundæ operationis.*

*Probatur ex Ariſtotele. Falſitas in ſenſu interno, & externo.*

12. Probatur concluſio primò ex Ariſtotele, qui 2. de Anima 157. falſitatem in imaginatione expreſsè admittit: *eſt enim*, inquit, *& falſa imaginatio*; quæ ſcilicet poteſt cognoſcere ſimpliciter vnum coniunctum cum altero, vt aurum cum monte quando imaginatur montem aureum, & textu 161. eandem falſitatem ſæpè docet eſſe in ſenſibus exterioribus. Et addit vnum, quod valde illuſtrat ſententiam noſtram, nempe, quòd ſi ſenſus apprehendat, *quod album ſit, non eſt falſus: ſi autem album hoc, aut aliud quiddam, falſus eſt.* hoc eſt, ſi apprehendat album in hoc, vel illo ſubiecto, poteſt eſſe verus, & falſus: ergo eadem ratione, etſi intellectus noſter apprehendens album, aut quoduis aliud abſolutè, non poſſit eſſe falſus, tamen ſi apprehenderit album, aut viride in collo columbæ, aut in nubibus, quietem in naui diſtanti, quæ tamen verè mouetur, fractionem in remo integro, & huiuſmodi alia, illum falſum eſſe nihil prohibet. Eadem fere docet idem Philoſophus 3. de Anima 16. *Intellectus*, inquit, *qui eſt ipſius quid eſt, ſecundùm ipſum quid erat eſſe.* hoc eſt, ipſam definitionem præciſè, ac ſimpliciter apprehendens, *verus eſt; & non aliquid de aliquo*; hoc eſt, non apprehendens eandem definitionem, applicatam rei definitæ. Et ſtatim id probat exemplo viſionis ſenſitiuæ, quæ ſi cognoſcat album ſimpliciter, inquit, *vera eſt; ſi autem album homo, aut non, non verum ſemper eſt: ſic ſe habent quæcumque ſine materia ſunt.* hoc eſt, ita etiam prima operatio intellectiua, & immaterialis, cùm concipit res ſimpliciter, eſt ſemper vera; cùm concipit res applicatas aliis rebus, non ſemper eſt vera, ſed poteſt etiam eſſe falſa.

*Probatur ex rationibus.*

13. Probatur ſecundò ratione. Primæ operationes complexæ habent interdum formalem difformitatem cum obiecto; per illas enim obiicitur res vt ſic ſe habens; v. g. remus vt fractus, Petrus vt currens, quæ tamen non ſic ſe habet; ergo habent formalem falſitatem, quæ in illa difformitate cum obiecto formaliter conſiſtit. Tertiò, actus iudicans ſolem eſſe bipedalem, ideò eſt falſus, quia iudicat bipedalitatem eſſe in ſole, in quo realiter non eſt; ergo pariter actus apprehendens ſimpliciter ſolem bipedalem erit ſimpliciter falſus, quia apprehendit aliquid eſſe in re, quod in re verè non eſt. Atque hæc adeo certa eſſe videntur, vt nihil in contrarium obiiciendum occurrat, quod facillimè diſſolui nequeat, ſi primæ operationes incomplexæ à complexis accuratè diſtinguantur; & mirum valde ſit à multis aduerſariis, qui contrariam ſententiam

tiam ſimpliciter vbique pronunciant, non eſſe animaduerſa, aut explicata. Solum colligi ex dictis debet, ad primam operationem magis ſpectare veritatem, quàm falſitatem, cùm veritas competat tam complexæ, quàm incomplexæ; falſitas autem aliquando complexæ, & nunquam incomplexæ, in quo prima operatio à ſecunda diſtinguitur, cum hæc ſiue in affirmatione, ſiue in negatione veritati, & falſitati æqualiter ſubiecta ſit.

*Prima, & ſecunda operatio nõ æqualiter vera, & falſa.*

## DVBITATIO II.

### *In quo conſiſtant veritas, & falſitas ſecundæ operationis.*

SVMMA.

1. *Aliquam peculiarem veritatem repræſentatiuam ponendam eſſe in ſecunda operatione. n. 14.*
2. *Quid ſit iſta peculiaris veritas. n. 15. ad 18.*
3. *Soluuntur argumenta contraria. n. 18. ad finem artic.*
4. *Quomodo in ſecunda operatione ſit etiam falſum vt in cognoſcente. n. 18.*
5. *An, & quomodo ſecunda operatio ſit reflexa. n. 19. ad 20.*
6. *Cur propriè loquendo dicatur verum eſſe tantum in intellectu, & in ſecunda operatione. n. 21.*

14\. *Prima concl. Eſt peculiaris veritas in ſecunda operatione.* Ariſtoteles.

PRima concluſio. Aliquo peculiari modo reperitur veritas in ſecunda operatione. Eſt omnium, ídque ex Philoſopho didicerunt: nam primo Perihermenias cap. 1. & 3. de Anima 21. & 22. & 6. Metaph. 8. expreſsè docet, veritatem, & falſitatem non reperiri in prima operatione, ſed tantùm in ſecunda: ergo cùm 9. Metaph. 22. & 3. de Anima 26. in prima operatione veritatem eſſe apertè fateatur, ne illum repugnantia loqui dicamus, admittenda eſt in ſecunda operatione peculiaris aliqua veritatis, ac falſitatis ratio, quæ non ſit in prima, & de qua intelligendi ſint Ariſtoteles locis citatis, S. Thomas hic, Ægidius, Heruæus, & Durandus ſupra num. 4. relati contra primam concluſionem, & alij graues Doctores, negantes in prima operatione veritatem, & falſitatem. Confirmari poteſt concluſio ex communi modo loquendi, & ſentiendi; ſicut enim loquentes non cenſentur vera, aut falſa loqui, cum ſimplices dictiones pronunciant, ſed ſolum cum affirmatiuas, aut negatiuas propoſitiones proferunt; ita intelligentes non cenſentur verum, aut falſum concipere, niſi ita eſſe aliquid, aut non eſſe iudicent. Vnde hominem eſſe animal, dicimus eſſe verum abſolutè, & hominem eſſe lapidem, dicimus eſſe falſum abſolutè. Simplices verò conceptus non ita abſolutè dicuntur veri, aut falſi, ſed cum addito, vt verus conceptus auri, verus conceptus hominis.

15\. *Secũda concl. Prædicta veritas non eſt conformitas cum obiecto.*

Secunda concluſio. Hæc veritas, & falſitas ſecundæ operationis non eſt ſimpliciter conformitas, & difformitas cum obiecto ſecundùm ſe. Patet, quia totum hoc reperitur in veritate, & falſitate primæ operationis; at veritas, & falſitas ſecundæ habere debet aliquid peculiare, vt probatum eſt.

16\. *Tertia concl. Veritas in ſecunda operatione eſt obiectiuè, & vt cognita.* Suarez.

Tertia concluſio. Prætermiſſis nonnullis dicendi modis, quos refert, & bene impugnat Suarez in Metaph. diſp. 8. ſect. 3. num. 9. 10. & 11. dicendum eſt cum S. Thoma hic, & primo contra gent. cap. 59. initio, ibíque Ferrarienſi in §. *Aduertendum etiam*, & §. *Circa illam*, Sylueſtro prima parte conflat, quæſt. 16. art. 3. §. 1. Fonſeca 4. Metaph. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 5. ad primum, & aliis, in ſecunda operatione eſſe veritatem, non ſolum formaliter, & ſubiectiuè, vt *in quadam re vera*, quomodo veritatem in prima etiam operatione eſſe docet ſanctus Thomas hic in fine corporis; ſed etiam obiectiuè, ſiue vt ibidem S. Thomas loquitur, *vt cognitum in cognoſcente*. Quod quidem ex probatis ſupra num. 2. 3. & concluſione 3. in hunc modum explico.

*S. Thom. Ferrarienſis. Sylueſter. Fonſeca.*

*Explicatur ſenſus cõcluſionis.*

Antequam per ſecundam operationem iudicemus parietem, v. g. eſſe album, neceſſe eſt per primam operationem ſimpliciter præconcepiſſe inhærentiam albedinis in pariete, quæ ſimplex conceptio, ſiue apprehenſio erat quidem ſecundùm ſe conformis obiecto, hanc tamen conformitatem non neceſſariò cognoſcebat. At verò ſuperueniens iudicium eam neceſſariò cognoſcit enunciando, parietem eſſe album, & in hoc ſenſu intelligo, & recipio diſtinctionem Caietani hic §. *Ad euidentiam*, in 3. notando. Quod ſcilicet ſecunda operatio non neceſſariò cognoſcat veritatem, & conformitatem *in actu ſignato, ſed in actu exercito*. hoc eſt, iudicium non explicitè ſignificat, ac dicit apprehenſionem primam de albedine in pariete eſſe veram, & conformem obiecto; ſed exercendo actum ſuum immediatè circa res ipſas, importat totum hoc implicitè & virtualiter, cùm dicit, parietem eſſe album. Enimuero hoc iudicium in actu exercito, æquiualet huic alteri iudicio in actu ſignato, hoc eſt, actualiter ita explicitè ſignificanti ac dicenti; albedo apprehenſa in pariete, ſeu paries apprehenſus vt albus, ita re vera eſt, ſicut eſt apprehenſus. Vel, apprehenſio de inhærentia albedinis in pariete, eſt vera, & conformis obiecto ſecundùm ſe. Quæ omnia in virtute dicimus, cum poſt apprehenſionem de inexiſtentia albedinis in pariete, dicitur, paries eſt albus. Atque hoc propriè putamus eſſe, quod concluditur in hoc articulo, *Verum, vt cognitum in cognoſcente, eſſe in intellectu componente & diuidente, non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente quod quid eſt.*

*Caietan.*

*Quid ſit cognoſcere veritatẽ in actu ſignato, & exercito.*

17\. *Probatur cõcluſio primò. Soluitur inſtantia Caietani & Vazquez.*

Concluſio ita explicata probatur primò, quia hic veritatis modus reperitur in omni ſecunda operatione, & in nulla prima, neque incomplexa, neque etiam complexa. Neque contrarium probat inſtantia Caietani ſupra dicentis, *Falſum eſt, quod intellectus ſimplex non cognoſcat illam conformitatem, quoniam conformitas illa diffinibile quoddam eſt, & conſequenter ſimplici intellectu cognoſcitur.* Quam inſtantiam ſumit, & laudat Vazquez diſp. 75. n. 19. Neque enim cõtendo, iſtam conformitatem à prima operatione non cognoſci ſimpliciter, ſed ſolùm *non neceſſariò* cognoſci; & ab omni ſecunda operatione cognoſci *neceſſariò*; ſicut loquutus limitanter ſum in ſuperiori num. 16. Nunc addo, quando hæc conformitas primæ operationis cum obiecto ſecundùm ſe, ab alia prima operatione ſimpliciter apprehenditur, & de tali conformitate per ſecundam operationem iudicium fertur, tunc etiam verificari, *Verum vt cognitum in cognoſcente*, eſſe in ſecunda operatione, non in prima: quia tunc etiam ante hoc iudicium præſupponeretur non ſolùm veritas prioris apprehenſionis; v. g. de inexiſtentia albedinis in pariete, quam veritatem concedimus præſupponi etiam poſſe ab alia poſteriori apprehenſione; ſed præterea immediatiùs præſupponeretur alia veritas alterius poſterioris apprehenſionis, quæ nec à ſe ipſa, nec ab vlla alia prima operatione præſupponeretur & cognoſceretur; & ideo verum poſterioris apprehenſionis, eſſet ſolum in ſecunda operatione, vt in



in cognoſcente, nimirum in actu exercito, non in actu ſignato, vt ſuperius explicatum eſt. Et ideo abſolutè dicere potuit S. Thomas hic, quod veritas eſt in prima operatione, *vt in quadam re vera, non autem vt cognitum in cognoſcente.* Quare contrarium dixit Caiet. (vt illi obiicitur Ferrarienſis) *contra mentem ſancti Thomæ*; idem acutè expoſuit Syluester parte prima conflati, quæſt. 16. art. 3. §. 1. ratione prima, notando primo, his verbis, *Si intelligo quid de homine, eadem intellectione, non intelligo conformitatem meam inter intellectum meum, & hominem, quod fit per alium actum reflexum: & ſi intelligo quid eſt conformitas, non intelligo conformitatem, quæ ex hac intellectione ſurgit inter meum intellectum, & conformitatem intellectam, quod fit per alium actum reflexum in infinitum.*

*S. Thomas.*

*Syluester.*

*Probatur 2.*

Probatur ſecundò, quia ad ſaluandam primam concluſionem, nempe quòd, vt teſtatur S. Thomas primo contra gent. cap. 59. initio, *Veritas ſecundùm Philoſophum, ſolum circa compoſitionem, & diuiſionem intellectus eſt*, nullus alius veritatis modus probabilior excogitari poteſt, qui ſit proprius ſecundæ operationis.

*Probatur 3.*

Tertiò, quia prædicta veritas obiectiua conuenit ſecundæ operationi ex ratione ſua intrinſeca, & ex eo quòd eſt ſecunda operatio, hoc eſt, actus iudicans, & quædam veluti definitiua ſententia, an res per primas operationes antea apprehenſæ, ſint bene, vel malè apprehenſæ: ad eum quaſi modum, quo in humanis iudiciis, iudex cauſarum ſecundarum definit, an illud ipſum, quod ab alio primarum cauſarum iudice definitum fuerat, ſit iuſtè, vel iniuſtè definitum.

18\. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Eſto verum in intellectu ſecundo ſit vt in cognoſcente, tamen hac eadem ratione non videtur in eo poſſe eſſe falſum: quoniam intellectus falsò iudicans, non cognoſcit falſitatem, imò potius exiſtimat ſe iudicare verum: & tamen Ariſtoteles verum & falſum eodem modo in compoſitione, & diuiſione collocauit.

*Reſpondetur explicando modum, quo falſum etiam eſt in ſecũda operatione, vt in cognoſcente.*

Reſpondeo, verum & falſum eſſe quidem in ſecunda operatione, vt in cognoſcente, in actu exercito; non tamen eodem prorſus modo, vt conuincit obiectio. Verum enim cognoſcitur directè, hoc eſt, ſub ratione veri, falſum autem cognoſcitur indirectè, hoc eſt, non ſub ratione falſi, ſed ſub ratione veri, quod putatur quidem verum, non tamen eſt verum, ſed falſum. In omni enim iudicio dicimus, & in actu exercito cognoſcimus conformitatem primæ apprehenſionis cum obiecto: ſed aliquando datur in prima operatione iſta conformitas, ſicuti intellectus iudicat; & tunc verum directè eſt in intellectu; aliquando conformitas iudicata, non eſt conformitas, ſed difformitas; & tunc in iudicio eſt falſũ obiectiuè in actu exercito, quia iudicamus vt conforme id, quod verè à parte rei eſt difforme. Quoniam verò hoc non iudicamus ſub ratione difformitatis, ſed conformitatis, ideo dicimus, intellectum ſecundum cognoſcere falſum indirectè. Semper tamen, quod ad rem noſtram potiſſimum facit, eſt aliter falſum in prima operatione, aliter in ſecunda, nam prima ita eſt falſa, vt falſum nullo modo cognoſcat, nec directè, nec indirectè, nec in actu ſignato, nec in actu exercito; vt cum ſimpliciter apprehendo colorem viridem in collo columbæ. At ſecunda operatio ita eſt falſa, vt per eam falſum cognoſcatur in actu exercito, licet indirectè; in quantum ſcilicet iudicamus, primam operationem eſſe conformem obiecto, cui tamen eſt difformis: tunc enim cognoſcimus difforme, & falſum, ſub ratione conformis & veri.

19\. *Secunda obiectio ex Caietano.*

Obiicies ſecundò ex Caietano hic, §. *Ad euidentiam.* Si ſecunda operatio eſſet vera, cognoſcendo conformitatem primæ operationis cum re obiecta, ſequeretur, omnem ſecundam operationem eſſe reflexam; *quia illa conformitas non cognoſcitur niſi reflexè ab intellectu.* At hoc eſt falſum contra manifeſtam experientiam, qua conſtat, quòd per ſecundam operationem, cum iudicamus, v. g. hominem eſſe animal, *verum cognoſcitur directè, & non reflexè tantum.*

*Reſpondetur cũ S. Thoma & Ferrariẽſi, ſecundam operationem eſſe aliquo modo reflexã.*

Reſpondeo, ſequelam concedi à S. Thoma de Veritate quæſt. 1. art. 9. vbi docet, *Quòd veritas eſt in intellectu, & ſicut conſequens, ſecundùm quod iudicium intellectus eſt de re ſecundùm quod eſt; & ſicut cognita ab intellectu, ſecundùm quod intellectus reflectitur ſupra actum ſuum.* & apertè colligi ex verbis huius articuli, cum dicit, *Intellectus quando iudicat, rem ita ſe habere ſicut eſt forma, quam de re apprehendit, tunc primò cognoſcit, & dicit verum, & hoc facit componendo, & diuidendo. Nam in omni propoſitione aliquam formam ſignificatam per prædicatum, vel applicat alicui rei ſignificatæ per ſubiectum, vel remouet ab ea.* Si nullum iudicium eſt verum, niſi quando iudicat de re, non ſimpliciter, ſed apprehenſa, & ſignificata, per primas ſcilicet operationes, quibus apprehenditur & ſignificatur prædicatum, & ſubiectum; ergo omne iudicium eſt quodammodo reflexum, non quidem ſupra ſeipſum, vel alium ſimilem iudicij actum; hoc enim in obiectione bene dicitur, eſſe contra experientiam, ſed ſupra præcedentes alios actus primæ operationis, & ſimplicis operationis. In hoc eodem ſenſu, prædictam ſancti Thomæ doctrinam ait Ferrarienſis ſupra §. *Circa illam*; ſe intelligere, *non quòd cognitio veritatis ſit propriè & ſimpliciter actus reflexus ſecundùm eandem ſpeciem actus; quia conſtat, in cognitione cuiuſcumque propoſitionis, quæ actu directo cognoſcitur, veritatem cognoſci: ſed quia cognitio pertinens ad ſecundam operationem intellectus, quæ eſt abſolutè cognitio directa complexi, poteſt dici cognitio reflexa per comparationem ad ſimplicem rei apprehenſionem; eo quòd intellectus formare propoſitionẽ non poſſit, niſi reflectatur ſupra cognitionem ſimplicem, qua conſiderauit prius quidditatem, aut aliquid aliud ſimpliciter.*

20\. *Explicatur magis reflexio ſecundæ operationis.*

Vt autem hanc ſancti Thomæ, & Ferrarienſis ſententiam, quia valde acuta eſt, & veram eſſe puto, ego magis explicem, & reſpondeam ad experientiam, quam contra illam obiicit Caietanus, addo, non omnem ſecundam operationem, ipſam per ſe, vt quidam iudicij actus eſt, etiam reſpectu primæ operationis, eſſe propriè, & explicitè reflexam, ſiue, vt ſupra cum Caietano loquebar, in actu ſignato, ſed impropriè, & implicitè, ſiue in actu exercito, vt ſupra: quoniam non omnis ſecunda operatio fertur directè, & clarè in aliquem actum, ſed ſolum in rem obiectam, vt manifeſtum eſt in hoc iudicio, homo eſt animal, & regulariter in reliquis omnibus, quibus iudicamus directè de rebus, non reflexè de actibus. At verò reflexio, quam ſecundæ operationi concedimus, conſiſtit in hoc, quòd intellectiua ipſa potentia, vt eliciat actum iudicij de rebus, debet non ſolum per primam operationem ſimpliciter præconcipere res ipſas, ſed etiam intueri, & quodammodo examinare vniformitatem, vel difformitatem, quam prima operatio habet cum rebus in ſe: qua reflexione præhabita, tunc demum ſecunda operatio directè iudicat rem ita eſſe, vel non ita eſſe. Erit igitur omnis ſecunda operatio reflexa, non actu in ſeipſa, ſed virtute in alio, ſecundùm quam, ex eo quod eſt ſententia diffinitiua de rebus antea apprehenſis,

prehenſis, exigit ex natura ſua, vt ipſemet intellectus, antequam illam directè proferat, reflectatur ſupra primam operationem, cognoſcendo illius veritatem & conformitatem cum rebus ſimpliciter apprehenſis. Quamobrem neque ſanctus Thomas, neque Ferrarienſis reflexionem tribuit ipſimet iudicio, ſed ſolùm intellectui. Etenim

S.Thom.

ſanctus Thomas ſupra illis verbis, *Iudicium intellectus eſt de re ſecundùm quod eſt*, apertè ſignificat, iudicium ſecundùm ſe verſari directè circa res, non reflexè circa actus. Explicans verò qua ratione in iudicio ſit veritas vt cognita, & reflexio, ait eſſe, *ſecundùm quod intellectus reflectitur ſupra actum ſuum.* Vbi reflexio tribuitur intellectui, non iu-

Ferrarienſis.

dicio. Item Ferrarienſis clariſſimè fatetur, *quòd cognitio pertinens ad ſecundam operationem intellectus, eſt abſolutè cognitio directa complexi.* Deinde reflexionem ponit in intellectu ratione alterius præcedentis actus, dicens, *Secunda operatio poteſt dici cognitio reflexa, eo quòd intellectus formare propoſitionem non poſſit, niſi reflectatur ſupra cognitionem*

Syluester.

*ſimplicem.* In quo etiam ſenſu accipiendus eſt Sylueſter ſupra notando ſecundo, dicens, *cum enuncio per intellectum, hominem eſſe riſibilem, feror in conceptum hominis & riſibilis, colligans eos ad inuicem, & iudicans, in re eſſe colligationem ſignificatorum per illos conceptus, ſcilicet hominis, & riſibilitatis.* Ex his reſpondendo in forma ad obiectionem, diſtinguo conſequens, eſt enim verum de ſecunda operatione reflexa virtualiter & implicitè, ſiue in actu exercito; falſum de ſecunda operatione reflexa actualiter & explicitè, ſiue in actu ſignato, vt declaratum eſt etiam ſupra num. 16. Ad minorem, de experientia dico, per illam haberi ſolum, in ipſo iudicio non eſſe reflexionem, non autem in ipſo intellectu iudicante.

21.

*Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò. Quia verba S. Thomæ in hoc art. in fine, videntur plus velle, quàm quod conceſſimus. Ait enim, *Propriè loquendo veritas eſt in intellectu componente, & diuidente; non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente quod quid eſt.* Non apparet autem, cur veritas etiam primæ operationis, non ſit veritas *propriè loquendo.*

*Reſpondetur declarãdo cũ S. Thoma & Ferrarienſi, cur verũ ſit propriè ſolum in intellectu cognoſcente illud.*

Reſpondet Ferrarienſis §. *Non obſtat etiam*, quod veritas *propriè proprietate rei eſt etiam in intellectu ſimplici: ſed proprietate locutionis, cum dicitur, verum eſt in intellectu cognoſcente, eſt propriè in intellectu componente & diuidente tantum.* Verum vlterius reddenda eſt ratio de ipſa locutione, & propoſitione, cur ſcilicet propriè loquendo verum ſit in intellectu cognoſcente; nam hoc initio ſumit ſanctus Thomas dicens, Veritas non poteſt eſſe in intellectu ſimplici, *vt cognitum in cognoſcente, quod importat nomen veri. Et ideo propriè loquendo*, &c. vt ſupra. Hanc igitur rationem deſumo ex principio corporis, vbi dicitur, *Quòd verum ſecundùm ſui primam rationem eſt in intellectu*; quia, vt probatum eſt art. 1. dub. 8. concluſione 3. omnis veritas eſt principaliter in intellectu, & prius conuenit intellectui, quàm aliis quibuſlibet rebus. Propriè igitur & abſolutè loquendo, nomen veri ſignificat verum quod eſt in intellectu. At tunc aliquid propriè dicitur eſſe in intellectu, cùm eſt ad eum modum, quem intellectus natura poſtulat, quæ eſt vt cognoſcat id quod in ipſo eſt; id enim propriè dicitur eſſe in intellectu ad modum intellectus, quod illi obiicitur, & actu ab illo intelligitur; & ideo, vt ait ſanctus Thomas hic in fine corporis, *Perfectio intellectus eſt verum vt cognitum.* Illud igitur verum aut falſum propriè dicetur eſſe in intellectu, quod ab eo cognoſcitur. Sed verum, & falſum in eſſe cognito eſt ſemper in compoſitione & diuiſione, non autem in prima operatione, vt explicatum eſt. Ergo propriè verum, & falſum, eſt in intellectu componente & diuidente, non in apprehendente.

---

## ARTICVLVS III.

### *Vtrum verum & ens conuertantur.*

## Ad tertium ſic proceditur. Videtur quod verum, & ens non conuertantur.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur pars ſimpliciter affirmatiua. numero 1. & 2.*

2 *Diuerſa ratione conuerti cum ente verum quod eſt in rebus, & verum quod eſt in intellectu. numero 3.*

3 *Verum tranſcendentale conuerti cum ente denominatiuè, non eſſentialiter. num. 4.*

4 *Quid in recto & primario importet verum. num. 5. ad 8.*

5 *Reſpondetur ad contraria motiua Capreoli. numero 8.*

### COMMENTARIVS.

1.

*Prima concluſio ſimpliciter affirmatiua ex Ariſtotele.*

PRIMA concluſio ſimpliciter affirmatiua, eſt omnium, docente Philoſopho 2. Metaph. 4. *Vt ſecundùm eſſe vnumquodque ſe habet, ita etiam ſecundùm veritatem.* Nullum enim ens eſt, quod non ſit verum, hoc eſt, non habeat conformitatem cum diuina cognitione de illo ente: vnde falſum, v. g. hominem eſſe lapidem, non eſt ens; ſi enim eſſet ens, non eſſet falſum, ſed verum; nullum quoque verum eſt, quod non ſit ens, aut ſaltem non dicat ordinem ad ens, & non intelligatur per ordinem ad ens: quod addo propter non entia, quæ etiam vera ſunt, cùm verum ſit non ſolum hominem eſſe ſenſibilem, ſed etiam, hominem non eſſe la-

*Quomodo nõ entia quoque vera ſint.*

pidem. Vnde 4. Metaph. 27. verum eſſe dicitur, & eſſe id quod eſt, & non eſſe id quod non eſt. Nihilominus non ens ſicut dicitur in ordine ad ens, quod negat, & eſſentialiter præſupponit; ita & intelligibilitatem, & (cum actualiter intelligitur) veritatem habet in ordine ad idem ens.

S.Thom.

In quo ſenſu accipiendus eſt ſanctus Thomas hic ad 2. dicens, *Quod non ens non habet in ſe, vnde cognoſcatur.* Illud verò quod adiungit, *ſed cognoſcitur in quantum intellectus facit illud cognoſcibile; in quantum non ens eſt quoddam ens rationis, apprehenſum à ratione*; intelligi debet dictum de intellectu noſtro imperfecto, qui non entia intelligit ad modum entium, quo modo format entia rationis; non autem de intellectu Dei perfectiſſimo, qui intelligit quidem non entia per ordinem ad entia, non tamen ad modum entium, formando entia rationis, vt ſupra q. 14. art. 9.

2.

*Declaratur ratio articuli.*

Ex his intelligi facilè poteſt vis rationis, qua ſanctus Thomas hic à priori probat hanc concluſionem, eámque ita conſtruo. Verum ſupra ens addit comparationem ad intellectum, ſicut bonum ſupra ens addit comparationem ad appetitum: ſicut enim bonum vt bonum eſt appetibile, ita



ita verum vt verum eſt intelligibile. Sed omne ens dicit comparationem ad intellectum, cuius intellectioni conformatur, & omne quod dicit huiuſmodi comparationem eſt ens, vel dicit ordinem ad ens, vt ſupra, ſicut omne ens dicit comparationem ad appetitum, à quo amatur vt ſibi conueniens, & omne quod ita amatur eſt aliqua ratione ens. Ergo omne ens eſt verum, & omne verum eſt ens, ſicut omne ens eſt bonum, & omne bonum eſt ens. Ergo ens & verum adæquatè conuertuntur, ſicut ens & bonum.

3.

*Secunda concluſio. Verum tranſcendentale conuertitur ſubſtãtialiter cum ente.*

Secunda concluſio. *Verum, quod eſt in rebus, conuertitur cum ente ſecundùm ſubſtantiam: Verum, quod eſt in intellectu, conuertitur cum ente, vt manifeſtatiuum cum manifeſtato.* Ita dicitur hic ad 1. Prima pars de veritate rerum, patet, quia ex probatis ſupra artic. 1. præſertim dub. 3. & 6. nullum prorſus eſt ens, quod quatenus ens eſt, in ſe ipſo ſecundùm ſubſtantiam ſuam non ſit formaliter verum, ſeu conforme diuinæ cognitioni de tali ente. Nullum præterea verum eſt, quod in ſubſtantia ſua, ſiue in eo quod eſt, habeat veritatem, & non entitatem. Et hoc eſt idem, *quod conuerti ſuppoſito*, vt loquuntur ſanctus Thomas, & Capreolus verbis relatis ſupra articul. 1.

*Verum intellectuale conuertitur repræſentatiuè cum ente.*

num. 75. Secunda quoque pars de veritate intellectus, conſtat ex ſuperioribus; quia veritas, quam intellectus diuinus, ad quem omnis res vera, in quantum vera eſſentialiter terminatur, habet in manifeſtando, ſeu repræſentando, ſe extendit ad omnia ſimpliciter entia, quorum nullum omnino eſt, quod ab illo infinito & infallibili intellectu, non certiſſimè manifeſtetur ac repræſentetur, ſicut in ſe ipſo eſt. Ergo veritas intellectus, ſiue in repræſentando, licet non conuertatur cum ente ſecundùm ſubſtantiam, hoc eſt, tanquam cum ſubiecto, in cuius ſubſtantia, ſiue entitate, formaliter ſit (hoc enim modo huiuſmodi veritas eſt ſolum in intellectu, & non in aliis rebus, quæ non ſunt intellectus) tamen conuertitur cum ente, tanquam cum manifeſtato, hoc eſt, tanquam cum termino, ad quem paſſiuè manifeſtandum, vim habet actiua manifeſtatio intellectus diuini.

4.

*Tertia concluſio. Verum tranſcendentale conuertitur denominatiuè tantum.*

Tertia concluſio. Verum cum ente conuertitur denominatiuè, non eſſentialiter. Hoc conſtat iiſdem rationibus, & auctoritatibus, quibus idem probatum eſt de Bono in quæſt. 5. art. 3. concluſ. 3. & de Vno quæſt. 11. artic. 1. & neceſſariò ſequitur ex eo, quòd veritas ſit paſſio entis, non addens illi conceptum aliquem realem, neque abſolutum, neque reſpectiuum, ſed tantum reſpectiuum rationis, à quo omne ens denominatur accidentaliter verum. Huc ſpectat quod docet S.

S.Thomas.

Thomas ad 3. nimirum, ens poſſe intelligi non intellecto vero: verum autem non poſſe intelligi non intellecto ente; quia ens cadit in ratione veri, non verum in ratione entis, ſi verum eſt eſſentialiter ens, ſed ens non eſt eſſentialiter verum; ergo ens & verum non conuertuntur eſſentialiter.

5.

*Quarta concluſio. Verum quoad modũ ſignificandi importat primariò ens.*

Quarta concluſio. Verum, ſi ſpectemus modum ſignificandi, importat in recto & primariò ens, in obliquo & ſecundariò veritatem, ſeu reſpectum conformitatis: ſi autem ſpectemus rem ſignificatam, importat in recto & primariò reſpectum, in obliquo & ſecundariò ens. Hoc fusè probatum eſt de Vno quæſt. 11. art. 1. dub. 3. Sed omnia applicari poſſunt ac debent Vero, de quo eſt eadem prorſus ratio. Diſtinguo autem de Vero, quoad modum ſignificandi, & quoad rem ſignificatam, vt conciliem diuerſa Theologorum dicta, ſicut diſtinxi etiam de Vno, loco citato num. 7. ad concilianda dicta Capreoli & aliorum. Igitur modum ſignificandi ſpectaſſe videtur S. Thomas de Veritate quæſt. 1. art. 4. in fine

*Conciliantur dicta S. Thomæ.*

corporis, cum de Vero dixit, *Nihil eſt aliud quàm entitas intellectui adæquata, vel intellectum ſibi adæquans.* & artic. 8. in corpore, *Veritas includit in ſui ratione entitatem, & ſuperaddit habitudinem adæquationis ad intellectum.* Sed 1. d. 19. quæſt. 5. art. 1. initio corporis, rem ſignificatam attendit, dum Verum collocat in eo rerum genere, *quæ habent fundamentum in re extra animam, ſed complementum rationis eorum, quantum ad id quod eſt formale, eſt per operationem animæ.* & propter hoc formale complementum, quod verum habet ab anima, docet eſſe à Philoſopho dictum 6. metaph. 8. *Quod ve-*

*Cur ab Ariſtotele dicatur verũ eſſe in anima.*

*rum, & falſum ſunt in anima, ſed bonum & malum in rebus.* Semper autem id quod in re ſignificata eſt formale, intelligi debet ſignificari principalius per nomen, quàm quod eſt materiale. Vnde infra art. 4. in corpore cum docuiſſet, verum eſſe prius bono, non ratione entis, in quo omnino conueniunt, ſed ratione habitudinis ſuperadditæ enti, in qua differunt, hinc ita deducit, *Verum abſolutè loquendo prius eſt quàm bonum.* Ergo verum & bonum, *abſolutè loquendo*, important magis principaliter proprias rationes, quas addunt enti, quàm ipſum ens. Similiter de modo ſignificandi

Capreol.

loquitur Capreolus 1. d. 19. quæſt. 3. artic. 1. concluſione 3. cum tam de vero quod eſt in rebus, quàm de vero quod eſt in intellectu, contendit importare directè rem & cognitionem, non reſpectum rationis in re & cognitione fundatum. Vnde art. 2. ad 1. eorum quæ ſunt ab Aureolo inducta ſecundo loco contra primam concluſionem, ait, *Veritas dicit perfectionem intellectus, & eſt quid abſolutum, quod tamen concomitatur reſpectus.* Sed paulò poſt ad ſecundum Durandi, & Heruæi pro ſecunda parte huius concluſionis ita habet, *Dico quòd argumentum concludit, quòd verum in quantum huiuſmodi, dicit aliquod non reale, ſcilicet reſpectum rationis, & hoc conceditur: cum hoc tamen ſtat, quod dicit aliquid reale materialiter, & illum reſpectum formaliter.* Item ad 3. *Veritas quoad ſuum formale, ſcilicet quoad vltimam differentiam conſtitutiuam rationis, dicit reſpectum adæquationis in eſſe*

Ferrarienſ.

*cognito.* Ita etiam Ferrarienſis 1. contra Gent. c. 60. quamuis in §. *ex hoc ſequitur.* dicat, *Veritas dicit abſolutum cum reſpectu*: tamen infra, in §. *ex quibus.* ita ſe explicat, *Veritas dicit duo, abſolutum & reſpectum, ſiue materiale, & formale.* Item Sonci-

Soncin.

nas 6. metaph. quæſt. 17. initio corporis, *Veritas ſignificat rem abſolutam cum implicatione reſpectus.* ſed ad 3. ait, *Nunquam res denominatur formaliter vera, niſi concipiatur in habitudine ad intellectum à quo dependet.* Ibidem circa finem corporis. *Veritas ſignificat tantum rem abſolutam in recto, & principaliter; ſed in obliquo dicit reſpectum conformitatis.* nihilominus quæſt. 16. præcedenti in prima concluſione dixerat, *entitas rei non eſt formaliter veritas, ſed tantum fundamentaliter.*

6.

*Ratio cõcluſionis.*

Probatur prima pars concluſionis de modo ſignificandi, quia verum habet modum ſignificandi in concreto, quo directè explicatur ſubiectum habens formam; in obliquo formą. Sicut igitur album ex modo ſignificandi habet per ſe & directè explicare, habens albedinem, quod in recto eſt corpus, in obliquo albedo; ita verum ex eodem concreto modo ſignificandi, explicat per ſe & directè, habens veritatem, quod in recto

recto eſt ens, in obliquo veritas addita enti, & iuxta ſenſum huius primæ partis loquitur Vazquez hic d.77.num.10. *Vazquez.*

7. *Verum quoad rem ſignificatã importat primariò reſpectum.* Secunda pars de re ſignificata, probatur primò, quia in omnium ſententia, vt patet ex eorum dictis ſupra num.5. in vero ens eſt materiale, formale verò eſt reſpectus. Vnde in ſenſu reduplicatiuo cum dicitur, *Verum quatenus verum*, excluditur ens, & includitur tantum reſpectus, vt Capreolus ſupra expreſsè concedit Durando & Heruæo. ergo ſapientes in impoſitione huius nominis *Verum*, intenderunt multò principalius ſignificare formam veritatis, quàm ſubiectum veritatis. Secundò, quia verum, vt patet, importat explicitè veritatem, quæ eſt conceptus quidam determinatus, & diſtinctus; implicitè verò importat id quod eſt veritate affectum, quod eſt conceptus quidam vniuerſaliſſimus, valde indeterminatus & confuſus. Res autem explicitè ac diſtinctè ſignificata per nomen, cenſeri ſine dubio debet principalius intenta in ſignificatione illius nominis, quàm res ſignificata implicitè, & in confuſo. Tertiò, illud exiſtimandum eſt ſignificatum directum, & principalius intentum nomine veri, per quod verum diſtinguitur à bono & vno. Sed hæc non diſtinguuntur per ens, in quo ſunt omnino idem, ſed per alios formales conceptus Veritatis, Bonitatis, & Vnitatis ſuperadditos enti. Ergo hi conceptus ſunt directè & principalius ſignificati per talia nomina. *Ariſtoteles.* Quartò, licuit Philoſopho dicere in prædicamentis cap. de ſubſtantia poſt medium, *Nihil aliud ſignificat album, quàm qualitatem*; ergo nobis pariter licebit dicere, verum nihil aliud ſignificat, quàm veritatem: ergo in ratione rei ſignificatæ per verum, veritas adeò ſuperat ens, vt dici iure poſſit, ſignificari ſolam veritatem, & ſimpliciter non ſignificari ens.

8. *Obijciuntur duo argumẽta Capreoli.* Obiicies duo motiua Capreoli 1.d.19.q.3.art.1. concl. 3. quæ videntur impugnare ſecundam partem noſtræ quartæ concluſionis. Primum: *Si veritas formaliter eſſet reſpectus rationis, ita quod nomen veritatis pro reſpectu ſupponeret, non video quo modo Deus ſit veritas.* Secundum: *Bonitas rei non dicit ſolum reſpectum, ita quod ille reſpectus eſſentialiter ſit bonitas rei; ſed dicit eſſe, vel eſſentiam rei cum tali habitudine: ergo ita erit de veritate.*

*Reſpondetur ad primum, de Deo veritatem prædicari fundamentaliter, non formaliter.* Reſpondeo ad primum, cum veritas prædicatur de Deo, veritas, ſeu verum, non ſumitur formaliter pro reſpectu, ſed materialiter pro entitate & cognitione, ſecundùm quam Deus omnes alias res veras, & cognitiones, earúmque veritates perfectiſſimo modo menſurat, & à nulla alia re, aut veritate menſuratur, modo explicato ſupra art.1. dub.7. & 8. & ideo Deus dici potuit antonomaſticè veritas, & veritas prima, atque omnium perfectiſſima. Præterea ſimillimo argumento contra authorem ſuum probare poſſem contrarium intentum meum. Quia ſi veritas ſupponeret pro ente extra animam, non video quo modo veritas ſit paſſio entis, & ens ſit ſubiectum veritatis, & Philoſophus 6. metaphyſ. 8. dicat, verum eſſe in anima, vbi verum ſupponi pro ſolo reſpectu, & non pro aliquo ente reali, conceſſit ipſemet Capreolus relatus ſupra num. 5. *Ad ſecundũ, idem dicendum de bonitate.* Ad ſecundum idem negatur de bonitate, de qua conſiderata vt eſt paſſio entis, eodem proportionali modo philoſophati ſumus ſupra quæſt.5. vt expreſsè philoſophatur ſanctus Thomas in hoc artic.3.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrum bonum ſecundùm rationem ſit prius quàm verum.*

Ad quartum ſic proceditur. Videtur quod bonum ſecundùm rationem ſit, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur verum eſſe prius bono. n.1. & 2.*
2 *Probatur verum eſſe poſterius vno. n.3.*
3 *Soluitur ratio in oppoſitum. n.4.*

#### COMMENTARIVS.

PRIMA concluſio. Ratio Veri ſecundùm naturam ſuam eſt prior ratione Boni; & conſequenter, prius ſecundùm rationem, in rerum naturis fundatam, concipi debet Verum quàm Bonum. 1. *Prima concluſio negatiua.* In hoc ſenſu intelligo quæſitum, & concluſionem huius articuli, quam recipiunt Caietanus hic, & reliqui omnes interpretes, Suarez in metaphyſ. diſputat. 3. ſect. 2. numero 9. & alij, *Eſt Caiet. Suarez.* excepto Vazquez diſputat. 77. numero 15. & 16. *Contra Vazquez.* qui innititur quibuſdam falſis principiis, ſuperius impugnatis, de natura veri & boni. Duæ rationes ſancti Thomæ optimæ ſunt. *Explicantur duæ rationes articuli.* Prima, Ens eſt prius vero, & bono, ſed verum propinquius ſe habet ad ens quàm bonum: ergo verum eſt prius quàm bonum. Maior certa apud omnes eſt, & conſequentia manifeſta. Probatur minor, quia *verum reſpicit ipſum eſſe ſimpliciter & immediatè*, hoc eſt, quælibet res, ſi intelligatur in ea ſolum ratio entis intelligibilis, & præſcindatur ab ea quacunque alia ratio, ſufficientiſſimè intelligitur fundare relationem veritatis & conformitatis ad diuinum intellectum: *ratio autem boni conſequitur eſſe, ſecundùm quod eſt aliquo modo perfectum; ſic enim appetibile eſt:* hoc eſt, ratio boni prærequirit in ſuo ſubiecto præſuppoſito non ſolum rationem entis appetibilis, ſicut ratio veri prærequirit rationem entis intelligibilis, vt conceſſum eſt ſupra art.1.num.57. ſed etiam aliam rationem perfecti, vt cum ſancto Thoma ex inſtituto probaui ſupra quæſt.5. art.1.dub.2. præſertim num.7. Nulla enim res intelligitur alicui bona, niſi præſupponatur talis eſſe, vt poſſit ab illo appeti, tanquam aliquid potens ipſum aliqua ratione perficere. Secunda ratio clarior, & facilior, *Cognitio naturaliter præcedit appetitum.* Sed ex ſuperius probatis, *verum reſpicit cognitionem, bonum autem appetitum.* ergo *prius erit verum quàm bonum ſecundùm rationem*, nimirum rationem reſpectus, quam addunt verum, & bonum ſupra ens.

2. *Tertia ratio concluſionis.* Præterea probari poteſt tertiò, ex eo quod bonum præſupponat verum, non contra. Res enim nunquam poteſt eſſe bona & conueniens, niſi præſupponatur eſſe vera res, v.g. ſanitas niſi ſit vera ſanitas, non eſt bona ægroto. Contra verò, præciſa qualibet bonitate & conuenientia, adhuc res erit vera: ſi enim per impoſſibile homo, v.g. non eſſet bonus entitatiuè, poſſet adhuc eſſe verus, hoc eſt, conformis diuinæ ideæ de homine; ſine qua conformitate nullam homini bonitatem ineſſe intelligere poſſumus. Ergo verum eſt bono *prius ſimpliciter*, vt bene limitat S.Thomas ad 1. alioquin ſi loquamur de prioritate tali, nempe in ordine appetibilium, prius eſt bonum vt bonum, quod eſt bonum vniuerſale, quàm verum vt bonum, quod eſt bonum quoddam particulare: *Bonum ex S. Thoma dici poteſt vero prius ſecundùm quid.* ſicut à contrario, in ordine intelligibilium, prius eſt verum vt verum, quod eſt vniuerſale obiectum intellectus, quàm bonum vt verum, quod eſt quoddam particulare intellectus obiectum. Etenim, vt acutè ratiocinatur S. Thomas ibidem, *Voluntas & intellectus mutuò ſe includunt: nam intellectus intelligit voluntatem,* eiúſque actus & obiectum; *& voluntas vult intellectum intelligere; ſic ergo inter illa, quæ ordinantur ad obiectum voluntatis, continentur etiam ea, quæ ſunt intellectus, & è conuerſo.* Sed ſi conſideretur ſimpliciter, & formaliter verum vt verum eſt, & non vt eſt bonum; item bonum vt bonum eſt, & non vt eſt verum, debet ſine dubio ſimpliciter dici verum prius bono; ſicut intellectus, cuius proprium eſt verum vt verum, eſt potentia prior ſimpliciter voluntate, cuius proprium eſt bonum vt bonum.

3. *Secunda concluſio. Verum eſt poſterius vno ex S.Th.* Secunda concluſio. Verum ſecundùm propriam rationem ſuam eſt poſterius vno. Hoc cum Sancto Thoma de Veritate quæſt.21. artic.3. & communiſſima omnium opinione, breuiter adnotare placuit ex connexione præſentis materiæ, licet de eo nihil agatur in hoc articulo. Ratio aperta eſt, quia vnum, eſt quid abſolutum, & per ſe conuenit enti, ens enim in ſe ipſo ſpectatum, & non in ordine ad aliud, dicit indiuiſionem in ſe, quæ eſt vnitas, vt ſupra quæſt. 11. articul. 1. dub. 4. & 7. Verum autem & bonum ſunt reſpectiua, vt ſuperius probatum eſt, quæ ex ſuo genere poſteriora ſunt abſolutis, cum reſpectiua in abſolutis, non abſoluta in reſpectiuis fundentur. *Ariſtoteles.* Et ideo Philoſophus 4. metaph. cum in primo cap. tradidiſſet naturam entis, ſtatim in ſecundo capite vnius explicationem aggreſſus eſt. Efficax quoque eſt, & à priori *Ratio S.Th.* ratio Sancti Thomæ ſuprà; Verum præſupponit intellectionem, & conſequenter intelligibile, vt ſupra articul. 1. num. 57. *Vnumquodque autem intelligibile eſt, in quantum eſt vnum; qui enim non intelligit vnum, nihil intelligit, 4. metaph.* ergo verum præſupponit vnum.

4. *Obijcitur. Reſpondetur ex dictis.* Obiicies, quoniam vnum importat diuiſionem ab alio, quæ eſt etiam quædam relatio ad aliud. Reſpondeo me in quæſt.11. articul.1. dub.14. probaſſe, diuiſionem ab alio non pertinere eſſentialiter ad vnum, ſed ſolum conſecutiuè. Præterea falſum eſt, illam diuiſionem eſſe relationem, eſt enim negatio entis ab ente, in qua fundatur relatio, quæ non eſt identitas, hæc enim fundatur in vnitate, ſeu negatione diuiſionis, & non in diuiſione, in qua fundari poteſt relatio diuerſitatis potius quàm identitatis; ſed eſt quædam alia oppoſita relatio, quam penuria vocabulorum vocamus etiam diuiſionem, vel relationem diuiſionis, vel diuerſitatem, quæ omnia ſufficienter explicauimus ſuperiori tomo quæſt. 11. argentes de vnitate.





## ARTICVLVS V.

### *Verùm Deus ſit veritas.*

Ad quintum ſic proceditur. Videtur quod Deus non ſit, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur ex ſcriptura, Deum eſſe verum, & veritatem ipſam. num.1.*
2 *Quæ veritas, & in quo ſenſu prædicetur veritas, cùm dicitur, Deus veritas, & prima veritas. num.1.2.*

#### COMMENTARIVS.

DVo docet S.Thomas certa de fide, in ſacris litteris expreſsè reuelata, quæ ex ſuperioribus ſatis declarata, & probata remanent, præſertim articulo 1.num. 15. 29. 33. 61. 69. 71. & 72. & articulo 3. num. 8. 1. Alterum, Deum eſſe verum Deum, ac proinde, in Deo eſſe formalem veritatem, à qua formaliter denominetur verus, *Deum eſſe verum Deũ.* quicquid tandem ſit iſta formalis veritas iuxta varias opiniones ſuperius examinatas. Ita Ierem. 10. *Dominus autem, Deus verus eſt.* & Ioan.17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum.* & ad Theſſalonicen.1. *Conuerſi eſtis à ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero.* & 1.Ioan.5. *Vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* *Ierem. 10. Ioannis 17. ad Theſſalonicenſes 1. 1.Ioan.5.* Alterum, Deum eſſe etiam ipſam veritatem, & ipſam ſummam & primam veritatem. *Deũ eſſe veritatem.* Quia Chriſtus Deus de ſe ipſo dicit Ioan. 14. *Ego ſum via, & veritas, & vita.* & 1.Ioan. 5. dicitur, *Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.* *Exponitur locus Ioan. 14. & 1. Ioannis 5.* Quæ propoſitio ex S.Thoma hic in argumento *Sed contra*, & omnibus Theologis, non eſt intelligenda ſolùm de veritate formali in cognoſcendo, quæ eſt præciſè in intellectu diuino infallibi & certiſſimo, aut de morali virtute veritatis, qua voluntas Dei intelligitur quodammodo inclinata, ſeu potius quoad ſpecificationem determinata ad veritatem in dicendo, ſi exterius loqui, ac reuelare aliquid velit, quæ veritas in dicendo vocatur *verbum veritatis*, ad Epheſ.1. & aliquando abſolutè veritas, vt ad Galatas 5. *Quis vos impediuit, veritati non obedire?* & Ioan. 18. *Ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*; & à qua denominatur, *Deus veritatis*, Pſalm. 30. & *ſpiritus veritatis*, Ioannis 14. & 15. *Exponitur locus ad Epheſ. 1. ad Galat. 5. & Ioan. 18. & Pſalm. 30. & Ioan. 14. & 15.* Sed eſt etiam intelligenda de veritate reali & tranſcendentali in eſſendo, quæ eſſentialiter includit etiam formalem veritatem cognitionis in repræſentando, vt ſupra articulo 5. numero 72. quàm incluſionem non obſcurè ſignificat illa veritatis definitio, de qua ſupra art.1. num.43. *Veritas eſt adæquatio rei & intellectus.* *Vulgata definitio veritatis.*

2. *Quomodo prædicetur de Deo veritas tranſcendentalis.* Tunc autem in hac propoſitione, *Deus eſt veritas*, intellecta de veritate tranſcendentali, non debet ſumi veritas formaliter, pro relatione conformitatis, ſic enim propoſitio eſſet manifeſtè falſa; ſed fundamentaliter, pro eſſe vero, & cognitione vera: in qua acceptione prædicatio eſt eſſentialis, vt expreſsè docet S.Thomas 1. contra

 Gent.

Gent. cap. 6o. ratione tertia, quia eſſe & intelligere ſunt de eſſentia Dei, vt in ſuperiori tomo demonſtratum eſt; & ſenſus erit hic, Deus eſt ſuum eſſe adæquatum ſuæ cognitioni; &, Deus eſt ſuum intelligere adæquatum eſſentiæ ſuæ. Vlterius quoniam eſſe Dei eſt primum, & ſummum eſſe: & intelligere Dei eſt primum, & infinitè perfectum intelligere, & eſſe atque intelligere Dei ſunt *menſura & cauſa omnis alterius eſſe, & omnis alterius intellectus*, vt ait S. Thomas hic in fine corporis, *ſequitur quòd non ſolùm in ipſo ſit veritas, ſed quòd ipſe ſit ſumma, & prima veritas.*

*Et prima ac ſumma veritas.*

---

## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm ſit vna ſola veritas, ſecundùm quam omnia ſunt vera.*

### Ad ſextum ſic proceditur. Videtur quod vna ſola ſit veritas.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Veritates intellectuales eſſe multas. num. 1.*
2 *Quomodo res omnes ſint tranſcendentaliter veræ vna veritate: num. 2. 3. & 4.*

#### COMMENTARIVS.

RESPONDET S. Thomas duabus concluſionibus, quæ ſi paulò clarius proponantur, nihil diuerſum continent ab iis, quæ ſuperius ſufficienter probata ſunt, etiam ex mente ipſius.

1. Prima concluſio, *Si loquatur de veritate provt exiſtit in intellectu ſecundùm propriam rationem, ſic in multis intellectibus creatis ſunt multæ veritates, etiam in vno & eodem intellectu ſecundùm plura cognita.* loquitur apertè de peculiari illa veritate, quam in repræſentando habet intellectus, & à principio huius quæſtionis vſque ad 3. dubitationem diſtinximus ab alia communi veritate tranſcendentali: hæc enim eſt veritas *provt exiſtit in intellectu ſecundùm propriam rationem*, & in vno etiam in intellectu eſt plurificata *ſecundùm plura cognita.* Ratio huius multiplicitatis, vt ex verbis ipſis Sancti Thomæ bene colligit Sylueſter 1. parte conflati, quæſt. 16. art. 8. §. 2. in ſecunda adnotatione, ſumitur ex multiplicitate tum ſubiectorum, tum terminorum veritatis intellectiuæ: nam hæc eſt quoddam accidens formaliter inhærens cognitioni, ergo vbi multiplex cognitio, tibi multiplex veritas reperiatur neceſſe eſt. Præterea eſt relatio conformitatis, ſeu paſſiuæ commenſurationis ad obiectum ſecundùm ſe; ergo vbi ſunt plura obiecta cognita, & repræſentata provt in ſe ſunt, ibi plures commenſurationes, & veritates eſſe oportet. Quælibet igitur cognitio, ſi conſideretur non provt vera tranſcendentaliter, quomodo pendet ab vna communiſſima veritate diuini intellectus, ſed provt vera repræſentatiuè, quomodo pendet ab hoc vel illo particulari obiecto, ſecundùm id quod in ſe eſt, ab aliis diſtincto, habebit veritatem ſuam propriam diſtinctam ab aliis.

*Prima concluſio negatiua de veritate intellectiua.*

*Ratio ex S. Thom. & Sylueſtro.*

Secunda concluſio, *Si loquamur de veritate ſecundùm quod eſt in rebus, ſic omnes ſunt veræ vna prima veritate, cui vnumquodque aſſimilatur ſecundùm ſuam entitatem. Et ſic licet plures ſint eſſentiæ, vel formæ rerum, tamen vna eſt veritas diuini intellectus, ſecundùm quam omnes res determinantur veræ.* loquitur de veritate tranſcendentali, hæc enim propriè eſt illa, quæ, vt ait, *eſt in rebus*, quamque habent *omnes res*, & ratione cuius primæ veritati intellectus diuini *vnumquodque aſſimilatur ſecundùm ſuam entitatem.* Docet igitur, *vna prima veritate diuini intellectus omnes res eſſe veras; & denominari veras.* Hoc autem non eſt intelligendum *ſubiectiuè*, quaſi aliæ res denominentur extrinſecè tantum veræ per veritatem diuinæ cognitionis, non intrinſecè per veritatem in ipſis formaliter exiſtentem, ſed eſt intelligendum *terminatiuè*, vt bene loquitur Fonſeca 4. metaph. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 10. §. *Accedit*, ex eo quod quælibet res vt tranſcendentaliter vera reſpiciat eandem cognitionem diuinam vt formaliter vera eſt in repræſentando, quod ex inſtituto probatum eſt ſupra art. 1. dub. 3. 6. & 8. etiam ex mente S. Thomæ & Thomiſtarum; & non obſcurè colligitur ex ipſiſmet verbis huius concluſionis, vbi de hac veritate clariſſimè dicit, *quòd eſt in rebus*, ergo non eſt tantum illa veritas, quæ eſt in intellectu diuino. Dicit quoque quod vni primæ veritati intellectus diuini *vnumquodque aſſimilatur ſecundùm entitatem ſuam.* ergo in ipſis rerum omnium entitatibus eſt huiuſmodi paſſiua aſſimilatio, ſecundùm quam vnaquæque res conformatur & commenſuratur diuinæ cognitioni de illa re; quæ aſſimilatio ſine dubio nihil eſt aliud quàm ipſa formaliter veritas.

*Secunda concluſio affirmatiua de veritate tranſcendentali.*

*Declaratur concluſio.*

Fonſeca.

3. Eadem mens Sancti Thomæ illuſtrari maximè poteſt aliis verbis, quibus hanc eandem concluſionem magis explicat, & probat 1. diſtinct. 19. quæſt. 5. artic. 2. *Dico, quòd ſicut eſt vnum eſſe diuinum, quo omnia ſunt, ſicut à principio effectiuo exemplari, nihilominus tamen in rebus diuerſis eſt diuerſum eſſe, quo formaliter res eſt; ita etiam eſt vna veritas, ſcilicet diuina, qua omnia vera ſunt, ſicut principio effectiuo exemplari, nihilominus ſunt plures veritates in rebus creatis, quibus dicuntur veræ formaliter.* Sicut igitur Deus nullum ens ſimpliciter producere poſſet, niſi illud in ſua eſſentia eminenter contineret, & ideo omne ens creatum, quamuis in ſe formaliter ſuum eſſe habeat, tamen eſſentialiter reſpicit eſſe diuinum; ita nec producere poſſet hoc ens verum, ſecundùm quod poſtulat eius natura, & non aliud, niſi certiſſimè ac veriſſimè præcognoſceret naturam huius entis, & illius, & omnium, eaque cognitione dirigeret quodammodo ſuam omnipotentiam ad producendum hoc ens tali modo, & non aliud, & alio modo; & ideo omne ens creatum pẽdet etiam eſſentialiter in ratione veri ab hac prima veritate diuinæ cognitionis, quamuis in ſe ſit formaliter verum per intrinſecam denominationem à propria veritatis forma.

*Probatur declaratio ex S. Thoma.*

4. Iuxta hunc ſenſum accipi debet exemplum de ſano, quo ad naturam & vnitatem veri explicandam vtitur hic ſanctus Thomas circa initium corporis, & aliis in locis, vt notaui ſupra art. 1. n. 31. & 33. & 70. nimirum, non ad oſtendendum, res dici veras per extrinſecam denominationem à veritate Dei, ſicut denominantur ſanæ ab extrinſeca ſanitate animalis, ſed ad ſuadendam eſſentialem dependentiam, quam in ratione veri omnes res veræ habent à veritate diuini intellectus, ſicut res ſanæ habent in ratione ſani à ſani-

*Verum partim ſimile, partim diſſimile ſano.*





tate animalis; licet differant in eo quòd formalis ſanitas non eſt in rebus ſanis, ſicut formalis veritas eſt in rebus veris. Quocirca rem hanc aptiori & adæquatiori exemplo explicauit idem ſanctus Thomas 1. d. 19. quæſt. 5. art. 2. ad 1. circa finem, & fuſiùs proſequutus eſt Ægidius 1. d. 19. parte ſecunda, quæſt. 2. de accidente & ſubſtantia, in quibus eſt formaliter ratio entis, & tamen in eadem ratione entis accidens denominatur ens per eſſentialem ordinem ad ſubſtantiam. Et præciſè propter hanc eſſentialem dependentiam, quam res omnes, etſi formaliter veræ, habent à veritate intellectus diuini, docet ſanctus Thomas hic, verum, ſicut ſanum, *dici analogicè de multis, & inueniri ſecundùm propriam rationem in vno eorum tantum, à quo alia denominantur.* & vt infra magis ſe declarat, *Quod veritas per prius eſt in intellectu, & per poſterius in rebus ſecundùm quod ordinantur ad intellectum diuinum:* ſicut ens per prius conuenit ſubſtantiæ, per poſterius accidenti; & ideo eſt analogum, quod vocamus attributionis: & ſicut ratio entis ſimpliciter dicitur eſſe tantum in ſubſtantia, ita ratio veri ſimpliciter, dici debet eſſe tantùm in intellectu diuino: de qua denominatione, & proprietate loquendi dictum eſt aliquid ſupra art. 2. num. 21. & ideo loco citato ex 1. ſententiar. docet, huiuſmodi analogiam veri, ſicut & entis non eſſe, vt ipſe loquitur, *ſecundùm intentionem tantum, ſed ſecundùm intentionem & ſecundùm eſſe*, & de hac analogia inquit, *oportet quod natura communis habeat aliquod eſſe in vnoquoque eorum de quibus dicitur, ſed differens ſecundùm rationem maioris vel minoris perfectionis.* Vnde ab explicatione veri excludit exemplum de ſano, tanquam inadæquatum, quia ſanum, inquit, eſt analogum, *ſecundùm intentionem tantum, & non ſecundùm eſſe*, & deinde ad 3. docet, eſſe eodem modo philoſophandum de veritate, quo de bonitate, qua, inquit, *vnumquodque formaliter eſt bonum.* Igitur ſanctus Thomas verè ſentit, licet aliquando paulò obſcurius loqui videatur, veritatem tranſcendentalem eſſe vnam, non per vnam formam inhærentem omnibus rebus veris, aut extrinſecè denominantem res omnes veras, ſed ſolum per vnam primam veritatem intellectus diuini, quam eſſentialiter reſpiciunt omnes veritates in rebus ipſis formaliter exiſtentes & multiplicatæ. Atque ideo rationem veri eſſe primariò in diuino intellectu, ſecundariò in rebus; in illo tamen, & in his eſſe formaliter & intrinſecè; ſed in rebus per ordinem ad intellectum, in intellectu autem per ſe, & non per ordinem ad res.

*Verum à S. Thoma & Ægidio melius declarari exemplo entis, quàm ſani.*

---

## ARTICVLVS VII.

### *Vtrum veritas creata ſit æterna.*

### Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd veritas creata ſit, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Veritatem non eſſe æternam ſine intellectu æterno. num. 1.*
2 *Veritatem creatam non eſſe æternam reſpectu intellectus creati. num. 2.*
3 *Sed reſpectu intellectus increati. num. 3. & 4.*



#### COMMENTARIVS.

EX corpore articuli tres omnino concluſiones colliguntur certæ ac faciles, prima vniuerſalis, reliquæ duæ particulares.

1. Prima concluſio. *Si nullus intellectus eſſet æternus, nulla veritas eſſet æterna.* Patet, quia veritas definitur, *Adæquatio rei & intellectus:* ſi enim eſt veritas in eſſendo, eſt adæquatio rei cum intellectu; ſi eſt veritas in repræſentando, eſt adæquatio intellectus cum re. Ergo ſi nullus ſimpliciter eſſet intellectus, nulla eſſet ſimpliciter veritas, vt expreſsè docet ſanctus Thomas, cuius verba attuli ſupra articulo 1. num. 62. Ergo pariter, ſi nullus eſſet intellectus æternus, nulla veritas eſſe poſſet æterna. Sicut enim ſe habet veritas ſimpliciter ad intellectum ſimpliciter, ita veritas æterna ad intellectum æternum.

*Prima concl. Veritas æterna non eſt ſine intellectu æterno.*

2. Secunda concluſio. Nulla veritas creata eſt æterna in intellectu creato. Patet, quia nullus intellectus creatus eſt æternus: imò nulla ſimpliciter res creata eſt æterna. Vnde ſequitur, quod veritas creata reſpectu intellectus creati, deficiat in æternitate tam ratione termini, quàm ratione ſubiecti; & tam in repræſentando, quàm in eſſendo: quia neque eſſet æterna conformitas intellectus creati cum aliqua re, ſiue creata, ſiue etiam increata; neque eſſet æterna conformitas alicuius rei creatæ cum intellectu, ſiue creato, ſiue etiam increato: ſolum eſſet æterna conformitas eſſentiæ increatæ cum intellectu increato, & intellectus increati cum eſſentia increata, & rebus omnibus creatis, tam poſſibilibus, quàm futuris; cum ad exiſtentiam æternam veritatis intellectiuæ in repræſentando, vt rectè notauit ſanctus Thomas de Veritate quæſtione 1. articulo 5. circa principium corporis, ſatis ſit æterna exiſtentia intellectus repræſentantis, & non ſit neceſſaria æterna exiſtentia rei repræſentatæ, quæ ab intellectu æterno poteſt ab æterno repræſentari vel vt futura in aliquo tempore, vel vt ſimpliciter poſſibilis exiſtere in tempore, ſiue etiam ab æterno, ſecundùm varias opiniones de poſſibilitate creaturarum ab æterno. Et ideo ponitur

*Secũda concl. Veritas creata non eſt æterna in intellectu creato.*

S. Thomas.

3. Tertia concluſio. *In ſolo intellectu diuino veritas æternitatem habet*, nimirum veritas non ſolùm increata, quæ eſt æterna, ſed etiam creata, quæ temporalis eſt, de qua directè propoſita erat quæſtio articuli. Probatur accidenter à ſancto Thoma, *quia ſolus intellectus diuinus eſt æternus.* Ex hoc autem quod intellectus veriſſimè repræſentans res creatas ſit æternus, nulla autem creatura repræſentata, ſit æterna, ſequitur quod ſanctus Thomas loco citato de Veritate fuſè docuit, creaturas denominari ab æterno commenſuratas & veras, menſura extrinſeca, & veritate, quæ eſt in intellectu tantum, non menſura intrinſeca, & veritate ipſis inhærente. *Nam ſi*, inquit, *accipiamus veritatem pro veritate creatorum verorum eis inhærente, quam inuenimus in rebus & in intellectu creato, ſic veritas non eſt æterna, nec rerum, nec enunciabilium, cùm ipſæ res, vel intellectus, quibus veritates inhærent, non ſint ab æterno: ſi autem accipiatur veritas verorum creatorum, qua denominantur omnia vera ſicut extrinſeca menſura, quæ eſt veritas prima, ſic omnium, & rerum, & enunciabilium, & intellectuum veritas eſt æterna.* Quicquid igitur de rebus creatis verum eſſe ab æterno

*Tertia concl. Veritas creata eſt æterna in intellectu Dei.*

*Creatura ab æterno vera per denominationem extrinſecam ex S. Thoma.*

dicitur, vt quòd homo ſit animal rationale, quòd futurus eſt mundus, id non ita denominatur propter veritatem in ipſis rebus exiſtentem, quia veritas non poteſt realiter in æternitate exiſtere in rebus, quæ in æternitate realiter non exiſtunt, ſed propter veritatem diuinæ cognitionis ab æterno exiſtentis, & veriſſimè repræſentantis creaturas omnes poſſibiles, futuras, præſentes, & præteritas.

4. *Concluſio intelligenda de veritate non formaliter, ſed fundamentaliter.*

Quapropter hæc tertia concluſio intelligi nequit de veritate formaliter; quod ſequitur neceſſariò ex duabus opinionibus ſupra probatis, altera in quæſt. 14. artic. 9. quòd perfectiſſimus Dei intellectus non formet entia rationis: altera in hac quæſt. 16. art. 1. quòd veritas formaliter ſit ens, & relatio rationis. Ergo ſi ab æterno eſt intellectus diuinus tantum, & non alius imperfectus intellectus, cuius eſt fingere entia rationis, nulla ab æterno eſſe poteſt relatio rationis; ergo nulla formaliter veritas. Intelligenda igitur eſt concluſio de veritate fundamentaliter, hoc eſt, de ipſa rei cognitione, quæ ab æterno adæquatè repræſentat res omnes.

---

## ARTICVLVS VIII.

*Vtrum veritas ſit immutabilis.*

## Ad octauum ſic proceditur. Videtur quod veritas ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Eſſe immutabilem veritatem intellectus diuini. num. 1.*

2 *Eſſe mutabilem veritatem intellectus creati. numero 2.*

3 *Reſpectu intellectus noſtri, non Dei, res mutari de veritate in falſitatem. num. 3.*

### COMMENTARIVS.

RESPONDET ſanctus Thomas duabus concluſionibus, quæ veriſſimæ ſunt abſque vlla difficultate & controuerſia.

1. *Prima concluſio affirmatiua de veritate intellectus diuini.*

Prima concluſio. *Veritas diuini intellectus eſt omnino immutabilis.* Primò, quia re eodem modo ſe habente, non poteſt intellectus diuinus nunc per vnum actum eam verè repræſentare ſicut ſe habet, poſtea per alium actum eam falsò repræſentare aliter ac ſe habet. Secundò, quia re nunc vno modo ſe habente, poſtea alio modo ſe habente, non poteſt diuinus intellectus per vnum actum ſemper eam repræſentare vt vno modo ſe habentem: hi enim duo modi, quibus ſolis tranſire poteſt intellectus de vero in falſum, manifeſtè important imperfectiones ignorantiæ, & diſtinctionis, ac ſucceſſionis actuum, quæ in perfectiſſimo Dei intellectu cogitari non poſſunt.

2. *Secunda concluſio negatiua de veritate intellectus noſtri.*

Secunda concluſio. *Veritas intellectus noſtri mutábilis eſt; non quod ipſa ſit ſubiectum mutationis, ſed in quantum intellectus noſter mutatur de veritate in falſitatem*; ſicut etiam de falſitate in veritatem. Quod manifeſtum eſt experientia, propter imperfectiones aſſignatas, quibus ſubiacet humanus intellectus. Modus autem, quo hic breuiter dicitur veritas mutari, paulò latius probatur de Veritate quæſt. 1. art. 6. initio corporis, quia, inquit, veritas ſignificatur per modum formæ; forma autem non eſt mutabilis ſicut ſubiectum, quod proprie ſignificat eſſe mutabile, hoc eſt, eſſe ſubiectum mutationis, quomodo dicimus, corpus eſſe mutabile, & mutari de albo in nigrum; ſed eſt mutabilis ſicut terminus mutationis ſubiecti, quo modo mutabilis eſt albedo in nigredinem, veritas in falſitatem, & è contra.

*Veritas mutabilis terminatiuè, non ſubiectiuè.*

3. *Res de veritate in falſitatẽ non mutatur reſpectu intellectus diuini ex S. Thoma.*

Ex his duabus concluſionibus colligo, quod ſanctus Thomas loco citato de Veritate optimè docuit, in ordine ad intellectum diuinum, nullius rei, etiam mutabilis veritatem mutari de veritate in falſitatem, ſed ſolum de vna veritate in aliam veritatem: quia, inquit, *veritas eſt forma maximè generalis, cum verum & ens conuertantur. Vnde ſicut facta qualibet mutatione res remanet ens, quamuis alia ſecundùm aliam formam, per quam habet eſſe; ita ſemper remanet vera, ſed alia veritate; quia quamcumque formam, vel priuationem per mutationem acquirat, ſecundùm eam diuino intellectui conformatur, qui eam ita cognoſcit vt eſt ſecundùm quamcumque diſpoſitionem.* Quod notaui etiam ſupra art. 1. num. 55. In ordine autem ad intellectum humanum, mutari poſſe rem non ſolum de vna veritate in aliam veritatem, vt ſi eodem Petro nunc ſtante, intelligam illum ſtare; poſtea ſedente, illum ſedere intelligam alio actu: ſed etiam de veritate in falſitatem, vel de falſitate in veritatem; vt ſi Petrum ſemper album remanentem nunc intelligam eſſe album, poſtea intelligam eſſe nigrum; vel nunc intelligam eſſe nigrum, poſtea intelligam eſſe album. Huc quoque ſpectat quod habetur hic ad 3. nempe, iſtam propoſitionem, *Sortes ſedet*, etiam Sorte non ſedente, eſſe veram, non *veritate ſignificationis*, hoc eſt, in ordine ad rem ſignificatam, cui non conformatur; ſed *veritate rei*, hoc eſt, vt vox quædam ſignificatiua ſimpliciter ſeſſionis Sortis, quæ ſemper, ſiue ſedente, ſiue non ſedente Sorte, conformatur diuinæ ideæ de voce ſignificatiua ſimpliciter ſeſſionis Sortis.

*Sed reſpectu intellectus humani.*

# QVÆSTIO XVII.

## *De falſitate, in quatuor articulos diuiſa.*

## Deinde quæritur de falſitate.

IN huius quæſtionis explicatione breuiores erimus, tum quia poſt veritatis naturam accuratè traditam, facile eſt intelligere, quid de falſitate, illi oppoſita, ſentiendum ſit: tum quia ob hanc ipſam oppoſitarum formarum connexionem, diſputando de veritate, neceſſe fuit nonnulla de falſitate diſſerere.

ARTI



---

## ARTICVLVS I.

*Vtrùm falſitas ſit in rebus.*

## Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd falſitas non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Quomodo veritas & falſitas ſint circa idem. numero 1.*

2 *Exponuntur ſex conuenientiæ inter verum & falſum. num. 2.*

3 *In rebus falſitas eſt per ordinem ad intellectum humanum, non diuinum. num. 3.*

4 *Falſitas in omnibus rebus non eſt, niſi per denominationem extrinſecam à falſitate intellectus. num. 4.*

5 *Quo modo ſimilitudo & diſſimilitudo falſitatem cauſent. num. 5.*

6 *In quo ſenſu res falſæ dicantur non entia. num. 6.*

7 *Falſitatem & veritatem eſſe in omnibus rebus, ſed non eodem modo. num. 7.*

8 *Falſitatem tranſcendentalem eſſe per modum repræſentati, non per modum cauſæ. num. 8.*

9 *Artificialia poſſe eſſe intrinſecè falſa. num. 9.*

10 *Soluuntur contraria argumenta. num. 10. ad finem articuli.*

11 *Cur falſitas non numeretur inter paſſiones entis. num. 10.*

12 *Falſum fundari in vero. num. 11.*

13 *Quo modo res deficere nequeunt ab ideis increatis, ſed tantum à creatis. num. 12.*

### COMMENTARIVS.

1. *Prima concl. De ſubiecto veri & falſi philoſophandum proportionaliter.* *Quid ſit ex S. Thom. verũ, & falſum eſſe circa idẽ.*

PRIMA concluſio generalis. Falſitas eodem proportionali modo eſt, aut non eſt in rebus, quo modo eſſe, aut non eſſe veritatem in rebus probatum eſt in quæſt. 16. art. 1. Ita initio corporis docet hîc S. Thomas, & bene probat ex eo quod, *verum & falſum opponantur, oppoſita autem ſint circa idem.* Quod arbitror eſſe intelligendum de vero & falſo tranſcendentaliter, comparatis circa ens; ſicut enim nullum eſt ens quod non ſit bonum reſpectu vnius, malum reſpectu alterius; ita nullum ens quod non ſit verum reſpectu vnius, falſum reſpectu alterius, vt mox magis declarabo: non autem de alio particulari vero & falſo repræſentatiuè, comparatis circa cognitionem; nam circa cognitionem Dei reſpectu vniuſcuiuſque obiecti per illam repræſentati, ita ſemper eſt veritas, vt illi omnino repugnet falſitas in repræſentando; ſic etiam ex communiſſima opinione probata ſupra quæſt. 16. art. 2. dub. 1. concluſ. 1. & 3. circa primam noſtram operationem incomplexam eſt veritas, & non poteſt eſſe falſitas. Quo fit vt non ſit efficax argumentum Vazquez diſp. 75. cap. 3. §. *Poſterior ratio*, contendentis probare, non eſſe veritatem in prima operatione, ex eo quod in eadem falſitas eſſe nequeat: hoc enim pariter probaret, non eſſe veritatem in diuino intellectu, cui falſitas maximè contradicit; eſſe autem, & potiſſimum eſſe veritatem repræſentatiuam in diuino intellectu, nemo non admittit.

*Soluitur arg. Vazq. contra veritatẽ primæ operationis.*

2. Dixi initio concluſionis, *eodem proportionali modo*, hoc eſt, ſaluis propriis earum rationibus, in quibus opponuntur. Inter verum igitur & falſum, ſalua oppoſitione & diſconuenientia, de qua infra, omnes iſtas conuenientias concedere poſſumus ac debemus; primam ex S. Thoma de Veritate q. 1. art. 10. initio corporis, *ſicut veritas conſiſtit in adæquatione rei & intellectus, ita falſitas conſiſtit in eorum inæqualitate.* Secundam, ſicut veritas tranſcendentalis eſt in omnibus rebus, ita, vt concluditur hic in fine argumenti, *ſed contra. in omnibus rebus eſt falſitas*; quæ propterea tranſcendentalis falſitas dici poteſt. Tertiam, quia vt dicitur hic initio corporis, *in rebus neque veritas, neque falſitas eſt, niſi per ordinem ad intellectum.* Quartam, quæ ex tertia ſequitur, vt falſitas, ſicut veritas, ſit primariò in intellectu; id docet S. Thomas ibidem illis verbis, *neceſſe eſt, vt ibi primò quæratur falſitas, vbi primò veritas inuenitur, hoc eſt, in intellectu.* Quintam, quæ ſequitur ex quarta, vt falſitas tranſcendentalis eſſe & intelligi nequeat abſque aliqua falſitate repræſentatiua, ſicut nec veritas tranſcendentalis abſque aliqua veritate repræſentatiua. Sextam, in qua fundatur totus diſcurſus præſentis articuli, vt ſicut veritas tranſcendentalis eſt conformitas, non quæcunque, ſed conformitas cum ſua regula & intellectu, à quo dependet, ita falſitas tranſcendentalis ſit illa tantum difformitas, quam res habet cum illa menſura & intellectu, à quo dependet in ſuo eſſe. Atque hæc de conuenientiis veri & falſi, nunc de eorumdem diſconuenientiis ſit

*Traditur ſex conuenientiæ inter verũ, & falſum. S. Thom.*

3. *Secũda concl. Rerũ falſitas eſt reſpectu intellectus humani, non diuini.*

Secunda concluſio. Falſitas non eſt in aliqua re per ordinem ad intellectum diuinum, ſed in omnibus rebus eſt per ordinem ad intellectum humanum. Ita S. Thomas hîc, communiter receptus, qui contrario modo philoſophatur de veritate, quam ſemper ponit in rebus per ordinem ad intellectum diuinum, non humanum. Ratio eius eſt, quia non dicuntur falſæ res, niſi vel primò, *ſecundùm rationem ſignificati, vt dicatur illud eſſe falſum in rebus, quod ſignificatur, vel repræſentatur oratione, vel intellectu falſo: ſecundùm quem modum quælibet res poteſt dici eſſe falſa quantum ad id quod ei non ineſt*, ſi nimirum ineſſe ſignificetur falſa oratione, aut cognitione, vt ſi dicas, aut intelligas, hominem eſſe lapidem, hominem non eſſe riſibilem; quia homini nec ineſt natura lapidis, nec negatio riſibilitatis; quem primum modum tangit Auguſtinus lib. 2. Soliloquiorum cap. 6. cum dicit, *miror ſi falſum quicquam aliud erit, quàm quod non ita eſt vt videtur.* Vel ſecundò *per modum cauſæ, & ſic dicitur res eſſe falſa, quæ nata eſt facere de ſe opinionem falſam: quæ enim in exterioribus accidentibus habent ſimilitudinem aliarum rerum, dicuntur eſſe falſa ſecundùm illas res, ſicut fel eſt falſum mel, & ſtannum eſt falſum argentum:* quem ſecundum modum latè proſequitur Auguſtinus ſupra, & multis explicat exemplis. *Nam certè*, inquit, *quod oculi vident, non dicitur falſum, niſi habeat aliquam ſimilitudinem veri. Vt homo quem videmus in ſomnis, non eſt vtique verus homo, ſed falſus, eo ipſo quod habet veri ſimilitudinem. Quis enim canem videat, & rectè ſe dicat, hominem ſomniaſſe? Ergo & ille falſus canis eſt, ex eo quod ſimilis vero eſt.* & paulò poſt: *Dicimus item falſam arborem, quam pictam videmus; & falſam faciem, quæ de ſpeculo redditur; & falſum turrium motum nauigantibus; falsámque infractionem remi; ob aliud nihil, niſi quòd veriſimilia ſunt.* Et tandem in fine capitis concludit, *nos eas res falſas nominare, quas veriſimiles deprehendimus.* Eaſdem duas falſitatis acceptiones tradit Philoſophus 5. metaphyſic. 34. Primam quidem illis verbis, *Dicitur res falſa, eo quod non componitur, aut quòd impoſſibile ſit componi, quemadmodum dicitur, diametrum eſſe commenſurabilem, aut te*

*Ratio S. Th.* *Res dicuntur falſæ primò vt repræſentatæ.* *Auguſt.* *Secundò vt cauſæ.* Ariſtot.

*ſedere : horum enim illud quidem ſemper, hoc verò aliquando falſum eſt*; ſcilicet eo tempore quo non ſedes : & res falſas huius primi generis vocat *non entia*, quia nimirum in illis radix falſitatis eſt negatio alicuius entis; v.g. ex eo quod diameter non ſit commenſurabilis, & tu non ſedeas, oritur vt falſum ſit iudicare, diametrum eſſe commenſurabilem, & te ſedere. Secundam verò cum docet, falſa etiam eſſe, *quæcunque ſunt quidem entia, apta tamen natura ſunt apparere, aut non qualia ſunt, aut quæ non ſunt, vt vmbra, picturæ, & inſomnia.* Et rurſus infra, *Res falſas eſſe dicimus, quæ falſam imaginationem faciunt.* Certum autem eſt his duobus modis res falſas dici poſſe per ordinem ad intellectum humanum, qui plerumque de rebus falsò iudicat, & à rebus ipſis, propter ſimilitudinem, quam cum aliis habent, decipitur; non verò per ordinem ad intellectum diuinum, qui nullius falſitatis, aut deceptionis capax eſt.

*Cur res falſæ dicantur non entia.*

4. Tertia concluſio. Falſitas tranſcendentalis non eſt in omnibus rebus intrinſecè per formam ipſis inhærentem, quo modo quæſt. præcedente probauimus in eis eſſe veritatem; ſed extrinſecè per falſitatis formam inhærentem in ſolo intellectu. Vnde ſequitur, falſitatem tranſcendentalem non eſſe aliquam falſitatem in eſſendo, diſtinctam à falſitate intellectiua in repræſentando, ſicut ex ſuperius probatis veritas tranſcendentalis eſt quædam veritas in eſſendo diſtincta à veritate in repræſentando. Hanc concluſionem euidenter deduco ex ſecunda, ex qua habemus res non dici falſas per ordinem ad intellectum diuinum, à quo in eſſe dependent, ſed ſolum per ordinem ad intellectum humanum, à quo non dependent in eſſe: ergo per ordinem ad illum res omnes habere non poſſunt falſitatem in eſſendo: ergo rerum omnium tranſcendentalis falſitas, alia eſſe non poteſt niſi repræſentatiua, ſed hæc eſt formaliter in ſolo intellectu repræſentante, non in re repræſentata, niſi per extrinſecam denominationem repræſentati : ita vt, inquit S. Thomas hic circa medium corporis, *dicatur illud eſſe falſum in rebus, quod ſignificatur, vel repræſentatur intellectu falſo.*

*Tertia concl. Falſitas eſt in omnibus rebus per denominationẽ extrinſecam.*

*Tertia cõcluſio deducitur ex ſecunda, primò.*

S. Thomas.

Confirmatur, quia concluſione ſecunda cum Philoſopho, & SS. Auguſtino & Thoma dictum eſt, res omnes nulla alia ratione dici falſas, niſi vel per modum ſignificati, vel per modum cauſæ: ſed eſſe ſignificatum, ſeu repræſentatum, eſt euidenter denominatio extrinſeca, ſicut eſſe viſum, cognitum, & ſimilia; eſſe etiam cauſam falſitatis, eſt per ſimilitudinem ex dictis Ariſtotelis, Auguſtini, & Thomæ ſupra num. 3. quæ, vt ait Auguſti. lib. 2. Soliloquiorum cap. 6. ante medium, *mater eſt falſitatis*; ergo non eſt ipſa formaliter falſitas, quæ conſiſtit potius in diſſimilitudine cum vero, quàm in veriſimilitudine: ſicut igitur de veritate dixit S. Thomas ſupra quæſt. 16. art. 1. ad 3. *eſſe rei, non veritas eius cauſat veritatem intellectus, ſicut virtus medicinæ, non ſanitas eius cauſat ſanitatem, cum non ſit agens vniuocum* : ita de falſitate dicendum, eſſe rei ſimilis, non falſitas eius cauſat falſitatem intellectus : ergo hoc etiam ſecundo modo res denominantur falſæ à falſitate, quam in humano intellectu cauſant, non ab intrinſeca aliqua falſitatis forma in ipſis exiſtente.

*Deducitur ſecundò.*

Auguſtinus. S. Thom.

5. Ex his intelligimus primò, quo modo falſitatis cauſa dici poſſit nõ ſolùm ſimilitudo, ſed etiam diſſimilitudo; quam difficultatem acutè atque eloquenter agitat Auguſtinus lib. 2. Soliloquiorum à cap. 6. & deinceps. Debent igitur accipi ſimilitudo & diſſimilitudo diuerſæ rationis, & reſpectu diuerſorum, nempe ſimilitudo realis in eſſendo vnius rei cum alia re, v.g. aurichalci cum auro: diſſimilitudo intentionalis in repræſentando intellectus cum re illi obiecta. Item debet accipi cauſa diuerſæ rationis, non eiuſdem : ita vt ſimilitudo ſit falſitatis cauſa in genere cauſæ efficientis, in quantum vna res ſimilis efficit aliquo modo falſam cognitionem alterius ſimilis. Diſſimilitudo verò ſit falſitatis cauſa in genere cauſæ materialis, ſeu fundamentalis, in quantum cognitio repræſentans obiectum aliter ac eſt in ſe, eſt proximum fundamentum reſpectus difformitatis formalis cum obiecto prout in ſe eſt, in quo reſpectu conſiſtit conceptus falſitatis repræſentatiuæ, ſicut in oppoſito reſpectu conformitatis formalis cum obiecto prout in ſe eſt, conſiſtit conceptus veritatis repræſentatiuæ.

*Quo modo ſimilitudo & diſſimilitudo falſitatem cauſent.*

*In quo conſiſtat falſitas formaliter.*

6. Intelligimus ſecundò, in quo ſenſu dicat S. Thomas hic poſt medium corporis. *Secundùm quem modum*, hoc eſt, vt antea explicauerat, *ſecundùm rationem ſignificati, quælibet res poteſt dici eſſe falſa, quantum ad id quod ei non ineſt* : hoc enim accipiendum eſt non de non ineſſe ſimpliciter per ordinem ad rem ipſam : nam quantum ad id quod rei hoc modo non ineſt, res dicitur vera potius quàm falſa, v.g. homo eſt verus homo non ſolùm quantum ad riſibilitatem quæ ineſt ei, ſed etiam quantum ad hinnibilitatem quæ ei non ineſt : ſed de non ineſſe ſecundùm quid per ordinem ad intellectum repræſentantem ineſſe. Senſus igitur eſt, quamlibet rem dici falſam ſecundùm rationem ſignificati & repræſentati, ex eo quòd ei non ineſt aliquid quod ineſſe ſignificatur, & repræſentatur per falſam orationem & intellectionem, ſiue id quod ineſſe repræſentatur ſit poſitiuum, ſiue negatiuum: cum non minùs falſa res repræſentata ſit, hominem eſſe hinnibilem, quæ falſitas homini conuenit quantum ad id quod ei non ineſt, quàm hominem non eſſe riſibilem; quæ falſitas conuenit homini quantum ad id quod ineſt ei. Similiter accipiendum puto quod habetur ad primum, *Res comparata ad intellectum ſecundùm id quod eſt, vera dicitur*; hoc eſt, denominatur vera repræſentatiuè, ſi à vero intellectu taliter repræſentetur qualiter in ſe ipſa eſt; ſiue repræſentetur ſecundùm id quod ipſa in ſe eſt, ſiue ſecundùm id quod ipſa in ſe non eſt : *ſecundùm id quod non eſt, dicitur falſa*; *vnde verus tragœdus eſt falſus Hector, vt dicitur* 2. *Soliloquiorum cap.* 10. hoc eſt, denominatur falſa repræſentatiuè, ſi à falſo intellectu non ita repræſentatur ſicut in ſe eſt, aut non eſt. *Sicut igitur in his quæ ſunt, inuenitur quoddam non eſſe*, hoc eſt, non eſſe taliter, qualiter repræſentatur, quod propterea non dicitur ſimpliciter non eſſe per ordinem ad ipſas res, ſed *quoddam non eſſe*, nimirum per ordinem ad intellectum repræſentantem eſſe in re id quod in re non eſt, *ita in his quæ ſunt, inuenitur quædam ratio falſitatis*, nimirum per extrinſecam denominationem à falſitate intellectus repræſentantis. In quo eodem ſenſu dixit Syluester prima parte conflati, quæſt. 17. art. 1. circa principium, *Vbi inuenitur aliquod non eſſe, inuenitur aliqua ratio falſitatis.* Quod certum eſt non poſſe intelligi de non eſſe in re, alioquin ipſemet Deus eſſet falſus, quia in Deo etiam ſunt re ipſa non eſſe, v.g. compoſitum non eſſe corporeum, non eſſe creatum, &c. quæ non eſſe, faciunt ad veritatem, non ad falſitatem rei ſecundùm ſe ſpectatæ. Demum in eodem ſenſu accipiendus eſt Philoſophus 5. metaph. t. 34. vbi idem docet, ſed aliis verbis relatis ſupra n. 3. nam cum meminiſſet primi modi falſitatis rerum, ex eo

*Cur à S. Th. res dicatur falſa ſecundùm id, quod non eſt.*

Syluester.

*In quo ſenſu idem dicatur ab Ariſtot.*

quod



quod res non habent in ſe illud eſſe quod habere iudicantur per intellectum, ſtatim ſubdit, *ſic enim non entia hæc*, ideſt, non entia verè in ſe talia, qualia repræſentantur à falſo intellectu; & inde oritur vt extrinſecè denominentur falſa entia repræſentata. Vnde cum poſt traditum etiam ſecundum modum falſitatis per modum cauſæ, ratióne ſimilitudinis cum aliis rebus, ita concludit, *Res itaque falſæ ſic dicuntur, aut eo quod non ſunt, aut eo quod imaginatio ab eis facta non entis eſt*: ſenſus eſt, res dici falſas, vel quia non ſunt ita in re, ſicut ſunt obiectiuè in intellectu: vel quia per aliqua exteriora accidentia, in quibus aſſimilãtur aliis rebus, oſtendunt potentiis cognitiuis habere in ſe alicuius entis rationem, quam in ſe verè non habent. Et poſtea ſubdit, *oratio falſa, prout falſa eſt, quæ non entium eſt*, hoc eſt, quæ non habent illud eſſe quod per orationem ſignificatur. *Vnde*, inquit, *omnis oratio falſa, alterius eſt, quàm eius, cuius eſt vera, vtpote quæ circuli, falſa trianguli.* hoc eſt, quælibet oratio vera, enuncians eſſe in vna re quod in ea verè eſt, erit falſa, ſi applicetur alteri rei, in qua verè non eſt illud idem, quod per eam orationem enunciatur, vt per ſe manifeſtum eſt.

7. Intelligimus tertio dictum illud S. Thomæ hic initio corporis, *Verum & falſum ſunt circa idem.* eſt enim intelligendum eſſe circa idem ſimpliciter, non tamen de eſſe eodem modo. Etenim res quidem omnes ſunt tranſcendentaliter & veræ & falſæ; ſed tranſcendentaliter veræ ſunt per denominationem intrinſecam à veritate in eſſendo, quæ in ſingulis rebus formaliter eſt, terminata eſſentialiter ad aliam veritatem in repræſentando intellectus diuini : falſæ autem tranſcendentaliter ſunt per denominationem extrinſecam à falſitate in repræſentando intellectus humani, à quo res quælibet, etiam ipſemet veriſſimus Deus, poteſt falsò repræſentari, aliter ac in ſe eſt. Ergo nulla prorſus res eſt, quæ non poſſit ſuſcipere extrinſecam denominationem falſi repræſentati ab imperfecto noſtro intellectu. Ex qua differentia habetur non eſſe efficax argumentum Vazquez, de quo ſupra q. 16. art. 1. num. 35. & aliorum, qui ex eo quod falſitas tranſcendentalis non ſit in omnibus rebus, niſi per extrinſecam denominationem, deducere contendunt, eſſe eodem modo in omnibus rebus veritatem tranſcendentalem. Conſtat enim ex hactenus probata S. Thomæ doctrina, eſſe inter hæc latum diſcrimen : quoniam reſpectu veritatis, res omnes habent communem intellectus diuini menſuram, à quo in eſſe dependent, & cui in eſſe eorum intrinſeco commenſurantur & conformantur, quæ conformitas eſt formaliter in rebus ipſis, & non eſt aliud niſi ipſamet veritas in eſſendo. At verò reſpectu falſitatis res omnes huiuſmodi menſuram minimè habent; non intellectum diuinum, cum vnaquæque res illi reſpondeat ſecundùm vnam ideam cui conformis eſſe debet; non ſecundùm aliam ideam cui conformari debeat, & tamen difformetur: non intellectum creatum, à quo omnia in eſſe pendere nequeunt. Ergo non potuit in rebus omnibus eſſe falſitas in eſſendo, ſicut eſt veritas. Ergo falſitas rerum omnium alia eſſe non potuit niſi repræſentatiua intellectus imperfecti & falſi in repræſentando, per quam quælibet res denominari extrinſecè poteſt falsò repræſentata.

*Falſitas & veritas circa idem, ſed non eodem modo.*

*Soluitur obiectio Vazq. facta q. 16. art. 1. n. 35.*

8. Intelligimus quartò, tranſcendentalem rerum omnium falſitatem conſiſtere potius in falſitate prima per modum ſignificati ſeu repræſentati, quàm in ſecunda falſitate per modum cauſæ, de quibus duobus modis dictum eſt ſupra num. 3. & 6. Ratio eſt, quia falſitas tranſcendentalis eſſe debet illa, quæ conuenit rebus omnibus; ſed falſitas per modum ſignificati omnibus conuenit, quia nulla res eſt, de qua intellectus humanus formare nequeat falſum iudicium, & enunciare falſam orationem : & ideo de hoc primo falſitatis modo dicit S. Thomas hic poſt medium corporis. *Secundùm quem modum quælibet res poteſt dici eſſe falſa*: & eſt intelligendus, cum initio corporis dicit, *Verum & falſum ſunt circa idem.* Falſitas autem per modum cauſæ, vt S. Thomas hic explicat, & de Veritate quæſt. 1. art. 10. ad 4. conuenit tantum rebus ſenſibilibus, neque omnibus ſenſibilibus, ſed iis tantum, *quæ in exterioribus accidentibus habent ſimilitudinem aliarum rerum, ſicut fel eſt falſum mel, & ſtannum eſt falſum argentum.* Res igitur ſpirituales, vt Deus, Angeli, animæ noſtræ, non ſunt falſæ per modum cauſæ. Item quamplurima ſenſibilia eodem modo falſa non ſunt. Quis enim dixerit, hominem eſſe falſam picturam, vel ſtatuam hominis; aurum eſſe falſum aurichalcum; argentum eſſe falſum ſtannum; & ſexcenta alia eiuſdem generis? Idem non obſcurè indicat Philoſophus 5. metaph. 34. vbi definiuit, hæc falſa per per modum cauſæ, non eſſe omnia entia, ſed quædam tantum, ſcilicet, *quæcumque apta ſunt apparere non qualia ſunt.* Vnde infra eadem explicat in ordine ad ſenſitiuam imaginationis potentiam, dicens, *Res falſas eſſe dicimus, quæ falſam imaginationem faciunt.*

*In quo conſiſtat falſitas tranſcendentalis.*

S. Thomas. *Falſitatem per modum cauſæ non cõuenire omnibus.*

Ariſtoteles.

9. Quarta concluſio. In rebus artificialibus eſſe poteſt intrinſeca falſitas in eſſendo, per ordinem ad intellectum humanum artificis, à quo per ſe dependent. Eſt S. Th. hic, nam initio ita ſumit vniuerſaliter, *Res quidem ſimpliciter falſa dici poſſet per comparationem ad intellectum, à quo dependet, cui comparatur per ſe.* Deinde iuxta hanc concluſionem ita concludit, *Dicuntur igitur res artificiales falſæ ſimpliciter, & ſecundùm ſe, in quantum deficiunt à forma artis. Vnde dicitur aliquis artifex opus falſum facere, quando deficit ab operatione artis.* Illud, *ſecundùm ſe*, ſatis declarat iſtam falſitatem eſſe in rebus per denominationem intrinſecam & in eſſendo, ſicut propter eandem rationem ſupra quæſt. 16. art. 1. docuerat, veritatem tranſcendentalem in ordine ad intellectum diuinum eſſe intrinſecam in eſſendo. Fundamentum eſt, quia ipſum eſſe intrinſecum operis artificioſi pendet ab idea artificis, tanquàm menſuratum & regulatum à ſua mẽſura & regula. Ergo ſicut conformitas operis cum hac regula eſt veritas in eſſendo intrinſeca, ita eiuſdem operis difformitas ab eadem regula eſſe debet falſitas in eſſendo intrinſeca. Confirmatur, quia iſta falſitas nõ poteſt eſſe in idea artificis, quam ſupponimus eſſe bonam & verã ideam, cui conformari debeat opus ideatum. Ergo non poteſt operi conuenire per extrinſecam denominationem à falſitate intellectus artificis: ergo non eſt falſitas in repræſentando; ergo eſt falſitas in eſſendo, conueniens operi per denominationem intrinſecam, ex eo quòd ipſum eſſe operis intrinſecum deficit à commenſuratione ſuæ ideæ. Et ideo hæc falſitas, quæ eſt particularis, non tranſcendentalis, cum conueniat tantum quibuſdam entibus, nimirum artefactis, & non aliis infinitis, naturalibus & ſupernaturalibus, vocatur à Sancto Thoma hic, falſitas *ſimpliciter*, & alia conueniens omnibus entibus, quæ propterea tranſcendentalis propriè eſt, vocatur falſitas *ſecundùm quid*, quia prima pendet ab intellectu non ſolũ vt cognoſcente, ſed etiam vt cauſa eſſendi; hæc verò pendet ab intellectu vt cognoſcente tantum. In quo etiam differt falſitas tranſcendentalis à

*Quarta concluſio. Falſitas intrinſecè eſſe poteſt in rebus artificialibus.*

S. Thom.

*Differentia inter prædictam falſitatem, & falſitatem tranſcẽdentalem.*

tranſcen

tranſcendentali veritate, quæ eſt veritas ſimpliciter pendens ab intellectu diuino & vt cognoſcente, & vt cauſante.

10. *Prima obiectio.* Obiicies primò. Sequeretur ex dictis, falſitatem tranſcendentalem eſſe quartam quandam entis paſſionem ab aliis tribus vulgatis paſſionibus diſtinctam.

*Reſpondetur falſitatem nõ eſſe paſſionem entis.* Reſpondeo negando ſequelam: tum quia falſitas ex oppoſita veritate, quæ perfectior ſimpliciter eſt, dignoſci facile poterat; vnde ſicut non multiplicatur paſſio mali ſupra paſſionem boni, ita nec multiplicari debet paſſio falſi ſupra paſſionẽ veri: tũ quia falſitas tranſcendentalis conuenit enti quatenus enti per denominationẽ extrinſecam, & ideò non tam eſt falſitas entis quàm falſitas cognitionis: paſſio verò entis quatenus entis debet conuenire intrinſecè enti quatenus enti ſecundùm intrinſecam ſuam eſſendi rationem. *Falſitas præſupponit veritatem.* Tum potiſſimum quia falſitas ex natura ſua eſt poſterior veritate: de nulla enim re dicere poſſumus eſſe alteri difformem, niſi præſupponatur eſſe vera res, & habere in ſe aliquod verum eſſe, quod neceſſarium eſt ad fundandam difformitatem cum aliis rebus, quæ non ſunt ipſa; v. g. dici non poſſet, ens reale eſſe falſum ens rationis, ſeu difforme enti rationis, niſi præſupponatur, illud eſſe in ſe verum ens reale. *Probatur ex Sancto Thoma.* Quoniam, vt hoc ipſum bene probat S. Thomas de Veritate quæſt. 1. art. 10. ad 5. *oportet quòd illud, quod falſum dicitur, aliquod ens ſit: vnde cum omne ens, in quantum huiuſmodi, ſit verum, oportet falſitatem, in rebus exiſtentem, ſupra veritatem fundari. Vnde dicit Auguſtinus in libro Soliloquiorum*, nempe libro 2. cap. 10. *quod Tragœdus, qui repræſentat alienas perſonas in theatro, non eſſet falſus Hector, niſi eſſet verus Tragœdus. Similiter equus pictus non eſſet falſus equus, niſi eſſet vera pictura.* eamdemque doctrinam breuius tradit infra art. 4. ad 2. Auguſtinus.

11. *Secũda obiectio ex Vazquez.* Obiicies ſecundò ex Vazquez diſp. 77. cap. 2. num. 5. contendente, falſitatem, ſicut & veritatem, nullo modo eſſe in aliqua re, contra quartam concluſionem. *Domus,* inquit, *ſi ab idea ita deficiat, vt cum ea non conformetur, aut ita deficit, vt non habeat omnia, quibus eſſentialiter conſtare debebat, & ſic non eſt falſa domus, quia non eſt domus: aut habet omnia, quibus eſſentialiter conſtituitur, manet tamen minus polita, & perfecta, quàm ars conſummata poſtulabat, & ſic eſt vera domus, ſed non bona; ei namque ſolum deficit integritas, & conſummatio, quæ vt eſt bonitas, non veritas domus; ita defectus integritatis eſt malitia, non falſitas.*

*Reſpondetur domum quomodocũque deficiat ab idea, ſemper eſſe falſam.* Reſpondeo, domum quomodocumque deficiat ab idea artis, eſſe falſam domum; ſi deficiat ab aliquo eſſentiali, eſſe falſam eſſentialiter; ſi deficiat ab aliquo accidentali, eſſe falſam accidentaliter: quia in vtroque caſu haberet difformitatem aliquam cum intellectu artificis à quo per ſe dependet. Quare cum arguitur, *non eſt domus, ergo non eſt falſa domus*, conſequentia eſt manifeſtè falſa, quia ex dictis Philoſophi, Sanctorum Auguſtini & Thomæ ſuperius adductis, falſitas rerum non fundatur in eſſe, ſed in non eſſe. Sicut igitur eſſe domum, fundat in ſe veritatem domus, ita non eſſe domum, fundare in ſe debet falſitatem domus. Quare ſicut valet hæc conſequentia, *eſt domus, ergo vera domus*; ita à contrario valet, *non eſt domus, ergo eſt falſa domus*. Deinde cùm de ea, quę eſt eſſentialiter domus, arguitur, *Ei ſolum deficit integritas*, cuius defectus eſt malitia, non falſitas, negandum ſimpliciter eſt antecedens; quia formalius loquendo, ei deficeret conformitas cum idea artificis de integritate & omnimoda perfectione domus: in quo defectu conſiſtit formaliter falſitas, non malitia; ſicut in conformitate, illi oppoſita, conſiſtit formaliter veritas, non bonitas.

12. *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò, quia ſecunda concluſio minùs concordare videtur cum quarta: ſicut enim quædam res artefactæ pendent ab idea humani artificis, & ideo ſunt intrinſecè & ſecundùm ſe falſę in eſſendo per comparationem ad intellectum humanum, vt dicitur in quarta concluſione; ita omnes ſimpliciter res creabiles pendent ab idea diuini artificis. Ergo pariter omnia dici debent intrinſecè & ſecundùm ſe falſa in eſſendo per comparationem ad intellectum diuinum, quod negamus concluſione ſecunda & tertia.

*Reſpondetur res poſſe deficere ab idea creata, non autem ab increata.* Reſpondeo, antecedens eſſe ſimpliciter falſum: nam res artefactæ ita pendent ab idea humani artificis, vt poſſint ab illa deficere reſpectu eiuſdem intellectus artificis, qui cum ſit artifex imperfectus, poteſt intendere velle operari ſecundùm aliquam ſuam ideam, & tamen non aſſequi perfectam illius ideæ rationem; vnde in ideato oritur intrinſeca falſitas in eſſendo per comparationem ad intellectum humanum. Res verò omnes ita pendent à diuinis ideis, vt nulla planè res, in quantum dependens ab aliqua idea diuini intellectus poſſit ab illa deficere reſpectu eiuſdem intellectus; quia cum Deus ſit perfectiſſimus artifex, impoſſibile eſt vt velit intendere operari ſecundùm aliquam ideam, & illius ideæ rationem non perfectè aſſequatur in opere ſuo. Enimverò etiam quando fit, v. g. homo monſtroſus, ac proinde difformis diuinæ ideæ de homine perfecto, adhuc in monſtro non eſt falſitas per ordinem ad intellectum diuinum; quia tunc Deus non operatur monſtrum dependenter ab idea perfecti hominis, ſed dependenter ab alia idea monſtri, cui opus perfectè conformatur; & ſic nullum opus, vt dependens ab idea diuini intellectus, poteſt eſſe falſum, ſed ſemper verum. Quod expreſsè docuit S. Thomas hic aliquanto poſt principium corporis illis verbis, *in rebus dependentibus à Deo falſitas inueniri non poteſt per comparationem ad intellectum diuinum, cum quicquid in rebus accidit, ex ordinatione diuini intellectus procedat.* S. Thomas. Quapropter homo mõſtroſus, eſt quidem difformis diuinæ ideæ hominis perfecti, tamen reſpectu huius ideæ ille dici non poteſt homo falſus, ſed ſolum dici poteſt verum monſtrum reſpectu alterius ideæ quam de monſtro illo habet Deus: quoniam falſitas non eſt quælibet difformitas, ſed difformitas à regula à qua res in ſuo eſſe pendet, cui propterea res in ſuo eſſe conformari debet, & tamen ex defectu operantis non conformatur: ſicut veritas non eſt quælibet conformitas, ſed ſolum conformitas cum ſua regula. At homo ille monſtroſus, cum ad illum concurrit Deus, non fit dependenter à regula ideæ hominis perfecti, à qua difformis eſt, ſed ab alia idea monſtri, cui conformatur: ergo nulla res per comparationem ad intellectum diuinum eſſe poteſt falſa, ſed vera dumtaxat.

---

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm in ſenſu ſit falſitas.*

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Declarantur termini quæſtionis. num. 1.*
2 *Falſitas eſt ſimpliciter in ſenſu, ſed non vt in cognoſcente. num. 2. & 3.*





3 *Senſus circa propria ſenſibilia non eſt per ſe falſus, ſed per accidens. num. 4. ad 8.*
4 *Circa ſenſibilia communia ſenſus ſæpe fallitur. n. 8. & 9.*
5 *Sæpius fallitur circa ſenſibilia per accidens. n. 10.*

### COMMENTARIVS.

1. *Exponitur ſenſus quæſtionis.* IN hoc articulo, & ſequenti, vbi idem quæritur de intellectu, agitur de falſitate, non vt tranſcendentali, ſed vt repræſentatiua, cum proprium cognitionis ſenſitiuæ & intellectiuæ ſit repræſentare obiecta; vnde oritur quæſtio, an in huiuſmodi repræſentationibus poſſit eſſe falſitas in repræſentando obiectum aliter ac eſt in re; cuius quæſtionis reſolutio ferè conſtat ex dictis ſupra quæſt. 16. articul. 2. & ideo breuiſſimè indicabo concluſiones huius articuli, earúmque probationes loco citato.

2. *Prima concluſio. Falſitas non eſt in ſenſu vt in cognoſcente.* Prima concluſio. Falſitas, quemadmodum & veritas, non eſt in ſenſu, *ſicut in cognoſcente verum & falſum.* Ita initio corporis, & in reſponſione ad 3. Patet ex dictis ſupra quæſtione 16. articul. 2. num. 4. & articul. 2. dub. 2. vnde in num. 19. huius concluſionis ratio deſumitur, quia cognitio veritatis & falſitatis non contingit niſi per actum reflexum, qui repugnat ſenſui, vt probatur in libris de anima.

3. *Secunda concluſio. Falſitas ſimpliciter eſt in ſenſu.* Secunda concluſio. *Contingit falſitatem eſſe in ſenſu, ex hoc quòd apprehendit, vel iudicat res aliter quàm ſint:* ſicut contingit in eodem eſſe veritatem, *eo quod apprehendit res vt ſunt.* Ita paulò poſt principium corporis; patet ex dictis quæſt. 16. art. 2. num. 4. 5. & deinceps, præſertim num. 12. & ex mox dicendis.

4. *Tertia concluſio. Falſitas non eſt in ſenſu circa propria ſenſibilia.* Tertia concluſio. *Circa propria ſenſibilia ſenſus non habet falſam cognitionem, niſi per accidens, & in paucioribus, ex eo ſcilicet, quòd propter indiſpoſitionem organi, non conuenienter recipit formam ſenſibilem. Et inde eſt, quòd propter corruptionem linguæ, infirmis dulcia amara eſſe videntur.* Ita poſt medium corporis, & propriè pertinet ad materiam de anima ſenſitiua. *Ex Ariſtotele ſenſibile diuiditur in per ſe, & per accidens.* Et ideo breuiter meminiſſe oportet ex Philoſophô 2. de anima 63. & 65. ſenſibile in communi eſſe duplex, aliud *per ſe*, aliud *ſecundùm accidens*: & hoc ſecundum explicat exemplo, *vt ſi*, inquit, *album*, quod eſt per ſe & proprium obiectum viſus, *ſit Diaris filius; ſecundùm accidens enim hoc ſentit; quoniam accidit albo hoc, quod ſentit.* hoc eſt, videns album, videt quoque filiũ Diaris, ſed per accidens, quia eſſe filium Diaris accidit albo. Vnde deducit, potentiam ſenſitiuam *nihil pati à ſenbiſili ſecundum quod huiuſmodi eſt*; nempe, ſecundum quod eſt filius Diaris, ſed ſecundum quod eſt album. *Ad ſenſibile per accidens requiri tria.* Ex qua doctrina colligere poſſumus, tria requiri ad ſenſibile per accidens, primò vt coniungatur cum ſenſibili per ſe: obſeruauimus enim in Ariſtotele illud ſæpe vocari tale per accidens, quod coniungitur cum re, cui talis denominatio verè ac per ſe conuenit: vt quia priuatio coniungitur cum materia, quæ per ſe eſt principium compoſiti, dicitur compoſiti principium per accidens: & quia muſicus coniungitur cum ædificatore, qui per ſe ædificationem cauſat, dicitur ædificare per accidens; & ſic de aliis. Secundò vt accidat ſenſibili per ſe, in ratione ſenſibilis; ita vt ſenſibile per ſe, poſſit percipi aliquo ſenſu, etiamſi illi annexum non ſit ſenſibile per accidens; quo modo filiatio accidit albo, & muſicus ædificatori quatenus ædificatori: & propter hanc ſecundam conditionem puto, quantitatem non eſſe ſenſibilem per accidens, quia eſt neceſſaria conditio ſenſibilis; nulla enim res à noſtris ſenſibus corporeis ac materialibus percipi poteſt niſi ſit quanta. *Quantum nõ eſſe ſenſibile per accidens.* Tertiò vt in illud non feratur propriè ac per ſe ſenſus; hoc enim eſt quod docet Philoſophus, ſenſum à ſenſibili per accidens *nihil pati.* *An ſenſibile per ſe poſſit eſſe ſenſibile per accidens.* An autem ſenſibile per accidens à nullo ſenſu ſentiri debeat, vt filiatio, ſubſtantia; an verò poſſit ab vno ſentiri, ſed non à reliquis, vt dulce quod coniungitur cum pomo albo, & ſentitur à guſtu, non tamen à viſu, vel tactu, non eſt ſatis certum. Sed dicendum arbitror, vtrumque genus ſenſibilis eſſe ſenſibile per accidens; illud quidem ſimpliciter, hoc eſt, à nullo prorſus ſenſu perceptibile; hoc verò ſecundùm quid, hoc eſt, reſpectu vnius, nõ reſpectu alterius, vt dulce reſpectu albi, & viſus, eſt ſenſibile per accidens, reſpectu guſtus eſt ſenſibile per ſe. *Quid ſit ſenſibile per ſe.* Ex his facilè apparet quid ſit ſenſibile per ſe, quod opponitur ſenſibili per accidens: eſt enim omne illud, quod ita verè ac propriè à ſenſu cognoſcitur, vt per ſe terminet ſenſationem, vt quantitas, coloratum, dulce, & ſimilia. *Sẽſibile per ſe ſubdiuiditur ex Ariſtotele in proprium, & commune.* Hoc ab Ariſtotele ibidem text. 63. ſubdiuiditur in ſenſibile proprium, & commune. Proprium definitur, *quod non contingit alio ſenſu ſentiri*, ſed vno tantum: vt color eſt ſenſibile proprium viſus, ſonus auditus, ſaſpor guſtus, odor odoratus, quatuor primæ qualitates, & durum, & molle, & pleraque his ſimilia ſunt proprium ſenſibile tactus. Senſibile commune in text. 64. definitur, *quod nullius ſenſus eſt proprium, ſed commune omnibus*, & huius generis quinque ſenſibilia numerantur, *motus, quies, numerus, figura, magnitudo.*

5. His præcognitis, probatur concluſio ex Ariſtotele, & clariſſimis experientiis. Etenim Ariſtoteles de hac re duo docet. Primum abſolutè in citato text. 63. *Quod ſenſus circa proprium ſenſibile non contingit decipi.* Secundum magis limitatè infra in text. 161. *Senſus propriorum quidem eſt verus, aut quàm pauciſſimum habens falſum.* *In quo ſenſu concluſio ſit vniuerſaliter vera.* Prima propoſitio ſimpliciter prolata habere poteſt vniuerſalem veritatem, ſi intelligatur, vel de ſenſu circa proprium ſenſibile, ſub ratione tamen communi & adæquata ſenſibili; vt circa album, quatenus coloratum; circa ſonum acutum, quatenus ſonus ſimpliciter eſt: & iuxta hunc primum modum dixiſſe videtur Ariſtoteles citato text. 63. *Vnuſquiſque non decipitur, quòd color ſit, neque quòd ſonus*; ſi enim ſenſus non hoc, ſed aliud perciperet, iam ferretur extra terminos obiecti adæquati: vel de ſenſu, poſitis tribus conditionibus, primò vt ſit organum rectè diſpoſitum. Secundò vt medium etiam non ſit male diſpoſitum. Tertiò vt ſit diſtantia proportionata inter ſenſum & ſenſibile. *Quibus modis ſẽſus poſſit eſſe falſus circa propria ſenſibilia.* Ex defectu primæ conditionis, vinum dulce videtur febricitantibus amarum; cum enim eorum lingua infecta ſit cholera, quæ amara eſt, fit vt vinum etiam mala illa qualitate inficiatur, & non ſolum appareat, ſed verè reddatur amarum. Sic etiam ictericis habentibus oculos flaua bili aſperſos, omnia videntur flaua; & iis, qui oculorum ſuffuſione laborant, omnia cruenta apparent. Item ſi quis diu intueatur lucem, deinde conuertat oculos ad locum paulò obſcuriorem, omnia illi videbuntur tenebroſa, quo pacto non videbantur antea, propter indiſpoſitionem organi, cum à vehementiori ſenſibili ſpiritus ſint nimium diſtracti, ita vt non poſſit ſenſus moueri à minori ſenſibili, & illud perfectè percipere. Ex defectu ſecundæ, cernenti per vitrum rubrum, omnia videntur rubra; & qui matutinum ſolem

conſpiciunt, rubrum apprehendunt ob interiectos vapores. Ex defectu tertiæ, album à longè poſitum percipitur pro nigro; & turris quadrata, videtur è longinquo rotunda, quia ob nimiam diſtantiam, angulorum prominentiæ non poſſunt diſtinctè repræſentari.

6. Secunda propoſitio, nempe, ſenſus circa proprium ſenſibile aliquando decipitur, eſt intelligenda de ſenſu ſecundùm ſe, & circa proprium ſenſibile etiam ſub ratione particulari: contingit enim aliquando vt deſit aliqua ex tribus allatis conditionibus, & tunc neceſſe eſt aliquem errorem ex ſupradictis in ſenſu contingere. Interdum etiam licet non erremus in re, erramus tamen in modo rei. v. g. videmus quidem lumen aut albedinem, ſed non totam luminis, aut albedinis intenſionem.

7. *Inſtantia.* Dices, *ſenſus* operatur per ſpeciem, ſed ſpecies, cum ſit naturalis imago obiecti, ſemper repræſentat obiectum tale, quale verè eſt. ergo ſenſatio erit ſemper conformis obiecto ſecundùm ſe, ac proinde vera.

*Reſpondetur ſpeciem quoque falsò repræſentare.* Reſpondetur, ſpeciem ſecundùm ſe conſideratam, & poſitis omnibus requiſitis, repræſentare obiectum ſicuti eſt; tamen nonnunquam ex aliquo accidente repræſentare aliter ac eſt: vt vel ſi refrangatur, vel ſi cum lumine, aut aliis ſpeciebus commiſceatur, vel ſi propter diſtantiam, adeò remiſſa ad organum perueniat, vt nequeat perfectè repræſentare totum obiectum ſicuti eſt; vel alia ſimili ex cauſa, quam cùm poſſimus per alios ſenſus, aut per intellectum ipſum dignoſcere, ac proinde ſenſus errorem deprehendere, fit vt noſtræ ſcientiæ certiſſimæ eſſe poſſint, quamuis ex ſenſuum exprimento originem ducant.

8. *Quarta concluſio. Senſus ſæpe fallitur circa ſenſibilia communia.* Quarta concluſio. Poſitis cæteris paribus, nimirum debita diſpoſitione organi, medij, & aliqua diſtantia, ſenſus circa ſenſibilia propria vel nunquam, vel rarò falſus erit, vt probatum eſt; circa ſenſibilia verò communia ſæpiſſimè. v. g. non apparebit album, quod eſt verè nigrum, ſed error facilè erit circa numerum; putabimus enim eſſe vnum, cum ſint duo: item circa figuram, vt ſintne alba oblonga, an rotunda: & circa motum, & quietem; videbitur enim quieſcens moueri, & quod mouetur quieſcere: & circa magnitudinem; apparebit enim paruum album, quod eſt magnum. Iuxta hanc concluſionem accipio S. Thomam in fine corporis illis verbis, *De ſenſibilibus communibus poteſt eſſe falſum iudicium, etiam in ſenſu rectè diſpoſito.* (S. Thom.)

9. *Probatur concluſ. ex Ariſtotele.* Probatur concluſio primò ex Philoſopho 2. de anima 161. vbi ait, *Circa ſenſibilia communia maximè iam eſt decipi ſecundum ſenſum.* Secundò experientiis. *Probatur experientijs.* Prima ſit de nautis, qui à longè vident nauigia alba, & in hoc non decipiuntur, tamen decipiuntur in numero, ſintne decem vel vndecim; & in magnitudine, quia videntur cymbæ, cùm ſint naues; & in figura, quia non diſcernunt ſintne triremes, an naues; & in motu, ac quiete, quia videntur quieſcere, cùm moueantur, vel moueri, cùm quieſcant. Secunda de intuentibus aſtra, omnia enim apparent lucida; & in hoc ſenſibili proprio, ſenſus verus eſt, in communibus verò ſenſibilibus falſus; nam ſol & aſtra videntur ſtare, & tamen maximè mouentur; videntur parua, cùm ſint magna; videntur in numero longè maiori, quàm verè ſint. Tertia de nauigantibus, quibus littora, & arbores in littore videntur moueri, cum quieſcant, & tamen benè vident cuius illa coloris ſint. *Probatur ratione S. Th.* Probatur tertiò ratione S. Thomæ in fine corporis, *quia ſenſus non directè refertur ad ſenſibilia communia, ſed ex conſequenti, in quantum refertur ad alia.* Quod arbitror eſſe intelligendum, non quòd ſenſibilia communia per ſe & immediatè non ſentiantur, & ſenſationem verè terminent, cum conſtet, nos per ſe & immediatè *vt quod*, videre quantitatem, & figuram; ſed ſolum quia ratio ſentiendi ſenſibile commune eſt ſenſibile proprium; v. g. ratio videndi quantitatem eſt color, & ideò quantitas dici poteſt videri mediatè *vt quo*, color verò immediatè *vt quod, & vt quo*: vnde, vt probaui in 2. libro de anima, ſenſibilia communia non habent propriam ſpeciem, quam ſenſibus imprimant, ſicut habent ſenſibilia propria, ſed tantum modificationem quandam; *Senſibilia cõmunia non habent ſpeciẽ ſicut propria.* quod ſignificat S. Thomas ante medium corporis, cùm docet, in ſenſu ſpecies propriorum ſenſibilium eſſe *primò & per ſe*; communium verò eſſe *per ſe, ſed non primò*. (S. Thomas.) Quo fit, vt in pari diſtantia ſenſibilia communia debilius immutare poſſint potentiam ſenſitiuam, quàm ſenſibilia propria.

10. *Quinta concluſio. Senſus eſt ſæpe falſus circa ſenſibilia per accidens.* Quinta concluſio. Quod dictum eſt de falſitate ſenſus circa ſenſibilia communia, idem dicendum de falſitate ſenſus circa ſenſibilia per accidens, nimirum eam frequentiſſimè accidere. Vnde S. Thomas in fine corporis ſenſibilia communia, & ſenſibilia per accidens ſimul poſuit quoad falſitatem, dicens, *De ſenſibilibus verò communibus, & per accidens, poteſt eſſe falſum iudicium, etiam in ſenſu rectè diſpoſito.* (S. Thom.) Similiter Philoſophus 2. de anima 63. (Ariſtoteles.) cum docuiſſet, ſenſum non decipi circa propria ſenſibilia, ſubdit, decipi circa alia ſenſibilia per accidens, nimirum applicando ſenſibilia propria ad ſubiectum & locum; vt, inquit, *quid ſit coloratum, aut vbi*, v. g. an ſit canis, vel lupus, an ſit in littore, vel in mari; an longè, vel propè: *aut quid ſonans, aut vbi*, v. g. an ſonans ſit tuba, vel tympanum; & vbi ſit ſonans, in illo vel alio loco, in hac vel illa diſtantia. Et t. 161. *Senſus eius, cui accidunt propria ſenſibilia, contingit vt falſus ſit; quod enim album ſit, non eſt falſus*, ſcilicet poſitis tribus conditionibus numeratis ſupra num. 5. *ſi autem album hoc, aut aliud quiddam, falſus eſt.* quæ verba declaraui ſupra quæſt. 16. art. 2. n. 12. *Probatur ratione S. Thomæ.* Ratio S. Thomæ aperta eſt, quia ad huiuſmodi ſenſibilia *ſenſus non directè refertur, ſed per accidens*; ita vt ſpecies ſenſibilium per accidens non ſit in ſenſu, vt ſuperius dixerat, nec primò, nec per ſe, ſed per accidens. Vnde maior ſenſus falſitas videtur oriri circa hæc ſenſibilia, quàm circa ſenſibilia communia, quorum ſpecies dixerat in ſenſu eſſe per ſe, licet non primò.

---

## ARTICVLVS III.

### *Vtrum falſitas ſit in intellectu.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quod falſitas non ſit in intellectu, &c.

1. TOTA doctrina huius articuli continetur tribus concluſionibus accuratè probatis ſupra quæſt. 16. artic. 2. per totum. *Prima concluſio.* Prima concluſio. Non poteſt per ſe eſſe falſitas in prima intellectus operatione, concipiente ſimpliciter quod quid eſſe rei; ſicut nec in ſenſu circa ſenſibilia propria. Ita n. 9. & 10.

2. *Secunda concluſio.* Secunda concluſio. *Per accidens etiam in prima operatione intellectus qua cognoſcit quod quid eſt, poteſt eſſe falſitas in quantum ibi compoſitio intellectus admiſcetur.* quam compoſitionem num. 2. declaraui non eſſe formalem ex parte ipſius actus intelligendi, ſed obiectiuam ex parte rerum intellectarum. Probata eſt concluſio num. 11. 12. & 13. quæ, inquit S. Thomas, poteſt duobus modis contingere; primò, *ſecundum quod intellectus diffinitionem vnius attribuit alteri, vt ſi diffinitionem circuli attribuas homini.* Secundò, *ſecundum quod partes diffinitionis componit ad inuicem, quæ ſimul ſociari non poſſunt, vt animal rationale quadruples.*

3. *Tertia cõcluſio.* Tertia concluſio. Secunda operatio intellectus, ſiue in componendo, ſiue in diuidendo, poteſt eſſe falſa, ſi nimirum iudicet ineſſe ſubiecto aliquod prædicatum, quod re ipſa non ineſt; vel non ineſſe quod verè ineſt. Et in hoc intellectus aſſimilatur ſenſui circa ſenſibilia communia, & ſenſibilia per accidens, circa quæ ſenſum falſum eſſe diximus; cum hac tamen differentia, *quod falſitas in intellectu eſſe poteſt, non ſolum quia cognitio intellectus falſa eſt, ſed quia intellectus eam cognoſcit, ſicut & veritatem: in ſenſu autem falſitas non eſt vt cognita.* Ita loco citato dubitatione 2. per totam, & in hac quæſt. 17. art. præcedente.

---

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm verum, & falſum ſint contraria.*

### Ad quartum ſic proceditur. Videtur quod verum, & falſum non ſint, &c.

1. *Reſponſio affirmatiua declaratur.* RESPONDET S. Thomas, verum, & falſum opponi, non purè negatiuè, ſeu contradictoriè, quia determinant ſibi aliquod ſubiectum, nempe cognitionem; neque priuatiuè, ſed contrariè, quia & determinant ſibi ſubiectum, ſicut priuatio, quæ definitur negatio in ſubiecto apto, & ponunt aliquid in ſubiecto, quod eſt proprium duarum formarum oppoſitarum oppoſitione propriè contraria, cuiuſmodi ſunt albedo & nigredo, frigus & calor; circa quam concluſionem neceſſe eſt aduertere tria.

2. *Concluſio intelligenda de vero, & falſo formaliter.* Primum non poſſe intelligi de vero, & falſo fundamentaliter: tum vniuerſaliter, quia omnia contraria ratione fundamenti conueniunt potius, quàm opponantur, cùm idem ſubiectum ſit ſuſceptiuum duarum formarum contrariarum, ſcilicet ſucceſſiuè, modo exiſtens ſub vna, modo ſub alia; v. g. eadem manus modo calida, modo frigida; idem paries modo albus, modo niger. Vnde idem S. Thomas ſupra art. 1. initio corporis docuerat, (S. Thom.) *Verum, & falſum*, & vniuerſalius, *oppoſita eſſe circa idem.* Sed oppoſita ſunt plura ac diuerſa, non vnum & idem. Ergo verum, & falſum, fundamentaliter ſumpta, dici non poſſunt oppoſita: tum particulariter, quia eadem enunciatio, ſiue mentalis, ſiue etiam vocalis inuariata omnino quoad intrinſecam vim ſuam repræſentandi & ſignificandi, nunc eſt vera, paulò poſt falſa, vt ex Ariſtotele notaui ſupra q. 16. artic. 1. n. 22. ergo contraria oppoſitio, quam inter ſe habent verum, & falſum, debet in aliis formalibus rationibus conſiſtere, quàm in ſubiecto ac fundamento.

3. Secundum, eſſe intelligendam concluſionem de oppoſitione ex parte actus, non ex parte obiecti: *Concluſio intelligenda de oppoſitione ex parte actus, non obiecti.* ſi enim per vnum actum verum dicas, *homo eſt riſibilis*, & per alium actum falſum illi oppoſitum dicas, *homo non eſt riſibilis*, iam ex parte obiecti eſt oppoſitio contradictoria, vt patet; quia riſibile & non riſibile ſine dubio opponuntur contradictoriè. Et ideo prædicti duo actus, quamuis in ſe ipſis ſint duæ formæ poſitiuæ, tamen propter formalem & expreſſam contradictionem ex parte obiecti actualiter cogniti non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu. Ergo ſi oppoſitio inter verum, & falſum, non eſt contradictoria, ſed alterius ſpeciei, quæ dicitur oppoſitio contraria, eſt explicanda per oppoſitas rationes poſitiuas, exiſtentes in actu, non in obiecto. Et in hoc ſenſu benè dixit Syluester prima parte conflati, quæſt. 17. art. 4. initio, (Syluester.) *Quod verum, & falſum; vt ſunt in rebus, ſunt eſſe, & non eſſe.*

4. *Concluſio intelligenda de oppoſitione poſitiua relatiua.* Tertium, cum dicitur, verum & falſum opponi contrariè, eſt idem ac ſi diceretur, opponi poſitiuè; & non eſt intelligendum de opponi contrariè, vt diſtinguitur ab opponi relatiuè, ſed de opponi contrariè, vt diſtinguitur ab opponi contradictoriè, ſeu negatiuè & affirmatiuè; ſequitur ex probatis ſuprà quæſt. 16. artic. 1. de vero, quod ſupra ens & intellectum addat formaliter rationem aliquam relatiuam, ſiue realem, ſiue rationis. ergo ratio falſitatis oppoſita illi poſitiuè, eſſe etiam debet aliquo modo relatiua. Ita igitur erunt inter ſe oppoſita verum & falſum formaliter, ſeu conforme & difforme, ſicut in communi Peripateticorum opinione oppoſita eſſe dicuntur ſimile & diſſimile, æquale & inæquale, & ſimilia correlatiua; vt rectè adnotauit Molina hic §. *circa vltimum.* (Molina.)

---

# QVÆSTIO XVIII.

## *De Vita Dei in quatuor articulos diuiſa.*

## Quoniam autem intelligere viuentium, eſt poſt conſiderationem, &c.

---

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm omnium naturalium rerum ſit viuere.*

### Ad primum ſic proceditur. Videtur quod omnium rerum naturalium ſit, &c.

1. *Concluſio negatiua.* RESPONDET negatiuè, quia, inquit, *illa propriè ſunt viuentia, quæ ſeipſa ſecundùm aliquam ſpeciem motus mouent; & quæcunque ſe agunt ad motum vel operationem aliquam.* Sed hoc non conuenit omnibus rebus naturalibus, ſed tantum ſubſtantiis intelligentibus, ſentientibus, & vegetantibus; non autem aliis ſubſtantiis corporeis inani

inanimatis. ergo non omnium naturalium rerum eſt viuere.

*Obiectio ex motu grauiū, & leuium.*

2. Contra hunc veriſſimum ac facillimum diſcurſum nulla alia difficultas moueri poteſt, niſi ex corporibus grauibus, & leuibus, quæ inanimata & non viuentia ſunt, & tamen ipſamet ab intrinſeco propriæ naturæ principio ſeſe localiter mouent.

*Reſponſio S. Thomæ.*

Reſpondet Sanctus Thomas hic ad ſecundum, motum grauium, & leuium non eſſe vitalem, & conſequenter, ea non eſſe viuentia, ob duas rationes. Primò, quia illis, inquit; *non competit moueri, niſi ſecundùm quod ſunt extra diſpoſitionem ſuæ naturæ, vt pote cum ſunt extra locum proprium: cum enim ſunt in loco proprio & naturali quieſcunt.* Secundò, quia *mouentur à motore extrinſeco, vel generante, qui dat formam; vel remouente prohibens, vt dicitur in 8. Phyſicorum; & ita non mouent ſeipſa, ſicut corpora viuentia.*

*Quid ſit moueri vitaliter.*

3. Prima ratio optima eſt, ex qua habemus, quod moueri vitaliter, non eſt moueri ſimpliciter à ſuo intrinſeco principio, ſic enim verè mouentur grauia, & leuia, & verè mouetur aqua calida, dum ad ſuam naturalem frigiditatem ſe reducit, vt probaui in Philoſophia; ſed eſt moueri à ſuo intrinſeco principio conſtituto in ſuo perfecto ſtatu naturali; omnes enim vitæ gradus, vt bene dixit Suarez in Metaphyſica diſp. 30. ſect. 14. num. 14. *in hoc conueniunt, quod ab intrinſeco operantur in ſuo connaturali, ac perfecto ſtatu.* Hoc igitur eſt proprium viuentis, vt etiam quando illi nihil deeſt ad perfectam conſtitutionem naturæ ſuæ, adhuc habeat poſſe ſe mouere ad aliquid. Sic viuens anima vegetatiua ſe vitaliter mouet in nutritione, augmentatione, generatione per ſeminis intra ſe formationem. Sic etiam viuens anima ſenſitiua ſe mouet ad ſentiendum, & ad locum. Sic denique viuens anima rationalis ſe mouet ad intelligendum & volendum: non ſic autem ſe mouent localiter grauia, & leuia, quia quando ita ſe mouent, non ſunt perfectè conſtituta in ſuo proprio ac naturali loco: non ſic ſe alternatiuè mouet ad frigus aqua calida, quia tunc non eſt perfectè conſtituta cum illis qualitatibus, quas aquæ natura poſtulat. *Suarez.*

*Quo modo grauia, & leuia moueantur à generante.*

4. Secunda ratio, ne diſcordet à prima, in qua benè ſupponitur, grauia, & leuia moueri ab intrinſeco principio, eſt intelligenda de generante & extrinſeco motore, non per veram influentiam, ſed per rationabilem attributionem, vt fuſiùs oſtenſum eſt in Philoſophia. Huius attributionis ratio non eſt ex eo quod generans dedit formam, cuius vi mouentur grauia, & leuia, vt aliqui diſcurrere videntur; hoc enim modo tribui etiam generanti poſſet motus animalium, & aliorum viuentium, quæ pariter à generante acceperunt formam à qua mouentur; ſed eſt ex eo quod, vt bene ratiocinatur hoc loco Caietanus, motus grauium, & leuium eſt ad proprium locum, qui ſpectat ad perfectionem naturalem, ac proinde ad complementum generationis ipſorum. Quicquid autem ad generationem quoquo modo ſpectat, generanti tribui poteſt ac debet, cuius eſt in inſtanti generationis dare omnia quæ ad naturale geniti complementum pertinent. Sapienter igitur docuit Henricus in ſumma art. 27. quæſt. 1. initio corporis, *ei vitam ineſſe, in quo percipimus motum, ſiue operationem per ſeipſum, & ex ſeipſo, & in ſeipſo.* Grauia autem, & leuia mouentur quidem per ſeipſa, & in ſeipſis, tamen non ex ſeipſis: quia non mouerentur per ſe, & in ſe, niſi à generante producta eſſent extra proprium locum; hoc eſt, inquit S. Thomas ſupra, *extra diſpoſitionem ſuæ naturæ:* vel etiam niſi aliquis remoueret quod prohibet ne ad proprium locum moueantur. *Caietanus. Henricus.*

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm vita ſit quædam operatio.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quod vita ſit quædam, &c.

*Vita nomen ſignificat propriè eſſentiā.*

IN hoc articulo de nulla re quæſtio eſt, ſed tantum de nomine. Docet igitur vitæ nomen ſignificare *propriè & principaliter* ſubſtantiam & eſſentiam, *cui conuenit ſecundùm ſuam naturam mouere ſeipſam, vel agere ſe quocumque modo ad operationem*; cui voci in abſtracto correſpondet in concreto hæc vox, *viuere*, quod, inquit, *nihil aliud eſt quàm eſſe in tali natura: vnde viuum non eſt prædicatum accidentale, ſed ſubſtantiale.* In qua ſignificatione dixit Philoſophus 2. de anima 37. *Viuere viuentibus eſſe eſt.* & antea in text. 14. cum dixiſſet, *Vegetabilia omnia videntur viuere*, id ſtatim probat non per operationes vitales, ſed per earum principia, dicens, *Videntur enim in ſeipſis habere potentiam & principium huiuſmodi, per quod augmentum, & decrementum ſuſcipiunt ſecundùm contraria loca.* & l. 9. & hic cap. 9. poſt medium viuere definitur non per ſentire & intelligere, ſed per *poteſtatem ſenſus & intellectionis.* Vnde infra ait, *nos ſentire, vel intelligere, nihil aliud eſt, quàm nos eſſe.* Significare verò *minus propriè* & ſecundariò, ipſas vitales operationes, à quibus, tanquàm à notioribus nomen vitæ aſſumptum eſt, & principaliter impoſitum ad ſignificandum occultum principium eſſentiale. Sicut, inquit, *hoc nomen, Corpus, impoſitum eſt ad ſignificandum quoddam genus ſubſtantiarum*; ſed quoniam has occultas ſubſtantias cognouimus, & conſequenter nominauimus per tres dimenſiones nobis notas, quæ illarum ſubſtantiarum proprietates ſunt, ideo extenſum deinde eſt nomen ad ſignificandum corpus de prædicamento quantitatis. Iuxta hanc ſecundam ſignificationem Ioann. 17. cognitio Dei, quæ eſt quædam vitalis operatio, dicitur *vita æterna*, & loquitur Philoſophus 2. de anima 13. vt fuſè & eruditè oſtendit Henricus in ſumma art. 27. quæſt. 1.

*Ariſtoteles. Minus propriè operationem. Quid ſignificet nomē corporis. Exponitur locus Ioannis 17. Henricus.*

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Deo conueniat vita.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quod Deo non conueniat, &c.

*Prima cōcluſio. Vita in Deo eſt maximè propriè.*

PRIMA concluſio. *Vita maximè propriè in Deo eſt.* Ita S. Th. initio corporis; & videtur de fide certum, quia ſcriptura Deum vocat non ſolum paſſim viuum & viuentem, ſed etiam vitam ipſam. Ioann. 14. *Ego ſum via, & veritas, & vita.* & antea in cap. 5. dicitur, *Pater habet vitam in ſemetipſo.* & 1. Ioann. 5. *Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Vnde Deuteronomij 32. ex ore Domini antonomaſticè dicitur, *Viuo ego in æternum.* & viuens ſimpliciter, vt Apocalyp. 5. *Adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.* & c. 10. *iurauit per viuentem.* Per demonſtrationem etiam Theologicam deducitur eadem concluſio, quæ vt explicata, habet certitudinem fidei, hunc in modum, quem tangit S. Thomas in fine corporis. Omnis intelligens, eſt viuens. Sed Deus eſt maximè propriè, & præſtantiſſimo modo intelligens: ergo Deus eſt maximè propriè, & præſtantiſſimo modo viuens. Maior eſt euidens lumine naturali. Minor eſt certa de fide ex probatis ſupra q. 14. conſequentiæ bonitas eſt euidens: ergo concluſio vt explicata ad fidem pertinet, ex fuſè probatis in primo tomo q. 1. artic. 2. Quod ſi Deus eſt maximè propriè viuens; ergo vita maximè propriè in Deo eſt; quia viuens formaliter non eſt niſi per vitam. 1.

*Exponitur locus Ioannis 5. & 14. & 1. Ioan. 5. & Apocalyp. 5. & 10. Probatur cōcluſio demonſtratione Theologica.*

*Alia concluſionis ratio à priori ex S. Thomæ, & Henrico.*

2. Ratio à priori, quam multis explicat S. Thomas in corpore, & latius proſequitur Henricus in ſumma, art. 27. quæſt. 2. ducitur ex ipſa eſſentiali vitæ ratione, tradita ſupra art. 1. & breuiter eſt hæc. Vbi ſunt motus, ſiue operationes ab intrinſeco, ibi eſt vita. Sed in Deo ſunt operationes intelligendi & volendi, tum in ſe perfectiſſimæ, quia ſunt eſſentialiter ſubſiſtentes cum omnimoda illimitatione, actualitate, ſimplicitate, neceſſitate eſſendi; tum perfectiſſimo modo ab intrinſeco, quia à nullo prorſus extrinſeco pendent; imò etiam intra ipſum Deum non habent aliquod intrinſecum principium à quo producantur, & conſequenter diſtinguantur, ſed ſunt ipſamet intrinſeca ſubſtantia & eſſentia Dei, & actus intelligendi eſt noſtro modo concipiendi cum fundamento in re, & in terminis ipſis diuinis, vltimum conſtitutiuum ipſiuſmet diuinæ eſſentiæ; quæ omnia ex inſtituto probata ſunt in ſuperiori tomo quæſt. 4. art. 2. & hoc vltimum non obſcurè tetigit Henricus ſupra in fine corporis, cum loquitur de hac vita Dei, ait, *Vita non ſolum eſt ipſa eſſentia re, ſicut ſunt alia attributa, imò ratio vitæ eſt ratio eſſentiæ, & ratio viuere eſt ratio ipſius eſſe.* ergo in Deo *maximè*, vt concludit S. Thomas in fine corporis, & vt loquitur Henricus ſupra, *principaliſſimè eſt vita.* Tanta enim vitæ perfectio, & quoad rem ipſam, & quoad modum habendi illam, in nulla cuiuſlibet creaturæ vita eſt, aut eſſe poteſt. *Henricus.*

*Secunda concluſio. Solus Deus eſt ſimpliciter vita per eſſentiā.*

3. Secunda concluſio. Solus Deus dici debet vita, & viuens, ſeu viuus, & viuere per eſſentiam. Colligitur ex illis verbis ad ſecundum; *Sicut Deus eſt ipſum ſuum eſſe, & ſuum intelligere, ita & ſuum viuere: & propter hoc, ſic viuit, quod non habet viuendi principium.* & indiget ſolum explicatione, quoniam res ſufficienter probatæ ſunt loco citato. Vita igitur ſi ſumatur pro quodam ſubſtantiali gradu ſimpliciter, conuenit per eſſentiam analogicè tam Deo, quàm creaturis. Si verò ſumatur magis propriè pro puriſſima vitæ ratione, cui nulla deſit viuendi perfectio, vita per eſſentiam conuenit ſoli Deo, quia vita eſſentialis & ſubſtantialis creaturarum, ita eſt vita, vt ſit viuendi principium ordinatum ad vlteriorem vitam actualem, & accidentalem. ergo non eſt propriè vita abſolutè & ſimpliciter, ſed limitata, & ſecundùm quid. Si demum ſumatur pro ipſa vitali operatione, certū eſt, ſolius Dei vitam dici poſſe vitam per eſſentiam, quia in omnium opinione vitalis operatio, non eſt prædicatum eſſentiale, nec ſubſtantiale creaturæ, ſed merè accidentale, & mutabile; in Deo autem eſt prædicatum ſubſtantiale, quod vel eſt de intrinſeco conceptu eſſentiæ, vel ſaltem cum eſſentia eſſentialiter identificatum, ſecundùm varias opiniones, loco citato diligenter examinatas. Præterea ſi viuens, ſeu viuus, denominentur à vita primo modo ſumpta, conuenit etiam per eſſentiam creaturis; ſi verò à vita ſumpta ſecundo & tertio modo, non conuenit niſi Deo, vt iam probatum eſt. Si denique viuens, ſeu viuus, ſignificet exiſtentiam vitæ, ita vt idem propriè ſit viuens, quod vita exiſtens, ſicut nulla res, ſed ſolus Deus exiſtit per eſſentiam, ita nulla alia res præter Deum eſſe poteſt viuens, & viuus per eſſentiam. Demum quia *viuere*, communiter vſurpatur pro *eſſe*, ſiue exiſtere *in tali natura*, vt dixit S. Thomas art. præcedente, & pro actu ſecundo viuendi; & exiſtentia atque actualitas viuendi conueniunt eſſentialiter Deo, & non creaturæ, ideo ſolus Deus, & nulla creatura dici poteſt viuere per eſſentiam.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm omnia ſint vita in Deo.*

### Ad quartum ſic proceditur. Videtur quod non omnia ſint, &c.

*Concluſio affirmatiua, ex Ioannis 1.*

CONCLVSIO affirmatiua ab omnibus recepta, quam Molin. hîc in fine diſput. ait eſſe de fide. Cui fauet illud Ioann. 1. iuxta expoſitionem Auguſtini, Cyrilli, & S. Thomæ hîc in arg. *Sed contra.* quam poſteriores Theologi communiter ſequuti ſunt, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Quamuis Chryſoſtom. Theophyl. Euthym. & alij aliter interpungant, atque exponant: vt latius refert Bannes hîc in hunc locum. Ratio in corpore articuli, addita maiori explicatione in reſponſione ad 1. & 2. hæc eſt. Creaturæ omnes ſunt in Deo duobus modis: primò realiter in genere cauſæ exequutiuæ, quia per omnipotentiam ſuam omnes producit & conſeruat. Secundò, intentionaliter in genere cauſæ exemplaris, quia omnes cauſat intellectualiter, habens vniuſcuiuſque rei propriam ideam, quæ eſt ipſamet eſſentia diuina provt intellecta imitabilis ab hac, vel illa re ſecundùm proprias earum rationes, ſecundùm quas ſingulæ & in ſeipſis conſtituuntur, & diſtinguuntur ab aliis. Sicut igitur creaturæ ratione primi modi quo ſunt in Deo, ſcilicet eminenter, non formaliter, ſunt ipſum eſſe increatum diuinæ eſſentiæ, provt formaliter eſt virtus, ſeu potentia, de quo modo latè diſſerui in ſuperiori tom. quæſt. 4. artic. 2. concluſ. 1. ita ratione ſecundi modi, ſunt idem eſſe increatum diuinæ eſſentiæ, ſed ſub alia formali ratione; nempe, provt formaliter eſt vita: quoniam ratio cauſæ exemplaris, ſiue idealis eſt formaliter in Deo per intellectionem, ſeu per eſſentiam ſuam vt intellectam, ſicut dictum eſt ſupra quæſt. 15. Dei autem intellectio eſt eſſentialiter & formaliter vita Dei. Et in hoc ſenſu, omnia ſunt vita in Deo, non ſolum quæ in ſeipſis vitam habent, ſed etiam quæ in ſeipſis nullam habent vitæ rationem: quia creaturæ non ſunt vita in Deo, propter vitam propriam, ſed propter vitam ipſius Dei, in quo viuunt, etiam quæ in ſe non viuunt; & in quo viuunt vita omnino incommutabili & ſempiterna, etiam quæ in ſe mutabiliter & tēporaliter viuunt. Quam ob cauſam dici poſſunt creaturæ habere verius, hoc eſt perfectius, eſſe in Deo, quàm in ſeipſis. Quod Auguſtini & Anſelmi dictum, ab omnibus Theologis vſurpatum, exponit S. Thomas hic ad 3. de qua expoſitione, & de tota ipſa re ſatis ſupérque diſputatum à nobis eſt ſupra q. 4. art. 2. à n. 1. ad 10. præſertim n. 9.

*Duplex modus eſſendi creaturarum in Deo. S. Thom.*

# QVÆSTIO XIX.

## *De voluntate Dei, in duodecim articulos diuiſa.*

## Poſt conſiderationem eorum, quæ ad diuinam ſcientiam pertinent, &c.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm in Deo ſit voluntas.*

### Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd in Deo non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1. *Probatur concluſio affirmatiua. n.1.& 2.*
2. *An voluntas Dei dici poſſit appetitus. n.3.*
3. *In Deo non eſt formaliter virtuale principium volitionis. n.4. ad 8.*
4. *An in Deo ſit ſaltem appetitus innatus. n.8. & 9.*

### COMMENTARIVS.

1. *Prima cõcluſio affirmatiua de fide.*

PRIMA concluſio ſimpliciter affirmatiua, eſt de fide. Dei enim voluntatis, & actuum volendi plenæ ſunt ſacræ paginæ. Et ſine voluntate, non eſſet in Deo proceſſio Spiritus ſancti, neque libertas in productionibus ad extra; neque ſaluari poſſet creatio mundi in tempore, neque gratiarum largitio, neque remiſſio peccatorum; & ſexcenta alia ad fidem pertinentia corruerent. Hanc veritatem S. Thomas multis rationibus naturalibus demonſtrat 1.cont.Gent. c.72.ex quibus primam tantùm hîc affert. *Voluntas intellectum conſequitur.* Sed in Deo eſt perfectiſſimus intellectus, vt ſupra q.14.ergo & perfectiſſima voluntas. Maiorem haud facilè probat, vt videre eſt ex contrariis expoſitionibus Caiet.hîc, Sylueſt.1.p. conflati, q.19.art.1.§.3. Vazquez, Val.& aliorum Interpretum. Sed, ne in probatione certiſſimæ veritatis immorer, probationis S. Thomæ ſenſus perſpicuus, ac verus videtur breuiter hic. *Sicut res naturalis habet eſſe in actu per ſuam formam*, v.g. lapis per formam ſubſtantialem lapidis; *ita intellectus intelligens actu per ſuam formam intelligibilem*, hoc eſt, vt paulò poſt ipſemet exponere videtur, per intellectionem, qua apprehenditur bonum conueniens naturæ intellectuali. Sed in re naturali ad formam ſuam conſequitur appetitus naturalis ad bonum ſibi naturaliter conueniens, v. g. ad motum deorſum, & centrum in lapide; ergo in natura intellectuali ad intellectionem omnis boni ſibi intellectualiter conuenientis conſequitur appetitus intellectualis ad idem bonum, quem appetitum voluntatem vocamus; ſicut in natura animalis ad cognitionem ſenſitiuam, qua apprehendit bonum delectabile, naturæ ſuæ ſenſualiter conueniens, conſequitur appetitus ſenſitiuus ad bonum ſenſibile. Quòd autem appetitus naturalis, ſit innatus; appetitus rationalis, aut ſenſitiuus, ſit elicitus, non probatur iſta ratione, ſed alia; nempe, quia ille eſt particularis, & ad vnum determinatus; hic vniuerſalis, & indeterminatus, atque indifferens ad plura.

*Exponitur ratio articuli.*

Caietan. Sylueſter.

2. *Eadem ratio magis explicatur ex eodem S.Thom.*

Confirmatur, & explicatur eadem ratio ex eodem S.Thom. alibi clarius. 1.ex 1.d.45.q.1.art.1. in corp. *Omne, quod habet virtutem cognoſcitiuam, poteſt diiudicare conueniens, & repugnans*, nimirum tam ſibi, quàm aliis: ſed huiuſmodi apprehenſio non eſt ob alium finem tributa ſubſtantiæ, niſi vt proſequatur bonum conueniens, fugiat autem malum repugnans. ergo omne, quod habet vim cognoſcendi, habere cõſequenter debet vim proſequendi bonum, & fugiendi malum; quæ vis tam in Deo, quàm in creaturis intellectualibus eſt voluntas. 2. ex l.1.cont.Gent.c.72.ratione 1. *Bonum intellectum, eſt proprium obiectum voluntatis.* ergo vbi eſt bonum intellectum, ſiue intellectio boni, ibi etiam voluntas ſit neceſſe eſt. *Bonum enim intellectum, in quantum huiuſmodi*, hoc eſt, quatenus eſt intellectum, *dicitur ad intelligentem*, hoc eſt, per ordinem ad eum, qui bonum illud intelligit. ergo in eo maximè, in quo eſt bonum intellectum, & obiectum voluntatis, eſſe conſequenter debet voluntas. 3. ibidem ratione 5. Deus intelligit infinita bona, & mala. Non poſſet autem cauſare bona, & non mala, & ex infinitis bonis cauſare hæc, & non alia, niſi haberet voluntatem, qua eligeret bona, non mala; & determinaretur ad hæc bona, non ad alia: nam ex intellectu, qui æqualiter ſe habet ad omnia intellecta, non poteſt oriri iſta diuerſitas cauſandi.

3. *Secunda concluſio. Voluntas Dei non eſt appetitus.* S.Thom.

Secunda concl. Voluntas Dei, propriè loquendo dici non debet appetitus. Ita S.Thom. ſignificat hîc ad 2.& expreſsè docet; ac probat 1.d.45.q.1.art.1. ad 1.& de Verit.q.23.art.1.ad 7. Hoc maximè pẽdet ex propria vocis ſignificatione: teſte enim S.Th. in 2. loco cit.& Auguſt. apud ipſum, *Appetitus propriè eſt rei non habitæ.* Deus autẽ omnia ſimpliciter bona in ſe ipſo habet, vel formaliter, vel eminenter, ſumma cum neceſſitate. ergo non poteſt in Deo rectè conſiderari appetitus alicuius boni non habiti; ſed ſola volũtas, qua ſolùm amet bonum, quod habet, & delectetur, & quieſcat in illo. Quem perfectum actum habet quoque creata voluntas, licet non ſolùm denominata ſit volũtas ab iſto actu, ſed etiam appetitus ab alio imperfecto actu, quo fertur in bona, quæ nõ habet. Eamdem ob cauſam S.Thom. ibidem non vult concedere, Deum per ſuam voluntatem tendere in bonum; quia tendere propriè, vt dicitur loco cit. de Verit. eſt actus, quo quis fertur in id, quod non habet. Vnde, vt optimè dicitur loco cit. ſent. *Tendere in finem accidit voluntati, ſecundum quod eſt diſtans à fine: ſed operationem habere circa finem, hoc eſt voluntati eſſentiale; & hoc præcipuè Deo conuenit, qui ſe amat, & in ſe delectatur.*

*Voluntas Dei non tendit in bonum.*

4. *Tertia concluſio. Voluntas in Deo eſt ipſum velle.*

Tertia concl. Voluntas Dei eſt verè, ac formaliter vnicus actus volendi, puriſſimus, ac ſimpliciſſimus, omninò indiſtinctus ex natura rei à reliquis diuinis perfectionibus, tamen extra intrinſecum conceptum eſſentiæ diuinæ. Quæ omnia probaui in ſuperiori Tomo; & vltimum membrũ expreſsè conceditur ab Arrubal hîc, d.49.n.2.contra Suarez infra, n.13.& 14. Præter hunc actum, neque re ipſa eſt in Deo, neque abſque Dei imperfectione, & falſitate concipientis, licet in Deo cõcipere præuium aliquod volitiuum, aut potentiale, aut virtuale, aut radicale, aut eſſentiale, ſeu ſubſtãtiale. Hãc quoque partem tenet Suarez in Met. Tomo 2.d.30.ſect.16. n.9. quẽ ſequitur Gonzalez hîc, d.50.ſect.2.cõcl.2. & ex inſtituto probaui in 1. Tom.q.4.art.2.à n.57. ad 82. & in hoc 2.Tom. q.14. art.1.dub.7. Vbi etſi hoc ipſum probẽ pręcipuè de intellectu Dei; tamen multa etiam habentur de voluntate Dei; & quæ de intellectu dicũtur, applicari facilè poſſunt volũtati, quia quoad hoc, eſt eadẽ omnino vtriuſq; ratio.

Arrubal. Suarez.

Gonzalez.





5. *Obiectio probans in Deo eſſe virtuale principiũ volitionis.*

Vnum ſolùm obiici debet, quod poſtea animaduerti eſſe præcipuum, & vnicum fundamentum, quo aliqui recentiores mouentur ad aſſerendum, *Diuinam ſubſtantiam, ac naturam eſſe formaliter virtuale principium volitionis diuinæ: quia*, inquiunt, *in Deo ratio ſubſtantiæ viuentis, & volitionis actualis, ita inter ſe comparantur, vt ſi inter illas eſſet actualis diſtinctio, volitio re ipſa procederet à ratione ſubſtantiæ: ſicut enim immutabilitas in Deo comparatione æternitatis dicitur cauſa virtualis; ita ante actum volitionis Dei concipienda eſt ſubſtantia viuens quaſi principium virtuale actualis volitionis.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, prædictam conditionalem non eſſe ſufficiens fundamentum ad ponendum formaliter aliquid in Deo, quod in ſuo intrinſeco conceptu importat eſſe abſolutè, & formaliter in Deo, quod conditionatè, & virtualiter tantùm in eo eſſe dicitur. Sic enim verè arguunt aduerſarij, ſi eorum fundamentum clarius proponatur. Si in Deo volitio diſtingueretur à volitiuo, volitio procederet à volitiuo. ergo per hoc fundamentum poſſumus in Deo concipere volitiuum formaliter, & ratione ratiocinata illud diſtinguere à volitione. Ad quod argumentum facilè dicitur, Antecedens ſupponere, quòd in Deo ſit formaliter non ſolùm conceptus volitionis, ſed etiam conceptus volitiui. Sicut cum in exemplo allato dicitur, ſi æternitas diſtingueretur ab immutabilitate, illa per hanc cauſaretur, & demonſtrari poſſet, ſupponitur in Deo formaliter tam æternitas quàm immutabilitas; & ideò hæc dici poteſt illius cauſa virtualis. At hoc, quod ſupponitur in caſu noſtro, nempe eſſe in Deo volitiuum formaliter, ſicut eſt volitio formaliter, importat eſſentialiter habitudinem principij ad principiatum, producentis ad productum, vt loco citato latè probaui: quam habitudinem non importat immutabilitas reſpectu æternitatis; & ideò quod pro exemplo affertur non eſt ſimile. Hæc igitur habitudo, ex aduerſariorum fundamento, ponitur in Deo conditionatè, & virtualiter; & tamen in eo, quod eorum fundamentum neceſſariò ſupponit, eadem habitudo ponitur abſolutè, & formaliter. Quare falſa ſimpliciter eſt conſequentia argumenti facti.

6. *Inſtantia.*

Inſtabis, ſatis eſſe aduerſariis, dari rationem ſubſtantiæ viuentis, ſiue intelligentis: quæ verè eſt formaliter in Deo; & quia ſi ab hac ſubſtantia diſtingueretur volitio, hæc ab illa procederet, ideo ſubſtantiam viuentem dici poſſe virtualem cauſam, ſeu principium virtuale volitionis, & hanc per illam poſſe demonſtrari, ſicut de facto ſupra num.1.& 2.cum S.Thoma demonſtramus.

7. *Reſpondetur.*

Sed hoc effugio nec reſpondetur ad propoſitum eius, quod quæritur, nec dicitur verum. Probo primum, quia quæſtio noſtra eſt, an in Deo ratio voluntatis formaliter, tribui rectè poſſit non ſolùm actuali volitioni, quod omnes fatemur, & creatis quoque volendi actibus competit, vt docet S.Thomas 1.2.q.8.art.2.init.corporis, ſed etiam alicui alteri rationi priori. Nunc autem aduerſarij reſpondent, aſſignando quidem rationẽ quamdam priorem, & ratione raciocinata diſtinctam à volitione, nempe, rationem ſubſtantiæ viuentis, & intelligentis, quod totum ego etiam admitto; ſed non determinant, quod ſolùm eſt in controuerſia, an hæc prior ratio, ſit formaliter voluntas, vel gradus aliquis formaliter volitiuus. Probo ſecundum, quia etiã data hypotheſi impoſſibili de diſtinctione volitionis à ſubſtantia intelligente, adhuc falſum eſt, volitionem proceſſuram à ſubſtantia intelligente, in quantum talis formaliter eſt. Nam ne in creaturis quidem de facto, in quibus volitio realiter diſtinguitur à ſubſtantia viuente, & intellectione, volitio procedit ab intellectione, & conſequenter, à ſubſtantia intelligente, vt cum communi opinione probaui in 1.2.q.9.art.1. & , ſi loquamur de adæquato principio, omnes cõcedunt: quamuis intellectio ex natura ſua præcedat volitionem. Si igitur volitio in Deo diſtingueretur à gradu eſſentiali ſubſtantiæ viuentis vita intellectuali, eſſet primò concipiendus hic gradus vt formale principium potentiæ volitiuæ, ſeu voluntatis in actu primo, proximo, & immediato; & hac etiam ratione dicendus eſſet habere in ſe rationem aliquam volitiui formaliter, ſicut de facto principium eſſentiale, vnde in nobis prouenit potentia ratiocinandi, dictum formaliter eſt, Rationale. Deinde concipienda eſſet volitio procedere immediatè à voluntate, vel à gradu eſſentiali, mediante voluntate. Sed ex prædicta hypotheſi non poteſt in Deo concipi rationabiliter principium eſſentiale remotum voluntatis, quæ ſit principium potentiale proximum volendi; ergo multò minus principium eſſentiale remotum, à quo immediatè, abſque vllo alio principio proximo, procedat actus volendi. Maneat igitur actualem volitionem in Deo, nullam habere cauſam, neque formalem, neque virtualem; ac proinde, rationem volitiui in Deo non poſſe cum fundamento in re, abſque expreſſa repugnantia cum formalibus perfectionibus ipſius Dei, concipi niſi vt puriſſimam, ſimpliciſſimam, atque actualiſſimam volitionem.

S.Thom.

*Volitionẽ non procedere à ſubſtantia intelligente.*

8. *Quarta concluſio. Datur in Deo appetitus innatus.*

Quarta concluſio. Quamuis in Deo id, quod habet formalem rationem actus ſecundi, dici propriè non poſſit appetitus, ſed voluntas, vt ſupra num. 3. tamen id, quod habet formalem rationem actus primi, & potentiæ productiuæ, ſiue notionalis ad intra, cuiuſmodi eſt potentia generatiua Verbi, & ſpiratiua Spiritus ſancti, ſiue eſſentialis ad extra, qualis eſt omnipotentia, dici rectè poteſt appetitus naturalis, & innatus, ſeu naturalis inclinatio. Hoc bene probat Suarez tomo 2. Metaphyſ. diſput. 30. ſect.16. à num. 3. & ſequitur Arrubal hîc, diſput. 50. num. 4. Ratio eſt, quia quamuis appetitus per modum actus ſecundi, ſiue appetere, importet propriè carentiam, & imperfectionem, & propterea tribui Deo non poſſit; tamen appetitus, cum limitatur per innatum, ſiue naturalem, ſumitur per modum actus primi, & nihil aliud ſignificat niſi naturalem inclinationem ad aliquod bonum: quam inclinationem habet res, etiam cum poſſidet illud bonum, ad quod naturalem inclinationem habere dicitur: nam v. g. cum lapis eſt in centro, & materia vnita formæ, adhuc dicuntur habere naturalem inclinationem, ille ad centrum, hæc ad formam. Sed omnis potentia eſt naturalis quædam inclinatio ad ſuum actum. ergo in Deo etiam, quæuis potentia dici rectè poteſt naturalis inclinatio, ſiue appetitus quidam, nimirum non actualis, & elicitus, ſed potentialis, & innatus, ac naturalis; abſque vlla imperfectione carentiæ boni alicuius ſibi naturaliter debiti. Etenim iſta carentia neque eſſe, neque intelligi conuenienter poteſt in potentiis notionalibus, vt cõſtat ex materia de Sanctiſſima Trinitate: neque etiã verè eſt in omnipotentia abſoluta, quamuis & ab æterno fuerit ſine ſuo actu, & ſine eodem eſſe potuerit omni prorſus tempore; quia huius inclinatio, ſiue appetitus, non dicitur naturalis, prout naturale diſtinguitur contra liberum, & importat neceſſariam habitudinẽ ad actuale bonum, ad quod eſt naturalis illa inclinatio;

Suarez.

Arrubal. *Concl. ratio.*

ſed prout naturale diſtinguitur contra elicitum, & importat habitudinem ad bonum, non neceſſarium, ſed conueniens, & conſentaneum naturæ, vt fuſius explicatur in materia de incarnatione, dum quæritur, an conueniens fuerit Deum incarnari.

9. *Quinta cõcl. Eſt in Deo innatus appetitus, etiã ad ſua bona intrinſeca.*

Quinta concl. Probabilius eſt, eundem innatum appetitum poſſe etiam Deo tribui ad intrinſeca, & abſoluta eius bona. Hoc expreſsè docet Magnus Albertus 1.p.ſummæ, tract.20. quæſt.79. membro 1.ad 1. nam loquens de naturali appetitu, qui ab ipſo cum Damaſc. vocatur *Thelißis*, & diſtinguitur ab appetitu rationali, & libero, quem ſine dubio ponit in Deo, ait, *Thelißis eſt in Deo, quia vult ſe, & ad diuinitatem pertinentia; ſcilicet quòd omnipotens, & ſimplex ſit, & huiuſmodi: quia,* inquit, *non eſt ſemper appetitus habendi, & non habiti, nec ſemper indigentiæ; ſed etiam habiti, vt continuetur, & maneat.* Idem etiam defendit Suarez ſupra, etſi repugnet Arrubal ſupra num.5. nulla alia ratione ductus, niſi quia appetitus innatus, cum ſit conatus quidam, non eſt intelligibilis abſque ratione alicuius potentiæ, quæ nulla eſt inter ipſa intrinſeca, & abſoluta bona diuinæ naturæ. Quod tamen non videtur neceſſarium. Nam quamuis appetitus, & conatus, ex propria vocum ſignificatione, importent inclinationem ſolius potentiæ actiuæ, vt patet ex communiſſimo cõceptu, quem, his vocibus auditis, omnes formamus, & nihilominus extenſa ſunt, vt propriè etiam ſignificent inclinationem potentiæ paſſiuæ; ita etiam extendi poſſunt vt ſignificent ſimplicem inclinationem, non quidem per potentiam, ſiue actiuam, ſiue paſſiuam, vnius ad aliud à parte rei diſtinctum, ſed per puram identitatem: in quo ſenſu de Deo, ratione diſtincto à ſua Deitatis natura, & à ſingulis ſuæ naturæ perfectionibus, abſque vllo abſurdo concipere, ac dicere poſſumus, habere naturalẽ inclinationem ad naturam ſuam, & ad ſingulas eiuſdem perfectiones: ſcilicet, non vt eas faciat, aut patiatur, ſed ſolùm vt cum illis ſit ſemper per ſummam identitatem coniunctus. Item, vnam perfectionem diuinam habere naturalem appetitum, & inclinationem ad aliam, v.g. intellectum ad voluntatem, & voluntatem ad intellectum, ad omnipotentiam, &c. quia quælibet perfectio diuina eſſentialiter petit identificari cum aliis. Atque hæc ſatis de quæſtione ſpectante potius ad quid nominis, quàm ad quid rei.

Ita Albertus, Suarez. Contra Arrubal. *Soluitur contrarium fundamẽtum, & probatur cõcluſio.*

---

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Deus velit alia à ſe.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quod Deús non velit, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Deus vult ſe, & alia à ſe ſecundùm proprium eſſe. num.1.ad 5.*

2 *Obiectum formale diuinæ voluntatis eſt bonitas increata. num.5.& 6.*

3 *Differentia inter liberalitatem Dei, & creaturarum. num.7.*

4 *Qua ratione in diuina voluntate diſtingui poſſint multæ virtutes. num.8.*

#### COMMENTARIVS.

1. *Prima concl. affirmatiua. Deus vult ſe ipſum.*

PRIMA concluſio. Deus non ſolùm ſe vult, ſed etiam alia à ſe. Hoc ab omnibus tenetur vt certum de fide. Prima pars non probatur à S.Thom. ſed ſolùm aſſumitur, & ſupponitur tanquam res omninò indubitata, & quæ ex præcedentibus neceſſariò, & euidenter ſequitur. Si enim Deus intelligit, & comprehendit ſe ipſum, quæſt.14. art.2. & 3. qui per ſuam eſſentiam eſt ſummum, & infinitum bonum, quæſt.5. art.2. & 3. & quæſt.7.art.1. in quo ſunt perfectiones omnium rerum, quæſt.4. art.1. & 2. & habet perfectiſſimam voluntatem, cuius obiectum eſt bonum intellectum, ex art.præcedente, eſt impoſſibile, vt non amet ſe ipſum.

2. *Deus vult alia. Exponitur ratio articuli.* Sylueſter. Caietan. Ferrarienſis. Suarez. Vazquez.

Secunda pars probatur hîc à S.Thoma, cuius rationem ſic explico. Quò aliquid eſt perfectius, eò magis proprium bonum in alia diffundit, *ſecundum quod poſſibile eſt*, hoc eſt, vt exponit Sylueſt.1.p. conflati, quæſt.19.art.2. poſt medium ſui commentarij, omiſſis aliis minus claris, ac probabilibus expoſitionibus Caiet. hîc circa finem, Ferrarienſis 1. contra Gent. cap.75. §. *Ad* 1. vbi S.Thom. eandem adhibet limitationem, Suarez 1. p.tract. 1.lib.3.cap.6. num.9. Vazquez hîc, in explicatione articuli, & aliorum interpretum, *conſiderata natura, & modo communicantis; quia communicans per naturam, communicat quantum poteſt abſolutè; communicans verò per voluntatem, communicat quantum poteſt, non abſolutè, ſed in ordine ad intellectum dirigentem communicationem, & commenſurantem communicatum ad finem communicandi.* Sed voluntas diuina eſt cauſa omnium perfectiſſima, ergo, inquit S.Thom. *multò magis pertinet ad voluntatem diuinam, vt bonum ſuum aliis per ſimilitudinem communicet, ſecundum quod poſſibile eſt*; habita ſcilicet ratione diuinæ ſapientiæ, proponentis voluntati quantitatem, & modum communicandi, conuenientem eius libertati, ac fini intento.

3. *S. Thom. eſt intelligendus de volitione actuali cõtra Sylueſt. & Fonſ.*

Hinc patet 1. S. Thomam eſſe intelligendum, non ſolùm *de volitione aptitudinali, ſiue poſſibili*, vt immeritò reſtringit Sylueſt. ſupra initio commentarij, & ſequitur Fonſ.7. Metaph. cap. 8. quæſt.5. ſect.5.ad 1. Caietani; ſed maximè de volitione actuali. Nam & titulus articuli, & totus textus loquitur de velle in actu ſecundo, & de creaturis factis, quæ ſunt actualis effectus diuinæ voluntatis: & idem intendit ratio allata, quæ non procedit ex communicatione aptitudinali agentis in communi, ad talem communicationem aptitudinalem diuinæ voluntatis; ſed hac aptitudinali communicatione præſuppoſita, procedit ex actuali communicatione in communi, ad actualem communicationem particularem. *Omne agens,* inquit S.Thom. *in quantum eſt actu perfectum, facit ſibi ſimile. Vnde & hoc pertinet ad rationem voluntatis vt bonum communicet.* & poſtremò eamdem actualem volitionem circa actuales creaturas ita expreſsè concludit, *Sic igitur vult & ſe eſſe, & alia; in quantum condecet diuinam bonitatem, etiam alia ipſam participare.*

4. *Deus vult creaturas ſecundum propriũ eſſe earum.*

Secundò, Deum velle alia à ſe, non ſolùm ſecundum illud eſſe eminentiale, increatum, in quo omnes creaturæ eminenter continentur, & adunantur, ſed etiam ſecundum eſſe formale, ac proprium, quod in ſeipſis habent, & quo tam à Deo, quàm inter ſe realiter diſtinguuntur. Et in hoc ſenſu art.ſeq.ad 6. & art.6.ad 2.dicitur, *Voluntas comparatur ad res ſecundum quod ſunt in ſeipſis.* Vbi illud,



*ſecundum quod,* non reduplicat rationem formalem amandi, quam mox dicam eſſe increatam bonitatem, ſed rem amatam. Sicut cum ſupra quæſt.14. art.6. probatur, videri à Deo res propria cognitione ſecundum quod in ſeipſis ſunt, ſignificatur res cognita, & non ratio cognoſcendi. Præterea cum in hoc art.init.corp. ſtatuatur, quòd Deus non ſolùm ſe vult, ſed etiam alia à ſe, clarè diſtinguitur duplex obiectum diuinæ voluntatis, & increatum, & creatum. Si autem alia à ſe vellet primo modo, nullum aliud eſſet eius obiectum niſi increatum. Idem colligitur ex ratione ſupra explicata, qua probatur, velle alia, quia communicat ſe aliis; igitur illud aliorum eſſe vult, quod communicat, & producit; hoc autem eſt eſſe creatum, formale, ac proprium vniuſcuiuſque, & non increatum ſuum eſſe. Vnde dicitur in Pſalm.113. & 134. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* Sed fecit omnia ſecundum proprium, ac diſtinctum eſſe; ergo etiam voluit.

Pſalm.113. & 134.

5. *Secunda concluſio. Deus vult alia in ſeipſo.*

Secunda concl. Sola Dei bonitas eſt obiectum formale adæquatum diuinæ voluntatis: ita vt hæc velit bonum increatum, per ſe, quia tale bonum ſimpliciter eſt; & bonum creatum non per ſe, ſed per aliud, quia ſcilicet vult bonum increatum: in quo ſenſu dici poteſt Deus velle alia à ſe in ſeipſo, ſeu per ſeipſum, in quantum formalis ratio volendi alia, non eſt aliena bonitas, ſed bonitas propria: & vt ait S.Thomas infra art.5.circa fin.corp. *Vult omnia in ſua bonitate.* Hæc ſine dubio eſt mens S.Thomæ, tum breuiter hîc, in fine corporis, *Deus vult ſe vt finem, alia verò vt ad finem; in quantum condecet diuinam bonitatem, etiam alia ipſam participare.* & ad 2. *Cum Deus alia à ſe non velit, niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas; non ſequitur quòd aliquid aliud moueat voluntatem eius, niſi bonitas ſua.* Idque ſtatim egregiè explicat exemplo intellectionis. *Et ſic, ſicut alia à ſe intelligit, intelligendo eſſentiam ſuam; ita alia à ſe vult, volendo eſſentiam ſuam.* & ad 3. *Ex hoc quòd voluntati diuinæ ſufficit ſua bonitas, non ſequitur quòd nihil aliud velit; ſed quòd nihil aliud vult, niſi ratione ſuæ bonitatis. Sicut etiam intellectus diuinus, licet ſit perfectus ex hoc ipſo quòd eſſentiam diuinam cognoſcit, tamen in ea cognoſcit alia.* & rurſus ad 4. *Sicut intelligere diuinum eſt vnum, quia multa non videt niſi in vno; ita velle diuinum eſt vnum, & ſimplex, quia multa non vult niſi per vnum, quod eſt bonitas ſua.* Tum fuſiùs, & ex inſtituto, lib.1. contra Gent. c.74. vbi iuxta ſenſum huius concluſionis multis probat, *Quòd principale diuinæ voluntatis volitum, eſt eius eſſentia.* & cap.75. vbi ſimiliter oſtendit, *Quòd Deus volendo ſe, vult etiam alia.* & 1. d.45. quæſt.1. art.2. vbi ait, *Id quod eſt volitum primò ab eo, eſt bonitas ſua tantùm. Alia verò vult in ordine ad bonitatem ſuam, non vt per ea aliquid bonitatis acquirat, ſed vt eis de bonitate ſua aliquid largiatur.* & de Veritate, q. 23. art.4. poſt init. corp. *Deus vult creaturas propter bonitatem ſuam; vt videlicet ſua bonitas, quæ per eſſentiam multiplicari non poteſt, ſaltem per quamdam ſimilitudinis participationem diffundatur ad multa. Vnde diuina bonitas ita eſt eius voluntati ratio volendi omnia, ſicut ſua eſſentia eſt ei ratio cognoſcendi omnia.* Idem ſentiunt Thomiſtæ omnes, & interpretes huius articuli. Et præterea Albertus 1.p.ſummæ, tract.20. quæſt.79. membro 1.ad 2. Ægidius 1.d.45.quæſt.2. in corp. & in ſolutionibus argumentorum. Riccardus artic.1. quæſt.4.

S.Thom. Albertus. Ægidius. Riccard.

6. *Prima ratio ex paritate cũ intellectu.*

Probatur concluſ. 1. ex paritate cum intellectu diuino, quam ſæpe, & bene vrget S.Thom. locis citatis, præſertim in 1.ſent. Sicut enim ex eo quòd Deus eſt prima, & infinita veritas, in qua eminenter continetur omnis alia veritas, quæ eſt ſimilitudo, & participatio quædam illius, non intelligit alia à ſe niſi intelligendo ſuam eſſentiam, & ideo hæc eſt diuino intellectui formalis ratio intelligendi quicquid intelligit: ita pariter, ex eo quòd ſit prima, & infinita bonitas, continens eminenter omnem aliam bonitatem, quæ eſſentialiter eſt quædam ſimilitudo, ac participatio bonitatis diuinæ, non vult alia à ſe, niſi volendo bonitatem ſuam, quæ ideò eſſe debet diuinæ voluntati formalis ratio volendi quicquid vult. Ergo ſi diuina veritas eſt obiectum formale adæquatum intellectus Dei, vt ſupra quæſt.14. art.2. & 5. erit etiam diuina bonitas obiectum formale adæquatum voluntatis Dei. 2. Volitum ad voluntatem comparatur, ſicut appetibile ad appetitum; ſed appetibile ad appetitum comparatur ſicut mouens ad motum, 3.de an.54. ergo ſi aliquid aliud præter Deum, eſſet per ſe, & principale volitum, aliquid aliud præter Deum moueret diuinam voluntatem. 3. Sicut intelligere, ita & velle ſpecificatur per illud, quod eſt per ſe, & formale obiectum ſuum. Ergo ſi hoc obiectum reſpectu diuinæ voluntatis eſſet bonum creatum, ab hoc ſpecificaretur diuinum velle; quod eſt inconueniens. 4. Quod eſt per ſe, & formaliter volitum, eſt cauſa volendi, nempe finalis. Sed diuinæ voluntatis, aut cuiuſlibet alterius perfectionis, Deo intrinſecæ, quæ eſt ipſemet Deus, non poteſt aliqua creatura eſſe cauſa finalis; cum Deus ipſe ſit finis vltimus, cuius alium vlteriorem finem dari implicat: ergo nulla creatura poteſt eſſe per ſe, & formaliter volita à diuina voluntate. Quia, vt rectè dixit S.Thom. 1. diſt.45. quæſt.1.art.2.ad 1. *Quod formaliter complet rationem voliti, eſt finis, ex quo eſt ratio boni; nam ea, quæ ſunt ad finem, ſe habent materialiter ad obiectum voluntatis.* 5. Deus eſt vltimus rerum finis; ſed Deus maximè vult eſſe illud, quod eſt; ergo Deus maximè vult eſſe vltimum rerum omnium finem. Ergo cum vult alia omnia à ſe, quæ eſſentialiter ordinata ſunt ad vltimum finem bonitatis ſuæ, ea maximè vult ratione finis, volendo ſcilicet bonitatem ſuam. 6. Deus bonitatem ſuam vult ſecundum ſe, & propter ſeipſam; ſed diuina bonitas eſſentialiter reperitur in qualibet creatura, cum quælibet ſit eſſentialiter quædam participata ſimilitudo diuinæ bonitatis. Ergo quicquid aliud à ſe vult Deus, ideo vult, quia vult bonitatem ſuam: ſicut, inquit S.Thom.1. contra Gent.cap.75.num.3. *Qui amat dulcedinem propter ipſam, oportet quòd amet omnia dulcia*, ſcilicet, quia dulcia ſunt; & per ſe, & formaliter amando dulcedinem ipſam. Demum idem non obſcurè indicat ſcriptura. Apocal. 22. *Ego ſum α, & ω, principium, & finis.* & Prouerb.16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* & Iſaiæ 43. *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.*

*Secũda ratio. Tertia ratio. Quarta ratio.* S.Thom. *Quinta ratio. Sexta ratio.* Apoc. 22. Prouerb.16. Iſaiæ 43.

7. *Differentia inter liberalitatẽ Dei, & creaturarũ.* S.Thom. Auicenna.

Ex dictis intelligere licet, quo modo differant liberalitas Dei, & liberalitas creaturarum; & qua ratione liberalitas dicatur propria ipſius Dei, vt cum Auicenna docet, & probat S.Th.1.diſt.45.q.1. art.2.circa finem corp. & ad 3. quia nos largiendo, non ſolùm damus bonum aliis, ſed etiam acquirimus bonum nobis, quo ſimpliciter, & intrinſecè indigemus, ac meliores ſumus; cum bono à nobis dato vel perficiamur, tanquam fine; vel ordinemur ad finem. Deus autem, cum vult bonitatem ſuam aliis communicare, ita ſimpliciter, ac purè largitur, vt aliquam intrinſecam bonitatem det aliis, ſed ſibi nullam acquirat; cum nullum alium finem habeat, niſi bonitatem ſuam in alios diffundere; cuius diffuſionis nullam [illegible]ſus indigentiam habet. *Et ideo*, inquit S.Thom. ſupra, *Auguſtinus* *dicit,*

*3. de Trinit. c.4.tom.3.*

*Quomodo Deus velit gloriam ſuã ſine ſua indigentia, & vtilitate, ex Auguſtino, & Chryſoſtomo.*

*dicit, quòd Deus vtitur nobis ad bonitatem ſuam, & vtilitatem noſtram.* Etenim honor, gloria, obedientia, laus, & alia ſimilia extrinſeca bona, quæ Deo proueniunt ex amore, & productione creaturarum, ſunt quidem à Deo volita, tamen non propter commodum, & vtilitatem ſuam, ſed propter ſimplicem condecentiam ſuæ bonitatis, vt dicitur hîc, in fin. corp. Deum enim, inquit Auguſt. lib.1.de Doctr.Chriſt. cap.31. *egere bono noſtro, nemo ſanus dixerit.* & confirmat ex illó Pſalm.15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Et quamuis deinde doceat, Deum vti nobis, quia nos diligit; tamen addit, alio modo nos eſſe vtiles Deo, & res creatas eſſe vtiles nobis. *Nam nos*, inquit, *res, quibus vtimur, ad id referimus, vt Dei bonitate perfruamur. Deus verò ad ſuam bonitatem vſum noſtrum refert. Quia enim bonus eſt, ſumus. Ille igitur vſus, qui dicitur Dei, quo nobis vtitur, non ad eius, ſed ad noſtram vtilitatem refertur; ad eius autem tantummodò bonitatem.* Conſentit Chryſoſt. hom.1.in ep. ad Epheſ. in illa verba, *ſecundum propoſitum voluntatis.* vbi ait, *Deus nullo eget: Cur ergo vult à nobis laudari, & glorificari? vt in ipſum charitas ſit in nobis feruentior. Ex noſtris enim nihil aliud cupit, quàm noſtram ſalutem. Non miniſterium, non gloriam, non aliquid aliud: & propter hoc facit omnia. Nam qui laudat, & admiratur, quæ in ſe facta eſt, gratiam, attentior erit, & diligentior.*

*Obiectio contra ſecũdam cõcluſionem.*

8. Obiicies, quia in diuina voluntate propriè, & formaliter eſt ratio, ſeu perfectio virtutis, veracitatis, fidelitatis, & iuſtitiæ, ſicut amoris charitatis; ſed huiuſmodi perfectiones non poſſunt in Deo propriè, & formaliter eſſe, niſi earum formale obiectum ſit bonum aliquod creatum. Quod eſt contra ſecundam concluſionem; alioqui ſi vna tantùm communis bonitas diuina ſpectetur vt ratio formalis, nulla alia virtus erit in Deo niſi charitatis.

*Reſpondetur declarando modum, quo in diuina voluntate ſint plures virtutes.*

Reſpondent aliqui, quòd licet intrinſeca perfectio actus diuinæ volitionis non poſſit habere pro obiecto formali bonum creatum, hoc tamen habere poteſt terminatio illius actus. Et quoniam hæc terminatio diſtincta, ac multiplex eſt, ideo ſatis eſt ad conſtituendas multas, ac diſtinctas virtutes formaliter in Deo. Sed quia hæc terminatio nihil verè reale eſt, ne ratione quidem diſtinctum à volitione diuina, & creato obiecto volito, vt infrà oſtendam, videtur omninò inepta ad conſtituendam veram, ac realem eſſentiam moralium virtutum: ſed ſi hæ ſunt in Deo, eſſe debent verè ac realiter contentæ in ipſa intrinſeca perfectione diuinæ voluntatis, antecedenter ad omnem terminationem ad obiecta creata. Quapropter dicendum, prædictas virtutes eatenus eſſe in Deo propriè, & formaliter, quatenus Deus non ſolùm vult, v. g. creatum iuſtum ſimpliciter, ſed etiam quia iuſtum eſt, ſiue, ex affectu iuſti creati: quamuis non ſiſtat in hoc iuſto creato, ſed in hoc ipſum affectus ſit, ex eo formaliter quod eſt quædam participatio diuinæ bonitatis. Quod breuiter, ſed

*Aureol.*

expreſsè docuit Aureolus de Deo dicens 1. d.46. quæſt.1. artic.1. Propoſ.3. paulò poſt principium, *Complacet in iuſtitia complacendo in eſſentia ſua.* Vnde ſequitur, obiectum formale diuinæ voluntatis, quod formaliter vltimatè mouet, eſſe bonum increatum, non creatum. Licèt nos cum aliquo fundamento in re poſſimus illum actum inadæquatè concipere, vt volitionem iuſti, quia iuſtum eſt; & ſic illi tribuere formalem rationem iuſtitiæ: ſed verè totum illud creatum obiectum eſt quid materiale reſpectu eiuſdem actus in ſua formalitate adæquatè accepti.

---

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm quicquid Deus vult, ex neceſſitate velit.*

Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd quicquid Deus, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1. *An Deus ex neceſſitate velit ſeipſum. n.1. & 2.*
2. *An ex neceſſitate velit poſſibilia. n.3. ad 9.*
3. *An ex neceſſitate velit actualia. n.9. ad 21.*
4. *Quid formaliter importet velle Dei liberum in actu primo. n.21. ad 33.*
5. *An velle Dei liberum in actu ſecundo addat aliquid contingens. n.33. ad 38.*
6. *An addat aliquid poſitiuum reale Deo intrinſecum. num.38. ad 46.*
7. *An addat relationem rationis. n.46. ad 51.*
8. *An addat aliquid aliud. num.51. ad finem articuli.*

## DVBITATIO I.

### *An Deus ex neceßitate velit ſeipſum.*

*Prima cõcluſio affirmatiua de neceſſitate ex parte ſubiecti. S.Thomas.*

1. PRIMA concluſio vniuerſaliſſima. Quicquid Deus vult, ſiue increatum, ſiue creatum, vult neceſſariò, neceſſitate tenente ſe ex parte ipſius volentis, & actus. Hoc, inquit S. Thom. de Verit. quæſt.23.art.4. init.corp. *indubitabiliter verum eſt.* Nam quælibet actio Dei intrinſeca, ac proinde diuina volitio, eſt ipſemet Deus, qui eſt in ſummo gradu neceſſitatis: vnde ab antiquis Theologis communiter vocari ſolet, *Ipſum neceſſe eſſe.* Loquendo igitur de neceſſitate actus volendi, non per comparationem ad ſubiectum, aut ipſum actum abſolutè, ſed per comparationem ad volitum, quam ſolam exprimit titulus articuli, ſit

*Secũda. Deus ſe amat neceſſariò.*

2. Secunda concluſio. Deus ſe ipſum, ſeu bonitatem ſuam vult, & amat ex neceſſitate abſoluta, non ſolùm quoad ſpecificationem, in quantum non poteſt ſe odio habere; ſed etiam quoad exercitium, in quantum non poteſt ſe non actualiter, & ſemper amare. Ita S. Thomas hîc, circa medium corporis, & fuſiùs lib.1.contra Gent.toto cap.80. & reliqui omnes. Probatur primò à poſteriori, quia proceſſio Spiritus S. eſt abſolutè neceſſaria, & per actum voluntatis circa Deum ipſum, vt infra probabimus. Secundò à priori, quia Deus eſt ſummum, & infinitum bonum, à ſe ipſo intuitiuè comprehenſum; & conſequenter eſt obiectum proportionatum, & adæquatum ſuæ diuinæ voluntatis, eíque continuò applicatum: vnaquæque autem potentia ſecundum naturam ſuam non poteſt non ſemper actu ferri in ſuum proprium, & principale obiectum, ſi fuerit illi debitè applicatum ſine vllo impedimento; hac enim ratione dicuntur beati Deum videre, & amare neceſſariò, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium. Nam etſi voluntas ſit libera, tamen ipſa etiam, vt docet S.Thom.de Verit. q.23. art.4.

*Prima ratio à poſteriori.*

*Secũda ratio à priori.*

*Voluntas etiã tendit in aliquid per modum naturæ. S.Thom.*



art.4.circa principium corp. *Natura quædam eſt, & naturalem ordinem ad aliquid habet.* Nihil autem aſſignari poteſt, in quod voluntas tendat neceſſariò per modum naturæ, niſi proprium, & principale obiectum, *ad quod voluntas, ſicut & qualibet alia potentia neceſſariam habitudinem habet, vt viſus ad colorem*, vt dicitur hîc circa medium corp. Tertia ratio, ducens ad impoſſibile, habetur lib.1. contra Gent.cap.80.init. Si Deus non vellet ſe neceſſariò, ergo poſſet ſe non actu velle: ergo poſſet nihil actu velle; tum quia ipſemet Deus eſt ſibi ratio volendi alia, vt ſupra artic.2. concl.2. ergo ſi non vellet ſe, non poſſet velle alia; tum quia increata bonitas habet infinitè maiorem vim mouendi voluntatem diuinam, quàm habeat omnis bonitas creata. Ergo ſi illa poteſt non actu mouere, multò magis hæc: *Impoſſibile eſt autem Deum non velle aliquid actu; eſſet enim volens in potentia tantùm; quod eſt impoſſibile, cum ſuum velle ſit ſuum eſſe.* Huic rationi ſimillima eſt illa, quam aliqui afferunt, ex eo quod actus liber, ac proinde indifferens ad oppoſita, importare neceſſariò debeat aliquam mutabilitatem vel in ipſo actu, qui eſſe, aut non eſſe poſſit, vel in eius obiecto, quod vi illius actus variationem aliquam habere poſſit: ſed nulla variatio cogitari poteſt in diuina voluntate, ac bonitate: ergo Dei voluntas nullo modo liberè ferri poteſt in bonitatem Dei. Hæc verò neceſſitas, quam habet diuina voluntas reſpectu principalis voliti, quod eſt ſua bonitas, vt dicitur loco cit. de Verit. *non eſt coactionis, ſed naturalis ordinis, qui libertati non repugnat ſecundum Auguſtinum.*

*Tertia ratio ex abſurdo.*

## DVBITATIO II.

### *An Deus ex neceßitate velit res poßibiles.*

### SVMMA.

1. *Amor Dei inefficax erga poſſibilia eſt neceſſarius. num.3. & 4.*
2. *Eadem ratio eſt de hoc amore, & de viſione poſſibilium. num.4. & 5.*
3. *An poſſibilia tantam habeant neceſſitatem, quantam habet Deus. num.6. ad 9.*

*Tertia concluſio affirmatiua.*

3. TErtia concl. Voluntas diuina cum eadem neceſſitate fertur circa omnes, ac ſingulas creaturas vt poſſibiles, ſecundum proprium eſſe eſſentiæ diſtinctum à Deo, ratione cuius diſtinguuntur ab impoſſibilibus: ſed fertur amore inefficaci, per affectum ſimplicis complacentiæ. Hoc tenent Aureolus 1.d.47. quæſt.1. art.1. poſt quartam propoſitionem §. *ex præmiſſis.* Baſſolus d.45. q.2. artic.1. concl.1. & obiter ſignificat Argentina 3. d.14.q.1. art.3. poſt med. ad 2. & colligitur ex Riccardo 1. d.45.art.1. quæſt.5. vltimis verbis, *Quamuis omnia poſſibilia fieri, quæ nunquam fient, velit poſſibilia fieri.* Idem paulò clarius indicat Caiet. infra, quæſt.34. artic.3. §. *Ad imaginationes.* dum defendens contra Sotum, Verbum procedere ex cognitione omnium poſſibilium, concedit illi, Spiritum quoque ſanctum procedere ex amore omnium poſſibilium, qui ſanè amor nec liber, nec efficax eſſe poteſt. Quia, inquit Caiet. *vniformiter loquendo de creatura intellecta in Deo, & ſimiliter amata in Deo, par ratio eſt de Verbo, & Spiritu ſancto.* & ſequuntur apertè Vazquez hîc d.79. c.2. Fonſeca 7.Metaph.c.8.quæſt.4. ſect.5. §. *Tertia pars.* & q.5. ſect.4.circa finem. Salas part.2. q.6. art.1. tract.3. d.1. ſect.7. n.103. ratione 3. Becanus 1.p. tract.1.cap.11.q.3.concl.2. Val. ſupra quæſt.14. puncto 7. §. *Poteſt præterea.* Arrub. d.53. cap.3. & alij, quos refert Suarez in Metaph. d.30. ſect.16. à num.37. ſed verè impugnat potius quàm ſequitur. Referuntur etiam in contrarium Alenſis 1.part. quæſt.34. membro 4. ſed illa quæſtio tribus membris concluditur; & ex tertio membro, vbi de hac materia agitur, nihil clarè pro aliqua parte colligi poteſt. & Bonau.1.d.45.art.1.quæſt.2. vbi verè non ponit actum diuinæ voluntatis niſi circa futura: ſed incertum eſt an loquatur vniuerſaliſſimè de omni volitione, tam efficaci, quàm inefficaci; imò efficacem ſignificat, quia initio corporis, *Deum non velle omne volibile*, ita probat, *Quia diuina voluntas importat cauſam actualem.* & Scotus 3. d.32. quæſt.1. circa principium, vbi etſi concedat, omnia poſſibilia diligi à Deo, *volitione quadam complacentiæ, non efficaci:* tamen ſtatim non obſcurè ſignificat, non eſſe volitionem neceſſariam. Verùm clarè indicat, loqui ſe de neceſſario *ex ſe, & ſimpliciter*, quo modo neceſſarius eſt Deus ſolus. *Nihil*, inquit, *aliud à Deo, in quocumque eſſe, eſt ex ſe neceſſarium. Igitur nullus reſpectus ad quodcumque aliud à Deo, in quocumque eſſe, eſt neceſſarius ſimpliciter.* Vnde concludit, quòd prædictus complacentiæ actus prout dicit reſpectum ſiue habitudinem ad creaturas poſſibiles, non habet tantam neceſſitatem, quantam habet prout dicit habitudinem ad ipſam increatam Dei bonitatem. Quod non eſt contra præſentem concluſionem, & ideo Vazquez ſupra pro illa bene refert Scotum. Putatur quoque contra nos eſſe S.Thom. in hoc articulo, tum in corpore, vbi nulla facta mentione creaturarum poſſibilium, & actualium, abſolutè docet, *Quòd alia à ſe Deum velle, non eſt neceſſarium abſolutè.* tum ad 6. vbi ex eo quòd *voluntas comparatur ad res ſecundum quod ſunt in ſeipſis*, in fine concludit, quòd Deus, *non quæcumque vult, ex neceſſitate vult.* Sed ex eo quòd in corpore loquatur tantùm de actualibus, non rectè colligitur, idem negari de poſſibilibus. & ad 6. ex illis verbis, *non quæcumque*, deducitur potius, ex neceſſitate velle quædam, nimirum poſſibilia, non actualia. Quæ pars neceſſariò ſequitur ex ipſius doctrina tradita ſupra, art.2.concl.2. vt mox probabo. Sed contrarium ſentit Machin.d.40.ſect.2. Nauarrete controu.3. Gonzalez hîc, d.52.ſect.2. pro ſe citantes Ferrarienſ.4. contra Gent.c.13. vbi tamen in §. *Non obſtant.* nobiſcum planè ſentit. & Bagnes infra quæſt.34. art.3. vbi id ſignificat ad 3. & clarius tenet Zumel ibi d.1.ad 3. Citant etiam Dur.3. d.22. quæſt. vnica. ſed ibi Durandus mouet octo quæſtiones, in quibus ne verbum quidem de voluntate Dei.

*Aureoli, Baſſoli, Argentinæ, Riccardi, Caietani, Vazquez, Fonſecæ, Salas, Becani, Valentiæ, Arrubal. Suarez.*

*De ſententia Alenſis, Bonauenturæ, & Scoti.*

*De ſententia S.Thomæ.*

*Concluſio eſt contra Machin. Gonzalez, Nauarrete, Bagnes, Zumel, qui non bene citant Ferrarienſem, & Durandum.*

Sumo igitur præcipuum concluſionis fundamentum ex eo quòd Deus alia à ſe ideo vult, quia vult bonitatem ſuam, quæ eſt infinita participabilitas omnium bonorum, in illa eminenter contentorum, vt probaui citata concl.2. ex S.Thom. eiúſque rationibus. Hinc ſic arguo in forma, Deus abſoluta, & ſumma neceſſitate vult perfectiſſimo modo bonitatem ſuam; ſicut abſoluta, & ſumma neceſſitate intelligit perfectiſſimo modo veritatem ſuam. Sed bonitas diuina eſſentialiter, & formaliter, eſt participabilis non ſolùm à bonis actualibus, à quibus actu participatur, ſed etiam à bonis poſſibilibus, à quibus participatur in potentia; ita vt huiuſmodi participabilitas ad illam bonitatem maximè pertineat. Ergo non poteſt voluntas Dei in ſuam bonitatem perfectè ferri, niſi vt participabilem ab omnibus, & ſingulis bonis creaturarum, ad quas vt bonas neceſſariam, & eſſentialem habitudinem habet, quæ ſunt creaturæ, non actuales, 4.

*Præcipua cõcluſionis ratio.*

ſed

ſed poſſibiles: in quibus eſſe eſſentialem rationem boni ſimpliciter probaui tomo 1. quæſt. 5. artic. 3. num. 1. & 6. & quæſt. 6. art. 3. num. 1. ergo non poteſt non ferri in ipſas creaturas poſſibiles, vt bonas; nimirum tanquam obiecta ſecundaria, quæ amentur quidem materialiter in ſuis propriis bonitatibus, tamen non amentur formaliter niſi in bonitate diuina. *Deus enim*, inquit S. Th. infra art. 5. circa finem corporis, *vno actu vult omnia in ſua bonitate.* Qua in re eodem prorſus modo philoſophandum eſt de hoc amore creaturarum in ipſo Deo, & de viſione earum in eodem Deo. Sicut enim quia prima veritas continet eminenter omnia vera poſſibilia, vt vera, ad quæ habet eſſentialem habitudinem, eſt impoſſibile, intellectum diuinum perfectè ferri in ſuam veritatem primariò, & formaliter, & non videre ſecundariò, & materialiter omnia, & ſingula vera poſſibilia; ita pariter, quia prima bonitas continet eminenter omnia bona poſſibilia, ad quæ habitudinem eſſentialem habet, eſt impoſſibile, voluntatem diuinam perfectè ferri in ſuam bonitatem primariò, & formaliter, & non amare ſecundariò, & materialiter omnia, & ſingula bona poſſibilia: rebus enim poſſibilibus competere etiam rationem boni, probaui ex ratione, & ex S. Thoma ſupra quæſt. 5. art. 3. num. 1. & 6. Quod bonum poſſibile dum neceſſariò amat Deus, non amat, quia vult illi aliquod aliud bonum, nempe actuale, hic enim eſſet amor efficax, quem liberum eſſe fatemur; ſed quia ſibi complacet in ipſo eodem bono poſſibili, quatenus poſſibile eſt, non deſtinando illud ad vlterius bonum actuale; qui eſt inefficax quidam amor complacentiæ. Quare ex eo quòd primus amor efficax non ſit neceſſarius, inſufficienter aduerſarij arguunt, neque neceſſarium eſſe alium amorem inefficacem.

*Eadem ratio eſt de amore, & de viſione creaturarum in Deo.*

*Quo modo Deus amet poſſibilia.*

5. Neque ex hoc diſcurſu, vt obiicit Suarez ſupra, concluditur amor *verè, ac propriè* ſolius Dei, & non creaturæ, quia, inquit, *nullum actuale bonum amat creaturis, ſed ſolùm Deo:* ac proinde non eſt eadem ratio de ſcientia, & amore creaturarum in Deo. *Nam per ſcientiam verè cognoſcuntur naturæ creabiles, vt ſunt entia eſſentialiter ab ipſo Deo diſtincta: & ita terminatiuè ſciuntur in ſe, & ſecundum ſuum eſſe eſſentiæ abſolutum. At verò per amorem reuera non amantur in ſe, ſed ſolùm in eo eſſe, quod habent in Deo.* Idque probat, *quia non amatur in ſe, niſi quod ordinatur, vt in ſe, & in proprio eſſe habeat aliquod bonum: ſcitur autem in ſe, etiam quod præſcinditur ab omni ſuo actuali eſſe.* Hæc autem non videntur vrgere. Nam ſi illud, *verè, ac propriè*, ſit idem, quod, *formaliter*, ita vt ratio formalis amandi creaturas non ſit earum amabilitas, ſeu bonitas, ſed bonitas Dei increata, concedo, hunc amorem, quo de neceſſitate amantur creaturæ, eſſe ſolius Dei, & non creaturarum: ſi verò limitetur ad *materialiter*, hoc ipſum nego; quia tali amore Deus, materialiter quidem, tamen verè, ac propriè amat omnem bonitatem, quam creaturæ poſſibiles formaliter habent in ſeipſis, & per intellectum ſuum Deus verè, ac propriè, licèt etiam materialiter, repræſentat ſuæ diuinæ voluntati. Quare nego etiam non eſſe eandem rationem ſcientiæ, & amoris, nam ſicut res terminatiuè, & materialiter, non motiuè, & formaliter ſciuntur in ſe ſecundum proprium eſſe diſtinctum à Deo, ita & amantur. Et ad contrariam probationem facilè dicitur, non eſſe neceſſarium, vt res quocumque modo amatur, ordinetur ad aliquod eſſe actuale; hoc enim eſt proprium amoris efficacis. Satis erit, ſi poſſibile illud eſſe, ac bonum, quod in ſua eſſentia habent res poſſibiles, ametur, & placeat inefficaciter per ſimplicem complacentiam, qua non ordinetur ad aliud eſſe actuale, ſed ſiſtat Deus in eſſe, & bono potentiali, ac proinde creaturæ, non Dei formaliter: ſicut idem amor vt primariò tendens in ipſam Dei bonitatem, non ordinat illam ad aliud eſſe, ſed in ea ſiſtit.

*Proponitur, & ſoluitur contraria ratio Suarez.*

6. Ex eodem diſcurſu intelligimus, quam veritatem habeat dictum Scoti ſupra, n. 3. de neceſſitate eiuſdem amoris: & in quo ſenſu verum ſit, Spiritum S. procedere ex amore poſſibilium, ſicut proportionaliter procedit Verbum ex cognitione poſſibilium; & conſequenter, creaturas poſſibiles habere tantam neceſſitatem, quantam habet ipſemet Deus; quod aliquibus videtur nimis durum, ſed ſi bene explicetur, veriſsimum eſt, & conceditur ab ipſomet Suarez, quem ſupra quæſt. 14. art. 5. num. 42. citaui, & in hoc ipſo à Machin defenditur. Idem igitur diuinus amor neceſſarius, qui verè, & à parte rei habet ad Deum habitudinem immediatam, mediatam ad creaturas, ſi conſideretur cum reſpectu immediato ad creaturas, præſcindendo à reſpectu immediato, quem habet ad bonum increatum, dici non poteſt tantam habere neceſsitatem, quantam habet Deus, quod efficaciter demonſtrat ratio Scoti; creatura enim, conſiderata etiam ſecundum eſſe poſsibile, eſt quidem ens neceſſarium, in quantum non poteſt habere eſſe poſsibile, vel non eſſe poſsibile; neque habet eſſe poſsibile per liberum Dei decretum, ſed per propriam eſſentiam ſuam: tamen eſt Deo eſſentialiter ſubiectum, ab eóque eſſentialiter dependens, etiam in ipſo eſſe poſsibili; in quantum creatura, vt ſit poſsibilis, dependet à Deo, potente illam facere; ſed Deus vt ſit potens, habet quidem per habitudinem eſſentialis connexionis cum poſsibili, vt ſufficienter declaraui, ac probaui Tom. 1. quæſt. 7. artic. 1. num. 10. & quæſt. 12. art. 8. num. 62. & 84. non tamen per dependentiam à poſsibili, quod ſcilicet reſpicit vt dans illi, non vt recipiens ab illo. Si verò conſideretur cum reſpectu mediato ad creaturas, & immediato ad Deum, eſt æqualis neceſsitas in creaturis, & Deo: quia ſub iſta formali ratione ſumuntur creaturæ, ſiue vt bonæ, & amabiles, ſiue vt veræ, & intelligibiles, non abſolutè, ſed quodammodo reſpectiuè, vt eſſentialis terminus bonitatis, ſeu veritatis diuinæ, cum qua eſſentialem connexionem habent; ita vt ſi non eſſent creaturæ poſsibiles, non eſſet iſta diuina bonitas, ac veritas, quæ de facto eſt. Et in hoc ſenſu nunc aſſerimus, & infra probabimus, diuinas proceſsiones per cognitionem, & amorem, non poſſe explicari, & concipi, niſi per habitudinem ad poſsibilia.

*An creaturæ poſſibiles habeant tãtam neceſſitatem, quantam habet Deus.*

7. Intelligimus quoque, quam ob cauſam dictum ſit in hac tertia cõcluſione initio, *circa omnes, & ſingulas.* Nam prædicta eſſentialis habitudo, & connexio, inter Deum, & creaturas, in qua fundari probauimus neceſſitatem diuini amoris erga creaturas poſſibiles, non ſolùm eſt cum omnibus creaturis, ſed etiam cum ſingulis. Intelligimus præterea, quam vim habeat ratio, qua nonnulli eamdem concluſionem probant, ex eo quòd creatura ſecundum eſſe eſſentiæ proprium, ac reale, ſecundum quod diſtinguitur à Deo, & ab impoſſibilibus, ſicut eſt ens, & verum, ita eſt & bonum, & neceſſarium bonum, in quo nec eſſe, nec à ſapientiſſimo Deo concipi poteſt vlla ratio mali, ratione cuius poſſit Deus de tali bono aut diſplicentiam habere, aut non habere actualem complacentiam. Hęc enim ratio ſi vim facit ſolùm in ipſo eſſe creaturæ, conſiderato abſolutè, & præciſè, ſine ordine ad eſſe Dei increatum, non eſt efficax: quia eſſe creaturæ, quamuis ſit bonum neceſſarium, tamen eſt ſecundum ſe bonum finitum, ac limitatum, & proinde habens aliquam rationem mali, hoc eſt imperfecti; & conſequenter, ineptum ad mouendum de neceſſitate diuinam voluntatem ad amorem ſui. At verò intellecta ratio de eodem eſſe, vt bono, finito quidem in ſe, ſed eminenter contento in infinita Dei bonitate, cum eáque eſſentialiter connexo, bene probat intentum; quia eſt impoſſibile, perfectè amare illam bonitatem, & non amare omnia, ad quæ bonitas illa, in ſuo formali bonitatis conceptu, habet eſſentialem habitudinem, quæ eſſe poteſt infiniti ad finitum; quia non eſt habitudo æqualis ad æquale, ſeu ſimilis ad ſimile; ſed eminenter, & per infinitum exceſſum continentis ad contentum. Confirmatur ratio, quia dato actu inefficaci ſimplicis complacentiæ in diuina voluntate circa poſſibilia, quæ nunquam futura ſunt, quem actum concedunt Scotus, Suarez, & alij communiter, ille dici non poteſt actus liber; quia per illum nulla fit variatio in ente poſſibili; ergo ſi eſſet liber, ac proinde poſſet eſſe, & non eſſe, id neceſſariò argueret, ipſam ſubſtantiam actus diuini poſſe non eſſe; cum non poſſet illa indifferentia ſaluari per diuerſas terminationes eiuſdem actus ad varios effectus.

*Alia ratio examinatur.*

*In quo ſenſu infinitũ poſſit habere eſſentialẽ habitudinẽ ad finitum.*

*Confirmatio ad hominem.*

8. Dices, voluntas humana liberè, ſaltem quoad exercitium, fertur in creaturas poſſibiles: ergo ita etiam ferri poteſt Deus.

Reſpondetur, negatur conſequentia, quia illa libertas in nobis eſt ex imperfectione. Primò quia in exercitio noſtri actus inuenire poſſumus rationem mali. 2. quia poſſumus ceſſare ab vno actu, & alium de nouo producere. 3. præcipuè, quia non ſemper neceſſariò, & perfectiſſimè amamus primarium illud bonum, cuius participationes eſſentialiter ſunt omnia alia bona. Vnde ſequitur, Beatos etiam, videntes, & amantes neceſſariò Deum, neceſſariò pariter amare creaturas, quas in Deo vident.

*Cur homo, & nõ Deus, ferri liberè poſſit in poſſibilia.*

## DVBITATIO III.

### *An Deus ex neceſsitate velit res actuales.*

### SVMMA.

1 *Concluſio negatiua probatur authoritate, & ratione. n. 9. ad 12.*
2 *Soluuntur multa argumenta contraria. num. 12. ad 21.*
3 *An potuerit Deus nihil velle extra ſe. n. 14.*
4 *An velle Dei liberum dici poſſit contingens. n. 15.*
5 *An voluntas Dei circa res nunquam futuras habuerit ſe negatiuè. n. 16.*
6 *An, & quomodo diuina voluntas determinetur. num. 17.*
7 *An Deus ſit omniuolens, ſicut eſt omnipotens, & omniſciens. n. 18. ad 21.*

9. QVarta concluſio. Voluntas diuina liberè ſimpliciter verſatur circa creaturas vt futuras; ſeu circa creaturas poſſibiles, deſtinando illas actu efficaci ad realem, & actualem exiſtentiam, futuram in aliqua differentia temporis. Eſt de fide, ex illo ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Nam, vt ratiocinatur S. Thom. hîc, in argumento *Sed contra. Quod operamur ex conſilio voluntatis, non ex neceſſitate volumus.* & libertatem clarè indicant verba antecedentia, *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia*, &c. Si *ſorte*, ergo non ex aliqua neceſſitate. Si *ſecundum propoſitum*, ſiue, vt paulò ante Paulus loquitur, *ſecundum beneplacitum, quod propoſuit*, ergo liberè. tum quia ea verba profert Paulus dum gratias Deo agit de ſua prædeſtinatione, & vocatione: gratiarum autem actio non eſt, niſi pro beneficiis gratis, ac liberè collatis. Vnde initio capitis ait, *Benedictus Deus, qui elegit nos*, &c. eligere liberam actionem apertè importat. Et ex illo 1. ad Corinth. 12. *Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*; hoc eſt, vt exponit Ambroſius 2. de fide ad Gratianum, cap. 3. circa medium. *Pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.* Eamdem veritatem clarius docent alia loca, quibus dicitur Deus poſſe facere, quæ non facit, & poſſe non facere, quæ facit: hac enim potentia ad vtrumlibet oppoſitorum, clariſſimè exprimitur libertas. Marci 14. *Omnia tibi poſſibilia ſunt:* & tamen non omnia facta ſunt. Similiter Luc. 1. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* & Matth. 19. *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Item Matth. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Quod nunquam fecit. & cap. 26. *An putas, quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Quas tamen non exhibuit. Sap. 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Si miſeretur, quia omnia poteſt, ergo quando miſeretur, poteſt punire, & non miſereri. Si diſſimulat peccata propter pœnitentiam, ergo quando dat contritionem, poteſt non dare illam, ſed punire peccata: neque enim diceretur diſſimulare, ſi non poſſet punire. Vnde ad Rom. 9. *cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat.* Et ibidem, & ſæpe alibi, Paulus cauſam, cur hi, & non illi prædeſtinati ſint, reuocat ſolum in libertatem ſapientiſſimæ voluntatis Dei; ſicut, inquit, *habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* ergo poterat Deus non prædeſtinare quos prædeſtinauit; & prædeſtinare quos non prædeſtinauit. Ex eo autem quod dicitur Daniel. 3. *Deus poteſt eripere nos de camino ignis. Quod ſi noluerit*, &c. colligitur, Deum tres illos pueros, quos de facto eripuit, ac proinde eripere voluit, potuiſſe nolle eripere.

*Quarta concluſio negatiua de fide.*

*Exponitur locus ad Eph. 1.*

S. Thom.

*Exponitur locus 1. Cor. 12.*

Ambroſ.

Marc. 14.

Luc. 1.

Matth. 19. & 3. & 26.

*Exponitur locus Sap. 11.*

Ad Rom. 9.

10. Præterea ſine libertate diuinæ voluntatis circa creaturas, ſaluari non poſſet æternitas Dei, & temporalitas creaturæ. Enimverò ſi neceſſariò vult, & operatur Deus, cur rerum creationem diſtulit poſt æternitatem? Cur in tale tempus, in quo de facto contigit, & non in aliud prius, aut poſterius? Neque etiam ſaluari poſſet, quòd Deus ex omnibus poſſibilibus quædam fecerit, quædam non fecerit, quæ facere potuiſſet. Quod ſignificatur illo Pſalm. 113. & 134. *Omnia quæcunque voluit, fecit.* Ratio eſt, quia libertas in volendo, & producendo ad extra res, quæ non ſunt neceſſariæ, nec vtiles Deo, eſt magna voluntatis perfectio, abſque vlla imperfectione; ergo poni debet in voluntate diuina, habente infinitam ſimpliciter volendi perfectionem.

*Probatur cõcluſio.*

Pſalm. 113. & 134.

11. Dixi initio concluſionis, *liberè ſimpliciter*; nam ex S. Thom. hîc in fine corporis, velle efficax Dei eſt neceſſarinm ex ſuppoſitione, non ſolùm ea communi ratione, qua omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; ſed etiam alia particulari ratione, nempe ex neceſſitate perfectiſſimæ immutabilitatis: vi cuius habet Deus, vt quicquid liberè voluerit, ab æterno voluerit, & non mutari poſſit de

*Velle efficax Dei eſt neceſſarium ex ſuppoſitione.*

de non volente in æternitate in volentem in tempore: item, vt quod ab æterno liberè voluit, non poſſit deinde nolle, & mutari de volente in nolentem, vel non volentem.

12. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Sequeretur, eamdem vnicam, & ſimpliciſſimam voluntatem Dei, eſſe ſimul neceſſariam, & liberam: neceſſitas habetur ex concluſione 2. & 3. libertas habetur ex concluſione 4. Hoc autem videtur inconueniens; quia neceſſarium, & liberum, ſunt modi eſſendi inuicem valdè oppoſiti.

*Reſpondetur, idē Dei velle eſſe neceſſariū, & liberū diuerſa ratione.* *Beati habent ſimul actum volēdi neceſſarium, & liberum.*

Reſpondetur, eſſe oppoſitos reſpectu eiuſdem obiecti, non autem reſpectu diuerſorum obiectorum. Diuina igitur volitio, vt terminata ad Deum, & ad res poſſibiles, eſt neceſſaria, non libera: vt terminata ad res actuales, eſt libera, non neceſſaria. Quare ſicut in creatis eadem voluntatis potentia habet vim producendi, & habēdi ſimul duos actus, alterum neceſſarium, alterum liberum, etiam reſpectu eiuſdem obiectui *cui*, modò non ſit idem obiectum *quod*, vt nonnulli probabiliter putant de facto accidere in Beatis, qui cum neceſſario actu volendi non peccare mortaliter, ſed conformare ſe cum diuina voluntate in omnibus bonis Dei, neceſſariis ex præcepto, habere ſimul poſſunt alium liberum actum volendi Deo aliquod aliud bonum, illi gratum, ſed non ex præcepto neceſſarium; ita in Deo idem volitionis actus, ob ſui perfectionem omninò infinitam in genere volitiuo, habere debet ſimul duas diuerſas terminationes, alteram neceſſariam ad vnum obiectum, alteram liberam ad aliud obiectum.

13. *Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò. Sequeretur, Deum non neceſſariò velle ſibi honorem, & gloriam: hæc enim bona habere non poteſt Deus niſi à creaturis; ſed creaturas non vult neceſſariò, ergo neque hæc bona. Conſequens autem videtur abſurdum, quia neceſſarius Dei amor erga ſeipſum, eſt perfectiſſimus: ergo extendi debet ad omnia ſua bona, tam intrinſeca, quàm extrinſeca, quæ ſunt honor, gloria, fama, & ſimilia.

*Reſpondetur, Deum liberè velle gloriam ſuam.*

Reſpondetur, concedo ſequelam. Ad cuius impugnationem, nego conſequentiam. Sicut enim bonum creatum extrinſecum, additum bono increato intrinſeco, non facit melius, aut maius bonum, neque intenſiuè, neque extenſiuè, vt latè oſtendi Tomo 1. quæſt. 6. art. 2. num. 3. ita non eſt perfectior diuinus amor, ſi non ſolùm terminetur ad bonum intrinſecum increatum, ſed etiam ad bonum extrinſecum creatum. Nam illud eminentiſſimo modo continet hoc, ergo vt amor Dei ſit perfectiſſimus, ſatis eſt ſi feratur tantùm in ſua bona intrinſeca perfectiſſimo modo.

14. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò. Sequeretur, Deum poſſe velle nihil extra ſe producere. Si enim non ſolùm hanc, & illam creaturam liberè vult, ſed etiam omnes ſimul creaturas liberè vult; ergo potuit non velle omnes ſimul, ergo potuit velle nihil ſimpliciter eſſe extra ſe. Conſequens verò eſt contra rationem infinitæ bonitatis Dei, quæ infinitè inclinat ad ſui communicationem: infinita autem inclinatio ad ſe communicandum, ſine vlla prorſus ſui communicatione videtur inintelligibilis.

*Reſpondetur cum Suarez, Deū potuiſſe nihil velle extra ſe.*

Reſpondeo, concedendo ſequelam cum Suarez tomo 2. Metaph. d. 30. ſect. 16. num. 35. 36. contra quam non vrget illa infinita inclinatio, quia cum illa non ſit ad bonum intrinſecum ipſius Dei, nec etiam ad bonum extrinſecum, quo indigeat Deus ad ſuam vtilitatem, & commodum, *cum bonitati Dei nihil perfectionis ex aliis accreſcat*, vt dicitur hîc in fine corporis; ſed ſolùm ad bonum extrinſecum, decens, & conſentaneum Deo, & nulla ratione illi debitum, bene intelligitur quaſi ſubordinata libertati voluntatis Dei, ita vt infinitè inclinet, ſed iuxta diſpoſitionem infinitæ ſapientiæ, & infinitæ libertatis Dei. Quamobrē ceſſatio ab omni actuali communicatione, neque eſſet dicenda violenta Deo, contra ſuam naturalem inclinationem, neque fruſtratoria: quia, vt dixi, & probaui, illa inclinatio non eſt ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundum quid, & cum quadam veluti limitatione, hoc eſt, iuxta liberam diſpoſitionem ſapientiſſimæ voluntatis Dei, alioqui Deus non minus inclinat ad ea, quæ de facto creare voluit, quàm ad alia, quæ creare potuit, & nunquam creare ſtatuit; & tamen reſpectu horum illa inclinatio neque eſt violenta, neque fruſtratoria.

15. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Voluntas, quæ liberè vult, contingenter vult; ſi enim liberè vult, ergo poteſt velle, & non velle; ergo quòd potius velit, quàm non velit, eſt contingens; ſicut enim de facto contigit, vt Deus mundum creare voluerit, ita contingere potuit, vt creare nollet. Sed contingentia eſſentialiter importat imperfectionem tum potentialitatis, tum euentus caſualis: ergo etiā libertas. Ergo hæc non eſt formaliter ponenda in voluntate Dei.

*An velle liberè, ſit velle contingēter.* *Affirmant, Scotus, Ariminēſis, Baſſolus, Argentina, Rubionenſis, Gabriel, Capreolus.*

Reſpondeo, de maiori propoſitione eſſe diſſenſionem inter Theologos. Contingentiam in diuina voluntate, ſicut & libertatem admittunt Scotus 1. d. 39. quæſt. 1. §. *Suppoſito ergo.* & §. *Quantum ad ſecundum.* & Scotiſtæ omnes. Ariminenſis d. 45. quæſt. 1. concl. 6. vbi ſimul ponit, *liberè, & contingenter.* & concl. 7. *Deus*, inquit, *contingenter vult facere quæcumque facit.* & ad 1. *Velle, quo Deus vult hoc vel illud facere, eſt contingenter velle.* Baſſolus q. 1. art. 3. immediatè ante ſolutionem argumentorum, & ad primum concedit *quòd libertas contradictionis*, quàm habet Dei voluntas reſpectu creaturarum, *arguit contingentiam.* Idem Argentina 1. d. 45. q. 1. artic. 2. concl. 1. Rubionenſis quæſt. 1. concluſ. 4. p. 2. Gabriel d. 38. q. vnic. art. 1. vbi ſæpe pro eodem vſurpat libertatem, & contingentiam; ſicut etiam d. 43. q. 1. art. 3. init. Imò etiam Capreolus d. 38. q. 1. art. 1. ad 3. Aureoli contra 2. & 3. concluſionem. Quamuis paulò poſt, reſpondens in genere ad argumenta contra quartam concluſionem, aſſerat cum S. Thoma 1. d. 43. quæſt. 2. art. 1. ad 4. & d. 45. quæſt. 1. art. 3. ad 3. *Non eſt dicendum voluntatem Dei eſſe contingentem, aut operationem eius, quia contingentia mutibilitatem importat, quæ in Deo propriè nulla eſt: ſed tamen eſt ibi libertas voluntatis, & operationis, prout exit à voluntate.* Idemque Caietanus ſequitur hîc ad 5. Valentia puncto 4. Aſſertione 2. §. *Notandum.* Sed à Caietano ſententia Scoti immeritò dicitur, vt contra Caiet. bene notat Vazquez hîc d. 39. num. 15. *rudis, & nouus ſermo.* Nam apud graues, & antiquos Doctores ſæpe animaduertimus, vſurpari contingens, pro eo præciſè, quod poteſt eſſe vel non eſſe, ſiue indifferens eſt ad eſſe vel non eſſe, & ad operari vel non operari. Quæ indifferentia, & potentia ad vtrumlibet, eſt de intrinſeco conceptu cuiuſlibet libertatis, etiam diuinæ: nam Deus etiam, ſi liberè vult creaturas, ergo eſt indifferens ad velle vel non velle; & ita vult, vt poſſit non velle; & ita non vult, vt poſsit velle. Et in hoc ſenſu ſine dubio poteſt, &, teſte Suarez tomo 1. Metaph. d. 30. ſect. 16. num. 43. hodie inter viros doctos communiter ſolet tribui contingentia voluntati Dei liberæ. Prudenter tamen monuit S. Thomas non eſſe ita loquendum, quia etſi omne liberum in ſuo eſſentiali conceptu includat id, quod includitur in eſſentiali conceptu

*Negant S. Thomas, Capreolus, Caietanus, Valentia.*

*Scotum immeritò reprehendi à Caietano, Vazquez.*

*Quid ſentiēdum.* Suarez.

*Differentia inter liberū, & contingēs.*





contingentis, hoc eſt, eſſe potens, & indifferens ad vtrumlibet, in quo præciſo conceptu relucet perfectio abſque vlla imperfectione, quam ob cauſam diuina etiam voluntas à Doctoribus denominata eſt non ſolùm libera, ſed etiam contingens, vt notaui in primo Tomo quæſt. 9. art. 1. num. 11. tamen contingens præter hoc, ſignificat etiam mutabilitatem, & caſualitatem, cum paſſim contingere dicamus quæ mutabilia, & caſualia ſunt; quas imperfectiones liberum non importat. Et ideo ad maiorem loquendi cautelam, non ad aliquam rei veritatem ſpectat, diuinæ voluntati tribuere libertatem potius quàm cōtingentiam. Vnde, diuinam voluntatem eſſe contingentem, negant etiam Albertus 1. d. 45. artic. 6. ad 2. Ægidius quæſt. 3. ad 2. Aureolus diſt. 47. quæſt. 1. artic. 4. §. *Tertiò ſequitur.* Quare ad argumentum in forma, ſi concedatur maior, diſtingui debet minor: eſt enim vera de contingentia adæquatè accepta ſecundum omne ſuum ſignificatum, quo modo negamus eſſe contingens velle Dei: ſed eſt falſa de cōtingentia inadæquatè accepta, ſecundum quoddam partiale ſuum ſignificatum, in quo nulla eſt imperfectio; & ita velle diuinum dici conſueuit contingens. Si verò negetur maior, ad eius probationem dico, ibi ſolùm afferri contingentiæ ſignificatum partiale, & inadæquatum, non autem totale, & adæquatum.

Albertus. Ægidius. Aureolus. *Reſpondetur in forma ad obiectionem.*

16. *Quinta obiectio.* *An diuina voluntas potuerit nullum poſitiuum, & liberū actum habere circa creaturas.* *Negant Scotus, Ferrariēſis, S. Thomas, Nouocaſtro, Bagnes, Suarez, Gillius, Vazquez, Aluarez, Fōſeca, Salas, Machin, Gōzalez, Arrubal, Nauarrete.*

Obiicies 5. Si Deus volitione efficaci liberè verſatur circa creaturas, ergo potuit nullo modo poſitiuo verſari circa creaturas, neque poſitiuè volendo eas producere, neque poſitiuè nolendo eas producere, ſed tantùm negatiuè, non volendo. Hoc autem eſt inconueniens, tum quia hunc poſitiuum actum, etiam circa res nunquam futuras, admittunt communiter Theologi, vt Scotus 1. d. 45. quæſt. 1. in fine corporis, illis verbis, *Voluntas diuina eſt in æternitate ratio volendi alterum oppoſitum in quibuſcumque aliis à ſe.* Ferrarienſis lib. 1. cont. Gent. cap. 82. §. *Ex iſta.* & ſecundum ipſum S. Thomas ibi, in quantum dicit, *Quòd diuina voluntas non ſic, abſque neceſſitate, alterum oppoſitorum præaccipit circa ſua cauſata, quaſi conſideretur in potentia ad vtrumque: ſed ſemper eſt volens actu.* Andreas de Nouocaſtro 1. d. 39. quæſt. 2. fusè, & ex inſtituto per totam. Bagnes infra, artic. 10. ad 2. Suarez tomo 2. Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 9. num. 59. & lib. 3. de Auxiliis cap. 13. num. 8. fin. Gillius lib. 2. tract. 8. cap. 11. num. 8. Vazquez hîc diſp. 79. à num. 17. Aluarez de Auxiliis lib. 2. diſputat. 13. num. 3. circa principium. Fonſeca 6. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 10. §. *Sed quærat.* & lib. 7. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 7. §. *Si quis autem.* Salas 1. 2. quæſt. 6. artic. 1. tractatu 3. diſput. 1. ſect. 7. num. 85. Machin hîc, diſputat. 34. ſect. 2. §. 2. circa principium, & diſput. 40. ſect. 3. & 4. Gonzalez diſput. 53. num. 11. Arrubal diſputat. 56. cap. 2. Nauarrete controuerſia 3. §. 3. verſiculo, *ex quo ſequitur.* & alij, quibus mirificè fauet Auguſt. in Enchirid. cap. 103. fin. dicens, *Deus ſi in cœlo, & in terra, omnia, quæcumque voluit, fecit; profectò facere noluit quæcumque non fecit.* Tum ratione, quia ſi circa res nunquam futuras Deus haberet ſe merè negatiuè, non poſitiuè volendo, & diſponendo, eas non eſſe futuras, ſequeretur eius prouidentiam non eſſe omninò perfectam: quia ad ſummam, & ſimpliciter infinitam prouidentiam ſpectat, præuiſis omnibus circumſtantiis, quæ poſſunt occurrere, & cum certiſſima cognitione quòd non poſſint aliæ mali, vel boni rationes occurrere præter præuiſas, de omnibus rebus diſponere quàm primùm diſponi poſſit. Sed Deus ab æterno præuidit omnia, & ab æterno potuit de omnibus, & ſingulis diſponere, vel volendo vt ſint, vel volendo vt non ſint; ergo ab æterno de facto ita diſpoſuiſſe cenſendus eſt. Nam etiam quando vult, rem non eſſe futuram, hoc non eſſe rei eſt obiectum appetibile, non ſecundum ſe, cum ſit malum rei, ſed in ordine ad aliquid aliud, vt ad oſtendendam iuſtitiam, potentiam, &c. & hac ratione illud non eſſe, induit aliquam rationem boni, vt docent S. Thomas 1. cont. Gent. cap. 81. num. 2. & ibi Ferrarienſis. Quo actu poſitiuo nolitionis liberæ, fit aliqua mutatio in re; quatenus poſt illum actum intelligitur habere, & vi illius recipere quamdam impoſſibilitatem, & repugnantiam ad eſſe futurum, qua antea carebat.

*Quibus fauet Auguſtinus.*

*Negationis ratio ducta ex perfectione prouidentiæ.*

S. Thomas. Ferrarienſis.

*Reſpondetur, non eſſe contra libertatē, ſtatim determinare de rebus.*

Reſpondeo, bene probatam eſſe inconuenientiam conſequentis. Nego autem illud deduci ex libertate diuinæ volitionis. Nam eſto hæc eſſe nequeat omninò ſuſpenſa circa creaturas, tamen hæc ſuſpenſionis libertas, quam habent creaturæ, inuoluit imperfectionem ex defectu cognitionis, & prouidentiæ, & propterea non ponenda in Deo. Ad perfectionem igitur diuinæ libertatis abſque vlla imperfectione, ſatis eſt, vt de quacumque re creata poſſit ad libitum velle iam eſſe, vel non eſſe: hæc enim eſt veriſſima indifferentia, & potentia ad vtrumlibet: vt rectè notat Vazquez ſupra num. 19.

17. *Sexta obiectio.*

Obiicies 6. Si diuina voluntas eſſet libera, & haberet ſe ad vtrumlibet, deberet ab alio determinari; quod eſt abſurdum, quia ſic haberet Deus aliquam cauſam ſuperiorem determinantem.

*Reſpondetur cum S. Thoma, & Ferrarienſi.*

Reſpondet S. Thomas hîc ad 5. voluntatem creatam determinari ab alio (quod de determinatione obiectiua intelligendum eſſe mox conſtabit) increatam verò determinari à ſe ipſa. Paulò aliter reſpondet l. 1. cont. Gent. cap. 82. poſt med. *Deum ad volendum ab aliquo exteriori non determinari, ſed per ſui intellectus cognitionem determinari.* Quas duas reſponſiones optimè concordat, & explicat ibi Ferrarienſis §. *Sed tunc.* diſtinguendo duplicem determinationem, alteram effectiuam, alteram obiectiuam. Cum S. Thomas docet, voluntatem diuinam determinare ſe ipſam, eſt intelligendus de quaſi effectiua determinatione, quia, inquit Ferrarienſis, *voluntas diuina eſt agens liberum, & ſic ipſa ſeipſam determinat per modum efficientis, ſiue producentis actum ad tale obiectum terminatum.* Quibus verbis antiquioris, ac doctiſſimi Thomiſtæ, addita etiam ſimili doctrina Capreoli infra, num. 31. in fin. aduertere poſſunt Thomiſtæ moderni, indubitatum eſſe in Schola ſancti Thomæ, eſſe contra rationem agentis liberi, determinari effectiuè ab alio quàm à ſeipſo. Cum verò docet, voluntatem diuinam non determinari ab alio exteriori, ſed ſolùm ab intellectu diuino, eſt intelligendus de determinatione obiectiua, &, vt ait Ferrarienſis, *de determinante per modum ſpecificantis, & proponentis obiectum vt volendum.* Id enim probat S. Thomas citato cap. 82. *quia bonum apprehenſum voluntatem, ſicut proprium obiectum determinat. Intellectus autem diuinus non ſolùm apprehendit diuinum eſſe, quod eſt bonitas eius, ſed etiam alia bona: quæ quidem apprehendit vt ſimilitudines quaſdam diuinæ bonitatis, & eſſentiæ, non vt eius principia; & ſic voluntas diuina in illa tendit, vt ſuæ bonitati conuenientia, non vt ad ſuam bonitatem neceſſaria.* Apertè loquitur de bono apprehenſo per intellectum, quod eſt obiectum voluntatis, &, niſi fuerit adæquatum, vt

*Duplex determinatio, effectiua, & obiectiua.* *Diuina voluntas ſe determinat effectiuè.*

*Dei voluntas determinatur obiectiuè ab intellectu.*

*Qualis ſit prædicta determinatio obiectiua.*

ſupra, num.2. non propriè determinat, ea ſcilicet determinatione, de qua ſupra quæſt. 14. art. 13. diſputauimus, qua nimirum potentia indifferens ad plura oppoſita, determinatur ad vnum, ita vt in ſenſu compoſito cum tali determinatione potentia ferri nequeat in aliud oppoſitum. Vnde idem S.Thom. tum hîc in argumento quinto, tum in citato cap. 82. non ſolùm vſurpat nomen determinandi, ſed etiam inclinandi, quod commune eſt ad inclinare neceſſariò, quod propriè eſt determinare, quo modo Deus clarè viſus in patria, inclinat ad amorem beatificum, & ad inclinare liberè, quo modo bonum delectabile inclinat ad opus moraliter malum. Loquitur igitur S. Thom. de largiori determinatione obiectiua, qua nimirum voluntas indifferens ad volendum vnum potius oppoſitum quàm aliud, ad illud obiectum inclinatur, & ferri poteſt, quod illi ab intellectu proponitur, & eo modo, quo proponitur; nempe liberè, ſi proponitur vt liberum; neceſſariò, ſi proponitur vt neceſſarium. Quam

*Duplex determinatio obiectiua ex Suarez, & Salas.*

determinationem Suarez tomo 2. Metaphyſ. d.30. ſect.16. num.45. benè vocat *ſufficientem*, qua ſcilicet voluntas eſt in actu primo ſufficienter conſtituta, vt ipſa ſe ipſam determinare poſſit ad vtrumlibet; eámque diſtinguit ab alia, quam vocat *efficacem*, ſub qua ſcilicet poſita voluntas non poteſt non operari, ſeu, quod idem omninò eſt, vt ſuperius non ſemel oſtendimus, eſt infallibiliter operatura vnam determinatam oppoſitionis partem: & vtramque veriſſimè, & clariſſimè explicat, & ſequitur Salas 1.2. quæſt.6. art.1. tract.3.

*Obiectũ aliter determinat voluntatẽ diuinam, aliter noſtrã.*

diſput.1. ſect.7. num.82. Atque in hoc obiecto taliter determinante S. Thomas hîc ad 5. docet, differre voluntatem noſtram à diuina; quia obiectum noſtræ eſt bonum aliquod exterius, ſiue extra ipſam voluntatem, & bonitatem ipſius intrinſecam; obiectum verò diuinæ eſt intra ipſam, & omninò idem cum ipſa: quia ſcilicet cum Deus vult bona creata, mouetur quidem materialiter ad illa, non tamen mouetur formaliter ab illis, ſed à ſola increata ſua bonitate. Hanc interpretationem diligenter tradendam eſſe duxi, vt clariſſimè appareret, quàm leuiter noui Thomiſtæ nitantur hac reſponſione ad 5. vt antecedentem, effectiuam, atque efficacem liberæ voluntatis prædeterminationem ad vnum nobis perſuadeant ex S.Thom. qui tamen ſæpiſſimè, & clariſſimè eam auerſatus eſt. Et hoc loco euidenter affert aliam diuerſiſſimam determinationem obiectiuam, de qua nunquam fuit, nec eſſe poteſt aliqua controuerſia. & determinationem effectiuam expreſsè negat eodem cap. 82. vt oſtendam infra, num.52.

18. *Septima obiectio.*

Obiicies 7. Quicquid Deus ſcit, & poteſt, ex neceſſitate ſcit, & poteſt; ergo à pari, quicquid Deus vult, ex neceſſitate vult: quia ſicut Dei ſcientia, & potentia, ita voluntas eſt eius eſſentia, quæ eſt maximè neceſſaria.

*Reſpondetur declarãdo ſolutionem ſexti argumenti huius articuli.*

Reſpondet S.Thom. hîc ad 6. diſtinguendo de his diuinis perfectionibus: ſi enim conſiderentur abſolutè, prout *in ſe* ſunt, omnes ſunt neceſſariæ, vt ſupra num. 1. Si ſecundum *habitudinem* ad obiecta creata, *diuinum ſcire habet neceſſariam habitudinem ad ſcita*, ſicut diuinum poſſe ad poſſibilia, *non autem diuinum velle ad volita.* Diſparitatis rationem eſſe ait, *Quia ſcientia habetur de rebus ſecundum quòd ſunt in ſciente; voluntas autem comparatur ad res ſecundum quòd ſunt in ſeipſis. Omnia verò alia habent neceſſarium eſſe, ſecundum quòd ſunt in Deo, non autem ſecundum quòd in ſeipſis.* Vbi certum eſt, agi de ſola voluntate efficaci, quæ ſola habet liberam habitudinem ad volita, & reſpicit res ſecundum quòd in ſeipſis ſunt. Vt autem veritas huius reſponſionis, quæ optima eſt, percipiatur, illud, *ſecundum quòd*, accipiendum eſt, non vt reduplicans rationem formalem ſciendi, & volendi, quia loquendo formaliter, tam quæ ſcit Deus, ſcit in ſeipſo, hoc eſt, ſciendo veritatem propriæ naturæ, ſupra quæſt.14. art.5. quàm quæ vult, vult in ſeipſo, hoc eſt, volendo bonitatem propriæ naturæ, ſupra art.2. concluſ.2. ſed vt reduplicans ipſammet rationem materialem ſciti, & voliti. Nam Deus ſcit quidem in ſeipſo res in ſeipſis, hoc eſt, ſecundum formale, ac proprium eſſe creaturæ, quod habent in ſeipſis vt diſtinctis à Deo: non tamen ſcit in ſeipſis prout in ſeipſis, hoc eſt, quia actu ſunt in ſeipſis à parte rei extra Deum; nam etſi nihil actu eſſet vnquam extra Deum, adhuc Deus ſciret omnia in ſeipſis, non tamen prout in ſeipſis, ſed ſolùm prout obiectiuè ſunt extra Deum. At verò non ſolùm vult in ſeipſo res in ſeipſis, ſed etiam prout in ſeipſis; quia vult eas eſſe in ſeipſis actu à parte rei extra Deum, volitione ſcilicet efficaci; & ideò ad res ita volitas non habet habitudinem neceſſariam, ſicut habet ad res ſcitas. Idem applicari poteſt diuinæ potentiæ, quæ reſpicit quidem res actuales in ſeipſis, tamen non prout actuales, ſed prout poſſibiles; quia etſi res nullam vnquam in ſeipſis actualitatem habeant, tamen adhuc fieri poſſunt actuales per diuinam omnipotentiam.

Hinc colligi poteſt quàm verè dixerint Alenſis 1.p. quæſt.34. membro 3. Bonauentura 1. diſt.45. art.1. quæſt.2. & alij, Deum non eſſe omniuolentem, ſicut eſt omnipotens, & omniſciens. Id enim verum eſt de voluntate efficaci circa creaturas actuales, quæ voluntas propriè dicitur voluntas, abſolutè, & ſimpliciter ſine vllo addito. Vnde Magnus Albertus 1.p. ſummæ, tract.20. quæſt.79. membro 2. art. 1. part. 2. fin. *Non poteſt*, inquit, *dici omniuolens, ſicut dicitur omniſciens, & omnipotens; quia non omnia fieri vult, quæ poteſt, & ſcit.* Per illud, *Fieri vult*, clarè explicat, ſe loqui de voluntate efficaci. & ratio differentiæ ſumitur ex dictis, quia voluntas efficax vt ſic, fertur circa actualia vt actualia, quia illa eſſe vult, & efficit actualia; quod non conuenit omnibus ſimpliciter creaturis; & ideo Deus non eſt omniuolens. At verò potentia vt ſic, fertur circa creaturas actuales, non quia ſunt actuales, vel quia facit actuales, ſed ſolùm quia facere poteſt actuales; ac proinde fertur circa creaturas actuales, in quantum ſunt poſſibiles: quod omnibus creaturis competit, & ideo Deus omnipotens. Idem dicendum de ſcientia: quamuis enim particularis quædam ſcientia viſionis, non ſit de omnibus ſimpliciter creaturis, ſed ſolùm de actualibus, ſecundum quòd actuales ſunt, ac proinde ratione illius dici nequeat Deus omniſciens, in quo eſt eadem ratio de hac ſcientia, & de voluntate efficaci; tamen ſcientia vt ſcientia, in quantum ex natura ſua eſt perfectio antecedens perfectionem voluntatis, facit Deum omniſcientem, quia fertur circa actualia, non ſecundum quòd ſunt actualia, ſed ſecundum quòd poſſibile eſt eſſe actualia, & conſequenter, circa omnia ſimpliciter, quia nulla creatura eſt, quæ non poſſit eſſe actualis. Falſum autem eſt de voluntate inefficaci, quæ eſt quidam affectus, & quædam complacentia voluntatis, potius quàm voluntas; & fertur neceſſariò circa omnia poſſibilia, vt ſupra dubitatione ſecunda, 19.

Alenſis. Bonauent. *An Deus ſit omniuolens, ſicut eſt omnipotens, & omniſciens.* Albertus.





non minus quàm potentia, & ſcientia: & ideo ratione illius dici poteſt aliquo modo Deus omniuolens, non minus quàm omnipotens, & omniſciens. Illam verò citati Theologi non conſiderarunt, quia voluntas quæ nihil efficit circa creaturas, videbatur non tam propriè voluntas creaturarum, quàm voluntas creatoris.

20. *Cur Deus ſit omnipotẽs, & omniſciens: non omniuolens.*

Idem explicari magis poteſt, aperiendo profundiorem radicem differentiæ aſſignatæ, & totius concluſionis. Potentia diuina terminatur ad creaturas vt poſſibiles, non faciendo illas poſſibiles, ſed præſupponendo, tanquam aliquid, quod ex propriis eſſentialibus principiis non implicat fieri. Scientia quoque ſimplicis intelligentiæ terminatur ad eadem poſſibilia, non faciendo eorum veritatem, ſed præſupponendo. Item ſcientia viſionis terminatur ad res futuras, non faciendo, ſed præſupponendo. Implicat autem, diuinam omnipotentiam non poſſe facere quod ex natura ſua poteſt fieri; &, infinitam Dei ſcientiam non ſcire quod ex propria eſſentia ſua eſt ſcibile; alioqui neque illa eſſet omnipotentia, neque hæc eſſet infinita ſimpliciter in ratione ſcientiæ. Quoniam verò nulla eſt creatura, quæ non ſit poſſibilis, nulla, quæ non ſit ſcibilis, ideo Deus ex neceſſitate, ſeu potius ex neceſſaria naturæ ſuæ perfectione omnia poteſt, omnia ſcit. & in hoc ſenſu

*Ex S. Thom. Deus quacũque ſcit, etiã ſcientia viſionis, ex neceſſitate ſcit.*

S.Thomas hîc ad 6. veriſſimè dixit, *Deus quacumque ſcit, ex neceſſitate ſcit.* Quod vniuerſaliter dictum verificari debet de ipſa etiam ſcientia viſionis, qua multa ſcit Deus, & ideo continetur ſub illo vniuerſaliſſimo ſubiecto, *Quacumque ſcit*, ergo de illa etiam verificatur illud prædicatum, *ex neceſſitate ſcit.* Quam neceſſitatem de ſcientia viſionis in particulari conceſſit, & acutè adnotauit Caietan. hîc, in reſponſione ad 6. quem laudat, & ſequitur Vazquez diſput.79. cap.3. initio. & accuratè expoſui ſupra, quæſt.14. artic.13. num. 21. At voluntas efficax Dei terminatur ad creaturas vt futuras, contraria ratione, nimirum non præſupponendo, ſed faciendo: vnde ipſæ potius res futuræ præſupponunt diuinam voluntatem, tanquam effectus cauſam. Ergo antequam Deus velit efficaciter creaturam, intelligitur in ſe diuina voluntas omninò perfecta, cum nullum ſit obiectum præſuppoſitum, in quod non feratur; & illud eſſe futurum, quod poteſt velle, & cauſare, ſit aliquid extra ipſum, & nullam ipſi intrinſecam perfectionem addat, nec extrinſecam vllo modo ſibi neceſſariam, aut vtilem. Non enim eſt intrinſecè magis perfecta voluntas Dei, quòd hunc mundum de facto voluerit, quàm ſi illum noluiſſet: ſicut à contrario, non deeſt illi intrinſeca aliqua perfectio, quòd multa noluerit, quæ velle potuiſſet. ergo voluntas efficax, qua Deus non vult bonum creatum poſſibile, ſed præſupponit illud poſſibile; & vult eſſe actu, neque eſſe poteſt neceſſaria, neque vniuerſalis de omnibus, vt probaui in primo Tomo, quæſt. 7.

Caietan. Vazquez.

*Cur amor diuinus inefficax erga creaturas, ſit neceſſarius.*

artic.3. dub.13. Hinc demum intelligitur neceſſitas, & vniuerſalitas amoris inefficacis, de quo ſupra dub. 2. quia voluntas diuina non facit volibilitatem, &, vt ita loquar, complacibilitatem, ſeu bonitatem illam, quæ rebus omnibus poſſibilibus, vt ſic, neceſſariò conuenit, ſed potius illam præſupponit: ergo affectus diuinæ voluntatis non poteſt intelligi vndequaque infinitè perfectus, niſi hoc quoque obiectum amplectatur; alioqui daretur aliquid complacibile, circa quod non ferretur diuina complacentia, ergo hæc non eſſet ſimpliciter infinita.



## DVBITATIO IV.

### *Quid formaliter importet velle Dei liberum in actu primo.*

SVMMA.

1 *Refertur, & impugnatur Aureoli ſententia de voluntate Dei libera. n.22. ad 27.*

2 *Velle liberum in actu primo eſſe in Deo realem perfectionem, ratione diſtinctam à velle neceſſario. num.27.*

3 *Soluuntur argumenta Aureoli. n.28. ad 32.*

### *Exponuntur termini controuerſiæ.*

QVamuis in diuina voluntate neque à parte rei ſit, neque à nobis rectè concipi poſſit aliqua ratio potentiæ, aut vniuerſalius, aliqua ratio actus primi per ordinem ad ipſum actum ſecundum vitalem, & immanentem, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: tamen ratio actus primi, & potentiæ in ea non ſolùm bene concipitur, ſed verè eſt, per ordinem ad obiecta, ſiue effectus, quos verè à parte rei, poteſt velle cauſare, & non velle cauſare: quia, vt optimè docet Scotus 1.d.39. quæſt.1. post §. *Iuxta prædicta. voluntas diuina non eſt indifferens, ac libera ad diuerſos actus nolendi, & volendi. Sed primò ad obiecta oppoſita*, quæ ſunt eſſe, & non eſſe vt volibilia; *ita quòd ſicut voluntas noſtra poteſt diuerſis volitionibus tendere in diuerſa volibilia, ita illa voluntas poteſt vnica volitione ſimplici illimitata tendere in quacumque volibilia. Secundò ad oppoſitos effectus*, qui ſunt eſſe, & non eſſe vt volita. *Sed hæc*, inquit, *non eſt prima libertas, ſicut nec in nobis.* Quæ acuta diſtinctio diligenter eſt obſeruanda: enimuerò in quacumque voluntate prius eſt id, quod illi proponitur ab intellectu vt obiectum ſuum, antequam intelligatur voluntas aliquid velle, & hoc eſt, bonum poſſibile, & conueniens vt ſit, vel non ſit, quod Scotus vocat volibile; deinde eſt id, quod ipſa vult circa tale obiectum ſibi propoſitum, & hoc non eſt prædictum obiectum, ſed ſolùm actualis illius exiſtentia, vel non exiſtentia; quæ à Scoto dicitur effectus volitus. Neque enim infirmus, verbi gratia, vult vt ſanitas ſit illi bonum poſſibile, & conueniens, ſed præſuppoſito quòd ſanitas ſit tale bonum volibile, prout illi proponitur ab intellectu, vult ſolùm tanquam effectum, vt illa ſanitas in ſe ſit. Libertas igitur cuiuſlibet voluntatis prius concipienda eſt in ordine ad oppoſita obiecta volibilia, poſterius in ordine ad oppoſitos effectus volitos. Ex hac autem prioritate, & poſterioritate ſequitur, quod hîc intendimus, vt ipſummet liberum velle Dei, ex eo quòd antequam concipiatur aliquid velle tanquam effectum, intelligitur verſari indifferenter, & liberè circa oppoſita volibilia, tanquam obiecta, quæ ſunt eſſe, & non eſſe, vt poſſibilia, & conuenientia, non vt exiſtentia, habeat in illo priori ſigno aliquam veram rationem actus primi, quo poſſit liberè velle, ſeu decernere, vt ex duobus illis oppoſitis obiectis volibilibus, ſit vnũ, & non ſit aliud. Velle igitur diuinũ, vt in illo priori ſigno liberè verſatur circa obiecta, voco liberum in actu primo. de quo nulla ferè controuerſia eſt; & à Gillio l.2. tract.8. c.9. n.2. bene etiam vocatur, *liberum habitualiter*: vt in poſteriori ſigno liberè verſatur circa effectus, voco liberum in actu ſecundo, de quo controuerſia eſt, humano ingenio incomprehenſibilis. Atque hæc ſunt illa velle, quæ Caiet. ſupra art. 2. §. *Ad hoc poteſt.* vocat, *velle actualiter* 21.

*Notãda Scoti diſtinctio de volũtatis diuina libera obiecto, & effectu.*

*Quid ſit velle Dei in actu primo, & in actu ſecundo.*

Gillius.

Caietan.

*alia eſſe; & velle potentialiter alia, id eſt eſſe volitiuum aliorum, ſiue velit alia, ſiue non.*

## *Duæ concluſiones certæ.*

*Quinta concluſio. Velle liberũ in actu primo importat in Deo perfectionem intrinſecã, & formalem. Quid de concluſione ſenſerit Aureolus.*

22. Quinta concluſio. Velle Dei liberum in actu primo, eſt verè, ac formaliter in Deo, intrinſecum, & immanens. Ita omnes; ſi qui enim ſunt qui contradicere videntur, ſunt intelligendi de velle libero in actu ſecundo. Solus diſſentire videtur Aureolus 1. d. 47. quæſt. 1. art. 1. propoſit. 3. vbi probat, *Quòd ineuitabile eſt, quin Deus producat abſoluta neceſſitate quicquid producit, ſi ponatur, quòd ſe determinet ad producendum per aliquod velle intrinſecum, participans formalem rationem volitionis.* Negare igitur videtur in Deo hoc velle intrinſecum, & formale, cum ex eo contendat ſequi prædictum impoſſibile. Et ideo in quarta propoſitione expreſsè aſſumit probandum, *Quòd Deus producit, quicquid producit, abſque hoc, quòd determinetur per aliquod velle intrinſecum.* Et in tertio ſuo argumento ait, *velle producere, quod producit, in Deo non eſt.* Tandem in ſequenti §. *ex præmiſſis.* opinionem ſuam clarius exponit: nam admittit in Deo circa creaturas *voluntatem cuiuſdam complacentiæ immutabilem, & neceſſariam abſolutè, in quantum ſibi complacet in ſua entitate, & per conſequens in omni entitate creabili vel creata.* Negat autem ex huiuſmodi complacentia, aut ex aliquo alio voluntatis actu, quem in Deo non agnoſcit, *Deum determinari ad producendum, vel non producendum, quia,* inquit, *æqualiter complacet, ſiue fuerint, ſiue non fuerint; & ſiue annihilet mundum, ſiue creet.* Sed ait, Deum liberè producere, vel non producere, ex eo præciſè, *quòd per rationem ſimplicem Deitatis producit exterius, & non producit; & habet vtrumque in ſua poteſtate, & habet ſuper vtrumque dominium; ita quòd determinatè poteſt producere, vel non producere, abſque hoc quod intrinſecè determinetur per aliquod velle. Et ſecundum hoc,* inquit, *Deitas induit rationem voluntatis ex iſto certo connotato, quod eſt, habere omnem actum exteriorem in ſua poteſtate. Et ſic liberè producit, vel non producit, non ex determinatione, ſed ex dominio, ſeu, quadam dominatiua vi, & poteſtatiua virtute, quæ eſt ipſamet ratio Deitatis.* Tandem cum dicitur, quòd Deus vult producere quod producit, concludit eſſe intelligendum, *non quòd intrinſecè habeat quoddam velle, quo determinetur ad producendum. Sed eſt ſenſus, quòd Deus habet in ſuo pleno dominio producere, & non producere: & dum producit, quia vult, producit; hoc eſt, quia non aliunde ad producendum determinetur. Sed ideò magis producit, quàm non producit, quia hoc habet in ſua plenaria poteſtate.*

23. Hæc Aureoli ſententia, verbis ipſius fideliter relata, duas præcipuas partes continet, ambas valdè abſurdas. Primò in diuina voluntate, formaliter quatenus voluntate, nullam omninò intrinſecam libertatem ponit, ſed meram neceſſitatem. Secundò libertatem Dei in agendo ad extra, explicat præciſè per ſolam omnipotentiam Deitatis. Quod non tam eſt explicare diuinam libertatem, quàm eam implicare, ac funditus tollere. Quare piè potius quàm verè laborat Vazquez hîc diſp. 8. num. 8. dum verba Aureoli ad bonum ſenſum reuocare nititur. Ea verò ſenſum abſurdum habere, benè probat, & reiicit Ariminenſis 1. d. 35. q. 1. poſt ſeptimam concluſionem. & in eodem ſenſu afferuntur, & impugnantur à Capreolo ibidem, art. 2. poſt omnes concluſiones. Eadémque ſententia, vt ait Fonſeca 7. Metaph. cap. 8. q. 5. ſect. 2. poſt med. quem ſequitur Salas 1. 2. q. 6. art. 1. tract. 3. diſp. 1. ſect. 8. num. 89. *meritò à cæteris Theologis reiÿcitur tanquam parum conſona diuinis Scripturis, & in ſe valdè abſurda.* Et, vt ait Suarez tomo 2. Metaph. diſp. 30. ſect. 9. n. 5. quem ſequitur Gonzalez hîc, d. 53. n. 2. *nullo modo defendi poteſt iuxta principia fidei.* &, vt ait Zumel hîc d. 2. poſt argumenta, *eſt omninò fugienda, quia repugnat ſacræ Scripturæ.*

*Aureolum excuſat Vazquez. Impugnant Ariminenſis, Capreolus, Fonſeca, Salas, Suarez, Gonzalez, Zumel.*

*Sententiam Aureoli eſſe contra Scripturam.*

24. Arguo igitur primò, quia Scriptura ſæpe, & expreſsè diſtinguit voluntatem Dei ab eius operibus, & hæc docet ab illa cauſari. & tamen Aureolus contendit, voluntatem diuinam non eſſe principium operationis ad extra, ſed tantùm ſimplicem quamdam complacentiam omnium creaturarum, ſiue fiant, ſiue non fiant. Antecedens manifeſtum eſt ex illo Pſal. 113. & 134. *Omnia, quæcumque voluit, fecit Dominus;* quem locum bene vrget Ariminenſis ſuprà. Nam illud, *voluit,* propriè accipiendum eſt pro ipſa formali voluntate Dei, & non metaphoricè pro aliqua alia perfectione, contra omnes Patres, & Scholaſticos, qui in Deo voluntatem propriè, & formaliter eſſe fatentur; & propterea de hac voluntate intelligunt Scripturam tribuentem Deo velle, & diligere creaturas. Et ſanè intolerabilis eſt expoſitio Aureoli; Deus vult producere, hoc eſt, inquit, *habet in ſuo pleno dominio producere, & non producere; & non aliunde determinatur ad producendum.* Tunc enim verborum Pſalmi ſupra, ſenſus eſſet hic erroneus, inquit Ariminenſis, *Quòd quæcumque Deus potuit facere, & non facere, fecit.* Nec ex eo quòd Deus non aliunde determinetur ad producendum, liberari poteſt Aureolus ab iſto ſenſu turpi; quia ſicut per ipſum Deus non determinatur ad producendum ea, quæ producit, ita nec determinatur ad non producendum ea, quæ non producit. Nullam igitur, excluſa voluntate liberè determinante productionem harum creaturarum, & non aliarum, cauſam reddere verè poteſt, cur Deus non velit omnia producere, & non producat. Et cur ſi non omnia vult producere, & producit, cur velit producere, & producat hæc potius quàm alia. Eamdem vim habet illud ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* & Sapient. 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* & ad Epheſ. 1. *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Electio autem eſt propriiſſimus liberæ voluntatis actus. & certum eſt in Scriptura, & Sanctis, prædeſtinationem, ſi non ad gloriam, ſaltem ad gratiam, eſſe opus æternæ Dei voluntatis omninò liberæ, & gratuitæ, & non ſolius omnipotentiæ, quod tenetur dicere Aureolus.

*Exponitur locus Pſalmi 113. & 134.*

Ad Epheſ. 1. Sap. 11. Ioan. 3.

*Contra Aureolum prima ratio ex abſurdo.*

25. Arguo ſecundò ratione. Si Deus ab æterno voluit facere quæ fecit in tempore, ſolùm ex eo quòd ab æterno habuit poteſtatem faciendi, & non faciendi, & in tempore fecit ex ſe non determinatus ab alio, ſequeretur, vt rectè deducit Ariminenſis, quòd de eo, qui hodie eſt iuſtus, ſed cras eſt peccaturus mortaliter, quod peccatum hodie neque in voluntate, neque in mente habet, dici poſſet, Hic hodie vult peccare mortaliter; quia hodie habet poteſtatem peccandi, & non peccandi cras; & hodie etiam verum eſt, quòd cras eſt peccaturus, & ad peccandum non determinatur ab alio, quàm à ſeipſo. Sicut igitur ita loqui, eſſet irrationabile, & ridiculum; ita etiam cum Deus dicitur, voluiſſe ab æterno mundum creare in tempore, ſi non ſit alius ſenſus, niſi, Deum ab æterno habuiſſe poteſtatem creandi, & non creandi in tempore, & creaſſe in tempore non determinatum ab alio.

Arguo



*Secunda ratio à priori.*

26. Arguo 3. aſſignando huius rei rationem à priori. Omne, quod eſt in actu primo indifferens ad oppoſita, ſi in actu ſecundo facit hoc, non aliud, debet ad hoc determinari, vel ab alio, vel à ſe ipſo; quia ipſum facere hoc determinatum, & non aliud, eſt formaliter determinari, ergo vel ab alio, vel à ſe. Deus igitur cum determinatè creauit hunc mundum per ſuam omnipotentiam, indifferentem ad creandum hunc mundum, vel ad nõ creandum, ſed creandum alium, vel ſe determinauit formaliter per omnipotentiam, vel per aliam ſuam perfectionem formalem. Non primum, quia res indifferens ad plura, & ſe ipſam, per innatam vim ſuam, determinans ad vnum, eſt propriè, ac formaliter libera, & conſequenter eſſentialiter voluntas: ſed omnipotentia in Deo, ſecundum formalem, ac præciſum conceptum omnipotentiæ non eſt formaliter libera, nec voluntas formaliter; cum de intrinſeco, & eſſentiali conceptu omnipotentiæ nõ ſit libertas: ergo Deus per omnipotentiam formaliter, per quam operatur vnum determinatum, non ſe formaliter determinat ad illud. Si ſecundum, habetur intentum: quia alia formalis perfectio, diſtincta ratione ratiocinata ab omnipotentia, per quam omnipotentia determinatur, eſſe neceſſariò debet perfectio formaliter, & eſſentialiter libera, & conſequenter voluntas. ergo datur in Deo velle diuinum intrinſecum, liberum, & efficax, quod ſit principium determinatiuum, & effectiuum operationis ad extra. Neque dici poteſt, omnipotentia determinari per ipſum determinatum, & extrinſecum actum omnipotentiæ: tum quia hic actus, cum ſit poſterior, ſupponit cauſam ſuam, in actu primo completam, ergo vel aliunde determinatam, ſicut agens naturale; vel determinatam ſe ipſa ex propria, & intrinſeca libertate, vt agens liberum. tum quia in caſu noſtro, cum inquiramus, vnde habeat diuina omnipotentia, vt, cum in ſe habeat indeterminatam vim agendi, agat hoc determinatum, & non aliud, quod æquè indifferenter, quantum eſt ex ſe, agere poterat? aſſignari debet determinans effectiuè, & antecedenter, tenens ſe ex parte cauſæ; non autem determinans formaliter, & conſequenter, tenens ſe ex parte effectus: fruſtra enim & ineptè dicitur, effectus determinare cauſam ad producendum ipſummet effectum. ergo dici non poteſt, omnipotentia, ad producendum extrinſecum actum determinatum, determinari per eumdem actum. Tum quia talis modus determinandi cõſequenter cauſam per ſuum actum, ſiue effectum determinatum, eſt communis omnibus cauſis, tam liberis, quàm neceſſariis; quia etiam ignis, v. g. determinatur per ſuam calefactionem, ſol per illuminationem ſuam, & ſimiliter cætera agentia neceſſaria, quamuis ſint antecedenter determinata per naturam, tamen determinantur etiam conſequenter per effectum, eodem planè modo, quo agentia libera; cum non minus illa, quàm hæc, producant determinatum effectum: ergo hic modus determinationis conſequentis non eſt ſufficiens ad explicandam determinationem propriam cauſæ liberæ.

*Cauſa libera debet ſe determinare antecedenter ad effectum.*

*Sexta cõcluſio. In Deo ratione diſtinguuntur velle liberum in actu primo, & neceſſarium.*

27. Sexta conluſio. Velle Dei liberum in actu primo, importat realem quamdam perfectionem, in Deo intrinſecè, & formaliter exiſtentem, ratione ratiocinata diſtinctam ab alia reali perfectione, quam idem velle, in ſe intrinſecè, & formaliter habet, vt neceſſarium. Hæc concluſio declarata, & probata ferè remanet ex dictis hactenus in hac quarta dubitatione. Rem totam ſic breuiter explico. Velle Dei, vt verſatur circa ipſummet Deum, eſſe in ſe neceſſarium, & dicere aliquam realem perfectionem, Deo formaliter conuenientem, ſecundum quam Deus non poteſt non ſemper, & actu eſſe per affectum vnitus ſummo, & infinito bono, omnes fatentur, etiam Aureolus ſupra. Idem velle, vt verſatur circa aliud obiectum creatum, eſſe in ſe intrinſecè, & formaliter per aliquam realem perfectionem, formaliter in Deo exiſtentem, patet, quia libertas circa bonum, ſiue obiectum non ſibi adæquatum, & non neceſſarium, eſt realis quædam perfectio ſimpliciter ſimplex, qua ſcilicet poteſt quis illud bonum cauſare, vel non cauſare. Omnis autem huiuſmodi perfectio Deo formaliter competit: perfectio verò libertatis formaliter conuenit voluntati, quæ in Deo eſt ipſum velle actuale. ergo hoc eſt formaliter liberum in Deo. Demum iſtas duas perfectiones non repugnare in eodem actu, oſtenſum eſt ſupra, num. 12. Eaſdem poſſe à nobis ratione ratiocinata, cum fundamento in re, inter ſe diſtingui, patet tum ex ipſa diſtinctione obiectorum, circa quæ verſantur, etiam in Deo; tum ex eo quòd in creaturis reperiuntur realiter ſeparatæ; nam amor beatificus in patria, habet perfectionem volitionis neceſſariæ: amor alicuius boni honeſti in via, habet perfectionem volitionis liberæ.

## *Contraria Aureoli argumenta.*

Multa obiicit Aureolus ſupra, quæ ſoluunt Ariminenſis ſupra, & cumulatius Capreolus ſupra; 28.
at eorum nonnulla impugnant velle Dei liberum in actu ſecundo, de quo in dubitatione ſequenti. Contra velle liberum in actu primo faciunt quæ habet in quarta propoſitione. Arguit primò. *Si Deus determinet ſe per aliquod velle intrinſecum, aut illud velle reſpicit æqualiter vtramque partem contradictionis, videlicet producere, & non producere; aut reſpicit tantùm alteram partem, videlicet producere. Non primum, quia tale velle eſt indeterminatum ad producere, & non producere. Non ſecundum, quia tunc quæritur, An velle non producere potuerit ineſſe Deo ab æterno, vel non potuerit. Non primum, quia quicquid potuit eſſe in Deo ab æterno, hodie eſt in Deo; cum quicquid potuit eſſe in Deo, potuerit eſſe Deus; & quicquid potuit eſſe Deus, actu ſit Deus. erit ergo in Deo non ſolùm velle producere, imò & velle non producere: & per conſequens, non magis intrinſecè determinabitur ad producendum, quàm ad non producendum. Si ſecundum, ſequitur quòd vult producere neceſſitate abſoluta, quod erroneum eſt, ergo nullo velle intrinſeco determinatur ad producendum.*

*Primum argumentum.*

*Reſpondetur primò declarando terminos.*

Reſpondeo primò declarando propoſitionem, quæ directè impugnatur, nempe, Deus determinat ſe per aliquod velle intrinſecum. In ea enim duo ſunt, quæ apertè diſtinguuntur hîc ad ſextum, & ipſum *diuinum velle, quod in ſe eſt neceſſarium;* & ipſa actualis determinatio, quam S. Thomas vocat, *Habitudinem non neceſſariam ad volita.* ac proinde non poteſt eſſe aliquid Deo intrinſecum, vt mox probabo.

*Secundò in forma.*

Secundò ad argumentum in forma, Velle, ſecundum ſe, & præciſè conſideratum, qua ratione concipitur vt liberum in actu primo, & indeterminatum, reſpicit æqualiter vtramque partem contradictionis. Idem velle, vt coniunctum cum actuali determinatione, qua ratione concipitur vt liberum in actu ſecundo, & determinatum, reſpicit vnam partem contradictionis, & non aliam, v. g. producere, & non producere. Ad ſecundum quæſitum reſpondeo, Deum, qui de facto voluit

producere, potuiſſe velle non producere; ita vt talis potentia non cadat ſupra ipſum velle ſimpliciter, quia in Deo nulla conſiderari poteſt potentia ad actum volendi, ſed ſupra determinationem, & habitudinem, quam illud velle poterat habere ad non producendum, & iuxta probata ſupra, n. 16. de facto habuit reſpectu poſſibilium nunquam futurorum. Ex qua diſtinctione patet, nihil vrgere contrariam impugnationem, quæ imaginatur, determinationem diuini velle ad producendum, vel non producendum, poni à nobis tamquam aliquid reale intrinſecum Deo, additum ſupra Deum, & ſupra creaturam volitam. Tunc enim ſolùm ſequeretur, quòd, poſſe velle non producere, ſiue, vt cautiori modo loquamur, quòd diuinum velle poſſe ſe determinare ad non producendum, eſſet poſſe eſſe, & actu eſſe Deum. Nolle igitur producere, ſeu, velle non producere, potuit eſſe in Deo, vt optimè declarat Capreolus 1. d.45. q.1. art. 2. ad 1. Aureoli contra tertiam concluſionem, *Non quòd illud nolle eſſet alius actus ab ipſo velle, quod nunc eſt in Deo; ſed eſſet idem actus, habens habitudinem ad oppoſitum obiectum illi, quod nunc eſt volitum. Quare ſolùm ſequitur, quòd aliquid, quod eſt Deus, haberet aliam habitudinem, quàm nunc habeat; & caderet ſuper aliud obiectum, quàm nunc.*

Capreol.

29\. *Secūdum argumentum.* Arguit 2. *Velle producere quod producit, in Deo non eſt; quia imperfectionem includit, cum ſit in quadam tendentia, & reſpectu non habiti; & expectans pro fine ipſam productionem, qua habita, iam ceſſat.*

*Reſpondetur declarādo cū Ariminenſi tendentiam diuinæ voluntatis.*

Reſpondeo, nego in illo velle eſſe aliquam imperfectionem. quia, vt optimè diſtinguit Ariminenſis ad 4. Aureoli, *Non eſt tendentia reſpectu non habiti, quaſi deſiderium habēdi aliquid ſibi commodum, vel vtile, aut quomodocumque ſibi bonum, quod non habet:* ſed eſt tendentia ſimpliciter cauſans, ac decernens aliquid in re; vbi eſt maxima perfectio ſuperioritatis, ac dominij. Per hanc igitur tendentiam nihil Deus expectat, quia apud Deum nihil propriè eſt futurum, ſed omnia præſentia ſunt. Multò minus expectat productionem pro fine; quia finis, vel, vt cautius loquitur S. Thom. de Verit. q.23. art. 4. aliquantò poſt principium corporis, *quaſi finis,* & in art.1. ad 3. *finis non realiter, ſed ſecundum modum ſignificandi,* propter quem Deus vult producere, eſt tantùm diuina bonitas, quam creaturis communicare vult; & nullo modo eſt productio, aut aliqua alia creatura, cum omnia Deus operatus ſit, & operari voluerit *propter ſemetipſum.* Prouerb. 16. Denique falſum eſt, habita productione, iam ceſſare in Deo illud velle, quo voluit producere; quia, vt ait Ariminenſis ſupra, *Non ceſſat primum velle, & aliud ſuccedit, vt iſte imaginatur.* Eodem igitur velle, quo ab æterno Deus vult rem producere pro tali differentia temporis, vult ab æterno etiam non producere pro alia, & pro alia conſeruare, & pro alia non conſeruare. Vbi nulla interuenit mutatio in diuinæ voluntatis actu, ſed tantùm in creatura. Quod Ariminenſis ſupra bene declarat exemplo præſcientiæ diuinæ, quæ propriè reſpicit rem futuram; *Nam non eſt aliud præſcire,* inquit Anſelmus lib. de concordia cap.1. multò ante medium, *quàm ſcire futurum:* mutata autem re futura in præſentem, non ceſſat prior præſcientiæ actus, & aduenit alius actus ſcientiæ: ſed idem omninò actus, qui per ordinem ad rem futuram prius denominabatur præſcientia, poſterius per ordinem ad eamdem rem vt præſentem, denominatur ſcientia. Eamdem reſponſionem perſpicuè, & eleganter tradit Auguſtinus lib.12. de Ciuit. cap.17. poſt medium, his verbis, *Nobis fas non eſt credere, aliter Deum affici cum vocat, aliter cum operatur. Poteſt ad opus nouum, non nouum, ſed ſempiternum adhibere conſilium: nec pœnitendo, quia prius ceſſauerat, cœpit facere quod non fecerat. Sed & ſi prius, & poſterius operatus eſt, quod neſcio quemadmodum ab homine poſſit intelligi, hoc proculdubio, quod dicitur, prius, & poſterius, in rebus prius non exiſtentibus, & poſterius exiſtentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera ſubſequens mutauit, aut abſtulit voluntatem: ſed vna, eademque ſempiterna, & immutabili voluntate, res quas condidit, & vt prius non eſſent egit, quamdiu non fuerunt; & vt poſterius eſſent, quando eſſe cœperunt,*

*Deus tendendo per voluntatem nihil expectat.*

*Deus nunquam ceſſat velle, quod voluit.*

*Præſciētia ſecundum Anſelmum eſt ſcientia futuri.*

Auguſt.

30\. *Tertium argumentum.* Arguit 3. *Omne, quod determinat ſe, mouet ſe; & omne, quod determinatur, mouetur: ſed Deus eſt omninò immobilis, ergo oportet concedere, quòd ſiue Deus producat, ſiue non producat, nulla immutatio, aut determinatio, intrinſecè ſit in ipſo.*

*Reſpondetur diſtinguendo duplicem determinationē voluntatis liberæ.*

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem; quædam enim determinatio eſt intrinſeca, per ordinem potentiæ ad actum; & de hac conceditur maior, & totum argumentum: quædam verò determinatio eſt intrinſeca per ordinem actus ad obiectum; & de hac negatur maior, & totum argumentum. Quando igitur dicimus, voluntatem diuinam ſe determinare, non eſt ſenſus, quòd de potentia indeterminata tranſeat ad determinatum actum, quem ſolum ſenſum impugnat Aureolus: ſed eſt ſenſus, quòd velle Dei infinitæ virtutis, ac perfectionis, habens pro obiecto creato vtramque partem contradictionis, determinat, ſeu decernit, vt ſit hæc pars determinata, & non alia, non per aliquam intrinſecam ſui mutationem, aut determinationem, ſed per ſolam extrinſecam mutationem, & determinationem obiecti: quia, vt optimè dixit Capreolus ſupra ad tertium. *Non eſt ibi determinatio propter potentiam, ſed propter obiectum: nec exigitur determinatio, niſi propter obiectum.*

Capreol.

31\. *Quartum argumentum.* Arguit 4. Voluntas creata determinat ſe ad actus volitionis, vel nolitionis, abſque alia priori determinatione, alioquin, *procederetur in infinitum: ergo multò fortius Deus, abſque hoc quòd determinetur intrinſecè, poterit exterius determinatè producere, vel non producere.*

*Reſpondetur explicādo cōparationem diuini velle cum voluntate creata.*

Reſpondeo, comparationem, ſi rectè fiat, eſſe optimam, & contra ipſum arguentem, & vtcumque explicare difficillimum nodum de velle Dei libero in actu ſecundo. Eſt igitur in hoc comparanda voluntas creaturæ cum voluntate creatoris, & non cum omnipotentia, cum qua comparatur ab Aureolo ſecundum ſententiam ſuam, negantem in Deo intrinſecam voluntatem volendi producere, vel non producere creaturam. Quod à priori ſic oſtendo, quia determinatio libera, ſiue ſit ad actum intrinſecum, ſiue ad obiectum extrinſecum, eſſe debet à principio formaliter libero, libertate ſibi intrinſeca, & eſſentiali; hoc autem tam in nobis, quàm in Deo, eſt eſſentialiter voluntas, & non quæcumque alia potentia. Ergo ita facienda eſt comparatio, vt ſicut in nobis datur potentia voluntatis, quæ vult elicere, ſeu liberè ſe determinat ad eliciciendum actum volitionis, vel nolitionis, abſque alia priori determinatione, qua in ſe intrinſecè mutetur, vt idem Aureolus iterum clariùs, ac fuſiùs explicat in §. *ex præmiſſis.* ante medium; ita in Deo detur puriſſimus, ac ſimpliciſſimus voluntatis actus, quo velit producere, vel non producere; ſeu liberè determinet ſe ad producendum, vel non producendum, abſque hoc quod intrinſecè determinetur, & mutetur. Quare ad argumentum in forma, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens. Si illud, *Deus,* ſupponi



ponitur formaliter, & præcisè, pro voluntate diuina, concedo conſequentiam, & eſt contra arguentem: ſi verò ſupponitur formaliter, & præcisè, pro omnipotentia, vt intendit arguens, nego conſequentiam; quia omnipotentiæ formaliter, non eſt ſe liberè determinare ad agendum, ſed agere, iuxta determinationem liberè factam à voluntate circa creatum obiectum. Paulò aliter reſpondet Capreolus, ſed realiter ſenſus eſt idem. Negat antecedens, quia, inquit, *voluntas determinatur ad producendum volitionem ſuam per obiectum ſuum, quod intellectus præſentat ſibi, vt dicit S. Thom. 1. cont. Gent. c.82.* Quod minimè fauet modernis prædeterminantibus voluntatem ad exercitium actus; quia paulò poſt contra ipſos ſic concludit Capreolus. *Dico ergo quòd voluntas, quantum ad exercitium actus, ſcilicet vt velit, vel non velit, determinatur à ſe ipſa. Sed quantum ad ſpecificationem actus, ſcilicet vt tendat in hoc, vel in illud, determinatur per intellectum oſtendentem ſibi ſuum obiectum.* Quam determinationem explicaui ſupra num. 17. Triplicem igitur voluntatis determinationem diſtinguo cum Capreolo. Primam reſpectu intellectus repræſentantis obiectum bonum determinans, hoc eſt, ſpecificans voluntatem; & hæc competit tantùm voluntati, cuius eſt ferri in bonum apprehenſum; non autem omnipotentiæ, cuius eſt ferri in ens quatenus poſſibile. Secundam reſpectu actus volendi; & hæc eſt propria voluntatis creatæ, quæ eſt potentia indifferens ad oppoſitos actus; non autem voluntatis increatæ, quæ eſt tantùm actus indifferens ad oppoſita obiecta; & multò minus competere poteſt omnipotentiæ, aut alteri diuinæ perfectioni, cum nullum formale principium referri poſſit ad actus volendi, & nolendi, niſi id, quod eſt in ſe formaliter, & eſſentialiter voluntas, qualis non eſt omnipotentia. Tertiam reſpectu obiecti; & hæc competit voluntati quatenus voluntas eſt, ac proinde etiam diuinæ; & non omnipotentiæ; quia liberè ſe determinare ad hoc obiectum bonum, & non ad oppoſitum, petit eſſentialiter vt determinans ſit in ſe formaliter liberum, quod, vt ſupra dicebam, aliud eſſe non poteſt niſi voluntas, vt voluntas formaliter, ac proinde non omnipotentia, vt ſic.

*Alia reſponſio Capreoli contra prædeterminationem.*

32\. *Quintum argumentum.* Arguit 5. quærendo, *Quomodo Deus ſe determinat intrinſecè ad velle producere?* & concludit, quòd *intrinſecè Deus determinari non poteſt; ſed indeterminatus exiſtens ad velle producere, & velle non producere, determinat ſe ad alterum.*

*Reſpondetur aperiēdo ſenſum controuerſiæ.*

Reſpondeo, concedo, Deum non ſe determinare ad aliquod intrinſecum velle, ſed ad extrinſecam productionem. Aliud verò eſt punctum difficultatis, An ſcilicet ratio formalis intrinſeca, per quam Deus, abſque ſua intrinſeca determinatione, determinat extrinſecam productionem vel non productionem, ſit formaliter ipſum velle diuinum, vt omnes tenemus; an aliqua alia diuina perfectio, vt omnipotentia, vel Deitas, vt vult Aureolus.

## DVBITATIO V.

### *An velle Dei liberum in actu ſecundo, ſupra velle neceſſarium, & liberum in actu primo addat aliquid contingens.*

### SVMMA.

1 *Probatur addere ſimpliciter aliquid. n.33.*

2 *Probatur addere aliquid contingens. n.34. & 35.*

3 *Soluuntur oppoſitæ rationes. n.36. & 37.*

33\. *Septima concluſio. Addit aliquid ſimpliciter.*

SEptima concluſio. Debet neceſſariò addere aliquid, ſiue poſitiuum vel negatiuum, ſiue reale vel rationis, ſiue intrinſecum vel extrinſecum. Hoc eſt apud omnes indubitatum, & ideo ſupponitur in titulo dubitationis. Probatur breuiter, quia hic diuinæ libertatis actus ſecundus, quicquid ille ſit, certè potuit eſſe, & non eſſe, alioqui non eſſet liberè: cum enim ab æterno liberè voluit Deus hunc mundum producere, & non producere alium, potuit ab æterno etiam velle nullum mundum producere; vel velle producere alium, non hunc; vel velle producere hunc mundum, tamen non cum his indiuiduis, cum quibus de facto illum producere voluit, ſed cum aliis, cum quibus de facto voluit illum non producere. Sed velle neceſſarium, ſeu liberum in actu primo, non poteſt non eſſe in Deo. ergo velle liberum in actu ſecundo addit aliquid ſupra illud velle; nec ſunt omninò idem re, & ratione.

34\. *Octaua concluſio. Addit aliquid contingens.*

Octaua concluſio. Prædictum additum, quodcumque illud ſit, eſſe debet aliquid contingens, & non abſolutè neceſſarium. Patet ex probatione præcedentis concluſionis, ex qua conſtat, hoc additum poſſe eſſe, & non eſſe; ergo eſt contingens, & non neceſſarium. & expreſsè docet S. Thomas hîc ad ſextum, vbi in actu, quo Deus vult efficaciter producere creaturas, ſupra ipſam entitatem actus volendi, quæ eſt neceſſaria, & ipſemet Deus, addit *habitudinem non neceſſariam ad volita.* Et tenent omnes tamquam omninò certum, adeò vt ab ipſomet Caietano, qui ſupra art.2. §. *Ad hoc poteſt.* vult hoc additum eſſe realem quamdam perfectionem, in Deo formaliter exiſtentem, talis perfectio dicatur, *voluntaria, & omninò libera.* Solùm inuenio Aureolum 1. d.47. q.1. art.1. propoſitione 1. qui contrarium tenet, non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione; ait enim, *Quòd impoſſibile eſt habitudinem illam, quam habet velle diuinum ad obiecta ſecundaria, eſſe contingentem, & non neceſſariam abſolutè, ſi ipſum velle fuerit in ſe neceſſarium abſolutè.* & Ariminenſem 1. d.45. quæſt.1. poſt concluſionem ſeptimam; qui ad primum Aureoli, concedit illi, *Quòd nec velle diuinum, quo vult hæc, vel illa facere; nec eius habitudo ad ea, quæ vult facere, eſt contingens, ſed ſimpliciter neceſſe eſſe.* Sed ſtatim addit, quod cum prioribus verbis minimè cohærere videtur, ſaltem in modo loquendi, *Ipſum tamen velle, quo vult hoc, vel illud facere, eſt contingenter velle, vel volitio faciendi illa; & illa habitudo, eſt contingenter habitudo ad illa.* Eſt enim inintelligibile, quòd, velle hoc, ſit contingens; & tamen nec ſit contingens velle in ſe ſpectatum, nec conſideratum cūm habitudine ad hoc, quæ habitudo ſit contingens. Nam cum dicitur eſſe contingens, velle hoc, ſi contingentia non cadit ſupra velle, nec ſupra habitudinem eius ad hoc, ergo vel cadit ſupra totum, quaſi compoſitum ex velle, & habitudine; vel ſolùm ſupra obiectum volitum, quod contingenter producitur per velle hoc. Si primum, cum prædictum compoſitum, præter velle, & habitudinem, dicat vnionem inter hæc, deberet ſaltem vnio eſſe contingens: nulla autem vnio earum perfectionum, quæ ſunt formaliter in Deo, fingi poteſt contingens. Et ſi ipſum velle, & ipſa habitudo ad hoc, dici non poteſt contingens, cur contingens dicetur totum ex his quaſi conflatum? præſertim cum habitudo ad hoc contingens, purius, ac formalius reſpiciat contingentiam obiecti, quàm velle hoc. Si ſecundum, ergo velle hoc, importat aliquam habitudinem ad hoc, ſaltem eſſentialis connexionis, in quantum implicat, Deum

S.Thomas.

Caietan.

*Contra Aureolum.*

*Quid ſentiat Ariminenſis.*

velle efficaciter hoc contingens, & hoc contingenter non eſſe. Sed habitudo ad obiectum contingens non poteſt non eſſe contingens: ergo velle hoc, eſt contingens, præciſè, & formaliter propter habitudinem contingentem. & ideo non videtur bene dictum ab eodem Ariminenſi, *Quòd habitudo ad volita, non eſt niſi ipſum diuinum velle ſecundum rem.* hæc enim habitudo, vt probatum eſt, dici neceſſariò debet contingens. Nihil autem contingens eſſe poteſt formaliter in Deo, vt contra Caietanum mox oſtendam; & conſequenter, nec idem ſecundum rem cum aliqua perfectione exiſtente formaliter in Deo.

35. *Ratio cōcluſionis ex Aureolo.* Capreolus.

Hinc ſumi poteſt efficax ratio pro concluſione, applicando rationem, quam affert Aureolus ſupra propoſitione tertia initio ad probandum, Deum per aliquod velle intrinſecum non ſe determinare ad volendum producere creaturas; vt Aureolo concedit Capreolus 1.d.45.q.1.art.2.ad 1. Aureoli contra primam concluſionem. Cum Deus vult efficaciter actu producere ad extra, ſi neceſſarium abſolutè, & ſimpliciter eſſet non ſolùm ipſum velle, ſed etiam additum, quod pro nunc cum S. Thoma vocetur *habitudo ad volitum*, ſequeretur, actualem productionem ad extra, eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſariam, quod eſt contra fidem. Probatur ſequela, quia, inquit Aureolus, *illud, quod neceſſariò ſequitur ex aliquo neceſſario ſimpliciter, & abſolutè, eſt neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè. ſed manifeſtum eſt, quòd Deo volente productionem mundi,* hoc eſt, poſito velle cum addito, ſiue habitudine ad creaturas actuales, *de neceſſitate productio ſequitur*; ergo ſi ipſa etiam habitudo eſt abſolutè neceſſaria, erit etiam abſolutè neceſſaria productio mundi. Impoſſibile igitur eſt, vt id, quod addit velle liberum in actu ſecundo ſupra velle neceſſarium, vel liberum in actu primo, non ſit aliquid contingens, hoc eſt, quod ſimpliciter poteſt eſſe, vel non eſſe.

36. *Obijcit Aureolus primò.*

Obiicies 1. ex Aureolo ſupra. Cum diuinum velle tranſit ſuper mundum, non eſt contingens ipſum velle, vt concedimus; non mundus, qui vt formaliter terminat tranſitum diuini velle ſuper ipſum, nullum habet eſſe neque contingens, neque neceſſarium; ſed ſolùm ad illum tranſitum præſupponitur mundus vt poſſibilis: *vult enim Deus, quòd res, quæ nondum eſt, fiat.* ergo tranſitus, ſiue habitudo, ſiue, vt loquitur Scotus 1.d.39.q.1.§. *Quantum ad ſecundum. tendentia* ad creaturam, nulla ratione dici poteſt contingens. [Scotus.]

*Reſpondetur probando, habitudinē diuinæ voluntatis ad res actuales, eſſe cōtingentem.*

Reſpondeo, tranſitum eſſe contingentem, non propter contingentiam diuini velle, in quo fundatur; ſed propter contingentiam creaturæ ad quam terminatur. Neque vrget contraria probatio. Tum quia ille tranſitus cadit quidem ſupra mundum, præſuppoſitum poſſibilem, tamen non ſiſtendo in illa poſſibilitate, ſed vlterius progrediēdo ad illius eſſe actuale contingens: neque enim Deus efficaciter vult, vt mundus poſſibilis, ſit poſſibilis, ſed vt ſit actualis. Tum quia creatura eſt contingens, non ſolùm vt habens eſſe contingens; tunc enim habet potius determinationem ad vnum, nempe ad eſſe, ac proinde aliquam neceſſitatem; ſed etiam multò maiori ratione, vt potens habere eſſe contingens; quia ſub iſta formali ratione, res in ſe ad nullam contradictionis partem determinata, comparari poteſt ad vtramque contradictionis partem, hoc eſt, tam ad eſſe volitum, quàm ad non eſſe volitum, quod eſt proprium contingentiæ. Vnde ex S. Thoma ſupra quæſt.14.art.13. futura, antequam ſint, dicuntur contingentia. Imò ibidem docet, quòd futurum contingens, *ſecundum quod iam in actu eſt, non conſideratur vt ad vtrumlibet contingens, ſed vt determinatum ad vnum.* Igitur, vt acutè obſeruauit Capreolus ſupra, *Non ſequitur, hoc non habet eſſe contingens, igitur non eſt contingens; quia non ſolùm res dicitur contingens, quia habet eſſe non neceſſarium, imò quia poteſt eſſe, & poteſt non eſſe.*

*Qua ratione creatura dicatur contingens.* S. Thom. Capreolus.

37. *Obijcit ſecundò.*

Obiicies 2. ex eodem ſupra. *Omne velle, & omnis actus apprehenſiuus, vel appetitiuus, dicitur ſe ipſo tranſire ſuper obiectum. Vnde nihil eſt dictu, quòd Deus velit creaturam contingenter, niſi realitas volitionis illius ſit omninò contingens.*

*Reſpondetur oſtendendo, ipſum Dei velle non eſſe contingens.*

Reſpondeo, negando conſequentiam. Quamuis enim velle finitum, & dependens ab obiecto volito, ex eo quòd ſe ipſo tranſeat ſuper obiectum, ſi obiectum eſt contingens, ſeu contingenter volitum, eſſe debeat contingens in ſe: tamen quia velle diuinum, eſt omninò infinitum, & independens ab obiecto creato volito, id non ſequitur, ſed ſatis eſt, vt terminatio, ſiue habitudo ad obiectum ſit contingens. Quod declaratur aptiſſimo exemplo de ſcire, quod etiam ſe ipſo tranſit ſuper obiectum ſcibile; & tamen realitas diuinæ ſcientiæ non eſt in ſe omninò contingens, licèt contingenter terminetur ad obiecta contingentia.

## DVBITATIO VI.

### *An idem velle addat poſitiuum reale, Deo intrinſecum.*

#### SVMMA.

1 *Concluſio negatiua contra Caietanum probatur primò authoritate. num.* 38.
2 *Probatur ſecundò ratione Aureoli. num.* 39.
3 *Probatur tertiò multis aliis rationibus. num.* 40.
4 *Satisfit obiectionibus. num.* 41. *ad* 46.
5 *Impugnatur ſententia Fonſecæ, & Salas de modo ſuperaddito, & indiſtincto. num.* 44.
6 *Magis repugnat Deo volitio libera realis, quàm realis relatio ad creaturas. num.* 45.

38. *Nona cōcluſio negatiua contra Caietanum.*

NOna concluſio. Velle Dei liberum in actu ſecundo nullam intrinſecam perfectionem Deo addit ſupra velle neceſſarium, & liberum in actu primo. Eſt contra Caietanum ſupra art.2. à §. *circa hunc proceſſum.* & hoc art. 3. §. *Ad hoc.* & 3. p. q.1. art.1. qui introduxit in Theologia opinionem vſque ad ea tempora inauditam, affirmantem, *Quòd Deum velle alia, eſt perfectio voluntaria, & omninò libera, & extenſiua, & non ſimpliciter, & intenſiua, quæ potuit deeſſe Deo; quia quòd perfectio ſit voluntaria, & omninò libera, eſt conditio diminuens rationem perfectionis reſpectu eius in quo eſt, quoniam ſignificat, ſuum oppoſitum non eſſe imperfectionem.* Hanc opinionem vt omninò abſurdam meritò reiecerunt reliqui Theologi ferè omnes, & æquales, & poſteriores Caietano, etiam eiuſdem Scholæ, vt Ferrarienſis 1. con. Gent. c.75. §. *Aduerte tamen.* Syluester 1. p. conflati, q.19. art.2. §.1. qui Caietanum intelligit, *de eſſe in Deo formaliter,* & abſurditatem ſentētiæ grauiter, & modeſtè indicat, dum ait, *ſi nomine perfectionis liberæ, intelligamus aliquid, in quo ſaluetur vtcumque ratio perfectionis, ſi poſſet adeſſe, & abeſſe Deo, videāt iſti quid hoc importet.* Bartholomæus Medina 3. p. q.2. Procemij, poſt reſponſionem ad 2. de ſententia Caietani dicens, *Reprobatur ab omnibus.* Bagnes ſupra art. 2. circa principium dicens. *Nec bene ſonat ponere in Deo diminutam perfectionem.* Fonſeca 7.
Metaph.

*Quem reijciunt* Ferrarienſis, Syluester, Medina, Bagnes, Fonſeca,



Metaph. cap.8. q.5. ſect.3. à quo dicitur, *opinio audacior aliquantò, & parum tuta.* Molina art.2. d. 2. *Cenſetur,* inquit, *ſententia Caietani parum in fide ſecura, piáſque aures offendere.* Suarez tomo 2. Metaph. d.30. ſect.9. num.11. *Si verè & dignè ſentiamus de Deo, & maximè prout fide docemur, nullo modo poſſumus huic aſſentiri ſententiæ; etiamſi oporteret, ignorantiam noſtram in difficultatibus expediendis confiteri.* Vazquez hîc, d.80. cap.1. *defendi nullo modo poteſt.* Valentia puncto 3. aſſertione 1. dubio 2. *Reijcitur meritò ab omnibus, quoniam eſt abſurda.* Zumel art.2. dubio 1. & art.3. diſp.2. Arrub. d.54. cap.2. Machin d.41. ſect.1. Nauarrete controu.4. & alij, quos refert, & ſequitur Salas 1.2. q.6. art.1. tractatu 3. diſp.1. ſect.8. n.92. Idémque non obſcurè indicat S. Thomas hîc, tum in fine corporis, illis verbis. *Bonitas Dei eſt perfecta, & eſſe poteſt ſine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accreſcat.* Si nihil perfectionis, ergo non additur poſitiuus actus volendi, qui ſine dubio eſt aliqua perfectio. tum ad ſextum; vbi in actu volendi creaturas diſtinguit velle, & habitudinem; velle ait eſſe neceſſarium, habitudinem non neceſſariam. ergo ſecundum S. Thomam, non datur velle liberum; & quod prædictus actus addit ſupra velle neceſſarium, non eſt velle, ſed ſolùm habitudo quædam volitionis ad volita.

Molina, Suarez, Vazquez, Valentia, Zumel, Arrubal, Machin, Nauarrete, Salas.

*Probatur cō-cluſio ex S. Thoma.*

39. *Probatur ratione Aureoli.*

Præcipuam probationem huius concluſionis tetigit Aureolus 1.d.47.q.1. art.1. propoſit.1. circa principium, dum aſſumit tanquam omninò certum, quod illi concedit Capreolus 1. d.45. q.1. art. 2. ad 2. contra primam concluſionem. & ad primum contra ſecundam concluſionem, habitudinem, quam habet velle diuinum ad ſecundaria obiecta, cum dicitur, quòd Deus vult efficaciter creaturas, non poſſe dici relationem realem, *Quia,* inquit, *Dei ad creaturam nulla eſt relatio realis.* Et iterum, *nihil poteſt eſſe reale in Deo, quod non ſit Deus, ſecundum Regulam Auguſtini dicentis, quòd quicquid habet Deus, hoc eſt.* & rurſus vniuerſalius propoſitione 3. ratione 2. probat, *Non addi aliquid reale ſuper velle intrinſecè ſumptum; alioquin aliquid reale eſſet additum intrinſecè Deitati, quod nullo modo patitur ſimplicitas ipſius. Et iterum, illud reale per neceſſitatem eſſet quid immutabile, & abſolutè neceſſarium; quia quicquid eſt in Deo, eſt neceſſe eſſe.*

40. *Probatur alijs rationibus.*

Præterea ego arguo primò. Si actualis, & efficax volitio creaturarum, ſupra volitionem neceſſariam adderet aliquid reale liberum, ergo aliquis realis, & vitalis actus Dei includeret eſſentialem imperfectionem creaturæ, & accidentis. Si enim eſt liber, ergo poteſt non eſſe; ergo non eſt ipſe Deus, nec aliquid formaliter diuinum, & increatum; ergo eſſentialiter dependens à Deo in ſuo eſſe; ergo creatura. Illud enim quod ita eſt, vt poſſit ſimpliciter non eſſe, non habet ex ſe potius eſſe quàm non eſſe: ergo ſi eſt, debet neceſſariò ab aliqua cauſa recipere eſſe ex non eſſe, ergo creari. Vnde alius liber actus volendi non creare hunc mundum, quem de facto voluit creare, non fuit verè, & realiter in Deo, ſed ita eſſe potuit; ergo habet eſſentiam propriiſſimam entis creabilis. Secundò. Si aliquid eſt realiter, ac formaliter in Deo, ita vt inuariata natura, ac ſubſtantia diuina, potuerit illo carere Deus; ergo in Deo habet rationem accidentis, hoc eſt, entis, quod adeſſe, & abeſſe poteſt à natura diuina, in ſuo eſſe ſubſtantiali perfectè, ac totaliter conſtituta, & intrinſecè inuariata. Quo inconueniente ſemel deuorato, non video, cur in Deo poni non poſſint in tempore nouæ, ac reales relationes ad creaturas, & deinde deſtrui deſtructis creaturis? Item, cur huiuſmodi actus liber multiplicari, & mutari nequeat, & aduenire in tempore? Tertiò. Hæc libera perfectio, quia eſt actus vitalis præciſè circa creaturas finitas, quas ſolùm de facto voluit Deus, non poteſt eſſe infinita, ſed finita; ergo dici non poteſt eſſe intrinſecè, & formaliter in Deo. Quartò. Ponitur in Deo aliquid realiter ab ipſo diſtinctum: quia hic actus liber potuit realiter non eſſe in Deo: imò de facto actus liber circa alium mundum, quem Deus poterat liberè velle, non eſt in Deo, & potuit in eo realiter eſſe: ergo Deus non eſt puriſſimus, ac ſimpliciſſimus actus, ſed eſt verè, ac realiter compoſitus; quæ compoſitio intelligi nequit abſque aliqua vera, ac reali potentia ſubiectiua, ac perfectibili. Quintò. Velle actualiter, & efficaciter creaturas, eſt verè, ac propriè actus vitalis, & ſi eſſe, & non eſſe poteſt in Deo, vt conceditur, ergo eſſentialiter petit in ipſo Deo aliquam verè, ac propriè potentiam vitalem, intrinſecam, à qua eliciatur; & ſic libertas Dei, eodem imperfecto modo, quo libertas creaturæ, explicabitur per ordinem ad oppoſitos actus, & non ſolùm per ordinem ad oppoſita obiecta, & oppoſitos effectus creatos. Præterquàm quòd eſt contra omnes Sanctos, & Scholaſticos, in ipſo Deo abſolutè conſiderato, vt præciſo à perſonis, admittere realem rationem principij, & principiati. Igitur huiuſmodi Caietani opinio mirum in modum perturbat quæ Fides, ac Theologia de rebus diuinis hactenus tradiderunt. Sextò. Actus liber, Deo intrinſecè, & formaliter competens non poteſt non eſſe aliqua perfectio: ergo Deus trinus, & vnus, antequam intelligatur in illo actus liber circa creaturas actuales, non habet omnem perfectionem ſibi poſſibilem. ergo non eſt verus Deus, ſed, vt talis ſit, indiget actualitate creaturarum, ſine quibus non haberet perfectionem vndequaque infinitam. Præterea ſi hic actus eſt liber, ergo vel Deus eſſe potuit ſimpliciter ſine vllo huiuſmodi actu libero, vt nonnulli concedunt; & ſic Deus potuit eſſe ſine perfectione intrinſecè, & formaliter diuina, ac proinde non infinitè perfectus, & minus perfectus quàm de facto eſt: ergo potuit non eſſe Deus. Vel non potuit eſſe ſine aliquo actu libero aut volendi creare quod creauit, aut volendi non creare quod creauit, vt habet communior, & probabilior opinio ſupra num.14. & idem ſequitur inconueniens; quia adhuc actus liber volendi creare alium mundum, & plures ſpecies, & alia indiuidua, quæ voluit non creare, non eſſet in Deo, & potuiſſet eſſe. Sed hic etiam actus, eſt aliqua perfectio formaliter, & intrinſecè diuina; ergo illa careret Deus, ergo non eſſet vndequaque perfectus Deus; ergo non eſſet Deus.

Obiicies primò fundamentum Caietani ſupra, art. 2. quia ibi S. Thomas, ex eo quòd de perfectione voluntatis, & cuiuſlibet agentis in communi, ſit actualiter ſe communicare aliis, probat, Deum velle alia à ſe. Ergo apertè videtur ſupponere, hoc actualiter, & efficaciter velle, eſſe aliquam perfectionem diuinæ voluntatis, non neceſſariam, ergo liberam. 41. *Prima obiectio Caietani.*

Reſpondeo, eſſe quidem perfectionem, non tamen intrinſecam Deo, ſed extrinſecam, vt docet Ferrarienſis 1. cont. Gent. cap.75. §. *Ad ſecundum.* hoc eſt, non per habitudinem voluntatis potentialis ad actuales volitiones intra ſe, quę eſt imperfectio creaturarum propria, cum aliquid liberè volunt; *Reſpondetur cum Ferrarienſi, Deum velle alia à ſe, eſſe perfectionē extrinſecam, non intrinſecam.*

volunt;ſed per habitudinem voluntatis actualis ad res volitas extra ſe; qui modus volendi alia à ſe, eſt ita perfectus, vt nullam habeat admiſtam imperfectionem, ac proinde, ſolius Dei proprius.

*Declaratur ratio S. Thomæ ſupra art. 2. cum Caietano, & Syluestro contra Ferrariēſem, Fonſecam, Vazquez.*

Itaque diſcurſus S. Thomæ fundatur quidem in hac maxima, vt exponit Caietanus, & concedit Syluester infra, licet negent Ferrarienſis ſupra, Fonſeca 7. Metaphyſ. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 5. ad 1. Caietani, Vazquez hîc diſp. 80. num. 10. *Quicquid perfectionis eſt in inferiori, ponendum eſt proportionaliter in ſuperiori.* Sed omnis res naturalis, atque adeo voluntas creata, in quantum eſt perfecta, ſe actu communicat aliis. ergo eadem perfectio ponenda eſt in perfectiſſima Dei voluntate. Verùm maior, & concluſio debent intelligi, vt benè interpretatur Syluester 1. p. conflati, quæſt. 19. art. 2. circa medium. *Quòd tale quid conuenit Deo, ſecundum modum conuenientem Deo: ita quòd conueniens formæ naturali per modum appetitus naturalis, conuenit Deo per modum voluntarij.* Et conueniens voluntati creatæ per modum volitionis, non ſolùm tendentis in obiectum, ſed etiam ſuperadditæ volitiuo potentiali, conuenit Deo ſolùm per modum ſimpliciſſimæ volitionis extendentis ſe ad obiecta, non per modum volitionis ſuperadditæ ſubiecto. Et hoc ipſum ſignificat limitatio, quam ibi in corpore ter appoſuit S. Thomas, *ſecundum quod poſſibile eſt.* & ſignificare debet limitatio appoſita ab ipſomet Caietano per illud, *Proportionaliter.* Minor quoque prædicti diſcurſus, vt applicata ad creaturas, eſt intelligenda de perfectione admiſta imperfectioni. Applicanda verò eſt Deo pura perfectio ſimpliciter, remotis imperfectionibus, ſicut intelligere, eſt in creaturis perfectio cum imperfectione, ſed in Deo eſt puriſſima perfectio abſque vlla imperfectione.

42. Obiicies 2. Relationes perſonales ponuntur formaliter in Deo, etiamſi ſint perfectiones ſecundum quid, & non ſimpliciter, vt ſuo loco inferius probabo: ergo volitio libera, etiamſi non ſit perfectio totalis, & ſimpliciter, ſed diminuta, & ſecundum quid, poni poteſt formaliter in Deo abſque vllo inconueniente.

*Secunda obiectio.*

*Reſpondetur aſſerendo diſparitatem de relationibus, & liberis volitionib. Dei.*

Reſpondeo, eſſe longè diſparem rationem. Primò à priori, quia relatio diuina ita eſt perfectio ſecundum quid, vt nullam in ſuo intrinſeco conceptu inuoluat poſitiuam imperfectionem. Nam oppoſitio, propter quam negatur eſſe perfectio ſimpliciter, cum ex oppoſitione oriatur, vt non ſit melior filiatio, v. g. quàm paternitas ipſi oppoſita, non affert aut finitatem, aut dependentiam, aut aliquam aliam imperfectionem in genere entis. At verò volitio libera, non ſolùm terminatiuè reſpectu obiecti, ſed etiam entitatiuè reſpectu actus, ita non eſt perfectio ſimpliciter, vt poſitiuè, & eſſentialiter includat imperfectionem, ſecundum quam poteſt non eſſe, & ita poteſt, vt de facto non ſit, ſicut contingit in volitione libera non creandi hunc mundum, quæ volitio, ſeu nolitio creandi mundum, potuit eſſe in Deo, ſed de facto non fuit. Hoc autem poſſe non eſſe, non ſolùm per ſe eſt maxima imperfectio, ſed radix cæterarum imperfectionum, creabilis, diſtinctionis, finitatis, potentiæ paſſiuæ, & actiuæ intrinſecæ, quas ſupra probauimus. Secundò, à poſteriori, quia quòd relatio in diuinis ſit perfectio, & non ſimpliciter perfectio, eſt proprium illius, ex eo quòd relatio eſt, propter oppoſitionem cum correlatione: quod cum non reperiatur in volitione libera, quæ eſt ens abſolutum, ſi illa non eſt ſimpliciter perfectio, ſed diminuta, & ſecundum quid, id non poteſt aliunde oriri, niſi quia in ſuo intrinſeco conceptu habet admiſtam imperfectionem: alioqui de quacumque alia abſoluta Dei perfectione negari poterit, eſſe perfectionem ſimpliciter.

43. Obiicies 3. Ad ſaluandam rationem perfectionis diuinæ ſimpliciter, quam in Deo habet volitio libera creaturarum, ſatis eſt vt non poſſit habere non eſſe poſt eſſe. Ita autem eſt quælibet volitio libera in Deo, qui, quod ſemel voluit, nolle amplius non poteſt: & quod ſemel noluit, non poteſt amplius velle.

*Tertia obiectio.*

*Reſpondetur, volitionē Dei liberam, fore imperfectam etiamſi non poſſet non eſſe quando eſt.*

Reſpondeo, id non eſſe ſatis, primò, quia tunc, non poſſe non eſſe, non oriretur ex neceſſaria connexione, quam ipſa perfectio per ſe, & ex ſua natura præcisè, habeat cum eſſe; cum ipſa, quantum eſt ex ſe, ſit indifferens ad eſſe, vel non eſſe; & ſicut habuit eſſe, ita abſque vlla propriæ eſſentiæ variatione, habere potuerit non eſſe: ſed oriretur ex perfectione ſubiecti, quod ita perfectè vult, præuiſis omnibus volendi, ac nolendi rationibus, vt non poſſit de vno in alium actum mutari; etſi actus ex propria naturæ conditione mutari poſſit: quia omne, quod ex natura ſua eſt indifferens ad eſſe, vel non eſſe, habere etiam ex natura ſua debet, ſi nihil aliud obſtet, poſſe mutari de eſſe in non eſſe, & de non eſſe in eſſe; tunc enim non mutaretur in aliquid, quod naturæ ſuæ repugnaret. Secundò, quia hæc eſſet neceſſitas eſſendi ex ſuppoſitione, non abſoluta. Etenim illa liberæ volitionis perfectio poſſet abſolutè, & ſimpliciter non eſſe, eſto non poſſit non eſſe, poſito quòd ſit. Poſſe autem abſolutè non eſſe, contradicit cuilibet rationi diuinæ, quatenus diuinæ formaliter, quæ eſſe eſſentialiter debet actus purus, & ipſum neceſſe eſſe, & ens per eſſentiam, vt patet ex dictis in ſuperiori Tomo quæſt. 3. & 4. cuius generis ens, neque ex natura rei eſſe, neque rectè concipi poteſt ſub non eſſe, & nihilo. Tertiò, quia eidem perfectioni non minus competit neceſſitas eſſendi, ex ſuppoſitione quod ſit; quàm neceſſitas non eſſendi, ex ſuppoſitione quòd non ſit; quia etiam volitio, v. g. non creandi hunc mundum, non fuit in Deo, & poſtquam ſemel non eſt, non poteſt non eſſe. Sed hoc non arguit ſummam imperfectionem, quæ conuenit entibus fictitiis, & impoſſibilibus: ergo à contrario, neque illud ſufficienter arguit ſummam perfectionem, quæ conuenit entibus eſſentialiter diuinis. ergo ſicut neceſſitas non eſſendi, bene ſtat cum eſſentiali conceptu entis creabilis, participati, & finiti; ita pariter à contrario neceſſitas eſſendi: quia vtraque conuenit in hoc, quòd ſit neceſſitas ex ſuppoſitione tantùm; ergo ſicut neceſſitas non eſſendi, quia ſtat cum abſoluta poſſibilitate eſſendi, non arguit, id, cui competit talis neceſſitas, eſſe ens chimericum; ita neceſſitas eſſendi, non arguit, id, cui competit talis neceſſitas, eſſe ens diuinum.

44. Obiicies 4. Dici poteſt, actum liberum in Deo, eſſe quidem aliquem modum realem, realiter additum perfectioni eiuſdem neceſſariæ: tamen ab hac omninò indiſtinctum ex natura rei. Quod declarari, & ſuaderi poteſt ex diuina filiatione, quæ eſt perfectio quædam, vt hîc ſupponitur; & eſt addita eſſentiæ diuinæ, quia eſt realiter producta, vel comproducta, per veram, ac realem generationem: & eſt ex natura rei omninò identificata cum eſſentia diuina.

*Quarta obiectio.*

*Reſpondetur cum Suarez, impugnando ſententiam Fonſecæ, & Salas de volitione libera, ſed omninò indiſtincta à neceſſaria.*

Reſpondetur, hunc modum, quem nonnullis opinionis Caietani ſectatoribus tribuit, & impugnat



pugnat Suarez tomo 2. Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 9. à num. 19. ad 29. ſed ſequuntur Fonſeca 7. Metaph. c. 8. quæſt. 4. ſect. 5. §. *Tertia pars.* & quæſt. 5. ſect. 4. circa finem, & ſect. 5. per totam. & Salas 1. 2. q. 6. art. 1. tract. 3. diſput. 1. ſect. 5. 6. 7. & 8. qui in ſuam ſententiam multos alios reuocare fruſtrà nititur, minus ſatisfacere. Primò, quia perfectio ſiue realis modalitas libera ita additur, vt poſſit realiter non addi, & non exiſtere. Eſt autem impoſſibile, vt huius generis realia addita non diſtinguantur in re ab eo, cui adduntur, quod ſiue cum illis, ſiue ſine illis additis ſemper exiſtit. Vnde volitio, v. g. non creandi hunc mundum, non eſt in Deo, ergo Deus ab illa, tanquam ab ente reali poſſibili, diſtinguitur ex natura rei. ergo eadem ratione diſtingui debet, quando actu illi additur. tunc enim additur ſecundum eſſe contingens, ſeu abſolutè liberum, quia additur tanquam ens, quod poſſet ſimpliciter non addi, & non eſſe: cuius generis eſſe, non poteſt eſſe realiter, & formaliter idem cum eſſe per eſſentiam, quod ex natura ſua eſt neceſſe eſſe, non potens ſimpliciter non eſſe; quod eſſe eſt propriiſſimum eſſe Dei. Secundò, ex hac omnimoda identificatione cum eſſentia diuina, quam habet volitio Dei libera, quando eſt; & quam habere poteſt, quando non eſt, ſed poteſt eſſe; manifeſtè ſequitur, aliquid, quod eſt Deus, poſſe non eſſe Deum; & è contra, quod non eſt Deus, poſſe eſſe Deum. Si enim volitio eſt omninò identificata cum Deo, ergo eſt Deus. Sed volitio, quæ de facto eſt in Deo, potuit non eſſe in Deo, ergo potuit non eſſe Deus: volitio verò, quæ de facto non eſt in Deo, potuit eſſe in Deo, ergo potuit eſſe Deus. hæc autem piæ aures ferre non poſſunt. Tertiò, hinc patet manifeſtum diſcrimen inter has perfectiones, & diuinas relationes, ac proceſſiones; quæ ſunt quidem liberæ libertate coactionis, hoc eſt, ſunt voluntariæ; tamen non ſunt liberæ libertate indifferentiæ, qua poſſint eſſe, vel non eſſe; ſed ſunt ens non minus neceſſariũ neceſſitate abſoluta, quàm ipſemet Deus. Prædicta autem volitio ponitur libera libertate indifferentiæ ad eſſe, vel non eſſe; vnde oriuntur omnia abſurda hactenus deducta. Et quamuis relationes poſſent non dici perfectiones, tamen iſti modi abſoluti, cum ſint formaliter actus vitales, & liberi, non poſſunt non importare perfectionem in ſuo conceptu formali. Quartò, omnimoda identificatio volitionis liberæ, additæ volitioni neceſſariæ, non tollit, quin illa volitio addi debeat per veram, & realem productionem: ſi enim ita additur ipſa diuina filiatio, quæ additur, & eſt, per ſummam neceſſitatem; quantò magis ita etiam addi debet volitio libera, quæ liberè additur, & eſt, ita vt potuerit ſimpliciter non addi, & non eſſe? Quòd ſi verè producitur, ergo verè diſtinguitur à producente; ſicut in diuinis, Filius, quia verè producitur, ideo verè, & realiter diſtinguitur à Patre producente: ergo inter diuinas perfectiones abſolutas, ad quas pertinent volitio libera, & liberum volendi principium, eſt admittenda realis diſtinctio principij, & principiati, quam omnes Theologi, etiam Scotiſtæ, qui inter has perfectiones admittunt ſimplicem diſtinctionem ex natura rei, meritò damnant. Præterea actus vitalis verè, ac realiter productus, eſſentialiter poſtulat vitalem potentiam intrinſecam, actiuam, & paſſiuam. quæ omnia ex ſuperius probatis, maximè pugnant cum infinita perfectione, & ſimplicitate diuinæ naturæ. Demum tam noua, & abſurda ſententia nullo vrgente, ac ſolido fundamento introducitur. Nam ſi ex eo quòd ſe intrinſecè, & vitaliter determinet Deus ad volendum hoc, & non ad nolendum, aſtruitur modus quidam liber additus realiter diuinæ voluntati; eadem prorſus ratione ex eo quòd diuina voluntas ſe determinat immediatè ad talem modum, & non ad alium modum oppoſitum, eſſet eidem realiter addendus alius modus; vel ſi hic non putatur neceſſarius, minus etiam neceſſarius putari debet prior modus.

*Diuerſa ratio eſt de diuina filiatione, & volitione libera.*

*Soluitur contrariæ ſententiæ fundamētum.*

45. Obiicies 5. Nonnulli Theologi ſunt, vt Nominales, qui ponunt in Deo reales relationes ad creaturas actuales. ergo non eſt maius abſurdum, ponere in Deo volitiones liberas creaturarum actualium.

*Quinta obiectio.*

*Reſpondetur, inconuenientius poni in Deo volitionem liberam realem, quàm realem relationem ad creaturas.*

Reſpondetur primò, opinionem Nominalium à reliquis omnibus Theologis repudiatam eſſe vt abſurdam, etiam ab iis, qui nullam diſtinctionem ex natura rei eſſe volunt inter relationem prædicamentalem, & fundamentum. Secundò, volitionem liberam in Deo, additam ſupra volitionem neceſſariam, eſſe multò magis abſurdam, quàm realem relationem ad creaturam actualem, loquendo de relatione iuxta ſententiam Nominalium, qui eam putant omninò indiſtinctam à fundamento, ac proinde exiſtente fundamento, ſemper illam realiter exiſtere, imò non poſſe non exiſtere, ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat terminus, cuius exiſtentiam neceſſariam eſſe volunt vt formale complementum, non intrinſecum, ſed extrinſecum, neceſſariò requiſitum ad extrinſecam terminationem relationis, non ad intrinſecam illius exiſtentiam. Vnde non ſequitur hanc relationem in Deo liberè addi, & poſſe eſſe, vel non eſſe, & realiter produci; nec ſequuntur multa alia incommoda ſuperius deducta ex opinione Caietani, quæ creaturis actu exiſtentibus, vel non exiſtentibus, ponit variationem in ipſo intrinſeco actu Dei libero, & non ſolùm in extrinſeco obiecto, ſiue effectu.

## DVBITATIO VII.

### *An addat relationem rationis.*

### SVMMA.

1 *Concluſio negatiua, & authores vtriuſque partis. num. 46.*
2 *Addi fundamentum relationis rationis. n. 47.*
3 *Altera concluſionis ratio efficax, altera inefficax. num. 48. & 49.*
4 *Differentia, & conuenientia volitionis liberæ, & ſcientiæ viſionis. n. 50.*

46. Decima concluſio. Velle Dei liberum in actu ſecundo, ſupra idem velle neceſſarium, & liberum in actu primo, non addit formalem relationem rationis, neque antecedenter, neque conſequenter. Eſt Aureoli 1. diſtinct. 47. quæſt. 1. artic. 1. propoſitione 1. circa principium, & propoſitione 3. §. *Nec poteſt.* Fonſecæ 7. Metaphyſ. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 4. quem ad verbum ſequitur Salas 1. 2. quæſt. 6. artic. 1. tract. 3. diſput. 1. ſect. 8. §. 4. & §. 7. concluſ. 3. Item Suarez tomo 2. Metaphyſ. diſput. 30. ſect. 9. num. 31. & 1. part. tract. 2. lib. 1. cap. 15. num. 12. quamuis in Metaphyſica diſputat. 28. ſect. 2. num. 16. contrarium dicere videatur. Nauarrete controuerſia 4. §. 1. Arrubal hîc diſput. 54. cap. 3. num. 8. Gonzalez diſput. 53. num. 8. & num. 16. Machin diſputat. 41. ſect. 2. Contra

*Decima concluſio negatiua.*

Eſt Aureoli, Fonſecæ, Salas, Suarez, Nauarrete, Arrubal, Gonzalez, Machin.

Contra Capreolum, Ferrarienſ. Palat. Medin. Molin. Bagnez, Trigoſ. Vazquez, Valent. Zumel.

Contra Capreolum 1.diſt.45.quæſt.1.artic.2.ad 2. Aureoli contra primam concluſionem, & ad 1. eiuſdem Aureoli contra ſecundam concluſionem. Ferrarienſem 1.cont.Gent. cap.75. §. *Aduerte tamen.*& cap.76.§.*Reſponderi ad hoc.*Palatium 1.d.38. diſputat.2.fin. Medinam ſupra num.38. Molinam artic. 2. diſputat. 2. poſt medium, & hoc artic.3. §. *Ad hoc tamen.* & §. *Tertium eſt.* Bagnes artic. 2. dub.1. & artic.3.fin. Trigoſium in Bonauenturam 1. part. quæſt.13. artic. 2. dub. 3. notab. 2. fin. & concluſ.3. parte 4. Vazquez hîc,diſput.80.num.6. Valentiam puncto 4. ad 1. Zumel artic.2. dub.1. poſt concluſionem tertiam, & artic.3. diſputat.1. ad 3. reſponſione 2. ſed diſputat. 2. ad 3. ſecundo loco, hanc concluſionem expreſsè tenet, ac probat.

47. *Velle Dei liberũ in actu ſecundo, addit fundamẽtum relationis rationis.* Albertus.

Loquitur concluſio de *formali relatione rationis*; alioqui certum eſt, id, quod actus Dei liber addit, quicquid illud ſit, ſi non eſt formaliter ipſa relatio rationis, eſſe illius fundamentum: de quo intelligo Albertum 1. diſt.45. artic. 4. initio corporis dicentem, *Voluntas Dei dicit eſſentiam cum reſpectu ad volitum, & connotans effectum:* ſicut enim actu creare in tempore, non fundat relationem realem Dei ad creaturam, ſed relationem rationis; ita pariter ab æterno velle actu creare. Verùm non ſatis eſt in præſenti difficultate reſpondere, addi fundamentum relationis rationis: quia hæc reſponſio eſt communis omnibus opinionibus contrariis in hac controuerſia, etiam opinioni Caietani, in qua additum intrinſecum, ac liberum, eſt fundamentum vt poſſit diuina voluntas per intellectum referri ad creaturas; non minus ac creatio, quæ ſupra omnipotentiam diuinam addit aliquid reale extrinſecum, eſt fundamentum referendi per rationem Deum ad creaturas. & ideo, quoad eius fieri poteſt, declarandum eſt, in quo conſiſtat huiuſmodi fundamentum, quod ab æterno liberè additur, & poterat non addi. Atque hoc fundamentum explicare voluiſſe videtur Capreolus ſupra ad ſecundum, dum docuit, *Quòd determinatio diuini velle ad hoc volitum, addit directionem diuini intellectus, oſtendentis voluntati tale obiectum, & proponentis ſibi illud, vt volendum. Addit inſuper relationem rationis voluntatis ad volitum.* Quod à quibuſdam immeritò dicitur, neque eſſe verum, neque ad hanc rem explicandam neceſſarium. Interrogant enim, An hæc directio diuini intellectus ſit libera, vel neceſſaria? Si neceſſaria, ergo non rectè dicitur, addi à libero. Si libera, ergo non ex ſe, quia intellectus non eſt formaliter liber; ſed ex velle libero; ergo remanet integra quæſtio, Quid addat hoc velle liberum? Sed pro Capreolo, & veritate reſponderi poteſt, illam directionem eſſe liberam, non formaliter, ſed radicaliter, in quantum repræſentat obiectum indifferens; quam repræſentationem eſſentialiter poſtulat quælibet voluntas, atque adeo diuina, vt ſuam formalem libertatem exercere poſſit. Igitur talis directio, eſt radix, ſeu fundamentum, ſine quo, nec eſſe, nec concipi poteſt Deus vt in actu ſecundo liberè volens creaturas; nec rationis relatio, qua velle Dei refertur ad creaturas in actu. Ergo ad perfectè explicandum, Quid addat liberè velle ad diuinum velle? eſt in omni opinione omninò neceſſarium aſſerere cum Capreolo, addi primùm ex parte intellectus diuini prædictam directionem.

*Defenditur dictum Capreoli.*

48. Probatur concluſio primò ex Aureolo ſupra. Quia omni intellectu circumſcripto, & non apprehendente ipſum liberum velle Dei, adhuc Deus liberè vult creaturas. Sed relatio rationis diuini velle liberi ad volita, non eſt formaliter niſi obiectiuè in intellectu actualiter apprehendente Deum liberè velle creaturas; ſicut relatio creatoris non conſurgit formaliter niſi ad intellectus operationem, qua concipiatur Deus, vt realiter,& actualiter creans: ergo talis relatio non additur, neque antecedenter, hoc eſt, tanquam quid conſtitutiuum diuinæ volitionis liberæ in actu ſecundo, neque conſequenter, hoc eſt, tanquam effectus neceſſariò conſequens prædictam volitionem.

*Prima ratio ex Aureolo.*

Reſpondet Capreolus ſupra, *Quòd ſi nullus intellectus humanus, aut angelicus eſſet, adhuc ille reſpectus eſſet; quia conſequitur actum diuini intellectus; qui non poteſt non conſiderare, & non intelligere talem reſpectum circa ſuum velle, ſuppoſito quòd aliquid velit. Vnde ſicut eſt impoſſibile, quod Deus aliquid velit, & non velit illud idem; ita eſt impoſſibile, quòd Deus aliquid velit, & quòd talis reſpectus non ſit intellectus ab eo; niſi faceret quòd velle non ſit actio, quia reſpectus conſequitur actionem naturaliter.* Quibus vltimis verbis videtur loqui Capreolus de reſpectu rationis fundamentaliter tantùm; quia reſpectus rationis, non conſequitur actionem naturaliter, niſi fundamentaliter; ſed poſita actione, conſequitur naturaliter formaliter intellectum apprehendentem agens cum ordine ad terminum, v. g. poſita creatione, habetur naturaliter, ſiue ex natura rei, fundamentum referendi per rationem Deum creatorem ad creaturam; ſed poſito vlterius intellectu concipiente Deum creatorem cum ordine ad creaturam, conſequitur naturaliter formaliter relatio rationis Dei ad creaturam. Quoniam verò in aliis verbis ſupra adductis, ſatis clarè loquitur de relatione formaliter, ideò dico, ipſum tenere, quòd hæc relatio formalis volitioni Dei liberæ addatur non antecedenter, ſed conſequenter, hoc eſt, poſt volitionem: nam apertè dicit, *Ille reſpectus conſequitur actum diuini intellectus, qui non poteſt non intelligere ſuum velle, ſuppoſito quòd aliquid velit.* & paulò ante dixerat, *Talis reſpectus rationis conſequitur actum volendi neceſſariò.* Hæc autem formalis relatio conſequens, neque explicat præcipuum punctum difficultatis, Per quid ſcilicet, habeat diuinum velle, vt ſit liberum in actu ſecundo, quod præſupponitur ad relationem rationis, & ſecundum Capreolum, & ſecundum veritatem; quia prius aliquo modo eſt, Deum velle efficaciter hoc; quàm Deum intelligere, ſe velle efficaciter hoc; cum hoc ſit obiectum, & illud ſit actus circa obiectum. Neque etiam vt conſequens, eſt neceſſaria: quia ſuprà quæſt.14. artic. 9. dub. 2. cum ipſomet Capreolo oſtendi, multò probabilius eſſe, per diuinum intellectum non formari relationem, & vniuerſaliter entia rationis. ergo Capreolus ad ſaluandam formalem, & actualem exiſtentiam obiectiuam relationis rationis diuini velle liberi ad creaturas, non poteſt confugere ad intellectum diuinum.

*Confutatur reſponſio Capreoli.*

*Relatio rationis conſequens, neque eſt ſufficiens, neque neceſſaria.*

49. Probatur ſecundò ex eodem Aureolo, *Quia ens rationis eſſet principium reale productionis, quod nullo modo eſt poſſibile.* Hæc ratio, qua vtuntur etiam Fonſeca ſupra §. *Alterum argumentum.* Salas ſupra, & §.7. num.103. Gonzalez hîc, diſput.53. num.7.& 16. ſupponit, totum id, quod dicit velle liberum in actu ſecundo, eſſe principium productiuum creaturarum: hinc enim ſic arguitur, ſed ens rationis non poteſt eſſe hoc principium, ergo ens rationis non poteſt eſſe additum vltimò cõſtitutiuum diuini velle liberi in actu ſecundo. Et ideo non videtur ſatis firma ratio; quia facilè, & verè dici poſſet, Principium rerum non eſſe voluntatem liberam in actu ſecundo, hoc eſt, actu terminatum ad res, tanquam ad effectus, hæc enim inuoluit & principium, & principiatum: ſed eſſe voluntatem liberam in actu primo, quæ poteſt ſe liberè determinare ad volendum, ſeu cauſandum hoc, vel illud obiectum. Atque hoc ſignificare videtur Capreolus ſupra, reſpondens ad hoc argumentum Aureoli, dum illi concedit, *Quòd talis reſpectus non ſit ratio volendi, aut principium volitionis: ſed ſolùm quòd conſequitur principium productiuum, ſcilicet diuinum velle.*

*Secunda ratio Aureoli, Fonſecæ, Salas, Gõzalez, non probatur.*

*An voluntas Dei libera in actu ſecundo ſit efficiens rerum cauſa.*

Capreolus.

50. Confirmari poteſt concluſio exemplo diuinæ præſcientiæ viſionis, quia hæc etiam dicitur libera, & ideo iuuare poteſt ad explicandam volitionem Dei liberam. Quamquam inter hos actus notabilis ſit differentia, quæ veritatem liberæ volitionis minus intelligibilem reddit: quia ſcientia eſt libera non libertate ſua, ſed aliena, nempe voluntatis; vnde cum ipſa non ſe determinet ad hoc, vel illud obiectum actuale videndum, ſed ſit ex ſe determinata ad videndum quodlibet determinatum à voluntate, minus difficilè intelligimus, facta variatione in obiecto, vi liberæ voluntatis, de poſſibili in actuale, poſſe ſcientiæ actum, in ſe neceſſarium, nulla in ipſo facta intrinſeca additione, aut mutatione, ſed præſuppoſita ſolùm extrinſeca mutatione obiecti intelligibilis, ferri in poſteriori ſigno in obiectum actuale, in quod non ferebatur in priori ſigno, quia tunc non erat. At verò in voluntate non ſolùm eſt ſimpliciter extrinſeca mutatio obiecti, quod de eſſe poſſibili tranſit in eſſe futurum; ſed præterea eſt, quòd hæc mutatio fiat vi intrinſecæ, ac liberæ determinationis ipſiuſmet voluntatis: voluntas enim eſt, quæ, cum propter libertatem ſuam intrinſecam, ac formalem poſſit ſe determinare ad volendam hanc extrinſecam obiecti mutationem; & non oppoſitam, determinat ſe ad hanc, non ad illam. Vnde ingens oritur difficultas, quia neceſſarium videtur, præter determinatum, & extrinſecum effectum extra voluntatem ab ipſa cauſatum, ponere in ipſamet voluntate intrinſecam aliquam determinationem, qua ex indeterminata tranſeat in determinatam, ſcilicet per determinationem, qua vitaliter ex ſe velit eſſe vnam determinatam partem potius, quàm oppoſitam, ad quam volendam poterat etiam eadem libera voluntate ſe determinare. Quod quidem videtur intelligi non poſſe ſine aliqua intrinſeca voluntatis variatione. Verùm hac differentia non obſtante, de qua dicam infra, quantum attinet ad relationem rationis, de qua nunc diſputamus, iuuari poſſumus exemplo ſcientiæ. Sicut enim Deus, cum ſine ſcientiæ mutatione, de non ſciente futurum, fit ſciens futurum, hoc, quia à parte rei eſt, etiamſi nullo intellectu obiectiuè conſideretur, non conſtituitur in ſe formaliter per relationem rationis, licet à nobis imperfectè concipientibus, per huiuſmodi relationem à poſteriori apprehendatur, & explicetur; vt ſupra quæſt.14. art.8. à num.138. ita cum ſine volitionis mutatione de non volente efficaciter rem futuram, fit volens, quia hoc etiam re ipſa verè eſt, non debet formaliter conſtitui per relationem rationis, ſed ſolùm à nobis apprehendi, & explicari.

*Notabilis differẽtia inter ſcientiam Dei liberam, & liberã voluntatem.*

*Confirmatur cõcluſio exẽplo ſcientiæ viſionis.*





# DVBITATIO VIII.

## *Quid tandem ſit illud, quod velle Dei liberum in actu ſecundo, addit ſupra velle neceſſarium, & liberum in actu primo.*

### SVMMA.


1 *Quæ ſint certa apud omnes in hac controuerſia.n.51.*

2 *Probatur, & explicatur libertas diuinæ voluntatis per habitudinem ad extrinſeca, abſque vllo intrinſeco ſuperaddito.num.52.ad 56.*

3 *Soluuntur argumenta Fonſecæ, & Salas. num.56. ad 60.*

4 *Qualis ſit in Deo denominatio amantis, & ſcientis creaturas futuras.num.58.ad 60.*

5 *Soluuntur argumenta Gonzalez.num.60.ad 65.*

6 *Refertur, & reijcitur opinio Gonzalez de determinatione actuali libera realiter exiſtente in Deo. num.65.ad 69.*

7 *An, & quo modo mutari debeat obiectum cum Deus de non volente fit volens. num.69.ad 72.*

8 *An Deus poſſit in tempore incipere velle, & ſcire. num.72.ad 73.*


51. VNdecima concluſio. In hac difficillima controuerſia quinque videntur certa, velle Dei liberum in actu ſecundo, non conſiſtere primò in aliquo poſitiuo reali, intrinſecè addito ſupra velle neceſſarium, vt ſupra dub.6. Non ſecundò in aliquo poſitiuo rationis, vt dub.7. Non tertiò in aliquo negatiuo, quod hactenus à nemine dictum eſſe ſcio, quia conſtat ex communiſſima omnium conceptione, cum dicitur, Deus liberè voluiſſe mundum, nihil exprimi, & apprehendi negatiui. Non quartò in ipſamet diuina voluntate, abſolutè conſiderata, quia hæc quoad intrinſecum ſuum eſſe, ſemper eſt prorſus eadem, tam ſi Deus velit creare mundum, quàm ſi contra, nolit creare mundum. Non quintò in ipſomet voluntatis effectu, abſolutè ſpectato, ſiue in mutatione obiecti volibilis, quæ cauſatur à libera Dei voluntate, ſi talis mutatio per ſe conſideretur; quia hæc mutatio abſolutè conſiderata, facta eſt vi diuinæ voluntatis liberæ, non ſolùm in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo, hoc eſt, actualiter ſe determinantis ad illam mutationem, non ad mutationem oppoſitam. Vnde vera eſt hæc cauſalis, Ideo hic mundus exiſtit in tali differentia temporis, quia Deus per liberam ſuam voluntatem actu voluit illum creare in tali differentia temporis. ergo hæc mutatio abſolutè conſiderata, eſt poſterior velle Dei libero in actu ſecundo, ſicut omnis effectus eſt poſterior ſua cauſa. Ergo hoc velle non poteſt in huiuſmodi mutatione obiectiua conſiſtere.

*Vndecima concluſio de quinque punctis certis in hac controuerſia.*

52. Duodecima, & vltima concluſio. Voluntas Dei libera in actu ſecundo, eſt ipſamet voluntas neceſſaria, & libera in actu primo, ſed formaliter ſpectata, prout immutans extrinſecè obiectum per intrinſecam vim ſuam, indifferentem, & completam ad oppoſitam eiuſdem obiecti mutationem, abſque vlla prorſus intrinſeca ſui mutatione. Hanc ego arbitror eſſe mentem Sancti Thomæ hîc ad ſextum, dicentis, *Diuinum velle, in ſe eſt neceſſarium; ſed non habet neceſſariam habitudinem ad volita.* Nomine habitudinis, non intelligit relationem, aut realem, aut rationis, mediam inter velle, & volitum, nam ibidem dicit, *Diuinum ſcire habet neceſſariam habitudinem ad ſcita*, ad quæ non habet intermediam aliquam relationem.

*Duodecima cõcluſio. Velle liberũ, eſt ipſamet Dei volũtas prout per vim ſuam indifferentem, & completam immutans creaturã abſque vlla Dei mutatione. Eſt S.Thomæ.*

Et ibidem poſt principium corporis ait, *Voluntas diuina neceſſariam habitudinem habet ad bonitatem ſuam, quæ eſt proprium eius obiectum:* & tamen nemo eſt qui ponat relationem aliquam intermediam neceſſariam voluntatis Dei ad bonitatem Dei, quæ re ipſa ſunt vna indiuiſibilis, ac ſimpliciſſima entitas. Igitur intelligit idem velle neceſſarium, ſed vt habens ſe ad creaturas volitas alio modo ac ſe habet ad bonitatem ſuam volitam, hoc eſt, modo libero, non neceſſario. Qui modus, ſicut cum dicitur, Deus velle neceſſariò ſeipſum, non eſt alius, quàm ipſamet diuina voluntas actualis, per vim ſuam intrinſecam determinatam, ac neceſſariam, ſeipſa immediatè tendens in eſſe ſuum intrinſecum, increatum, abſque alia media tendentia, aut terminatione; ita cum dicitur, Deus velle liberè creaturam, putari non debet alius, niſi eademmet diuina voluntas actualis, per vim ſuam intrinſecam, indeterminatam, ac liberam, ſe ipſa immediatè tendens in hoc vel illud eſſe creatum ſibi extrinſecum, abſque vlla intermedia terminatione aut tendentia, quæ in re ſit, aut neceſſariò ſit concipienda, niſi à creaturis imperfectè concipientibus. Idem quoque ſignificat in corpore in fine, dum probat, bonitatem Dei eſſe perfectam, etiam ſine aliis, ac proinde ſine aliis eſſe poſſe; quia, inquit, *Nihil ei perfectionis ex alijs accreſcit.* Et clarius 1. contra Gent. cap. 82. num. 4. dum explicat, diuinam voluntatem eſſe virtutem ad vtrumlibet, non reſpectu ſui, ſed reſpectu aliorum à ſe: quia eſt perfecta in ſe, & non indiget aliquo intrinſeco determinante ad vnum. *Hoc autem*, inquit, *pertinet ad virtutis eminentiam, in quantum vtrumlibet oppoſitorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum, ſed ad vtrumlibet ſe habens.* Ergo hoc additum, non eſt realis, & intrinſeca diuinæ voluntatis determinatio ad vnum: quam expreſsè ibi negat S. Thomas cum Ferrarienſi. quia illa eſt, inquit, *ad vtrumlibet ſe habens:* additque contra voluntatis prædeterminatores, *& ob hoc determinatur ad vtrumlibet.* Eiuſdem ſententiæ videtur Scotus 1. d. 39. quæſt. 1. §. *Quantum ad primum.* Vbi libertatem diuinæ voluntatis explicat etiam per habitudinem, quam ipſe tendentiam vocat, ad oppoſita obiecta, & oppoſitos effectus, non autem ad oppoſitos actus, *ita quòd*, inquit, *ſicut voluntas noſtra poteſt diuerſis volitionibus tendere in diuerſa volibilia; ita illa voluntas poteſt vnica volitione ſimplici illimitata tendere in quæcumque volibilia.* Qua ſimilitudine voluntatis diuinæ actualis liberæ reſpectu diuerſorum obiectorum, cum voluntate creata potentiali libera reſpectu diuerſorum actuum, vt cum Aureolo tetigi etiam ſupra num. 31. egregiè, quantum in hac vita capere fas eſt, intelligi poteſt huius profundiſſimi myſterij veritas. Nihil enim voluntas noſtra magis liberè vult, ſeu per libertatem ſuam intrinſecam liberè cauſat, quàm liberam ſuam volitionem, ſeu nolitionem: & tamen per illud, *liberè vult*, ſeu liberè ſe determinat, ſeu liberè cauſat determinando ſeipſam in actu ſecundo intrinſecè, & vitaliter, non ſignificatur in re aliquid reale medium inter voluntatem, & volitionem; ſed ſolùm ſignificatur ipſamet voluntas non ſimpliciter, & abſolutè, ſed vt eſt id à quo liberè emanat eius intrinſecus actus; ita cum ſimpliciſſimus, ac perfectiſſimus diuinæ voluntatis actus liberè vult hoc aut illud in creaturis extra ſe, non debet concipi aliquid aliud præter ipſam volitionem, prout ſe ipſa immediatè potens cauſare hoc, liberè eligit cauſare aliud oppoſitum, nulla facta intrinſeca mutatione in ipſo actu, ſed tantùm extrinſeca in eius obiecto. Idem in re ſequuntur Suarez tomo 2. Metaph. diſput. 30. ſect. 9. à num. 35. Vazquez hîc d. 80. cap. 2. Molin. ad 4. & 5. Valent. puncto 4. ad 1. & 2. Arrub. d. 54. num. 9. & cap. 4. & 5. Machin diſput. 41. ſect. 3. & 4. Gillius lib. 2. tract. 8. cap. 9. num. 2. Becanus tract. 1. cap. 11. quæſt. 4.

*Declaratur concluſio.*

*Eſt etiã Scoti.*

*Libertas Dei explicatur exẽplo creatæ libertatis.*

Suarez, Vazquez, Molinæ, Valentiæ, Arrubal, Machin, Gillij, Becani.

Probatur concluſio primò à poſteriori, quia excluſis in vndecima concluſione quinque aliis modis dicendi, non poteſt præter hunc ſextum alius excogitari. Secundò à priori, explicando duas certas radices, ex quibus neceſſariò ſequitur hic ſextus modus, quas ingenioſiſſimè tetigit Scotus verbis paulò ante citatis. Prima eſt, quòd voluntas Dei, ſit *vnica volitio ſimplex.* Secunda, quòd eadem ſit *illimitata.* Ex prima, quam probaui ſup. artic. 1. concluſione 3. oritur, vt diuinæ voluntatis intrinſeca, & eſſentialis libertas in actu primo, non ſit per indifferentiam potentiæ ad oppoſitos actus, ſed per indifferentiam actus ad oppoſita obiecta; & conſequenter, vt eiuſdem voluntatis libertas in actu ſecundo, non ſit per actualem determinationem potentię ad determinatum actũ, ſibi intrinſecum, ſed per actualem determinationem actus ad determinatum effectum, ſibi extrinſecum. Quæ omnia breuiter, ſed clarè expreſſit Scotus ſupra, vt retuli, & declaraui n. 21. Hinc prudens Theologus deducere debet, de eſſentiali ratione libertatis ſimpliciter, prout abſtrahit à creata, & increata, eſſe dominium, & indifferentiam, ſiue indeterminationem ad volendum, vel non volendum, & ad volendum hoc obiectum, non aliud. Quod contingere poteſt duobus modis, vel per potentiam, quæ poteſt producere, & non producere ſuum actum; & producere hunc actum circa hoc obiectum, non alios actus circa alia obiecta: & hic modus includit manifeſtam imperfectionem à natura diuinæ voluntatis alieniſſimam. Vel per potentiam, ſeu virtutem, quæ ad libitum per ſeipſam immediatè poteſt immutare, aut non immutare ſuum obiectum; & immutare hoc modo, aut aliis modis. Quæ vis abſque vlla repugnantia, imò cum maxima perfectione, concipi poteſt eſſe immediatè in actu. Et de facto, in creaturis etiam eſt immediatè in actu, & non in potentia, niſi mediante actu: volitiua enim potentia creata non cauſat aliquid niſi mediante actu volitionis. Solùm differunt, quia actus volitionis creatæ ita immutat ſuum obiectum, vt talis actus ſit determinatus ad talem immutationem, & non indifferens ad immutationem oppoſitam; *& hoc*, inquit Scotus ſupra, *propter limitationem actus reſpectu ſui obiecti:* actus verò volitionis increatæ, quia non eſt limitatus, ac determinatus ad vnum aliquod creatum obiectum, imò quia nulla creatura, ſed ſolùm increata bonitas, eſt proprium, & primarium eius obiectum, habere conſequenter debet hanc virtutem circa ſingula, & omnia obiecta creata indeterminatam, & indifferentem ad vtrumlibet. Et per hoc patet, volitioni diuinæ conuenire aliquam veram, ac propriam contradictionis potentiam, vt concedit Vazquez hîc diſp. 79. num. 16. Valent. punct. 4. Aſſert. 3. Zumel d. vnica. Bagnes infra, art. 10. dub. 2. Trigoſius in Bonauenturam 1. part. q. 15. art. 2. dub. 4. notab. 1. & 2. & dub. 5. ſine qua non eſt intelligibilis aliqua libertas, & indifferentia ad vtrumlibet: nimirum per habitudinem non ad intrinſecos actus, ſed ad extrinſeca obiecta. Hanc contradictionis potentiam expreſſit idem Scotus ſupra, §. *Quantum ad ſecundum.* illis verbis, *Voluntas diuina ad quodlibet aliud obiectum ab eſſentia ſua contingenter ſe habet, ita quod poſſet eſſe oppoſiti.* Expreſſit etiam S. Thomas 1. contra Gent. cap. 82. num. 4. cum Ferrarienſi ibi, dicens, *Voluntatem diuinam eſſe virtutem ad vtrumlibet oppoſitorum, non ex parte ſui, ſed ex parte eius ad quod dicitur, & reſpectu aliorum à ſe.* Item Bonauentura 1. d. 47. artic. 1. q. 1. ad 3. *Voluntas Dei liberè poteſt, quia ita poteſt hoc, quòd eius oppoſitum: ita vult hoc, quòd poteſt velle eius oppoſitum abſque ſui mutatione.* Quare immeritò hæc potentia à Caietano infra, artic. 7. ad 4. dicitur, *imaginatio Scotica voluntaria.* Eſt enim doctrina valdè rationabilis, fundata in eſſentiali conceptu diuinæ libertatis.

*Concluſio à priori ſequitur primò ex diuinæ volũtatis ſimplicitate.*

*Quid ſit de cõceptu libertatis ſimpliciter, vt præſcindit à creata, & increata.*

*Diuinæ volitioni competit potentia contradictionis ex S. Th. Bonauentura, Scoto, & alijs contra Caietanum.*



54. Ex ſecunda radice infinitatis, quam nullus verus Theologus negare poteſt, omninò ſequitur, vt quicquid poſſunt omnes creaturæ, & quicquid ſimpliciter poſſibile eſt per diſtinctas volendi potentias, & diſtinctos volendi actus, poſſit Deus, modo infinitè perfectiore, præſtare per vnicam, & ſimpliciſſimam ſuam volitionem: alioqui ſi daretur aliqua voluntas, potens præſtare aliquid, quod præſtare non poſſet diuina volitio, hæc non eſſet infinita ſimpliciter in genere, & ratione volitiui, quia deeſſet illi vis aliqua, & perfectio volendi: ergo ſicut diuerſæ finitæ voluntates, & volitiones habent vim volendi quædam neceſſariò, quædam liberè; ita totam hanc vim ſimul vnitam habet vnica illa Dei volitio. Et ſicut creatæ voluntates volunt, & nolunt hæc, aut illa, per realem aliquam additionem, in qua ſine dubio eſt aliqua perfectio pertinens ad genericam volendi rationem; ita omnes iſtas perfectiones diuina volitio in ſua actualitate, prorſus illimitata, eminentiſſimè continet: adeò vt nequeat, ſalua perfectiſſiima ratione ſuæ infinitatis, diuina voluntas velle, aut nolle aliquid per additionem intrinſecam alicuius realis perfectionis, ſeu formalitatis, contentæ intra genericam latitudinem volitiui. Ex qua eadem infinitatis radice ſupra quæſt. 14. artic. 8. oriri diximus, vt vnicus, ac ſimpliciſſimus intelligendi actus in Deo, ſit ſimul & neceſſarius ſimpliciter, reſpectu rerum poſſibilium, & liber, ſeu neceſſarius ex ſuppoſitione reſpectu rerum futurarum, & actualium: & vt in priori ſigno rationis, antequam intelligatur per voluntatem ſuam liberam determinare actualiter, vt hæc vel illa poſſibilis creatura, ſit actualis, & futura, habeat intrinſecè in ſe idem actus omnem perfectionem, ſeu rationem neceſſariam ad hoc, vt conſtituto obiecto intelligibili actuali, poſſit in illud tendere ſeipſo immediatè per ſcientiam viſionis, nulla facta intrinſeca additione ſeu variatione in actu intelligendi ſeu ſciendi, vt accidit in creaturis imperfectè intellectualibus, ſed ſolùm extrinſeca in obiecto intelligibili ſeu ſcibili. Ex hac etiam ſecunda radice intelligimus eſſentialem conceptum libertatis ſimpliciter: quamuis enim in nobis libertas ſit tum cum nouitate, multiplicitate, mutatione, & additione actuum, ſeu intrinſecarum volendi rationum; tum cum variatione, ac mutatione extrinſecorum obiectorum; tamen hoc ſecundum, quod ſolùm in Deo reperitur, eſt de eſſentia libertatis vt ſic; & primum liberis creaturis competit, non propter eſſentiam libertatis ſimpliciter, ſed propter limitationem, & imperfectionem libertatis noſtræ creatæ.

*Secundò ex illimitatione.*

*Explicatur exemplo diuinæ ſcietiæ.*

*Corollarium de eſſentia libertatis.*

55. Igitur ex dictis præcipua concluſionis ratio formari poteſt hunc in modum. In Deo non eſt alia voluntas, niſi actualis, in qua, ex eo quòd vndequaque ſit infinita, continetur quicquid realitatis, & perfectionis contineri poteſt in quocumque actu voluntatis poſſibili, ſiue neceſſario, ſiue libero: ergo non poteſt concipi, liberè velle, per aliquam perfectionis, ſeu realitatis additionem, aut mutationem in ipſo actu; ſed per ſolam mutationem ipſius obiecti, quod ex intrinſeca vi libera illius actus, habet iam eſſe realiter futurum, quod ex ſe præcisè non habet. Quamobrem in nullo priori poteſt concipi Deus, vt non liberè volens quoad omnia intrinſeca, quæ dicit actus liber; quia hæc omnia, cum ſint ipſamet eſſentia diuina, ſunt neceſſariò, & per eſſentiam in Deo: ſed ſolùm poteſt ſic concipi quoad extrinſeca, quæ actus ille liber importat, quæ ſunt ipſum obiectum variatum, & reſpectus rationis conſequens poſt talem variationem. Libertas igitur diuinæ voluntatis, ſeu potius volitionis, non conſiſtit in poſſe elicere, vel non elicere actum, ſeu quamlibet aliam realitatem, aut modalitatem ſibi intrinſecam, quæ poſſit eſſe, vel non eſſe realiter in diuina voluntate; ſed in poſſe immutare, vel non immutare obiectum. Et cum ſe determinat ad immutandum, id præſtat, non per aliud, ſibi intrinſecè additum, ſed per ſe ipſam immediatè. Cuius rei non poteſt alia reddi ratio, niſi quia ipſa reſpectu actualis exiſtentiæ creaturæ eſt eſſentialiter libera. Sicut voluntas noſtra antecedenter determinat ſe ad liberè operandum, ſeu volendum, vel nolendum, non per aliam determinationem, à ſe, & ſuo actu diſtinctam, ſed per ſeipſam eſſentialiter indeterminatam, & indifferentem; quia hoc eſſentialiter eſt, velle liberè, & liberè operari, & eſſe cauſam liberam. Et aliam huius rei rationem quærere, eſt non conſiderare naturam libertatis, quæ eſſentialiter petit indeterminationem in cauſa: hoc eſt, vt poſſit completè hoc, & ſimul completè poſſit oppoſitum; &, vt quando ſe determinat, hoc eſt, facit hoc determinatum, id non oriatur ex aliqua diſtincta determinatione, præſuppoſita in cauſa, ſed ſolùm ex ipſa libertate, qua potens facere vel hoc determinatum, vel aliud determinatum, ipſa ex ſe facit hoc, & non facit aliud, quod tunc etiam, ſi vellet, facere poſſet quando facit hoc: vt ſæpe, ac latè declaratum, & probatum eſt ſupra quæſt. 14. toto artic. 13. & non minus clarè, quàm acutè docuit Anſelmus de caſu Diaboli cap. 27. circa finem: vbi interroganti, *Cur Angelus voluit quod non debuit?* reſpondet, *Nulla cauſa præceſſit hanc voluntatem, niſi quia velle potuit.* & rurſus interroganti, *Cur ergo voluit?* reſpondet iterum, magis declarando primam reſponſionem. *Non niſi quia voluit. Nam hæc voluntas nullam aliam habuit cauſam, qua impelleretur aliquatenus, aut attraheretur; ſed ipſa ſibi efficiens cauſa fuit (ſi dici poteſt) effectus.* Nihil luculentius ſcribi potuit aduerſus prædeterminationem noſtri arbitrij.

*Formatur ex dictis præcipua concluſionis ratio.*

*Explicatur libertas diuinæ voluntatis.*

*Inſigne dictũ Anſelmi cõtra prædeterminationem liberi arbitrij.*

## *Satisfit contrarijs argumentis Fonſecæ, & Salas.*

Obiicies primò cum Fonſeca 7. Metaph. cap. 8. quæſt. 5. ſect. 4. circa finem. Salas 1. 2. quæſt. 6. art. 1. tract. 3. diſp. 1. num. 96. & 97. ex S. Thoma ſupra quæſt. 14. articul. 15. ad 1. *Scientia, & amor important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur* 56.

*Prima obiectio ex dicto S. Thomæ.*

*Relationes rationis in ſcientia, &*

*Amore Dei erga creaturas fundatur in ipſis diuinis actibus, ex S. Thom. Hērico, Suarez.*

*telliguntur in Deo eſſe. Et ideo inuariabiliter prædicantur de Deo.* Quod etiam ex Henrico quodlib. 9. q. 1. admittit, & bene probat Suarez tomo 2. Metaph. d. 30. ſect. 9. num. 32. & 33. Nam Deus ex ſe ſolo, ſe liberè determinat, vt hoc velit potius, quàm illud. Ergo reſpectus rationis, qui ad hoc conſequitur, etſi terminetur ad creaturam extra Deum, in hac tamen non poteſt fundari, ſed fundari debet in intrinſeca ipſius Dei volitione, qua ſe liberè determinat ad volendum hoc potius, quàm ad nolendum. Sed fundamentum relationis rationis, non poteſt, ſaltem vltimatè, eſſe aliud ens rationis, alioqui abiretur in infinitum, ſed eſſe debet aliquid reale: ergo totum id, quod dicit volitio Dei libera in actu ſecundo, eſſe debet aliquid reale. Sed hoc totum poteſt eſſe, & non eſſe in Deo, & illi additur; ergo volitio libera in actu ſecundo, conſiſtit in aliquo reali libero, ſuperaddito volitioni neceſſariæ.

*Reſpondetur, non totum, quod dicit velle liberū, poſſe eſſe, & non eſſe in Deo. Suarez.*

Reſpondeo, fundamentum eſſe reale; quod eſt ipſemet actus neceſſarius, ſeu potius liber in actu primo, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed formaliter, vt ſe liberè determinans ad hanc potius contradictionis partem, quàm ad aliam; ſiue, vt loquitur Suarez ſupra num. 48. fine, *Vt liberè faciens, vt obiectum aliter ſe habeat.* Hoc autem nihil prorſus noui ponit in Deo volente, ſed tantùm in obiecto volito. Quare nego vltimam minorem ſubſumptam, nempe, Totum id, quod dicit volitio Dei libera, poſſe eſſe, & non eſſe in Deo. Poteſt quidem eſſe, & non eſſe in re ſimpliciter; non tamen eſſe, & non eſſe in Deo: quia totum, quod dicit volitio Dei libera in actu ſecundo, non eſt in Deo; quia eſſentialiter non ſolùm dicit in recto, & principaliter intrinſecam Dei voluntatem, ſed etiam in obliquo, & connotatiuè, ſeu terminatiuè, extrinſecam aliquam creati obiecti mutationem, ad quam voluntas illa ſeſe liberè determinat, ſine aliqua intrinſeca propriæ entitatis mutatione.

*Explicatur reſponſio exēplo relationis ſcientiæ diuinæ ad res futuras ſcitas.*

Similiter, imò facilius, relatio Dei præſcientis ad res futuras præſcitas, quæ terminatur ad res extra Deum, fundatur in ſcientiæ actu intra Deum: non tamen in actu ſimpliciter, ſed vt actualiter repræſentante res futuras; quæ repræſentatio nihil intrinſecum addit ex parte actus, ſed tantùm aliquid extrinſecum ex parte obiecti. Nam ille actus, propter intrinſecam ſuam, infinitam, & omninò illimitatam repræſentandi virtutem veluti in actu primo, eſt ita in ſe intrinſecè diſpoſitus, vt nulla alia reali vi, aut forma, aut intrinſeco modo indigeat ad actualiter repræſentandum, niſi vt actualiter detur repræſentabile. Et quoniam creatura, repræſentabilis vt futura, poteſt actualiter dari, vel non dari, & non datur niſi poſt liberam determinationem diuinæ voluntatis, hinc eſt, vt diuina ſcientia illam poſſit actualiter repræſentare, & non repræſentare; & non actualiter repræſentet niſi in poſteriori ſigno, præſuppoſita ſcilicet determinatione Dei, & futuritione creaturæ. Fundatur igitur prædicta relatio in immanenti actu ſcientiæ Dei, vt repræſentante futura, quod totum eſt reale fundamentum, ſed non totum, & ſecundum omnes partes in Deo; & ideo non eſt neceſſarium vt arguat intrinſecam aliquam additionem aut mutationem in Deo. Nam omnis illa contingentia, ſeu libertas, ſecundum quam dicitur ſcientia poſſe repræſentare, vel non repræſentare, prouenit ex contingentia, & variabilitate termini, qui poteſt eſſe vel non eſſe futurus, iuxta liberam diſpoſitionem voluntatis, non ex ipſa entitate actus ſcientiæ, quæ neceſſaria eſt: & ideo non eſt mirum, ſi prædicta relatio rationis ſit libera, & fundamentum neceſſarium, quia etſi præcipua fundamenti pars ſit neceſſaria, nempe actus diuinus, tamen pars fundamenti minus præcipua, nempe creatura futura, non eſt neceſſaria.

*Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò ex eodem Salas ſupra num. 98. vbi immeritò contendit in opinionem ſuam trahere Suarez. Actus Dei, quo vult creaturas, *ſecundum realia intrinſeca, quæ habet, eſt amor creaturarum. Sed ille actus eſt neceſſariò in Deo ſecundum totam ſuam rationem: ergo etiam vt amor creaturarum eſt neceſſariò in Deo: ergo neceſſariò confert ſuum effectum formalem, ſcilicet reddere Deum amantem creaturæ: non enim poteſt forma vniri ſubiecto, quin ei conferat totum ſuum effectum formalem.* Deinde affert optimam reſponſionem Suarez, omninò deſtructiuam opinionis ſuæ. Et nihilominus ita inſtat, *ſed ego non poſſum intelligere, quomodo illa forma, quæ eſt amor creaturarum, ſit neceſſariò in Deo, etiam vt amor creaturarum, & tamen non reddat Deum amantem creaturas.* 57.

*Reſpondetur explicando, quo modo actus diuinæ voluntatis ſit amor creaturarum.*

Reſpondeo, maiorem eſſe diminutam, & falſam; quia actus diuinæ voluntatis, *ſecundum realia intrinſeca*, vt abſolutè, & ſecundum ſe conſiderata, non eſt amor creaturarum, quia eadem prorſus realia, & intrinſeca haberet ille actus, ſi Deus nullam creaturam voluiſſet, vel voluiſſet alias, quas non voluit, vel noluiſſet has, quas voluit. Eſt igitur ille actus amor creaturarum, ſecundum realia intrinſeca, vt liberè terminata ad creaturas. Hinc euidenter patet falſitas minoris; nam actus diuinus amoris efficacis creaturarum non eſt neceſſariò in Deo, *ſecundum totam ſuam rationem*; in hac enim ratione, totaliter, & adæquatè accepta, non ſolùm importatur intrinſeca entitas actus, quæ neceſſaria eſt, ſed etiam inuoluitur extrinſeca entitas termini, ad quam ille actus liberè terminatur, & neceſſaria non eſt. Vnde ſuaderi facilè poteſt quod putatur inintelligibile; falsò enim ſupponitur, quòd illa forma, etiam vt amor creaturarum, ſit neceſſariò, & formaliter in Deo. Quòd non ſit neceſſariò ſecundum adæquatam ſuam rationem, iam probatum eſt.

*Amor creaturarum in Deo non eſt vt forma reſpectu ſubiecti, ſed vt cauſa reſpectu effectus.*

Quòd non ſit formaliter, ſic oſtendo; quia diuina voluntas, ſeu volitio, etſi conſiderata reſpectu ſui obiecti primarij, ac proprij, & conſequenter reſpectu obiecti ſecundarij, habentis neceſſariam, & eſſentialem connexionem cum illo primario, comparari poſſit ad Deum, tanquam forma ad ſubiectum, ſub qua ratione non poteſt non haberi adæquatus, ac totalis effectus formalis, quo fit Deus neceſſariò amans ſeipſum, & creaturas poſſibiles: tamen conſiderata reſpectu creaturarum actualium, ſiue, vt eſt earum amor, non poteſt rectè ſecundum hanc præcisè rationem amoris creaturarum comparari ad Deum, tanquam forma ad ſubiectum; ſed potius comparāda eſt tāquam ratio agendi ad cauſam efficientem: quia per voluntatem, vt terminatam ad creaturas, ſiue, vt amorem creaturarum, non recipit in ſe Deus formalem aliquam perfectionem, ſiue entitatem realem, ex qua in ſe ſubiectiuè recepta, habere debeat aliquem effectum formalem: hunc enim effectum perfectiſſimè, quamuis non ſecūdum omnem termini rationem, habet prout eſt amor neceſſarius: ſed ſolùm eſt cauſa effectiua, liberè immutans obiectum, & producens aliquem effectum: ſub qua ratione fruſtrà quæritur aliquis effectus formalis,



formalis, Deo intrinſecè additus, ſed ſolùm quæri debet aliqua mutatio obiectiua, extrinſecè facta ab illa libera voluntate in obiecto extra ſe. Quæ doctrina eſſe debet Scoti relati ſupra num. 21. quem ſequitur ipſe etiam Suarez tomo 1. Metaph. diſp. 19. ſect. 2. num. 22. docent enim eſſentialem conceptum libertatis ſimpliciter, abſque vlla imperfectione, haberi in actu primo per ordinem ad obiecta volibilia; in actu autem ſecundo haberi per ordinem ad effectus volitos. Ergo amor creaturarum, ſiue actus liber in actu ſecundo, non eſt concipiendus vt forma cauſans effectum formalem in Deo, ſed vt cauſa efficiens, liberè cauſans aliquem effectum in creatura extra Deum.

*Scotus. Suarez.*

*Quomodo denominetur Deus volens creaturas.*

Quando igitur denominatur Deus volens efficaciter creaturas, ſiue, amans creaturas, eſt denominatio libera, & noua, in quantum in priori ſigno non habebatur, & ita habetur in poſteriori ſigno, vt potuerit non haberi. Non eſt denominatio intrinſeca ſimpliciter, ſed intrinſeca reſpectu extrinſeci effectus; quia etſi volitio, vnde denominatur volens, ſit forma Deo intrinſeca, tamen ab hac ſimpliciter conſiderata, non denominatur Deus volens creaturas; ſed ab hac, vt liberè terminata ad creaturas actuales; ſiue ab hac, vt liberè cauſante aliquem effectum in creaturis, & vt liberè immutante obiectum ſuum. Et ideo ex tali denominatione non licet colligere aliquem modum intrinſecum, Deo liberè ſuperadditum.

58. *Dici etiā poteſt Deus denominari formaliter amās creaturas futuras, ſicut denominatur ſciens.*

Addo ad vberiorem doctrinam, & vt explicem formalem effectum, & denominationem ſcientis per ſcientiam viſionis liberam, quæ, vt denominat Deum ſcientem futura, non poteſt comparari ad res futuras tanquam cauſa efficiens ad effectum, ſed ſolùm tanquam actus formalis ad obiectum, vt ſupra quæſt. 14. artic. 8. in quo notabiliter differt hæc denominatio ſcientis futura, à denominatione, de qua nunc agimus, amantis, & volentis futura; eſto amor creaturarum, ſicut ſcientia, ſe habeat in Deo purè formaliter, non effectiuè, & Deus denominetur formaliter amans creaturas non per habitudinem cauſæ efficientis ad effectum, ſed per habitudinem ſubiecti ad formam, adhuc dico, per has formas ſcientiæ, & amoris futurorum, non fieri Deum formaliter ſcientem, & amantem futura, in illo priori, in quo res ſunt poſſibiles, non futuræ; quia in illo priori verè non eſt ſcientia, & amor futurorum, cum hi actus præſupponant futura, tanquā obiecta; & in illo priori futura non ſint: quamuis in illo priori ſint actus ſcientiæ, & amoris, quibus ſciri, & amari poſſunt futura ſtatim ac ponuntur futura. Præſuppoſitis autem futuris, fit Deus formaliter ſciens, & amans futura, non per aliquam formam intrinſecam, Deo de nouo ſuperadditam, nec conſequenter, per aliquem effectum formalem intrinſecum, Deo de nouo ſuperadditum; ſed per ipſammet ſcientiam, & volitionem poſſibilium, qua Deus de ſciente, & amante ſeipſum, & in ſeipſo omnia poſſibilia, & non futura, fit formaliter ſciens, & amans futura, non per mutationem intrinſecam actus, cui propter ſuam infinitatem nihil deerat ad prædictum effectum niſi terminus, ſed propter ſolam extrinſecam mutationem termini de poſſibili in futurum.

*Quid ſit effectus formalis amantis, & ſcientis futura.*

Quòd autem huiuſmodi formæ in aliquo priori non dent intrinſecum effectum formalem ſcientis, & amantis futura, quem in poſteriori ſigno de nouo dant, & ita dant, vt potuerint non dare, ſicut res potuerunt non eſſe futuræ, idque contingat abſque vlla intrinſeca additione, aut mutatione formæ, ſed tantùm extrinſeci termini, quod hac in re grauem difficultatem ingerit, fieri poteſt intelligibile ex triplici capite, primò ex entitate intrinſeca formæ, quæ eſſentialiter connotat terminum extrinſecum: vnde, ſicut ipſa forma, quoad intrinſecam ſuam entitatem, in priori ſigno non eſt ſcientia, aut amor futurorum, ſed vt talis ſit, indiget eſſentialiter ſolo extrinſeco termino, ita vnita ſubiecto, vt intelligatur ſeipſa dare intrinſecum effectum formalem ſcientis, & amantis futura, nulla re intrinſeca indiget, ſed ſolo termino extrinſeco, ad quem intrinſeca entitas illius formæ, vt talis ſit adæquatè, hoc eſt, vt ſit totum id, quod dicit actualis ſcientia, & amor futurorum, eſſentialem habitudinem importat. Secundò ex obiecto formæ, cuius obiectum non eſt res futura, neque ſolum, neque primarium; imò ne obiectum quidem, ſed purus terminus, non neceſſarius, ſed contingens, ac liber, vt ſupra q. 14. artic. 5. Non eſt autem neceſſarium, vt intelligatur forma vnita ſubiecto, dare ſemper, & neceſſariò effectum ſuum formalem reſpectu cuiuſliber ſui obiecti, etiam puri, & contingentis termini: ſed ſatis eſt, vt ita det, reſpectu formalis obiecti proprij, primarij, & adæquati: & ita Deus per intellectum, & voluntatem ſuam, ſemper, ac neceſſario eſt ſciens, & amans ſeipſum. Tertiò ex infinitate formæ, quæ non eſt alligata ſolis entibus futuris, ſed extenditur ad entia poſſibilia, & ad increata: & in ſua intrinſeca entitate, & conſequenter, in intrinſeco ſuo effectu formali, habet quicquid perfectionis, & realitatis in omnibus ſimpliciter intellectionibus, & volitionibus haberi poteſt ſecluſis imperfectionibus. Quo fit, vt actus ſcientiæ, & amoris futurorum, & effectus formalis eiuſdem actus, in illo priori, antequam ſunt futura, verè, ac realiter ſit in Deo, ſed inadæquatè, hoc eſt, quoad omnem rationem intrinſecam, non tamen quoad rationem extrinſecam, quam etiam illi actus, & effectus eſſentialiter important. Vnde naſcitur, vt intellecta ſolùm additione, ac mutatione extrinſeca ex parte termini, poſſit bene intelligi de nouo eſſe adæquatè aliqua forma, eiuſque effectus formalis, per nullam intrinſecam additionem, ac mutationem de nouo factam ex parte formæ, & formalis effectus.

*Confirmatur exemplis.*

Confirmari poteſt exemplo formæ creatæ, tum in opinione relata, & reiecta in primo Tomo quæſt. 12. artic. 8. à num. 64. ad 67. & num. 101. multorum Theologorum dicentium, Beatos eadem Dei viſione inuariata, nunc videre plura, nunc pauciora: tum in opinione Nominalium, quam hodie multi ingenioſè magis quàm verè defendunt, de omnimoda indiſtinctione relationis prædicamentalis à fundamento: ponunt enim ante terminum extrinſecum totam intrinſecam entitatem formæ relatiuæ in ſubiecto, v. g. paternitatem in homine ante filium: ab ea tamen non dari actualem effectum, & denominationem formalem Patris, niſi poſito filio; & tunc dari, nulla facta mutatione relationis, ſed ſolius termini, qui ſolus ad formalem illum effectum, & denominationem deſiderabatur. 59.

*Relationem creatam diſtingui à parte rei à fundamento.*

Idque rationabiliter aſſeri putant, ſolùm ex primo capite, ſupra aſſignato; quia ſcilicet illa forma non ſolùm eſt quid intrinſecum in ſe, ſed etiam per illud intrinſecum eſt eſſentialiter ad aliud extrinſecum à ſe diſtinctum. Quod tamen primum caput, ſi ſolum ſit ſine aliis duobus capitibus aſſignatis, vt in hac opinione de relationi

relationibus, non videtur ſufficiens: quia tunc forma, propter ſuam determinationem, & limitationem ad talem terminum, nihil haberet, quo poſſet actuare, & informare ſubiectum, v. g. paternitas eſt intrinſecè determinata, ac limitata forma relatiua ad ſolum filium. ergo ſi ante vllum filium non poteſt formaliter cauſare, & denominare hominem patrem, illa non poteſt intelligi, ante vllum filium eſſe in ſubiecto, illud informando, & actuãdo: quia propter ſuam prædictam determinationem, ac limitationem, non habet aliud, quod formaliter cauſare, ac denominare poſſit. Impoſſibile autem eſt, & prorſus inintelligibile, formam informare, & actuare ſubiectum, & tamen nihil in ſubiecto formaliter cauſare, ac denominare. Quod incõueniens in caſu noſtro, de actuali ſcientia, & amore creaturarum, non contingit propter reliqua duo capita, vt explicatum eſt. Propter quę, iuxta ſententiam, quam tuemur, optimè dixit Suarez ſupra n. 38. init. *Quòd hic actus apprehenditur vt forma quædam, quæ ſecundum totam realitatem ſuam neceſſariò eſt in Deo, ſeu, eſt ipſe Deus; & tamen non neceſſariò confert quaſi adæquatum effectum formalem, quem conferre poteſt in ordine ad extrinſeca obiecta.* Hic effectus ſcientis, & amantis creaturas, ſapienter dicitur, *Quaſi adæquatus effectus formalis*, quia conſtat ex intrinſeco, non ſimpliciter, ſed cum ordine ad extrinſecum, adæquatè igitur importat intrinſecum, & extrinſecum: & quia poſito extrinſeco, cum nihil intrinſecum addatur, non tam propriè additur effectus formalis, quàm quoddam complementum effectus, & ideo additur *quaſi effectus formalis*, non ſimpliciter effectus formalis.

Suarez.

## *Soluuntur aliæ obiectiones Gonzalez.*

60. *Arguit primò.*

Obiicies tertiò ex Gonzalez hîc, d. 53. à num. 5. vbi arguit primò. *Voluntas Dei, ex ſe indifferens eſt. Similiter creatura eſt indifferens ex ſe ad exiſtendum, vel non exiſtendum. Igitur determinatio huius indifferentiæ nec potuit prouenire à creatura, nec à diuina voluntate, quatenus in ſe manet indifferens. Ergo dicendum, nihil eſſe à parte rei, niſi præſuppoſita determinatione libera interiori diuinæ voluntatis circa illud.*

*Reſpondetur diſtinguendo duplicem determinationem.*

Reſpondeo, diſtinguendo vtrumque conſequens, quoad determinationem. Duplex enim in diuina voluntate poni poteſt ab arguente determinatio. Prima formalis, & intrinſeca, quam ipſe videtur velle perſuadere; & hæc eſt prorſus reiicienda, non ſolùm propter rationes communes voluntati creatæ, & increatæ, quia nimirum liberum, & determinatum, non minus quàm contra, neceſſarium, & indeterminatum, inuicem eſſentialiter pugnant in quacumque voluntate, de qua re ſupra quæſt. 14. artic. 13. fuſiſſimè per totum; ſed etiam propter rationes proprias diuinæ voluntatis, cuius infinitati, ſimplicitati, & diuinitati contradicit intrinſeca aliqua forma libera, quæ eſſe, vel non eſſe in Deo poſſit, vt hactenus demonſtratum eſt: & eſto non contradicat, adhuc in Deo peculiariter repugnat ratione cauſæ efficientis.

*Determinationem formalem peculiariter implicat eſſe Deo intrinſecam.*

Enimverò ſi hæc intrinſeca determinatio eſt libera, vt eam vocat Gonzalez, ac proinde poteſt ſimpliciter eſſe, vel non eſſe, ergo indiget aliquo principio à quo ſit: nihil enim ex ſe indifferẽs ad realiter exiſtendum, vel non exiſtendũ, poteſt ex ſe ſolo eſſe ſibi ſufficiens cauſa, vt de non eſſe traducatur ad eſſe, & ſit potius quàm nõ ſit: ergo hoc principium vel eſt aliud à Deo, vel ipſe Deus. Primum manifeſtè implicat. Si ſecundum, ergo Deus vt principium ſe determinandi ad hanc intrinſecam determinationem potius quàm ad oppoſitam, eſt indifferens, & indeterminatum, aliter in huiuſmodi determinationibus aſtruendis procederetur in infinitum. Ergo à principio indifferente, *quatenus in ſe manet indifferens*, prouenire poteſt aliquid determinatum, quod vt maximum abſurdum nobis ſemper, & præcipuè obiicitur ad aduerſariis, vt ſupra q. 14. art. 13. num. 421. & 422. Quod ſi non putatur inconueniens, à Deo, vt indifferente, prouenire aliquid determinatum, intra Deum: multò minus inconueniens erit, prouenire extra Deum. Secunda effectiua, & extrinſeca, quæ non eſt in voluntate, ſed eſt à voluntate libera, ac proinde vt indeterminata agente, & indifferente. Atque hanc vltrò concedimus, & expreſsè docet S. Thomas 1. contra Gent. cap. 82. cum Ferrarienſi, vt ſupra n. 17. & 52. & hîc ad 5. illis verbis, *Diuina voluntas determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Neque negant Vazq. hîc, d. 80. c. 2. & Arrubal d. 54. c. 3. vt illis imponere videtur Gonzalez ſupra n. 7. & 10. & Nauarrete controu. quinta init. Nam Vazquez ita habet n. 8. *Deus non determinatur ad producendũ potius quàm non producendum per actum aliquem intrinſecum, ſicut nos, eliciendo potius hunc actum, quàm alium.* Quibus verbis negat tantùm primam determinationem: ſecundam verò manifeſtè ſupponit num. 9. dicens, *Quo autem pacto Deus ſeipſum determinet ad hoc potius, quàm ad illud, ineffabile ſanè eſt.* & Arrubal num. 12. *Actus*, inquit, *volitionis liberæ eſſentialiter eſt actualis, & immediata determinatio indifferentiæ libertatis, quæ indifferens præintelligatur ad volendum, & non volendum.*

*Diuinæ voluntati conuenire determinationem effectiuam.*

S. Thom.

*Vazquez, & Arrubal malè impugnari à Gonzalez, & Nauarrete.*

61. *Arguit ſecũdò.*

Arguit ſecundò. *Productio externa, temporalis eſt, & mutabilis: at volitio, qua Deus vult alia à ſe, æterna eſt, & immutabilis. Ergo illa eſt interior, & immanens determinatio diuinæ voluntatis, diſtincta ab externa productione, ſicut cauſa ab effectu.*

*Reſpondetur.*

Reſpondetur, negando ſimpliciter conſequentiam, quia in ea tria dicuntur, quorum duo ſunt falſa, & vnum verum, ex quo nihil deduci poteſt contra nos. Primò falſum eſt, *quòd volitio Dei libera, qua vult creaturas, ſit determinatio diuinæ voluntatis*: illa, quia eſt formaliter libera, eſt potius indeterminatio, & indifferentia. Secundò falſum eſt, quod his verbis ſupponitur, nempe, in Deo præter voluntatem dari volitionem, ſaltem ratione ratiocinata diſtinctam, qua voluntas velit. Nihil eſt aliud in Deo voluntas, quàm vnus ſimpliciſſimus, & infinitus volitionis actus, neceſſarius, & liber, non per ordinem ad diuerſos actus, ſed per ordinem ad diuerſa obiecta, vt ex ſuperioribus conſtat. Tertiò, verum eſt, voluntatem, ſeu volitionem, qua Deus liberè vult hoc, eſſe diſtinctam ab hoc, & priorem hoc, ſicut cauſa ſe habet reſpectu ſui effectus. Hæc autem cauſa in propoſito noſtro non eſt aliud, niſi ipſamet volitio neceſſaria, ſeu potius in actu primo libera, vt per ſeipſam, abſque vllo addito nec rei, nec rationis, immediatè terminata ad hoc determinatum. In cuius eſſentiali conceptu adæquato, duo importantur; alterum formaliter, & in recto; & nihil aliud eſt, niſi ipſamet volitio libera in actu primo: alterum connotatiuè, & in obliquo; & eſt hoc determinatum. Velle igitur Dei liberum in actu ſecundo, ſecundum totum id, quod importat, & formaliter, & terminatiuè, non eſt in Deo formaliter; ſed ſolùm eſt formaliter in Deo id, quod importat formaliter: quod verò importat connotatiuè, non eſt in Deo formaliter, ſed virtualiter tantùm. Quando autem dicimus, velle Dei liberum in actu ſecundo, ſeu,

*Qua ratione velle Dei liberum, ſit vel non ſit cauſa creaturarum.*



quod idem eſt, volitionem, qua Deus liberè vult hoc, eſſe cauſam huius, & conſequenter, diſtinctam ab hoc, & priorem hoc; non poteſt intelligi de toto, quod in illo conceptu adæquatè includitur, tam formaliter, quàm terminatiuè, vt conceſſi ſupra num. 49. nam terminatiuè includitur ipſum hoc, quod non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius, & diſtinctum à ſeipſo, & prius ſeipſo: ſed eſt intelligendum tantùm ſecundum id, quod includitur formaliter, & eſt eadem volitio vt libera in actu primo. Quod rectè obſeruauit Arrubal ſupra num. 26. & ratio manifeſta eſt, quia in caſu noſtro, liberum in actu ſecundo, eſt ipſamet cauſa liberè cauſans effectum in actu. Totum autem hoc non poteſt vt cauſa reſpicere effectum diſtinctum, & poſteriorem; ſed eſt cauſa, & effectus, ſiue, vt formalius, ac diſtinctius loquar, eſt cauſa vt actualiter dans eſſe effectui, vel, vt actualiter terminata ad effectum: quod contingere debet ſine intrinſeca additione, & mutatione ipſius cauſæ, ſed ſolius effectus, non ſolùm in caſu noſtro de diuina voluntate, quæ eſt in ſe infinitè perfecta, & libera, ſed etiam in omnipotentia, quæ non eſt libera ſecundum ſe, & tamen per nullam mutationem in ſeipſa, ſed per ſolam mutationem termini, ab ipſa realiter prouenit non ſolùm creatura, ſiue effectus creatus, ſed etiam ipſamet creatio formaliter, ſeu fieri effectus, qui creatur. Item in potentia volitiua creata libera, quæ ſine vlla antecedente determinatione, & additione in actu primo, ſed per ſolam variationem actus de non exiſtente in exiſtentem, dicitur ſeipſa immediatè, per propriam, & eſſentialem libertatem, ante omnem reſpectum, vel realem, vel rationis, determinari, & applicari potius ad actum quàm ad non actum, & terminari liberè ad actum. Et vniuerſaliter in omni cauſa, à qua perfectè conſtituta in actu primo ad operandum, effectiuè promanat operatio extra intrinſecum eſſe ipſius cauſæ. Ergo multò maiori ratione concipienda eſt mutatio in obiecto volito prouenire à perfectiſſima, & libera cauſa diuinæ voluntatis abſque vlla prorſus ſui mutatione, & additione. Verùm volitio Dei libera in actu ſecundo, & vniuerſaliter omnis cauſa vt immediatè cauſans effectum in actu, dici aliqua ratione poteſt cauſa effectus, etiamſi adæquatè accipiatur ſecundum totum ſuum conceptum, & formalem, & terminatiuum, quod ſignifico ſupra num. 51. quia cauſa, ſumpta formaliter, vt cauſans effectum, inuoluit effectum, non abſolutè, ſed cum habitudine ad cauſam, ſiue vt pendentem à cauſa, & exiſtentem vi cauſæ: totum autem hoc dici poteſt aliqua ratione cauſa eiuſdem effectus, non ſub eadem ratione reſpectiua, ſeu connotatiua cauſæ, ſed ſub alia ratione abſoluta; prius enim eſt, effectum pendere à cauſa, quàm effectum eſſe abſolutè in ſe extra cauſam, & præciſum à cauſa: vnde valet hæc cauſalis, Ideo effectus eſt in ſe, quia eſt à cauſa: &, quia cauſa actualiter cauſat effectum, ideo effectus eſt in ſe extra cauſam. Et, applicando ad rem noſtram, Ideo hic mundus eſt in ſe, quia diuina voluntas liberè illum voluit. Sed quicquid ſit de hoc vltimo puncto, pro veritate, quam defendimus, ſatis eſt, vt voluntas Dei libera in actu primo, ſit cauſa vt hic mundus habeat eſſe in actu: per libertatem ſuam immediatè ſine alio addito, applicando, & determinando ſe potius ad eſſe mundi, quàm ad non eſſe mundi.

Arrubal.

*Qua ratione cauſa actu cauſans, ſit vel non ſit cauſa effectus.*

62. *Arguit tertiò.*

Arguit tetiò, & multis authoritatibus, & rationibus probare nititur, *Quòd operatio ad extra non eſt voluntas Dei beneplaciti, nempe, eius volitio libera, qua vult aliquid fieri in rebus, ſed eſt effectus huius voluntatis.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, concedo totum; quod concederet etiam Aureolus, quem directè impugnat Gonzalez. Nam Aureolus, vt patet ex eius opinione fideliter relata ſupra, num. 22. nunquam dixit, voluntatem Dei eſſe ipſam productionem ad extra; ſed aliquid antecedens, quod eſt libera cauſa productionis. Quamuis aſſerat, hanc cauſam eſſe aliquod velle liberum, ſed ipſammet non omnipotentiam, & Deitatem, provt habet plenum dominium ſupra eſſe, & non eſſe omnium. Non erat igitur impugnandus in primo, ſed in ſecundo.

63. *Arguit quartò cõtra Vazquez, & Arrubal.*

Arguit quartò contra Vazquez, & Arrubal, *quòd apertè fatentur, Deum non determinari liberè per aliquid intrinſecum ſibi ad agendum, ſed cauſalitate, ſeu operatione ad extra.* Contra quod, ſuppoſita communi opinione probata ſupra n. 16. *Quod diuina voluntas non poteſt manere ſuſpenſa circa productionem, vel non productionem creaturarum*, ſic argumentatur Gonzalez num. 11. *Determinatio diuinæ voluntatis tollit eius ſuſpenſionem; ergo non determinatur per aliquid extrinſecum.*

*Reſpondetur malè referri, & impugnari Vazquez, & Arrubal.*

Reſpondeo, opinionem noſtrorum Theologorum referri, & diminutè, & falsò. Diminutè, quia non dicunt abſolutè, *Deum non determinari per velle liberum intrinſecum*, hoc enim abſolutè dicere non poſſunt, niſi qui cum Aureolo negant, voluntatem Dei eſſe intrinſecè liberam, quod Vazquez, & Arrubal nunquam ſomniarunt; ſed addunt, *Deum non determinari per velle liberum intrinſecum, ſuperadditum volitioni neceſſariæ*: quod ſi non euidenter, tamen neceſſariò teneri debet à Theologo. Falsò refertur, quia apud prædictos Theologos nunquam ſcriptum legitur, *Deum determinari extrinſeca cauſalitate.* Docent quidem, Deum determinari ad extrinſecam cauſalitatem determinatam, tanquam ad terminum, omnis enim determinatio ad determinatum terminum tendat neceſſe eſt. Nunquam autem aſſerunt, Deum determinari extrinſeca cauſalitate, vel tanquam principio determinandi, quod nullum aliud eſſe agnoſcunt, niſi ipſum velle Dei liberum, vel tanquam formali determinatione, intrinſecè, ac liberè ſuperaddita prædicto principio, hanc enim apertè negant. Quare ad argumentum, concedo totum. quia diuina voluntas libera, non determinatur per aliquid extrinſecum, ſed ad aliquid extrinſecum, abſque vlla intrinſeca determinatione ſuperaddita, per quam determinatur voluntas creata propter imperfectionem ſuæ potentialitatis, & finitatis in genere volitiuo, non propter eſſentiam volitiui liberi, vt ſic, præſcindendo à creato, & increato.

*Explicatur determinatio diuinæ volũtatis liberæ.*

64. *Arguit cõtra Arrubal. Primò.*

Arguit quintò contra Arrubal dicentem, velle Dei liberum, prius connotare extrinſecam cauſalitatem, quàm effectum. Primò, quia hæc cauſalitas aliquando non eſt, vt in voluntate obligandi Turcam ad Euangelium; & in voluntate creandi Angelum, quia ſecundum S. Tomam creatio non eſt actio diſtincta à re producta. *Secundò.* Secundò, quia quando eſt cauſalitas extrinſeca diſtincta ab effectu, ipſa etiam cauſalitas pendet à libera determinatione diuinæ voluntatis. *Tertiò.* Tertiò in opinione Arrubal *concedendæ ſunt ambæ iſtæ propoſitiones, Ideo futura eſt productio Antichriſti, quia Deus vult; Ideo Deus vult productionem Antichriſti, quia illa futura eſt.*

Reſpondetur ad 1. Arrubal num. 14. apertè ex-

*Reſpondetur ad primum, declarando opinionẽ Arrubal.* plicare, illud eſſe verum quando cauſalitas diſtinguitur ab effectu. *In pluribus enim rebus*, inquit, *in quibus actio Dei diſtinguitur à termino ex natura rei, terminatio diuinæ voluntatis ad illas, reipſa eſt prior, quàm illæ habeant rationem entis futuri: in alijs autem rebus, ſi actio ab illis non diſtinguatur à parte rei, quod in aliquibus poteſt contingere, terminatio voluntatis diuinæ ſolùm eſt prior virtualiter, & ratione cum fundamento in re.* Satis igitur eſt, vt primæ Dei voluntati correſpondeat moralis obligatio, vel etiam realis promulgatio, iuxta varias opiniones, vt ſupra quæſt.14.art.13.num.269. & 270. & ſecundæ correſpondeat ipſummet eſſe Angeli. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum, concedo totum, vt concedit ipſemet Arrubal num.26. acutè dicens, cum velle Dei liberum refertur ad ipſam cauſalitatem, tunc nullam cauſalitatem connotare, præter ipſum intrinſecum velle Dei. Cum verò refertur ad effectum, qui fit per aliquam cauſalitatem, tunc prius quàm connotetur effectus, connotari cauſalitatem, ſcilicet ipſiuſmet effectus, & non cauſalitatem diuinæ voluntatis, eiúſque liberæ determinationis, in quam malam partem accepit eam arguens. *Ad tertium.* Ad tertium, ſecundam cauſalem expreſsè, & benè negat Arrubal num.16.& 26.

## *Refertur, & reijcitur oponio Gonzalez.*

65. Cæterum in explicatione præſentis difficultatis mirum in modum laborat Gonzalez d.53. ſect.2. & neceſſe eſt, vt conſequenter laborent alij ſimiles, qui liberum arbitrium antecedenter prædeterminant ad vnum. Nam cum pro theologica veritate, valde certa, contra Caietanum teneat, nihil prorſus reale poſſe eſſe, vel non eſſe in Deo: tamen, ne ex diuinæ voluntatis indifferentia, & indeterminatione ad volendum, vel non volendum, impugnari, & expugnari poſſint creatarum voluntatum prædeterminationes, eas in ipſum quoque liberum Dei arbitrium inuexit: quibus, quod contra Caietanum tenuit, omnino deſtruitur. *Opinio Gonzalez de libera determinatione diuinæ voluntatis.* *Illa*, inquit num.21.concl.2. *determinatio actualis, qua diuina voluntas ab intrinſeco ſe determinat ad volendum exiſtentiam creaturarum, eſt aliquid reale intrinſecum, competens Deo ab intrinſeca ſua perfectione, & ſumma actualitate.* Et huiuſmodi realem, actualem, & Deo intrinſecam determinationem, ait eſſe, *intrinſecum conſtitutiuum actus liberi Dei in ratione liberi.*

66. Contra quam opinionem ſunt euidenter omnia incommoda opinionis Caietani, & multa alia grauiſſima. *Impugnatur primò.* Primò, iſta determinatio actualis, vel eſt libera, vel neceſſaria. Si primum, ergo incidis in opinionem Caietani, quam non recipis. Secundum dici non poteſt, tum quia id per quod formaliter determinatur principium liberum, & indifferens, eſſe debet liberum, alioqui ſi determinatio eſt omninò neceſſaria, principium, quo illa informari, ac determinari intelligitur, non poteſt non eſſe principium neceſſarium. *Determinatio actualis in Deo non poteſt eſſe neceſſaria.* Sed, vt fatetur ipſemet Gonzalez ſupra, *Per hanc determinationem formalem intrinſecam, diuina voluntas, quæ erat ex ſe indifferens ad volendum exiſtentiam creaturarum, vel non exiſtentiam, determinatur ad volendum exiſtentiam, ita vt non maneat indifferens, & quaſi ſuſpenſa.* ergo ſi hæc determinatio in Deo, eſt ipſum neceſſe eſſe, liberum Dei arbitrium erit titulus ſine re. Tum quia determinatio actualis, eſſe debet conformis rei, quam determinat. Sed in caſu noſtro determinat liberum Dei arbitrium, ergo eſſe debet libera. Tum quia actualis determinatio voluntatis liberæ, ad hanc comparari debet partim tanquam ad principium paſſiuum, potens determinari, quia per illam conceditur diuina voluntas intrinſecè determinari: partim tanquam ad principium actiuum, quia cum per illam ipſamet voluntas vitaliter, ac liberè ſeſe determinet, non poteſt ad illam ſe habere merè paſſiuè, & mortuo modo. Ergo qui admittit in libero Dei arbitrio actualem determinationem, realem, & intrinſecam, per quam realiter, & intrinſecè, & liberè determinetur, tenetur conſequenter admittere in diuina voluntate à parte rei, vel ſaltem cum fundamento in re, inuento intra ipſum Deum, imperfectiones potentiæ paſſiuæ, potentiæ actiuæ, diſtinctionis, finitudinis: & non poteſt defendere, illam determinationem non eſſe liberam. Vnde cohærentius philoſophatus videtur Caietanus, qui cum hanc ipſam actualem determinationem in Deo concederet, rectè putauit, eſſe conſequenter neceſſarium concedere, illam eſſe perfectionem Dei voluntariam, & liberam.

Secundò, iſta determinatio actualis, vel eſt determinatio vtriuſque ſimul partis contradictionis, vel alterius tantùm, vel neutrius. 67. *Impugnatur ſecundò. Nõ eſt in Deo determinatio vtriuſq; partis contradictionis. Non alterius tantùm partis.* Primum implicat manifeſtam contradictionem: ſicut enim creare, & non creare mundum in eo tempore, in quo creatus eſt, ſibi inuicem contradicunt, ita etiam velle creare, & velle non creare. Non ſecundum, tum quia non eſt maior ratio, quòd, vt dicitur, *competat Deo ab intrinſeca ſua perfectione, & ſumma actualitate*, potius actualis determinatio volendi creare mundum, quàm volendi non creare. Tum quia ſicut de facto fuit in Deo actualis determinatio volendi creare, potuit eſſe actualis determinatio volendi non creare: & ſi hæc, ſicut potuit eſſe in Deo, ita fuiſſet, iam eſſet ipſemet Deus, &, vt loquitur Gonzalez ſupra, *aliquid reale intrinſecum, competens Deo ab intrinſeca ſua perfectione.* ergo hæc opinio concedit, poſſe eſſe, vel non eſſe aliquid, quod eſt ipſemet Deus, & Deo competit ex ſua intrinſeca perfectione. Et quoniam actualis determinatio volendi creare mundum, quæ de facto eſt in Deo, non eſſe debet alterius naturæ ab actuali determinatione volendi non creare mundum, iam de facto eſt in Deo aliquid, quod eſt Deus, & competit Deo ex intrinſeca perfectione, & ſumma actualitate, & nihilominus potuit non eſſe in Deo; quod non poteſt non iudicari ab omnibus Theologis grauiſſimum abſurdum. Tertium, quod videntur ſequi aliqui Thomiſtæ, quos refert Gonzalez ſupra num.22.& 23. *Non neutrius partis.* & ſequi videtur in ſequentibus ſuis dictis, eſt planè impoſſibile, tum quia dari in diuina voluntate actualem determinationem volendi, & nullum dari determinatum volitum actuale, eſt ex terminis ipſis inintelligibile, & inexplicabile, non minus ac ſi daretur actualis intellectio, aut viſio, & tamen nihil intelligeretur, aut videretur. Tum quia, cum Deus determinauit ſe ad liberam volitionem potius, quàm ad nolitionem alicuius creaturæ, vel contra, determinaſſet hanc ipſam actualem determinationem indeterminatam: quod, & per ſe apparet inconueniens, & ingerit à capite integram difficultatem huius controuerſiæ, qua nimirum ratione hæc diuina determinatio ſit vitaliter, & liberè determinata ad velle potius eſſe creaturæ, quàm non eſſe: An intrinſecè? & ſic ſenties cum Caietano. An extrinſecè tantùm? & tunc, quod de iſta indeterminata determinatione dicitur, multò rationabilius, & abſque ſuperflua, & abſurda multiplicatione prioris determinationis intrinſecæ, & indeterminatæ, dici poteſt, ac debet de ipſo actu diuinæ voluntatis indeterminatæ, ac liberæ in actu primo. Igitur ſi eſt prorſus inaſſignabilis terminus huius actualis determinationis, cenſenda profectò illa eſt commentitia: & hinc conſequenter omnes aliæ liberi creaturarum arbitrij prædeterminationes reiiciendæ ſunt.



68. *Impugnatur tertiò.* Tertiò non poteſt intelligi quod dicit Gonzalez in ſua tertia concluſione, *Determinatio libera diuinæ voluntatis, habet quòd ſit volitio creaturarum potius, quàm nolitio earum, ab intrinſeca perfectione, & infinitate diuinæ voluntatis, in quantum eſt independens à creaturis.* Admittit diuinam voluntatem liberè, & actualiter determinatam; vtique ad creaturas, non ad ſuum eſſe increatum, ad quod ſemper, ac neceſſariò eſt determinata in actu: & nihilominus aſſerit, per huiuſmodi determinationem Deum neque velle creaturas, neque nolle creaturas; & eamdem actualem determinationem voluntatis creaturarum rurſus determinat ad volitionem creaturarum, vel ad nolitionem creaturarum. Quæ qui poteſt capere, capiat. In has anguſtias prædeterminationes liberi arbitrij nouos Thomiſtas impulerunt. Præterea, eſto illa determinatio poſſit vlterius determinari ad volitionem, vel nolitionem, tamen non rectè dicitur hæc determinatio fieri ab infinitate, & independentia diuinæ voluntatis, omiſſa libertate, quæ eſt propriiſſima ratio determinandi ad vtrumlibet oppoſitorum. Et eò ipſo quòd voluntas determinat, vt illa determinatio ſit volitio, & non ſit nolitio, id præſtare formaliter debet vt indeterminata, & indifferens. Ergo effugere non poteſt arguens, quod ipſe, aliíque prædeterminatores ſummopere abhorrent, quin aliquod agens indeterminatum, & indifferens ad plura oppoſita, vt tale formaliter, ipſum ſeſe determinet ad vnum, abſque vlla præuia determinatione ad vnum: nam, vt dicitur, illa præcedens determinatio eſt ex ſe indifferens ad volitionem, vel nolitionem. *Gõzalez pugnare cũ Bagnes.* Demum Gonzalez contradicit ſuo Bagnes, qui infrà art.10.ad 2. fatetur, liberum Dei arbitrium, *eſſe indifferens negatiuè, hoc eſt*, inquit, *non determinatum; quia ex natura ſua, & ex propria ſubſtantia, non habet determinationem, vt velit aliquid extra ſe.* Quod quantum cohæreat cum prædeterminationibus, iudicent alij. Enimverò ſi in hac indeterminatione negatiua cõſiſtit eſſentialiter omnis libertas, vt ibidem expreſsè aduertit Bagnes, ergo poſitiua prædeterminatio lædit libertatem. Præterea ſi Deus non eſt determinatus, & tamen cum iſta indeterminatione eſt in ſe completiſſimus ad liberè volendum, ſeu determinandum, hoc, vel non hoc, ergo in potentia actiua libera, ſtant ſimul, indeterminatio agendi oppoſita, & complementum determinatè agendi hunc, vel illum determinatum effectum: quod præcipuè negatur ab aduerſariis, vt ſupra q.14. art.13.num.421.& 422.

## *Occurritur alijs obiectionibus.*

69. *Quarta obiectio, in qua arguitur primò.* Obiicies quartò. Deus vt volens neceſſariò, & vt volens liberè in actu primo, ſiue cum indifferentia ad volendum hoc, vel non volendum hoc, non eſt volens liberè in actu ſecundo, hoc eſt, non vult potius hoc, quàm eius oppoſitum: & in poſteriori ſigno intelligitur fieri volens liberè in actu ſecundo, ac proinde tranſire de non volente in volentem, quod eſt tranſire de contradictorio in contradictorium. Sed hic tranſitus, vt omnes Theologi, & Philoſophi pronunciant, eſt inintelligibilis abſque aliqua mutatione. In caſu autem noſtro nulla prorſus mutatio eſt in Deo, vt probatum eſt; nulla etiam eſt in creaturis, primò, quia creaturæ non ſunt niſi in tempore, volitio Dei eſt in æternitate, ergo ſaltem in tota æternitate eſt tranſitus de contradictorio in contradictorium abſque vlla mutatione. *Secundò.* Secundò, quia creaturæ conditionaliter futuræ per conditiones antecedentes diſparatas, ne in tempore quidem mutantur, quia nunquam abſolutè ſunt: & tamen illas aliquando Deus liberè vult, vt ſupra quæſt.14. art.13.num.248. & 268. *Tertiò.* Tertiò, quia ex conceſſis ſupra num. 16. velle Dei in actu, liberè verſatur etiam circa poſſibilia, quæ nunquam futura ſunt; circa quæ non poteſt aſſignari aliqua mutatio. *Quartò.* Quartò, quia poteſt Deus velle liberè aliquid morale, abſque vlla reali variatione creaturæ, vt concedo, & explico ſupra q.14.art.23. num.274. *Quintò.* Quintò, quia eamdem omninò mutationem realem poteſt Deus liberè velle, & propter hunc finem, & propter alium finem, v.g. velle infirmitatem Petri, vel in pœnam peccati, vel vt reſipiſcat.

*Reſpondetur contra Machin, Deum de nõ volente fieri volẽtem per aliquam mutationẽ obiecti.* Reſpondet Machin d. 41. ſect.4. ad fundamentum ſecundæ ſententiæ. Ad confirmationem, *Quòd in Deo poteſt intelligi tranſitus à contradictorio, ſcilicet non volentis creaturas, ad contradictorium volentis illas, ſine aliqua mutatione facta in ſe, neque in obiecto, propter eminentiam ſui actus.* Verùm fateor, me hoc non poſſe intelligere. Et huiuſmodi axiomata, vt in Tomo 1.quæſt.4.art.2.num.102. contra Ochamum, Toletanum, & alios adnotaui, non ſunt neganda propter eminentiam diuinam, quia fundantur in terminis præſcindentibus à creato, & increato: & in caſu noſtro, fundatur axioma in natura entis, & non entis ſimpliciter, in quantum talia ſimpliciter ſunt; quia ſi non ens fit ens, ergo aliquod ens nunc eſt, quod antea non erat, quæ eſt mutatio acquiſitiua: ſi verò ens fit non ens, ergo aliquod ens erat antea, quod nunc non eſt, quæ eſt mutatio deperditiua. *Tranſitus de cõtradictorio in contradictorium non poteſt eſſe abſq; aliqua mutatione.* Igitur ſiue in creaturis, ſiue in Deo, videtur impoſſibile, fieri tranſitum de contradictorio in contradictorium, ſine aliqua mutatione alicuius termini. Ex eminentia verò diuini actus, oritur quidem vt ipſe actus nihil mutetur, & vt obiectum diuerſis modis, mox explicandis, vi illius mutari poſſit: quòd autem nulla prorſus ratione mutetur, oriri non poteſt.

70. *Ad primum, decretũ æternum Dei ſtare cũ mutatione obiectiua in tempore.* Quare ad primum in oppoſitum, dico, non eſſe neceſſariam mutationem, quæ tunc fiat, quando eſt decretum liberum Dei, nam hoc eſt æternum, & mutatio fit in tempore: ſed ſatis eſt mutatio, quam Suarez tomo 2. Metaph. d.30. ſect. 9. num.49.& 1.p.tract.2.lib.1.cap.8.num.50.& c.15. num.14. bene vocat, *obiectiuam*, quatenus ab æterno Deus pro obiecto ſuæ voluntatis habuit aliquem effectum, faciendum in tempore: ex vi cuius actus, Deus fit immobiliter determinatus in tota æternitate, vt faciat talem effectum in tali tempore, ita vt implicet contradictionem non fieri: vnde creatura poſſibilis intelligitur ſtatim, in ipſa etiam æternitate, vt acutè dixit Suarez cit. *Suarez.* num.49. *habere aliquam habitudinem ad exiſtendum, quam ex ſe non habebat.* Quapropter dici poteſt ille actus facere, etiam ab æterno, mutationem in creatura, ſi non formaliter, ſicut facit in tempore, ſaltem quodammodo *radicaliter*, vt loquitur idem Suarez citato num.50. quia vi illius actus æterni, eſt ab æterno ordinata creatura ad formalem mutationem in tempore. Poſito igitur æterno, ac libero Dei decreto de facienda creatura in aliquo

aliquo tempore,ipſa creatura inde ſit quodammodo æterna, nimirum quoad eſſe futurum in tali tempore; & quatenus futura habet ab æterno determinatam veritatem, ratione cuius ſit ab æterno obiectum diuinæ ſcientiæ viſionis, quas omnes mutationes recipit ipſamet creatura in ſe, vi actus liberi diuini, ſine quo eas non haberet, & poterat ſimpliciter non habere.

*Ad ſecundũ. Ad tertium. Ad quartũ, & quintum.*

71. Ad ſecundum ſufficienter reſponſum eſt ſupra, quæſt.14.art.13.num.270. & 274. Ad tertium dictum etiam eſt ſupra num. 16. in fine obiectionis, & antea quæſt.14. art.13. num.270. fin. Ad quartum, & quintum reſpondeo, probari ſolùm quod conceſſi, & probaui ſupra citato num. 270. non eſſe neceſſariam aliquam mutationem, ſimpliciter realem, ſeu phyſicam, ſed ſatis eſſe mutationem moralem. Sicut enim in nobis mutatione phyſica facta in Petro, volente condonare iniuriam à Paulo receptam,ſit in Paulo mutatio moralis,abſque vlla phyſica mutatione Pauli: ita ſine vlla mutatione phyſica in Deo, ſed ſolùm intelligendo, illum in ſua perfectiſſima voluntate habere omne phyſicum, ſeu poſitiuum reale, quod eſt neceſſarium ad effectum moralem remiſſionis culpæ, v.g. poſſumus, ac debemus concipere effectum moralem in creatura abſque vllo effectu phyſico in eadem creatura; ſed ſolùm ſupponendo, illam creaturam phyſicè exiſtere, tanquam neceſſarium fundamentum effectus moralis. Inter morales mutationes, ſiue effectus, numerari poſſunt variæ ordinationes ad diuerſos fines,ad quos Deus multas res liberè ordinat, ita vt poſſet non ordinare; vnde res non immutantur realiter, ſed quaſi moraliter, in quantum fiunt, & ſunt propter talem finem liberum, & ſine illo de facto non eſſent: quod habent ex libera voluntate Dei ordinantis, & nolentis agere, niſi cum reſpectu ad talem finem, quamuis omninò extrinſecum, & rei non debitum, nec connaturalem. Sicut vult, v.g. permittere peccatum ex intentione ſaluandi aliquem, vel ex intentione puniendi: voluit etiam Verbi incarnationem propter noſtram ſalutem, ſecundum S.Thomam; & tamen idem myſterium velle potuiſſet propter alium finem, & de facto voluit ſecundum Scotum. Vult quoque dare hoc beneficium, v. g. ſanitatem, propter orationes huius iuſti, & potuiſſet dare propter orationes alterius, vel ex ſua miſericordia, vt infirmus pœnitentiam agat, & non damnetur. Vnde Matth.24. *Propter electos breuiabuntur dies illi*: & tamen Deus liberè poterat eodem modo breuiare, ad puniendum citius peccatores, vel ob alios fines extrinſecos. Ratio verò vniuerſalis eſt, quia Deus eſt perfectum agens, non ſolùm in genere cauſæ phyſicæ, ſed etiam in genere cauſæ moralis: ergo ab eius libera voluntate prodire poſſunt effectus, non ſolùm phyſici, ſed etiam morales: qui etiam debent intelligi prodire ſine vlla diuinæ voluntatis imperfectione, nempe abſque eius mutatione, & phyſica, & morali; ergo ſatis eſſe debet quæcumque moralis mutatio in ipſis obiectis. Hæ autem omnes mutationes non ſunt meræ denominationes extrinſecæ ab ipſo actu libero Dei, ſed ſunt veri quidam effectus cauſati ab iſto actu, quibus res ipſæ aliquam mutationem in ſeipſis habent, qua ſcilicet res, vel eſt realiter futura, tranſitque de non futura in realem ſtatum futuritionis, ſiue abſolutum, ſiue conditionatum; vel implicat vt ſit realiter futura, tranſitque de reali ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum oppoſitum impoſſibilitatis; vel ita realiter ſit, vt aliter non fieret; vel neceſſarium eſt vt fiat hoc modo, & non alio; vel poteſt fieri contingenter ad vtrumlibet, quem effectum ex probatis ſupra quæſt.14. art.13. ferè per totum, habent actus liberi creatæ voluntatis ex decreto diuino conditionato, ſiue indeterminato concurrendi ad duas partes oppoſitas, & determinatè ad illam, ad quam ſe determinauerit cauſa ſecunda libera.

*Ad velle Dei liberũ, ſat eſt mutatio moralis in obiecto.*

Matth.24.

*Quinta obiectio.*

72. Obiicies quintò. Si actus liber nihil reale Deo addit, ergo poſſet Deus primò nunc in tempore incipere liberè velle. Secundò, nunc liberè nolle quod liberè ab æterno voluit, & poſtea iterum velle: quia hæ mutationes non eſſent per aliquam intrinſecam mutationem in Deo, ſed ſolùm per extrinſecam mutationem in obiecto.

*Reſpondetur cum Suarez, & Machin, Deũ non poſſe incipere velle, vel nolle, quod antea noluit, vel voluit.*

Reſpondetur cum Suarez tomo 2. Metaph. d.30. ſect.9. vbi latè à num. 50. ad 60. hanc difficultatem explicat, & ſequitur Machin hîc d.41. ſect.4. circa medium, hoc ſecundum eſſe impoſſibile, non propter aliquam mutationem phyſicam Dei, ſed moralem, quia ſcilicet eſſet inconſtans. Cum enim propter infinitam eius ſapientiam videat omnes rationes volendi, & nolendi, ſi poſtquam ſemel aliquid prudenter voluit, nollet idem, eſſet imprudens, & inconſtans,quia mutaret ſuum decretum ſine vlla planè cauſa,cum nulla de nouo poſſit illi occurrere, quæ non fuerit præuiſa. Primum quoque dici non poteſt:nam quamuis Deus non mutaretur in ſe phyſicè, tamen eſſet minus prouidus, vt probaui ſupra num.16. qui etiam eſt defectus quidam moralis, ſicut etiam velle, v. g. mentiri,non ſtare promiſſis, &c. non minus quàm phyſicus repugnans Deo. Quod nunc magis explico, quia poſito quòd Deus ab æterno optimè ſciat, & proponat voluntati omnes rationes volendi, & nolendi, nulla poteſt rationabilis cauſa reddi, cur non tunc etiam ab æterno, liberè vel voluerit, vel noluerit. Hæc enim cauſa non poteſt eſſe ſola libertas, quia libertas facit quidem, vt liberè velit, vel nolit; tamen non poteſt eſſe cauſa negligentiæ, & incuriæ, ſeu moræ, vt ſcilicet quod Deus poteſt velle liberè ab æterno,& voliturus ſimpliciter eſt, quod ipſe optimè prænouit, nolit velle ab æterno, ſed poſt æternitatem.

*Deũ non poſſe in tẽpore velle, vel nolle.*

*Scientia Dei libera nõ poteſt incipere ſcire in tempore.*

73. Hæc difficultas facilius expeditur in ſcientia libera viſionis: hæc enim non eſt per ſe libera immediatè circa futura,ſicut eſt voluntas: quia viſio Dei non eſt cauſa futurorum,ſed merus,& neceſſarius intuitus eorum, quæ liberè ſunt futura; quare cum res futura in tempore, habeat ab æterno hoc eſſe futurum in tempore, ſi Deus ab æterno non videret eam futuram, ſed inciperet videre in tempore, hæc negatio videndi ab æterno, non poſſet referri in libertatem videndi,vel non videndi quæ præſupponuntur futura; quia diuinus intellectus neceſſariò fertur in omne intelligibile: ergo referenda eſſet in defectum alicuius realis perfectionis videndi, quæ in tota æternitate Deo defuerit, & poſtea illi aduenerit in eo tempore in quo videre inciperet. Voluntas verò eſt per ſe libera, vt cauſa futurorum, tanquam effectuum, quos immediatè poteſt velle, vel non velle. Et ideo ſi vellet in tempore, non poſſet in illa immediatè argui mutatio phyſica, ſed tantùm moralis, qua mediante argui etiam deinde poſſet mutatio phyſica, quia voluntas inconſtans, & improuida, ſiue imprudens, non poteſt habere in ſe omnem realem volendi perfectionem. Et in hoc ſenſu accipiendi ſunt Ferrarienſis 1. contra Gent. cap.83. §. *circa iſtam.* Lychetus 1.diſt.45. quæſt.vnica, concluſ.2. Argentina d.48. quæſt.1. artic.1. Baſſolus 1. d.45. q.2.art.3.& alij abſolutè dicentes,quòd Deus ſi de nouo vellet, mutaretur realiter.

*Si Deus de nouo vellet, mutaretur etiam phyſicè mediatè.*

Ferrarienſi. Lychetus.

Argenti



Argentin. Baſſol.

---

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm voluntas Dei ſit cauſa rerum.*

Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd voluntas non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Concluſio affirmatiua probatur authoritate, & rationibus. num.1.& 2.*
2 *An voluntas Dei ſit cauſa magis immediata,quàm ſcientia.num.3.ad 10.*
3 *An cum ſcientia media voluntas Dei immediatè influat in actus liberos. num.10.ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

*Prima cõcluſio affirmatiua de fide.*

1. PRIMA concluſio ſimpliciter affirmatiua de fide, ex multis, & expreſſis Scripturæ locis ſupra art. 3. n.9. quibus docemur, voluntatem diuinam non ſolùm eſſe rerum omnium cauſam ſimpliciter, ſed etiam cauſam liberam. Quamuis S.Thomas, vt rectè notat Caietanus initio articuli, non probet hîc directè, Deum agere liberè, de quo in articulo præcedente, ſed ſolùm *agere per voluntatem, non per neceſſitatem naturæ*, hoc eſt, inquit Caietanus, *quia vult, & non quia eſt*: ſiue liberè, ſiue neceſſariò velit. Hæc veritas demonſtratur euidenter naturali ratione, quia Deus, ex demonſtratis ſupra quæſt.2.art.3.eſt prima omnium cauſa. ergo agere debet modo, omnium perfectiſſimo:ſed nobilior agendi modus ſine dubio eſt,agere per voluntatem, quo modo inter creaturas agunt nobiliſſimæ cauſæ, Angeli, & homines, quàm agere per naturam, quo modo agunt ignobiliores cauſæ, ſenſitiuæ, vegetatiuæ, & inanimes: ergo Deus eſt cauſa agens per voluntatem.

*Mens S.Thomæ in hoc articulo.*

*Exponuntur rationes articuli.*

2. Idem ſuadet S.Thomas tribus rationibus, quas ſic breuiter explico. Prima ratio ſupponit ex ſecundo Phyſicorum t. 49. agentia naturalia agere propter finem. Hinc verò neceſſariò ſequitur, vt prima omnium cauſa, quæ cum hoc agente concurrere debet ad hunc finem,& cum alio agente ad alium finem,intelligere, ac velle debeat omnes fines, & omnia media ad conſequendos fines neceſſaria. Secunda ratio. Agens per naturam, eſt agens determinatum, quia natura eſt id, quo vnumquodque eſt hoc tale,& non aliud;ergo omne, quod agit per naturam, agit vt tale determinatum: *ergo ad ipſum pertinet, vt vnum effectum producat*, hoc eſt, vt ſtatim magis explicatur, *vt vno, & eodem modo operetur, & quamdiu eſt tale, non faciat niſi tale*; ſiue cauſet materialiter vnum effectum, ſicut, v.g. ignis, ſiue cauſet plures effectus, ſicut Sol. Sed Deus, in quo virtualiter, & eminenter,tamquam in vniuerſaliſſima, & prima omnium cauſa, continentur omnes effectus creati, & creabiles, reſpectu horum effectuũ eſt agens indeterminatum,quia non eodem modo producit, ſed vel per creationem, vel per generationem;nec ſemper omnia,quæ poteſt facere, facit;& loco earum rerum,quas nũc facit,poſſet facere alias,quas antea fecit, aut poſtea faciet, aut nunquam facturus eſt; nec poteſt creare alium Deum, qualis eſt ipſe, vt ſupra quæſt.7. art.2. ergo reſpectu creaturarum non eſt agens per naturam; ſed vt agat determinatè & quoad modum, & quoad rem, eſt neceſſarium vt agat per voluntatem, cuius eſt determinare & modum agendi, & rem agendam. Tertia ratio. *Eſſe diuinum, eſt ipſum eius intelligere*, quia eſt vltimum quaſi conſtitutiuum, ac ſpecificatiuum eſſentiæ diuinæ, vt ſupra quæſt.4.artic.2. dub.7.ergo omnes effectus,à Deo cauſabiles, continentur in eo ſecundum modum intelligibilem: ergo per modum intelligibilem procedunt ab eo: ergo per modum voluntatis. quia intellectus, vt determinatè agat, debet determinari, & inclinari à voluntate, vt dicitur hîc in fine corporis, & ad quartum; & fuſius declaratum, & probatum eſt ſupra artic. 8. Has tres rationes reiicit Ocham 1. d. 43. quæſt.1. ex eo quòd probent ſolùm, Deum agere per voluntatem,non autem agere liberè. Sed vt probatum eſt, in hoc articulo à S. Doctore intenditur primum,non ſecundum.

*Ocham ineſficaciter arguit contra S.Thomam.*

## DVBITATIO I.

### *An res cauſentur à voluntate Dei immediatiùs quàm à ſcientia.*

### SVMMA.

1 *Explicatio quæſtionis, & authores vtriuſque partis. num.3.*
2 *Fundamentum concluſionis affirmatiuæ.n.4.*
3 *Soluuntur duo argumenta Bagnes. num.5.*
4 *Soluitur fundamentum quorundam apud Durandum. num.6.*
5 *Declaratur modus, quo diuinus intellectus concurrit. num.7.& 8.*
6 *Soluuntur quinque argumenta Gonzalez. numero 9.*

COmparamus voluntatem, & ſcientiam inter ſe: nam infra, quæſt. 25. artic.1. in proprio loco, comparabimus voluntatem, & ſcientiam cum potentia. Supponit autem titulus dubitationis, quod in ſuperioribus oſtenſum eſt, cauſam rerum non ſolùm eſſe voluntatem, vt hîc, concluſione prima, ſed etiam ſcientiam, vt ſupra quæſt.14.art.8.

*Secunda cõcluſio affirmatiua.*

3. Secunda concluſio. Ad externam rerum productionem comparatur immediatius, & propinquius voluntas Dei ſecundum propriam voluntatis cauſalitatem, quàm ſcientia Dei ſecundum propriam cauſalitatem ſcientiæ. Ita multò plures, & grauiores Theologi. S.Thomas 1.d.38.quæſt.1. art.1. circa medium corporis, hoc ordine declarat actionem Dei ad extra, *Primò ſcientia oſtendit finem. Secundò voluntas intendit finem illum. Tertiò voluntas imperat actum, per quem educatur opus.* Primo, ac remoto loco numerat ſcientiam; vltimo, ac proximo voluntatem. Et ad vltimum, *Creaturæ*, inquit, *exeunt à Deo, non per neceſſitatem ſcientiæ, ſed per libertatem voluntatis, in qua completur ratio cauſalitatis.* Si vltimum cauſandi complementum eſt voluntas, ergo hæc reſpectu effectus ſe habet immediatius quàm ſcientia. Et clarius de Veritate, quæſt.2.artic.14. circa finem corporis. *Inter ſcientiam Dei, quæ eſt cauſa rei, & ipſam rem cauſatam, medium ex parte Dei, eſt diuina voluntas.* & ibidem ad ſecundum. & primo d.38. q.1. art.2. fin. corp.

*Eſt S. Thom.*

&

Heruæi, Argentinæ, Carthuſiani, Capreoli, Soncinat. Ægidij, Durandi,

& ad 1. ad Anibaldum Cardinalem. *Ex ſcientia Dei non procedit opus, niſi mediante voluntate imperante, & potentia exequente.* Heruæus 1. d. 39. q. 1. paulò poſt principium corporis, illis verbis, *Intellectus non dicitur principium operationis exterioris, vel praxis, niſi in quantum eſt cauſa volendi eius, quod fit ab agente.* Quod nulla alia ratione eſt cauſa operis, niſi cauſando voluntatem operis, non reſpicit opus immediatè, ſed mediante voluntate. & fuſius, & clarius d. 46. q. 1. art. 4. Argentina d. 45. q. 1. artic. 2. concluſ. 2. Dionyſius Carthuſianus q. 2. poſt verba Durandi, Capreolus 1. d. 35. q. 2. art. 2. concl. 8. & ad argumenta contra octauam concluſionem ſic teſtatur, *S. Thomas vult, quòd ſcientia ſit cauſa prior ſecundum rationem, quàm voluntas.* & ſequitur Soncinas ibidem q. 3. concl. 2. Ægidius 1. d. 38. 1. p. diſt. q. 1. circa finem corporis. *Voluntas erit cauſa immediata productionis huius, ſcientia autem mediante voluntate.* Durandus 1. d. 45. q. 2. per totam. Vnde antea, d. 38. q. 1. ſemper in diuina cauſatione creaturarum prius numerat ſcientiam, poſterius voluntatem. & in fine, *Scientia,* inquit, *non eſt cauſa alicuius immediata, ſed remota, & ſolùm per modum dirigentis; & ideo actus eius, qui eſt ſcire, non operatur, nec cooperatur immediatè ad productionem alicuius rei, ſed ſolùm mediatè, & directiuè.* Marſilius 1. quæſt. 44. art. 1. concluſ. 8. Palatius d. 38. diſp. 1. aliquantò poſt principium. Sequuntur Vazquez hîc d. 81. Arrubal d. 55. Machin d. 42. ſect. 2. Trigoſius in Bonauenturam 1. p. quæſt. 13. artic. 4. dub. 2. concluſ. 1.

Marſilij, Palatij, Vazquez, Arrubal, Trigoſij, Machin.

Contra Aureolum, Bagnez, Gonzalez, Nazarium.

Contra aliquos antiquos apud Durandum ſupra, dicentes, immediatius principium eſſe intellectum: quos ſequuti ſunt Bagnes ſupra quæſt. 14. artic. 8. & ibidem Gonzales d. 38. ſect. 4. Nazarius controuerſ. 2. & Zumel in hunc articulum, vt citat Gonzalez, ſed immeritò, quia Zumel eſt potius pro communi opinione in d. 1. tota. & contra Aureolum 1. d. 47. quæſt. 1. artic. 5. Propoſ. 1. & alios, dicentes, ſcientiam, & voluntatem æquè immediatè concurrere: quibus fauet Suarez tomo 2. Metaph. d. 30. ſect. 17. n. 50. quamuis in præcedentibus numeris nobiſcum ſentire videatur.

*Quid ſentiāt Zumel, & Suarez.*

4. *Fundamentū concluſionis.*

Fundamentum præcipuum, quo communis opinio nititur, eſt proprius modus, quo ſcientia Dei, & cuiuſlibet alterius artificis, concurrit ad opus externum, nempe immediatè proponendo voluntati conuenientiam operis faciendi, & rationes conuenientiæ, & propter illas iudicando, eſſe conueniens vt opus fiat: neque præterea quicquam imperat, aut mouet immediatè reſpectu executionis operis. At verò voluntas immediatè reſpectu ipſiuſmet executionis eſt vera cauſa propriè, & effectiuè mouens, & imperans, qua poſita ponitur infallibiliter in re executio operis; quæ non neceſſariò ponitur poſito omni eo, quod ad illam executionem requiritur ex parte intellectus, & ex parte potentiæ. *Et propter hoc*, inquit Alenſis 1. p. quæſt. 35. membro 1. fin. *voluntas dicit cauſam totam, non potentia, vel ſcientia; quia ad ipſam concurrunt ſcientia, & potentia: Ideo potius diffinitur voluntas per cauſalitatem, quàm potentia, vel ſcientia.* Ex his autem duabus cauſalitatibus euidenter patet, illam eſſe remotam, hanc proximam, reſpectu ipſius realis executionis: nam intellectus non mouet immediatè omnipotentiam ad executionem, ſed practico ſuo dictamine mouet immediatè voluntatem, vt ipſa moueat omnipotentiam ad operis executionem, iuxta directionem ab ipſomet intellectu propoſitam.

Alenſis.

5. *Obiectio 1. ex Bagnes.*

Obiicies primò ex Bagnes. Primò. *Scientia Dei habet rationem artis in ordine ad creaturas producendas. Sed in effectu artificioſo proximum principium non eſt voluntas artificis, ſed ipſa ars, ergo.* Secundò. *Deus producit creaturas immediatè per imperium, ex illo Gen. 1. Fiat lux, & facta eſt lux: imperium autem eſt opus ſcientiæ practicæ, ergo.* Eodémque modo arguunt Nazarius, & Gonzalez ſupra.

*Arguit 2.*

*Ad primum cum S. Thoma.*

Reſpondetur ad primum, concedo maiorem, ſed nego minorem. Certè S. Thomas ex illa maiori oppoſitum planè deduxit 1. d. 38. quæſt. 1. ar. 1. circa medium corporis. Cum enim ita propoſuiſſet, *Scientia, in quantum eſt ſcientia artificis operantis res, ſic habet rationem cauſæ, reſpectu rei operatæ per artem: vnde ſicut eſt cauſalitas artificis per artem ſuam, ita conſideranda eſt cauſalitas diuinæ ſcientiæ.* ſtatim ita concludit pro concluſione contra Bagnes, *eſt ergo iſte proceſſus in productione artificiati, primò, ſcientia artificialis oſtendit finem. Secundò, voluntas eius intendit finem illum. Tertiò, voluntas imperat actum per quem educatur opus.*

*Ad ſecundū. In Deo volūtatem, & nō intellectū imperare executionē operis.*

Ad ſecundum nego minorem, ſi per imperium intelligatur aliquis actus intellectus, qui in Deo rectè concipi poſſit vt principium operis ad extra, poſt liberum, & efficax diuinæ voluntatis decretum de opere faciendo; vt ſuppono ex 1. 2. & benè explicat Suarez ſupra à num. 40. & deinceps. & S. Thomas locis ſupra citatis, bis voluntati tribuit imperare, & nunquam intellectui. Præterea hîc ad quartum, *Scientia*, inquit, *eſt cauſa, vt dirigens; voluntas, vt imperans; potentia, vt exequens.* & infra, quæſt. 25. art. 1. ad 4. *Potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit.* Eſt igitur non ſolùm vera, ſed Thomiſtica doctrina, intellectui diuino practico, vt ratione diſtincto à voluntate, reſpectu operis faciendi, tribuere merum influxum directiuum, ſiue ſimpliciter oſtenſiuum totius operis faciendi cum omnibus ſuis modis, ac circumſtantiis, non autem influxum imperatiuum, ſiue efficaciter determinatiuum, vt fiat opus ſecundum prædictam directionem.

6. *Secunda obiectio quorūdā apud Durandum.*

Obiicies ſecundò fundamentum antiquorum apud Durandum ſupra. Exemplar in intellectu diuino, *eſt ſimul exemplar, & principium factiuum; ſicut eſt figura ſigilli, reſpectu figuræ per ſigillum impreſſæ in cera: ergo ſicut figura ceræ immediatius fit à ſigillo, quàm à manu artificis applicantis ſigillum*; ita externum opus Dei, immediatius ſe habet reſpectu ſui exemplaris, quàm reſpectu voluntatis applicantis exemplar ad opus.

*Reſpondetur cum Durando, idem eſſe cauſam exēplarem, non factiuam.*

Reſpondet optimè, & fusè Durandus. Primò negando, quòd idea diuina, ſit non ſolùm cauſa exemplaris, ſed etiam cauſa factiua; quod negat etiam Aureolus ſupra, initio articuli: nam idea, *ſub ratione exemplaris*, inquit Durandus, *ſolùm ſe habet ad artificem obiectiuè; eſt enim illud, ad quod artifex inſpiciens operatur:* non autem factiuè, *ſicut principium, quo agens formaliter agit.* Secundò negando, quòd figura ſigilli habeat rationem exemplaris, *quia ad ipſam artifex operans non inſpicit; ſed eſt merè principium factiuum, ſicut acuties in ſecuri, de qua nullus diceret, quòd eſſet exemplar in ſecando.* Concordat Aureolus ſupra dicens, *Sigillum non ſe habet ſicut exemplar cereæ figuræ, ſed eſt potius ſigillantis inſtrumentum, quod reducitur ad agens.*

*Figura ſigilli non habet rationem exēplaris.*

7. *Tertia obiectio.* S. Thom.

Obiicies tertiò. Scientia concurrit ad opus, vt determinata, & applicata per voluntatem ad concurrendum: nam ſcientia, vt ait S. Thomas ſupra, q. 14. art. 8. circa finem corporis, *cum ſit oppoſitorum, non produceret determinatum effectum, niſi determinaretur ad vnum per appetitum.* ergo concurrit immediatius; ſicut immediatius concurrit omnipotentia ſecundum omnes, quia concurrit vt determinata, & applicata per voluntatem.



*Reſpondetur declarando quo modo ſcientia dicatur concurrere determinata volūtate.*

Reſpondetur, duobus modis aliqua cauſa dici poteſt determinata, & applicata ad agendum. Primò immediatè, vt ipſa agat; & ita determinatur, & applicatur omnipotentia, non exemplar, ſiue ſcientia. Secundò mediatè, vt alia cauſa agat ad directionem, & ſimilitudinem alterius; & hoc modo determinatur, & applicatur ſcientia, & exemplar, iuxta ſanctum Thomam ſupra: voluntas enim mota ab apprehenſione, & iudicio intellectus de conuenientia faciendi tale opus, tali modo, determinat, & applicat omnipotentiam, vt ipſa immediatè faciat tale opus, tali modo, provt obiectiuè propoſitum eſt ab intellectu ipſimet voluntati, non omnipotentiæ. Itaque ſcientia nihil in potentiam exequutiuam, ne ipſam quidem directionem, immediatè influit, ſed ſolùm mediatè, mouendo, & dirigendo immediatè ipſam voluntatem, quæ deinde mouet omnipotentiam ad operis, ac directionis realem executionem, provt ſibi propoſitum eſt à ſcientia. Cuius rei ratio à priori ſumitur ex verbis Durandi ſupra. quia concurſus exemplaris, ſeu ſcientiæ, non eſt factiuus immediatè ad extra, ſed ſolùm obiectiuus, & repræſentatiuus. Nihil autem intellectus immediatè obiicit, ac repræſentat niſi voluntati, quæ propterea dicitur appetitus rationalis, ſiue intellectiuus. ergo intellectus, neque vt factiuus, neque vt motiuus, ſeu directiuus, comparari poteſt immediatè ad omnipotentiam, quæ neque eſt rationalis per eſſentiam, ſicut intellectus, neque per participationem, ſicut voluntas, vt loquitur S. Thomas 1. 2. q. 61. artic. 2. ac proinde eſt omninò incapax immediati influxus obiectiui, ac repræſentatiui.

*Cur ſcientia nihil influere poſſit in potētiā exequutiuam.*

S. Thom.

8. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Directio intellectus reſpectu voluntatis exercetur ab æterno, quia ab æterno voluntas directa ab intellectu, liberè decreuit tale opus cum tali directione. At directio intellectus reſpectu executiuę potentiæ tunc ſolùm exercetur, cùm exercetur executio. ergo præter immediatam directionem reſpectu voluntatis, eſt diſtinguenda alia directio immediata reſpectu executionis.

*Reſpondetur, directionem, quæ fit in tēpore, exerceri mediatè à ſcientia.*

Reſpondeo, intellectum nullo alio modo exercere directionem, niſi intentionaliter, & repræſentatiuè; quo modo eam exercet non ſolùm ab æterno, ſed etiam in tempore, & hodie, & ſemper poſtea. Directio verò, quæ realiter fit tantùm in tempore, non exercetur realiter ab intellectu immediatè, ſed mediatè, hoc eſt, mediante voluntate, quæ realiter applicat in tempore omnipotentiam ad reale exercitium directionis ſibi intentionaliter obiectæ. Falſa igitur eſt conſequentia.

9. *Gōzalez obijcit primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.*

Obiicies quintò ex Gonzalez, primò, Scriptura docet, *ſcientiam Dei producere res. Sed cauſa remota non producit effectum propriè loquendo. ergo ſcientia non eſt cauſa remota.* Secundò, quia *virtus prudentiæ, immediatè habet dirigere circa agibilia.* Tertiò, quia *prouidentia Dei eſt cauſa rerum proximè, cum ſit ordinatio de medijs requiſitis ad conſequutionem finis.* Quartò, *ſpecificatio artificiati non habet pro regula proxima voluntatem, ſed ideam: ergo hæc concurrit proximè ad operis executionem.* Quintò, *euidenter ex D. Thoma quæſt. 14. art. 8. vbi dicit, quod proxima rerum cauſa eſt ſcientia approbationis.*

*Ad primum declaratur quo modo ſcientia ſit cauſa remota.*

Ad hæc reſponderi facilè poteſt. Ad primum, diſtinguo minorem. Cauſa remota, eſt duplex: quædam per accidens, quæ nihil per ſe conducit ad effectum, vt ambulatio cauſa eſt mortis ex fulmine, quod ambulantem percuſſit: quædam eſt per ſe, quæ eſt verè, ac propriè cauſa, vt cauſa proxima effectum producat; ita vt hæc ſine illa nec poſſet producere, nec produceret. Scientia eſt cauſa remota, non primo modo, ſed ſecundo, quo modo eſt cauſa propriè loquendo; & congruentius vocatur cauſa mediata, ſeu minus propinqua, vt loquitur S. Thomas ſupra, num. 3. quàm cauſa remota.



*Ad ſecundū, & tertium.*

Ad ſecundum, & tertium, negatur id, quod aſſumitur: nam prudentia, & prouidentia dirigunt, & ordinant obiectiuè tantùm, ac proinde immediatè cauſant circa voluntatem, non circa res. Ad quartum, argumentum probat tantùm, ideam concurrere per ſe, & immediatè in genere cauſæ formalis extrinſecæ, in quantum ideatum habet ſuam formalem ſimilitudinem cum idea, non cum voluntate: nos verò loquimur de concurſu effectiuo, vnde fit realis ipſa operis executio. Ad quintum, ex illo loco S. Thomæ ſolùm haberi, ſcientiam non poſſe actu cauſare, niſi ſecundum quod habet voluntatem coniunctam. Quòd autem ſcientia, habens coniunctam voluntatem ſit rerum cauſa proxima, ſicut eſt omnipotentia habens etiam coniunctam eamdem voluntatem, vel potius remota, ſeu mediata, ibi ne verbum quidem: ſed ex aliis locis ſupra n. 3. allatis, euidenter habetur quòd ſit cauſa mediata, non immediata.

*Ad quartū, non probari intentum.*

*Ad quintum ex S. Thoma.*

## DVBITATIO II.

### *An cum ſcientia media ſtet immediatus concurſus diuinæ voluntatis ad actiones noſtras liberas.*

### SVMMA.

1 *Concluſio affirmatiua, & aduerſariorum deceptio. num. 10.*

2 *Soluuntur argumenta Gonzalez primò contra Suarez. num. 11.*

3 *Secundò contra Molinam. num. 12.*

4 *Tertiò contra Arrubal. num. 13.*

5 *Quartò contra Vazquez. num. 14.*

10. *Tertia concluſio affirmatiua.*

TErtia concluſio affirmatiua, ſatis, ſupérque probata remanet ex dictis ſupra, quæſt. 14. artic. 13. ferè per totum. Quoniam verò contra noſtros Theologos, ſcientiam mediam defendentes, rurſus inſurgit Gonzalez hîc diſputat. 54. contendens veritatem catholicam de immediato concurſu diuinæ voluntatis ad actus liberos, non ſatis cohærere cum ſententiis Suarez, Molinæ, Arrubal, & Vazquez, oſtendam breuiter, ac dilucidè, in eius obiectionibus, quas hoc loco addidit, nullam vim ineſſe. Enimverò aduerſarij, impugnatores, & contemptores ſcientiæ mediæ, quam vel inuiti proprio ſinu incluſam fouent, & nihilominus negant, vt demonſtraui citato articulo 13. à num. 353. ad 355. & rurſus num. 480. & 481. in eo maximè decepti videntur, quod alibi cum Suarez me monuiſſe memini, ſed ob rei grauitatem, ac neceſſitatem, iterum monendum eſt, ac diligenter aduertendum, quia cum ipſi nullum alium diuinæ voluntatis concurſum agnoſcerent ad effectus creatos liberos, niſi illum eumdem prorſus, quo ad neceſſarios effectus concurrit, omnes nimirum æquè prædeterminando, & nos hunc concurſum, libertatis deſtructiuum, negaremus, non dubitarunt nobis obiicere, imò abſolutè tribuere,

tribuere, quòd negemus, diuinam voluntatem immediatè concurrere cum creata voluntate ad actus liberos: quaſi verò ex eo quòd neges falſitatem, neceſſe ſit omnem pariter veritatem pernegare. Ita igitur negamus concurſum prædeterminatiuum, ac neceſſarium, vt apertiſſimè fateamur alium concurſum immediatum indifferentem, ac liberum.

*Prima obiectio Gonzalez contra Suarez.*

11. Obiicit Gonzalez primò contra Suarez, quia dicit, *Deum concurrere ad actiones noſtras liberas bonas, non per voluntatem abſolutam, ſed quaſi conditionatam, & expectantem determinationem liberam noſtræ voluntatis.* Quæ ſententia non ſtat, inquit Gonzalez, *cum voluntate Dei immediatè cauſante res omnes, vt oſtendit Arrubal d.65. cap. 1. n.3.* Deinde addit rationem, quam ipſe vocat validiſſimam. *Nam ſi ita concurreret, cæco, & ignoranti modo, & abſque vſu libertatis præberet concurſum.*

*Reſpondetur declarando voluntatem conditionatã, per quam Deus concurrit ad actus liberos.*

Reſpondeo, nullam eſſe difficultatem ſi intelligatur quid ſignificet Suarez per voluntatem quaſi conditionatam; dici enim poteſt voluntas conditionata, primò, vt diſtinguitur contra voluntatem abſolutam ſimpliciter, & hoc non vult Suarez, qui ſæpe eam voluntatem eſſe docet abſolutam, vt nouiſſimè in tomo 1. de gratia Prolegom.2. cap.8. num.17. & 18. Secundò, vt diſtinguitur contra voluntatem taliter abſolutam, hoc eſt, prædeterminantem ad vnum: & hanc voluntatem abſolutam, non ſolùm Suarez, ſed etiam Arrubal, qui contra Suarez fruſtra citatur, ſemper negant. Plura de hac re dixi citato artic. 13. quæ non ſunt repetenda. Legi præcipuè debent quæ ſcripſi num. 502. & 503. Ex quibus breuiter reſpondeo, cum immediato concurſu ad determinatos, & abſolutos actus liberos, non ſtare voluntatem diuinam conditionatam, quæ nullo modo ſit abſoluta, & determinata, vt patet ex terminis: ſtare autem voluntatem conditionatam, quæ ſit aliquo modo abſoluta, hoc eſt, ita ſit abſoluta, vt ſit etiam indeterminata, & indifferens ad oppoſita, ac proinde, vt ſit parata concurrere abſolutè, & determinatè ad hanc partem, ſub conditione ſi creatura libera ad hanc partem ſe determinauerit; & ad illam partem, ſi creatura ad illam liberè ſe determinauerit. Alia verò voluntas diuina abſoluta, & ad vnam tantùm partem determinata, ac proinde antecedenter prædeterminans creatum arbitrium ad vnum, ſtat quidem cum immediato concurſu, ſed cum creata libertate ſtare nullo modo poteſt. Illud autem de *expectare liberam noſtram determinationem*, addit Gonzalez ex ſuo, non ex Suarez, aut ex alio noſtro Theologo. Libertas creaturæ eſt prior quædam ratio, vt Deus velit concurrere ad hanc partem, non ad illam; quia ſcilicet creatura, ſe ipſa, nullo alio prædeterminante, ſed præciſè, ac formaliter ex eo quòd ſit libera, eligit concurrere ad hanc, non ad illam, quod eſt ſe determinate.

*Deus vt concurrat, non expectat determinationẽ noſtram.*

*Deum ſapiẽtiùs concurrere per ſciẽtiã mediam ante decretũ, quã poſt decretum.*

Ad rationem validiſſimam facilè dicitur, ſolùm ex opinione de decreto prædeterminante ante præſcientiam, etiam conditionatam, verè ſequi, Deum ignorare, & non poſſe videre effectus liberos, quos decretum illud de medio tollit. Noſtra verò ſententia, quæ docet, Deum omnia præſcire, etiam antequam per eius voluntatem ſunt abſolutè futura, profectò conſtituit Deum oculatiſſimum, & ſcientiſſimum, ſalua creaturarum libertate. Iuxta illam quoque ſaluatur, Deum liberè præbere ſuum concurſum, quia decretum illud concurrendi ad vtramque partem creaturis omninò neceſſarium ad liberè agendum, à diuina voluntate prorſus liberè fit. Si autem liberè vellet Deus, ante omnem præſcientiam, vt liberum creaturæ arbitrium faceret hoc, & non aliud; poneretur quidem maior libertas in Deo, tamen omnis planè libertas tolleretur à creatura. Et ideo vt hanc incolumem ſeruet Deus, illa maiori prædeterminandi libertate, ac dominio, non vtitur, iuxta exigentiam creaturarum liberarum.

*Secunda obiectio Gonzalez contra Molinam.*

12. Obiicit ſecundò contra Molinam, quia in concordia, d.37. §. *Cum autem.* habet hæc verba. *Etenim à Deo influente per ſolum concurſum generalem emanat, vt à cauſa vniuerſali. à qua proinde non habet magis, quòd ſit actus credendi, quàm actus oppoſitus.* Molina his verbis, inquit Gonzalez, *declarat apertè, ſolùm per concurſum generalem, & indifferentem ex ſe, concurrere Deum immediatè ad noſtras actiones liberas bonas.*

*Reſpondetur declarando ſententiam Molinæ.*

Reſpondeo, interpretationem Gonzalez eſſe nimis latam contra mentem Molinæ, qui cum expreſſa limitatione loquitur de concurſu, qui emanat à Deo, *vt à cauſa vniuerſali.* Sed neque hîc, neque alibi aſſeruit Molina, præter hunc concurſum indifferentem, & vniuerſaliter neceſſarium ad liberè operandum omnes actus, ſiue bonos, ſiue malos, Deum de facto ad actum fidei, & ad alios ſimiles actus ſupernaturales, nulla alia particulari ratione concurrere; cum paſſim doceat hos actus ſecundum omnes ſpeciales eorum circunſtantias prædefiniri à Deo per aliud abſolutum, & determinatum, & efficax voluntatis ſuæ decretum. Immeritò igitur dixit Gonzalez, hanc particularem voluntatem à Molina negari prædictis verbis, vt manifeſtum eſſe poteſt cuilibet ea conſideranti, ſi nimio contradicendi ardore non ducitur.

*Tertia obiectio Gõzalez contra Arrubal.*

13. Obiicit tertiò contra Arrubal, quia diſput.54. num. 9. & ſequentibus, dicit, *Diuinam voluntatem determinari ad volendum aliquid ad extra, non per immanentem determinationem ad tale obiectum creatum, ſed per cauſalitatem, ſeu operationem externam circa illud.* Quem modum bene impugnat Gonzalez cum Suarez.

*Reſpondetur, ſentẽtiã Arrubal malè intelligi à Gonzalez.*

Quid ad hoc reſpondendum ſit, patet ex dictis ſupra, artic.3. num.60. fin. & num.63.64. Bene igitur negat Arrubal, diuinam voluntatem determinari per determinationem immanentem, & intrinſecam, quam articulo præcedente, à num.65. ad 69. reiecimus: ſed ſolùm determinari per immanens, & intrinſecum velle liberum, ac proinde formaliter indeterminatum; ex quo intrinſeco principio manat quidem determinatio extrinſeca, quæ eſt cauſalitas, ſeu operatio externa, reſpectu externi effectus, qua proinde Deus externum effectum realiter producit in tempore, & ab æterno vult producere: tamen non manat determinatio vel intrinſeca, vel extrinſeca, qua voluntas Dei formaliter in ſeipſa determinetur: quem falſum ſenſum Gonzalez imponit Arrubal, ſed ſine vllo fundamento. Nam Arrubal diſp. 54. cap. 3. quem locum citat Gonzalez diſputat. 53. num. 9. nihil aliud habet ad propoſitum, niſi hæc verba in concluſ. 3. num. 9. *Actus volitionis Dei liberæ, ſolùm includit realem perfectionem actus diuinæ volitionis: extrinſecè verò connotat cauſalitatem contingentem, qua Deus ſit aliquid operaturus in tempore.* Non dicit, *Qua Deus determinatur ad volendum aliquid*, vt falsò refertur à Gonzalez; ſed dicit, *Qua Deus eſt aliquid operaturus.* Ergo non loquitur Arrubal de cauſali



cauſalitate, tanquam de formali ratione determinandi diuinam voluntatem, quem ſenſum fruſtra impugnat Gonzalez, ſed de ratione formali extrinſeca, qua Deus extrinſecum effectum producit: omnis enim actio, eſt ratio formalis, qua agens agit, ſiue ſit Deus, ſiue creatura. Vnde infra in cap. 4. num.11. 12. & 13. explicat Arrubal, hanc cauſalitatem pertinere ad volitionem Dei liberam, tanquam connotatum extrinſecum, quod determinatio diuinæ voluntatis, ſeu velle liberum in actu ſecundo, immediatè vult. & in cap.6. num. 20. *Volitio Dei libera connotat cauſalitatem, quatenus via eſt, vt effectus exiſtat.* & num.21. *Terminatio voluntatis diuinæ ad futuram exiſtentiam creaturæ, poſita eſt in ratione cauſalitatis procedentis à diuina voluntate ad exiſtentiam creaturæ.* Cauſalitatem vocat, *Terminationem*, non autem, *Determinationem*; hoc eſt, id ad quod immediatè, & prius terminatur diuina voluntas, quo mediante terminatur ad effectum; non id, quo determinatur indifferentia diuinæ voluntatis liberæ. Cauſalitas, inquit, procedit à voluntate ad exiſtentiam creaturæ. ergo non ad determinationem ipſiuſmet voluntatis. Hanc igitur determinationem in Arrubal, omninò ſibi finxit Gonzalez.

*Quarta obiectio Gõzalez contra Vazquez.*

14. Obiicit quartò contra Vazquez, qui diſputat.8.cap.2. inquit Gonzalez, *expreſſè fatetur hanc propoſitionem, Ideo Deus vult, aliquid eſſe futurum, quia illud futurum eſt.*

*Reſpondetur, non bene referri ſententiam Vazq.*

Reſpondeo, mirum eſt ita loqui Gonzalez; cum Vazquez in toto illo cap. 2. prædictam propoſitionem neque expreſsè, neque implicitè ſcriptam reliquerit. Solùm contra opinionem ſuam de relatione rationis, formaliter conſtitutiua diuinæ volitionis liberæ, quæ relatio fundatur in rebus futuris, & conſequenter eſt poſterior illis, ſibi obiicit, quòd inde ſequatur, prius eſſe res futuras, quàm velle diuinum liberum, quod eſt cauſa rerum futurarum. Quam ſequelam nunquam concedit, ſed ſolùm ait, Argumentum non poſſe ſolui in hac vita, his verbis in num. 13. *Nodus hic, mea quidem ſententia, inſolubilis eſt; vix enim vitare poſſumus circulum in reddenda ratione. Quid enim ſit, verbo explicari, difficillimum, aut pro hoc ſtatu impoſſibile eſſe. Qui autem videt Deum, de eius voluntate libera, quatenus principium liberum eſt rerum futurarum, longè aliter ſentiet, & videns ipſum, ſicuti eſt, vnico verbo exprimet, abſque hiſce relationibus rationis.* Quibus verbis, & aliis ſequentibus, clarè explicat, ſe non dixiſſe, volitionem Dei liberam conſtitui relatione rationis, per ordinem ad ipſam volitionem ſecundum ſe, ſed per ordinem ad nos, non potentes illam, ſicuti eſt, perfectè concipere, & explicare. Atque adeo, ſi prædicta propoſitio concedenda ſit, id ad ſummum non concedi ex eo, quòd ita ſit in re, ſed ex eo quòd à nobis, propter imperfectum noſtrum intelligendi modum in hac vita, non poſſit aliter concipi. Qui dicendi modus nullum in diuina voluntate ponit abſurdum, ſed ſolùm noſtram intelligendi imperfectionem exaggerat. Maneat igitur, nihil prorſus in noſtris Theologis, ſi fideliter referantur, & rectè intelligantur, ſcriptum legi, quod non cohæreat cum catholica veritate de immediato diuinæ voluntatis concurſu ad omnes liberas noſtras actiones: & in omnibus dictis Gonzalez contra illos in hunc articulum, multò plus eſſe libertatis, & confidentiæ, quàm fidelitatis, ac veritatis. Cæterum nonnulla addit Gonzalez, ad materiam de auxiliis pertinentia, de quibus ſcribere, Sedis Apoſtolicæ decreto, iam diu & ipſe, & nos, & reliqui omnes hactenus prohibentur. Et ideo omitto, præſertim cum ad præſentem materiam de diuinæ voluntatis cauſalitate minimè ſpectent; & ex dictis citato artic. 13. confutari, & ſolui facillimè poſſint.



---

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm voluntatis diuinæ ſit aſſignare aliquam cauſam.*

Ad quintum ſic proceditur. Videtur quòd voluntatis diuinæ etiam ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1. *Nullum bonum, ne increatum quidem eſt finalis cauſa diuinæ voluntatis. n. 1. ad 4.*
2. *Bonum increatum eſt diuinæ voluntatis cauſa finalis virtualiter, formaliter verò ratio finalis; non autem bonum creatum. n.4.*
3. *An Deus velit vnam creaturam propter aliam. n.5. ad finem.*

### COMMENTARIVS.

*Prima cõcluſio negatiua, eiúſque explicatio.*

1. PRIMA concluſio. *Nullo modo voluntas Dei cauſam habet.* Ita S.Thomas hîc, initio corporis, & 1.contr.Gent. cap. 87. initio. Et intelligitur primò de cauſa finali, quia, vt dicitur citato cap.87. *Voluntati cauſa volendi eſt finis.* Neque enim in hac quæſtione ſumitur voluntas ſecundum entitatem ſuam præciſè, ſed ſumitur vt actu volens aliquid. Cum igitur voluntas non poſſit velle actu aliud, niſi bonum vt bonum, & bonum ſit finis, vt cum S.Thoma probaui ſupra, quæſt.5. art.4. ſequitur vt cum quæritur, an aliqua voluntas habeat cauſam volendi, non poſſit intelligi de alia cauſa, niſi finali. Secundò de vera, ac formali cauſa; alioqui ſi cauſa finalis largius ſumatur pro ſimplici ratione volendi, abſque diſtinctione, & dependentia actus volendi à re volita, probat S. Thomas 1. contra Gent.cap.86. & nullus negat, *Quòd diuinæ voluntatis poteſt ratio aſſignari*, nempe, ipſamet diuina bonitas, cuius amore voluit Deus, quicquid voluit extra ſe, vt ſupra art.2.concl.2. Quod ſatis clarè expreſſum videtur Prouerb.16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* & ideo, vt notaui ſupra, art.3.num.29. à S.Thoma interdum Dei bonitas reſpectu ipſiuſmet diuinæ voluntatis, non dicitur ſimpliciter, *Finis*, ſed cum addito diminuente propriam finis rationem, *Quaſi finis.* &, *finis non realiter, ſed ſecundum modum ſignificandi.*

*S.Thom.*

*Prouerb. 16.*

*Exponitur ratio articuli.*

2. Probat concluſionem S.Thomas hîc, quia Deus vnico actu vult finem, & ea, quæ ſunt ad finem: *Sicut enim vno actu omnia in eſſentia ſua intelligit*, vt ſupra, quæſt. 12. artic. 8. & quæſt.14. artic. 5. *ita vno actu vult omnia in ſua bonitate.* ergo velle finem non poteſt in Deo eſſe cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem. Conſequentiam dupliciter probat, primò à priori, *quia idem non eſt cauſa ſui ipſius.* Secundò, à ſimili, nam ſicut ſi intellectus vnico actu intelligeret principium, & concluſionem,

nem, intelligentia principij non poſſet eſſe cauſa ſcientiæ concluſionis; quia tunc intelligeret quidem concluſionem *in principio*, nimirum vno intuitu perfectè comprehendendo vim, & naturam principij, quæ comprehenſio haberi nequit, niſi illo eodem intuitu videatur concluſio, in illo principio virtualiter contenta; non tamen intelligeret concluſionem *ex principio*, hoc eſt, non intelligeret ſeorſim vno actu principium, & deinde ex hoc, tanquam ex cauſa concluſionem, ſed tantum intelligeret, concluſionem eſſe ex principio, ſeu, principium eſſe cauſam concluſionis: ita volens vno actu vnum bonum in alio bono, & non volens ſeorſim vno actu vnum bonum, propter aliud bonum alio actu volitum, *non vult hoc propter hoc*, id eſt, non habet vnam volitionem circa hoc obiectum, finaliter cauſatam propter aliam volitionem circa aliud obiectum: ſed tantùm, *vult hoc eſſe propter hoc*, id eſt, *vult ordinare ea, quæ ſunt ad finem, in finem.*

3.
*Alia concluſionis ratio.*

Idem ſecundò probari poteſt, quia finalis cauſa actus volendi, quoad ipſam ſubſtantiam actus, alia eſſe non poteſt niſi aliquod bonum, finis enim, & bonum conuertuntur, ſupra quæſt. 5. artic. 4. ergo ſi diuinæ volitionis actus finalem aliquam cauſam habet, hæc vel erit bonum creatum, vel bonum increatum. Non primum, quia bonum creatum reſpectu velle diuini, etſi habeat vnam conditionem, neceſſariam ad rationem cauſæ finalis, nempe diſtinctionem; tamen aliis neceſſariis conditionibus caret; cum propter ſuam eſſentialem limitationem, ſubordinationem, ac dependentiam ab infinita Dei voluntate, & bonitate, etiam in ipſa formali ratione bonitatis, ineptum planè ſit per ſe mouere diuinam voluntatem, eámque facere à ſe finaliter dependentem, ſibíque ſubiectam, dando illi aliquid in genere cauſæ finalis; cum omnis ratio bonitatis, quæ in bono creato cogitari poteſt, ſit eminentiſſima ratione, infinitè maiore, in bono increato, quo diuina voluntas ſemper perfectiſſimè fruitur. Non ſecundum, quia bonum increatum, etſi habeat cætera omnia requiſita ad veram, ac propriam formalem rationem finalis cauſæ, reſpectu diuinæ voluntatis, cuius eſt maximè proprium, & proportionatum, atque adæquatum obiectum; tamen caret neceſſario requiſito diſtinctionis realis, cum diuina bonitas, & voluntas idem prorſus in re ſint, &, vt hîc in corpore bis pronunciat S. Thomas, *idem non eſt cauſa ſui ipſius.*

Ex quibus fit, multò plus deeſſe bono creato, quàm bono increato, ad hoc vt ſint cauſa finalis diuinæ voluntatis; quia illi deſunt omnes conditiones requiſitæ ad ipſam ſubſtantiam cauſæ; huic autem nihil aliud deeſt, niſi ſola diſtinctio. Vnde oriuntur duo diſcrimina accuratè notanda in hac materia.

*Solum bonum increatũ eſt diuina voluntatis finis virtualiter.*

Alterum, bonitatem increatam eſſe diuinæ voluntatis finem, ſi non formaliter, ſaltem virtualiter; bonitatem verò creatam nullo modo eſſe diuinæ voluntatis finem, neque formaliter, neque virtualiter: ac proinde, quod in re idem eſt, de prima bonitate dici poſſe cum S. Thoma ſupra, quòd ſit diuinæ voluntatis, *Quaſi finis*, non de ſecunda. Ratio eſt, quia, vt ſignifico ſupra, art. 1. num. 5. ad ponendam inter duas diuinas perfectiones, in Deo formaliter exiſtentes, rationem virtualis cauſæ, & effectus, neceſſarium eſt, illa duo ita inter ſe cõparari, vt ſi inter illa eſſet actualis in re diſtinctio, vnum ab alio re ipſa verè cauſaretur; qua ratione immutabilitas Dei dici communiter ſolet, eſſe virtualis cauſa diuinæ æternitatis. Hanc verò comparationem diuina voluntas habere poteſt ſolùm reſpectu increatæ bonitatis, quæ, vt dixi, præter ſolam diſtinctionem, habet intrinſecè omnia ad diuinam voluntatem finaliter cauſandam ſufficientia: non autem reſpectu bonitatis creatæ, à qua de facto realiter diſtinguitur, & nihilominus non cauſatur finaliter ob intrinſecum, & eſſentialem defectum in ipſa ratione bonitatis.

*Eſt etiã verè, ac formaliter ratio finalis, nõ cauſa.*

Alterum, reſpectu diuinæ voluntatis, bonitatem increatam eſſe verè, ac formaliter, ſi non cauſam finalem, ſaltem rationem finalem: cum vera, ac formalis ratio, propter quam ſeipſum amat Deus, ſit quia bonus eſt: & propter quam amat creaturas, quia amat bonitatem ſuam: eandémque rationem, verè, ac formaliter finalem apertè exprimit illa propoſitio Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus:* & S. Thomas ſupra art. 2. ad 2. his verbis, *Deus alia à ſe non vult niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas.* & Magnus Albertus 1. p. ſummæ tract. 20. quæſt. 79. art. 2. *Hunc finem*, hoc eſt, ipſummet Deum, *& non aliud vult Deus in omnibus volitis.* Non autem bonitatem creatam, quia cum hæc ſit eſſentialiter finita, ac dependens, non poteſt eſſe verè, ac formaliter finalis ratio, propter quam detur ipſemet diuinus volendi actus, omninò infinitus, & independens. Quod vt magis declaretur, ſit

S. Thom.

Albertus. *Exponitur locus Prouerb. 16.*

## DVBITATIO VNICA.

### *An Deus velit vnam creaturam propter aliam.*

### SVMMA.

1 *Probatur, & declaratur concluſio affirmatiua. n. 5. ad 8.*

2 *Creatura reſpectu diuinæ voluntatis eſt ratio finalis, non motiua, ſed purè terminatiua. num. 6. & 7.*

3 *Vna creatura eſt ratio finalis terminatiua, propter quam diuina voluntas actiuè terminetur ad aliam. n. 8. ad finem.*

5. *Probatur cõcluſio affirmatiua.*

Secunda concluſio, ſimpliciter affirmatiua, non diſtinguendo ſenſum in quo intelligenda ſit, eſſe debet apud omnes certa: quia Chriſtus Dominus ita loquitur Ioann. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* & Paulus ad Epheſios 1. *Elegit nos, vt eſſemus ſancti.* & ab Eccleſ. in Symbolo, Deus dicitur de cœlis deſcendiſſe, & conſequenter, deſcendere voluiſſe, *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem.* & vniuerſi Theologi docent, liberum decretum de Incarnatione Verbi, factum à Deo fuiſſe propter aliquid creatum, nempe, vel propter redemptionem à peccatis, vel propter gloriam Chriſti, & Dei.

Ioann. 10.

Ad Epheſ. 1.

6. *Tertia cõcluſio explicatiua præcedentis.*

Tertia concluſio. Cum dicitur Deus velle vnam creaturam propter aliam, illud, *propter*, non ſignificat primò, creaturam eſſe realem, aut virtualem cauſam diuinæ voluntatis, vt ſupra, num. 3. & 4. Non ſignificat ſecundò duos actus, alium circa finem, & alium circa media, vt ſupra n. 2. quia, vt docet S. Thomas hîc, circa med. corp. *Si aliquis vno actu velit finem, & alio actu ea, quæ ſunt ad finem, velle finem erit ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem.* Non ſignificat tertiò rationem finalem eſſendi diuinæ voluntatis, in quo ſenſu ſupra n. 4. circa finem probaui, ſolum bonum increatum, & nullum bonum creatum poſſe eſſe diuinæ voluntatis rationem verè, & formaliter finalem; hæc enim eſſe deberet formale obiectum volũtatis diuinæ; quod eſt ſola bonitas increata.

S. Thom.

Alenſis.

Vnde Alenſis 1. p. q. 35. memb. 3. cum docuiſſet, diuinam voluntatem non habere finalem cauſam, ſed rationem, hanc ipſam finalem rationem excludit reſpectu creaturarum, his verbis, *Sed ſi dicatur ratio aliquis finis extra, nullo modo habet rationem.* Non ſignificat quartò rationem finalem motiuam diuinæ voluntatis: nam,

*Creatura nõ eſt ratio finalis motiua diuinæ voluntatis ſecundũ S. Thomam.*

vt ait S. Thomas ſupra art. 1. ad 3. *cum voluntas Dei ſit eius eſſentia, non mouetur ab alio à ſe, ſed à ſe tantùm.* & art. 2. ad 2. *Cum Deus alia à ſe non velit, niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur quòd aliquid aliud moueat voluntatem eius, niſi bonitas ſua.* Et ratio à priori eſt, quia voluntas non mouetur niſi ab obiecto ſuo formali, quod non eſt aliud, niſi ipſemet Deus: & creaturæ, cum quicquid in ſeipſis ſunt, contineatur eminentiſſima ratione in Deo, dici non poſſunt reſpectu Dei propriè obiectum quoad illud eſſe, quod in ſeipſis habent, ſed potius purus, ac ſimplex terminus. Et hunc

Prouerb. 16.

quartum ſenſum indicant verba illa Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* & S. Thomas hîc in fine corporis concludens, *Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.* &

Riccard.

expreſſit Riccardus 1. d. 45. artic. 2. quæſt. 4. initio corporis. Non ſignificat quintò merum ordinem obiectorum inter ſe, ita vt per realem ordinem ad ſeipſa præciſè, alterum ſit finis, alterum ſit medium. quia creaturæ hunc ordinem habent etiam vt obiiciuntur diuinæ voluntati; vnde dicitur ipſe Deus, velle vnam creaturam propter aliam, & non ſolùm ipſa creatura ſecundum ſe eſſe propter aliam; & S. Thomas hîc in fine corporis ait, *Vult ea, quæ ſunt ad finem, ordinari in finem*, & non dixit præciſè, ea, quæ ſunt ad finem, ordinari in finem: ergo hunc ordinem medij, & finis, habere debent res aliquo modo etiam reſpectu ipſiuſmet diuinæ voluntatis.

7.
*Creatura eſt ratio finalis purè terminatiua diuinæ voluntatis.*
*In quo ſenſu creatura à S. Thoma dicatur finalis ratio diuinæ voluntatis.*

Supereſt igitur vt ſignificet ſextò rationem finalem, purè; ac ſimpliciter terminatiuam diuinæ voluntatis; ita vt ſenſus ſit, quia diuina voluntas terminatur ad vnum, ideo terminatur ad aliud, vt hoc alio ſit, & habeatur illud vnum. Hic ſenſus probatus remanet ex aliorum omnium impugnatione. Iuxta illum intelligo S. Thomam 1. contra Gent. cap. 86. nam probans, diuinæ voluntatis aſſignari poſſe aliquam finalem rationem, non cauſam, explicat, huiuſmodi rationem non ſolùm eſſe diuinam eſſentiam reſpectu omnium creaturarum, ſed etiam vnam creaturam reſpectu alterius. Nam numero ſecundo ita concludit, *Relinquitur igitur, quòd bonum vniuerſi ſit ratio quare Deus vult vnumquodque bonum particulare in vniuerſo.* & num. 3. loquens de creaturis inter ſe comparatis, & non ſolùm cum diuina eſſentia, vniuerſaliter ait, *Ratio igitur quare Deus vult ea, quæ requiruntur ad vnumquodque, eſt vt ſit illud, ad quod requiritur.* Quòd autem iſta ratio finalis diuerſo modo ſe habeat reſpectu bonitatis increatæ, & reſpectu bonitatis creatæ, ibidem incidat, dum ita diſtinguit, *Deus vult hominem habere rationem, ad hoc, vt homo ſit: vult autem hominem eſſe, ad hoc, quòd completio vniuerſi ſit: vult autem bonum vniuerſi eſſe, ad hoc, quod habeat bonitatem ipſius.* Bonum increatum eſt ratio finalis obiectiua, & adæquata, & in eſſendo diuinæ voluntatis, ac proinde motiua: bonum verò creatum eſt eiuſdem ratio finalis ſecundum puram rationem terminandi. Item bonum increatum eſt ratio terminatiua, finalis ſimpliciter, quia Deus ita vult creaturas propter ſe, vt non velit ſeipſum propter aliud, ſed ſolùm gratia ſui ipſius: bonum autem creatum eſt ratio terminatiua, finalis ſecundum quid; quia diuina voluntas ita terminatur ad vnum bonum creatum propter aliud, vt non ſiſtat in hoc alio, ſed ad hoc ipſum actualiter terminetur propter ſe. Hanc eamdem terminatiuam rationem, ſeu cauſam ſignificat cap. ſequenti 87. his verbis, *Aliorum à Deo volitorum nullum eſt Deo cauſa volendi, ſed vnum eorum eſt alteri cauſa, vt ordinem habeat ad diuinam voluntatem: & ſic intelligitur Deus propter vnum eorum, aliud velle.* Hic ordo non poteſt eſſe alius niſi ſimplicis terminationis, vt interpretatur Ferrarienſis 1. contra Gent. cap. 86. initio, ita vt, hoc eſſe volitum à Deo, ſeu, fuiſſe extrinſecum terminum efficacis Dei voluntatis, ſit cauſa vt aliud etiam ſit volitum à Deo: quem ſenſum ſignificat Durandus 1. d. 41. quæſt. 2. num. 5.

Ferrarienſis.

Durandus.

8.
*Vna creatura eſt ratio finalis terminatiua, propter quam diuina volũtas actiuè terminetur ad aliã.*

Hinc rectè colligunt Vazquez hîc, diſp. 83. à num. 3. & Arrubal diſp. 57. à num. 8. quamuis contradicat Gonzalez diſp. 55. ſect. 1. cui fauent Bagnes, & Zumel hîc, vnam creaturam eſſe rationem propter quam non ſolùm alia creatura paſſiuè terminet voluntatem diuinam, ſed etiam ipſa voluntas diuina actiuè terminetur ad aliam creaturam. Quem ſecundum ſenſum actiuum clarè exprimunt verba Alberti 1. diſt. 45. artic. 7. *Dicendum, quòd nec in præſcientia, nec extra præſcientiam, voluntas Dei habet cauſam aliquam: ſed tamen poteſt habere rationem ad quam terminatur voluntas ſecundum actum.* & videtur ſequi Nazarius hîc, controuerſ. 2. in reſolutione, & concluſ. 5. Et quamuis citata verba S. Thomæ magis directè exprimant primum ſenſum paſſiuum ex parte obiectorum volitorum, quàm ſecundum actiuum ex parte Dei volentis; tamen hunc non excludunt, ſed neceſſariò includunt: cum neque in re eſſe, neque mente concipi poſſit, hoc terminare diuinam voluntatem, & diuinam voluntatem non terminari ad hoc: neque plus eſt hoc, quàm illud; ſed eadem omnino extrinſeca terminatio eſt, quæ ſi concipiatur vt eſt creaturæ à Deo, dicitur paſſiua; vt eſt Dei ad creaturam, dicitur actiua. Ergo ſi conceditur, quòd vna creatura eſt ratio finalis terminatiua, propter quam alia creatura fiat à Deo, ſeu terminet diuinam voluntatem volentem illam facere, fruſtrà negatur, quòd vna creatura eſt ratio finalis terminatiua, propter quam Deus aliam creaturam faciat, ſeu diuina voluntas terminetur ad aliam creaturam faciendam.

Ita Vazq. Arrubal, Albertus, Nazarius. Contra Gõzalez, Bagnes, Zumel.

*Caietanum non eſſe contrarium.*

Neque verè contrarium ſentit Caietanus hîc, §. *Ad euidentiam.* nam concedit iſtam propoſitionem, *Hoc eſt volitum à Deo, propter hoc aliud volitum ab eodem:* quam poſtea ita clarius explicat, *Non ſolùm, hominem eſſe, cauſatur in genere cauſæ finalis ex vniuerſi perfectione; ſed etiam, hominem eſſe volitum à Deo, cauſatur ex hoc, quòd vniuerſum eſt volitum à Deo.* Cum verò addit, non valere in hac materia argumentari à paſſiuo ad actiuum; non facit vim in terminatione extrinſeca, paſſiua, & actiua, imò vtramque conceſſiſſe videtur in prædicta propoſitione; ſed ſolùm vim facit in obiecto volito, quod paſſiuè producitur à Deo, & in ipſa diuina voluntate, quæ eſt actiua cauſa voliti. Hoc non obſcurè ſignificat illis verbis, *Si inſtetur à paſſiua ad actiuam, volitum cauſatur à volito, ergo velle cauſatur à velle; negandus eſt proceſſus:* quia, inquit, paſſiuum non æquatur actiuo, cum vnum ſit velle, & plura volita, ſiue vna actio, & multæ paſſiones. Et ſtatim prædictam propoſitionem probat, *Quoniam non ponit dependentiam volitionis*

*ex parte actus, ſed ex parte voliti.* Negat autem hanc, Deus vult hoc, quia vult illud aliud: *quoniam*, inquit, *dependentiam ſignificat ex parte actus.* Semper igitur Caietanus negat, creaturam eſſe rationem finalem diuinæ voluntatis quoad intrinſecam actus perfectionem, & non quoad actiuam, & extrinſecam actus terminationem, de qua nos loquimur: & in eodem ſenſu concludit S. Thomas hîc in fine corporis, *vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.* In prima propoſitione affirmatiua illud, *propter*, ſignificat terminationem extrinſecam obiectiuam; & ſenſus eſt, quia diuina voluntas terminata extrinſecè eſt ad hoc obiectum, quod habet rationem finis, ideo finaliter propter hanc terminationem, terminatur ad hoc aliud obiectum, quod habet rationem medij. In ſecunda propoſitione negatiua illud, *propter*, ſignificat intrinſecum actum diuinæ voluntatis; & ſenſus eſt, vt patet ex contextu totius præcedentis diſcurſus, iuxta expoſitionem traditam ſupra num. 2. In Deo propter vnum actum, quo vult hoc vnum obiectum, non poteſt eſſe, nec rectè concipi alius actus, quo velit hoc aliud obiectum: alioquin ipſemet S. Thomas verbis citatis num. 7. fin. aſſignauit aliquem alium bonum ſenſum, quo dici poſſet, *Deus propter vnum, aliud velle.*

*Neq. S. Thomam.*

9\. Obiicies ex Gonzalez ſupra, primò, quia ex S. Thoma, cum particula, *propter*, ſe tenet ex parte actus, dici non poteſt Deus velle vnum propter aliud: *Sed actiua terminatio non ſe tenet ex parte obiectorum, ſed ex parte actus. ergo.*

*Obijcitur ex Gōzalez primò.*

Reſpondeo diſtinguendo minorem. Actiua terminatio ſe tenet ex parte actus, effectiuè, non ſubiectiuè; hoc eſt, eſt aliquid à diuina voluntate, non eſt autem aliquid in diuina voluntate. Creatura igitur non poteſt eſſe finalis ratio vt aliquid ſit in diuina voluntate, & in hoc ſenſu loquuntur S. Thomas, & Alenſis ſupra, & alij omnes; bene tamen poteſt eſſe finalis ratio vt aliquid ſit à diuina voluntate. Quare iſta actiua terminatio tenet ſe ex parte obiectorum, non quomodocumque, ſed ſubiectiuè tantùm; nam effectiuè, vt dixi, tenet ſe etiam ex parte actus diuinæ voluntatis.

*Reſpondetur actiuam terminationem tenere ſe ex parte Dei, & creaturæ diuerſo modo.*

10\. Obiicies ſecundò ex eodem, Imperfectionis eſt, duplici actu terminari ad finem: ergo etiam duplici terminatione actiua. Explicat, & confirmat idem. Quia actiua terminatio eſt omnino inſeparabilis à diuino velle: *Ergo non poteſt dici, Deum velle hoc propter illud, quia ad hoc propter illud actiuè terminetur, niſi ſimul cum illa actiua terminatione intret ipſum velle: ergo cum diuinum velle vnicum, & idem neceſſariò ſit, non poteſt dici, ſic quoad terminationem, cauſam habere, vt dicatur, Deum velle hoc, quia vult illud.*

*Obijcitur ſecundò.*

Reſpondetur, negando conſequentiam. Ad perfectionem diuini velle ſatis eſt, vt vnum, atque idem ſimpliciſſimè ſemper in ſe ſit. Quòd autem vna etiam ſit actiua terminatio, id quidem neque neceſſarium, neque poſſibile eſt. Non neceſſarium, quia hæc actiua terminatio non eſt in Deo formaliter, ſed à Deo effectiuè; non eſt autem neceſſarium, vt quæ à Deo ſunt, vnum ſint. Non poſſibile, quia cum terminatio actiua non ſit aliud niſi ipſummet diuinum velle, vt abſque vlla ſua mutatione, & additione, volens, ſeu cauſans hoc, & illud, & aliud, quæ à parte rei plura ſunt, eſt planè impoſſibile, plura eſſe volita, & nihilominus vnam eſſe terminationem voliti. Hæc igitur terminatio actiua nihil addit intrinſecum ex parte actus, vt fortaſſe putat arguens, ſed ſolùm extrinſecum ex parte obiecti; ergo quot ſunt obiecta, tot eſſe debent actiuæ, & paſſiuæ terminationes.

*Reſpondetur, plures actiuas terminationes non eſſe contra perfectionem diuinæ voluntatis.*

*Quid ſit, diuinam volūtatem actiuè terminari ad creaturam.*

11\. Ad confirmationem concedo antecedens, & primam conſequentiam. Secunda etiam conſequentia, provt proponitur ab arguente, poteſt concedi, quia nos non contendimus veram eſſe illam propoſitionem, quam quarto loco proponit, & bene negat Caietanus ſupra, *Deus vult hoc, quia vult aliud*; ſed hanc aliam tertio loco ab eodem Caietano conceſſam, *Hoc eſt volitum à Deo propter hoc aliud volitum ab eodem.* Quæ duæ propoſitiones differunt, quia in illa explicitè, & per ſe ponitur duplex *velle*; in hac autem ponitur duplex *volitum*: ſed *volitum*, non tam ſignificat voluntatem diuinam, quàm ipſam rem, circa quam voluntas diuina fertur; & *velle*, abſolutè prolatum, vel ſolum, vel magis principaliter, ac directè ſignificat ipſum actum diuinæ voluntatis: ergo illa magis ſignificat rationem intrinſecam, & formalem ex parte actus in ſe; hæc verò rationem extrinſecam, & terminatiuam ex parte actus per habitudinem ad obiecta extra ſe. Verùm ſi ſecunda conſequentia, provt deberet proponi contra noſtram opinionem, ita deducatur, *ergo dici non poteſt, Deus vult hoc propter aliud*, eſt neganda. Quod ſi contendas, ex inſeparabilitate actiuæ terminationis à diuino velle, ſequi neceſſariò, duplicata actiua terminatione eſſe pariter duplicandum ipſum velle, ac proinde eſſe concedendam iſtam propoſitionem, quam cum Caietano falſam eſſe putamus, *Deus vult hoc, quia vult illud*, nego ſequelam, primò, afferendo inſtantiam ad hominem, quia arguens tenet in ſua ſecunda concluſione, *Ratione terminationis paſſiuæ, rectè dici poſſe, vnum volitum eſſe propter aliud*; terminatio autem, etiam paſſiua, eſt prorſus inſeparabilis à diuino velle, à quo eſſentialiter pendet. Secundò, afferendo rationem à priori vtriuſque terminationis, quia velle diuinum reſpectu terminationum, quæ ab ipſo ſeparari nequeunt, ſe habet vt cauſa reſpectu effectuum: ab vna autem cauſa, præſertim infinitæ perfectionis, ac virtutis, qualis cauſa eſt, diuina voluntas, plures effectus prouenire poſſunt: ergo non ſequitur, quòd ſi terminatio eſt duplex, velle etiam eſſe debeat duplex. Quamquam eadem propoſitio, cum duplici velle, legitur apud Riccardum 1. d. 45. art. 2. q. 4. circa principium corporis. *Deus vult me ſaluandū, quia vult quod decedam in finali gratia; & è conuerſo.* Sed eſt accipienda in bono ſenſu de duplici terminatione, non de duplici actu. Et ſimiles propoſitiones non eſſe damnandas, ſed piè exponendas, notat Caietanus circa finem huius articuli: & ſequuntur Bagnes, Zumel, & Molina hîc.

*Malè dicitur, Deus vult hoc, quia vult illud. Bene dicitur, hoc eſt volitū à Deo propter aliud volitum ab eodem.*

*Duplex terminatio diuinæ voluntatis non infert duplex velle.*

Riccard.

---

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm voluntas Dei ſemper impleatur.*

### Ad ſextum ſic proceditur. Videtur quod voluntas Dei non, &c.

IN hoc articulo habemus duas concluſiones, alteram de quadam voluntate, quæ ſemper impletur; alteram de quadam alia voluntate, quæ non impletur. In quibus fieri poteſt difficultas tum de re ipſa, tum de modo loquendi. Dicam prius, & fuſius de rebus; poſterius, & breuius de vocibus.

DVBI



## DVBITATIO I.

*Quid in hac materia de re ipſa ſentiendum ſit.*

### SVMMA.

1 *Semper impleri voluntatem abſolutam. n. 1. & 2.*
2 *Dari voluntatem beneplaciti conditionatam, quæ non ſemper impletur. num. 3. ad 10.*
3 *Latè exponitur illud Pauli 1. ad Tim. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. num. 6. ad 10.*
4 *Soluuntur argumenta Gonzalez contra Molinam, Vazquez, Suarez. num. 10. ad 14.*

1\. PRima concluſio. Neceſſe eſt ſemper impleri voluntatem Dei abſolutam, & ſimpliciter; qua ſcilicet Deus efficaciter, & omnino vult, aliquid abſolutè eſſe, vel non eſſe, eſt ſine dubio de fide. Nam omnes Sancti, & Scholaſtici, moti manifeſtis locis ſcripturæ, docent, omnem Dei voluntatem, vel ſaltem aliquam ſemper impleri. Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Pſ. 113. & 134. *Omnia, quæcumque voluit, fecit.* & Gen. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* & Eſther 13. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſraël.* & ad Rom. 9. *Voluntati eius quis reſiſtit?* & ad Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* & Sap. 11. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* Hæ autem authoritates ſunt neceſſariò intelligendæ, ſaltem de voluntate, qua Deus omnino vult, vt aliquid ponatur, vel non ponatur realiter in executione; & à S. Th. hîc, ad primum dicitur, *voluntas abſoluta, qua ſimpliciter volumus:* cum nulla alia voluntas fingi poſſit maioris virtutis, & efficaciæ.

*Prima concluſio affirmatiua de volūtate abſoluta.*

Iſaiæ 46. Pſalm. 113. & 134. Geneſ. 50. Eſther 13. Ad Rom. 9. Ad Epheſ. 1. Sap. 11.

2\. Ratio S. Thomæ ducitur ex eo, quòd vt ex ſuperioribus conſtat, Deus ſit primum, & vniuerſaliſſimum agens per intellectum, & voluntatem: ergo nunquam poteſt contingere, vt non fiat aliquid, quod Deus efficaciter vult fieri; vel vt fiat aliquid, quod Deus efficaciter vult non fieri. Probat conſequentiam exemplo primæ, & vniuerſaliſſimę formæ, quæ eſt ens: ſicut enim implicat, eſſe aliquid in rebus, & non eſſe ens, quia ratio entis eſt quædam forma vniuerſalis, *à qua nihil deficere poteſt*; ita pariter implicat, fieri aliquid in rebus, & non fieri à diuina voluntate, quæ eſt cauſa efficiens vniuerſalis, *ſub qua omnes particulares cauſæ comprehenduntur.* Qua paritate probatur, nihil fieri quod diuina voluntas non velit fieri. Sed vt probetur etiam, ſemper fieri quicquid voluntas diuina fieri vult, quod maximè ſpectat ad veritatem huius primæ concluſionis, addendum eſt, id quoque euidentius deduci ex ratione primæ cauſæ: nam ſi non fieret, quod fieri non implicat, & Deus efficaciter fieri vult, vel eſſet impedimentum ex parte ipſiuſmet primæ cauſæ, vel ex parte alicuius cauſæ ſecundæ. Non primum, quia ſupponimus, Deum & poſſe, &, quantum eſt ex ſe, efficaciter velle. Non ſecūdum, quia omnes cauſæ ſecundæ ſunt eſſentialiter dependentes à cauſa prima, & in fieri, & in conſeruari, & in operari; ergo non poſſunt irritare efficacem voluntatem, & potentiam primæ cauſæ: alioquin ipſæ eſſent ſuperiores prima cauſa, & hæc ab illis penderet in operando. Probari etiam poteſt hoc ſecundum euidenti ratione, ducta ex diuina omnipotentia, quæ eſt infinitè maior omnibus potentiis creatis, etiam ſimul ſumptis: ergo nulla ratione impediri poteſt Deus, vt, ſi velit facere aliquid, non ſequatur effectus: ſi enim impediretur, non poſſet facere omne, quod vult, & quo modo vult, ac proinde non eſſet omnipotens. Et ita arguunt Ægidius 1. d. 47. quæſt. 1. initio corporis, Riccardus quæſt. 1. corp. Scotus d. 46. quæſt. vnica, corp. Ochamus quæſt. 1. initio corporis, Rubionenſis quæſt. 1. art. 1. concl. 1. Marſilius quæſt. 45. art. 1. fin. ex Auguſtino in Enchirid. cap. 103. *Rogandus eſt, vt velit; quia neceſſe eſt fieri, ſi ipſe velit. Non eſt enim credendus omnipotens aliquid voluiſſe fieri, quod factum non ſit.* & clarius antea in cap. 96. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt; nec voluntate cuiuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

*Exponitur ratio articuli.*

*Additur rationi articuli.*

*Alia ratio ducta ex omnipotentia eſt Auguſtini, Ægidij, Riccardi, Ochami, Rubionēſis, Marſilij.*

3\. Secunda concluſio. Eſt in Deo formaliter, ac propriè aliqua alia libera voluntas beneplaciti, quæ non impletur. Ita expreſsè S. Thomas hîc ad primum, à quo hæc voluntas vocatur, *voluntas ſecundum quid*, quæ, inquit, *magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas*; & velleitas appellatur etiam à Bonauentura 1. d. 46. art. 1. quæſt. 1. num. 12. Dur. d. 47. quæſt. 1. num. 5. vnde à multis rectè dici conſueuit, voluntas conditionata, vt à S. Thoma 1. d. 46. quæſt. 1. art. 1. ad 2. Ægidio q. 1. ad 3. Bonau. ſupra; vel inefficax, vel ſimplicis complacentiæ. Sequuntur omnes Thomiſtæ & Interpretes hîc. Prætereа Alenſis 1. p. quæſt. 36. membro 2. §. *Ad illud verò quod dixerunt alij.* Bonauentura 1. d. 46. art. 1. quæſt. 1. circa finem corporis, & in reſponſionibus ad argumenta; licèt oppoſitum etiam vt probabile defendant. Item Durandus 1. d. 46. quæſt. 1. in fine, & multò clarius d. 47. quæſt. 1. num. 5. & 6. Ochamus d. 46. quæſt. 1. in quantum dicit, quòd poteſt impediri non ſolùm voluntas ſigni, ſed etiam voluntas antecedens; & init. teſtatur hanc concluſionem eſſe communem, & alij, quos referam infra, num. 8. contra Scotum 1. d. 46. quæſt. 1. docentem, ſemper impleri voluntatem beneplaciti. Et ideo illud Pauli 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, eſſe intelligendum de voluntate ſigni, non beneplaciti: quæ eſt, inquit Alenſis ſupra, *Reſponſio Magiſtrorum* dicentium, Deum non habuiſſe liberæ voluntatis actum proximè circa ſalutem omnium, etiam non prædeſtinatorum, ſed tantùm circa præcepta, conſilia, & alia media ſalutis. Quos ſequuntur Maior 1. d. 45. quæſt. vnica. Marſilius quæſt. 45. art. 1. Caietanus in locum ad Timotheum. Driedo de Concordia liberi arbitrij, 1. part. quæſt. 4. initio ad 2. Ariminenſis 1. d. 46. quæſt. 1. art. 1. ad 3. Bagnes hîc, concl. 2. licet noſtram etiam concluſionem probabiliter defendat. Quem ferè ad verbum ſequitur Zumel hîc, d. 2. & Trigoſius in Bonauenturam 1. part. quæſt. 14. art. 1. dub. 2. concl. 2.

*Secunda concluſio negatiua de voluntate beneplaciti conditionata.*

Eſt S. Thom. Alenſis, Bonauent. Durand. Ocham. Contra Scotum, Maiorem, Marſilium, Driedonem, Ariminenſ. Bagnes, Zumel, Trigoſium.

4\. Probatio concluſionis potiſſimum fundatur in eo, quòd tum ratione, tum authoritate certum eſt, dari in Deo aliquam veram, ac propriam voluntatem liberam de ſalute omnium hominum, etiam damnatorum, & non prædeſtinatorum, quæ ſine dubio non impletur. Ratio ſit, quia hic actus, *Volo, quantum eſt ex me, omnes homines ſaluare, ſi omnibus applicata fuerint remedia, ad ſalutem neceſſaria*, nullam in ſe imperfectionem continet, quia conditio non ſe tenet ex parte voluntatis, quæ ſecundum ſe eſt abſoluta quoad exiſtentiam actus, ſed ſolùm ex parte obiecti, quod actu quidem abſoluto amatur, ſed ſub conditione in re extra actum: vnde S. Thomas 1. d. 46. q. 1. art. 1. ad 2. *Voluntas*, inquit, *antecedens poteſt dici conditionata; nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis diuinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantijs, quæ exigūtur ad rectum ordinem in ſalutem.* Similiter inefficacia non oritur ex impotentia, ac defectu voluntatis,

*Fundamentū ſumitur ex volūtate Dei vera, ac propria de omnium ſalute.*

S. Thomas.

luntatis, quæ hoc ipſum, quod, propter ſuam libertatem, inefficaciter vult, poſſet, ſi liberet, velle efficaciter; ſed ex defectu conditionis, quæ non impletur. Præterea idem actus multum exaltat altitudinem diuitiarum diuinæ gratiæ, ac miſericordiæ; imò neceſſariò colligitur ex mediis, quæ non ſolùm prædeſtinatis, ſed etiam reprobis dare voluit Deus ad obtinendum ſalutis finem; nam & omnes Angelos creauit in gratia; & omnes homines, ſaltem in Adamo, habuerunt ſufficientiſſima media ad ſalutem: qui autem vult dare media, vt formaliter media ad finem conſequendum, ipſum quoque finem aliquo modo velit neceſſe eſt. Præſertim cum omnes Catholici fateamur, omnes, & ſingulos homines fuiſſe à Deo creatos propter finem vitæ æternæ: quod non eſt intelligibile abſque vlla intrinſeca voluntate circa vitam æternam; vt rectè notauit Molina hîc, d. 1. §. *Eadem ſententia.* Molina.

5. *Prædicta Dei voluntas de omnium ſalute, probatur ex Proſpero.*

Hanc rationem, atque adeo rem ipſam apertè tradidiſſe videtur S. Proſper l. ad capitula Gallorum, ſententia octaua initio, his verbis, *Qui dicit, quòd non omnes velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur, quàm loquendum eſt de altitudine gratiæ Dei, qui & omnes vult ſaluos fieri, atque in agnitionem venire veritatis, & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos prædeſtinauit.* Expreſsè loquitur de voluntate ſalutis omnium, tam prædeſtinatorum, quàm non prædeſtinatorum. & cum voluntas circa prædeſtinatos ſit beneplaciti, indicat eamdem eſſe circa non prædeſtinatos: alioqui ſi erga non prędeſtinatos nullus in diuina voluntate formalis, & proprius actus ponatur, quo aliqua ratione, ſaltem conditionata, & inefficaci, propédeat, & inclinet in eorum ſalutem, ſed ſolùm res aliqua externa, quæ inter homines eſſe ſolet ſignum internæ voluntatis, & vocatur voluntas ſigni, eſſet etiam nimis ampla differentia, ac dura ſententia; quam duritiem vitare intendit Proſper, tamquam minus conſonam altitudini gratiæ Dei: ex qua voluntas orta, non poteſt eſſe voluntas niſi libera. & lib. 2. de vocatione gentium, quem, vt patet ex illius initio, ad hanc ipſam veritatem gentibus perſuadendam, ſcripſit, poſt medium capitis primi ita habet, *Cur non omnes ſaluet, qui omnes vult ſaluos fieri, non oportere diſquiri, quoniam cognoſci non poteſt, ſed ſecura, ac tranquilla fide prædicabitur, & credetur.* Apertè loquitur de voluntate ſaluandi omnes, etiam qui non ſaluantur. Et ſi non eſſet verè, ac propriè voluntas beneplaciti, non bene diceretur incognoſcibile, velle ſaluare, & deinde non ſaluare; quia Deum non ſaluare, quos ſaluare non voluit, nullam habet difficultatem. Et eam veritatem adeo certam eſſe putat, vt doceat eſſe fide credendam. & poſtea in cap. 19. ait, *Illud de bonitate Dei pijſſimè creditur, quòd velit omnes ſaluos fieri.* Hanc beneplaciti voluntatem refert ad infinitatem diuinæ bonitatis, ſicut ſupra ad altitudinem gratiæ Dei. & cáp. 25. initio, *Siue nouiſſima contemplentur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter, & piè creditur, omnes homines ſaluos fieri, Deum velle, ſempérque voluiſſe. Et hoc non aliunde monſtratur, quàm de ijs beneficijs, quæ vniuerſis generationibus communiter, atque indifferenter impendit.* Manifeſtè aſſignat vltimam partem rationis noſtræ in fine numeri præcedentis.

6. Authoritas ſumitur ex verbis Pauli 1. ad Tim. 2. *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quæ verba videntur omnino intelligenda de voluntate beneplaciti, & de omnibus ſimpliciter hominibus, ac proinde de ſingulis. Primò, quia ita intelligunt Proſper ſupra, & ad obiectiones Vincentianas, reſponſione ſecunda.

*Exponitur fusè locus 1. ad Tim. 2. cũ* Proſpero,

Chryſoſtomus hom. 7. in primam epiſtolam ad Timotheum, exponens prædicta verba, vbi inter alia ita habet, *Imitare Deum tuum: ſi omnes ille vult ſaluos fieri, meritò pro omnibus oportet orare.* Nam, vt addit hom. 1. in epiſtolam ad Epheſ. in illa verba, *ſecundum propoſitum voluntatis. Ex noſtris nihil aliud cupit, quàm noſtram ſalutem:* quam, inquit paulò antè, *valdè cupit, valdè deſiderat.* & Ambroſius in citata verba ad Timotheum, vbi cum interrogaſſet, *Si Deus omnipotens omnes homines ſaluos vult fieri, cur non impletur eius voluntas?* clarè reſpondet ad noſtrum propoſitum, quia, inquit, *conditio latet. Vult enim Deus omnes ſaluos fieri, ſed, ſi accedant ad eum. Non enim ſic vult, vt nolentes ſaluentur: ſed vult, illos ſaluari, ſi & ipſi velint.* Quare cum Alenſis 1. part. quæſt. 36. membr. 2. poſt medium aſſerens cum aliis, dictum Pauli *eſſe intelligendum de voluntate conditionali, non de voluntate abſoluta,* ita limitat. *Sed conditio talis non debet apponi, vult omnes homines ſaluos fieri, ſi ipſi volunt; propter paruulos: ſed debet apponi, vult omnes homines ſaluos fieri, quantum in ſe eſt:* poteſt pro Ambroſio reſponderi, vel cum Proſpero lib. 2. de vocatione gentium cap. 23. initio, vbi docet, *Quòd iſti paucorum dierum homines, ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus, qua vtique ſi benè eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur;* vnde de infantibus etiam dici poteſt, Deus vult eos ſaluari, *ſi ipſi velint,* non quidem in ſe, ſed in parentibus ſuis. Vel, quoniam multi infantes, qui in matris vtero moriuntur, ſaluari nequeunt, etiamſi vellent parentes, dicendo, Deum voluiſſe ſaluare iſtos etiam infantes, *ſi ipſi velint,* tamen non in propria voluntate, ſed in voluntate Adami, in qua omnium poſterorum voluntates poſitæ fuerunt ad ſalutem conſequendam. Quæ omnia rectè, ac latè explicat Fonſeca 6. Metaph. cap. 3. quæſt. 5. ſect. 4. ad 2.

Chryſoſt. Ambroſio, Alenſi,

*Quo modò ſaluari poſſint etiã infantes.*

Fonſeca,

7. Præterea Hieronymus in illa verba ad Epheſ. 1. *ſecundum propoſitum eius, qui vniuerſa operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ,* ſic habet. *Vult ea, quæcumque ſunt plena rationis, atque conſilij, vult ſaluare; & in agnitionem veritatis venire: ſed quia nullus abſque propria voluntate ſaluatur, (liberi enim arbitrij ſumus) vult nos bonum velle, vt cum voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum implere conſilium.* Quibus verbis ſatis clarè exprimitur voluntas beneplaciti vniuerſaliſſima, ſed conditionata. Et grauiſſimè, ac diſertiſſimè Clemens Romanus lib. 2. conſtitutionum Apoſt. cap. 59. cum diſtinctè docuiſſet, Deum omni tempore omnes ſaluare voluiſſe, ſic addit, *Nos ergo, qui digni facti ſumus, vt eſſemus teſtes aduentus ipſius cum Iacobo fratre Domini, & alijs ſeptuaginta duobus, & ſeptem Diaconis eius, ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti audiuimus, & perfectè ſcientes dicimus, quæ ſit voluntas Dei bona, placens, & perfecta, per Ieſum Chriſtum nobis demonſtrata, vt nullus intereat, ſed vniuerſi homines vnanimi ſententia credentes ei, & vnanimem laudem ferentes in eum, viuant in æternum.* Voluntas, qua Deus omnes planè ſaluare vult, apertè dicitur, *placens, & perfecta,* nimirum, quantum eſt ex parte Dei: in multis enim non perficitur, ex defectu ipſorum. Ipſe etiam Auguſtinus quamuis alibi tradiderit duas alias prædictorum verborum expoſitiones, quas ſequuti ſunt Fulgenſius lib. de Incarnatione cap. 31. initio. Beda, & Anſelmus in illum locum Pauli; & vt probabiles refert S. Thomas hîc ad primum concedentes, Paulum loqui de voluntate beneplaciti, quæ impletur; negantes autem loqui de omnibus, & ſingulis hominibus, ſed vel de omnibus hominibus prædeſtinatis,

Hieronymo, Clemente.

*Aliæ duæ expoſitiones Auguſtini, Fulgẽtij, Bedæ, Anſelmi, S. Thomæ.*



natis, qui ſaluantur; vel de quolibet ſtatu hominum, maribus, & fœminis, Iudæis, & Gentilibus, paruis, & magnis; ex quibus omnibus ſtatibus aliqui ſaluantur, ſed non omnes de ſingulis ſtatibus: tamen alibi expoſuit de omnibus ſimpliciter. Nam l. de ſpiritu, & littera, cap. 33. aliquantò poſt principium ait, *Vult Deus omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo bene, vel malè vtentes, iuſtiſſimè iudicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, ſed voluntas Dei ſemper inuicta eſt: vinceretur autem ſi poſſent euadere pœnam, quam de talibus contemptoribus ille conſtituit.* Clarè loquitur tam de bonis, quàm de malis; tam de iis, qui ſaluantur, quàm de iis, qui puniuntur, & damnantur. Præterea ſi generalis voluntas damnandi, eſt voluntas beneplaciti, & conditionata, ſub conditione, *ſi ipſi repugnent;* ergo pariter, generalis volũtas ſaluandi, erit beneplaciti, & conditionalis, ſub contraria cõditione, *ſi ipſi non repugnent.*

*Prima expoſitio traditur etiam ab* Auguſt.

8. Eamdem expoſitionem tradit Damaſcen. quam tertio, & vltimo loco S. Thomas hîc ad primum refert, & fuſius explicat, ac proinde præferre videtur primis duabus Auguſtini expoſitionibus, & ſequuntur alij Theologi communiter. Idem S. Thomas in ea verba ad Timotheum. Alenſis, & Bonauentura ſupra num. 3. qui probant etiam alias duas Auguſtini interpretationes. Altiſiodorenſis lib. 1. cap. 12. quæſt. 1. initio ſuæ ſolutionis, exponens de *voluntate beneplaciti, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & quantum in ſe eſt.* Albertus 1. d. 46. art. 1. & 1. part. ſummæ, tract. 20. quæſt. 79. artic. 2. quæſt. incidente, in corpore, & partic. 2. citans pro eodem quoſdam antiquos. Ægidius 1. d. 46. q. 1. in corpore, & ad tertium, vbi intelligit de voluntate conditionata. & d. 47. p. 2. quæſt. 1. circa med. corporis. Riccardus d. 46. artic. 1. quæſt. 1. Heruæus quæſt. 1. artic. 1. poſt medium, & art. 2. circa principium, id tribuens *Magiſtris.* & art. 3. ad 1. & d. 47. quæſt. 1. ad 1. dicens quòd velle voluntatis antecedentis, non eſt velle ſimpliciter, ſed velle ſub conditione. & quæſt. 2. §. *Ad cuius euidentiam.* Durandus d. 46. quæſt. 1. ad 2. circa finem, & d. 47. quæſt. 1. n. 5. & 6. Vdalricus apud Carthuſianum d. 46. quæſt. 1. Rubionenſis quæſt. 1. art. 1. & d. 47. quæſt. 1. art. 2. & defendit etiam Maior d. 45. q. vnic. fin. Item Baſſolus d. 47. quæſt. 1. art. 2. Gabriel d. 46. quæſt. 1. art. 1. Corollario 6. & art. 2. concl. 2. & 3. Sotus in cap. 9. ad Rom. circa illa verba, *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram.* Stapletonius ibidem, num. 19. Cordubenſis lib. 1. quæſt. 51. notab. 2. Salmeron in primam epiſtolam ad Timotheum, d. 5. §. *Eſt ergo quædam voluntas.* Molina hîc diſp. 1. & 2. Vazquez d. 83. cap. 2. Suarez tract. 1. lib. 3. cap. 8. num. 5. & 11. & aliis locis, quos ipſe citat. Valentia punct. 2. & 6. §. *Ex hac.* Nazarius hic, controuerſ. 1. Becanus tract. 1. cap. 11. quæſt. 1. à num. 7. Arrubal d. 60. Gonzalez d. 56. Machin d. 44. optimè Iuſtinianus, & Cornelius in hunc Pauli locum.

Damaſcen. S. Thom. Alenſi, Bonauent. Altiſidor. Alberto, Ægidio, Riccardo, Heruæo, Durando, Vdalrico, Rubionenſi, Maiore, Baſſolo, Gabriele, Soto, Stapleton. Corduba, Salmerone, Molina, Vazquez, Suarez, Valentia, Nazario, Becano, Arrubal, Gonzalez, Machin, Iuſtiniano, Cornelio.

9. Secundò rationibus ductis ex textu Pauli. Primò, quia ibi hortatur, *fieri orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt:* quia, inquit, *hoc bonum eſt, & acceptum coram Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri.* Ergo intelligendus eſt Deus velle ſalutem eorum omnium, de quibus omnibus monet Paulus eſſe orandum, &c. qui ſanè omnes ſunt, nemine excepto: quia cum de nullo conſtet, eſſe reprobum, & damnandum, nullius ſalus deſperanda eſt, ſed orationibus adiuuanda. Præterea illa voluntate Deus vult omnium ſalutem, qua vult, & illi acceptũ eſſe dicitur, vt oremus, poſtulemus, & gratias agamus pro omnibus. Sed hæc ſine dubio eſt voluntas beneplaciti, ergo & illa. Sic enim verè arguit Paulus, Acceptum eſt Deo, orari pro omnibus, quia acceptum eſt illi, ſaluari omnes: ergo de iiſdem omnibus, & de eadem acceptatione, ſeu beneplacito eſt accipiendus. Hãc rationem ſignificat Proſper l. ad articulos ſibi falsò impoſitos, reſponſione ad articulum ſecundum, quem librum Gonzalez hîc d. 56. ſect. 1. concl. 5. non rectè tribuit Auguſtino, cum idem omninò ſit cum libro, qui inter Proſperi opera inſcribitur, *Ad capitula obiectionum Vincentianarum reſponſiones.* Inquit igitur Proſper, *Sinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant; ſi quidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſolicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis pijſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* eodemque modo arguit Ægidius ſupra. Secundò, quia Paulus idem ſtatim ſic probat, *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Sed Deus vera, ac propria voluntate beneplaciti voluit mori pro omnibus, & ſingulis, ergo ita etiam voluit omnes ſaluare. Tertiò; ſi Deus Chriſtum redemptorem, Sacramenta, gratiam, & alia media ad ſalutem neceſſaria, dediſſet omnibus hominibus, vt ſignificaret tantùm, ſe velle omnes ſaluare, tamen re vera ipſum nolle omnes ſaluare, profectò minus ſincerè, ac ſeriò, imò etiam fictè, ac ſimulatè, & quaſi dolosè nobiſcum egiſſet. Igitur non eſt intelligendus Paulus de ſola voluntate ſigni: de qua Paulum intelligere, meritò dixit Iuſtinianus ſupra, *vix puto probabile.* Quartò, vniuerſalius loquutus eſt Paulus cùm dixit, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri,* quàm ſi dixiſſet, *Vult omnes homines damnari.* Sed hoc verum eſt de voluntate abſoluta, & de omnibus vel ſecundum *diſtributionem accommodam;* hoc eſt, de omnibus, qui damnantur; vel ſecundum diſtributionem *pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum,* hoc eſt, de omnibus ſtatibus hominum, non de omnibus hominibus ſingulorum ſtatuum, vt dicitur hîc ad primum; ergo illud ampliari diſtributione eſt intelligendum, nempe de omnibus, ac ſingulis, & conſequenter non de voluntate omnino abſoluta, & efficaci, ſed de voluntate conditionata, & ſimplicis complacentiæ. Quintò à contrario. In Deo verè, & formaliter eſt iſta iuſtitiæ voluntas conditionata, qua vult omnes, & ſingulas creaturas intellectuales punire, & damnare, ſi malè fecerint: ergo non minori cum proprietate, atque vniuerſalitate eſſe debet oppoſita miſericordiæ voluntas conditionata, qua velit omnes, & ſingulos ſaluare, ſi benè fecerint. Sed hæ voluntates, ſeu potius, vt, propter conditionem, quam ex parte obiecti includunt, loquitur S. Thom. in fine reſponſionis ad primum, *velleitates,* non ſemper implentur: ergo concluſio affirmatiua huius articuli non poteſt verificari de omni ſimpliciter voluntate beneplaciti, ſed aliqua eſt quæ non impletur, vt dicitur in hac ſecunda concluſione, non ex impotentia, aut inefficacia diuinæ voluntatis, ſed ſolùm ex mera illius libertate, ac ſapientiſſima diſpoſitione. Idémque apertè etiam ſignificat Scriptura aliis in locis, Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non magis vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* & 2. Petr. 3. *Deus patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Vnde Apoc. 3. reſpectu omnium apertè dicitur, *Sto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem*

*Prima expoſitio probatur primò ratione S. Proſperi, & Ægidij.*

*Probatur ſecundò.* *Probatur tertiò.* *Probatur quartò.* *Probatur quintò.*

Ezechiel. 18. 2. Petr. 3. Apoc. 3.

*vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo*, &c.

10. *Gõzalez cõtra Molinã, Suarez, & Vazquez, obijcit primò.*

Obiicies ex Gonzalez hîc, d.56.ſect.2.vbi contra Molinam,Suarez,& Vazquez præferentes tertiam expoſitionem Damaſceni duabus expoſitionibus Auguſtini, arguit primò, *quia non ſolùm D. Thom. ſed alij plures eas admittunt tanquam legitimas, & eaſdem ſequuntur Gloſſæ, interlinealis, & ordinaria.*

*Secundò.*

Secundò,quia eas tradit Auguſtinus in libris, *quorum doctrina eſt à Summis Pontificibus approbata, ita vt ſine temeritate, eius ſententia refutari non poſſit.*

*Tertiò.*

Tertiò,quia *Auguſt. l. ad articulos ſibi falsò impoſitos, art.2. apertè admittit expoſitionem Damaſc. & D.Th.*

*Quartò.*

Quartò, quia *iſti recentiores Theologi, quibus D.Auguſtini expoſitiones non placent,negant,voluntatem Dei abſolutam præſupponi vt requiſitam ad opera meritoria. Et quia D.Auguſtinus in omnibus prædictis expoſitionibus docet oppoſitum, ideo in hac parte Auguſtini doctrinam,tanquam eis contrariam, omninò reyciunt.*

11. *Ad primum declaratur vis expoſitionis Auguſtini 1. ad Tim.2.*

Reſpondeo ad primum, in expoſitionibus Auguſtini eſſe duo conſideranda,& id,quod affirmãt, & id,quod negare videntur. Affirmant,verba Apoſtoli poſſe intelligi de voluntate omninò abſoluta, & efficaci, vi cuius ſaluantur omnes,quotquot ex ſingulis hominum ſtatibus ſalui fiunt. Videntur negare,eſſe intelligenda de voluntate beneplaciti, conditionata, & inefficaci, qua complectatur omnes, etiam qui non ſaluantur. Quoad primum, & à noſtris Theologis, & à reliquis omnibus meritò

Albert.

recipiuntur:& ab Alberto 1.part. ſummæ tract.20. quæſt.79.art.2. quæſt.incidente, partic.2. ad 2. dicuntur *ſolutiones bonæ, & ſufficientes.* Quoad ſecundum, reiiciuntur ferè ab omnibus, etiam ab ipſomet Auguſtino, vt fatetur ipſemet Gonzalez tum in tertio argumento,tum in reſponſione ad 1.& 4. non tamen in illo articulorum libro, quem iterum vt Auguſtini falsò citat Gonzalez, cùm ſit Proſperi, vt ſupra num.9. ſed in alio loco ſupra, num.7. Nullus enim Theologus eſt,qui non recipiat aliam Damaſceni expoſitionem, accipientis Pauli verba vniuerſaliſſimè de omnibus, & ſingulis hominibus:licèt diſcrepent, an ſint accipienda de propria voluntate beneplaciti, an de metaphorica voluntate ſigni.

S.Thomas.

Inter quos S.Thomas hîc ad primum, non ſolùm recipit Damaſceni expoſitionem de beneplacito, & de omnibus ſimpliciter, ſed etiam illam tacitè præfert aliis Auguſtini expoſitionibus, vt expendi ſupra num. 8.

Bonauent.

& Bonauentura 1. d.46.art.1.quæſt.1.circa finem corporis,de expoſitione Damaſceni in comparatione ad expoſitiones Auguſtini,dixit,*Huic reſponſioni magis conſonant magiſtri,quamuis vtraque bona ſit.* & Scotus 1.d.46. quæſt. vnica ad 1. cùm pro Auguſtino dixiſſet, *Quòd dictum Apoſtoli poſſet exponi de diſtributione accommodata pro omnibus;qui ſalui fient*,ſtatim addit, *Tamen multò melius poſſet exponi de voluntate antecedente.*

Albertus.

& Albertus art.1.*Videtur magis dicendum cum Ioanne Damaſceno, quòd Deus vult voluntate antecedente, non conſequente;& vtraque eſt voluntas beneplaciti.*

Ægidius.

Ægidius quæſt.1. *Licèt authoritas Apoſtoli poſſet aliquo modo trahi ad iſtos ſenſus, ſecundùm quos nullam habet calumniam; tamen, ſi ſecundùm quod verba ſonant, & ſecundùm ſeriem litteræ, authoritatem eius exponere volumus, de omnibus hominibus vniuerſaliter authoritas intelligenda videtur.* Hos igitur grauiſſimos Theologos ſequuti ſunt Molina, Suarez, & Vazquez;contra quos propterea Gonzalez fruſtra laborat.

Iuſtinianus.

Vnde optimè dixit Iuſtinianus ſupra, *nonnullos Theologos pro his Auguſtini expoſitionibus acriter pugnare; ſed, vt arbitror, fruſtra: neque enim reprehenduntur quaſi falſam doctrinam contineant, aut Pauli verbis, ſi à reliquo contextu verborum auellantur, aptari non queant, ſed quòd Apoſtolico inſtituto non ſatis cohæreant.* Vnde ipſemet Auguſtinus ſe illis non ſatis acquieſcere ſignificat,& aliter exponendi facultatem dat epiſt. 107. ad Vitalem illis verbis, *& ſi quo alio modo illa Apoſtolica intelligi poſſunt: vt tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſaluos non fieri, contraria eſſe non poſſint.* Solùm igitur in ſuis illis expoſitionibus ſolicitus eſt Auguſtinus, ne dicatur prima gratia,ac ſalus dari ex meritis noſtrarum voluntatum, & operum, ſed tantùm ex gratuita Dei miſericordia. Qua veritate integra remanente, & ſuas interpretationes reiici, & alias probabiliores excogitari, nullum erit inconueniens, ipſomet Auguſtino authore. Vnde in Enchirid.cap.103. de eodem Pauli loco, poſt ſuas expoſitiones, ſic etiam addit. *& quocumque alio modo intelligi poteſt: dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri,factúmque non eſſe.*

12. *Ad ſecundũ agitur, an Auguſtinus aliquãdo negauerit diuinũ beneplacitum de omnium ſalute.*

Ad ſecundum,vt ſaluetur illa Auguſtini authoritas,ſatis eſt dicere,illas expoſitiones, in eo, quod affirmant,eſſe bonas. Non eſt autem neceſſarium, idem dicere de eo, quod negare videntur, nempe, bonam eſſe expoſitionem Damaſceni: quam ipſemet Auguſtinus in l. de ſpiritu, & littera cap. 33. qui eſt inter libros à Summis Pontificibus commendatos, & arguens ipſe, & cæteri omnes recipiunt. An autem hanc expoſitionem,& conſequenter, aliquod diuinæ voluntatis beneplacitum vniuerſaliſſimum de omnium, & ſingulorum hominum ſalute aliquando negauerit Auguſtinus,verti poteſt in dubium.

Proſper.

Nam ex vno capite Proſper in præfatione libri reſponſionum ad capitula Gallorum, præmittit, ſe in toto illo libro reſponſurum obiectionibus Gallorum contra doctrinam Auguſtini, &, vt ait, *in nullo receſſurum à tramite earum definitionum, quæ in ſancti viri diſputationibus continentur: vt quilibet aduertat, quàm iniuſtis opprobrijs catholici prædicatoris memoria carpatur.* Cùm igitur octaua illius libri obiectio ſit, Auguſtinum dixiſſe, *quòd non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum*; & Proſper ſtatim in octaua reſponſione,& deinde in octaua ſententia, oppoſitum planè doceat verbis ſupra num.5. allatis,& expenſis,conſequenter teſtatur, eamdem etiam eſſe Auguſtini doctrinam.

Hilarius. *Poſt medium epiſtolæ.*

Ex alio autem capite cum Hilarius ad Auguſtinum ſcripſiſſet in quadam epiſtola, quæ habetur in operibus Auguſtini ante librum de prædeſtinatione ſanctorum, ipſius expoſitione multos turbatos fuiſſe, Auguſtinus nihil reſpondit in defenſionem illius expoſitionis, ſed aliarum rerum. Quo ſignificat, ſe poſtea minus probaſſe illam expoſitionem,ac doctrinam,& aliquando ad Proſperum,& Hilarium ſcripſiſſe, vt ſequerentur aliam expoſitionem, calumniis minus obuiam, traditam in l.de ſpiritu, & littera cap.33.

Auguſtinus.

Atque huc reſpexiſſe videtur Auguſtinus cùm in fine librorum, quibus ad Hilarium reſpondet, hoc eſt, in fine libri ſecundi de prædeſtinatione ſanctorum, qui eſt de Bono perſeuerantiæ, ait, *Ego cum per eos, qui meos labores legunt, non ſolùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco: & hoc per Eccleſiæ Doctores maximè expecto, ſi & in ipſorum manus venit,dignentúrque noſſe quod ſcribo.*

Hilarius.

Reſpexiſſe quoque videtur Hilarius circa finem citatæ epiſtolæ, dum ait, *libros, cum editi fuerint, quos de vniuerſo opere moliris, quæſo habere mereamur;maximè vt per eorum authoritatem, ſi qua tibi in tuis diſplicent,à dignitate tui nominis iam non trepidi ſequeſtremus.*

13. *Ad tertium, & quartum.*

Ad tertium patet ex dictis. Ad quartum,Auguſt. expoſi



expoſitiones, quæ noſtris Theologis non placent, ne, ipſimet Auguſt.placuiſſe, neq; Proſpero,neque Hilario,neque Damaſc. neque aliis multis Sanctis ſupra num.6.Præterea inſignis falſitas eſt, noſtros Theologos negare voluntatem Dei abſolutam ante opera meritoria abſolutè futura.Negant duntaxat,& optimè negant, præſertim cum Sanctis Auguſtino, & Thoma, vel ipſiſmet inuitis aduerſariis fatentibus, voluntatem Dei abſolutam prædeterminantem, ante opera futura, etiam conditionaliter;vt latiſſimè demonſtraui ſupra q.14.art.13.

## DVBITATIO II.

### *Quo modo loquendum ſit in eadem materia.*

### SVMMA.

1 *Voluntas antecedens non impletur, conſequens impletur.num.14.*

2 *Vtraque voluntas eſt beneplaciti,& de bono tantùm, & cur ita dicantur.num.15.ad 20.*

3 *Voluntas antecedens, eſt reſpectu ſalutis; conſequens, eſt etiam reſpectu damnationis. num.20. ad finem articuli.*

14. *Tertia concluſio.Voluntas, quæ non impletur, dicitur antecedens;quæ impletur, dicitur conſequens.*

Tertia concluſio. Voluntas Dei, quæ non impletur, iuxta ſecundam concluſionem ſupra, à num.3. vocari debet, voluntas antecedens: voluntas verò, quæ ſemper impletur, iuxta primam concluſionem num.1. & 2. vocari debet, voluntas conſequens.Ratio huius concluſionis alia eſſe non poteſt, niſi quia authore Damaſceno lib. 2. fidei, c.29. circa finem, ita loquuntur omnes Theologi.

Damaſcen. Alenſis. Albertus. S.Thomas. Bonauent. Ægidius. Riccardus. Scotus. Ochamus. Heruæus. Durand. Capreol. Vdalricus. Carthuſian. Rubionen. Baſſolus. Maior.

Alenſis 1. part. quæſt. 36. membro 2. Albertus 1. d.46.art.1. & 1.p. ſummæ tract.20. quæſt.79.art.2. quæſt.incidente,in corp.& partic.2. in fine corpor. S.Thomas hîc ad 1. & de Verit. quæſt.23. artic.2. & 1.d.46. quæſt.1.artic.1. Bonau.diſp.46.quæſt.1. Ægidius 1. d. 46. quæſt.1. in corp. & ad 2.& d.47. part.2. quæſt.1. circa med. corp. Riccardus d.46. art.1. quæſt.1. Scotus ibidem ad 1. Ochamus q.1. corp. & ſupra, in §. *Ad quæſtionem*; teſtatur quòd hoc *dicitur communiter*; Heruæus quæſt. 1. artic.1. circa med.& art.2. initio, & art.3. ad 1. Durandus quæſt.1.circa finem, & d.47. quæſt.1. num.5.& 6. Capreolus d.45.quæſt.1.art.2. concl.4. & 5. Vdalricus apud Carthuſianum 1. diſt.46. quæſt.1. ante med. & ipſemet Carthuſianus in fine quæſtionis, Rubionenſis quæſt.1. art.1. & d.47.quæſt.1. art.2. Baſſolus d.47.quæſt.vnica, art.2. & 3. Maior d.46. quæſt.1.art.1. & 2.& poſteriores omnes.

15. *Quarta concluſio.Voluntas antecedẽs,eſt volũtas beneplaciti, non puri ſigni. Concluſionis authores.*

Quarta concluſio. Diuiſio diuinæ voluntatis in antecedentem,& conſequentem,eſt ſubdiuiſio voluntatis beneplaciti. Itaque voluntas, non ſolùm conſequens, quod nemo negat, ſed etiam antecedens, eſt voluntas beneplaciti, non puri ſigni. Eſt communiſſima, Alenſis ſupra, qui idem Damaſceno tribuit. Alberti 1. d.46. art.1. S.Thomæ locis citatis: vnde quæſt.23. de Verit. art.3. circa med. corporis, ait, *Voluntas beneplaciti per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur, vt dictum eſt.* Bonau.1. d.47.art.1.quæſt.1.initio corporis, *Secundùm Ioannem Damaſcenum, voluntas beneplaciti eſt antecedens, ſiue conditionalis;& abſoluta,ſiue conſequens.* Ægidij 1. d.47.part.2.quæſt.1.circa med.corp.Ochami d.46. quæſt.1.§. *Ad quæſtionem*,vbi teſtatur,quòd hoc *dicitur communiter*. Heruæi d.46. quæſt.2. art.1.circa med.corp. Durandi d.47.quæſt.1.num.5. Vdalrici apud Carthuſianum d. 46. q.1. & ipſiuſmet Carthuſiani circa finem quæſtionis.Rubionenſis d.46. quæſt.1.art.1.initio. Baſſoli d.47.quæſt.vnic.art.1. poſt principium,& in fine.Gabrielis d.46.quæſt.1. art. 1. initio, & aliorum ſupra num. 8. & ipſemet Ariminenſis, quem in contrarium cito ſupra n.3. diſtinguit in 1.d.46. quæſt.1. art.1. ante concluſiones, *voluntatem beneplaciti, ſimplicis complacentiæ; & voluntatem beneplaciti, proſequutionis, & fugæ.*

Cõtra Marſilium.

Sed apertè contradicit Marſilius 1. ſentent. quæſt.45. articulo 1.

16. *Quid ſint voluntas beneplaciti, & ſigni.*

Pro declaratione terminorum, ſciendum ex articulo vndecimo infra, quòd *voluntas propriè dicta, vocatur voluntas beneplaciti: voluntas autem metaphoricè dicta, eſt voluntas ſigni; eo quòd ipſum ſignum voluntatis, voluntas dicitur.* Quam diuiſionem omnes Theologi ſupra citati recipiunt, & inter alios benè, & clarè explicant Ariminenſis ſupra, initio articuli,& Baſſolus ibidem. Ipſum igitur velle,quod Deo intrinſecè,& formaliter competit,dicitur voluntas beneplaciti. Aliquod verò externũ ſignum diuini velle, vt præceptum, prohibitio, conſilium, promiſſio, operatio, quæ quinque ſigna numerantur art.12.infra,dicitur voluntas ſigni. Sicut enim quia apud nos punitio eſt ſignum iræ, ipſa punitio nominatur ira, quæ propterea Deo tribuitur metaphoricè: ita quia quædam res externæ inter homines eſſe ſolent ſigna internæ voluntatis, vocantur voluntas; & hæc etiam metaphoricè accommodatur Deo. *Non enim*,inquit Baſſolus, *ſolùm aliquis actus volendi in nobis dicitur voluntas, verùm etiam aliquod ſignum actus volendi; ſicut ſermo, vel verbum,vel ſcriptum,vt epiſtola, vel teſtamentum.*

17. *Concluſionis probationes.*

Probatur concluſio primò ex Damaſceno: etenim, vt ait S.Thomas de Verit. quæſt.2. artic.2. initio corp. *Huius diſtinctionis intellectus ex verbis Damaſceni eſt aſſumendus, qui hanc diſtinctionem introduxit*; is igitur de voluntate antecedente dixit lib.2.cap.29.*Prima præcedens voluntas, & acceptatio:* quæ clarè ſignificãt diuinum beneplacitum intrinſecum in ipſo Deo. Secundò, quia probatum eſt ſupra, Deum velle omnes ſaluos fieri, per proprium,& intrinſecum velle,quod non impletur;& hoc velle, eſſe antecedens. Tertiò, quia hac in re, quæ eſt de modo loquendi, ſtandum eſt communi loquentium Theologorum vſui, pro quo oſtendi eſſe ferè omnes.

18. *Quinta concluſio.Voluntas Dei dicitur antecedens, & conſequens reſpectu creaturarum.*

Quinta concluſio. Dei voluntas dicitur antecedens, & conſequens, non reſpectu ſui,ſed reſpectu volitorum.

S.Thomas. Alenſis. Albertus. Ægid. Riccard. Heruæus. Durand. Capreolus.

Ita S.Thomas hîc ad 1. & 1. d.46. q.1. art.1. initio corporis, & de Verit. quæſt.23. art.2. ad 1.& 8. Alenſis 1. part.quæſt.36.membro 2.ad 1. dubium, Albertus 1.p.ſummæ, tract.20.quæſt.79. art.2.quæſtiunc.incidente, initio corporis,& ad 1. Ægidius 1.d.46. quæſt.1. §. *Aduertendum*; & ad 4. Riccardus quæſt.1. in fine corporis, Heruæus q.2. artic.1. fin. Dur. q.1. ad 2. Capreolus diſt.45. q.1. art.2. concl.4. & alij omnes. Patet, quia ex probatis ſupra, art.1. & 3.voluntas in Deo nihil eſt aliud quàm ſimpliciſſimus, & indiuiſibilis volẽdi actus: ergo antecedens, & conſequens eſſe non poſſunt, vt ait Alenſis ſupra,*in diuina voluntate, reſpectu prioritatis, & poſterioritatis in ipſa, ſed reſpectu prioritatis, & poſterioritatis in nobis.*

19. *Sexta cõcluſio. Voluntas antecedẽs, & conſequens ſunt tantùm de bono.*

Sexta concluſio. Tam voluntas antecedens, quàm voluntas conſequens, eſt boni tantùm, non mali.

Alenſis. Albertus. S.Thomas.

Hoc expreſsè aduertunt Alenſis ſupra,in reſponſione ante dubia, & Albertus 1. d.46. art.1. & diſtinctius loco citato ſummæ, poſt medium corporis, & ad 4.& ſignificat S.Thom.de Verit. q.23. art.2. in fine corporis. *Ipſe defectus peccati, quo aliquis redditur dignus pœna in præſenti,vel in futuro,non eſt volitus à Deo, neque voluntate antecedente, neque conſequente,*

*conſequente, ſed eſt ab eo ſolummodò permiſſus.* Idque Alenſis, & Albertus verè tribuunt Damaſceno ſupra, qui ait, *Mala, & re vera mala, neque antecedenter vult, neque conſequenter vult: ſinit tamen arbitrium ad illa liberum.* Damaſcen. Vbi Damaſcenus loquitur de malis non ſolùm formaliter, hoc eſt, de malitia morali, ſed etiam materialiter, hoc eſt, de actibus, quibus eſt inſeparabiliter annexa malitia. Ad hæc enim mala ſinit Deus liberum arbitrium, quod malum, vt malum, velle non poteſt. Hæc concluſio ſequitur ex concluſione quarta, in qua probatum eſt, vtramque voluntatem antecedentem, & conſequentem, eſſe voluntatem beneplaciti, quam reſpectu peccatorum Deus non habet. Quamuis enim determinatus à libera creatura velit ad actus peccatorum concurrere, tamen circa ipſos actus ſecundùm ſe voluntatem beneplacentiæ habere non poteſt. Sequitur etiam ex mox probandis de voluntate antecedente, & conſequente, quòd ita dicta ſit, ex eo quod Deus vult aliquod bonum, quod ad noſtra opera ſeu meritoria, ſeu demeritoria, ſe habet vel antecedenter, vel conſequenter; ergo diuina voluntas non eſt à Damaſceno dicta antecedens, vel conſequens, vt præcisè terminata ad actus noſtros liberos, ſiue bonos, ſiue malos; ſed vt per ſe terminata ad aliquid aliud, quod prædictos actus vel antecedit, vel conſequitur: hoc autem non poteſt eſſe niſi ſimpliciter bonum.

20. *Septima concluſio. Voluntas dicitur antecedens, reſpectu ſalutis; conſequẽs, reſpectu ſalutis, & dãnationis.*

Septima concluſio. Voluntas Dei, à Theologis ſecundùm diuiſionem Damaſceni, dicta eſt antecedens, ſolùm reſpectu ſummi boni æternæ beatitudinis, quam omnibus vult ante omnia opera abſolutè futura: dicta verò eſt conſequens, tum reſpectu æternæ beatitudinis, tum reſpectu pœnæ æternæ; ex eo quod vel hanc, vel illam omnibus vult poſt præuiſionem operum abſolutè futurorum, bonorum, & malorum. Dixi, *ſecundùm diuiſionem Damaſceni*, quia voluntas Dei alio diuerſo modo dici ſolet antecedens, & conſequens, v.g. voluntas prædeterminans nouorum Thomiſtarum, eſt propriiſſimè, & ſolùm antecedens: quia eſt omnino ante omnia noſtra libera opera futura, tam abſolutè, quàm conditionatè: & tamen hæc non eſt antecedens in ſenſu Damaſceni; quia illa ſemper, & prorſus infallibiliter impletur, & non eſt velleitas, ſeu voluntas conditionata, & ſecundùm quid, & inefficax per modum ſimplicis complacentiæ: quæ omnia affirmantur de voluntate antecedente ſecundùm Damaſcenum. Similiter voluntas prædefiniens prædeſtinationis, ſecundùm veram reliquorum omnium Theologorum opinionem, eſt antecedens opera abſolutè futura, ſed conſequens eadem opera conditionatè futura. Differentia igitur eſt, quia in diuiſione Damaſceni, voluntas dicitur antecedens, & conſequens, vt præcisè terminata ad aliud antecedens, vel conſequens opera; in aliis verò diuiſionibus eaſdem denominationes habet voluntas, vt præcisè terminata ad ipſamet opera, quæ in aliquo ſigno rationis, & ſecundùm aliquam rationem ſunt poſt, vel ante voluntatem Dei. Hæc concluſio non poteſt aliter probari, niſi oſtendendo, hunc eſſe communem præcipuorum Theologorum ſenſum, & ipſiuſmet Damaſceni.

21. *Probatur primò ex Alenſi,*

Primò de Theologis. Alenſis 1. part. quæſt. 36. membro 2. in reſponſione ante dubia, ait, *Secundùm Damaſcenum, dicendum, quòd voluntas beneplaciti, vno modo dicitur reſpectu naturæ rationalis ad beatudinem, quantùm eſt de ſua conditione; & hanc dicit voluntatem antecedentem, qua ſcilicet vult omnes homines ſaluos fieri, quia de voluntate eius eſt, vt de natura conditionis eius ſit homo ordinatus ad beatitudinem.* Non explicat voluntatem antecedentem, niſi per ordinem ad beatitudinem ante opera. Deinde addit, voluntatem beneplaciti conſequentem eſſe illam, *qua non vult omnes ſaluari, niſi ſolùm illos, quorum merita exigunt ſalutem*: ac proinde vult damnari, quorum demerita exigunt damnationem. Voluntatem conſequentem refert ad damnationem, & beatitudinem poſt opera. Magnus Albert. 1. d. 46. art. 1. docet, voluntatem à Damaſceno dici antecedentem, *quia antecedit, & noſtrum conſenſum, & noſtrum opus, qua omnes homines ſaluos fieri voluit.* Terminum voluntatis antecedentis, aſſignat ſalutem; denominationem verò, opera; voluntas enim Dei denominata eſt antecedens, quia vult nobis ſalutẽ ante vlla opera noſtra. & ſtatim addit, *Volũtas autem conſequens, eſt retributionis voluntas, ſiue pro bono, ſiue pro malo.* hoc eſt, terminatur ad retributionem, vel vitæ æternæ pro bonis operibus, vel pœnæ æternæ pro malis operibus. Idem fuſiùs, & clariùs explicat 1. part. ſummæ, tract. 20. quæſt. 79. art. 2. quæſtiunc. incidente, in corpore. vbi docet, voluntatem Dei, dici antecedentem per ordinem ad ſalutem. *Et quia*, inquit, *bonum illius ordinis vult voluntate beneplaciti, & nihil antecedit in nobis, ſed ex ſui ſolius liberali conceſſione accepimus, ideo reſpectu illius eſt voluntas antecedens.* & paulò poſt, *conſequens autem, eſt voluntas boni, in ordine meriti ad retributionem, ſiue beatitudinis, ſiue damnationis, quæ etiam, ſecundùm quod iuſtitiæ opus eſt, reſpicitur à diuina voluntate.* Bonau. 1. d. 46. art. 1. quæſt. 1. circa medium corporis, exponens diuiſionem Damaſceni, ait, *Voluntas antecedens, eſt voluntas reſpectu eius, propter quod Deus hominem fecit, & eſt irrefragabiliter bonorum:* quod eſt ſummum bonum vitæ æternæ. *Voluntas conſequens, eſt voluntas, qua vult aliqua ſecundùm ſcientiam meritorum.* quo modo Deus vult & ſaluare bonos, & damnare malos. S. Thomas 1. d. 46. quæſt. 1. artic. 1. circa med. corp. ait, *Voluntatis antecedentis effectus, eſt ordo naturæ in finem ſalutis.* & in fine corporis, *dicitur voluntas conſequens, eo quod præſupponit præſcientiam operum, non tanquam voluntatis cauſam, ſed quaſi rationem voliti.* & de Verit. quæſt. 23. artic. 2. poſt med. corp. *Illud ad quod Deus creaturam ordinauit, quantùm eſt de ſe, dicitur eſſe volitum ab eo, quaſi prima intentione, ſiue voluntate antecedente.* & ſtatim voluntatem conſequentem, quam vocat, *Quaſi ſecundam intentionem*, explicat per ordinem etiam ad damnationem. Ægidius 1. d. 46. quæſt. 1. cira med. corp. *Voluntas, quæ reſpicit ordinis impoſitionem, ſecundùm quam Deus vult omnes homines ſaluos fieri, dicitur antecedens: voluntas autem, quæ reſpicit executionem, ſecundùm quam non vult, dicitur conſequens.* Baſſolus 1. d. 47. quæſt. vnica, art. 1. circa finem, *Voluntas antecedens, eſt qua Deus vult finem alicui, conſiderando bonum hominis, pro quanto eſt talis naturæ in communi. Sed voluntas conſequens dicitur, qua vult finem alicui, attendendo merita, vel demerita.* Eodem modo, voluntatem antecedentem, eſſe voluntatem beatitudinis antecedenter ad noſtra merita, & voluntatem conſequentem, eſſe voluntatem beatitudinis, vel damnationis, conſequenter ad noſtra merita, vel demerita, explicant Heruæus 1. d. 46. q. 1. art. 1. Dur. quæſt. 1. ad 2. Capreolus d. 45. quæſt. 1. art. 2. concl. 5. Zumel hîc d. 1. interpretat. 3. & communiter alij ſupra citati.

Alberto, Bonauent. S. Thom. Ægidio, Baſſolo, Heruæo, Durando, Capreol. Zumel.

22. *Probatur ſecũdò ex Damaſceno.*

Secundò de Damaſceno ſupra, quia expreſsè docet, voluntatem antecedentem eſſe, qua vult Deus omnes ſaluare; conſequentem verò eſſe, qua vult malos punire. Idque confirmat ratio, quam ad hoc probandum ſtatim affert. *Non enim*, inquit, *ad puniendum nos plaſmauit, ſed vt efficiat nos bonitatis ſuæ participes, vt bonus. Peccantes autem puniri vult, vt iuſtus.* Quam ob cauſam docet, quòd prima voluntas antecedens, *dicitur ex ipſo Deo exiſtens*: ſecunda verò conſequens, *dicitur ex noſtra cauſa exiſtens*, quia nimirum, cum voluntas illa ordinandi omnes ad gloriam, antecedat omnia noſtra opera, nullam ex parte noſtra cauſam, aut rationem habet, ſed ſolùm oritur ex mera ipſius Dei miſericordia. Alia verò voluntas dandi gloriam propter merita, dandi pœnam propter demerita, manifeſtam ex nobis cauſam habet: & ideo dicitur voluntas iuſtitiæ. Tertullian. Quam rem ſignificat Tertullianus lib. de reſurrectione carnis, cap. 14. illis verbis. *Deus de ſuo optimus, de noſtro iuſtus.* Addit Damaſcenus, voluntatem antecedentem eſſe *eorum, quæ ſunt in nobis*, hoc eſt, vt interpretatur Alenſis ſupra, *in poteſtate noſtri arbitrij*, ſi bona ſunt: quia cùm hæc voluntas directè, & per ſe reſpiciat finem ſalutis, media quoque in ordine ad hunc finem reſpiciat neceſſe eſt: hæc autem ſunt opera bona, non mala: & ideo docet, opera mala non pertinere ad voluntatem antecedentem, vt probatum eſt, nec ad voluntatem conſequentem, quia hæc, vt ex Damaſceno ſupplet Alenſis ſupra, eſt eorum, quæ non ſunt in nobis; quia ſcilicet eſt de præmio, vel de pœna, quæ Deus dare vult conſequenter ad merita, vel demerita; ac proinde per hanc voluntatem conſequentem, vt conſequentem formaliter, non vult merita, aut demerita, ſed præſupponit: merita quidem ex voluntate antecedente gloriæ; demerita verò ſolùm ex noſtra libertate, ac malitia. Et ideo bona opera dici aliquo modo poſſunt volita voluntate antecedente; opera verò mala nec ſunt volita voluntate antecedente, nec conſequente. Quamquam alia ratione, dici poteſt antecedens voluntas eorum etiam quæ non ſunt in nobis, vt tenet Alenſis ſupra ad 2. dub. quia ordinatio ad ſupernaturalem beatitudinem eſt à ſolo Deo, & nullo modo à nobis: & conſequens voluntas, dici poteſt, licèt minus propriè, eorum etiam quæ ſunt in nobis, ſcilicet, non volendo, ſed præſupponendo.

Circa eamdem diuiſionem diuinæ voluntatis in antecedentem, & conſequentem, multa alia ſcribunt recentiores Theologi, ſatis diuerſa & inter ſe, & ab his, quæ hactenus diximus. Omnia verò referre, & examinare non eſt operæ pretium; tum quia lis eſt ferè de nomine: tum quia in huiuſmodi potiſſimùm controuerſiis ſtandum eſſe exiſtimo communiſſimo vſui veterum Theologorum, quorum dicta fideliter retuli, & accuratè expendi. Ex quibus facile erit diiudicare, quid boni, quídve mali attulerint ſequentes Theologi.

---



## ARTICVLVS VII.

*Vtrùm voluntas Dei ſit mutabilis.*

### Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd voluntas Dei ſit mutabilis, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1. *Concluſio negatiua probatur authoritate. n. 1.*
2. *Exponitur ratio articuli. num. 2. & 3.*
3. *Quorumdam ratio confutatur. num. 4.*
4. *An velle poſt non velle ſit immediatè mutatio moralis. num. 5. ad 12.*
5. *An ſit immediatè mutatio phyſica. n. 6. & 12.*
6. *Deum non poſſe mutare decreta ſua. n. 14.*



COMMENTARIVS.

1. *Concluſio negatiua S. Thomæ.*

RESPONDET, *quòd voluntas Dei eſt omnino immutabilis.* Quæ concluſio meritò cenſetur ab omnibus doctrina fidei. & magna ex parte ſuperius à nobis probata eſt; tum in primo Tomo, q. 9. in genere: tum in ſpecie de voluntate ſupra, art. 3. n. 16. & 72. & 73. de qua propriè intelligitur illud Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? loquutus eſt, & non implebit?* & Prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit.* Eamdem veritatem bene etiam probauit Ambroſius in Pſal. 61. circa med. ex illo ad Hebræos 6. *Volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum.* & propter hanc immobilitatem, Iſaiæ 45. ſecundum tranſlationem Septuaginta, de Deo dicitur, *Qui fecit ventura*, vel, vt multi Patres legunt, *Qui fecit quæ futura ſunt*; quia, vt ait Fulgentius lib. 1. ad Monimum, multò ante medium, *ex æternitate diſpoſitionis ſuæ, in prædeſtinatione iam fecit quæcumque effectu operis ſui, tempore congruo facienda diſpoſuit.* & Ambroſius lib. 5. de fide ad Gratianum, cap. 8. multò ante med. *Quia operatoria virtus eius, ſcientia comprehendit numerum omnium ſæculorum: ſicut enim vocat quæ non ſunt, tanquam quæ ſint; ſic & fecit, quæ futura ſunt, tanquam quæ ſint, quia non contingit vt non ſint; ſed neceſſariò ſunt futura, quæ eſſe præcepit.* & Auguſtinus de prędeſtinatione Sanctorum c. 10. *Prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus. Vnde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt.* Quare errauit Ioannes Antonius Delphinus apud Salas 1. 2. q. 6. art. 1. tract. 3. diſp. 1. ſect. 7. n. 103. arg. 4. concedens Deum fieri de volente nolentem, & de nolente volentem, de qua etiam re minus rectè dubitauit Franciſcus Lychetus 1. d. 45. q. vnica, concl. 2. & inconuenientiùs eam affirmauit deinde 2. d. 1. q. 2. §. *Iſtis ergo. Non haberem pro inconuenienti, voluntatem diuinam poſſe velle aliquid de nouo, ſine ſui mutatione*; quod deinceps multis fruſtra probare nititur.

Numer. 23. Prouerb. 19. *Ambroſius probat ex Pſal. 61.* *Exponitur locus Iſaiæ 45.* Fulgentius. Ambroſius. Auguſt. *Reijcitur opinio Antonij Delphini, & Lycheti.*

2. *Declaratur ratio articuli. Tribus modis fingi poteſt mutatio in diuina voluntate.*

Rationem articuli explico hunc in modum: Nulla alia ratione fingi poteſt mutatio in diuina voluntate, niſi vel primò à negatiuo in poſitiuum, ſi ab æterno ſit non volens, & fiat volens in tempore. Vel ſecundò à poſitiuo in negatiuum, ſi ab æterno ſit volens aliquid, quod deinde in tempore omittat velle. Vel tertiò à poſitiuo in poſitiuum, ſi ab æterno velit eſſe aliquid in tali tempore, quod idem deinde velit non eſſe in eodem tempore. Primum modum expreſſit S. Thomas initio corporis, illis verbis, *ſi inciperet velle quod prius non voluit.* Secundum, & tertium modum complexus ſimul eſt his verbis, *vel deſineret velle quod voluit.* Quod maioris claritatis gratia in duos mutationis modos diſtinxi: poſſumus enim dupliciter deſinere velle quod voluimus, vel merè negatiuè, non volendo oppoſitum eius, quod volebamus, ſed ſimpliciter non volendo quod volebamus; vel poſitiuè, volendo oppoſitum eius, quod volebamus: ſed diuina voluntas nullo horum trium modorum mutari poteſt, ergo eſt omnino immutabilis. Maior huius argumenti patet ex eo, quòd nullus alius mutationis modus aſſignatur, aut aſſignari poteſt, qui ad aliquem ex tribus prædictis non reuocetur. Si enim cum nonnullis diſtinguas modos, quibus de non volente in vno tempore, fiat volens in alio tempore; vel de volente hodie, fiat non volens cras; vel de volente hodie hoc, fiat cras volens non hoc; iſti tres poſteriores modi non differunt à tribus prio-

ribus modis in ratione præciſa mutabilitatis, de qua formaliter diſputamus, ſed traduntur per reſpectum ad ſolum tempus, cum alij, iuxta ſubiectam materiam de diuina voluntate, quæ æterna eſt, tradantur etiam per reſpectum ad æternitatem. Conſequentia eſt manifeſta à ſufficienti partium enumeratione. ſolum probanda eſt minor.

*Deus non poteſt de nō volente ab æterno, fieri volens in tempore.*
*Expenditur ratio S. Thomæ.*
Vazquez. Suarez. Valentia.

3. Primum igitur mutabilitatis modum conuenire non poſſe diuinæ voluntati probat primò S. Thomas hîc, quia cùm voluntas ſit boni intellecti, ſi aliquis de nouo incipit velle, vel eſt quia aliquid de nouo incipit ſibi eſſe bonum, vel quia de nouo cognoſcit, illud eſſe ſibi bonum. Primum eſſe non poteſt ſine mutatione intrinſeca ipſius voluntatis. Secundum ponit ignorantiam in diuino intellectu. Verùm quia; vt bene notant Vazquez hîc, Suarez tomo 2. Metaph. diſp. 30. ſect. 9. n. 57. Valent. hîc puncto 4. aſſertione 3. §. *Videtur.* dici poteſt, bonum ſemper eodem modo ſe habere reſpectu diuinæ voluntatis, & diuinum intellectum ſemper eodem modo illud bonum comprehendere, tamen Deum per totam æternitatem illud non voluiſſe, ſed incepiſſe velle in tempore, nullam aliam ob cauſam, niſi quia eſt prorſus liber ad volendum, vel non volendum; & cùm vult, nulla indiget intrinſeca perfectione, aut modalitate ſuperaddita, vt ſupra, art. 3. ideo afferenda eſt ratio, cur Deus vti non potuerit hac ſua libertate, vt ſcilicet, tunc tantùm per liberam ſuam voluntatem determinauerit creare, cum actu creauit: & non antea in æternitate fecerit decretum creandi in eo tempore, in quo realiter creauit. Sicut enim propter libertatem, & infinitam perfectionem ſuæ voluntatis, Deus de facto voluit creare talem mundum tali tempore; & voluit non creare alium mundum, aut hunc mundum alio tempore, cum tamen oppoſitum velle potuiſſet; & ſi de facto voluiſſet non creare talem mundum tali tempore, ſed voluiſſet creare alium mundum, aut hunc mundum alio tempore, vel nullam omnino rem creare voluiſſet, nihil prorſus in ſe intrinſecè, aut plus, aut minus haberet quàm nunc habet: ita propter eamdem libertatem, & perfectionem, videtur abſque vlla intrinſeca ſui mutatione, potuiſſe ſuſpendere omnem actum liberè volendi circa creaturas actuales per totam æternitatem, & deinde in aliquo tempore incipere eas velle.

*Secunda aliorum ratio nō probatur.*

4. Probant idem alij ſecundò negantes ob dubitandi rationem modò expoſitam, in diuina voluntate, ſi velle inciperet in tempore, aliquam fore mutationem; id verò implicare, quia etſi nulla eſſet mutatio, eſſet tamen viciſſitudinis obumbratio; quia variarentur rationis reſpectus, quibus volunt formaliter conſtitui velle Dei liberum in actu ſecundo. Vtrumque autem pugnat cum diuina ſimplicitate, atque identitate, iuxta illud Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

*Exponitur locus Iacobi 1.*

Hæc ratio multò minus ſatisfacit. Primò, quia quod negatur, conceditur à reliquis omnibus, tanquam omnino indubitatum; nempe, quod aliquo vero modo mutaretur diuina voluntas, ſi vellet inciperet, aut deſineret, aut, quod peius eſt, ex vno actu tranſiret in alterum illi oppoſitum. Vnde S. Thomas hîc, vt concluſionem articuli de voluntatis diuinæ omnimoda immutabilitate probaret, tanquam principium notiſſimum, ab omnibus conceſſum, præmiſit, *Tunc voluntas mutaretur, ſi inciperet velle, quod prius non voluit; vel deſineret velle, quod voluit*: & ex eo quòd neutro modo velle poteſt diuina voluntas, concluſit, voluntatem Dei omnino eſſe immutabilem. Secundò, quia quod dicitur de reſpectu rationis conſtituente diuinum velle, impugnatum eſt ſupra, art. 3. dub. 7. Tertiò, quia ſi viciſſitudinis obumbratio, non eſt mutatio, vt ſupponitur, eſt in intelligibile quid ſit. Neque enim dici poteſt conſiſtere in ſola variatione relationis rationis, quod ſolum dicendum ſupereſt; tum quia cum huiuſmodi relationes non ſint in re, ſed in apprehenſione dumtaxat, earum variatio nullam poteſt variationem, aut imperfectionem inducere in rem ipſam, ſi hæc nullam aliam aliunde variationem habeat; tum quia relationes Creatoris, Domini, & ſimiles, ſunt rationis; & tamen illæ aduenerunt de nouo, &, ſi omnis creatura deſtrueretur, deſinerent abſque vlla viciſſitudinis obumbratione, ſeu quauis alia imperfectione diuinæ naturæ; ergo ſi de nouo incipere velle, vel de nouo ceſſare ab antiquo actu volendi, nil aliud arguit niſi variationem relationis rationis, nullam arguit imperfectionem in re; ac proinde illa variatio non eſt viciſſitudinis obumbratio, de qua Iacobus loquitur, tanquam de aliqua imperfectione. Quartò, diſtinctio tranſmutationis à viciſſitudinis obumbratione, inſufficienter fundatur in verbis Iacobi ſupra, nam ibi Iacobus, ſicut Deum, authorem omnium bonorum, per metaphoram immediatè antea vocauerat, *Patrem luminum*, eamdem rem ſignificans, quia è cœlo, veluti ſol lucis ſuæ radios, vniuerſa bona, ac dona diffundit, præſertim ſupernaturalia, de quibus ſolùm, aut potiſſimum loqui videtur Iacobus, vt ibi eruditè demonſtrat noſter Lorinus; ita, in eadem metaphora perſiſtens, id quod vocauerat *tranſmutationem*, ſtatim nominat *viciſſitudinis obumbrationem*. Nam ſicut corpora cœleſtia luminoſa, dum mutatis vicibus obumbrantur, verè mutantur, cum non habeant in ſe idem lumen, quod prius habebant, vt luna in eclipſi; ita ſi Deus vera aliqua ratione mutaretur, diceretur metaphoricè, pati in ſe viciſſitudinis obumbrationem. Igitur eadem prorſus res, quæ per proprietatem nominata erat *tranſmutatio*, per metaphoram nominatur *viciſſitudinis obumbratio*. ergo non licet ex hoc loco colligere, dari in Deo aliquam imperfectionem, quæ etſi non ſit aliqua mutatio, ſit tamen viciſſitudinis obumbratio. Hæc enim idem eſſe, expreſsè, & eleganter expoſuit Gregorius l. 12. Moral. cap. 17. eadem Iacobi verba declarans, *Ipſa enim*, inquit, *mutabilitas, vmbra eſt; quæ quaſi obſcuraret lucem, ſi hanc per aliquas viciſſitudines permutaret. Sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen vmbra viciſſitudinis intercidit.*

Lorinus.

Gregorius.

*Velle poſt non velle, non eſſe moralem imperfectionem probant aliqui primò.*

5. Probant alij tertiò, quia prædicta diuinæ voluntatis mutatio non eſſet imperfectio moralis, ſed immediatè phyſica. Non eſſe moralem, ſic ſuadent. Primò, quia non eſt inconſtantia, aut alius defectus moralis, mutare propoſitum minoris boni in aliud propoſitum boni maioris, v. g. propoſitum ducendi vxorem in votum Religionis. cùm igitur Deus non ſemper velit quod abſolutè melius eſt, ſine vllo inconſtantiæ vitio poſſet mutare voluntatem de bono in melius. Secundò, quia ſi ab æterno non voluiſſet Deus, & in tempore inciperet velle, tranſiſſet de non actu ad actum, quod eſt perfectio potius quàm imperfectio; cum cæteris paribus circa obiectum bonum, perfectius ſit agere, quàm omittere: alioquin quoties aggredimur nouam operationem, eſſemus arguendi, quod eſt apertè falſum. Tertiò, quia non eſt ſemper imperfectio moralis ceſſare ab actu exteriori, & de facto in fine mundi à multis actibus exterioribus ceſſabit

*Secundò.*

*Tertiò.*



ceſſabit ipſemet Deus, ergo neque ab actu interiori, non refutando obiectum illius, ſed dumtaxat interrumpendo actum. Quartò, quia, etiamſi Deus mutaret propoſitum maioris boni in propoſitum minoris boni, nulla eſſet moralis imperfectio; quia talis mutatio non proueniret ex defatigatione, aut difficultate operis, ſed ex præciſa libertate voluntatis, & iudicio intellectus, dictantis non eſſe in illo opere neceſſariam connexionem cum ſumma bonitate ipſius. Quintò, quia Deus liberis actibus ſuis circa creaturas nullo modo perficitur: ergo ſiue velit meliora, ſiue minus bona, nullam incurret imperfectionem.

*Quartò.*

*Quintò.*

*Eſſe phyſicam imperfectionē probāt primò ex Auguſt.*

6. Eſſe imperfectionem phyſicam ſuadent primò ex Auguſtino l. 12. confeſſionum cap. 15. initio docente, *Quòd nequaquam Dei ſubſtantia per tempora varietur, nec eius voluntas extra eius ſubſtantiam ſit: vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud, ſed ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult; non iterum, & iterum, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis eſt; & omne mutabile æternum non eſt, Deus autem noſter æternus eſt.* Loquitur Auguſtinus de ea voluntatis mutatione, quæ ſi daretur in Deo, tolleretur æternitas: quæ mutatio non poteſt nō eſſe phyſica. Secundò ratione, quam fuſiſſimè, & conſequenter minus clarè vrgent. ſed breuiter eius vis eſt hæc. Si præſcindamus ab omni morali imperfectione, & conſideremus tantùm, v. g. Deum velle ab æterno, incarnationem Verbi eſſe tempore Auguſtini, & deinde tempore Moyſis velle, incarnationem Verbi non eſſe tempore Auguſt. ſequitur hæc contradictio, Verbum tempore Auguſt. incarnabitur, Verbum tempore Auguſtini non incarnabitur: ſed iſta cōtradictio oritur ex diuinæ voluntatis mutatione, ergo talis mutatio repugnat; ſed nō repugnat moraliter, quia loquimur abſtrahendo prorſus ab imperfectione, ac repugnātia morali; ergo repugnat phyſicè, ſeu propter phyſicam mutationem, quę repugnat diuinę voluntati.

*Secundò ratione.*

*Ex mutatione diuinorū decretorū arguitur immediatè mutatio moralis.*
*Ad primum in oppoſitum.*

7. Ad hanc tertiam probationem dico primò, ex mutatione decretorum Dei argui immediatè in diuina voluntate mutationem, & imperfectionem moralem, vt cum Suarez, & aliis probaui ſupra, artic. 3. num. 72. Ad primum in contrarium, nego antecedens applicatum ad Dei voluntatem, de qua diſputamus. Si enim Deus ſuo intellectu infinitè perfecto, ab æterno optimè prænouit quicquid velle poteſt ab æterno, & omnes rationes, connexiones, ac modos volendi, imò etiam quicquid quacumque ratione actualiter voliturus eſt, & nihilominus decreta ſua condere differat poſt æternitatem, non poteſt rationabiliter excuſari à morali defectu prudentiæ, ac prouidentiæ, & à negligentia, atque incuria, & à voluntatis otioſitate, & quadam veluti ſtupiditate. Vnde etiam inter homines cenſetur moraliter imperfecta illius voluntas, qui ſi certò præcognoſcat omnes volendi rationes, & nullum futurum impedimentum volendi, tamen adhuc velle differt, & expectat aliud volendi tempus, in quo euidenter ſcit nihil poſſe occurrere, quo à volendo remoueatur. Enimverò voluntatem velle, & operari, eſt, abſolutè loquendo, aliqua perfectio, cum cæteris paribus longè melius ſit agere, quàm non agere. Ergo voluntas, cui nihil prorſus deeſt ad aliquid prudentiſſimè decernendum hodie, ſi non decernit, eſt minus perfecta, & ſaltem exiſtimabitur pigra, & deſidioſa, ac veluti dormiens. Neque excuſari prudenter poterit ex volendi libertate: quia perfecta libertas nōn conſiſtit in omiſſione, ac dilatione volendi, quæ manifeſtam importat imperfectionem, voluntatum creatarum propriam, ſed ſolùm in indifferentia volendi vtrumlibet ex oppoſitis. Poteſt igitur voluntas eſſe perfectiſſimè libera, & tamen impigra, & operoſa, non negligens, & otioſa. Itaque etſi neceſſarium non ſit, Deum velle ſemper quod abſolutè melius eſt, tamen eſt neceſſarium propter infinitam perfectionem voluntatis, ac libertatis ſuæ, vt quod voliturus eſt, ſiue maius, ſiue minus bonum, velit ſtatim ac ſunt omnia requiſita ad liberè volendum, hoc eſt, in æternitate, & non torpeat infinito otio per totam æternitatem. Si ergo Deus æternum propoſitum minoris boni mutaret in temporale propoſitum maioris boni, incompoſſibilis cum minori illo bono, qualia bona ſunt quæ in exemplum adducuntur, de generandis in matrimonio filiis, & de ſeruanda caſtitate in religione, duplex morale vitium incurreret: alterum negligentiæ, quia propoſitum maioris boni non fecit ab æterno, vt ſupra: alterum inconſtantiæ, quia propoſitum minoris boni incōpoſſibilis, in quo propterea, ſaltem virtualiter includebatur contrarium propoſitum nolendi maius bonum; quæ omnia euidentiſſimè, & certiſſimè præſciuerat Deus, abiiceret ſine vlla prorſus noua ratione: pertinet enim ſine dubio ad conſtantiæ, ac perſeuerantiæ virtutem, vt quod ſemel ſapientiſſimè voluiſti, hoc eſt, cum infinita comprehenſione obiecti voliti, & omnium rationum, & circumſtantiarum, & connexionum, & impedimentorum volendi illud, nūquam nolis; & quod ſemel ſapientiſſimè noluiſti, nunquam velis. In nobis autem mutare vnum propoſitum in aliud melius, vel æquè bonum, eſt quædam perfectio immiſta imperfectioni, quia ſupponit aliquam imperfectionem, ac mutationem in intellectu, qui non ſemper, nec eodem modo repræſentet voluntati omnes ſimpliciter volendi, ac nolendi rationes; & importat in ipſa voluntate imperfectionem omittendi, & ceſſandi ab omni actu.

*Nō velle tūc, cū ſunt omnia ad volēdum requiſita, eſt defectus prouidētia, & diligentia.*

*Perfecta libertas nō excuſat dilationem volendi.*

*Defectus moralis eſſet in Deo, propoſitum minoris boni mutare in propoſitum maioris boni: non autem in nobis.*

8. Ad ſecundum, nego minorem, quia tranſire de nō actu ad actum, eſt perfectio ratione actus, quem præſtat habere, quàm non habere: eſt autem imperfectio ratione non actus, quem poſſet Deus, & propter infinitam ſuam perfectionem, deberet habere ab æterno, & nō habet. quia, vt ab ipſomet arguente dicitur, cæteris paribus perfectius omninò eſt agere, quàm omittere. Quare cum nos nouam operationem aggredimur, non ſumus arguendi quòd operamur, ſed quòd non operabamur, ſi tunc fortè erat in nobis perfecta operandi poteſtas.

*Ad ſecūdum, eſſe imperfectionem trāſire de non actu ad actū.*

9. Ad tertium, nego conſequentiam, quia actus exterior, cùm ſit quid creatum extra Deum, poteſt de natura ſua tranſire ab eſſe ad non eſſe. Actus verò interior volendi, cum ſit intra Deū, ſubire non poteſt eamdem mutationem: non quòd deeſſet immediatè aliquid phyſicum diuinę voluntati, ſed ſolùm immediatè, quia inconſtanter ſanè, nulla prorſus apparente de nouo ratione, ceſſaret ab actu, in quo tunc perſeuerare eſſet ſine dubio maior perfectio, quàm non perſeuerare.

*Ad tertium, eſt imperfectio ceſſare ab actu interno, nō autem ab externo.*

10. Ad quartum patet ex ſolutione primi. Illa enim mutatio non eſſet imperfecta ex eo quòd per illam Deus vellet ſimpliciter minus bonum, hoc enim ab æterno poterat velle: neque ex eo quòd proueniret ex defatigatione, aut difficultate operis: ſed quia proueniret ex negligentia, & inconſtantia, ſeu leuitate, & ex libertate imperfecta, hoc eſt, non ſolùm operandi hoc, vel operandi oppoſitum, ſed nihil planè operandi; vt ibi declaratum, ac probatum

*Ad quartū, ſicut ad primum.*

tum eſt. Et cùm illud iudicium de non neceſſaria connexione boni creati cum diuina bonitate, non fuerit ſolùm in tempore, ſed etiam ab æterno, non poteſt ratione illius excuſari à morali imperfectione non faciendi ab æterno decretum de illo bono volendo, aut nolendo.

*Ad quintum, aperitur punctum difficultatis.*

11. Ad quintum, concedo totum. Cùm mutatione decretorum Dei, arguimus directè, & immediatè, diuinam voluntatem eſſe moraliter imperfectam, non facimus vim in eo, quod velit minus bonum; nec in eo, quod intrinſecè perficiatur per ſuum velle liberum in actu ſecundo; ſed ſolùm in volendi negligentia, atque inconſtantia, qui ſunt morales quidam voluntatis defectus, incompoſſibiles cum diuina voluntate infinitè perfecta, non minus moraliter quàm phyſicè.

*Nõ arguitur immediatè mutatio phyſica.*
*Ad primum, in oppoſitum exponitur locus Auguſtini.*

12. Dico ſecundò, non argui immediatè mutationem, & imperfectionem phyſicam. Quod puto valdè efficaciter probari ex ratione allata ſupra, num. 3. Reſpondeo igitur ad ea, quæ in oppoſitum adducuntur ſupra, num. 6. Ad primum, concedo Auguſtinum loqui de mutatione phyſica. Sed addo, illum loqui de mutatione diuerſorum actuum, eo modo, quo creaturæ nunc volunt hoc per vnum actum, deinde volunt illud per alium actum. Nam Auguſt. *modò velle hoc, modò velle illud*, opponit ad *ſemel, & ſimul, & ſemper velle omnia, quæ vult*. Eamdémque actuum diuerſitatẽ ſignificat illud, *Non iterum, & iterum*. Nos autem diſputamus de vno, eodémque velle, quod ſine vlla intrinſeca ſui variatione, ſed tantùm per extrinſecam terminationem ad res volitas, modò velit hoc, modò velit aliud. Si enim intrinſecè in ſe inuariatum, per ſolam terminationem ad res extrinſecas, ab æterno vult quæ poſſet liberè nolle, & non vult quæ poſſet liberè velle, cur non eodem modo velit, aut nolit in diuerſis temporibus?

*Ad ſecũdum, ſi mutarẽtur diuina decreta, non ſequeretur contradictio.*

13. Ad ſecundum, facta illa præciſione, & ſuppoſita mutabilitate diuinorum decretorum, nego eſſe contradictoria, *Verbum incarnabitur, Verbum non incarnabitur*. Tunc enim iſtæ propoſitiones non eſſent accipiendæ vt veræ ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſolùm vt veræ ex ſuppoſitione durationis decreti, à quo dependent; ſiue, quod idem eſt, vt veræ conditionaliter, ſi nimirum non mutetur voluntas, quæ decreuit incarnationem futuram, vel non futuram: nulla autem eſt contradictio, futuram eſſe incarnationem ex vi huius primi decreti, ſi non mutetur; & non futuram eſſe incarnationem ex vi alterius poſterioris decreti, incompoſſibilis cum primo. Neque eſt cur hæc reſponſio dicatur *omnino falſa, & impoſſibilis*. Quamuis enim abſolutè loquendo, omnino falſum, & impoſſibile ſit, non dari decretum Dei omnino abſolutum, & efficax, tamen facta duplici illa ſuppoſitione impoſſibili, & de abſtractione ab omni morali imperfectione, & de mutabilitate diuinæ voluntatis, quam aduerſarij ipſi fieri petunt, ſequitur hoc aliud impoſſibile, vt ſcilicet omne decretum Dei ſit efficax non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, ſeu ſub conditione, ſi ab ipſomet Deo decretum non mutetur; vnde vlterius ſequitur, prædictas propoſitiones non eſſe contradictorias. Quare cum arguunt, decretum terminatur ad incarnationem actualem in re ipſa, ergo ſi hæc non ſit actu in re, illud decretum non fuit actu in Deo; facilè dicitur, decretum terminari ad eſſe actuale incarnationis, non omnino efficaciter, & abſolutè, ſed ſolùm ex ſuppoſitione perſeuerantiæ eiuſdem decreti: eſſet enim impoſſibile retractato decreto de aliquo effectu, adhuc oriri effectum vi decreti retractati. Vnde non

*Soluitur inſtantia.*

ſequitur decretum non fuiſſe ſimpliciter in Deo, ſed non fuiſſe immutabiliter; ex quo conſequenter oritur, vt effectus vi decreti futurus ſit mutabiliter, non immutabiliter. Et afferri poteſt inſtantia de libero, & efficaci decreto deſtruendi Syriam, ſed ſub conditione, ſi Rex Ioas iaculo terram quinquies percuteret. 4. Reg. 13. de quo non licet arguere, non fuiſſe ſimpliciter in Deo, quia non fuit in re actualis totius Syriæ deſtructio: non enim ad hanc terminatum eſt abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſub conditione talis percuſſionis; ſicut in caſu noſtro, ſub conditione perſeuerantiæ decreti, quod ſupponitur poſſe liberè mutari. 4.Reg.13.

*Deus non poteſt deſinere velle.*

Atque hæc de repugnantia primi modi mutationis voluntatis diuinæ, à negatiuo in poſitiuum. Ex quibus ſufficienter probata remanet repugnantia ſecundi, & tertij modi, de quibus ſupra, num. 2. Mutatio à poſitiuo in negatiuum, reiecta eſt ſupra, num. 3. & ſpecialiter excludi videtur verbis illis Prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini in æternum manet*. Mutatio à poſitiuo in poſitiuum, reiecta eſt ſupra, n. 7. & 10. & clariſſimè excluditur verbis num. 23. citatis ſupra, n. 1. & illis 1. Reg. 15. *Porrò triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam*. Negatur apertè ſecundum pœnitentiæ decretum, oppoſitum primo. Et cùm negandi ratio afferatur ex ipſa diuinitate, quia ſcilicet qui decernit eſt Deus, & non homo, non obſcurè ſignificatur, ſecundum illud pœnitentiæ decretum implicare contradictionem, ſicut implicat, Deum eſſe hominem; ſeu, velle cum ea imperfectione, cum qua vult homo. Loquutus ſum de decretis oppoſitis, quæ reſpiciunt oppoſitos effectus pro eodem tempore, & ideo ſimul eſſe nõ poſſunt, ſed alterum in vna duratione, alterum in alia eſſe deberet. Alioquin contraria pro diuerſis temporibus, ab æterno, & ſimul, & ſemper incommutabiliter vult Deus. De quo caſu Iſidorus l. 1. ſententiarum cap. 1. ſent. 4. ex Gregorio ait, *opus, non conſilium apud Deum credimus mutari; nec variari eum, quia per varia tempora, diuerſa præcipit: ſed manens idem incommutabilis, & æternus, quid cuique congruum eſſet tempori, ab ipſa æternitate in eius manſit diſpoſitione conſilij*. Huc quoque ſpectat, quod docet S. Thomas hîc initio corporis, *quòd aliud eſt mutare voluntatem, & aliud eſt, velle aliquarum rerum mutationem. Poteſt enim aliquis, eadem volũtate immobiliter permanente, velle quòd nunc fiat hoc, & poſtea fiat contrarium*. Sic de facto Deus ſimul, & immutabiliter decreuit, cœlum moueri vſque ad diem iudicij, & deinceps non moueri. Et quandoque legalia obſeruari, quandoque non, vt dicitur hîc in argumento tertio, & probatur in eius ſolutione. Item ſeruare primos homines vſque ad tempus diluuij, & poſtea diluuio delere à facie terræ. Quæ delendi operatio Geneſ. 6. metaphoricè dicitur pœnitentia, illis verbis, *Pœnitet me feciſſe hominem*, hoc eſt, volo hominem delere. Sicut enim, vt dicitur hîc ad primum, *cum nos pœnitet, deſtruimus quod fecimus:* ita voluntas diuina deſtruendi hominem, apparet contraria priori voluntati faciendi hominem, ac proinde pœnitentia, *ſecundùm ſimilitudinem noſtram*. Quamuis verè Deus ab æterno, vno ſimpliciſſimo, & prorſus immutabili actu decreuerit, hominem facere, & deſtruere pro diuerſis temporibus, & ſtatibus. Eadem metaphora ait Deus Ierem. 18. *Agam pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Nam homines*, vt dicitur hîc ad ſecundum fin. *quando non implent, quod comminati ſunt, pœnitere videntur*.

14.

Prouerb. 19. *Deus non poteſt velle hoc, & deinde velle nõ hoc.*

*Exponitur locus 1. Reg. 15.*

*Deus mutabilia vult immutabiliter.*

Iſidorus, & Gregorius.

S.Thom.

*Exponitur locus Gen. 6.*

*Exponitur locus Ier. 18.*

ARTI



## ARTICVLVS VIII.

### *Vtrùm voluntas Dei neceſſitatem rebus volitis imponat.*

## Ad octauum ſic proceditur. Videtur quòd voluntas Dei rebus volitis, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Concluſio negatiua de neceſſitate abſoluta. num. 1.*
2 *Concluſio affirmatiua de neceſſitate conditionali. num. 2.*
3 *An modus operandi neceſſariò, & liberè, ſit à Deo. num. 3. ad 7.*
4 *An ſi Deus ageret neceſſariò, creaturæ poſſent agere liberè. num. 7. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

*Prima concluſio negatiua de neceſſitate abſoluta.*

1. PRIMA concluſio. Diuina voluntas non imponit neceſſitatem abſolutam omnibus rebus volitis. Hoc eſt ita certum, ſicut certum eſt, creaturas operari liberè; & ad liberè operandum concurrere diuinam voluntatem: cùm igitur hæc ſint certa ſecundùm fidem, eodem modo certum erit, per generalẽ concurſum, & cauſalitatem diuinæ voluntatis non tolli libertatem, & conſequenter, non imponi omnibus rebus volitis *abſolutam* neceſſitatem, vt loquitur S. Thomas hîc ad 1. & 3. *ſeu conſequentis*, vt loquitur S. Bonau. 1. d. 47. art. 1. quæſt. 1. circa finem corporis; quæ cum libertate manifeſtè pugnat.

S.Thom.
S. Bonauent.

*Secunda concluſio affirmatiua de neceſſitate conditionali.*
Auguſt.

2. Secunda concluſio. Diuina voluntas omnibus rebus volitis, etiam contingentibus, ac liberis, imponit neceſſitatem conditionalem. Ita S. Thom. hîc ad 1. & 3. & probat primò verbis Auguſt. in Enchirid. c. 103. quæ refert in primo argumento, *Nullus fit ſaluus, niſi quem Deus voluerit ſaluari; & ideo rogandus eſt, vt velit; quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit*. Secundò ratione, *Neceſſe eſt enim, hanc conditionalem eſſe veram, ſi Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe*. Atque eamdem neceſſitatem, quæ hîc dicitur conditionalis, in 1. cont. Gent. cap. 85. num. 4. vocat *neceſſitatem ex ſuppoſitione:* quoniam, inquit, *etiam contingentia ad vtrumlibet, redduntur ex ſuppoſitione neceſſaria: ſicut Socratem moueri, ſi currit, eſt neceſſarium*. Ex qua doctrina colligo duo. Alterum, ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis determinatæ, & abſolutæ, de qua loqui videtur S. Thomas, cùm ad primum ait, *hoc vult*, ſequi neceſſitatem effectus voliti. Quod animaduertendum eſt contra modernos Thomiſtas, qui cum premuntur, quòd ex eorum decreto prædeterminante, & omnino antecedente ſequatur, liberum arbitrium ex ſuppoſitione talis decreti, & in ſenſu compoſito cum illo, neceſſariò velle, ac proinde, non poſſe non velle rem volitam, & prædeterminatam à diuina voluntate, ne videantur nimis expreſsè libertatem operandi deſtruere, reſpondent, liberum arbitrium velle infallibiliter, non autem neceſſariò, ac proinde, poſſe non velle. Quam reſponſionem ſupra q. 14. art. 13. non ſemel impugnauimus. Nunc tantùm, occaſione huius articuli, libuit breuiter adnotare, hanc, quam ipſi infallibilitatem vocant, & à neceſſitate diſtinguunt, vt vim quamdam neceſſitate minorem, à SS. Auguſt. & Thom. vocari veram, ac propriam neceſſitatem, quæ ad 1. & 3. diuiditur in abſolutam, & conditionalem. Et quidem conditionalis loco citato contra Gent. dicitur motus Socratis, ſi currit: qui motus ita eſt in Socrate, vt non poſſit non eſſe in illo, ſi currit; cum manifeſtam contradictionem implicet, eſſe curſum in Socrate, & in eo non eſſe motum. Ergo ſi eadem neceſſitate conditionali, & ex ſuppoſitione, ab iiſdem dicitur neceſſarius effectus futurus à voluntate creata, quem ab hac futurum eſſe, voluntas diuina decreuit, is non ſolùm erit futurus infallibiliter quomodocumque, ſed ita erit infallibiliter futurus, vt non poſſit non eſſe futurus, ſed implicet non eſſe futurum, ſicut implicat, poſſe irritari, & non eſſe quod Deus efficaciter eſſe vult. Alterum, neceſſitatem conditionalem, quæ ſtat cum libertate, explicari à S. Thom. per conditionem, ac ſuppoſitionem, conſequentem vſum libertatis; docet enim eſſe neceſſarium motum Socratis, poſito curſu dependente à libertate Socratis: ergo cum docet, effectum liberum, à Deo volitum, eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione, non poteſt intelligi de ſuppoſitione antecedente omnem vſum libertatis, hæc enim eſſet neceſſitas, propriiſſimè abſoluta; ſed eſt intelligendus de ſuppoſitione conſequente vſum libertatis aliquo modo, quia ſcilicet, etſi diuina volitio de effectu abſolutè futuro, ſit antecedens cauſa effectus abſolutè futuri, tamen eſt conſequens eumdem effectum, omnino liberè futurum ſub conditione, eiúſque conditionatam præſcientiam. Ideo enim poteſt Deus ſalua libertate noſtra, efficaciter, & abſolutè decernere, nos liberè facturos hoc, & non aliud, quia ante quemlibet diuinæ voluntatis ſuæ actum determinatum, infallibiliter præuidet, quòd ſi nos ſub his, vel illis circumſtantiis poneremur, eſſemus per liberam noſtram determinationem facturi hoc, & non aliud, quod in ſuperioribus latiſſimè demonſtratum eſt.

*Ratio articuli.*

*Neceſſitatem ſequi ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis per S.Th. contra modernos Thomiſtas.*

*Quo modo explicetur à S.Th. neceſſitas conditionalis non repugnans libertati.*

## DVBITATIO I.

### *An, & quomodo voluntas Dei cauſet modum operandi neceſſariò, & contingenter.*

### SVMMA.

1 *Operari liberè, cauſatur à diuina voluntate. n. 3.*
2 *Quo modo cauſetur. num. 4. & 6.*
3 *De radice contingentiæ. num. 5.*

TErtia concluſio. Diuina voluntas eſt cauſa noſtrarum operationum, non ſolùm quæ liberæ ſunt, ſed etiam vt liberæ ſint: & conſequenter, cauſis ſecundis liberis non imponit abſolutam neceſſitatem, imò cauſat in illis libertatem, & liberum operandi modum. Hæc verè eſt mens Sancti Thomæ in hoc articulo, dum impugnat quoſdam innominatos dicentes, *Diſtinctionem contingentium à neceſſarijs referendam eſſe ſolùm in cauſas ſecundas*, & propterea, rationem, ob quam voluntas Dei quibuſdam volitis neceſſitatem imponit, non autem omnibus, ſolùm eſſe, *quia ea, quæ producit per cauſas neceſſarias, ſunt neceſſaria; ea verò, quæ producit per cauſas contingentes, ſunt contingentia*. Contra quos probat S. Th. hanc diſtinctionem principaliter, & maximè haberi propter ſummam diuinæ voluntatis efficaciam, ex qua, inquit, *non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri Deus neceſſariò, quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi*. Ratio ipſius optima eſt, quia cauſa concurrens ad agendum, quo maiorem habet agendi virtutem, atque efficaciam, eo magis 3.

*Tertia cõcluſio. Libertas operãdi cauſatur à voluntate Dei. Mens, & ratio S.Thomæ in hoc articulo.*

ad agendum concurrit. Quamobrem, inquit, *ex debilitate virtutis actiuæ in ſemine contingit, quòd filius naſcitur diſſimilis patri in accidentibus, quæ pertinent ad modum eſſendi.* Sed diuina voluntas eſt prima, & vniuerſaliſſima omnium rerum cauſa, habens infinitam virtutem, & efficaciam agendi; ergo cauſat res omnes, *non tantùm ſecundùm id, quod fit, ſed etiam ſecundùm modum fiendi, vel eſſendi.* ergo eſt cauſa, vt res fiant neceſſariò à cauſis neceſſariis, & contingenter à cauſis contingentibus.

*Quarta concluſio. De modo, quo à volũtate Dei cauſatur operari liberè, & neceſſariò.*

4. Quarta concluſio. Quia Deus voluit ad perfectum ordinem, & complementum vniuerſi, quædam fieri neceſſariò, quædam contingenter, *ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt; quibuſdam autem aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniant.* Ita S.Thomas hîc circa finem corporis: & eſt explicatio præcedentis concluſionis: dixerat enim, diuinam voluntatem, cauſam eſſe etiam modi operandi neceſſariò, & contingenter. Nunc verò explicat, cauſalitatem huiuſmodi conſiſtere in eo, quod Deus effectibus neceſſariis aptauit cauſas ſecundas neceſſarias, effectibus verò contingentibus aptauit cauſas ſecundas contingentes. Concluſio ex ſe manifeſta eſt, quia nulla alia ratione fieri poteſt, vt effectus à cauſis ſecundis connaturaliter fiant vel neceſſariò, vel liberè, niſi vt ipſæmet cauſæ ſecundæ habeant à Deo omnia requiſita ad connaturaliter agendum vel neceſſariò, vel liberè.

*De radice cõtingentiæ.*

5. Ex his, ad mentem S.Thomæ, & ad veritatem, decidi breuiter, ac facilè poteſt quæſtio de radice contingentiæ, ac libertatis. Hæc enim radix, ſicut non debet referri in ſolam cauſam ſecundam, ita neque in ſolam cauſam primam: ſed in hanc referenda eſt primariò, in illam ſecundariò. Neque contrarium aduerſarij rectè colligunt ex hoc articulo: vbi docet quidem S.Thomas, quòd non referatur, *ſolùm in cauſas ſecundas:* nunquam tamen docet, quòd referatur ſolùm in cauſam primam: imò tum hîc, tum ſæpe, & clarè alibi expreſsè docet, referri in cauſas ſecundas, vt multis oſtendo ſupra quæſt.14.art.13.num.147.quibus nunc nihil neceſſe eſt addere. Vnde ipſemet Bagnes initio huius articuli ex doctrina S.Thomæ ait, *Non ſolùm refertur iſta contingentia in cauſas ſecundas, ſed potiſſimè reducitur ad efficaciam diuinæ voluntatis.* Solùm ad complementum materiæ huius articuli declarandum eſſet magis in particulari, quid faciat Deus, tam ex parte cauſarum ſecundarum, quàm ex parte decretorum ſuæ diuinæ voluntatis, cùm pro effectibus neceſſariis aptat cauſas neceſſarias; pro effectibus liberis aptat cauſas liberas. Verùm de his fuſiſſimè diſputatum eſt ſupra quæſt.14. art.8. & 13.præſertim de liberis, de quibus ſolis eſt difficultas, & controuerſia, nunc breuiſſimè colligendo, quæ ibi copiosè probantur.

Bagnes.

*Quo modo aptet Deus cauſas liberas ad liberè agendum.*

6. Dico primò, Deus cauſas liberas ad liberè operandum non aptat per realem, & intrinſecam aliquam prædeterminationem ad vnum; hoc enim modo non aptaret cauſas, quæ deficere poſſunt in operando, quo modo S.Thomas hîc docet præparari à Deo cauſas contingentes: ſicut nec cauſas neceſſarias aptat ad neceſſariò operandum per realem, & intrinſecam aliquam indeterminationem, atque indifferentiam ad plura: ſed contra, hoc modo aptat cauſas liberas, illo modo aptat cauſas neceſſarias.

Dico ſecundò, quod euidenter ſequitur ex dicto primo, Deus cauſas liberas ad liberè operandum aptat per liberum decretum concurrendi ad duas oppoſitionis partes, ſicut cauſas neceſſarias ad neceſſariò operandum aptat per liberum decretum concurrendi ad vnam determinatam partem.

Dico tertiò, ante ſcientiam ſuam conditionatam, & mediam, non poteſt Deus cauſas liberas ad liberè operandum aptare per decretum omnino antecedenter prædeterminans ad vnum.

Dico quartò, poſt ſcientiam ſuam conditionatam, & mediam, poteſt Deus ita per liberum ſuum decretum indifferens aptare cauſas liberas ad liberè operandum, vt nihilominus, ſaluo modo liberè operandi, facere poſſit aliud liberum decretum, omnino abſolutum, & efficax, prædefiniens vnam determinatam partem, antecedens quidem effectum liberum abſolutè futurum, tamen conſequens eumdem effectum liberum futurum conditionatè. Quæ omnia ſi bene penetrentur, manifeſtè patebit, fruſtra laborare Gonzalez hîc, d.57. ſect.1.contra Arrubal, Suarez, & Vazquez, probando & in re dari, & à S.Thoma in hoc articulo concedi, decretum Dei efficax, & abſolutum, & determinatum, & antecedens, in ratione cauſę, actus noſtros liberos. Hoc nemo negat. Sed addimus primò, hoc decretum non poſſe eſſe, ſalua libertate, niſi poſt ſcientiam conditionatam. Secundò, præter hoc decretum, eſſe ad operandi libertatem neceſſarium aliud decretum, antecedens quidem, & efficax, & abſolutum; ſed indeterminatum, & indifferens ad plura oppoſita; & præterea aliud conditionatum, ſubſequens liberam noſtram determinationem, vt explico ſupra quæſt.14.art.13. à num.498. quo in loco ſatis, ſuperque dictum eſt de huiuſmodi controuerſiis. Nam alia, quæ in hoc articulo addit Gonzalez, vel pertinent ad materiam de prædeſtinatione, de qua infra; vel ad materiam de efficacia gratiæ, de qua ſcribere vetamur decreto fœliciſſimæ memoriæ Pauli V. & tamen de illa duobus antè annis, hoc eſt, anno 1621. extincto Paulo, commentariis editis in hunc articulum, in quo D. Thomas ne verbum quidem de huiuſmodi materia, ſcribere non dubitauit Gonzalez fuſiſſimè tota ſua diſp.58. in 5. longiſſimas ſectiones diſtributa.

*Defenduntur Arrubal, Suarez, & Vazquez cõtra Gõzalez.*

## DVBITATIO II.

### *An ſi voluntas Dei eſſet neceſſaria, poſſent cauſæ ſecundæ operari contingenter.*

SVMMA.

1 *Titulus dubitationis exponitur. num.7.*
2 *Si Deus non eſſet liber, creatura non eſſet libera. num.8.*
3 *Si Deus ageret neceſſariò, creatura libera non poſſet liberè agere. num.9.*
4 *Si Deus præſtaret neceſſariò eumdem concurſum, quem de facto liberè præſtat, creatura libera ageret liberè. num.10.*

*Ad quẽ finem agatur de hac quæſtione hypothetica.*

7. HÆc quæſtio ex hypotheſi impoſſibili, vtilis eſt ad contingentiæ radicem exactius penetrandam, de qua ſupra num.5. Etenim ſi hac hypotheſi, quocumquè modo facta, perit omnino contingentia, ſignum eſt, eius radicem referendam eſſe in ſolam cauſam primam. Si verò non perit, euidens eſt referendam etiam eſſe in cauſas ſecundas. Porrò vt veritas faciliùs percipiatur, & breuiùs tractetur, & concilientur diuerſæ de hac re Theologorum tam veterum, quàm modernorum ſententiæ, prædicta ſuppoſitio impoſſibilis poteſt tribus modis



*Declaratur triplex hypotheſis.*

modis intelligi. Primo, vt nihil aliud impoſſibile ſupponatur, niſi vt Deus agat quidem per voluntatem, non tamen agat ex libertate, ſed ex neceſſitate naturæ. Secundo, vt vltra hoc ſupponatur, creaturas habere eamdem voluntatem liberam in actu primo, quam nunc habent: quamuis enim creaturarum libertas non ſit ſimpliciter impoſſibilis, ſed de facto detur, tamen eſſet impoſſibilis poſito primo impoſſibili, vt mox oſtendam. Tertio, vt ſupponamus, Deum ita agere neceſſariò, vt tamen eumdem prorſus concurſum præbeat cum cauſis liberis, quem nunc de facto præbet; & ſit differentia in modo concurrendi, non in ſubſtantia concurſus: nam hic modus eſſet etiam impoſſibilis, poſito quòd Deus agat ex neceſſitate naturæ, vt infra probabo.

*Quinta concluſio. Libertas non eſſet in creatura, ſi non eſſet in Deo.*

8. Quinta concluſio. Si nihil aliud ſupponatur, niſi Deum agere ex neceſſitate naturæ, nulla eſſe poſſet libertas, neque in actu ſecundo in effectibus, neque in actu primo in cauſis. Patet, quia ablata à Deo per hypotheſim impoſſibilem aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici, eſt conſequenter impoſſibile, illam perfectionem eſſe in creaturis; alioquin in creatura eſſet aliquid, quod non penderet à Deo: tunc enim Deus non haberet illam perfectionem, neque formaliter, vt ſupponitur; neque eminenter, quia perfectio ſimpliciter ſimplex, vbi non eſt formaliter, ibi non poteſt eſſe eminenter: cum enim vna perfectio ſimpliciter ſimplex ſecundùm ſuam formalitatem, nullam aliam perfectionem excludat, ſi in aliquo ſubiecto non eſt formaliter, euidens ſignum eſt, nec eſſe eminenter: nam ſi eſſet eminenter, eſſe etiam neceſſariò deberet formaliter. Sed voluntatis libertas circa bona inadæquata, & imperfecta, quæ limitatam bonitatem habent, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, hanc enim ob cauſam, omnes illam in Deo formaliter eſſe fatemur; ergo eſt impoſſibile, remanere in creatura perfectionem libertatis, ſi illam ſupponamus non eſſe in Deo.

*Perfectio ſimpliciter ſimplex vbi non eſt formaliter, non eſt eminenter.*

*Sexta cõcluſio. Si Deus ageret neceſſariò, & creatura eſſet libera, hæc nõ ageret liberè.*

9. Sexta concluſio. Facta duplici hypotheſi, & de Deo agente neceſſario, & de creatura remanente libera, ſi nihil aliud impoſſibile ſupponatur, adhuc creaturæ agerent neceſſariò, & in actu ſecundo vti non poſſent intrinſeca illa libertate, quam in actu primo habere ſupponuntur, etiamſi illam non haberet Deus. Iuxta hunc ſenſum accipio omnes Doctores, qui ad propoſitam quæſtionem reſpondent negatiuè: & clarè probatur, quia agere ex neceſſitate naturæ, eſt agere ſecundum totum poſſe naturæ; v. g. ignis dicitur agens neceſſarium in calefactione, quia calefacit tantùm, quantùm poteſt, & non plus, aut minus. Sed ſi Deus concurreret quantùm poteſt concurrere, ſecundùm totum poſſe ſuæ naturæ, & omnipotentiæ cum voluntate creata libera ad aliquem actum, v. g. ad amorem, procul dubio illam neceſſitaret ad amandum; vnde communis opinio cum S.Thom. quæſt.22. de Verit. artic.8. tenet, voluntatem liberam poſſe à Deo neceſſitari, etiam poſita ex parte intellectus cogitatione indifferente, & ſufficiente ad vſum libertatis: quicquid autem nunc Deo tribuitur de poſſibili, contingeret de facto, data illa hypotheſi de modo agendi ex neceſſitate naturæ; tunc enim actu faceret Deus quicquid nunc poteſt facere, & ſolùm non facit, quia liberè facit; ergo data ſolùm prædicta duplici hypotheſi, adhuc nullus effectus liber prodire poſſet à liberis creaturis. Ex quo apertè ſequitur, contingentiæ radicem, neceſſariam ad creaturarum libertatem, etiam in actu ſecundo, eſſe libertatem diuinæ voluntatis, & cauſalitatis.

S.Thom.

*Radix cõtingẽtiæ in actu ſecũdo, eſt libertas diuinæ voluntatis.*

Septima concluſio. Facta triplici hypotheſi, & de Deo agente neceſſario, & de creatura remanente libera, & de Deo concurrente cum eodem planè concurſu, cum quo de facto concurrit, adhuc creatura libera liberè operaretur, eodem prorſus modo, quo nunc nulla facta hypotheſi operatur. Vnde neceſſariò ſequitur, radicem contingentiæ in operando, pendere etiam aliquo modo à creatura, vt ſupra num.5. Sequitur quoque eamdem contingentiam pendere quidem materialiter, & quoad rem à libertate diuinæ voluntatis, in quantum concurſus ad extra, temperatus, & proportionatus cauſæ creatæ liberæ, cauſari à Deo non poſſet abſque libertate, vt ſupra, num. 9. tamen pendere formaliter, & præciſè, à ſolo concurſu prædicto, quia, vt dicitur in hac ſeptima concluſione, ſi per impoſſibile idem realiter concurſus à Deo cauſaretur, & non cauſaretur liberè, ſed neceſſariò, adhuc haberetur in creaturis eadem libertas in operando, quam de facto habent. Hunc ſenſum ſpectaſſe videtur S. Thomas ſupra quæſt.14. art.13. ad 1. dicens, *Licet cauſa ſuprema ſit neceſſaria, tamen effectus poteſt eſſe contingens propter cauſam proximam contingentem.* Idémque repetit ad ſecundum, & multis aliis in locis citatis ſupra, quæſt.14. art.13. num.147. & ſequuntur Caietanus hîc, §. *Circa iſtam materiam*; Ferrarienſis 1. contra Gent. cap. 67. §. *Ad euidentiam*; ad primum in ſecunda reſponſione. Bagnes hîc concl.7. Molina ſupra q.14. artic.13. d.11. Vazquez d.100. Arrubal d.62. Zumel hîc d.2. concl.7. & 8. Trigoſius in Bonauenturam 1.p. quæſt.15. art.2. dubio 1. concl.3. & dubio 2. concluſ.1. Ripa hîc dub.2. Valent. puncto 6. fin. Nazarius controuerſ.2. Et puto non negari à Scoto 1. d.2. quæſt.2. §. *Oſtenſo eſſe*; & d.39. quæſt.1. §. *Tertia propoſitio*; & Scotiſtis, & aliis, qui quæſtioni, propoſitæ initio huius dubitationis, reſpondent negatiuè ſimpliciter; ſed loquuntur iuxta ſextam concluſionem. Ratio autem huius ſeptimæ concluſionis eſt, quia de facto voluntas creata ideo liberè agit, quia agit cum potentia completa ad plura oppoſita, & cum indifferentia ab vtrumlibet, ſe ab intrinſeco per innatam ſuam libertatem determinando ad vnum. Sed hæc omnia integra, & omnino inuariata remanerent, ſi reciperet à diuina voluntate, & omnipotentia, eundem planè concurſum, quem de facto recipit, etiamſi illum reciperet neceſſariò, quia ſupponimus per huiuſmodi neceſſitatem fieri quidem variationem in Deo agente, de libero in neceſſarium, non autem in intrinſeca concurſus entitate, quæ à Deo ad extra procedit; ergo data huiuſmodi hypotheſi impoſſibili, non propterea operandi libertas deperderetur.

10. *Septima concluſio affirmatiua, facta triplici ſuppoſitione.*

*Radix cõtingẽtiæ eſt etiã à creatura. Et quo modo ſit à libera Dei volũtate.*

S.Thom.

Caietanus. Ferrarienſis. Bagnes. Molina. Vazquez. Arrubal. Zumel. Trigoſius. Ripa. Valentia. Nazarius.

*Concluſio nõ negatur à Scoto. Ratio cõcluſionis.*

---

## ARTICVLVS IX.

### *Vtrùm voluntas Dei ſit malorum.*

Ad nonum ſic proceditur. Videtur quòd voluntas Dei ſit malorum, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *An Deus velit mala, vt mala. num.1. ad 4.*
2 *An Deus velit mala naturæ, & pœnæ. n.4. ad 7.*

3 *An Deus velit mala culpæ. numero 7. ad finem articuli.*

## COMMENTARIVS.

## DVBITATIO I.

### *An Deus velit mala, vt mala.*

SVMMA.

1 *Concluſio negatiua de actu voluntatis per modum proſequutionis. num. 1. & 2.*

2 *Concluſio affirmatiua de actu voluntatis per modum fugæ. num. 2. & 3.*

1. *Prima cõcluſio negatiua de proſequutione.* S.Thom. PRIMA concluſio. *Impoſſibile eſt, quòd aliquod malum in quantum huiuſmodi, appetatur, nec appetitu naturali, nec animali, nec intellectuali.* Obiter S. Thomas hîc initio corporis. Nam hæc veritas ita generaliter accepta, & de omni appetitu, & de quacumque voluntate, tam increata, quàm creata, & de omni malo, tam culpæ, quàm pœnæ, vt eam extendunt Durandus 1. d.46. q.2.n.4. & 5. Syluester 1.p.conflati, quæſt.19.art.13. §.4. & ſignificatur illa particula, *aliquod*, ex inſtituto probatur in 1.2. quæſt.8. artic.1. Ratio S.Thomæ eſt optima, malum opponitur bono: ſed ratio boni eſt ratio appetibilis, vt probauimus ſupra quæſt.5.art.1. num.5. cum Philoſopho 1.Ethic.initio approbante illud veterum Philoſophorum axioma, *Bonum eſt, quod omnia expetunt*; ergo ratio mali, eſt ratio inappetibilis.

(Margin: Durandus. Syluester. Ariſtoteles.)

2. Quo patet, hanc concluſionem eſſe intelligendam de actu voluntatis per modum proſequutionis, quæ dici ſolet Amor, Complacentia, Appetitus; de quo ſolo actu, vt aduertunt Caietanus hîc initio; Syluest.1.p.conflati, quæſt.19.artic.13. initio; Vazquez hîc, & Machin; ſermo eſt in toto iſto articulo, & pronunciauit Magnus Dionyſius de diu.nomin.cap.4. *Nemo intendens ad malum operatur.* alioquin alius voluntatis actus per modum fugæ, cuiuſmodi eſt odium, Triſtitia, Timor, eſt de malo ſub formali ratione mali, de quo actu dicitur Sapient.14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Vnde S.Thomas 1.2. quæſt.8. ad 1. *Voluntas,* inquit, *ſe habet ad bonum, appetendo; ad malum, fugiendo:* & clarius paulò poſt, *Sicut voluntas eſt boni, ita noluntas eſt mali.* Sed voluntas eſt pe ſe boni, vt formaliter boni; ergo noluntas eſt per ſe mali, vt formaliter mali. Et deinde quæſt.29. artic.1. in fine corporis; *Sicut bonum eſt obiectum amoris, ita malum eſt obiectum odij.* & 1. contra Gent. cap. 96. initio; *Sicut amor ſe habet ad bonum, ita odium ſe habet ad malum.* Etenim Proſequi, & Fugere, ſunt actus omninò contrarij; ergo habere debent obiectum aliquod formale, per quod diſtinguantur, & conſtituantur, quod aliud eſſe non poteſt, niſi ratio boni, vel mali: ergo ratio boni non poteſt eſſe eodem formali modo communis vtrique actui: ergo actus fugæ, quatenus fugæ, formaliter verſabitur circa obiectum quatenus malum: ſicut in intellectu, actus diſſenſus, quatenus diſſenſus, non habet idem prorſus formale obiectum, quod habet actus aſſenſus. Ex quo ſequitur, adæquatum obiectum formale potentiæ volitiuæ, non eſſe ſolum bonum, quia aliquis eius actus verſatur formaliter circa malum. Quamuis autem bonum, & malum in nullam communem rationem conuenire poſſe videantur, nihilominus vnius ſpeciei potentiæ ſpecificatiuum obiectum eſſe poſſunt propter aliquam ſubordinationem eſſentialem, quam inuicem habent, ex eo quod fuga mali fundetur eſſentialiter in proſequutione boni. Enimverò res, vt ſuum bonum perfectè conſequi poſſit, habere etiam debet vim vitandi mala, quæ illi bono contraria ſunt.

(Margin: Caietan. Syluester. Vazquez. Machin. Dionyſius. *Affirmatiua de fuga.* *Exponitur locus Sap.14.* S.Thomas. *Voluntas fugiendo verſatur formaliter circa malum.* *Quo modo bonum, & malũ ſint obiectum voluntatis.*)

3. S.Thom. Atque hoc videtur S.Thom. ſignificare voluiſſe q.ſeq. art.1.initio corporis, vbi cum dixiſſet, quòd *actus voluntatis, & cuiuſlibet appetitiuæ virtutis tendat in bonum, & malum, ſicut in propria obiecta*, ſic ſtatim ſubdit, *Bonum autem principalius, & per ſe eſt obiectum voluntatis, & appetitus; malum autem ſecundariò, & per aliud, in quantum ſcilicet opponitur bono:* quia nimirum malum, vt malum, cum eſſentialiter ſit priuatio boni, non poteſt à potentia reſpici niſi propter bonum; fugimus enim malum, vt malum, hoc eſt, quia aduerſatur bono, v.g. fugimus mortem, quia eſt oppoſita vitæ: bonum verò, vt bonum, quia in ſeipſo poſitiuum quidpiam eſt, non reſpicitur à potentia propter aliud, ſed propter ſe, igitur voluntas formaliter reſpicit bonum, vt bonum, & malum, vt malum; ſed malum proter bonum; bonum verò propter ſe, non propter malum; cùm ideo reſpiciat malum, quia reſpicit bonum, non contrà. Quamuis igitur actus fugæ, ſecundum ſe conſideratus, ſiſtat in malo, formaliter quatenus malo, quia actus fugæ formaliter non eſt actus proſequutionis; tamen idem conſideratus cum ordine ad potentiam voluntatis, ſeu potius voluntas, quæ malum fugit, non ſiſtit in malo quatenus malo, ſed quia ex natura ſua habet proſequi bonum. Itaque bonum dicitur voluntatis obiectum formale primarium, & vltimatum, ſeu propter ſe; malum verò, obiectum formale, ſed ſecundarium, & non vltimatum, ſeu propter aliud. Et hanc ob cauſam S. Thomas 1.2. quæſt.1. art.1. in fine corporis abſolutè dixit, *Obiectum voluntatis eſt bonum*; nulla facta mali mentione, quia ſcilicet malum non obiicitur voluntati, niſi propter bonum. Et Durandus ſupra probat, *Malum eſſe volitum ſub ratione mali, implicare contradictionem*, quia, inquit, *ratio boni eſt communis, & formalis ratio obiecti voluntatis.* Durand.

## DVBITATIO II.

### *An Deus velit mala naturæ, & pœnæ.*

SVMMA.

1 *Mala naturæ, & pœnæ Deus non vult per ſe. num.4.*

2 *Eadem mala Deus vult per accidens. numero 4. 5. & 6.*

4. *Secunda concluſio. Non vult per ſe.* SEcunda concluſio. *Deus malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult per accidens*, hoc eſt, *in quantum conſequitur ad aliquod bonum*, ſeu, *volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum: ſicut volendo iuſtitiam, vult pœnam; & volendo, ordinem naturæ ſeruari, vult quædã naturaliter corrumpi.* Concluſio, & explicatio ſunt S.Thomæ hîc in corpore. Et probat generaliter *in quolibet appetitu: non enim agens naturale intendit priuationem, vel corruptionem; ſed formam, cui coniungitur priuatio alterius formæ; & generationem vnius, quæ eſt corruptio alterius. Leo enim occidens Ceruum, intendit cibum, cui coniungitur occiſio animalis; ſimiliter fornicator intendit delectationem, cui coniungitur deformitas culpæ.* S. Thom.

5. Ex quo acutè deducit, quod qui appetit malum per accidens, *magis appetit bonum, cui coniungitur malum, quàm bonum, quod priuatur per malum*, quia, inquit, *Malum, quod coniungitur alicui bono, eſt priuatio alterius boni.* In appetente per accidens malum, duplex bonum diſtinguendum eſt; alterum, antecedens malum, quod malum ideo per accidens appeti dicitur, *in quantum conſequitur ad aliquod bonum:* alterum conſequens malum, quia malum, quod conſequitur ad prædictum bonum, eſt priuatio alicuius boni; non illius, ad quod conſequitur, malum; ergo alterius conſequentis ad malum, cuius ſcilicet boni priuatio, malum eſt: ex his autem duobus bonis, primum appetitur, ſecundum reiicitur, v. g. in exemplis à S.Thoma allatis, Leo appetit cibum, reiicit vitam Cerui; fornicator appetit delectationem, reiicit honeſtatem, & ordinem ad bonum diuinum. *Nunquam igitur appeteretur malum, nec per accidens, niſi bonum, cui coniungitur malum, magis appeteretur, quàm bonum, quod priuatur per malum.*



(Margin: *Appetens per accidens malũ, magis appetit bonum antecedens, quàm conſequens illud malum.*)

6. *Vult per accidens.* Eandem voluntatem malorum pœnæ probant multa Scripturæ loca, vt Deuteronomij 32. *Congregabo ſuper eos mala.* Iſaiæ 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Hierem.6. *Ego adducam mala ſuper populum iſtum.* & idem cap. 11. & 14. & 23. & 36. & 45. & 49. præterea cap.18. *Agam ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Ezechielis 6. *Ego Dominus non fruſtra locutus ſum, vt facerem eis malum hoc.* & Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* Hæc, aliáque ſimilia loca intelligi nequeunt de malis culpæ, in quæ voluntas Dei neque per ſe, neque etiam per accidens ferri poteſt, vt mox oſtendam cum S. Thoma: ergo ſunt intelligenda de malis pœnæ, nimirum volitis per accidens, non per ſe: hic enim volendi modus apertè excluditur illis verbis Sapient.1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt eſſent omnia. Impij autem manibus, & verbis accerſierunt illam.* & Sapient.11. *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Cùm autem dicitur Deus velle per accidens mala pœnæ, illud *per accidens*, non excludit voluntatem verè, ac directè terminatam ad malum ipſum, & malitiam, ſeu priuationem boni, tanquam ad obiectum materiale, Deus enim verè, ac directè intendit pœnas impiorum; ſed ſolùm excludit rationem volendi, cum Deus ad volendum mala pœnæ non moueatur ratione mali, hoc eſt, ex eo quòd priuent aliquo bono, ſed ratione boni, hoc eſt, ex eo quod cum illis coniungitur ratio alterius maioris boni, quod ſine priuatione alterius minoris boni haberi non poſſet, vt patet ex dictis, & fusè, & clarè explicat Durandus ſupra n. ſuo 6.

(Margin: Deuter.32. Iſaiæ 45. Hierem.6.& alibi. Ezechiel.6. Amos 3. *Exponitur locus Sap. 1. & 11.* *In quo ſenſu Deus velit per accidens mala.*)

## DVBITATIO III.

### *An Deus velit mala culpæ.*

SVMMA.

1 *Deus mala culpæ nec vult per ſe, nec per accidens. num.7. & 8.*

2 *Deus mala culpæ nec vult eſſe, nec fieri. num. 9. & 10.*

3 *Quo modo velit Deus entitatem materialem peccati. num. 11. & 12.*

7. *Tertia cõcluſio. Nec vult per ſe, nec per accidens.* TErtia concluſio. *Malum culpæ Deus nullo modo vult*, hoc eſt, nec per ſe, ſub ratione mali; nec per accidens, ſub ratione boni. Ita etiam S. Thomas hîc in fine corporis; & ſequitur Durandus 1.d.46. quæſt.2. num.7. Totam hanc concluſionem eſſe de fide, contra multos hæreticos, & antiquos, & nouos, eruditè probat Valentia hîc, punct. 3. aſſertione 3. & multis Scripturæ locis, & Patribus. Quòd non velit per ſe, ſine dubio eſt de fide: hoc enim ſaltem conuincunt apertiſſima Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & Scholaſticorum teſtimonia, allata ſupra, quæſt.14. art.13. à num.361. Quòd neque velit per accidens, probat S. Thomas, *Aliquod malum appetitur per accidens, in quantum conſequitur ad aliquod bonum; & volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum,* Quæ maior propoſitio eſt intelligenda de conſequutione per ſe, & coniunctione per ſe; vt patet ex exemplis ſupra allatis, quibus eam probat S. Thomas, nam corruptio vnius formæ, per ſe conſequitur ad generationem formæ oppoſitæ: & mors Cerui, per ſe coniungitur cum comeſtione Cerui, facta à Leone: & deformitas culpæ, per ſe coniungitur cum delectatione fornicatoris: & malum pœnæ, per ſe coniungitur cum iuſtitia punitiua: ſed Deus nullum bonum appetit, ad quod per ſe conſequatur, vel cum quo per ſe coniungatur malum culpæ; ergo Deus nullum malum culpæ appetit per accidens. Minorem probat, quia cum appetitur per accidens malum culpæ, tunc magis appetitur aliud bonum, quàm illud bonum, cuius eſt priuatio malum culpæ, vt ſupra, num.5. *Sed malum culpæ priuat ordinem ad bonum diuinum:* ergo ſi Deus appeteret per accidens malum culpæ, magis appeteret aliquod aliud bonum, quàm ordinem ad bonum diuinum, quod dici non poteſt, quia *nullum bonum Deus magis vult, quàm ſuam bonitatem.*

(Margin: S.Thomas. Durand. Valentia. *Ratio S.Thomæ, cur Deus ne per accidens quidem velit mala culpæ.*)

8. *Ratio Durãdi.* Probari poteſt ſecundò ratione Durandi ſupra. Malum culpæ eſt eſſentialiter repugnans rectæ rationi: ergo non poteſt ex ſe habere aliquam connexionem cum bono conueniente rectæ rationi: ſicut quod eſſentialiter eſt malum naturæ, vt mors, non poteſt ex ſe habere aliquam connexionem cum bono naturæ: ſed voluntas Dei eſſentialiter recta, non poteſt per accidens appetere malum, niſi quod ex ſe habet aliquam connexionem cum bono, quod eſt conueniens rectæ rationi, ergo voluntas Dei, ne per accidens quidem appetere poteſt malum culpæ. Tertiò, ſi hoc velle poſſet Deus, poſſemus & nos eodem modo velle, vt bene arguit Valentia ſupra, quia licet hominibus conformare ſe cum diuina voluntate, vt ea velimus, quæ vult Deus; & ſub eadem ratione, qua vult Deus: ſic enim licitum eſt velle mala pœnæ ſub ratione boni honeſti, quia ea ſub tali ratione vult Deus. Mala verò culpæ ſub nulla boni ratione velle poſſumus, ergo ſignum eſt, neque eadem ratione velle poſſe Deum.

(Margin: *Ratio Valẽtiæ.*)

9. *Quarta concluſio. Deus mala culpæ non vult eſſe, nec fieri.* Quarta concluſio. Deus non ſolùm non vult mala culpæ, vt probatum eſt, ſed nec vult ea mala eſſe, vel fieri. Ita S. Thomas hîc ad primum contra aliquos, quorum opinionẽ refert Magiſter lib.1.ſentent.d.46.& reiiciunt Albertus ibi art.2.3. & 4. & 1.p.ſummæ, tract.20.quæſt.80.art.3. Ægidius quæſt. 2. & 3. Riccardus quæſt.1. Durandus quæſt.2. Argentina diſt. 47. quæſt.2. art.3. & alij. Hîc autem S.Thomam loqui de ſolis malis culpæ, patet tum ex peccatorum exemplis, quæ affert: tum quia in corpore de ſolis malis culpæ docuerat, *nullo modo* appeti. Ratio eius, qua aduerſariorum etiam fundamentum ſoluit, eſt, quia ſicut Deus non vult mala, ex eo quòd mala non ſunt bona; ita non vult mala eſſe, vel fieri, quia neque hoc eſt

(Margin: S.Thom. Magiſt. Albertus. Ægidius. Riccard. Durand. Argent. *Probatur primò ex S.Thoma.*)

eſt per ſe aliquod bonum, ſed per accidens; *ſicut,* inquit, *ex tyrannorum perſecutionibus claruit patientia martyrum.* Deus autem per rectiſſimam, & ſanctiſſimam voluntatem ſuam non poteſt aliquo modo tendere in illud malum, quod per ſe non eſt coniunctum cum aliquo bono, vt ſupra, n. 6. ſed ſolùm poteſt permittere tale malum, & ordinare ad aliquod bonum, non quod ex natura rei coniunctum eſt cum illo malo, ſed quod ipſe vult poſito illo malo. Probari poteſt ſecundò ſic. Malum culpæ nullam ex ſe habet rationem boni honeſti, cùm ſit eſſentialiter ipſa priuatio boni honeſti: ergo neque illud fieri, neque illud eſſe, habere poteſt aliquam rationem boni honeſti: quia eſſe, & fieri rei, eamdem malitiam, & bonitatem habent cum ipſa re, cum qua eſſentialiter identificantur; ergo ſi voluntas diuina non poteſt ferri in ipſum malum culpæ, eadem ratione ferri non poterit in eſſe, vel fieri mali culpæ.

*Probatur ſecundò.*

10\. Neque contrarium bene probatur ex illis verbis Auguſtini in Enchirid. cap. 96. *Quamuis ea, quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſint bona; tamen vt non ſolùm bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt.* Clariſſimè enim loquitur, non de ipſa ſimpliciter exiſtentia malorum, quæ non eſt minus mala, quàm ſint ipſamet mala; ſed de permiſſione exiſtentiæ malorum, quæ permiſſio bona eſt, & de qua in antecedentibus, & conſequentibus ſemper agit Auguſtinus. Nam initio capitis docet, *Deum facere bene, etiam ſinendo fieri quæcumque fiunt malè. Non enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit, & profectò bonum eſt omne, quod iuſtum eſt.* Sinere, eſt idem, quod in Scholis dicimus, permittere eſſe, & non impedire eſſe. Et de eadem permiſſione ſtatim concludit, *Quamuis ergo ea, quæ mala ſunt,* &c. & poſtea in eodem ſenſu ſequitur, *Nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent & mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubio, quàm facile eſt, quod vult facere; tam facile eſt, quod non vult eſſe, non ſinere.* Idémque multis oſtendit B. Gregorius lib. 11. Moral. c. 2. in illud Iob, *Abundant tabernacula prædonum;* ſic concludens, *Omnipotens itaque Deus, quod fieri prohibet, iuſtum eſt, vt fieri ſinat.* Quod ſi arguas, mala fieri, & non fieri, opponuntur contradictoriè: ſed Deus non vult mala non fieri, alioqui nullum malum fieret: ergo vult mala fieri. S. Thomas ad tertium bene negat conſequentiam, quia, inquit, *Licèt mala fieri, & mala non fieri, contradictoriè opponantur; tamen velle mala fieri, & velle mala non fieri, non opponuntur contradictoriè, cùm vtrumque ſit affirmatiuum. Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri; ſed vult permittere, mala fieri. & hoc eſt bonum.* Ex his Sanctorum Auguſtini, Gregorij, & Thomæ dictis habetur

*Obijcitur, & exponitur Auguſtini locus.*

*Permiſſio malorum eſt bona, & à Deo.*

Gregor.

*Soluitur cum S. Thoma hîc ad tertiũ ratio in contrarium.*

11\. Quinta concluſio. Deus vult permittere mala culpæ. Quæ voluntas per ſe, & directè terminatur, non ad ipſa mala, neque ad eſſe, vel fieri malorum, ſed ad negationem aliarum rerum antecedentium, quæ ſi darentur, impedirentur mala culpæ. Ita planè omnes. Atque hanc concluſionem tantùm probant multa, quæ impij hæretici nobis obiiciunt ad perſuadendam blaſphemiam de Deo, non ſolùm permittente, ſed etiam volente ipſum malum culpæ: quæ accuratè affert, & ſoluit Valentia ſupra, apud quem legi poſſunt.

*Quinta concluſio. Deus vult permittere mala culpæ.*

12\. Sexta concluſio. Materialem peccati entitatem vult, & appetit Deus: non tamen voluntate ex ſe determinata, aut prædeterminante voluntatem creaturæ peccantis; ſed ex indeterminata, & indifferente ad contrariam actus boni entitatem, & ſolùm determinata poſt liberam creaturæ determinationem. Hæc concluſio probata copioſiſſimè eſt ſupra, q. 14. artic. 13. præſertim dub. 11. & 17. Nunc verò illam iterum ſignificare placuit contra aduerſarios, occaſione doctrinæ huius articuli, cum qua manifeſtè pugnant. Primò, ſi Deus ante vllam præſcientiam peccati, etiam conditionatè futuri, prædeterminaret vt voluntas faceret hîc, & nunc talem actum, cui eſt infallibiliter annexa malitia moralis, procul dubio vellet malum culpæ, ſi non per ſe, ſaltem per accidens, quod etiam expreſsè negat S. Thomas. Conſequentia ex eodem paret, quia, inquit, *Aliquod malum appetitur per accidens, in quantum conſequitur ad aliquod bonum.* Sed ad bonum materialis entitatis peccati hîc, & nunc, conſequitur conſequentia per ſe, & omnino infallibili, ac neceſſaria, malum culpæ: ergo ſi Deus ex ſe prædeterminando vult huiuſmodi bonum, conuincitur velle malum culpæ, ſaltem per accidens. Item, velle malum per accidens, eſſe ait, *velle aliquod bonum, cui coniungitur tale malum.* Sed cum bono materialis entitatis peccati hîc, & nunc, coniungitur per ſe, & infallibiliter malum culpæ: ergo ex decreto diuino, omnino antecedenter prædeterminante materialem entitatem peccati hîc, & nunc, ſequitur, Deum, ſaltem per accidens, velle mala culpæ. Secundò circa medium corporis, docet fornicatorem ideo per accidens velle malum culpæ, quia, inquit, *fornicator intendit delectationem, cui coniungitur deformitas culpæ.* Sed Deus prædeterminans entitatem peccâti, non minus illam intendit, quàm fornicator delectationem; & deformitas culpæ non minus coniungitur cum entitate peccati, quàm cum delectatione: ergo Deus, non minus quàm fornicator, vult per accidens malum culpæ. Tertiò ex reſponſione ad tertium conſtat, Deum nulla alia ratione velle malum culpæ, niſi quia *vult permittere mala fieri;* ergo ex mente S. Thomæ, nullum aliud decretum in diuina voluntate circa peccata cogitari poteſt, niſi terminatum præciſè ad permiſſionem, quæ non eſt entitas actus peccati, ſed negatio auxiliorum, & aliarum rerum, quibus illa entitas impediretur, ergo ille non agnoſcit aliud Dei decretum, ex ſe, omnino antecedenter, terminatum directè, & immediatè ad ipſam entitatem actus peccati. Quartò ibidem, *Deus non vult, mala fieri:* ſed ante omnem liberæ creaturæ determinationem, prædeterminare, & efficaciter decernere, vt creatura faciat hunc actum in particulari, ſub his, & illis circunſtantiis, ſub quibus ille actus non poteſt non eſſe malus, eſt maximè velle fieri mala, ergo prædictum decretum cohærere minimè poteſt cum doctrina huius articuli.

*Sexta cõcluſio de modo, quo vult Deus materiale peccati.*

*Arguitur ex S. Thoma, non prædeterminari voluntatẽ ad materiale peccati.*

## ARTICVLVS X.

### *Vtrùm Deus habeat liberum arbitrium.*

### Ad decimum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non habeat, &c.

CONCLVSIO affirmatiua eſt de fide, vt ex ſuperioribus probatum remanet. Nam, vt dicitur hîc in argumento ſecundo, eiúſque ſolutione, & ab omnibus recipitur, *Liberum arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, ad oppoſita ſe habens, in quantum velle poteſt hoc eſſe, vel non eſſe.* De fide autem eſt, in Deo eſſe rationem, q. 14. art. 1. & voluntatem, quæſt. 19.

*Probatur cõcluſio affirmatiua ex S. Thoma.*



quæſt. 19. art. 1. & libertatem, qua ſe habet ad oppoſita, quæſt. 19. art. 3. vbi diuinæ libertatis ratio, tam in actu primo, quàm in actu ſecundo diligenter explicata eſt; & in particulari reiecta opinio Gonzalez, à num. 65. ad 69. quam in hoc articulo diſp. 61. rurſus nobis perſuadere fruſtra nititur; & opinio Aureoli, qui ex illius abſurditate aliud abſurdum deduxit 1. d. 47. q. 1. art. 4. §. *Tertiò ſequitur.* dicens, *Quòd in Deo non eſt propriè ratio liberi arbitrij.* ídque contra S. Thomam inſufficienter probauit, ex eo, *quia liberum arbitrium includit contingentiam.* Hoc enim negari facilè poteſt ex ſententia S. Thomæ, & aliorum, vt ſupra art. 3. num. 15. vel ſi cum aliis concedatur, vt ibidem, dicendum, contingentiam, quæ tribuitur diuinæ voluntati, non eſſe ſubiectiuam, per ordinem ad aliquid, quod in ea voluntate poſſit eſſe, vel non eſſe; ſed ſolùm effectiuam, per ordinem ad aliquid, quod ab ea voluntate poteſt eſſe, vel non eſſe. Quod eſt perfectio abſque vlla imperfectione. Demum liberum Dei arbitrium, vt dicitur hîc ad primum, & ſecundum ex Hieronymo, & ab eodem S. Thoma fuſius explicatur, & probatur de Verit. quæſt. 24. art. 3. & 2. d. 25. q. 1. art. 1. ad 2. non eſt ad bona, & mala culpæ, ſicut in creaturis, defectibilibus, & quoad naturam, & quoad cognitionem, ex quarum rerum imperfectione, ac defectibilitate prouenit liberum arbitrium ad peccandum, quod eſt liberum arbitrium imperfectum; ſed ſolùm eſt ad bona creata, quæ poteſt velle, & non velle; facere, & non facere. Quare infra, quæſt. 62. art. 8. ad 3. dicitur, *Poſſe peccare pertinet ad defectum libertatis:* non quòd non ſit vera, ac poſitiua aliqua libertas, ſed quòd ſit libertas imperfecta. Vnde paulò ante dicitur, *Poſſe eligere diuerſa, ſeruato ordine finis, pertinet ad perfectionem libertatis.* & paulò poſt, ita deducit, *Vnde maior libertas arbitrij eſt in angelis beatis, qui peccare non poſſunt, quàm in nobis, qui peccare poſſumus.* Vbi per maiorem libertatem, ſignificatur libertas perfectior, ſeu maior intenſiuè; cùm in nobis ſit maior extenſiuè propter imperfectionem. Nam, vt docet Auguſtinus in Enchirid. cap. 105. *Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſeruire peccato.*

*Contra Aureolum, cuius fundamentũ ſoluitur.*

*Quæ contingentia conueniat diuinæ voluntati.*

S. Hieron.
S. Thom.

*Liberum Dei arbitrium ad quæ ſe extendat.*

*Qualis ſit libertas ad peccandum.*

S. Thomas.

Auguſtinus.

## ARTICVLVS XI.

### *Vtrùm ſit diſtinguenda in Deo voluntas ſigni.*

### Ad vndecimum ſic proceditur. Videtur quòd non ſit diſtinguenda, &c.

CONCLVSIO affirmatiua omnium Theologorum, ſufficienter declarata, & probata ſupra art. 6. num. 16. Vbi verè nihil tractatur quoad rem, ſed duntaxat quoad vocem: ſolùm enim probatur, quòd ſignum diuinæ voluntatis, diſtinctum ab illa, vocetur etiam voluntas, nimirum metaphoricè, per ſimilitudinem à nobis ductam: ſicut enim quod extra nos, à libera noſtra voluntate procedit, voluntas dicitur, vt Teſtamentum, voluntas Teſtatoris; ita quod Deus ad extra liberè facit, dicta eſt voluntas Dei: &, vt ait Anſelmus in libello de voluntate Dei, circa principium, *Voluntatem Dei appellamus quicquid in nobis ipſe miſericorditer operatur. Voluntas Dei eſt quicquid fit, vt fieri inuenitur in creaturis.* Sic paſſim in ſcriptura vocantur diuina præcepta. Matth. 6. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.* Vbi nomine voluntatis intelliguntur, inquit S. Thomas artic. ſeq. circa finem corporis. Alenſis 1. p. quæſt. 36. membro 1. circa principium. Aureolus 1. d. 46. quæſt. 1. art. 3. propoſit. 2. *Præceptum, conſilium, & prohibitio.* Sic etiam cùm dicitur Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt:* vt notat Aureolus ſupra. & Pſal. 102. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filijs Iſraël voluntates ſuas.* Actor. 13. *Inueni Dauid, qui faciet omnes voluntates meas.* Differt autem hæc metaphora, qua ſignum voluntatis, voluntas dicitur, ab ea, qua ſignum iræ, hoc eſt, punitio, ira dicitur; *quia,* inquit S. Thomas circa finem corporis, *ira de Deo nunquam propriè dicitur, cùm in ſuo principali intellectu includat paſſionem: voluntas autem propriè de Deo dicitur, & vocatur voluntas beneplaciti.* Quæ quidem diuiditur contra voluntatem ſigni, quia ipſum ſignum, in ſe præciſè ſpectatum, non eſt voluntas; quamuis voluntatem aliquam ſignificet: ſi enim ſignum eſt aliquid extra Deum, à libera Dei voluntate procedat neceſſe eſt. Non eſt autem neceſſarium, vt omne, quod dicitur ſignum diuinæ voluntatis, præter voluntatem ipſius ſigni, ſignificet voluntatem alterius rei, cuius eſt illud ſignum, v. g. ſigno permiſſionis peccati correſpondet in Deo voluntas ipſius permiſſionis, ſed non peccati. vt de hoc, & de aliis ſignis breuiter adnotabo art. ſeq.

*Concluſio affirmatiua pertinens ad modum loquendi.*

*Signum diuinæ voluntatis dicitur metaphoricè voluntas.*

Anſelmus.

*Exponitur locus Matth. 6. & 12. Pſal. 102. Actor. 13.*
S. Thomas.
Alenſis.
Aureolus.

*Voluntas beneplaciti quo modo diuidatur contra voluntatem ſigni.*

## ARTICVLVS XII.

### *Vtrùm conuenienter circa diuinam voluntatem ponantur quinque ſigna.*

### Ad duodecimum ſic proceditur. Videtur quòd inconuenienter, &c.

SIGNA, quæ in primo argumento numerantur, ſunt, Prohibitio, Præceptum, Conſilium, Operatio, Permiſſio: & maiores noſtri, in memoriæ ſubſidium, complexi ſunt hoc verſu, quem refert S. Thomas 1. d. 45. quæſt. 1. art. 4. in fine corporis, & ante ipſum Altiſiodorenſis lib. 1. cap. 12. quæſt. 1. ante finem.

*Præcipit, ac prohibet, permittit, conſulit, implet.*

De quibus, inquit Alenſis 1. p. quæſt. 36. membro 1. circa principium, *intelligitur illud Pſal. 110. Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Huius diuiſionis conueniens ratio, & alia ad eamdem diuiſionem pertinentia clarè, ac facilè explicantur à S. Thoma hîc, & 1. d. 45. quæſt. 1. art. 4. & de Verit. q. 23. artic. 3. Tria videntur præcipuè aduertenda, quæ cit. art. 3. fin. breuiter colligit S. Thomas. Primum, circa aliquid, quod eſt voluntas ſigni, ſemper eſſe voluntatem beneplaciti; vt dicitur hîc ad 2. Ita eſt operatio; eſt enim impoſſibile, Deum aliquid ad extra liberè operari abſque voluntate beneplaciti. Secundum, circa aliquid, quod eſt voluntas ſigni, nunquam eſſe voluntatem beneplaciti. Ita eſt permiſſio peccati, quod Deus velle non poteſt, ſed tantùm poteſt velle non impedire. Tertium, circa aliqua, quæ ſunt voluntates ſigni, aliquando eſſe, aliquando non eſſe voluntatem beneplaciti. Ita ſunt Præceptum, Prohibitio, Conſilium. Poteſt enim Deus non ſolùm præcipere, &

*Quæ ſint ſigna diuinæ voluntatis.*

S. Thomas.
Altiſidor.

*Exponitur locus Pſal. 110.*
Alenſis.

*Quando circa voluntatẽ ſigni ſit, vel nõ ſit voluntas beneplaciti.*

conſulere quæ efficaciter vult, & prohibere quæ efficaciter non vult; ſed etiam præcipere, & conſulere quæ efficaciter non vult, vt cùm præcepit Abrahamo immolationem Iſaac;& prohibere quæ non vult efficaciter non eſſe, quo modo prohibet omnia illa peccata, quæ nihilominus fiunt. Ratio

S.Thomas. *In quo diſtinguuntur voluntas ſigni, & beneplaciti.*

eſt,quia,vt docet S.Thomas eodem art.3.ad 6. *Voluntas ſigni non diſtinguitur contra voluntatem beneplaciti per hoc,quod eſt impleri, & non impleri: ſed quia vnum eſt ipſe Deus,aliud effectus eius.* Voluntas enim beneplaciti,eſt ipſa voluntas,quæ formaliter eſt in Deo, & conſequenter eſt ipſemet Deus: voluntas verò ſigni eſt ipſum ſignum extra diuinam voluntatem,ac proinde effectus eius. Ad cuius maiorem intelligentiam, in quolibet ſigno diſtinguenda ſunt duo; vnum prius,quod eſt id,quod explicitè, ac directè dicitur ſignum; & aliud poſterius,quod eſt aliquo modo effectus ſigni: conſiderari enim debent non ſolùm prohibitio, præceptum, conſilium, operatio, permiſſio; ſed etiam res,quæ prohibetur, præcipitur, permittitur, cadit ſub conſilium, & ad quam terminatur operatio. Igitur ratione primi, omnis voluntas ſigni dicitur effectus diuinæ voluntatis, volitus voluntate beneplaciti:

S.Thomas.

nam, vt ait S.Thomas 1.d.45. quæſt.1. art.4. ad 4. *permiſſio ipſa effectus eſt alicuius voluntatis.* &, vt ait de Verit.quæſt.23.art.3.ad 2. *quamuis Deus non velit omne,quod præcipit,vel permittit; vult tamen aliquid circa hoc. Vult enim omnes eſſe debitores eius, quod præcipit; & in poteſtate noſtra eſſe id, quod permittit.* Ratione autem ſecundi, non omnis res eſt effectus diuinæ voluntatis; ac proinde non omni voluntati ſigni extra Deum, correſpondet in Deo voluntas beneplaciti,vt probatum eſt. Nunquam igitur voluntas ſigni, ſeu ſignum diuinæ voluntatis erit falſum.Nam primo modo,ſemper illi reſpondet in Deo vera aliqua voluntas. Vnde de ipſa

Auguſtinus.

etiam permiſſione dixit Auguſtinus in Enchiridion cap.95. *Nihil fit,quod omnipotens non velit; vel ſinendo vt fiat, vel faciendo.* Secundo autem modo, quamuis non ſemper reſpondeat, tamen, vt docet

S.Thomas.

S. Thomas ſupra de Verit. ad 2. *voluntas ſigni non pro tanto dicitur, quia ſignificet, Deum velle illud; ſed quia id, quod ſolet eſſe ſignum voluntatis apud nos, voluntas nominatur, non autem oportet, vt id, quod ſolet eſſe alicuius rei ſignum,ſit falſum, quando ei non reſpondet id, quod ſolet ſignificare; niſi tunc tantùm, quando ad ſignificandum illud adhibetur.*

# QVÆSTIO XX.

## *De amore Dei, in quatuor articulos diuiſa.*

### Deinde conſiderandum eſt de iis, quæ abſolutè ad voluntatem, &c.

---

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm amor ſit in Deo.*

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd amor non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Actum amoris propriè eſſe in Deo. num.1.*
2 *An ſit amor concupiſcentiæ. num.2.*
3 *An alij voluntatis actus ſint propriè in Deo. n. 3. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

1. *Prima concluſio affirmatiua.*

PRIMA concluſio. Amor eſt propriè in Deo. Ita omnes,cùm paſſim in ſcriptura tribuatur Deo actus amoris, ſeu dilectionis; & cùm in hoc actu, ita ſignificato, nulla importetur imperfectio, non eſt ratio, cur ſcriptura non intelligatur in ſenſu proprio ſine metaphora; & talis actus non dicatur eſſe formaliter in Deo: præſertim cùm propter hunc actum ipſemet Deus charitas eſſe dicatur 1.Ioan.4. *Qui non diligit, non nouit Deum; quoniam Deus charitas eſt.* Ratio S. Thomæ eſt optima demonſtratio Theologica. Vbi eſt propriè, & formaliter voluntas, non poteſt non eſſe propriè, & formaliter amor; ſed, vt ex ſcriptura probatum eſt ſupra, quæſt. 19. art.1. in Deo eſt propriè, & formaliter voluntas, ergo eſt propriè, & formaliter amor. Maiorem probat, quia vbi eſt voluntas, ibi aliquis actus voluntatis reperiatur neceſſe eſt;ſed ſine actu amoris, nullus omnino actus in voluntate conſiderari poteſt: ergo primus actus neceſſariò competens cuilibet voluntati eſt amor. Minorem huius ſecundi ſyllogiſmi probat, quia primarium, & per ſe obiectum voluntatis eſt bonum; ſecundarium,& per aliud, eſt malum, vt ſupra quæſt.19. art.9. concl.1. ergo priores ſunt actus voluntatis circa bonum, quàm circa malum, *vt gaudium, quàm triſtitia; & amor, quàm odium: ſemper enim quod eſt per ſe, prius eſt eo, quod eſt per aliud*, ex iis autem actibus, qui verſantur circa bonum, amor eſt omnium primus, quia cæteris omnibus eſſentialiter eſt communis, nimirum præſuppoſitiuè, vt limitat Syluester 1. p. conflati, quæſt.20. art.1. §.4. in quantum, inquit S.Thomas hîc, *omnes alij motus appetitiui præſupponunt amorem, quaſi primam radicem. Nullus enim deſiderat aliquid, niſi bonum amatum: neque aliquis gaudet, niſi de bono amato. Odium etiam non eſt, niſi de eo, quod contrariatur rei amatæ. & ſimiliter triſtitiam, & cætera huiuſmodi, manifeſtum eſt in amorem referri, ſicut in primum principium.* Quam amoris primitatem, & communitatem eleganter docuit Auguſtinus l.14. de ciuit.cap 7. circa finem, his verbis. *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas eſt: id autem habens, eóque fruens, lætitia eſt. Fugiens quod ei aduerſatur, timor eſt: idque ſi acciderit ſentiens triſtitia eſt. Proinde mala ſunt iſta,ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus.*

1.Ioann. 4.

*Probatur ratione S. Thomæ.*

*Amoris primitas, & vniuerſalitas inter omnes actus voluntatis.*

Syluester.

Auguſtin.

2. *Alia ratio S.Thomæ.*

Probat ſecundò idem fuſius lib.1. cont. Gent. c.91. Principalior, & clarior ratio eſt, *quia Deus vult bonum ſuum,& aliorum*, ex quæſt.19.art.1.& 2. *igitur & ſe,& alia amat;hoc enim eſt propriè de ratione amoris, quòd amans, bonum amati velit.* In eo autem amoris actu, quo Deus vult bonum creaturarum, tria poſſunt conſiderari; primum, quòd omnes creaturas velit propter ſe, vt ſupra quæſt.19.art.2. concl. 2. ſecundum, quòd velit bonum creaturarum rationalium, à quibus redamatur. tertium, quòd velit bonum creaturarum irrationalium propter bonum creaturarum rationalium.Propter primum, ille actus dici non poteſt amor concupiſcentiæ: quamuis enim in nobis, velle bonum alteri propter ſe, ſit amor concupiſcentiæ, quia illud,

*An amor Dei erga creaturas ſit concupiſcentiæ, & amicitiæ.*



illud, *Propter ſe*, in nobis importat bonum nobis vtile, ſeu commodum, quo nos indigemus ad maius bonum noſtrum; tamen in Deo hoc non importat, ſed ſolùm condecentiam bonitatis ſuæ, vt loco citato num.7. Propter ſecundum,idem actus

S.Thomas. Capreolus. Suarez. Trigoſius. Vazquez. Becanus.

dici poteſt amor amicitiæ, vt bene notant S.Thomas art.ſeq.ad 3. & ſequuntur Capreolus 1. d.45. quæſt.1.art.1. concl.11. Suarez 1.p.tract.1.l.3.c.7. n.3. Trigoſius in Bonauent.1.p.q.16. art.2. dub.1. Vazquez d.84.cap.2.Becanus cap.12.n.5.& ex inſtituto probatum eſt 2. 2. in materia de charitate. Propter tertium, poteſt ſecundùm S. Thomam, Capreolum,Trigoſium,Vazquez, Becanum, Suarez ſupra, idem actus denominari amor concupiſcentiæ; nimirum non reſpectu ipſius Dei, ſed reſpectu creaturæ: Deus enim concupiſcit,ſeu potius vult, & amat bonum vnius, non quia eſt ſibi bonum, ſed quia eſt bonum alterius creaturæ. & ideo Capreolus ſupra non vocat amorem concupiſcentiæ ſimpliciter,ſed *quaſi concupiſcentiæ*: quem

S.Thomas.

modum loquendi tribuit S.Thomæ; apud quem tamen non legitur illud, *Quaſi.* ſed in 3.d.32. q.1. art.2.ad 2.ait,Deum creaturas inanimatas ita amare *in concupiſcendo, non ſibi, ſed alteri; vt non fiat vis in verbo concupiſcentiæ,quod anxietatem importat.*

## DVBITATIO VNICA.

### *An alij voluntatis actus ſint propriè in Deo.*

### SVMMA.

1 *Traditur regula generalis. num.3.*
2 *Gaudium,& delectationem eſſe propriè in Deo. n.4.*
3 *Triſtitiam, & dolorem non eſſe propriè in Deo. num.4. & 5.*
4 *Spem,& deſideriū non eſſe propriè in Deo.n.6.& 7.*
5 *Timorem, & pœnitentiam non eſſe propriè in Deo. num.8.& 9.*
6 *Inuidiam, & iram non eſſe propriè in Deo. n.10. & 11.*
7 *An in Deo ſit propriè odium, ſaltem peccati. n.12. & 13.*

3. *Secunda concluſio tradens regulam vniuerſalem.*

SEcunda concluſio vniuerſalis,quam ex doctrina S.Thomæ præſertim hîc ad ſecundum bene colligit Syluester ſupra ad ſecundum. Ille actus voluntatis, non propriè, ſed metaphoricè tantùm ponitur in Deo, qui vel ſecundùm ſuam rationem importat tranſmutationem corporalem annexam; vel ſi hanc non importat, tamen ſecundùm ſuam rationem importat defectum, & abſentiam alicuius boni. Actus verò voluntatis, qui neutram harum duarum imperfectionum includunt,tribuuntur Deo, non metaphoricè, ſed propriè, & formaliter. Prima imperfectio expreſsè repugnat Deo,

S.Thom.

quia, vt arguit S.Thomas 1.cont. Gent. c.89.n.2. *non eſt corpus,neque virtus in corpore,* ſupra,q.3.art.1. & 2. Sic etiam ſecunda imperfectio,quia Deus eſt ſummum bonum per ſuam eſſentiam, ſupra, q.6. art.2.& 3. Præter has autem duas imperfectiones, nulla alia eſt aſſignabilis, quæ impedire poſſit, ne actus propriè, & formaliter conueniat Deo.

4. *Tertia concluſio. Gaudiū, & delectatio propriè in Deo ſunt.* S.Thomas. *In quo conueniāt,ac differāt gaudium, & delectatio.*

Tertia concluſio. Actus gaudij,& delectationis ſunt propriè in Deo. Ita S.Thomas hîc ad 1. & 2. & latius 1.cont.Gent.cap.90. vbi docet, hos actus conuenire, in quantum vterque eſt de bono præſenti: differre autem ratione,in quantum gaudium eſt de bono præſenti, ſiue in ſe, ſiue extra ſe; *ſola enim quietatio voluntatis ſufficit ad gaudij rationem:* delectatio verò eſt de bono præſenti, ſolùm in ſe, & ſibi realiter coniuncto. Quare propriè loquendo,omnis delectatio, eſt gaudium;non omne gaudium, eſt delectatio. Et, vt dicitur in fine capitis, *Deus propriè in ſeipſo delectatur; gaudet autem in ſe,& in alijs.* Aliqua etiam rationis differentia eſt inter gaudium,& amorem Dei, nimirū circa bona creata, quicquid contra S.Thomam dicat Aureolus 1. d.46.q.1.art.2.§.*Sed hic modus.* quia hæc bona prius ſunt volita, quàm ſint actualiter Deo præſentia: cùm hanc præſentiam habuerint ex voluntate, & amore Dei,tanquam ex cauſa, ergo in illo priori, actus diuinæ voluntatis dici poteſt amor creaturarum, non gaudium; quia in illo priori creaturæ non præſupponuntur præſentes, aut in actu futuræ,ſed circa bona increata, quæ in nullo ſigno rationis concipi poſſunt vt non præſentia, non poſſunt in diuina voluntate diſtingui actus amoris,& gaudij,ſed erit ſemper actus gaudij. Ratio concluſionis eſt,quia gaudium, & delectatio non important imperfectionem corporalis tranſmutationis; hæc enim nō annectitur niſi actibus appetitus ſenſitiui,qui propriè dicuntur paſſiones, teſte S.Thoma 1.cont.Gent.c.89.initio; gaudium verò,& delectatio conueniunt propriè,etiam actibus appetitus intellectiui,qui eſt voluntas.Neque ſecundùm propriam rationem important aliquam aliam imperfectionem ex parte obiecti, aut modi ſe habendi ad illud; quia habent pro obiecto bonum præſens, & actu habitum.

*Differētia inter gaudium, & amorem Dei erga creaturas ex S.Thoma cōtra Aureolū.*

5. *Quarta concluſio. Nullus præterea volūtatis actus eſt propriè in Deo.*

Quarta concluſio. Præter actus amoris,gaudij, & delectationis, nullus alius actus, ex iis, qui de appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo, communiter dicuntur, conuenit propriè Deo, ſed tantùm metaphoricè, ſecundùm ſimilitudinem effectus in nobis,vt ſupra q.19.art.6.num.16.& art.11.initio. Hæc eſt expreſſa ſententia S.Thomæ, tum breuiter in hoc articulo,præſertim ad primum,vbi tres tantùm actus numerantur,qui propriè,& formaliter ſunt in Deo, *Amor, & gaudium, & delectatio:* tum fuſius in lib.1. cont.Gent. cap.89. 90. 91. vbi & hi tantùm tres actus numerantur, & excluduntur expreſsè omnes alij ſequentes.

S.Thom.

6. *Probatur cōcluſio de triſtitia, & dolore,etiam de malis creaturarum.*

Igitur in diuina voluntate propriè, & formaliter non eſt primò triſtitia. Non ſecundò dolor. quia harum affectionum *obiectum eſt malum iam inhærens;* ſicut gaudij obiectum eſt bonum præſens, & habitum;vt ait S.Thomas cit.cap.89.num.5.

Dices,hoc probari,non poſſe in Deo eſſe triſtitiam, & dolorem de malo proprio, non autem de malo alieno creaturæ;nos enim triſtamur,& dolemus tam de malis noſtris, quàm aliorum: & ſicut gaudium eſt propriè in Deo, etiam de bonis creaturæ, ita eſſe pariter poterit triſtitia, & dolor de malis creaturæ. Reſpondetur, hoc de Deo non rectè dici: quia mala creaturarum vel ſunt pœnæ, vel naturæ,vel culpæ. Deus de malis pœnæ,& naturæ creaturarum non poteſt habere triſtitiam, & dolorem;quia ipſe huiuſmodi mala vult,& cauſat, vt ſupra q.19. art.9. dub.2. Neque etiam de malis culpæ, quoniam hæc vel conſiderantur ſecundùm ſe,vel per ordinem ad ſubiectum in quo ſunt. Primo modo non poteſt de illis propriè triſtari,ac dolere Deus,quia non indiget bonis illis extrinſecis, quibus peccatum priuat; nempe creaturarum honore,& gloria,& obedientia: & quodlibet peccatum facilè poſſet impedire ſi vellet; vnde non eſt omnino contra voluntatem ſuam,quod propterea dicitur permittere:non dicimur autem triſtari propriè quòd occurrant illa mala, quæ certò præuidemus occurſura,& in noſtra poteſtate eſt vt non occurrant.Neque etiam ſecundo modo,quia non triſtamur de malis in ordine ad ſubiectum, quod illa





patitur,

paritur, niſi illud ſit nobis amicum: at peccatum mortale diſſoluit amicitiam cum Deo, & ideo non eſt malum amici, ſed inimici: peccatum verò veniale, eſt quidem malum amici, ſed non affert Deo triſtitiam, tum quia ab eius voluntate permittitur; tum quia leue cùm ſit, facilè poteſt à Deo tolli, vt docet Suarez ſupra num. 6. & 7.

7.
*Probatur de ſpe, etiam reſpectu creaturarum.*
S. Thomas.

Non eſt tertiò ſpes. Non quartò deſiderium. De ſpe omnes conueniunt, & bene probat S. Thomas ſupra numero ſuo ſexto. *quia ſpes, quamuis habeat obiectum, bonum; non tamen bonum obtentum, ſed obtinendum: quod quidem Deo non poteſt competere ratione ſuæ perfectionis, quæ tanta eſt, quòd ei additio fieri non poteſt.* Quæ ratio conuincit ſolùm de ſpe boni, quod Deus ſibi ſperare poſſit. Sed quòd non poſſit ſperare aliis, eſt etiam manifeſtum; quia ſperare propriè eſt cum aliqua incertitudine, ac formidine boni futuri, vel non futuri: qui enim certus eſt de bono futuro, vel non futuro reſpectu aliorum, non poteſt illud aliis ſperare. Item ſperare, eſt de bono conſequendo ex virtute, ac libertate alterius: nam non ſperamus bona aliis, quæ illis dare, vel non dare, eſt in libera noſtra poteſtate, independenter ab alio: ſed Deus de omnibus bonis creaturarum futuris, vel non futuris certiſſimam præſcientiam habet, & omnia in eius libera poteſtate ſunt, abſque vlla prorſus dependentia, ergo Deus nullũ bonum ſperare poteſt creaturis: vt extendunt Ferrarienſis 1. cont. Gent. c. 89. §. *Sed occurrit.* Suarez 1. p. tract. 1. l. 3. c. 7. n. 8. *Si autem aliquis,* inquit Ferrarienſis, *nomen ſpei vellet largiùs accipere, pro actu ſcilicet voluntatis, quo quis vult alicui bonum, illum futurum cum certitudine; ſic non eſſet inconueniens dicere, Deum ſperare nobis beatitudinem, ſed hoc eſſet vocabulis abuti.*

Ferrarienſ.
Suarez.

8.
*Probatur de deſiderio.*
S. Thom.
Ferrarienſis.
Capreolus.

De deſiderio apud S. Thomam, & Ferrarienſem ſupra, & Capreolum 1. d. 45. q. 1. art. 1. concluſ. 5. & alios communiter, eſt eadem omnino ratio, quæ de ſpe. Vnde hîc ad ſecundum de deſiderio, non de ſpe expreſsè dicitur, *In deſiderio, ex parte eius, quod eſt formale, deſignatur aliqua imperfectio, quod eſt boni non habiti.* Verùm Syluester 1. p. conflati, q. 20. art. 1. ad 6. & quidam alij recentiores contendunt in Deo eſſe propriè deſiderium boni, non ſui, ſed creaturæ: quia, inquiunt, vult Deus aliquod bonum creaturis, quod illæ poſſunt non habere: quem deſiderij actum exprimi putant illis verbis 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri:* ſed, vt de ſpe bene dixit Ferrarienſis ſupra, *hoc eſt vocabulis abuti.* tum quia actus ille, de quo ad Timotheum, eſt quidem ſimplex affectio, & cõplacentia, & velle inefficax, quod propterea S. Thomas ſupra q. 19. art. 6. ad 1. non vult abſolutè appellare velle, ſed potiùs velleitatem: tamen nõ eſt propriè deſiderium, quod importat actum efficacem, quantum eſt ex parte volentis: tum quia inter nos etiam ridiculè diceretur, v. g. Papa deſiderare Paulo Cardinalatũ, quem nemo poteſt illi dare niſi Papa, & tamen non vult ei illum dare. Multò minus dici poteſt Deus deſiderare beatitudinem non prædeſtinatis, quibus Deus dare efficaciter non vult, & nemo dare poteſt niſi Deus, cui nulla prorſus voluntas poteſt reſiſtere. Nullum igitur bonum creatum, ſub ratione non habiti, ſeu, ſub ratione carentiæ deſiderari poteſt à Deo, omnium bonorum primo principio. Neque mouere debet Chryſoſtomus ſupra art. 6. n. 6. cum de Deo dicit, *valde deſiderat,* quam vim habet etiam Græca vox textus Chryſoſtomi, vt facilè cõcedent illius linguæ periti, quicquid alij hîc in contrarium ſcripſerint; nam verbum *deſiderare,* non propriè, ſed metaphoricè tribuit Deo Chryſoſtomus, nimirum vt explicaret, non abſentiam boni voliti, quæ propriè ſignificatur per deſiderium, ſed vehementiam volendi: ſicut igitur quia nos quod deſideramus, vehemẽter velle ſolemus, ita quia Deus etiam aliquid vehementer vult, dictus eſt deſiderare. Vnde hanc vocem impropriè tribui Deo, ſignificat ipſemet Chryſoſtomus paulò ante, ita corrigẽs loquendi modum, *Hoc eſt, vt ita dicam, eius deſiderium.*

*Syluester, & alij ponunt in Deo deſideriũ boni creaturarum.*
1. ad Tim. 2.
*Reijcitur prædicta ſententia.*
S. Thomas.
*Reſpondetur ad authoritatem Chryſoſtomi.*

9.
*Probatur de Timore cum S. Thoma.*

Non eſt quintò Timor, *duplici ratione,* inquit S. Thomas cit. c. 89. n. 7. *& quia non eſt niſi exiſtentis in potentia; timor enim reſpicit malum, quod poteſt imminere, ſicut ſpes bonum obtinendum: & quia habet obiectum, malum, quod poteſt ineſſe,* Deo autem, actui puriſſimo, & ſummo bono, nihil addi poteſt, præſertim malum. Præterea cum certiſſimè præuideat omnia aliorum mala futura, vel non futura, & facillimè quodcumque malum impedire poſſit, ſi velit, dici propriè non poteſt, timere aliorum mala, ne eueniant: hoc enim in timente ſignificat & ignorantiam, & impotentiam.

10.
*Probatur de pœnitentia cũ S. Thoma.*

Non ſextò pœnitentia. quod dupliciter etiam probat S. Thom. ſupra primò, *quia pœnitentia, ſpecies triſtitiæ eſt.* Secundò, *quia mutationem voluntatis importat;* quas imperfectiones euidens eſt, & repugnare Deo, & includi in propria ratione pœnitentiæ.

11.
*Probatur de inuidia cum S. Thoma.*

Non ſeptimò inuidia, quia, inquit S. Thomas ſupra n. 8. *inuidia non ſolùm ſpecies triſtitiæ eſt, ſed etiã triſtatur de bono alterius, tanquam ſibi malo.* Deus autem neque ſimpliciter triſtari poteſt, vt ſupra n. 5. neque alicuius bonum poteſt ſibi eſſe malum, aut ab ipſo apprehendi vt malum ſibi: quoniam eſt vniuerſaliſſimum principium omnium bonorum, abſque vllo bonitatis ſuæ defectu: vnde ſi aliquod verè bonum, apprehenderet, atque acciperet per inuidiam, vt malum ſuum, erraret.

12.
*Probatur de ira cũ S. Thoma, Capreolo, Ferrarienſi, Syluestro, Vazquez, Gõzalez, Nazario; cõtra Lactantium, & alios.*

Non octauò ira. Quod hîc ad ſecundum, & cit. c. 89. fin. probat primò, quia *in ira (vt dicitur in primo de Anima) materiale eſt, accenſio ſanguinis circa cor, vel aliquid huiuſmodi:* quod ſupra n. 3. Deo contradicit. Secundò, quia *ira triſtitiam ſupponit, & effectus triſtitiæ eſt; quia eſt appetitus vindictæ propter triſtitiam ex iniuria illata conceptam:* ſed in Deo non eſt triſtitia, vt ſupr. n. 5. ergo nec ira. Tertiò, ſicut per inuidiam, triſtari de bono, eſt ex hoc, quòd bonum alterius æſtimatur malum ſuum; ita per iram ex triſtitia ortam, appetere malum alterius ad vindictam, eſt ex eo, quòd malum alterius æſtimetur bonum ſuum. Vtrumque autem æquè repugnat perfectioni diuini intellectus. Idem tenent Capreolus 1. d. 45. q. 1. art. 1. cõcl. 7. Ferrarienſ. 1. cont. Gent. c. 89. fin. Sylu. 1. p. conflati, q. 20. art. 1. §. 2. notab. 2. & ad 2. quamuis Lactantius, & alij pauci recentiores iram Deo propriè tribuant, quos referunt, & multis impugnant Vazquez d. 84. c. 4. Gonzalez d. 62. Nazarius hîc, controuerſ. vnica, §. *Iam verò.* & concl. 4.

13.
*Probatur de odio rerum.*
*Exponitur locus Sap. 11.*

Non nonò odium, vt probat S. Thomas 1. cont. Gent. c. 96. & limitanter loquitur *de odio alicuius rei, & naturæ, & eorum, quæ ſunt.* Cum qua limitatione omnes idem ſentiunt, quia Sap. 11. expreſsè dicitur, *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Quo vltimo verbo tangitur à priori ratio huius veritatis, eámque fuſius explicat S. Thomas ſupra. Deus per liberam ſuam voluntatem facit, & conſeruat omnes creaturas, tanquam eſſentiales ſuæ diuinæ bonitatis participationes, in ſeipſo eminentiſſimè contentas: ergo creaturæ in ſeipſis, & ſecundùm id, quod ſunt, nihil habere poſſunt diuino odio dignum, ſed dignum duntaxat dilectione diuina. Præterea ſicut amare, eſt velle alicui bonum, vt bonum; ita odire, eſt velle alicui malum, vt malum; quia ex S. Thoma quæſt. 12. de malo, artic. 4. circa principium corporis. *Odium*



*Odium appetit malum alicuius, ſub ratione mali.* ſed Deus, ex eo quòd eſt ſummum bonum per eſſentiam, non poteſt velle alicui malum, quatenus malum, ſed ſolùm quatenus bonum, igitur nullam rem poteſt odio habere. Quare non per proprietatem, ſed per metaphoram accipienda ſunt verba illa Malach. 1. & ad Rom. 9. *Eſau odio habui.* & Pſalm. 5. *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus;* & ſimilitudo conſiſtit in hoc, quia ſicut nos quando propriè odimus, volumus, & cauſamus non eſſe rei: ita Deus, cum ſimpliciter velit, & cauſet non eſſe creaturarum, dictus eſt ſimilitudinariè odire creaturas. Differentia tamen eſt, quia nos per odium volumus non eſſe rem, quia illud non eſſe, malum rei eſt. Deus verò vult non eſſe creaturarum, inquit S. Thomas cit. c. 96. fin. *in quantum vult bonum iuſtitiæ, vel ordinis vniuerſi, quod eſſe non poteſt ſine punitione, vel corruptione aliquorum.*

*Exponitur locus Malac. 1. ad Rom. 9. & Pſalm. 5.*
*Deus metaphoricè odit creaturas.*
S. Thom.

14.
*An odiũ peccati propriè conueniat Deo.*

An autem dici propriè poſſit Deus odire peccatum, vt formaliter peccatum, & malum culpæ, eſt in controuerſia, lis tamen videtur de nomine; quia de re certum eſt apud omnes, primò diuinam voluntatem in peccatum tendere non poſſe per actum proſequutionis, ſed per actum fugæ. Secundò, cùm ex hoc actu fugæ, & abominationis vult malum pœnæ peccatoris, non velle illud malum, quia malum peccatoris eſt, ſed quia eſt bonum iuſtæ punitionis. Cæterum S. Thomas cit. cap. 96. & ibi Ferrarienſis, Capreolus 1. d. 45. q. 1. art. 1. concluſ. 8. aliíque plures, & grauiores, cum quibus omnino loquendum eſt, docent, illam fugam non poſſe vocari propriè odium; ſed communiori vocabulo eſſe dicendam, diſplicentiam, vt loquitur Capreolus ſupra ad argumentum contra octauam concluſionem: quia, inquit S. Thomas, *rerum ſubſiſtentium propriè eſt amor, vel odium,* hoc eſt, vt rectè declarat ibi Ferrarienſis, §. *Circa primum;* ſicut amare, non eſt velle bonum ſimpliciter, ſeu ſimplex, ac præciſa alicuius boni proſequutio, ſeu complacentia; ſed eſt, vt docent Philoſophus lib. 2. Rhetor. cap. 4. initio, & S. Thomas art. ſeq. in med. corp. *velle bonum alicui;* cui ſcilicet, tanquam rei ſubſiſtenti, bonum illud adiaceat: ita odire, de quo ex eodem Philoſopho ſupra, multò poſt med. cap. ex contrariis proportionali modo iudicandum eſt, non eſt velle malum ſimpliciter, ſeu ſimplex, ac præciſa alicuius mali fuga, ſeu diſplicentia; ſed eſt velle malum alicui, cui, tanquam rei ſubſiſtenti, malum illud adiaceat. Quo modo conſtat, Deum non velle malum: conuenit igitur Deo peccati fuga, vel diſplicentia, non autem odium, niſi ſimilitudinariè, vt ait S. Thomas ſupra. Sicut enim nos, inquit, *quæ non eſſe volumus, dicimur odio habere; ita Deus volens, malum non eſſe, malorum odium habere dicitur.* Et in hoc ſenſu ſimilitudinario exponit illud Zachar. 8. *Vnuſquiſque malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt, quæ odi, dicit Dominus.* Et exponi pariter debet illud Sapient. 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* & ipſemet S. Thomas art. ſeq. ad 4. ait, *Deus peccatores, in quantum ſunt naturæ quædam, amat; ſic enim & ſunt, & ab ipſo ſunt: in quantum verò peccatores ſunt, non ſunt, ſed ab eſſe deficiunt, & hoc in eis à Deo non eſt: vnde ſecundum hoc ab ipſo odio habentur;* hoc enim eſt odium ſimilitudinarium, non proprium. Quo loco motus Aureolus 1. d. 46. q. 1. art. 2. §. *Secundò verò,* falsò tribuit S. Thomæ, *quod ponit rationem odij formaliter eſſe in Deo:* de qua impoſitione reprehenditur à Capreolo ſupra, ad argumentum contra octauam concluſionem: & tamen multi recentiores eamdem impoſitionem amplexi ſunt.

*Probatur pars negatiua cũ S. Thoma, Capreolo, Ferrariẽſi.*
Ariſtoteles.
*Deus metaphoricè odit peccatum, ex S. Thoma.*
*Exponitur locus Zach. 8. & Sap. 14.*
Aureolus.
Capreol.



## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Deus omnia amet.*

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non omnia, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Deum amare res exiſtentes. num. 1.*
2 *Deum, & creaturam amare oppoſito modo. n. 2.*
3 *Deum amore amicitiæ amare ſolos electos. n. 3.*
4 *Quo amore Deus amet creaturas irrationales. n. 4. & 5.*
5 *Quo modo Deus amet, & odio habeat peccatores, & peccatum. num. 6.*

COMMENTARIVS.

1.
*Prima cõcluſio affirmatiua.*
Sapient. 11.

PRIMA concluſio. *Deus omnia exiſtentia amat.* eſt expreſsè de fide, ex illo Sapien. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Sequitur neceſſariò ex alia fidei concluſione probata ſupra q. 19. ar. 4. de diuina voluntate, cauſante omnia, tam in fieri, quàm in conſeruari. Si Deus creaturis exiſtentibus vult liberè bonum productionis, & conſeruationis exiſtentiæ, ergo eas propriiſſimè amat; quia amare, vt articulo præcedente num. 13. ex Ariſtotele, & S. Thoma notaui, eſt velle bonum alicui; ex eo quòd concluſionem huius articuli S. Thomas limitet ad omnia *exiſtentia,* indicare videtur, Deum non amare poſſibilia, vt poſſibilia. Sed contrarium cum eodem S. Thoma ſufficienter oſtendi ſupra, quæſt. 19. artic. 3. num. 4.

2.
*Secunda concluſio de modo, quo amãt Deus, & creatura.*

Secunda concluſio. Deus, & creatura amant oppoſito modo. Hoc probat S. Thomas hîc in corpore, quia amor creaturarum, præſupponit aliquam bonitatem in obiecto, ſiue veram, ſiue æſtimatam, quam non cauſat. *Sed amor Dei, eſt infundens, & creans bonitatem in rebus:* ita vt nulla prorſus bonitas in creatura conſiderari poſſit, quæ non eſſentialiter pendeat à diuina voluntate; etiam ipſum eſſe poſſibile, vt formaliter poſſibile. Enimverò poſſibile fieri, vt ſic, pendet à Deo, vt potente facere; quod probaui ſupra q. 19. art. 3. n. 6. ergo pendet à diuina voluntate; quia Deus non eſt alio modo potens facere creaturas, niſi per intellectum, & voluntatem.

3.
*Tertia cõcluſio. Solos electos Deus amat amore amicitiæ.*
S. Thom.

Tertia concluſio. *Deus ſolos electos diligit amore amicitiæ.* Ita S. Thom. 3. d. 32. quæſt. 1. art. 2. in fine corporis; & ſignificat hîc ad 3. & ſequuntur omnes communiter. Ratio, quam primo loco citato affert, eſt quia amor amicitiæ ſupra amorem ſimpliciter, & communiter dictum, addit, vt quis velit alicui idem bonum, quod ſibi vult; *vt ſcilicet velit conuerſari cum ipſo, & conuenire in illis, quæ maximè amat:* alia enim bona volumus amore ſimpliciter, & cõmuniter dicto. Sed Deus maximè amat ſeipſum, & ſibi maximè vult viſionem ſui, & fruitionem, ergo huiuſmodi bona vult illis, quos amat amore amicitiæ. Hæc autem non vult efficaciter niſi ſolis electis: ergo ſolos electos amat amore amicitiæ.

4.
*Quarta concluſio. Deus irrationalia non amat amore beneuolentiæ.*
S. Thom.

Quarta concluſio. Creaturas irrationales Deus neque amat propriè amore amicitiæ, neque propriè amore beneuolentiæ, ſed ſolùm amat propriè amore concupiſcentiæ. Ita S. Thom. hîc ad 3.

communiſſimè receptus. Prima pars patet ex concluſione præcedente. Secunda pars probatur, quia ex Ariſtotele 1.Ethic.cap.5.initio; *Beneuolentia eſt ſimilis amicitiæ*, &, vt infra bis addit, *Principium amicitiæ.* Idem repetit lib. 7. Moralium Eudemiorum, cap. 8. additque, *eſt beneuolentia cum amicitia, neque prorſus idem, nec planè diuerſum.* &, *Beneuolentia circa moralem amicitiam conſiſtit. Verùm beneuoli tantùm eſt voluntas; amici verò, vt quod vult, præſtet etiam.* Eſt igitur propriè beneuolentia, inchoata, ac veluti dimidiata quædam amicitia, dicens ex parte voluntatis vnius liberum amorem, qui requiritur ad eſſentialem rationem amicitiæ; qui ſi perficiatur tam ex parte vnius, quàm ex parte alterius, in reali, ac mutua beneuolentia ſeu redamatione, & propriorum bonorum communicatione, erit amicitia perfecta, ſed creaturæ irrationales amari non poſſunt amore amicitiæ, vt ſupra; ergo neque amore beneuolentiæ. Vnde idem Ariſtoteles cit.cap.8.tanquam abſurdum deducit, *Beneuolentiam inanimatis tribuere.*

*Quid ſit beneuolẽtia ex Ariſtotele.*

5. *Neque amore concupiſcentia.* S.Thomas.

Tertia pars de amore concupiſcentiæ, probata eſt ſupra artic.1.num.2. Explicat autem S.Thomas hîc ad tertium, amorem, quo Deus amat creaturas irrationales, habere rationem amoris concupiſcentiæ ex duplici capite. Primò, *in quantum ordinat eas ad rationales creaturas:* quod nullam habet difficultatem. Secundò, in quantum ordinat eas, *etiam ad ſeipſum.* Quod magis declarans, dicit, *Non quòd eis indigeat; ſed propter ſuam bonitatem, & noſtram vtilitatem.* Quæ verba non minus verè, quàm clarè exponit Sylu.1.p.conflati, q.20. art.2.initio, hoc eſt, inquit, *propter ſuam bonitatem, non perficiendam, ſed communicandam.* quia hoc ipſo, quod Deus refert creaturas ad bonitatem ſuam, refert ad vtilitatem creaturarum: etiam cùm dicitur, omnia amare propter bonitatem ſuam manifeſtandam. quia, inquit Syluester, *iſta manifeſtatio ordinatur ad communicationem eiuſdem; quia non vult manifeſtare propter ſe, niſi propter ſe communicandum, ſed propter noſtram vtilitatem: & conſequenter, manifeſtat, vt communicet præcisè; non autem communicat præcisè, vt manifeſtet, ſed vt manifeſtando communicet.* Ex quo ita bene infert, *Vnde nihil ſibi concupiſcit.* & confirmat ex S.Thoma, 3.d.32.quæſt.1. artic. 2. ad 2. illis verbis, *Deus quamuis non amet aliquid in concupiſcendo ſibi, amat tamen in concupiſcendo alteri.* Quare cùm hîc ad tertium fin. docet, Deum amore concupiſcentiæ amare irrationalem creaturam, etiam cum illam *ordinat ad ſeipſum,* non eſt ſibi contrarius: quia non eſt intelligendus de ordinatione ad ſeipſum præcisè, ſiſtendo in ſeipſo; ſed ad ſeipſum, vt vtilem alteri creaturæ rationali, & reſpiciendo vtilitatem alterius: hoc enim ſignificant illa verba, *ſed propter ſuam bonitatem, & noſtram vtilitatem:* hoc eſt, propter ſuam bonitatem vt nobis vtilem.

Sylueſter.

6. *Quinta concluſio de modo, quo Deus amet, & odio habeat peccatores.*

Quinta concluſio. *Deus peccatores, in quantum ſunt naturæ quædam, amat: in quantum peccatores ſunt, odio habet.* Ita hîc ad quartum; & patet ex articulo præcedente, num. 12. & 13. Nunc addo, hanc propoſitionem, *Deus odit hominem peccatorem, in quantum peccatorem,* poſſe intelligi dupliciter. Primò, vt illud, *in quantum*, ſpecificet totum terminum odij diuini; & ſenſus ſit, Deus nil aliud odit, niſi peccatum in homine. Secundò, vt illud, *in quantum,* reduplicet cauſam, ſeu rationem, propter quam odium diuinum, terminatum ad peccatum, terminetur præterea ad ipſummet hominem; & ſit ſenſus, Deus non ſolùm odit peccatum in homine, ſed quia odit peccatum hominis, ideo odit etiam ipſum hominem, in quo eſt peccatum. Primo modo odium ſpecificè, non genericè, de Deo dicitur ſecundùm metaphoram. explico. Odiũ genericè, voco voluntatem, qua volumus, aliquid non eſſe: quod cõmune eſt tam odio propriè dicto, quàm ſimplici diſplicentiæ, ſeu fugæ; ſicut velle bonum, ſiue aliquid eſſe, eſt commune amori, & ſimplici complacentiæ, ſeu proſequutioni. Odium ſpecificè, voco voluntatem, qua volumus aliquid non eſſe in alio, quia illud non eſſe, malum illius eſt. Sicut amor ſpecificè, ac propriè eſt, velle bonum alicui, quia bonum illius eſt. Cùm igitur primo modo velit Deus non eſſe peccatum, quantùm in ſe eſt, peccatum odit propriè, proprietate generica, hoc eſt, habet fugam, ſeu diſplicentiam propriè dictam de peccato. Quoniam verò malum peccati nulli vult, dici non poteſt habere odium ſpecificè per proprietatem. Secundo modo odium, quatenus terminatum ad hominem, non ſolùm ſpecificè, ſed etiam genericè ſecundùm metaphoram dicitur de Deo: quia in tantum dici poteſt odium diuinum terminari etiam ad ipſummet hominem, in quantum vult illi malum pœnæ; quod tamen non vult illi, quia malum illius eſt, ſiue ex diſplicentia perſonæ, aut alicuius boni in illa exiſtentis, ſed ſolùm quia bonum, & iuſtum eſt, ex complacentia, & amore actus iuſtitiæ. Videtur ergo S. Thomæ propoſitio accipienda in primo ſenſu, non in ſecundo; quia in primo minus, in ſecundo maximè receditur à propria odij ratione: ſicut enim cum dicitur, Deus amat peccatorem, in quantum eſt quædam natura, ſeu ſecundùm id, quod in ſe eſt, ſignificatur Deus amare ſimpliciter ipſum eſſe naturæ peccatoris, & non aliud præterea; ita cùm ex oppoſito dicitur Deus odiſſe peccatorem, in quantum eſt peccator, ſeu ſecundùm id, quod non eſt, ſed ab eſſe deficit, ſignificatur Deus nil aliud odio habere niſi peccatum.

---

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Deus æqualiter diligat omnia.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd Deus æqualiter diligat, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Deum amare æqualiter ex parte actus. num.1.*
2 *Deum amare inæqualiter ex parte boni voliti. n.2.*
3 *Cur dicatur Deus magis amare vnum, quàm aliud, non autem magis intelligere, aut velle. num.3. & 4.*

COMMENTARIVS.

1. *Amat æqualiter ex parte actus.*

RESPONDET affirmatiuè de æqualitate ex parte actus; *quia Deus omnia amat vno, & ſimplici actu voluntatis, & ſemper eodẽ modo ſe habente:* nos autem nunc vno, nunc alio actu diligimus; & modò actu intenſiore, modò remiſſiore.

2. *Amat inæqualiter ex parte boni voliti. Exponitur cũ Auguſtino locus Io.17.*

Reſpondet negatiuè de æqualitate ex parte boni voliti; quia inter bona creata, quæ omnia vult, ac diligit Deus, vnum eſt alio melius, ac maius. In hoc ſenſu Auguſt. tract.110.in Ioan. exponens illa verba, *Dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti,* docet, illud, *Sicut*, accipi cauſaliter pro, *Quia*, ſed *non ſignificare æqualitatem.* Vnde multò poſt, ita concludit, *Quis dignè dicere poſſit, quantum diligat membra vnigeniti ſui, & quantò amplius ipſum vnigenitum, in quo condita ſunt omnia viſibilia, & inuiſibilia, quæ in ſuis generibus ordinata, ordinatiſſimè diligit?* Quare illud Sapient. 6. *Æqualiter cura eſt illi de omnibus*, dictum eſt, vt exponitur ad primum, *non quia æqualia bona omnibus ſua cura diſpenſet, ſed quia ex æquali ſapientia, & bonitate omnia adminiſtrat:* ſeu quia, vt habet 3.d.32. quæſt.1. artic.4. ad 1. *Eſt ei æqualiter cura de omnibus, ex parte ſolicitudinis ipſius; ſed non ex parte eorum, quæ eis prouidentur.* quo etiam modo exponunt Riccardus 3.d.32.artic.2.quæſt.1. ad 1. Durand.quæſt.1.num.8.

*Exponitur locus Sap. 6. cum S. Thoma, Riccardo, Durando.*

3. *Declaratur reſponſio ad tertium.*

In reſponſione ad tertium aſſignatur ratio diſparitatis, cur dicere liceat, quædam Deus magis, vel minus amat, quàm alia: non autem, quædam Deus magis, vel minus intelligit, cognoſcit, vult, quàm alia. *Quia*, inquit, *intelligere, & velle, ſignificant ſolùm actus, non autem in ſua ſignificatione includunt aliqua obiecta, ex quorum diuerſitate poſſit dici, Deus magis, vel minus ſcire, aut velle, ſicut circa amorem dictum eſt.* Dixerat autem initio corporis, quod *amare, ſit velle bonum alicui.* Quod, inquit Sylueſter 1.part.conflati, quæſt.20.art.3.circa finem, *dicit duo obiecta, ordine quodam; ſcilicet bonum alicui volitum, & bonum, cui bonum eſt volitum: quæ duo aliquando ſunt idem realiter, vt cum Deus vult ſibi ſuam fœlicitatem, aut bonitatem; aliquando non, vt cum vult nobis gratiam, aut gloriam.* Quando igitur S. Thomas ait, *ſignificant ſolùm actus*, non negat, ſignificare vnum aliquod obiectum, nam intelligere, & velle, concipi nequeunt abſque aliqua re intellecta, & volita; ſed ſolùm negat, ſignificare duo obiecta, ſiue, vt ſtatim magis explicat, *aliqua obiecta.* Quod clarius docuit, eamdem difficultatem pertractans, in lib.1.contr.Gent. cap.91. circa medium, illis verbis, *Sciendum itaque, quòd cum aliæ operationes animæ, ſint circa vnum ſolum obiectum, ſolus amor ad duo obiecta ferri videtur. Per hoc enim quòd intelligimus, vel gaudemus ad aliquod obiectum aliqualiter nos habere oportet: amor verò aliquid alicui vult; hoc enim amare dicimur, cui aliquod bonum volumus.*

*Amare importat duplex obiectum ex* Sylueſtro, & S.Thom.

4. *Cur Deus magis amet vnum quàm aliud, nõ autẽ magis intelligat.*

His explicatis, clarè percipi poteſt vis diſparitatis, quia quando actus diuinus habet duo obiecta, quorum vnum ad aliud diuerſo, & inæquali modo comparari poteſt ſecundum magis, & minus, poteſt conuenienter hæc inæqualitatis denominatio tribui ipſi etiam actui, non propter diuerſitatem actus in ſe, ſed propter diuerſitatem obiectorum inter ſe. Quando verò actus non habet niſi vnum obiectum, non poteſt dici circa illud obiectum diuerſo, & inæquali modo verſari, nunc magis, nunc minus, niſi propter diuerſitatem ipſius actus circa idem obiectum; quæ diuerſitas falsò tribueretur actui diuino; qui vnus, & ſimplex eſt, & ſemper eodem modo ſe habens. Cùm igitur Deus per amorem huic ſubiecto amato velit maiora, & plura bona, & velle poſſit minora, & pauciora bona, quæ vult alteri ſubiecto, propter hanc diuerſitatem obiectiuam dici rectè potuit, amare inæqualiter, ſeu magis, & minus. Quoniam verò per alios actus reſpicit vnum obiectum, circa quod non poteſt alio modo ſe habere, ab eo, quo de facto ſe habet, v. g. quicquid intelligit Deus, ſemper intelligit tantùm, quantùm intelligibile eſt; & idem de aliis actibus, vnum obiectum habentibus; ideo dici non poteſt per alios actus magis, & minus operari circa aliquod obiectum, v.g. magis, vel minus intelligere, gaudere, &c.





---

## ARTICVLVS IV.

### *An Deus ſemper magis diligat meliora.*

### Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non ſemper magis, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur pars affirmatiua. num.1.*
2 *Chriſtum, etiam ſecundùm humanitatem, diligi ſupra omnes creaturas. num.2. & 3.*
3 *An Deus magis diligat Angelum, quàm hominem. num.4.*
4 *An magis innocentem, quàm pœnitentem. n.5.*
5 *An magis peccatorem prædeſtinatum, quàm iuſtum præſcitum. num.6.*
6 *An magis Ioannem, quàm Petrùm. num.7.*

COMMENTARIVS.

1. *Probatur cõcluſio affirmatiua.*

CONCLVSIO affirmatiua clarè ſequitur ex ſecunda parte articuli præcedentis: quia Deum aliquas res magis diligere, eſt velle illis maius bonum. Sed meliora habent maius bonum, à diuina voluntate cauſatum: ergo Deus ſemper magis diligit meliora.

2. *Chriſtũ ſupra omnes creaturas fuiſſe à Deo dilectũ.* S.Thom.

Hinc ſequitur primò, Chriſtum, vt ſignificat compoſitum ex duabus naturis, diuina, & humana, in vna perſona diuina, diligi à Deo, *non ſolùm plus quàm totum humanum genus, ſed etiam magis, quàm totam vniuerſitatem creaturarum; quia ſcilicet ei maius bonum voluit, quia dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt verus Deus eſſet.* vt hîc ad primum. Imò Deus Chriſtum dilexit plus ſupra omnes homines, etiam cum dedit illum in mortem pro ſalute omnium hominum: tum quia, vt hîc ad primum, *ex hoc factus eſt victor glorioſus; factus enim eſt principatus ſuper humerum eius, Iſaiæ 9.* &, vt dicitur ad Philippenſes 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur*, &c. tum quia, vt addit 3.d.32.quæſt.1.art.5.quæſtiuncula 4. ad 1.& 2. *factus fuit cauſa vniuerſalis ſalutis humani generis, quod eſt ſibi valde honorificum; & cauſa præſtantior eſt cauſato.*

Iſaiæ 9. Ad Philip.2.

3. *Etiam quantùm ad humanam naturam.*

Secundò ſequitur, vt habetur tum hîc ad ſecundum, tum quæſtiuncula citata, Chriſtum à Deo diligi *pluſquàm omnes Angelos, & homines, & totam creaturam, non ſolùm quantùm ad diuinam naturam, ſed etiam quantùm ad humanam; in quantum eam prædeſtinauit ad maius bonum, maximè ad vnionem diuinæ perſonæ.*

4. *An Deus magis diligat Angelũ, quã hominem.* S.Thom.

Tertiò ſequitur, vt hîc ad 2.& 3.d.32.q.1.art.5. quæſtiuncula 3. naturam Angelicam, & naturam humanam communiter conſideratam, diligi à Deo inæqualiter diuerſa ratione. *Quantùm ad bonum naturæ, plus diligi Angelum, quàm hominem; quia quantùm ad conditionem naturæ Angelus eſt melior homine.* Pſalm. 8. *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis.* Quod ſi ad Hebr.2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, id non oritur ex maiori dilectione quoad naturalia, ſed ex aliis rationibus, de quibus in materia de incarnatione. *Quantùm ad bonum gratiæ, & gloriæ æqualitas inuenitur, cum eadem ſit menſura hominis, & Angeli, Apocal.20. & ſe habent vt excedentia, & exceſſa: quia quidam Angeli quibuſdam hominibus, & quidam homines quibuſdam*

Pſal.8. Ad Hebr.2. S.Thom.

*dam Angelis quantùm ad hoc potiores inueniuntur.* Sed abſolutè loquendo, vt addit Riccardus 3. diſt. 32. art.2.quæſt.1. fin. corp. *plures ſunt Angeli ſuperiores hominibus, quàm erunt illi homines, qui erunt Angelis pares, vel ſuperiores.*

Riccard.

5. *An Deus magis diligat innocentem, quàm pœnitentem.*

Quartò ſequitur, vt habetur hîc ad 4.& 3.d.32. q.1. art.5. ad 2. quæſtiunculam, quod ſi fiat comparatio inter innocentem, & pœnitentem, is melior eſt, & magis à Deo dilectus, qui maiorem charitatem habet, & gratiam. *Cæteris tamen paribus, innocentia dignior eſt, & magis dilecta.* Dicitur autem Luc. 15. Deus plus gaudere de pœnitente, quàm de innocente. Vel primò, *quia plerumque pœnitentes, cautiores, humiliores, & feruentiores reſurgunt:* ac proinde meliores ſimpliciter fiunt. Vel ſecundò, quia eſto reſurgant in æquali charitate, tamen hæc maior eſt *comparata pœnitenti, qui meruit pœnam, quàm innocenti, qui non meruit. Sicut centum marchæ, maius donum eſt, ſi dentur pauperi, quàm ſi dentur Regi.* Vel tertiò, quia eſto reſurgant cum minori charitate, tamen hæc reſpectu pœnitentis, propter maiorem indigentiam, æſtimatur maius beneficium: *Sicut homo plus gaudet de modico ſigno ſanitatis alicuius infirmantis, quàm de integra ſanitate, dum eam habebat.* Atque hoc, inquit Riccardus ſupra q.3.ad 1. *Satis datur intelligi Luc.15. vbi dicit Pater maiori filio, Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea, tua ſunt: epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit,* &c.

*Exponitur locus Luc.15. cum S. Thoma, & Riccardo.*

6. *An Deus magis diligat peccatorem prædeſtinatũ, quàm iuſtum præſcitum.*

Quintò ſequitur, vt hîc ad quintum, & cit. artic.5. ad primam quæſtiunculam, *Quòd Deus, ſimpliciter loquendo, maius bonum vult peccatori prædeſtinato, quàm iuſto præſcito;* ac proinde illum magis ſimpliciter diligit, quàm hunc. Loquendo autem, *vt nunc,* hoc eſt, ſecundùm illud tempus, ſecundùm quod voluntas Dei eſt cauſa bonitatis in rebus, Deus præſcitum iuſtum magis diligit pro eo tempore, quo eſt iuſtus, quàm prædeſtinatum peccatorem, pro eo tempore, quo eſt peccator; quia pro eo tempore, hic eſt peior, ille melior: ſicut enim prædeſtinatus, *ſecundum aliquod tempus non eſt nec bonus, neque malus,* nempe, vt exponunt Caietanus hîc in fine, & Syluest.1. p. conflati, q.20. artic. 4. §.5. Vazquez hîc, ſecundum totum tempus, quo ſimpliciter non fuit; ita ſecundùm aliquod aliud tempus poteſt eſſe peior. Verùm pro alio tempore, pro quo prædeſtinatus eſt in gratia, vel in maiori gratia, vel in æterna gloria, eſt melior, & magis à Deo dilectus, quàm præſcitus pro eo tempore, pro quo eſt peccator, vel in minori gratia, vel in æterna damnatione.

S.Thomas. Caietanus. Syluester. Vazquez.

7. *An Deus magis diligat Ioannẽ, quã Petrum.*

Sextò ſequitur, facta comparatione inter ſanctiſſimos Apoſtolos, Petrum, & Ioannem; Petrum, ſi fuit melior, fuiſſe magis dilectum à Deo; Ioannem, ſi fuit magis dilectus, fuiſſe meliorem. Hæ conſequentiæ euidenter probantur ex concluſione huius articuli, qua, inquit S. Thomas initio corporis, *neceſſe eſt dicere, quòd Deus magis diligat meliora.* Vter autem fuerit melior, ac Deo charior, fusè, & eruditè tractat S. Thomas hîc ad 3. & 3. d.31. quæſt.2.art.3.ad 3. quæſtiunculam, & multa addit Vazquez hîc. Equidem loquutus ſum conditionatè, & nihil abſolutè determinare volui, imitatus Bonauenturam infra, ante principium corporis, Riccardum ſupra ad tertium, Gabrielem 3.d.32. quæſt. vnica, artic.3. dub.3. quia, vt prudenter docet S. Thomas hîc in fine reſponſionis ad tertium; *Præſumptuoſum videtur hoc dijudicare: quia dicitur Prouerb.16. ſpirituum ponderator eſt Dominus, & non alius.* Hoc enim, nempe, an Petrus, vel Ioannes, habuerit maiorem charitatem, inquit Syluest. ſupra, *nec authoritate conſtat, nec conſtare poteſt ratione.* Atque hoc tandem concluſit Bonauent.3. d.32. quæſt. vlt. fin. poſt relatas multas ſententias, dicens, *Sed quis eorum apud Deum finaliter fuerit charior, hoc melius eſt expectare, quàm hîc temerè diffinire.* & Riccardus ſupra, *Vtrùm Chriſtus plus dilexerit Petrum, quàm Ioannem, vel è conuerſo, non credo quòd certum ſit alicui, niſi cui Deus reuelauit.*

S.Thom. Vazquez. Bonauent. Riccard. Gabriel. Syluest. Prouerb. 16.

# QVÆSTIO XXI.

## *De Iuſtitia, & Miſericordia Dei, in quatuor articulos diuiſa.*

Poſt conſiderationem diuini amoris, de Iuſtitia, &c.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm in Deo ſit Iuſtitia.*

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd in Deo non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Traduntur multæ acceptiones, ſpecies, & denominationes iuſtitiæ. num.1.*
2 *Quid de hac quæſtione ſenſerit S.Thomas.n.2.*
3 *An iuſtitia in genere conueniat propriè Deo. n.3. ad 26.*
4 *An in Deo ſit iuſtitia commutatiua. numero 26. ad 42.*
5 *An in Deo ſit iuſtitia diſtributiua. n.42. ad 48.*
6 *An in Deo ſit iuſtitia legalis. n.48. ad 50.*
7 *An in Deo ſit iuſtitia vindicatiua. n.50. ad 57.*
8 *An in creatura ſit iuſtitia reſpectu Dei. num. 57. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

HOc loco, ne extra præſentis materiæ terminos vagemur, ſupponi debent, quæ de Iuſtitia in 2. 2. à q.57. propriè tractantur. Loquimur igitur de Iuſtitia, non generaliſſima, quæ eſt aggregatio omnium virtutum, quam apud omnes certum eſt non eſſe in Deo, ſicut certum eſt in eo non eſſe aliquas virtutes, v. g. quæ ſunt circa paſſiones, vt dicitur hîc ad primum. Neque adeo generali, vt complectatur omnes virtutes, quæ ſunt ad alterum, ſecundùm ius, ac debitum ſimpliciter; nam de hac eodem modo certum eſt non eſſe in Deo, cui apertè repugnant multæ virtutes, quæ circa alterum verſantur, vt Obedientia, Religio, Pietas, & ſimiles aliæ: ſed minus latè, ac magis propriè, pro illa tantùm virtute, quæ ita eſt ad alterum, vt reſpiciat ius, ac debitũ, non quomodocumque, ſed ſecundùm æqualitatem in re ipſa. Quæ iuſtitia, quamuis per ordinem ad reliquas omnes virtutes, à quibus diſtinguitur, dicta ſit ſpecialis; tamen per ordinem ad aliquas virtutes,

1. *De qua iuſtitia agendum.*

*Tres ſpecialis iuſtitiæ ſpecies.*



quas ſub ſe continet, tanquam genus ſpecies, iuſtitia generalis, ſeu generica dici poteſt. Illius ſpecies, ſecundùm communiſſimam ſententiam, tres ſunt; prima commutatiua, ſecunda diſtributiua, quas tantùm commemorat, & explicat hîc S.Thomas; tertia, quæ ab Ariſtotele 5. Ethic. cap.2. & S.Thoma 2.2.quæſt.58.art.5.6.7. dicitur generalis, & vniuerſalis; nimirum non per aggregationem aliarum, nec in prædicando, ſed in cauſando, ſiue in virtute, & materia; in quantum hæc iuſtitia, vna cùm ſit, habet dirigere actus omnium, & ſingularum virtutum ad bonum commune: ſicut charitas etiam dicitur virtus generalis, in quantum ordinat actus reliquarum virtutum ad finem vltimum ſupernaturalem boni diuini: ſicut etiam ſol, dicitur agens vniuerſale, quia concurrit ad effectus omnium cauſarum ſublunarium, vt explicatur citato art. 6. Magis communiter dicitur legalis, & ita hodie in Scholis loquimur: cuius denominationis ratio ex citato articulo quinto eſt, quia legis proprium etiam eſt, ordinare omnia in bonum commune, vt probatur 1.2.quæſt.90.artic.2. Ergo iuſtitia, per quam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune, rectè appellata eſt legalis.

Ariſtoteles. S.Thomas. *Cur tertia iuſtitiæ ſpecies dicatur generalis, & legalis.*

2. *Duæ concluſiones articuli.*

In hoc articulo ponuntur duæ breues concluſiones, quæ multò maiorem explicationem poſtulant. Prima eſt, *Iuſtitia commutatiua non competit Deo.* Secunda eſt, *Ordo vniuerſi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quàm in rebus voluntarijs, demonſtrat diſtributiuam Dei iuſtitiam: ſicut ordo congruus familiæ, vel cuiuſcumque multitudinis gubernatæ, demonſtrat huiuſmodi iuſtitiam in gubernante.* Vbi in primis certum apud omnes eſſe debet, quod ad penetrandam ſinceram S.Thomæ mentem in prima concluſione, attentè eſt obſeruandum, iuſtitiam diſtributiuam in Deo poni, non metaphoricè, ſed propriè, ac formaliter: tum quia eam ponit in Deo, non minus ac in aliquo humano gubernatore, vel diſpenſatore, dante vnicuique ſecundùm ſuam dignitatem, vt manifeſtum eſt ex verbis citatis ſecundæ concluſionis. Tum quia ſecundam concluſionem ſtatim probat ex Dionyſio, eam diſtributionem vocante, *veram Dei iuſtitiam.* Tum clarius, quia ad primum dicitur, *quòd virtutes morales, quæ ſunt circa paſſiones, ſicut Temperantia circa concupiſcentias, Fortitudo circa timores, & audacias, Manſuetudo circa iram, Deo attribui non poſſunt, niſi ſecundum metaphoram; quia in Deo neque paſſiones ſunt, neque appetitus ſenſitiuus, in quo sũt huiuſmodi virtutes, ſicut in ſubiecto. Virtutes verò morales circa operationes, vt puta circa dationes, & ſumptus, vt Iuſtitia, Liberalitas, Magnificentia, quæ ſunt in voluntate, in Deo ponuntur:* nimirum non ſecundùm metaphoram, vt priores, ſed per proprietatem: illo enim modo concedit in Deo eſſe iuſtitiam, quo negat eſſe temperantiam; quam tamen concedit eſſe ſecundùm metaphoram; ergo vult, iuſtitiam eſſe alio modo, nempe ſecundùm proprietatem. Tum clariſſimè in l.1. contra Gent. cap.93. loquens de virtutibus, *quæ non circa paſſiones, ſed circa actiones ſunt, vt veritas, iuſtitia, liberalitas, magnificentia, prudentia, ars,* ait abſolutè, initio capitis, *in Deo ſunt,* & numero primo addit, *Diuinæ perfectioni non repugnant, nec ſecundùm propriam ſpeciem habent aliquid, propter quod à diuina perfectione excludantur,* eſſe ſecundùm propriam ſpeciem, eſt eſſe propriè, & formaliter. Idque magis confirmant rationes, quibus illud probat. Primò, Actiones harum virtutum non repugnant diuinæ perfectioni, ergo nec virtutes ipſæ. Secundò, *Hæ virtutes, ſunt perfectiones intellectus, & voluntatis, quæ ſunt principia actionum abſque paſſione. In Deo autem eſt voluntas, & intellectus, nulla carens perfectione. Igitur hæ Deo deeſſe non poſſunt.* Si iuſtitia, eſt perfectio voluntatis, & ideo deeſſe non poteſt Deo, quia Deo deeſſe non poteſt voluntas perfecta, ergo ſicut in Deo propriiſſimè voluntas eſt, ita & iuſtitia. Tertiò, *Deus vult quod eſt debitum vnicuique. eſt igitur in Deo iuſtitia, cuius eſt, vnicuique quod ſuum eſt diſtribuere.* & confirmat ex illo Pſ.10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit.* & 4. d. 46. q.1. art.1. quæſtiunc.1. circa med.corp. ſic concludit. *Sic ergo ratio diſtributiuæ iuſtitiæ, Deo propriè conuenire poteſt.* Nulli igitur S.Thomæ diſcipulo dubium eſſe poteſt, aliquam veram, ac formalem iuſtitiæ ſpeciem, ſecundùm omnia, quæ in ſuo intrinſeco conceptu eſſentialiter includit, Deo formaliter, & propriiſſimè conuenire.

*S.Thomas ponit in Deo iuſtitiam diſtributiuam propriè.*

*Probatur rationibus S. Thomæ.*

## DVBITATIO I.

### *An iuſtitia ſpecialis, genericè ſaltem accepta, ſit in Deo.*

### SVMMA.

1 *Pars affirmatiua probatur per totam dubitationem.*
2 *Deum eſſe ſimpliciter debitorem creaturæ, nullam dicit imperfectionem. num.6. ad 13.*
3 *In Deo diſtingui iuſtitiam à fidelitate. num.7.*
4 *Declaratur duplex debitum, morale, & legale. num.8.*
5 *In Deo eſſe debitum morale fidelitatis. num. 13.*
6 *In Deo eſſe debitum legale. num.14. & 15.*
7 *Debitum legale Dei eſſe debitum iuſtitiæ. num.16. ad 26.*

PRima concluſio. Propriæ, ac ſpecialis iuſtitiæ virtus, præcisè, ac genericè ſpectata, ſecundùm conceptum communem tribus ſpeciebus, ſupra num.1. poſitis, nempe Commutatiuæ, Diſtributiuę, Legali, eſt in Deo ponenda propriè, ac formaliter, & non tãtùm in communi, ſub conceptu vniuerſaliſſimo virtutis, vel metaphoricè. Vnde euidenter ſequitur, Iuſtitiam tali modo acceptam, eſſe vnum ex diuinis attributis; eamque Deo tanquam primo analogato, propter ſummam, & imparticipatam perfectionem, quam in illo habet, conuenire principalius, quàm creaturis; & nullam in eſſentiali, ac peculiari ſuo conceptu præcisè conſiderato includere imperfectionem; ſed eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Hæc eſt ſententia S.Thomæ, & omnium ferè interpretum, & aliorum, quos inferius afferam, ponentes propriè, & formaliter in Deo aliquam iuſtitiam, ſaltem diſtributiuam. Qui enim alicui rei tribuit aliquam ſpeciem, eidem genus, in illa ſpecie eſſentialiter incluſum, tribuat neceſſe eſt. v.g. ſi in Deo ex duabus ſubſtantiæ ſpeciebus, eſt ratio vnius ſpeciei, non alterius, nempe, ratio ſpiritus, non corporis, eſt neceſſarium, vt, quia in eo eſt ſpecifica ratio ſpiritus, ſit etiam generica ratio ſubſtantiæ.

3. *Prima concluſio affirmatiua.*

4. Probo concluſionem primò. *Si* iuſtitia ſpecialis, præſcindendo à ſuis ſpeciebus, repugnat Deo, vel repugnat quia eſt virtus, vel quia eſt iuſtitia. Primum nemo dicit, quia non eſt, qui non ponat in Deo aliquam virtutem: virtus enim vt virtus, nullam dicit ſecundùm ſe imperfectionem accidentis, qualitatis, habitus, &c. quas imperfectiones importat virtus, ſecundum quod creata, & limitata eſt; ſed dicit tantùm eſſe promptum, & expeditum quoddam principium operationum moralium

*Virtus, vt virtus, eſt propriè, & formaliter in Deo.*

lium perfectarum, & honeſtarum. Quæ ratio, vt patet, nullam inuoluit imperfectionem, & eſt melior ipſa, quàm non ipſa, ſiue oppoſitum eius, quod eſt eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & propriè, ac formaliter ſignificatur nomine virtutis: ergo ſicut nomina, v. g. ſapientiæ, ſubſtantiæ, Patris, Filij, Generationis, & ſimilia tribuuntur propriè, & formaliter Deo, quia licèt in creaturis multas includant imperfectiones, tamen ſecundùm proprium, & eſſentiale ſignificatum, nihil explicant, niſi omninò perfectum; ita virtus, &c. ergo Iuſtitia, ſaltem ſecundum vniuerſaliſſimum conceptum moralis virtutis, poni poteſt propriè, & formaliter in Deo.

5\. *Iuſtitia, vt iuſtitia, eſt formaliter, & propriè in Deo, contra Durandum, Paludanum, Zumel, Trigoſiū, Molinā, Vazquez, Riccardum, Nazarium, Gonzalez.*

Secundum dicitur à Durando 2. d.27. quæſt.2. Paludan.4.d.46.quæſt.1.art.1.concl.4. Zumel hîc, diſp.1.Trigoſio in Bonauenturam 1.part.quæſt.17. art.1. dub.1. Mol. hîc, Vazquez latiſſimè diſp.85. & 86.qui omnes iuſtitiæ ſpecies Deo negantes, ex eo quòd neceſſe eſſet, ponere Deum debitorum creaturæ, videntur negare Deo ipſummet communem iuſtitiæ conceptum. Minus conſequenter dicitur etiam ab aliis, vt à Riccardo 4. d.46. artic.1. quæſt.1. Nazario hîc, controuerſia vnica, Gonzalez d.63. qui affirmantes in Deo eſſe propriè iuſtitiam diſtributiuam, negant in Deo eſſe propriè iuſtitiam commutatiuam, ex eo, quòd Deus nulli creaturæ debitor eſſe poſſit. Quaſi verò in aliquo eſſe poſſit vera, ac propria aliqua ſpecies iuſtitiæ particularis, qualis ſecundùm omnes eſt iuſtitia diſtributiua, in quo non ſit vera, ac propria ratio debiti ſimpliciter, correſpondens eſſentialiter iuri alterius, ad quem alius ſpecialem iuſtitiam habere dicitur. Argumentor igitur contra, tum quia in Scriptura ſæpe ponitur iuſtitia vt diſtinctum attributum ab aliis Dei virtutibus, v.g. à miſericordia,

Pſal. 111. & 114.

vt Pſalm. 111. *miſericors, & miſerator, & iuſtus,* Pſalm.114. *miſericors Dominus, & iuſtus.* Miſericordiam autem propriè in Deo omnes admittunt, vt infra, artic.3. ergo etiam Iuſtitiam, ſecundùm aliquem alium conceptum magis peculiarem, ſecundùm quem à miſericordia diſtinguitur, à qua non differt ſecundùm communem virtutis conceptum.

*Exponitur iuſtitiæ definitio tradita ab Vlpiano, Iuſtiniano, & S.Thoma.*

Tum quia Iuſtitia in communi, definitur ab Vlpiano l.Iuſtitia. ff.de Iuſtitia.& Iuſtiano, §.1. Inſtitutionibus de Iuſtitia, S. Thoma 2. 2. quæſt.58. art.1. & reliquis omnibus Theologis, *Perpetua, & conſtans voluntas, ius ſuum cuique tribuendi.* In hoc autem eſſentiali, ac præciſo conceptu nulla prorſus apparet imperfectio: quia perpetua, & conſtans voluntas de bono, bona eſt, & perfectiſſima: tribuere etiam ſimpliciter aliquid alteri, quamuis formaliter non ponat perfectionem in tribuente, tamen illam ſupponit, quia ſupponit potentiam, & bonitatem tribuentis: vnde eſt illud Domini,

Actor.20.

teſte Paulo, Actor.20. *Beatius eſt, magis dare, quàm accipere.* Tribuere præterea alteri habenti ius ad id, quod illi ex debito tribuitur, nullam ponit imperfectionem in eo, qui iuſtitiam habet, & ex iuſtitia operatur, & vult talem actum tribuendi. Et conſequenter, diuinæ perfectioni nihil derogat, ponere aliquod debitum Dei erga creaturam, & aliquod ius creaturæ erga Deum, quod eſt præcipuum huius controuerſiæ punctum.

6\. *Eſſe in Deo debitum ſimpliciter reſpectu creaturæ.*

Et ideo probatur primò, quia debitum, & obligationē fidelitatis, ac veritatis in Deo nemo negat. Secundò, quia ſicut hoc debitum, ita quodcumque aliud debitum, ac ius iuſtitiæ, prouenit dependenter à libera voluntate ſolius Dei, & ex intrinſeca rectitudine, ac perfectione propriæ voluntatis, ac naturæ; & non ex aliena voluntate, ac directione alterius: ſi enim ipſemet Deus liberè non daret eſſe creaturæ, non adiuuaret illam ad operandum, non promitteret hoc, aut illud, &c. neque creatura habere poſſet vllum ius reſpectu Dei, neque Deus vllum debitum reſpectu creaturæ. Quo fit vt huiuſmodi ratio debiti, dependentis à ſola voluntate debitoris, non ſupponat imperfectionem, ſed dicat potius perfectionem bonitatis, quia bonum eſt ſui diffuſiuum. Tertiò ius creaturę habendi rem aliquam à Deo, & Dei debitum dandi eamdem rem creaturę, ſtare poſſunt cum ſupremo, & abſolutiſſimo dominio, quod ſupra rem illam, & creaturā habet Deus: quia nullum eſt abſurdum, Deum liberè dare creaturæ ius, ac dominium alicuius rei, ipſo etiam retinente eiuſdem rei dominium, quo ſimpliciter ſe ſpoliare non poteſt; vt patet tum exemplo cauſarum ſecundarum, quæ verè, ac propriè agunt, etiam ſi agant prorſus dependenter à Deo, ita vt idem effectus, eadémque actio, à Deo etiam immediatè procedat neceſſe ſit; ergo eadem res eſſe poteſt ſub dominio creaturæ, ſemper cum dependentia, & ſubordinatione ad aliud dominium independens, quod habet Deus: tum alio exemplo iuris alti, & baſſi, quæ ex probatis 2.2. quæſt. 58. art.5. ſunt circa eamdem rem, & in ſingulis ciuibus, & in Republica, ſeu Principe, quatenus publica perſona. Sicut igitur quando Rex debet aliquid ciui, quia emit à ciue, vel conduxit, &c. non ita dat ius baſſum ciui, vt ſe priuet iure alto circa idem; ita cum Deus liberè facit ſe debitorem, & tribuit creaturæ ius ad aliquid ab eo habendum, non ideo ſpoliat ſe vniuerſali eiuſdem rei dominio: quod ſolùm mutatur, quia poſt dominium liberè conceſſum creaturæ, ita remanet Deus rei Dominus, vt non poſſit illam non dare creaturæ, quam tamen antea poterat non dare, ſed hæc non eſt imperfectionis neceſſitas, ſed potius perfectionis, nempe ex ſuppoſitione liberæ ſuæ voluntatis, quæ eſt immutabilis: ſicut ante liberum decretum de creatione mundi, poteſt ſimpliciter creare, vel non creare mundum; ſed ex ſuppoſitione illius decreti non poteſt non creare. Quod autem præterea ad eſſentialem rationem debiti de iuſtitia, requiratur vt debitor ita transferat in creditorem dominium alicuius rei, vt aliud diuerſæ rationis dominium eiuſdem rei apud ſe retinere nequeat; nulla probabili ratione ſuaderi poteſt: ſicut enim homines verum habent rerum dominium, & homo homini ex iuſtitia verè debet, etiamſi earumdem rerum vniuerſaliſſimum, atque abſolutiſſimum dominium ſit apud Deum; ita Deus, ex liberalitate ſua, poteſt ſibi imponere verum iuſtitię debitum transferendi particulare alicuius rei dominium in creaturam, retinendo eiuſdem rei aliud dominium ſuperioris ordinis.

*Prædictum debitum nullam inuoluit imperfectionem.*

*Stat cum ſupremo Dei dominio.*

*Affert quādam neceſſitatē ſine vlla imperfectione.*

7\. Probo concluſionem ſecundò principaliter. In Deo eſt formaliter aliqua virtus, obligans ad dandum aliquid ſub alio ſtrictiore, & diuerſæ rationis motiuo, ab eo, quo obligat fidelitas, ſed hæc virtus, diſtincta à fidelitate, non poteſt eſſe niſi iuſtitia: ergo non ſolùm fidelitas, ſed iuſtitia etiam eſt formaliter in Deo. Minor, & conſequentia non indigent probatione; maiorem, quam multi negant, confundentes Dei iuſtitiam cum fidelitate Dei, ſic probo, & impugno hanc confuſionem. Fidelitas Dei fundatur tantùm in ſimplici, & gratuita promiſſione Dei, qua Deus ita obligatur alteri, vt fundamentum obligationis ſit in ipſomet Deo, nimirum, vt verum faciat dictum ſuum; & non ſit in altero, cui ex ſimplici, & omnino liberali promiſſione nullum acquiſitum eſt ius.

*Diſtingui in Deo fidelitatem, & iuſtitiam.*

Atque



Atque hæc fidelitas maximè cernitur in donatione primæ gratiæ, quæ propterea ſemper dicitur dari gratis; ſi enim gratia ex operibus, ergo gratia

Ad Rom.11.

non eſt gratia, vt arguit Paulus Rom.11. quamuis detur ex debito fidelitatis, propter promiſſionem dandi. At verò quædam alia Deus promittit, non ſimpliciter, & omnino gratis, ſed ſub oneroſa conditione alicuius operis, ab altero requiſiti, vt

Matth.19.

Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata:* ergo hæc debentur, & redduntur ex debito maiori, & diuerſæ rationis à debito fidelitatis; ita vt, ſi per impoſſibile Deus negaret primam gratiam, offenderet tantùm ſe ipſum: ſi verò poſt opera ſupernaturalia meritoria, negaret gloriam, offenderet etiam creaturam, quæ liberè ſoluit aliquid condignum ad gloriam habendam, eámque acquirit titulo quaſi lucratiuo, propter aliquem titulum oneroſum, in creatura exiſtentem, vnde oritur ius ad gloriam in creatura. Atque hanc ob cauſam ſæpe in Scriptura, vita æterna vocatur nominibus propriis iuſtitiæ, vt merces,

Matth.5.

Matth. 5. *Ecce merces veſtra copioſa eſt in cœlis,* vt *corona iuſtitiæ, quam reddet Dominus in illa die iuſtus iudex,* 2. ad Timoth. 4. Vnde Paulus ad Hebr.6. *Non iniuſtus,* inquit, *Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.* Quamuis aliquando, vt Rom.6. dicatur, *Gratia Dei vita æterna.* Quia ſcilicet, ex gratia radicaliter procedit; & eſt, vt ait Tridentinum ſeſſ.6.cap.16.circa principium, *tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa.*

2\. ad Tim.4.
Ad Hebr.6.
*Exponitur locus ad Rom.6.*
Trident.

## *Dari in Deo debitum morale, & legale reſpectu creaturæ.*

Hæc ratio, quæ præcipua eſt in hac materia, explicari magis poteſt, diſtinguendo cum Theologis communiter duplex debitum; alterum, quod vocant legale, & eſt proprium ſolius iuſtitiæ ſpecialis, ac proinde eſt correlatiuum ad ius alterius, quo nimirum quis dicere poteſt, aliquid eſſe ſuum, & ſub aliquo dominio ſuo, ſiue perfecto, ſiue imperfecto. Debitum igitur legale, eſt omne id, quod debetur alteri, habenti aliquod ius ad illud: alterum, quod vocant morale, & eſt commune reliquis virtutibus, licèt magis approprietur illis, quæ ſunt ad alterum, quia vnuſquiſque magis propriè dicitur debere aliis, quàm ſibi, & nō videtur poſſe in communi aliter definiri, quàm per id, quod debetur ex decentia virtutis; ſiue, ex aliqua ratione exiſtente in ipſomet debitore, & non in alio creditore.

*Quid ſit debitū legale.*

*Quid ſit debitū morale.*

9\. *Deum debere ſimpliciter aliquid creaturæ, probatur ex* Auguſtino,

Deum igitur poſſe habere, & de facto habere aliquod ſimpliciter debitum reſpectu creaturæ, eſt expreſſa ſententia Auguſtini in Pſalm. 83. circa finem, vbi cum ex citatis verbis Pauli, *Reddet iuſtus iudex,* planè conceſſiſſet, quòd Deus, *donator eſt indulgentiæ, debitor coronæ,* quia nomen debitoris videri poterat minus propriè de Deo dictum, ſic ſtatim dubitat; *Vnde debitor? accepit aliquid? cui debet aliquid Deus? quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* & dubitationem ſoluit, non negando proprietatem debitoris, ſed explicando modum, quo ſine vlla imperfectione ſit verè, ac propriè debitor, dicens, *Debitorem Dominus ipſe fecit ſe, non accipiendo, ſed promittendo. Non ei dicitur, Redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.* & Pſalm.109. initio. *Fidelis Deus, qui ſe noſtrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed tanta nobis promittendo. Parum erat promiſſio, etiam ſcripto ſe teneri voluit, veluti faciens nobiſcum chirographum promiſſorum ſuorum.* & ſerm. 16. de verbis Apoſtoli, cap.2. *Debitor factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed, quod ei placuit promittendo.* & propterea nos non poſſe dicere Deo, *Debes mihi, quia dedi tibi.* ſed ſolùm poſſe dicere, *Debes mihi, quia promiſiſti mihi. Redde quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti; & hoc tu feciſti, quia laborantes iuuiſti.* Idem alij Patres, Chryſoſt. hom.3.in Matth. multò poſt medium. *Tu ſaluari te Dei gratia confitere, vt ſe ille tibi debitorem fateatur. Quando enim aliqua fecerimus, habemus eum proculdubio debitorem.* Petrus Chryſologus ſerm.25. circa finem. *Nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione conſtringitur? Deus tot, & tantis voluminibus cauet, & debitor non tenetur? Sed dicis, eſto quòd debeat, quo exigente reſtituet? Seipſo. Quia non poteſt ille mentiri. Idem ipſe eſt & executor, & debitor.* Fulgentius Præfat. librorum ad Monimum, circa medium. *Seipſum ſua largitate dignatus eſt facere debitorem.*

Chryſoſt.
Petro Chryſologo,
Fulgentio.

10\. *Exponuntur SS. Auguſt. & Thomas, qui videntur contrarij.*

Neque diſſentiunt, ſi rectè intelligantur, idem Auguſtinus l.1.confeſſion.cap.4.dicens, *Reddis debita, nulli debens; donas debita, nihil perdens.* & S.Thomas 1.2.quæſt.111.art.1.ad 2.negans vniuerſaliter omne debitum, quo *Deus creaturæ obligetur:* & ſolùm concedens debitum, quo *creatura debet ſubijci Deo, vt in ea diuina ordinatio impleatur.* & tale ait eſſe etiam debitum ex merito proueniens. & q.114. art.1. ad 3. *Quia actio noſtra non habet rationem meriti, niſi ex præſuppoſitione diuinæ ordinationis, Deus non eſt ſimpliciter debitor nobis, ſed ſibi ipſi, in quantum debitum eſt, vt ſua ordinatio impleatur.* & in hoc articulo ad tertium. *Deus,* inquit, *debitum reddit,* tum ſibi, tum rei creatæ, *& licèt debitum alicui det, non tamen ipſe eſt debitor; quia ipſe ad alia non ordinatur, ſed potius alia in ipſum.* Hæc igitur omnia ad modum loquendi potius ſpectant, quàm ad rei veritatem, ab ipſiſmet in citatis verbis ſignificatam. Si enim Deus reddit nobis debita, vt expreſsè concedunt, ergo debet nobis ea, quæ nobis dat ex debito; ergo eſt nobis debitor. Neque aliud videtur humana ratione concipi poſſe.

11\. *Cur dicatur Deus reddere debita, & tamen nihil debere.*

Sed vt rem ipſam penetremus, præſcindendo à vocabulis, in debito, ſiue in aliqua re, quæ à Deo debetur, vt in gratia, gloria, &c. conſiderari poſſunt tria. Primò fundamentum primum debendi, & primaria ratio, ob quam Deus eſt obligatus dare, vel facere aliquid. Et hæc ratio, quæ eſt prima veluti cauſa efficiens debitum Dei, alia eſſe non poteſt, niſi ipſemet Deus, qui ſapientiſſima, ac miſericordioſiſſima voluntate ſua libera, voluit promittere aliquid creaturæ, & cum ea pactum aliquod inire. Secundò ſubiectum, ſeu perſona, cui datur, & promittitur, & conſequenter debetur aliquid. Et hæc ſine dubio eſt creatura, cui dantur, promittuntur, & debentur, gratia, gloria, aliaque debita. Tertiò præcipuus, & vltimatus finis propter quem res aliqua debetur à Deo; & hic in debitis Dei, non poteſt eſſe alius præter ipſum Deum, qui vniuerſa propter ſemetipſum operatur, Prouerb. 16. Deus igitur debet, ſiue eſt debitor, ſibi ipſi, tanquam primo fundamento debendi, & tanquam fini. Nobis verò, tanquam ſubiecto, & nonnunquam etiam tanquam fundamento ſecundario debendi; nimirum in iis caſibus, in quibus debet nobis, nō ſolùm quia gratis promiſit nobis, ſed etiam quia promiſit ſub oneroſa conditione operis noſtri: tunc enim opus à nobis factum, eſt ex parte noſtra, cauſa, ſeu ratio, licèt ſecundaria, cur oriatur in Deo obligatio, ac debitum dandi nobis, tanquam ſubiecto. Quoniam igitur debitum ſimpliciter, & habere, ac reddere debitum, non importat explicitè niſi relationem ad rem debitam; debere autem, & eſſe debitorem creaturæ; videri poterat ſignificare etiam, cauſam debendi eſſe abſolutè, &

ſimpliciter

ſimpliciter in nobis, & à nobis, non in debitore, & à debitore, quo modo his vocibus inter homines vtimur; ideo interdum doctiſſimi, ac piiſſimi viri primum concedere voluerunt, non ſecundum.

*Exponitur Anſelmus.*

12. Quamquam Anſelmus in Proſologio cap. 10. fin. de Deo ait, *Iuſtus es, non quia nobis reddas debitum; ſed quia facis, quod decet te, ſummè bonum.* Sed intelligendus eſt debito, quod vel ex nobis tantùm, vel principaliter ex nobis oriatur: non de alio debito, quod oriatur ex ipſo Deo, vel tantùm, vt debitum morale fidelitatis; vel principaliter, vt debitum legale iuſtitiæ. In quo ſenſu addit cap. 11. med. *Id ſolùm iuſtum eſt, quod vis; & non iuſtum, quod non vis.* Præterea S. Thomas ſupra num. 10. in primo loco limitanter negat debitum, quo *Deus creaturæ obligatur:* non autem quo *creatura ſubijciatur Deo.* Hoc eſt, Deus non debet creaturæ, propter aliquid ab ea receptum, quo obligetur ad reddendum illi æquiualens; ſed ſolùm debet, quia ipſe primus voluit liberè, & gratis ſe obligare creaturæ ad ea, quæ creatura ex ſe habere non poterat ſine ſubiectione ad ipſum. In ſecundo etiam loco non negat, Deum eſſe nobis aliqua vera ratione debitorem, ſed ſolùm debitorem ſimpliciter, hoc eſt, omni ratione: quia nimirum, prima debendi radix non eſt à nobis, ſed à Deo; & debitum non ordinatur ad nos, ſed ad Deum. Et propter hanc vltimam rationem tantùm, negat in tertio loco, Deum eſſe alicui debitorem, ſed vult, eſſe debitorem ſibi; quod in omnibus locis probat ex eo, quòd debitum eſt, vt diuina ordinatio impleatur: qua ſcilicet ex ſe ipſo Deus voluit ſe conſtituere debitorem creaturæ, idque ad ſeipſum referre; quod eſt debere ſibi, tanquam primo fundamento, & fini. Vnde 1. 2. quæſt. 114. art. 3. fin. corp. ait, *Hæreditatem gloriæ, iure adoptionis deberi filio Dei, adoptato per gratiam, qua conſors efficitur diuinæ naturæ.*

*Exponuntur loca S. Thom.*

*Deum habere debitũ morale fidelitatis.*

13. Ex prædictis igitur duobus debitis, Deus, ſecundùm communiſſimam ſententiam, habet debitum morale fidelitatis; quia hoc naſcitur ex promiſſione; idque ex natura rei, & ex intrinſeca ratione obiecti: alioqui poſſet Deus eſſe infidelis, & mendax, contra Paulum 2. ad Timoth. 2. *Fidelis Deus, negare ſe ipſum non poteſt;* & Dionyſium de diuinis nominib. cap. 8. circa medium; qui hæc Pauli verba ſic explicat, *ſeipſum quidem negare, à veritate decidere eſt. Porrò Deus veritas eſt, & à veritate cadere, à Deo cadere eſt. At Deus cadere à ſeipſo non poteſt.* Conſtat autem, Deum de facto multa hominibus promiſiſſe. Ad Hebr. 10. *Fidelis enim eſt qui repromiſit.* Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Pſ. 104. *Memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui; verbi, quod mandauit in mille generationes.* Vbi promiſſionem ſuam Deus, propter firmitatem, atque infallibilem effectum, appellat teſtamentum, vel pactum; appellat etiam mandatum. Vnde Paulus ad Rom. 4. *vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini.* & plerumque additur iuramentum, vt Pſalm. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* & ad Hebr. 6. *Per duas res immobiles,* hoc eſt, per Dei promiſſionem, & iuramentum, *firmiſſimum ſolatium habeamus.* & à Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. initio, vita æterna dicitur, *& gratia miſericorditer promiſſa, & merces bonis operibus, & meritis fideliter reddenda.* Ergo in Deo eſt verum, ac proprium debitum fidelitatis, quo dici poteſt & Deus debere nobis tanquam iis, quibus facta eſt promiſſio: & res promiſſa deberi nobis ex fidelitate Dei. Nam ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 109. art. 3. in corpore, & ad primum, *virtus veritatis eſt ad alterum: & attendit debitum, non legale, quod attendit iuſtitia, ſed morale, in quantum ſcilicet ex honeſtate vnus homo alteri debet veritatis manifeſtationem.* Virtus autem fidelitatis à veritate non differt, vt bene probat Suarez opuſc. 4. diſp. 2. ſect. 2. à num. 24. & ſignificat S. Thomas 2. 2. quæſt. 80. art. vnico ad tertium, illis verbis, *Fides, per quam fiunt dicta, includitur in veritate, quantùm ad obſeruantiam promiſſorum.* & dum poſtea in quæſt. 110. art. 3. ad 5. inter mendacia contra veritatem, numerat infidelitatem, quæ eſt ex non impleta promiſſione. Ad eamdem enim honeſtatem ſpectat, & ſeruare veritatem in ſuis dictis pro eo tempore, quo dicuntur, quod eſt proprium veritatis, & procurare, vt, ſi dictorum veritas pendet à promiſſis in tempore futuro, ea promiſſa ſuo tempore impleantur, quod eſt proprium fidelitatis; ergo Deus debito morali fidelitatis, ſeu veritatis, ad alterum dirigitur, ergo debet alteri.

*Exponitur cum Dionyſio locus 2. ad Timoth. 2.*

Ad Hebr. 10.

Iacob. 1.

*Exponitur locus Pſ. 104.*

Ad Rom. 4.

Pſalm. 131.

Ad Hebr. 6.

Tridentin.

*Quid ſit virtus veritatis ex S. Thoma.*

*Fidelitas pertinet ad virtutẽ veritatis.*

*Deum habere debitũ legale reſpectu creaturæ.*

Præterea habet Deus reſpectu creaturæ, debitum legale, hoc eſt, non fundatum in ſola, ac ſimplici promiſſione debitoris, nec in ſola decentia, atque honeſtate virtutis debitoris; ſed in aliquo titulo, ac iure exiſtente in ipſo creditore, ſiue in aliqua ratione extra debitorem; propter quam liberè poſitam à creatura, incipiat illi obligari Deus, ac fieri debitor, cùm antea non eſſet. Quod euidenter colligitur ex fide, qua habemus, Deum dare primam gratiam omnino gratis, & ſine vllis meritoriis operibus; & tamen non dare ſine promiſſione, ac debito morali fidelitatis. Dare verò vitam æternam vt ſtipendium, vt mercedem, vt brauium, vt coronam iuſtitiæ, & propter opera noſtra libera, ac meritoria de condigno. Stipẽdium autem, merces, brauium, corona iuſtitiæ, condignum præmium, non redditur ſine aliquo debito reddentis, quod fundatur, ſiue primariò, ſiue ſecundariò in condigno labore, & opere, ac merito ipſiuſmet, cui redditur. Atque huiuſmodi debitum nos appellamus legale, & diſtinguimus à morali fidelitatis; quia per hoc intelligimus tale debitum, cui ex parte creditoris nihil correſpondet, propter quod illi debeatur. Debitum verò legale ſemper habet aliquid illi correſpondens ex parte creditoris, propter quod illi ſit debitum: quod correſpondens, appellamus ius legale. Propter quod non dubitat Paulus ad Hebr. 6. dicere, Deum fore iniuſtum, ſi obliuiſceretur operis noſtri. Et per hoc debitum legale Deus nobis magis debet, quàm per morale fidelitatis, quia illud, non hoc, naſcitur ex aliquo titulo, & iure noſtro. 14.

Ad Hebr. 6.

*In quo fundetur debitũ legale Dei.*

Fundatur itaque hoc debitum in ipſiuſmet debitoris Dei liberali promiſſione, non abſoluta, ſed conditionata, ſub conditione operis, ac laboris. Quam promiſſionem, quæ pacti, ſeu conuentionis, ſeu contractus nomine poteſt appellari, paſſim legimus in ſacris litteris. Matth. 19. *Qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Primæ ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Vnde Matth. 20. promiſſio vitæ æternæ explicatur parabola illa, in qua paterfamilias, conuentione cum operariis facta ex denario diurno, miſit illos in vineam ſuam: qui etiam dicit, *Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis.* ergo eſt promiſſio per modum ſtipendij, & mercedis labori debitæ. Et 1. ad Corinth. 9. & ad Philippenſ. 3. explicatur per modum brauij, ſeu præmij in certamine propoſiti. 15.

Matth. 19.

1. ad Tim. 4.

Iacob. 1.

Matth. 20.

1. ad Cor. 9.

Ad Philip. 3.

*Debitum*



## *Debitum Dei legale eſſe debitum iuſtitiæ.*

*Probatur primò.*

16. Hoc igitur debitum legale, in Deo exiſtens, eſſe debitum iuſtitiæ ſuadetur primò, quia ſi ad aliquam aliam virtutem pertineret, maximè eſſet fidelitas, nam ne ipſi quidem aduerſarij aliam aſſignant. Sed non poteſt eſſe debitum fidelitatis, cùm ſit debitum ex contractu oneroſo, & ſub oneroſa conditione operis faciendi. Debitum enim fidelitatis, vt vel ex ipſo fidelitatis nomine conſtat, eſt debitum, vt ſeruetur veritas, & conſtantia, dictorum, ac promiſſorum; quod totum ſe tenet ex parte debentis: à quo, eſſentiali honeſtate differt aliud debitum, vt ſeruetur æqualitas cum re alterius, ſeu cum opere facto ab altero, cui propter illud opus, ex contractu, ſeu pacto promiſſum eſt aliquid, & obligauit ſe debitor ad illud dandum impleta condicione. Hoc autem eſt eſſentialiter debitum iuſtitiæ, ſcilicet, debitum ad æqualitatem correſpondens rei alterius: alioquin debitum legale, & morale, & conſequenter, virtutes iuſtitiæ, & fidelitatis, ne in humanis quidem diſtinguerentur, nam in humanis ideo diſtinguuntur, quia fidelitas fundatur in verbis, & promiſſionibus debitoris: Iuſtitia verò fundatur in aliquo titulo creditoris.

*Probatur ſecundò.*

*Quæ ſatis ſint ad eſſentialẽ rationem veri contractus inter Deum, & creaturã.*

17. Secundò, in promiſſione Dei, facta creaturæ ſub conditione operis, & acceptata à creatura, ſunt omnia requiſita ad eſſentialem rationem veri contractus inter Deum, & hominem. Eſt enim diuerſitas ſuppoſitòrum, & voluntatum, vt patet. Eſt creatura rationalis, verè domina ſui operis liberi; nihil enim aliud eſt, eſſe liberum, quàm habere dominium ſui actus. Eſt etiam inter opus ſupernaturale, factum à filio Dei per gratiam adoptionis, & vitam æternam, æqualitas quædam, & condignitas ex natura rei, vt ſupponendum hîc eſt ex probatis in materia de merito. Poteſt quoque Deus dare homini dominium, & ius ad gloriam: & de facto dediſſe, manifeſtè ſignificat ſcriptura, eam vocans mercedem, brauium, & coronam iuſtitiæ. Quòd ſi præterea contendas, requiri vt Deus ſpoliet ſe dominio gloriæ, illud totaliter transferendo in creaturam; & vt acquirat dominium operis creaturæ, quod aliter non haberet, quæ conditiones reperiuntur in humanis contractibus, continentibus rationem dati, & accepti, nos contra contendimus, has conditiones non eſſe iuſtitiæ eſſentiales, ſed accidentales, & connaturales propter imperfectionem contrahentium: & ad fundandam veram, propriámque iuſtitiam, ſatis eſſentialiter eſſe, vt ſi vnus contrahens, ex infinitiſſima perfectione ſui dominij, non poteſt non remanere dominus debiti, v. g. gloriæ, tamen alius contrahens acquirat de nouo aliquod dominium eiuſdem debiti. Quod rectè intelligi poteſt ex hypotheſi impoſſibili. Si enim Deus poſt abſolutum pactum de dando gloriam ſub conditione operis condigni, deinde poſito noſtro opere, & debito tempore, poſſet nolle dare, eſſet verè iniuſtus, vt concedit Paulus ad Hebræos ſexto, & ſi tunc poſſet creatura, inſcio, vel inuito Deo, gloriam ſibi vſurpare, non committeret iniuſtitiam, nec faceret Deo iniuriam. Præterquàm quod Deus non poſſet habere actuale dominium gloriæ, niſi eam traderet creaturæ: cùm videre Deum viſione creata, in qua conſiſtit gloria eſſentialiter, non poſſit contingere ſine concurſu intellectus creati. Satis etiam eſſe, vt ſi vnus contrahens non poteſt non eſſe dominus titulis quibuſdam vniuerſalibus operis creati, liberi, & ſoluti ad acquirendum dominium debiti, quia eſt creator, & conſeruator operantis, & immediatus effector ipſiuſmet operis; tamen poſſit idem dominium habere nouo quodam, & particulari titulo, nimirum ſub ratione debiti de iuſtitia; & ſic acquirere eiuſdem operis quaſi aliud nouum dominium, nimirum ratione contractus initi inter ipſum, & creaturam, quo fit de nouo dominus operis, vt formaliter exhibiti propter mercedem: ita vt ſi præſcindamus à reliquis omnibus titulis, & fingamus per impoſſibile, remanere ſolùm hunc vltimum titulum, intelligamus, Deum, ratione illius tituli tantùm, non eſſe minus dominum operis creaturæ, quàm ſit in humanis dominus operis ruſtici is, qui eum conducit ad operandum in vinea ſua. Quare creatura opus, & laborem ſuum, verè tradit Deo, quantùm eſt ex ſe, hoc eſt, ſpoliat ſe proprio dominio ſui operis, quia illud titulo iuſtitiæ, ad ponendam æqualitatem inter rem, & rem, eſt verè debitum Deo. Ex quo opere Deus recipit, ſi non vtilitatem, ſaltem gloriam. Adde, quòd quamuis Deus ſit dominus operis liberi creati, tamen actuale illius dominium habere non poteſt ſine concurſu creaturæ liberæ.

*Quæ non ſint neceſſaria.*

Ad Hebr. 6.

*Quid poſſit acquirere Deus per contractum iuſtitiæ cum creatura.*

*Ex Scriptura colligitur iuſtitia propriè in Deo.*

Tenentur igitur aduerſarij afferre efficacem aliquam rationem, cur plus requirant ad eſſentialem rationem propriæ iuſtitiæ: alioqui contra ipſos ſunt quamplurima, & clariſſima ſcripturæ teſtimonia. Mercedem enim gloriæ comparat mercedi, quam recipiunt operarij laborantes in vinea, Matth. 20. Item brauio, quod accipit, qui omnium ſtrenuiſſimè in ſtadio currit, 1. ad Cor. 9. ad Philippenſ. 3. Imò ſæpe eam expreſsè vocat mercedem, vt Matth. 5. 1. ad Corinth. 3. Sap. 2. & 5. & 10. Geneſ. 15. Eccleſiaſtici 18. & coronam iuſtitiæ, quam reddit iuſtus iudex, 2. ad Timoth. 4. & ſi non redderet, eſſet iniuſtus, ad Hebr. 6. ſæpe etiam ſcriptura dicit, vitam æternam dari propter bona opera. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecũdùm debitum.* ad Rom. 4. & propterea Matth. 5. dicitur, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum:* ſtatim enim incipit eſſe illorum, ſi non poſſeſſione, ſaltem iure. & Paulus 2. ad Timoth. 1. ſuam gloriam vocat, depoſitum ſuum, quod in illum diem ſeruat Deus, iuſtus iudex. Quem locum exponens Bernardus l. de gratia, & libero arbitrio circa finem. *Dei,* inquit, *promiſſum appellat ſuum depoſitum: promiſſum quidem ex miſericordia, ſed iam ex iuſtitia perſoluendum; iuſtum quippe eſt vt reddat, quod debet.* & infra addit, *cuius tamen ſuæ iuſtitiæ ipſum,* nempe Paulum, *Deus voluit habere conſortem, vt & coronæ faceret promeritorem:* hoc eſt, talem voluit eſſe promiſſionem, quæ opus aliquod ex parte hominis requireret, in quo poſſet ius iuſtitiæ fundari. Cum igitur ſcriptura frequentiſſimè, & apertiſſimè exprimat iuſtitiam inter Deum, & hominem, debet, quoad eius fieri poteſt, intelligi cum proprietate ſermonis. Sed ſi naturam propriæ iuſtitiæ explicemus modo dicto, ſaluamus propriam ſignificationem verborum ſcripturæ, nec ex illo explicationis modo oritur aliquod abſurdum; ergo prudens Theologus debet potius opinionem non neceſſariam de iuſtitiæ eſſentia deſerere, & ſe accommodare proprio ſenſui ſcripturæ, quàm, vt opinionem ſuam tueatur, improprietatem diuini ſermonis aſtruere. 18.

Matth. 20.

1. ad Cor. 9.

Ad Philip. 3.

Matth. 5.

1. ad Cor. 3.

Sap. 2. & 5. & 10.

Geneſ. 15.

Eccleſ. 18.

2. ad Tim. 4.

Ad Hebr. 6.

Ad Rom. 4.

*Exponitur locus Matth. 5. & 2. ad Timoth. 1.*

Bernardus.

Præterea ſi obſtinatè dixeris, ad propriæ iuſtitiæ obligationem inter duos, eſſe eſſentialiter neceſſariam illam iurium, & dominiorum abſolutam, ac totalem tranſlationem, vt ſcilicet alter 19.

accipiat

accipiat tanquam ſuum, quod antea non habebat; alter verò ita det, quod antea erat ſuum, & non alterius, vt illud nullo modo amplius retineat tanquam ſuum, licebit etiam negare primò opera Chriſti Redemptoris fuiſſe perfectè ſatisfactoria pro iniuriis peccatorum, quia illa opera erant ſub pleno dominio Dei. Secundò peccatum habere veram, ac propriam rationem iniuriæ Dei: quia iniuria, prout in humanis reperitur, ſemper aufert aliquod bonum, peccatum verò nullum bonum Deo auferre poteſt, quod illi ſit commodum, vel vtile. Sicut igitur ideo datur, etiam reſpectu Dei, propria ratio iniuriæ, quia hæc ſecundum adæquatam, & puram eſſentiam ſuam non conſiſtit in diminutione, ſeu læſione boni vtilis, quam rationem in humanis habet propter imperfectionem perſonarum, quæ iniuriantur; ſed in læſione cuiuſcumque boni, cuius quilibet ratione vtens, ſit dominus, ſiue inde capiat vtilitatem, ſiue non; Deus autem eſt verus dominus bonorum externorum, quæ ad eius gloriam, honorem, ſeu famam pertinent, ſicut etiam omnium creaturarum, & ad hæc bona habet propriiſſimè ius; ergo circa illa pati poteſt propriè iniuriam: ita etiam licèt iuſtitia humana aliquam imperfectionem habeat, cuius incapax eſt Deus, non propterea neganda ſimpliciter eſt iuſtitia diuina, & dicendum, illam imperfectionem eſſe de eſſentia iuſtitiæ ſimpliciter: alioqui neque ſubſtantiam, neque ſcientiam, neque miſericordiam, neque virtutem, neque aliud quidpiam in Deo propriè, & formaliter poſſemus admittere, quia hæc in creaturis ſemper dicunt aliquam imperfectionem, non in Deo.

*Ex oppoſita ſententia deducũtur nonnullæ abſurdæ.*

20. Liceret quoque tertiò Lutheranis pariter aſſerere, prædictas conditiones eſſe neceſſarias ad merendum de condigno; & cum illæ inter Deum, & hominem, ſint impoſſibiles, eſſe etiam impoſſibile omne humanum meritum de condigno coram Deo. Non enim minus videtur abſurdum, ſi hæc perpendamus iuxta humanas rerum conditiones, me, de condigno verè, ac propriè, mereri gloriam, quæ remaneat etiam ſub dominio Dei, per opera, quorum multò maius dominium habet Deus, quàm is, qui illa exhibet, & ſoluit ad merendum de condigno; quàm me eodem modo acquirere dominium, & ius ad gloriam. Quòd ſi reſpondeas, plus requiri ad iuſtitiam, quàm ad meritum de condigno: id verò eſſet probandum. Negamus enim, meritum de condigno poſſe intelligi ſine condignitate proprij operis, ac laboris ad habendum præmium: hæc autem condignitas ex parte merentis, poſito pacto ex parte præmiantis de dando præmio, eſt ius ad præmium: in quo iure eius, cui debetur aliquid, fundatur propriè iuſtitia, & debitum legale. Sicut igitur ad eſſentialem rationem meriti de condigno coram Deo, omnes dicimus, illas conditiones, quæ in meritis hominum inter ſe interueniunt propter illorum imperfectionem, non eſſe neceſſarias; ita etiam ad rationem eſſentialem iuſtitiæ.

21. *Probatur tertiò.*

Tertiò, debitum morale fidelitatis, vt ſic, & formaliter, non excludit gratiam. ſed debitum legale, ſeu ſub conditione operis, excludit gratiam: ergo non eſt debitum fidelitatis. ergo iuſtitiæ: quia præter debita fidelitatis, & iuſtitiæ, alia debita ad alterum, v.g. Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, & ſimilia nemo ponit in Deo, quia ſupponunt vel ſuperioritatem in altero, vel receptionem beneficij ab altero. Maior probatur, tum quia debitum fidelitatis nititur ſola, & pura promiſſione, quæ per ſe liberalis eſt. Tum quia Deus ex liberalitate, non ex iuſtitia dedit nobis filium ſuum, quamuis promiſſum ante tempora ſæcularia, ad Titum primo. Tum quia ipſa etiam promiſſio vitæ æternæ, quatenus ex liberalitate promittentis procedit, gratia eſt, vt expreſsè docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. circa principium. Tum quia remiſſio peccatorum, & prima gratia iuſtificans, promiſſa eſt ſub conditione operis, hoc eſt, veræ pœnitentiæ, & tamen adhuc eſt pura, & ſimpliciter gratia, non iuſtitia. Vnde Ioël cap. 2. ad pœnitentiam hortatur, & reddit cauſam gratiæ, *quia,* inquit, *benignus, & miſericors eſt, & patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* & Paulus ad Rom. 4. exponens illud Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,* &c. quia peccatori, inquit, *Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus.* Et ratio eſt, quia ex probatis in materia de iuſtificatione, & ſatisfactione Chriſti, pœnitentia, vtpote à peccatore facta, non habet condignitatem, & debitum valorem ad illam gratiam, tanquam ad mercedem: & ideo illa promiſſio adhuc nititur ſola liberalitate, & miſericordia Dei promittentis, & cauſat ſolùm morale debitum fidelitatis; quod quamuis ſit debitum, tamen non excludit, quin ſit debitum ſimpliciter gratuitum, & donum.

*Debitũ fidelitatis non excludere gratiam.*

Tridentin.

*Exponitur locus Ioël. 2. & Pſal. 31. cum Paulo ad Rom. 4.*

22. *Debitum legale excludere gratiam.*

Minor quoque probatur, tum quia Paulus ad Rom. 4. ait, *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* vbi à debito ſub conditione operis, apertiſſimè excluditur gratia. Tum quia Iacobi 2. Abraham dicitur, *iuſtificatus ex operibus.* ergo non ex gratia: quia ad Rom. 11. *Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia.* Tum quia ad Rom. 2. *Deus reddet vnicuique ſecundùm opera eius: ijs quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem, qui credunt iniquitati, ira, & indignatio.* Sed malis de iuſtitia reddetur pœna, ergo bonis de iuſtitia reddetur præmium. & 1. ad Cor. 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Quo loquendi modo, & ex ſe, & ex vſu Scripturæ, excluditur gratia. Tum quia debitum ſub conditione condigni operis, eſt debitum propter vim operis condigni, & æquiualentis illi debito; ergo non propter meram gratiam, & liberalitatem, & fidelitatem debitoris. Igitur debitum ſub conditione condigni operis, ſi vt ſic, præcisè, ac formaliter conſideretur, excludit omnino gratiam, & propterea eſt longè maius debito fidelitatis, & dici poteſt debitum ſimpliciter.

Ad Rom. 4. Iacob. 2. Ad Rom. 11. & 2.

1. ad Cor. 3.

23. *Vita æterna eſt gratia, & iuſtitia ſub diuerſa ratione, ex Tridentino.*

Atque hæc duo debita, & duplicem fidelitatis, ac iuſtitiæ promiſſionem, apertè diſtinguere videtur Tridentinum ſupra, illis verbis, *Vita æterna eſt, & tanquam gratia miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis operibus, & meritis fideliter reddenda. hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ,* &c. Dicit autem, eſſe fideliter reddendam, non quòd excludat iuſtitiam, cum expreſsè eam vocet mercedem, & coronam iuſtitiæ, ſed quia in vitæ æternæ collatione, quatenus formaliter, & præcisè per illam implentur promiſſa, eſt actus fidelitatis; licèt quatenus redditur pro operibus, & meritis de condigno, ſub qua formalitate habet rationem mercedis, & coronæ iuſtitiæ, ſit proprius iuſtitiæ actus. Idem enim Concilium ſupra, cap. 8. dixerat, *Si gratia eſt, iam non ex operibus: alioquin, vt Apoſtolus inquit, gratia iam non eſt gratia.* Ergo cum dicit, gloriam reddi operibus, vt ſic formaliter excludit gratiam: ergo excludit fidelitatem, quia fidelitas cohæret cum gratia: fidelitas enim, quantùm eſt ex ſe, ſtat cum ſimplici promiſſione facta à Deo, qui non poteſt mentiri. Cum hac autem promiſſione

expreſsè



expreſsè aſſerit Concilium, vitam æternam eſſe gratiam, & miſericordiam, dum dicit quòd eſt gratia miſericorditer promiſſa. Cùm igitur aliqua Dei operatio habeat ſpecialem quamdam honeſtatem reddendi debitum, quod alteri debetur, excludens gratiam, quod eſt ſolius iuſtitiæ proprium, cogimur admittere in Deo formaliter ſpecialis iuſtitiæ attributum, ab aliis attributis ratione ratiocinata diſtinctum.

24. *Ratio à priori probãs, iuſtitiam eſſe in Deo.*

Ex dictis colligitur huius veritatis ratio à priori. Vt aliqua virtus, quæ in hominibus reperitur, Deo etiam conuenire dicatur ſecundùm propriam ſuam ſpecificam, & formalem rationem, licèt analogicè conuenientem cum ratione formali eiuſdem virtutis, prout in homine reperitur, ſatis eſt, vt habeat aliquem conceptum, illius virtutis proprium, quo ab aliis omnibus virtutibus eſſentialiter diſtinguatur, neque opus eſt, vt habeat alios conceptus, quamuis ſimpliciter eſſentiales; vt charitas in Deo eſt infinita, increata, ſubſtantialis, non inuenit, ſed cauſat bonum creatum, quod amat, &c. in quibus eſſentialiter differt à charitate noſtra; tamen, quia conuenit in conceptu analogico amandi bonum alterius, ponitur propriè, & formaliter in Deo: ſic etiam miſericordia ponitur formaliter in Deo, & in nobis; licèt in nobis ſit cum compaſſione, non in Deo; ſed & in Deo, & in nobis, eſt ex affectu ſubleuandi miſeriam alterius, in quo analogico conceptu, nullam includente imperfectionem, à reliquis virtutibus eſſentialiter diſtinguitur. Præterea liberalitas eſt formaliter in Deo, & nobis; quia licèt in nobis ſit cum priuatione dominij rei, quam donamus, non in Deo; tamen vtrobique habet perfectiſſimum conceptum analogicum faciendi rem donatam ſub dominio donatarij. Sed iuſtitia diuina per conceptus ſuperius aſſignatos, ita eſſentialiter cum humana iuſtitia conuenit conuenientia analogica, vt ſufficienter diſtinguatur ab actibus, & obiectis aliarum virtutum, vt probauimus; ergo ponenda formaliter eſt in Deo.

25. *Idem probatur ſoluendo, & retorquendo argumentum contrarium.*

Rebellus.

Idem confirmari vlterius poteſt, retorquendo argumentum, quod contra noſtram ſententiam fieri ſolet, nempe, ſi inter patrem, & filium, dominum, & ſeruum non poteſt eſſe iuſtitia, ergo multò minus inter Deum, & creaturam. Nam poteſt dominus liberè facere pactum cum ſeruo, quod quotidie fieri teſtatur Rebellus de iuſtitia 1. part. lib. 1. quæſt. 2. ſect. 5. num. 26. & ego à fide dignis accepi eſſe frequens inter Turcas cum Chriſtianis captiuis, vt ſeruus obligetur quotidie dare domino certam pecuniæ quantitatem, & ſi quid amplius lucretur, ſuum fiat; quo poſito pacto, tenetur ex iuſtitia dominus non priuare ſeruum illo maiori lucro: imò ex illo lucro, poterit poſtea ſeruus multos iuſtitiæ contractus cum domino celebrare, & ſuam etiam libertatem iuſto pretio redimere. Sicut igitur poteſt eſſe iuſtitia inter dominum, & ſeruum, ſuppoſita voluntate, & pacto domini, quo poteſt ſeruus acquirere rerum, & pecuniarum dominium; ita etiam inter Deum, & hominem, poſita promiſſione Dei, qua homo verum ius acquirat ad aliquod præmium, à Deo dandum. Præterea homo comparatur ad Deum, tanquam filius habens peculium caſtrenſe, quia habet dominium ſuorum actuum, licèt idem habeat, maiori ratione, etiam Deus. Inter patrem autem, & filium habentem peculium, poſſe eſſe iuſtitiam probaui 2. 2. q. 57. artic. 4.



# DVBITATIO II.

## *An in Deo ſit iuſtitia commutatiua.*

### SVMMA.

1. *Quid ſentiant Doctores, præſertim S. Thomas. n. 26. ad 30.*
2. *Iuſtitia vt denominatur commutatiua, non eſt in Deo. num. 27. & 30.*
3. *Iuſtitia commutatiua ſecundùm præciſam eſſentiam ſuam eſt in Deo. num. 31. & 32.*
4. *Quæ ſit materia iuſtitiæ commutatiuæ. n. 33. ad 36.*
5. *Dominiorum tranſlatio non eſt de eſſentia commutatiuæ. num. 36.*
6. *An contrapaſſum ſit de ratione iuſtitiæ commutatiuæ. num. 37.*
7. *An iuſtitia Dei denominari aliquo modo poſſit commutatiua. num. 38. ad 42.*

26. *Reſpondetur diſtinguendo de iuſtitia commutatiua.*

SEcunda concluſio. Iuſtitia commutatiua, contractè conſiderata, quoad denominationem commutatiui, & omnes particulares conceptus, quos de facto, & ſimpliciter habet in humanis, & propriè ſignificat, vt denominatur commutatiua, non eſt formaliter in Deo: conſiderata verò præcisè, & quoad rem, ſecundùm conceptus ſuos eſſentiales, communes, & abſtractos, ſecundùm quos, adhuc eſſentialiter diſtinguitur à quacumque alia & iuſtitiæ, & virtutis ſpecie, poni debet propriè, & formaliter in Deo. Hac diſtinctione arbitror explicari mentem S. Thomæ, qui hac de re non ſemper eodem modo loquutus eſt: adeo vt ipſemet Thomiſtarum princeps Capreolus 2. d. 27. quæſt. vnica, art. 3. ad 1. Durandi, conſideratis diligenter multis S. Thomæ dictis, tandem in fine ſic concluſerit, *Sciendum, quòd B. Thomas in 2. ſent. & ſimiliter in 4. conſiderauit actus meritorios, quantum ad eorum valorem, quem habent ex ſubſtantia ſui. Et ideo, cum illa non ſit æqualis præmio ſecundùm quantitatem abſolutam, dixit, quòd in retributione, & præmiatione actus meritorij ſeruatur propriè iuſtitia diſtributiua, non autem propriè commutatiua, niſi ſecundùm quid. In ſumma verò, puta in 1. 2. & 2. 2. conſiderauit actum meritorium, prout eſt ex motione Spiritus ſancti, & ex gratia: & videtur velle, quòd actus ex illa parte æquatur præmio, etiam ſecundùm æqualitatem quantitatis abſolutæ. Ideo dicit, quòd in præmiatione actus meritorij, ſeruatur iuſtitia commutatiua, non ſolùm ſecundùm quid, ſed ſimpliciter. Et ſecundùm hoc ſoluitur illa repugnantia, quæ videtur eſſe in dictis eius in ſcriptis, & in ſumma. Et hoc mihi videtur ſatis notandum ad euadendum repugnantiam.* Imò initio eiuſdem reſponſionis loquens de doctrina tradita à S. Thoma 2. ſent. diſp. 27. quæſt. 1. artic. 3. vbi inter vitam æternam, & meritum de condigno negatur æqualitas quantitatis, & ratio iuſtitiæ commutatiuæ, illam dixit, *Non oportet neceſſariò hîc ſuſtinere, quia correcta eſt in ſumma.* nimirum 1. 2. quæſt. 114. artic. 3. corp. & ad 3. vnde poſtea in verſiculo, *Quartò apparet,* ait pro hac concluſione, *quòd Deus in redditione præmiorum, & pœnarum, magis ſeruat modum iuſtitiæ diſtributiuæ, quàm commutatiuæ. Et hoc intellige, ſi conſideremus actus meritorios ſecundùm eorum ſubſtantiam ſolùm: quia fortè, ſi actus meritorius conſideretur prout procedit ex gratia, & motione Dei, ſic in eius præmiatione ſeruatur iuſtitia commutatiua: quia vt ſic redditur æquale pro æquali.* & cum Capreolo, inquit Sylueſter 1. part. conflati, quæſt. 21. artic. 2. §. 5. *Tranſeunt multi.*

*Iudiciũ Capreoli de ſententia S. Thomæ.*

*Sententia Capreoli.*

Sylueſter.

27. *In quo ſenſu S.Thomas neget in Deo iuſtitiã commutatiuam.* Ad Rom.2. Iob 41.

In hoc igitur articulo, & 1. cont. Gent. cap.93. circa finem negat S.Thomas in Deo iuſtitiam commutatiuam; & probat ex illo ad Rom.2. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* & Iob 41. *Quis ante dedit mihi, vt reddam ei?* & ex eo quòd *Deus à nullo aliquid accipiat*. Quo patet, ipſum ſumere iuſtitiam commutatiuam pro ea, qua quis dat vnum, vt accipiat aliud, quod aliter non eſſet ipſius, quod propriè ſignificat *commutare*, & non ſignificat *diſtribuere*. Etenim commutare, non eſt ſolùm dare, ſed dare vnum pro quo accipiatur aliud. Diſtribuere verò dicit quidem dare, ſed non dicit accipere. Cùm igitur Deo conueniat, dare de bonis ſuis, non autem accipere de bonis alienis, cum ſit primus, & abſolutiſſimus dominus omnium, quæ ſunt, conuenire illi poteſt iuſtitia diſtributiua, non autem commutatiua, ſpectando propriam diſtributiui, & commutatiui denominationem, vt dico in prima parte concluſionis. Similiter 2.ſentent. diſp.27. quæſt.1. art.3. in fine corporis, Deum in redditione præmij pro merito non ſeruare iuſtitiam commutatiuam, probat ex eo quòd *Deus à nobis nihil accipiat*. Et tum ibidem, tum in 4.d.46. quæſt.1. artic.1. quæſtiuncula prima, iuſtitiam commutatiuam à Deo excludit, propter defectum æqualitatis in quantitate: *quia*, inquit, *beneficia Dei ſemper excedunt meritum creaturæ*. Quod iuxta mentem S.Thomæ non ſemel explicat Capreolus ſupra, de præmio, & merito, conſideratis præciſè ſecundùm ſubſtantiam, non autem de merito conſiderato ſecundùm omnes circunſtantias perſonæ merentis, & operantis cum gratia gratum faciente, ex motione Spiritus ſancti.

*Propria denominatio diſtributiui, non commutatiui conuenit Deo.*

28. *Iuſtitiã commutatiuã in Deo eſſe docet S.Thomas in alijs locis.*

Verùm pro ſecunda parte concluſionis ex 1.2. quæſt.114. art.1. ita negatur, inter Deum, & homines *iuſtitia ſimpliciter*, ſicut negatur *meritum ſimpliciter*, vt manifeſtum eſt ex diſcurſu totius corporis. Nemo autem negauerit, ſanctorum merita habere veram, ac propriam, & eſſentialem rationem meriti: ergo etiam iuſtitiæ. Ibi enim S.Thomas expreſsè, in tantum ponit in hominibus eſſe rationem meriti, in quantum ponit eſſe rationem iuſtitiæ; quia, inquit initio corporis, *meritum, & merces, ad idem referuntur. Id enim merces dicitur, quod alicui recompenſatur pro retributione operis, vel laboris, quaſi quoddam pretium ipſius. Vnde ſicut reddere iuſtum pretium pro re accepta ab aliquo, eſt actus iuſtitiæ; ita etiam recompenſare mercedem operis, vel laboris, eſt actus iuſtitiæ.* Deinde verò nulla alia ratione excludit à meritis *iuſtitiam ſimpliciter*, niſi quia Deus dat iuſtis virtutem ad merendum. ergo illud, *ſimpliciter*, non excludit veritatem, & proprietatem iuſtitiæ, ſed ſolùm quemdam iuſtitiæ rigorem, qui nullam gratiam præſupponit, vt in humanis contingit. Vnde poſtea in articulo tertio, tum in corpore, tum ad tertium, expreſsè admittit meritum noſtrum æquale præmio vitæ æternæ, non ſolùm æqualitate proportionis, ſed etiam æqualitate quantitatis, *prout ſcilicet procedit à Spiritu ſancto, & à gratia Dei formatiua*, vt loquitur, & exponit Capreolus ſupra artic.1. poſt principium. Præterea in 2.2. quæſt.61. art.4. ad 1. apertè docet, *In illa forma diuini iudicij, vt ſecundùm quod aliquis fecit, patiatur, iuxta illud Matth.7. In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini; & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, attendi rationem iuſtitiæ commutatiuæ, prout ſcilicet recompenſat præmia meritis, & ſupplicia peccatis.*

29. *Concluſionis authores, & aduerſarij.*

Hanc concluſionem expreſsè tenent Capreolus ſupra, & Aureolus 1.d.46.q.1.art.1. propoſitione 3. §. *Eſt autem*; & non obſcurè ſignificat Sylu. ſupra, §.2. & 7. quamuis aliqui recentiores ſcripſerint, ſe nullum Scholaſticorum legiſſe pro hac concluſione ante noſtra tempora: & fusè defendit Suarez opuſculo ſexto de iuſtitia Dei, ſect.2. & ſequitur Rebellus de iuſtitia 1.p.lib.1.q.4.ſect.3.concluſ.2. cum Medina, & ſect.1. multos, & antiquos, & modernos citat, qui nullam in Deo iuſtitiam nec commutatiuam, nec diſtributiuam admittunt: ſed antiqui grauiores citati ſupra numero quinto, accipi poſſunt in eodem ſenſu, quo S.Thomam accepimus. Vnde Riccardus 4.d.46.art.1.q.1. in corpore, negat Deo commutatiuam *propriè loquendo, quia*, inquit, *nulli eſt debitor ex legis neceſſitate*, & ad ſecundum negat commutatiuam, *ſecundùm plenam rationem*. qua ſcilicet, (vt limitat ad quartum,) *Deus creaturæ ſit debitor ex recepto. Eſt tamen*, inquit, *debitor ex promiſſo: nulli enim eſt debitor, niſi quia vult.* Certè Alenſis 1.p.q.39. membro 1. & 2. Bonauent.4.d.46. art.2. q.1. ad 1. & latius Albertus 1. part. ſummæ tract.20.q.80.art.4. particula 2. præſertim ad octauum, eodem modo ponunt in Deo iuſtitiam, & miſericordiam: ſed ſecundùm ipſos, & reliquos omnes, miſericordia formaliter eſt in Deo; ergo & iuſtitia. Thomiſtæ verò communiter, vt Caiet. hîc, & 2.2.q.61.art.4. Sotus de iuſt.lib.3.q.5.art.4. ad 1. Ferrarienſ.lib.1.cont.Gent.cap.93. §. *Sed dubium.* & recentiores interpretes huius articuli, vt Bagnes, Ripa, Nazarius, Nauarrete, Gonzalez, & alij, quibus accedit Aragonia 2.2.q.61.art.4. ad 1. admittunt, Deo propriiſſimè conuenire iuſtitiam diſtributiuam, commutatiuam verò nulla propria ratione, putantes, hanc eſſe ſententiam S.Thomæ: ſed noſtram ſententiam tenet etiam Valentia hîc puncto 1. init. Omnem autem iuſtitiam à Deo remouent Trigoſius in Bonauenturam, 1.part. q.17. art.1. dub.1. Ripa, Nauarrete, & alij citati ſupra 1 um.5.

30. *Iuſtitia commutatiua ſecundum denominationẽ commutatiuĩ non eſt propriè in Deo.*

Prima pars concluſionis eſt planè omnium. & patet, quia commutare, ex propria vocis ſignificatione, & communi vſu, importat non ſolùm æqualitatem inter duas res, quæ inuicem commutantur, quæ æqualitas reperitur inter opera meritoria eius, qui verè nominatur, & eſt filius Dei per gratiam adoptionis, & vitam æternam, vt hîc ſuppono ex 1.2. quæſt.114. art.3. vbi id expreſsè docuit S.Thomas, teſte Capreolo ſupra, ſed etiam, vt is, qui commutare dicitur, non retineat apud ſe dominium rei, quam commutat; ſed acquirat aliud dominium alterius rei ſimpliciter non ſuæ, quæ in rem ſuam ab alio commutatur. Certum autem eſt, cum his duabus imperfectionibus, quæ non poſſunt non eſſe in iuſtitia commutatiua inter duos homines, non poſſe eſſe iuſtitiam commutatiuam inter Deum, & hominem: nam neque Deus poteſt dare homini aliquid, cuius non remaneat dominus; neque homo poteſt dare Deo aliquid, cuius Deus maioribus, & pluribus aliis titulis non ſit veriſſimus, ac propriiſſimus dominus.

31. *Iuſtitia commutatiua ſecundũ eſſentiam ſuam eſt propriè in Deo.*

Secunda pars probata ferè remanet ex dictis in prima dubitatione, quia iuſtitia, quam ibi in Deo eſſe probauimus, habet pro obiecto ſuo proprio debitum, quod à Deo debetur alicui particulari creaturæ, tanquam proprium illius, propter ius, quod creatura illa, ex ſe, & non vt pars communitatis, ſed vt quid totum ſolitariè acceptum, habet ex ſuis propriis bonis ad illud debitum. Oritur enim hæc iuſtitia ex contractu, ſeu pacto oneroſo, quod Deus, tanquam particularis quædam perſona, iniuit cum quolibet particulari homine, per ſe conſiderato, vt ſi quis faciat hoc, aut illud opus, cuius liberum dominium habet, ídque quantum eſt



eſt ex ſe, Deo offerat; Deus contra, teneatur de bonis ſuis propriis dare creaturæ aliud æquiualens, & dignum illo opere. Vbi interuenit æqualitas arithmetica duarum quantitatum, hoc eſt, rei ad rem; non geometrica duarum proportionum, hoc eſt, rerum ad perſonas. Interuenit quoque ius ſimpliciter, & peculiare, ſeu ius proprietatis, quod æquiualet proprio, ac peculiari dominio. Conſtat autem his omnibus prædicatis haberi proprium conceptum iuſtitiæ commutatiuæ, quoad rem ipſam præciſè, & ſimpliciter conſideratæ; & non diſtributiuæ, quæ fundatur ſolùm in imperfecto iure partis, reſpectu alicuius boni communis, cuius dominium eſt ſolùm penes communitatem; non in aliquo perfecto iure proprietatis, ac dominij: neque iuſtitiæ legalis, quæ ſolùm reſpicit bonum commune, vt tale formaliter. Atque hanc commutatiuam iuſtitiam manifeſtè ſignificant loca Scripturæ ſupra citata, quæ docent, gloriam dari ſicut ſtipendium laborantibus in vinea, & ſicut brauium currentibus in ſtadio; & eſſe mercedem; & dari propter laborem, & bona opera vniuſcuiuſque. In his enim caſibus, etiam inter ipſos homines interuenit ratio commutatiuæ iuſtitiæ. Neque in hoc debito Dei reſpectu creaturæ, aut iure creaturæ reſpectu Dei, apparet aliqua imperfectio, ſed potius infinita Dei bonitas, ſapientia, miſericordia, ac potentia: quia omnia totaliter fundantur in pura gratia, & libera voluntate Dei; qui vt ſuam bonitatem omni modo poſſibili communicaret creaturæ, eámque ita liberaret à peccato, vt quoad eius fieri poterat, exaltaret, ſapientiſſimè inſtituit per meram liberalitatem, & gratiam, dare creaturæ ius ad bona ſupernaturalia, quod ius creatura ex nullo alio capite habere poterat; & conſtituere ſe creaturæ debitorem legali debito; quod ex aliqua alia neceſſitate implicabat contradictionem.

32. *Contractus meriti, & præmij per emptionẽ, & venditionem explicatur ab Auguſtino,*

Confirmari poteſt, quia in contractu meriti, & præmij, quem eſſe initum inter Deum, & homines, ipſa fides docet, vt patet ex locis Scripturæ ſupra num.15. eſt quædam quaſi emptio, & venditio, hoc eſt, permutatio operis meritorij cum præmio. Quod ſæpè Patres luculenter explicarunt. Auguſtinus in Pſal.49. circa medium. *Regnum Dei tantum valet, quantum habueris.* & in Pſalm.93. multò poſt medium, eandem ſententiam fuſius proſequitur. *Venale eſt quod habeo, dicit tibi Deus, eme illud.* & paulò poſt, *Quodammodo Deus propoſuit venale regnum cœlorum. Dicis illi, Quantum valet? Pretium ipſius, labor eſt: quomodo ſi diceret, Pretium illius aurum eſt.* Illud, *quodammodo*, additum eſt, non propter improprietatem contractus iuſtitiæ ſimpliciter; ſed quia non eſt emptio, & venditio cum illis conditionibus, quas hic contractus inter homines habet. Et cum infra docet Auguſtinus, valorem laboris noſtri temporalis, eſſe infinitè minorem valore vitæ æternæ, eſt intelligendus de labore ſecundùm ſe, non prout eſt labor perſonæ iam adoptatæ in filium Dei per gratiam. & in Pſalm.102. circa medium, *Emis regnum cœlorum. Tanti tibi valet, quantum habere poteris: Fac miſericordiam*, &c. Baſilius concione 12. in initium Prouerb. non longè à fine. *Regnum cœlorum ſimile eſt viro mercatori. Omnes, qui euangelicam viam ambulamus, mercatores ſumus; per præceptorum quæſtum, cœleſtium poſſeſſionem nobis ipſis acquirentes.* Vnde Hieronymus exponens illud Matth.20. *Non eſt meum dare vobis.* ait, *ſic intelligendum eſt, regnum cœlorum non eſt dantis, ſed accipientis. Non eſt enim acceptio perſonarum apud Deum; ſed quicumque talem ſe præbuerit, vt regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non perſonæ, ſed vitæ paratum eſt. & pater meus triumphantibus, & victoribus præparauit.* Eadémque verba tractans Chryſoſtomus hom.66. *Non eſt meum*, inquit, *id dare; ſed quibus labore, atque ſudore præparatum eſt. num igitur quaſi non potentem illum id facere condemnabimus? Nequaquam, ſed iuſtitiam eius admirabimur; & quoniam non perſonam, ſed rem reſpicit, laudabimus.* Demum Aureolus ſuprà, eum, *qui meretur, quodammodo emere præmium*, probat ex illo Apoc.3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.*

Baſilio, Hieron. Chryſoſt. Aureol. Apocal.3.

## *Excluduntur aliqua prædicata ab eſſentia iuſtitiæ commutatiuæ.*

Præter prædictos conceptus iuris, ac debiti, & æqualitatis arithmeticæ, quos eſſentiales eſſe iuſtitiæ commutatiuæ omnes concedimus, alios non eſſe eſſentialiter neceſſarios, patet ex confutatione nonnullorum conceptuum, quos ad excludendam à Deo hanc iuſtitiam, addunt aduerſarij.

33. *Materiã cõmutatiuæ nõ eſſe tantùm pecunias, vel honores, vel ſalutem.*

Dicunt enim primò, materiã propriam, & adæquatam iuſtitiæ commutatiuæ eſſe tantùm pecunias, vel honores, vel ſalutem. Sed contra primò quia, vt probaui 2.2.q.60. art.1. infamare proximũ, & temerariè de illo iudicare, eſt contra iuſtitiam, vtique commutatiuam: & tamẽ fama, & internum iudicium, neque ſunt pecunia, neque honor, neque ſalus. Secũdo ſicut internum iudicium pertinet ad materiam commutatiuæ, ita etiam pertinere poſſunt gloria, gratia, virtutes, aliáque ſupernaturalia bona, modò iuſtitia ſit inter duos, quorum vnus poſſit hæc dona promittere, & dare; alius recipere, & condignum laborem, ac meritum, & quaſi pretium offerre. Quod de facto contingit inter Deum, & hominem: ideo enim ad materiam commutatiuæ ſpectant pecuniæ, & ſimilia bona, quia circa ea poſſunt inuicem homines habere ius, ac debitum: ergo pariter circa omnia, circa quæ Deus, & homo habere poſſunt ius, ac debitũ, verſari debet iuſtitia commutatiua, tanquam circa propriam materiam. Quare adæquata huius iuſtitię materia, dici debet omne id, circa quod inter duas perſonas eſſe poteſt ius, ac debitum ex propriis, & particularibus bonis.

*Quæ ſit adæquata materia iuſtitiæ cõmutatiuæ.*

34. *Ariſtotelẽ nõ eſſe contrarium.*

Quòd ſi Philoſophus 5.ethic.c.2. tradens materiam particularis iuſtitiæ, non faciat explicitam mentionem, niſi honoris, pecuniarum, & ſalutis; ſub honore comprehendens famam, & internum iudicium; ſub pecuniis, omnia, quæ pecunia æſtimari poſſunt; ſub ſalute, omnia, quæ ad corporis conſeruationem ſpectant; id nihil nobis obeſt: tum quia loquebatur de iuſtitia, prout inter homines exerceri poteſt, inter quos aliam materiam, præter aſſignatam ab Ariſtotele, non poteſt habere. Nos verò loquimur de iuſtitia, & de commutatiua, præciſè, & ſecundùm ſe, & puram eſſentiam ſuam conſiderata. Tum quia alia materia, quam nos diuinæ iuſtitiæ aſſignauimus, eſt ſupernaturalis, in qua reperitur eadem formalis ratio iuſtitiæ, quæ eſt in aliis materiis naturalibus, Ariſtoteles autem ſupernaturalia non agnouit. Tum quia ampliorem materiam ipſemet Ariſtoteles ſignificat; nam ante medium illius capitis, non ſolùm dicit, iuſtitiam particularem verſari *circa honorem, aut pecunias, aut ſalutem*: ſed etiam addit, *Aut ſi cuncta nomine vno poſſent comprehendi, circa ea omnia verſatur, ob voluptatem, quæ è lucro conſequitur.* Nomine autem lucri, vt patet ex c.4. ante medium, intelligit quicquid ex alieni iuris vſurpatione nobis accreſcit: & circa finem eiuſdem capitis ſecundi, *Conſiſtit*, inquit, *vna ſpecies in diſtributionibus aut honoris, aut pecuniarum, aut cæterarum rerum, quæ diuidi poſſunt*, &c.

Quamobrem illas tres materias explicaſſe videtur, non vt adæquatas, ſed, v.g. tamquam omnium notiſſimas.

*Mutuam dationẽ, & acceptionem nõ eſſe de eſſentia iuſtitiæ cõmutatiuæ.*
S.Thomas. Paludanus. Sotus. Caietanus. Ferrarienſis. Aragonia. Vazquez. Nauarrete. Ariſtoteles.

35. Dicunt ſecundò, materiam iuſtitiæ commutatiuæ, eſſe mutuam dationem, & acceptionem, cum mutua vtilitate, & dominiorum tranſlatione: quo pacto hanc materiam explicare videtur S.Thomas hîc initio corporis, & ſequuntur Paludanus 4.d.46. quæſt.1. artic.1. concluſ.3. Sotus lib.3. de iuſtitia quæſt.5.art.4. ad 1. fin. Caiet. hîc; & 2.2.quæſt.61. art.4.ad 1. Ferrarienſ.1.contra Gent. cap.93.§. *Sed dubium.* Aragonia 2. 2. ſupra, Vazquez hîc d.85. num. 18. Nauarrete controuerſ.28. concluſ.1. ſed contra primò, quia quamuis Ariſtot.5.Ethic.cap.2. circa medium, iniuſtitiam particularem, quam vocat, *pluris vſurpationem*, verſari doceat circa lucrum; & cap.4. ante medium, iuſtitiam emendatiuam ponere medium inter damnum, & lucrum: tamen ibidem ait, lucrum ei, qui percuſſit; damnum ei, qui percuſſus eſt, accommodari poteſt: vt videre eſt in adulterio, furto, homicidio, & ſimilibus, quæ Ariſtoteles 5.Ethic. cap.2. fin. & S.Thomas 2.2.quæſt.61.art.3.numerant inter materias iuſtitiæ commutatiuæ. In his enim vnus tantùm eſt, qui lucratur; & alius tantùm eſt, qui damnificatur. Quemadmodum etiam in reſtitutione, qui reſtituit non reportat lucrum, imò nec propriè damnum; quia facit, quod de iuſtitia tenetur facere, tribuendo alteri quod ſuum eſt. Is etiam, cui fit reſtitutio, neque damnum accipit, neque propriè lucrum, aut vtilitatem, quia accipit quod ſuum eſt, & ſibi debetur de iuſtitia: ſic etiam in contractu depoſiti, commodati, mutui, & ſimilibus, eſt ex vna parte datum, non acceptum; & contra, ex alia parte eſt acceptum, non datum. Vtilitas quoque ex vna parte tantùm, v. g. ex parte deponentis, non depoſitarij. Item ex parte commodatarij, & mutuatarij; non commodantis, & mutuantis. Præterea qui ex iuſtitia, vt multis placet, ſoluit ſtipendium ſicario, vel incendiario, pro homicidio, vel incendio, nullam inde capit vtilitatem; ſicut etiam, qui ex commutatiua iuſtitia ſoluit promiſſionem acceptatam: hic enim dici non poteſt accipere ius promiſſarij, quod per talem ſolutionem extinguitur, quia habita re promiſſa, ceſſat ius ad habendam eamdem rem promiſſam, ergo ne in humanis quidẽ, reperitur ſemper in actibus commutatiuæ, vel mutua datio, vel mutua acceptio, vel mutua vtilitas. Licèt hæc aliquando reperiantur in aliquo actu, vt in emptione, & venditione: ſed nimirum ex vno, vel altero particulari totum vniuerſale colligere minimè licet.

*Dominiorum tranſlationẽ non eſſe de eſſentia cõmutatiuæ.*

36. Secundò. mutua etiam tranſlatio dominiorum non eſt ſemper neceſſaria, etiam in omni humana iuſtitia, vt in commodato, depoſito, pignore, locato, & ſimilibus, in quibus nullum transfertur rerum dominium. Et quamuis quotieſcumque humana iuſtitia pro materia habet datum, & acceptum, ſemper interueniat dominiorum tranſlatio; id ſanè non oritur ex neceſſitate eſſentiali iuſtitiæ, ſic enim non poſſet eſſe iuſtitia in Deo, cum in hoc ſenſu verum ſit illud ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* ſed oritur ſolùm ex imperfectione humani dominij, quod, cum ſit particulare, non compatitur ſecum alterum particulare dominium eiuſdem rei. Dominium verò diuinum, eſt vniuerſale; & ideo ſtare poteſt cum dominio particulari humano eiuſdem rei: ſicut vniuerſalis cauſalitas Dei, cauſæ primæ, ſtat cum omnibus particularibus cauſalitatibus cauſarum ſecundarum. Deus igitur verè dat nobis dominium particulare alicuius rei, non amittens eiuſdem rei dominium vniuerſale. Verè quoque à nobis accipit, quod eſt in libera noſtra poteſtate, ac dominio vt faciamus, vel non faciamus, ita vt, etſi nos illud accipere, & dare non poſſimus ſine ipſo, tamen nec ipſe à nobis accipere poſſit ſine nobis: idque ita accipit, vt accipiat particulari titulo iuſtitiæ commutatiuæ, hoc eſt, vt ex contractu inito ſoluamus æquiualens rei promiſſæ ſub oneroſa conditione operis. Quod eſt verè acquirere idem nouo quodam titulo, hoc eſt, vt debitum ex iuſtitia commutatiua propter aliam rem æquiualentem promiſſam; qua ratione antea illius rei dominium non habebat, & abſque contractu prædicto, & ſine nobis liberè ſoluentibus non haberet. Quamquam hoc ipſum eſt ex gratia mera Dei, qui liberali ſua promiſſione effecit, vt opus noſtrum eſſet etiam ius noſtrum ad rem ab illo promiſſam propter illud opus, quod multis aliis titulis erat magis ſuum, quàm noſtrum, & à nobis exigere poterat; eóque nulla prorſus ratione indigebat. Verumtamen prædictus commutatiuæ iuſtitię titulus, à nobis etiam pendens, talis virtutis eſt, vt ſi per impoſſibile, Deus nullum operis noſtri dominium haberet, & ex illo vtilitatem aliquam trahere poſſet, fieret proculdubio illius verus, & vtilis dominus; quod ad eſſentiam iuſtitiæ commutatiuæ, tranſlatiuæ dominiorum, ſecundùm ſe, ſufficere debet: ſicut ad rationem veræ iniuriæ Dei, ſufficit, peccatum mortale eſſe talis naturæ, vt illius vi Deus realiter amitteret ius in creaturam, ſi poſſet illud amittere.

*Ad Rom 11.*
*Cur vnũ dominium humanum non ſtet cum alio humano, ſtet cum diuino.*

*Quid, & quo modo, accipiat Deus per iuſtitiam commutatiuam.*

*Contrapaſſum non eſſe de eſſentia cõmutatiuæ.*

37. Dicunt tertiò de ratione iuſtitiæ commutatiuæ eſſe contrapaſſum, ſiue repaſſionem. Sed contra, quia hoc poteſt intelligi dupliciter. Primò ſtrictè, vt quis tanta pœna afficiatur, quantam eius crimen meretur: & hæc repaſſio pertinet tantùm ad iuſtitiam vindicatiuam. Secundò largius, vt quis patiatur amiſſionem tanti boni, quantum ab altero accepit; & ſic contrapaſſum non reperitur in omni commutatiua, vt cùm redditur depoſitum, vel commodatum, vel debitum ex ſtipulatione, ſeu promiſſione acceptata, & dante alteri ius ad rem, ac proinde obligante ex vi iuſtitiæ commutatiuæ: qui enim accipit rem taliter promiſſam, nihil amittit, ſed potius explet, & quaſi perfectè acquirit ius, quod antea ad rem illã imperfectè habebat. Quod ſi contrapaſſum in hoc ſecundo ſenſu reperiatur aliquando in aliqua commutatiua, id eſt per accidens, ex imperfectione dominij humani: ſi enim exęquari poſſet ius alterius, ſine repaſſione, & amiſſione iuris proprij, vt facit Deus, ſatisfieret formali obiecto iuſtitiæ, quod eſt exæquare ius alterius. Alioqui neque in Deo poſſet poni formaliter miſericordia, quia hæc in humanis non eſt ſine repaſſione, non ſolùm per compaſſionem, ſed etiam quia priuat ſubiectum, in quo eſt, vel dominio, vel vſu rei; & facit ſubire aliquid oneris, vel incommodi; quæ imperfectiones in Deo eſſe non poſſunt: ergo ſicut cum in Deo formaliter ponitur miſericordia, hæc ſpectari debet præcisè ſecundùm propriam eſſentiam ſuam, prout importat ſolùm ſubleuationẽ alienę miſeriæ; ſiue id fiat imperfecto modo per propriam aliquam repaſſionem, vt cum miſeretur homo; ſiue alio modo perfectiſſimo, ſine vlla dominij tranſlatione, ſine vlla prorſus paſſione, aut incommodo, vt cùm miſeretur Deus: ita poni poſſet in Deo iuſtitia commutatiua, eaque ſumi præcisè, & ſecundùm ſe, pro pura eſſentia, hoc eſt, pro exæquatione debita iuri alterius; ſiue hæc exæquatio contingat imperfecto modo, dando, & accipien

*Confirmatur exemplo miſericordiæ.*



accipiendo, cùm mutua tranſlatione dominij, & vtilitate, ac damno, vt in humanis; ſiue abſque vlla imperfectione, dando ſcilicet quod non amittitur, & dando propter ius alterius, quod ius ita ſit alterius, vt ſit etiam, & multò maiori ratione, ipſiuſmet dantis, qui liberè per infinitam miſericordiam ſuam effecit, vt illud eſſet ius noſtrum, quo ipſe obligaretur de iuſtitia ad reddendum nobis aliquid illi æquale. Quamuis enim ius, quod ad gloriam habet creatura, ſit ſimpliciter dicendum ius creaturæ, non ius Dei, quia Deus habet debitum dandi gloriam, non ius recipiendi gloriam: tamen illud verè eſt ius Dei effectiuè, non ſubiectiuè; ſeu ius Dei dantis, non habentis: ſicut cùm dat phyſicè, v.g. producendo calorem in aqua, illum in ſe phyſicè non habet. Quocirca propriè loquendo dici debet, ius noſtrum non eſſe Dei, ſed eſſe à Deo. Demum ipſamet iuſtitia diſtributiua, ſi contracta ad homines conſideretur, importat tranſlationem dominij communitatis in dominium huius vel illius particularis hominis. Tamen cùm Deo tribuitur ſecundùm communem opinionem, conſideratur abſtracta ſecundùm præciſam ſuam eſſentiam, in quantum dicit proportionatam quamdam diſtributionem bonorum communium ſupernaturalium; etſi neque Deus ipſe, neque aliqua communitas contra patiatur, amittendo aliquid.

*Quæ ratione ius creaturæ ad gloriam, ſit vel non ſit ius Dei.*

*Confirmatur exemplo iuſtitiæ diſtributiuæ.*

*Non obſtare denominationem commutatiuæ.*
Ariſtoteles.

38. Quartò denique, nihil obeſſe debet, quòd hæc iuſtitia denominata ſit commutatiua à commutationibus rerum, & mutuis dominiorum mutationibus, ſeu tranſlationibus, quæ inter Deum, & homines eſſe nequeunt. Tum quia Ariſtoteles 5. Ethic. ſæpius eam vocat, *Emendatiuam*, vt cap.2.4. Tum quia nonnunquam denominatio ſumitur ab aliqua proprietate rei ſignificatæ, notiore illa quidem, tamen non eſſentiali: vnde multis exemplis ſupra allatis conſtat, ne in humanis quidem, omnes iuſtitiæ commutatiuæ actus verſari circa commutationes vtiles ex parte vtriuſque termini.

*Iuſtitia Dei ad hominem, denominari poteſt cõmutatiua.*
S.Thomas.

39. Quamquam etiam iuſtitia Dei ad hominem, poteſt aliquo modo denominari commutatiua; quia inter meritum, & retributionem, *eſt recompenſatio, & commutatio quædam*, vt docet, & loquitur S.Th.3.p.q.85.art.3.circa medium corporis; & vel ex ipſis terminis patet; quia commutare, eſt vnum pro alio dare, aut tollere: quod in hoc contractu fit, quia homo exhibet meritum pro præmio, quod accipit. Eſt etiam commutatio cum condignitate, & æqualitate, vt idem S.Thomas docet 1. 2. q.114. art.3.in corpore, & ad tertium, vt notat Capreolus 2.d.27. q.vnic. & inter aduerſarios concedunt Sotus lib.3.de Iuſt.q.5.art.4.ad 1.dicens, *adæquari ad vnguem præmium merito:* Ferrarienſis 1.contra Gent. cap.93.§.*Ad cuius euidentiam.* Aragonia 2. 2. q.61. artic.4.ad 1. & ſuppono ex illa materia de merito; quod ibidem etiam ſignificauit S.Thomas, eſſe quamdam æqualitatem, non phyſicam, & ſecundùm entitatem, & ſubſtantiam operis, quod per ſe conferri non poteſt cum præmio æternæ beatitudinis, in quo ſẽſu veriſſimè dixit Paulus ad Rom.8. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam*; ſed moralem, ſecundùm valorem, qui propter diuinam gratiam, *per quam*, inquit S.Thomas 1.2.quæſt.114.art.3. fin. corp. *homo conſors factus diuinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipſo iure adoptionis, ſecundùm illud Roman.8. ſi filij, & hæredes*, moraliter æquiualet cœleſti præmio. Sicut etiam, quando iuſtus ſatisfacit pro pœna temporali, illud opus ſatisfactorium in ratione doloris, ſeu mali, non eſt æquale pœnæ Purgatorij; habet tamen æqualitatem in æſtimatione morali, ob quam æqualitatem illud opus, dicitur, & verè eſt ſatisfactorium.

*Quo modo opus meritoriũ ſit æquale præmio gloriæ.*
Capreolus. Sotus. Ferrarienſis. Aragon.

*Exponitur locus ad Rom.8.*
S.Thomas.

40. Eſt præterea quædam commutatio dati, & accepti. Nam propriiſſimè Deus dat gloriam, & eam homo accipit. Contra etiam homo, exhibendo meritum, dat ſufficienter Deo aliquid, quod Deus accipit, ſiue acceptat. Si enim Deus verè dicitur velle, & quærere, & exigere à nobis obedientiam, cultum, amorem, & vniuerſaliter bona opera; ergo hæc eadem dici poteſt à nobis accipere: vnde Prouerb.23. dicit homini Deus, *Præbe fili mi cor tuum mihi:* qui autem petit, vt aliquid illi præbeamus, vult, & poteſt illud accipere. Quod, vt optimè explicat S.Thomas 1. 2. quæſt.114. artic.1.ad 1.& 2. ſaluatur, etiam ſi opus meritorium, ſit multis aliis titulis Deo debitum: ſatis enim eſt, illud eſſe verè noſtrũ opus, in dominio noſtræ libertatis; & Deum voluiſſe pro illo promittere præmium, & ad præmium dandum ſe obligare. Neque præterea requiri ait, vt bonum noſtrum opus afferat Deo vtilitatem, ſed ſatis eſt, vt afferat gloriam; quia, inquit, *Deus ex bonis noſtris non quærit vtilitatem, ſed gloriam, id eſt, manifeſtationem ſuæ bonitatis, quod etiam ex ſuis operibus quærit.* Hanc igitur gloriam vult Deus ex noſtro opere, cùm facit nobiſcum pactum de dando præmio ſub oneroſa conditione operis: & hanc gloriam verè, ac propriè illi damus, cùm opus meritorium liberè facimus, éique exhibemus, atque offerimus pro præmio; ita vt hanc gloriam, quam illi dat creatura, Deus habere non poſſit ſine creatura; eamdémque gloriam Deus verè, ac propriè acceptat vt illi debitam nouo, ac particulari titulo ex contractu, & iuſtitia. Si quid verò aliud præterea exigitur ad commutatiuam iuſtitiam, per ſe, & præcisè ſpectatam, id ſanè nulla efficaci ratione probari poteſt; ſine vrgenti autem cauſa non eſt recedendum à clariſſimo, & frequentiſſimo modo loquendi Scripturæ.

*Deus verè accipit à nobis opus meritorium, & gloriam.*

Prouerb. 23.

S.Thomas.

41. Dices, ex communi Theologorum axiomate, Deus præmiat vltra condignum, & punit citra condignum, ergo non præmiat, & punit ſecundùm iuſtitiam commutatiuam.

*Deus ſeruando iuſtitiam, præmiat vltra cõdignũ, & punit citra condignum.*

Reſpondetur, conſequentiam falſam eſſe, patet etiam in humanis. Enimverò debitor debens, v.g. quinquaginta, ſi reddat ſexaginta, non propterea non exercet actum iuſtitiæ, reſpectu quantitatis debitæ. Idem ſi ſoluat quadraginta, remiſſis decem ex liberalitate creditoris. Ex his igitur liberalitatibus nõ tollitur ſimpliciter ratio iuſtitiæ commutatiuæ, ſed ſolùm miſcetur aliqua ratio gratiæ.

## DVBITATIO III.

### *An in Deo ſit iuſtitia diſtributiua.*

### SVMMA.

1 *Concluſio affirmatiua cum ſuis authoribus, & aduerſarijs. num.42.*
2 *Reijcitur primus modus ponendi in Deo iuſtitiam diſtributiuam. num.42.*
3 *Reijcitur alius ſecundus modus. num.43. & 44.*
4 *Traditur, & probatur alius tertius modus. n.45.*
5 *Soluuntur oppoſitæ rationes. num.46. & 47.*

42. TErtia concluſio. Iuſtitia diſtributiua eſt propriè, & formaliter in Deo: & conſequenter, nullam in eſſentiali ſuo conceptu imperfectionem includit, ſed eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Ita S.Th. hîc, & aliis locis citatis ſupra n.2. & omnes Thomiſtæ,

*Concluſio affirmatiua.*

S.Thomæ,

Capreoli, Caietani, Ferrarienſis, Soti, Aureoli. Contra Durandum.

Thomiſtæ, Capreolus 2. d. 27. quæſt.vnic. Caiet. hîc,& 2.2.quæſt.61.art.4. Ferrarienſis lib.1.contra Gent.cap.93.§.*Sed dubium.* Sotus de Iuſtitia,lib.3. quæſt.5. art.4. ad 1. & alij recentiores, de quibus ſupra num.29.Item Aureolus 1.d.46.quæſt.1.art.1. Propoſ.3. §. *Eſt autem.* contra Durandum 2. d.27. quæſt. 2. à num. 5. & alios tum veteres, tum modernos,citatos ſupra num.5.

*Reijcitur primus modus ponendi in Deo iuſtitiã diſtributiuã.*

Hæc concluſio tribus modis defendi poſſet.Primò, eſſe in Deo iuſtitiam diſtributiuam, ſolùm quoad formam diſtributionis,& æqualitatem proportionis,à Deo per ſe intentam; vt ſcilicet, eam differentiam, & proportionem, quam habent inter ſe merita, habeant etiam inter ſe præmia: non autem quoad ius,ac debitum proprium, & ſpeciale iuſtitiæ diſtributiuæ. Etenim ius fundatum in meritis, eſt ius proprium commutatiuæ, conueniens vnicuique iuſto per ſe,& non vt parti alicuius communitatis. Hunc modum Suarez opuſc.6. ſect.3.num.28. dicit probabilem, tamen ſimpliciter reiicit,& bene impugnat Durandus ſupra,quia cùm neget propriũ,ac formale obiectum diſtributiuę,hoc eſt,ius,quod aliquis vt pars communitatis habet ad bona communia, & debitum, quo quis bona communia tenetur diſtribuere iuxta diuerſas conditiones perſonarum,quæ ſunt partes communitatis, negat etiam iuſtitiæ diſtributiuæ formalitatem,& eſſentiam, quæ ab obiecto deſumitur: ac proinde non ponit in Deo veram, ac propriam iuſtitiam diſtributiuam,ſed potius quamdam ſimilitudinem,atque vmbram illius.

Suarez.

43. *Refertur, & examinatur ſecundus modus ponendi in Deo iuſtitiam diſtributiuam.*

Secundò,idem ius meritorum, eſſe commutatiuæ ius, quatenus eſt aliquid proprium, oblatum per modum pretij beatitudinis, ex conuentione,& pacto.Sub alia verò ratione,quatenus ortum habet ab ipſo debitore Deo, qui propter opera, ſibi aliis titulis debita, voluit conſtituere ſe debitorem gloriæ,cuius, ſicut cuiuſcumque alterius boni creati, eſt proprius,ac ſupremus dominus, eſſe ius diſtributiuæ: ſub iſta enim ratione Deus ſingulis iuſtis, qui integrant vnam quamdam communitatem ſpiritualem ſtatus gratiæ, & regni gloriæ, diſtribuit rem ſuam propriam,& bonum commune gloriæ. Hunc modum abſolutè ſequitur Suarez ſupra num. 31. 32. eumdémque ferè tradit Rebellus de Iuſt. 1.part. quæſt.4.num.18.19. Sed per illum, adhuc non video,aſſignari ius proprium diſtributiuę, etiam ſecundùm ſententiam Suarez, & Rebelli. Nam non ſatis eſt ad diſtributiuam, dari rem propriam communitatis,ſeu Principis communitatis, niſi particulares, in quos res illa diſtribuitur, nullum proprium ius, ac ſpecialem titulum per ſe habeant ad illam:tunc enim non eſt ius partis formaliter,ſed potius totius. Vnde ſi per impoſſibile,ſolus S.Petrus,v.g.poſſet eſſe iuſtus,& beatus ex meritis iuſtitiæ, tunc is non haberet aliud ius ad gloriam, niſi quod de facto nunc habet, nimirum ius meritorum ex diuina gratia,& liberali promiſſione Dei, ſupremi domini tam meritorum, quàm gloriæ:& tamen tunc non poſſet habere rationem iuris diſtributiui, ergo neque illam nunc habet.

Suarez. Rebellus.

44. *Confirmatur exemplo in humanis.*

Poteſt præterea hoc explicari exemplo Regis, qui militibus exercitus ſui promiſerit diuerſa ſtipendia, prout maiores, ac minores fuerint eorum labores, & diuerſa meritorum opera: tunc enim Rex, diſtribuendo proportionaliter ſtipendia ſecundùm proportionem meritorum, non faceret actum diſtributiuæ quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum ſimilitudinarium; quia,vt optimè ratiocinatur Durandus ſupra num.ſuo quinto,non reſpiceret ad conditiones perſonarum præcisè, ſed ad opera, & labores eorum. Quare cum ſoluit vni ſuum certum ſtipendium, ſoluit illud determinatè in tanta quantitate per ſolum reſpectum ad talem, ac tantum determinati valoris laborem, quem ille ſuſtinuit; & nullam omnino facit comparationem vel ad aliqua bona communia, vel ad alias compartes, ſeu commilitones: quia ſinguli tantumdem recepiſſent, ſi eumdem laborem per ſe ſoli ſubiiſſent, vel cum pluribus, aut paucioribus ſociis; & ſi plus, minúſve laboraſſent, plus etiam, minúſve recepiſſent. Quare ille modus diſtributionis, & æqualitatis geometricæ,qui de facto reperitur in datione gloriæ, eſt per accidens, reſpiciendo formaliter ad merita, & præmia ſingulorum. Omnes igitur illæ limitationes, quæ à Suarez adduntur iuri meritorum, vt quòd ipſum ius ſit ſub ſupremo dominio Dei debitoris,ab eiuſque voluntaria,& omnino liberali promiſſione ortum habeat; & quòd ſub eodem dominio ſemper remaneat ipſa res, quamuis debita, & ſoluta creaturæ; oſtendunt quidem ius commutatiuum diuinum,hoc eſt,ſine vlla imperfectione,eſſe diuerſum à iure commutatiuo humano, hoc eſt, cum aliquibus imperfectionibus: tamen non probant ius eſſentialiter diſtributiuum; quia adhuc poſitis illis limitationibus, illud ius conſiſtit in aliqua peculiari ratione, ſeu proprio titulo, & quaſi dominio ipſius creaturæ per ſe conſideratæ, abſque vllo ordine ad communitatem. Quod ius, ex ſententia ipſiuſmet Suarez, eſt ius commutatiuæ proprium, quo diſtinguitur à diſtributiua.

Terriò,omnium probabiliſſimè dixeris,in iuſto eſſe duplex ius ad gloriam. Alterum reale, fundatum immediatè in meritis, vel propriis,vel ſaltem Chriſti ſibi applicatis. Alterum perſonale, immediatè fundatum in gratia habituali, præſcindendo à quibuſcumque meritis. Enimverò cum gratia ſit maximum, & pretioſum donum, per quam efficimur diuinæ conſortes naturæ, ſítque non effectiua, ſed formaliter dignificatiua perſonæ, faciens perſonam adoptiuum filium Dei, & hæredem gloriæ, 2. Petri 1. & ad Rom.8. concipi debet eſſe aliquid,per ſe pertinens ad dignitatem, & conditionem perſonæ; Deus igitur dat gloriam propter vtrumque ius;& quamuis pręſcindendo ab eius libera volũtate dandi,non potuiſſet obligari ad dandum ex iuſtitia,neque diſtributiua,neque commutatiua, tamen cum liberè promiſerit dare, & propter merita, & propter gratiam, facere voluit ſe debitorem vtraque ratione,ac titulo.Eadem igitur gloriæ diſtributio, quatenus debita ex iure reali meritorum, eſt actus iuſtitiæ diuinæ commutatiuæ;quia redditur pro expleta conditione rei, hoc eſt,operis,ac laboris: quatenus verò debita ex iure gratiæ,ſeu conditionis,& dignitatis perſonæ,conſtitutæ in ſtatu diuinæ filiationis, eſt actus iuſtitiæ diſtributiuæ. Quia gloria eſt bonum commune omnium iuſtorum prædeſtinatorum, & vt tale per ſe intenditur à Deo, volente conſtituere vnam ſanctam ciuitatem Hieruſalem, & vnum regnum cœlorum. Diſtribuitur etiam æqualiter, æqualitate geometrica, hoc eſt, cum proportione ad proportionem perſonarum; vt qua proportione vnus ſuperat alium in dignitate filij, eadem ſuperet in receptione,& hæreditate gloriæ: quam proportionem ſignificat Chriſtus Ioan. 14. dicens,*In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Demum hoc modo gloria eſt debita parti, quatenus parti communitatis iuſtorum prædeſtinatorum: ergo ſunt omnia eſſentialiter requiſita ad conſtituẽdam iuſtitiam diſtributiuam, & diſtinguendam à commu

45. *Explicatur, & probatur tertius modus ponendi in Deo iuſtitiam diſtributiuam.*

Ioan.14.



à commutatiua. Nam, vt ſuo loco probaui, per hos tres eſſentiales conceptus, iuris, partis, & debiti, tali iuri correſpondentis, & æqualitatis geometricæ, diſtinximus ſpecificè commutatiuam à diſtributiua, etiam in humanis.

46. *Contra prædictum modũ arguit Suarez primò.*

Hunc modum, probabilem, & aliqua ratione poſſe defendi, dixit Suarez ſupra, num. 30. non tamen omnino probat. Primò, quia gratia per ſe non obligat Deum ex iuſtitia ad dandam gloriam, & poſita promiſſione, ſi hæc non reſpiceret merita, induceret ad ſummum obligationem fidelitatis, non iuſtitiæ. Vnde Tridentinum ſeſſ.6. c.16. circa principium, vitam æternam,quatenus datur filiis, vocat gratiam. Secundò, quia vita æterna, quatenus data ex iure gratiæ, habet rationem hæreditatis,non præmij. Theologi verò cum dicunt, Deum ſeruare iuſtitiam diſtributiuam in præmio diſtribuendo, loquuntur formaliter de præmio vt ſic. Sed hæc minus vrgere videntur, quàm quæ contra ſecundum illius modum obiecimus. Et ideo

Trident.

*Arguit ſecundò.*

*Reſpondetur ad primum.*

Ad primum, neque merita per ſe obligare Deum ex iuſtitia ad dandam gloriam. Et ſicut promiſſio dandi propter merita, inducit obligationem iuſtitiæ commutatiuæ; ita promiſſio dandi propter gratiam, quæ ſecunda promiſſio,ſaltem in priori promiſſione implicitè includitur, quatenus neque merita, neque gloria, quam meremur, eſſe poſſunt ſine gratia, inducit obligationem iuſtitiæ diſtributiuæ, & non tantùm fidelitatis: quia non eſt promiſſio facta ex mera voluntate promittentis, ſine vlla connaturali exigentia dignitatis ipſius perſonæ, cui promittitur; ita vt ſi Deus non promiſiſſet gloriam propter gratiam, multò magis feciſſet contra naturam rei, quàm ſi non promiſiſſet gloriam propter merita: quia multò maiorem connexionem habet gloria cum diuina gratia, quàm cum humanis operibus meritoriis. Tridentinum verò cum dicit, vitam æternam, eſſe filiis miſericorditer promiſſam, tanquam gratiam ita denominat, quia primum gloriæ fundamentum eſt gratia actualis;proximum etiam fundamentum eſt gratia habitualis, quæ poteſt conſiderari,& vt formaliter gratia,hoc eſt, vt habita ſine operibus, & meritis noſtris; & vt eſt ſemen gloriæ, ſeu ius ad gloriam. Concilium igitur vitam æternam denominauit gratiam, per reſpectum etiam ad gratiam habitualem, tamen primo modo conſideratam, non ſecundo.

*Exponitur dictum Tridentini.*

*Reſpondetur ad ſecũdum.*

Ad ſecundum, Theologos non poſſe intelligi de præmio formaliter,per reſpectum ad meritum; quia titulus proprij meriti, vt probauimus, fundare non poteſt eſſentialiter aliam iuſtitiam, niſi commutatiuam.

47. *Alia obiectio.*

Obiicies, ſi ſolus S.Petrus eſſet, vel etiam eſſe poſſet gratus, & beatus, tunc non haberet ius diſtributiuum: ergo neque nunc; quia nunc habet eamdem gratiam, quam tunc haberet, vt ſupponimus: ergo ex hac gratia non poteſt haberi ius diſtributiuum.

*Reſpondetur, ius diſtributiuũ ad gloriã dari aliquo modo, etiamſi vnus tantùm eſſet in gratia, & gloria.*

Reſpondetur, in eo caſu S. Petrus haberet ius diſtributiuum ad gloriam, quoad formale intrinſecum illius iuris; non autem haberet quoad extrinſecum connotatum, quod ius diſtributiuum eſſentialiter reſpicit, vt completè ſit, & denominetur diſtributiuum. Sicut enim ſi vnus homo eſſet in mundo, hic haberet quidem ius commutatiuum quoad intrinſecam formalitatem, quia haberet bona, quæ ſunt materia iuſtitiæ commutatiuæ; non tamen quoad extrinſecum connotatum, & complementum, quia deeſſet alius cum quo poſſet contrahere: ita S.Petrus in caſu prædicto, haberet in ſe intrinſecè, & formaliter totum id, quod ex parte ſua requiritur ad fundandam diſtributionem gloriæ ex propria iuſtitia diſtributiua; & ſolùm deeſſent alij, inter quos exerceri deberet actus iuſtæ diſtributionis. Quare negatur ſimpliciter conſequentia, quia ius ad gloriam diſtributiuum, adæquatè; & completè acceptum, non eſt gratia ſimpliciter, ſed gratia comparata ad alia vnius communitatis membra, habentia etiam gratiam, vel eamdem, vel maiorem, vel minorem. Hinc enim habetur non ſolùm dignitas perſonalis ſimpliciter, ſed dignitas perſonalis compartis, quæ eſt dignitas, in qua fundari debet abſolutum, ac perfectum ius diſtributiuum: nam alia dignitas fundat ſolùm ius filij abſolutè, in quo caſu daretur Petro gloria, & ex iuſtitia commutatiua, tanquam præmium, & corona iuſtitiæ, propter merita; & tanquam hæreditas propter filiationem adoptiuam: non tamen daretur tanquam bonum diſtributum parti cum proportione ad talem dignitatem perſonæ in ordine ad alias perſonas digniores, vel minus, vel æquè dignas: ídque ex nullo alio defectu, niſi extrinſeci connotati; ſicut ſi quis Petro docto, vel pauperi, vel nobili vt quatuor, daret centum, non faceret actum diſtributiuæ: ſed ſi eadem centum daret eidem Petro, exiſtenti in alio collegio, per reſpectum ad alios, quibus diſtribuenda eſſet communis aliqua pecuniarum ſumma proportionaliter, iuxta diuerſas perſonarum conditiones, tunc nulla prorſus intrinſeca mutatione in Petro facta, idem actus eſſet iuſtitiæ diſtributiuæ. Vbi mirum eſſe non debet, ius diſtributiuum, quod eſt ius partis, ſeu compartis, haberi completè, tantùm per denominationem extrinſecam; quia hæc eſt denominatio extrinſeca relatiua, conſurgens ex poſitione termini extrinſeci: ſicut aqua, v.g.palmaris, per ſe exiſtens, non eſt pars; ſed ſi illi iungatur alia aqua, fit pars.

## DVBITATIO IV.

### *An in Deo ſit iuſtitia legalis.*

### SVMMA.

1 *Probatur pars negatiua. num.*48.
2 *Soluitur contrarium argumentum. num.*49.

48. *Concluſio negatiua.* Suarez. *Eſſentia iuſtitiæ legalis.*

QVarta concluſio. Non poteſt poni formaliter in Deo iuſtitia legalis. Ita Suarez opuſculo 6.ſect.4.num.8. & alij ferè omnes. quia hæc iuſtitia, vt ſuppono ex alibi probatis, ex ſua formali, & præciſa ratione habet, reſpicere tum ius altum communitatis, cui, tanquam ſuperiori, & excellentiori bono,eſt ſubordinatum bonum proprium; tum debitum, vel exequendi, vel etiam imperandi, ac dirigendi actiones ſingularum partium, neceſſarias ad conſeruationem boni communis, ac debitas propter ius altum communitatis. Conſtat autem, Deo repugnare hos duos reſpectus. Nam nec poteſt habere debitum operandi propter ius, altius, & independentius iure ſuo; & propter bonum commune alterius, maius ſuo proprio, ac particulari bono. Nec etiam poteſt habere debitum illud, quod eſt in Principe communitatis, propter quod 2.2.quæſt.58.art.5. cum S. Thoma probauimus, ponendam eſſe iuſtitiam legalem etiam in Principe; quia hoc debitum

S.Thom.

reſpicit etiam eſſentialiter ius altum communitatis; & eſt in Principe, tanquam in parte quadam communitatis, licèt præcipua, cuiuſmodi eſt caput reſpectu corporis; & dicit dependentiam à propriis bonis, & actionibus ſingulorum particularium membrorum, ſine quibus commune bonum conſeruari non poſſet, quæ omnia, per ſe patet, includere in ſuis eſſentialibus conceptibus imperfectiones indignas Deo.

*Soluitur contrarium fundamentũ Rebelli.*

49. Quapropter ad contrariam opinionem tenendam non videntur rectè moueri Rebellus de Iuſtitia, 1.p.lib.1.quæſt.4. num.23. & alij recentiores, ex eo, quòd Deus operatur ex affectu iuſtitiæ legalis, præcipiendo, mouendo, inſpirando, vt ſinguli de communitate reddant debitum communitati, & pro bono communi per ſtudioſas actiones tum iuſtitiæ, tum aliarum virtutum operentur, & ſic æqualitatem inter ſe, & communitatem conſeruent. Enim verò concedo, Deum habere, quaſi materialiter, hunc effectum iuſtitiæ legalis, nego autem, poſſe ad operandum moueri formaliter ex tali affectu, tanquam ex motiuo, & obiecto, ſeu ratione formali: ſed ad illum affectum mouebitur ex alio motiuo nobiliori, v.g. charitatis: quoniam vniuerſaliter nullus moueri formaliter poteſt ad operandum ex affectu alicuius virtutis, cuius actum exercere non poteſt ex propria materia, & eſſentia; ſeu repugnantia intrinſeca, quam habet cum obiecto illius virtutis. Tale enim motiuum in ſubiecto incapaci illius virtutis, eſſet inefficax reſpectu illius virtutis, eiúſque obiecti; ergo non poteſt in illo ſubiecto, eſſe formale fundamentum virtutis, quæ ex natura ſua eſt efficax operandi principium. Cùm igitur probauerimus, Deum eſſe incapacem iuſtitiæ legalis, quia eſt incapax debiti operandi, etiam imperatiuè, ac directiuè, propter ius altum communitatis; hoc enim debitum de facto habet Princeps communitatis, ex eo, quòd ipſe ſit membrum, & intrinſeca pars communitatis, licèt primaria; quæ ratio partis repugnat Deo, ſupremo, & abſolutiſſimo domino omnium communitatum, & totius vniuerſi, quod propterea ſine vlla iniuſtitia deſtruere ad libitum poteſt: ſequitur neceſſariò, Deum non poſſe moueri ad bonum commune, ex affectu iuſtitiæ legalis, etſi moueri poſſit propter bonum commune, quod ex charitate amat. Alioquin, vt rectè arguit Vazquez hîc, d. 85. num. 16. poſſet etiam Deus moueri formaliter ex affectu pœnitentiæ, fidei, ſpei, caſtitatis, obedientiæ, religionis, & ſimilium virtutum, dum vult, præcipit, præmouet, & adiuuat vt harum virtutum actus operemur: & ita poſſemus arguere contra omnes, & veritatem, eſſe in Deo tales virtutes.

*Deũ non poſſe ad operandum moueri ex affectu iuſtitiæ legalis.*

Vazquez.

## DVBITATIO V.

### *An in Deo ſit iuſtitia vindicatiua, & qualis ſit illa.*

### SVMMA.

1 *Iuſtitiam vindicatiuam formaliter eſſe in Deo probatur. num. 50. ad 53.*

2 *Hanc eſſe diſtinctam à commutatiua, diſtributiua, legali. num. 53. ad 56.*

3 *Eſſe iuſtitiam prouidentialem probatur. n. 56.*

50.

*Eſſe in Deo formaliter iuſtitiã vindicatiuam.*

QVinta concluſio. Eſt in Deo formaliter iuſtitia vindicatiua, à quo attributo procedit punitio malorum. Hæc verò iuſtitia, neque eſt propriè commutatiua, neque diſtributiua, neque legalis: ſed potius alia quædam iuſtitia, quæ dici poteſt prouidentialis, ſeu gubernatiua. Hoc fusè, & bene probat Suarez opuſc.6.ſect.5. quamuis repugnet Rebellus de Iuſt.lib.1.quæſt.4.ſect.5. contendens, hanc eſſe iuſtitiam ſpecialem, vel commutatiuam, vel diſtributiuam, vel legalem, ſecundùm diuerſa motiua, quæ habere poteſt Deus in punitione malorum.

Suarez. Rebellus.

Prima pars, certa videtur ex iis, quæ paſſim habet Scriptura, in qua legimus, Deum punire peccatores, & ſumere vindictam de eorum delictis. Vnde ſequitur, eſſe in Deo formaliter affectum intrinſecum, & voluntatem huius externæ punitionis, ac vindicationis. Ad Rom.12. Ad Heb. 10. *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* & ſub nomine iuſtitiæ appellatur Apocal.19. *Vera, & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum*; & Matth.7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* 51.

Ad Rom.12. Ad Hebr.10. Apocal.19. Matth.7.

Ratio autem eſt, quia hic affectus, ex vi proprij obiecti, quod eſt, vindicare malum culpæ malo pœnæ, habet honeſtatem reſpectu habentis iuriſdictionem, & poteſtatem, qui præcipuè eſt Deus; & nullam inuoluit imperfectionem, ſed potius in vindicante ſupponit authoritatem, & potentiam, & zelum bonorum: ergo poni debet formaliter in Deo, ergo aſſignari debet aliquod formale, ac proprium attributum, ad quod pertineat. Atque hoc, teſte Suarez ſupra num.3. omnes Theologi dicunt, eſſe aliquam propriam, ac formalem Dei iuſtitiam: verſatur enim circa operationem ad alterum, & in ea reſpicit aliquam æqualitatem inter culpam, & pœnam; vt patet ex citatis verbis Matth.7. & ex illo Apocal.18. *Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* & ad Rom.2. *Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua.* 52.

Apocal.18. Ad Rom.2.

Secunda pars, quòd hæc iuſtitia, non ſit aliqua ex tribus vulgatis iuſtitiæ ſpeciebus, eſt primò contra Aureolum 1.d.46. quæſt.1.art.1. propoſ.3. §. *Eſt autem*, vbi ponit in Deo iuſtitiam commutatiuam, tam in præmiando, quàm in puniendo. Secundò contra Sotum lib.3. de Iuſt. quæſt.5. art.4. ad 1. vbi tribuit Deo iuſtitiam commutatiuam, non in remuneratione bonorum, ſed in malorum vltione, in qua negat iuſtitiam diſtributiuam, & ſequitur Aragonia 2.2. quæſt.61. art.4. ad 1. circa finem, eſt tertiò contra Capreolum 2.d.27. q.vnica, artic.3. ad 1. fin. & magis clarè ad ſecundum, Ferrarienſem 1.cont.Gent. cap.93. §. *Ad cuius euidentiam,* Caietanum hîc, & 2.2. quæſt.61. artic.4. ad 1. ex oppoſito admittentes diſtributiuam, & negantes commutatiuam, quam Caietanus ſecundo loco excludit ex eo, quòd Deus puniat citra condignum: eadémque ratione excludit commutatiuam in præmiatione, ex eo quòd Deus præmiet vltra condignum. Quo modo diſcurrit etiam Ferrarienſis ſupra: ſed iam in num. 47. oſtendi, hanc rationem non eſſe ſufficientem: quia iuſtitia commutatiua eſt cum ſoluitur aliqua pars debiti, quamuis remittatur alia pars, vt fit etiam inter homines. 53.

*Iuſtitia Dei vindicatiua neque eſt cõmutatiua, neque diſtributiua, neque legalis.*

Contra Aureolum. Sotum. Aragon. Capreol. Ferrarienſ. Caietan.

Præcipua igitur, ac propria ratio, tam de commutatiua, quàm de diſtributiua, & legali, eſt, quia etſi peccator habeat dignitatem, & meritum pœnæ propter ſuum delictum, ita vt ab habente legitimam poteſtatem, poſſit licitè puniri; tamen Deus, ex eo, quòd ſit tum peccatoris, tum omnium bonorum, & malorum pœnæ ſupremus, atque omnino independens Dominus, nullum ex natura rei habet debitum legale infligendi pœnam. Sicut enim ex huiuſmodi dominio habet, poſſe abſque vlla iniuſtitia homines pœnis affligere, vel ſine vlla culpa, vel ſupra meritum culpæ; ita contra, vel non punire propter culpam, vel punire infra meritum culpæ, quemadmodum de facto, ex omnium Theologorum ſententia, ſemper punit citra condignum. Atque his duobus vltimis modis, nulli prorſus facit iniuriam, præſertim ipſis peccatoribus, quibus potius facit gratiam, ergo nulli obligatur Deus obligatione iuſtitiæ ſpecialis ad punienda delicta; ergo cum de facto punit, & in puniendo ſeruat æqualitatem, ſaltem negatiuè, hoc eſt, nunquam excedendo quantitatem culpæ; id non poteſt prouenire ex aliqua ſpeciali iuſtitia, quæ ſine ſpeciali, ac legali debito eſſe non poteſt. Et in hoc maximè differt iudex humanus à iudice Deo: ille enim ex officio, dependente ſaltem à Deo, habet legale puniendi debitum, tum propter peccatorem, tum propter Rempublicam; & ideo puniendo, facit actum iuſtitiæ, non ſolùm legalis, ſed etiam commutatiuæ, vt docet S.Thomas 2.2. quæſt.108. art.2. ad 1. Deus autem, propter ſupremam authoritatem ſuam, tali debito ſubiacere nequit. 54.

*Probatur ratione.*



*Differẽtia inter iuſtitiam vindicatiuã Dei, & hominis.*

S.Thom.

55.

*Ex promiſſione pœnæ non oriri in Deo legale debitũ puniendi.*

Neque hoc legale debitum oriri poteſt ex Dei comminatione, ſeu promiſſione pœnæ, ſicut ſupra diximus oriri ex promiſſione gloriæ: quia cum comminatio, non ſit promiſſio ſub conditione operis, ſed ſimplex promiſſio mali pœnæ contra malum culpæ, ſeu puniendi hominem pro peccato, non poteſt habere rationem contractus, ſeu pacti voluntariè initi inter Deum, & creaturam; vnde ſolùm oriri poteſt obligatio iuſtitiæ in Deo reſpectu creaturæ, ſed habet tantùm rationem ſimplicis, ac puræ promiſſionis de malo creaturæ, ac proinde promiſſionis inuoluntariæ ex parte creaturæ; vnde oriri ad ſummum poteſt debitum morale fidelitatis, ac veritatis. Dupliciter igitur differt promiſſio pœnæ, facta peccatori, à promiſſione gloriæ, facta iuſto. Primò quia promiſſio pœnæ non fundatur in aliqua perſonali conditione, ſed ſolùm in operibus hominum peccatorum. Promiſſio verò gloriæ fundatur in conditione perſonæ habentis dignitatem gratiæ, independentis ex natura ſua à dignitate operum, vt patet in infantibus baptizatis. Quamobrem promiſſio gloriæ, non promiſſio pœnæ, fundare poteſt ius eſſentialiter diſtributiuum, quod primariò, & ſecundùm ſe reſpicit perſonam. Secundò promiſſio pœnæ non transfert aliquod ius ad pœnam, ſed ſolùm ſiſtit in ipſomet Deo, obligans illum ad puniendum, vbi interuenit obligatio in Deo, non propter aliquid à creatura receptum, quam receptionem eſſentialiter importat conceptus iuſtitiæ commutatiuæ, & ſupra oſtendimus reperiri aliquo modo in commutatiua meritorum; ſed propter aliquid à creatura factum, quod ex ſe meretur illam punitionem, ad quam ſine vllo pacto, & contractu, ſed ex ſeipſo, per ſimplicem ſuam promiſſionem Deus ſe liberè voluit obligare: promiſſio igitur pœnæ fundare non poteſt ius commutatiuum, ſicut fundat promiſſio gloriæ.

*Quo modo differant promiſſio pœnæ, & promiſſio gloriæ.*

56.

*Iuſtitiã Dei vindicatiuã, eſſe prouidentialem.*

Scotus. Suarez. Rebellus.

Tertia pars, quòd Dei vindicatio pertineat ad iuſtitiam prouidentialem, patet, quia hoc attributum in voluntate diuina eſt diſtinguendum, vt cum Scoto bene probat Suarez opuſc. 6. ſect. 4. à num.4. & admittit etiam Rebellus de Iuſt. 1. part. lib.1. quæſt.4. num.39. tum ab aliis ſpeciebus iuſtitiæ, tum à miſericordia, & liberalitate, quotieſcumque Deus vult dare creaturæ aliquid propter ſeruandam conuenientem æqualitatem, quam ex natura rei exigit creatura; ad quod tamen dandum Deus non tenetur debito legali ex pacto; vt ſi non promiſiſſet præmiare opera iuſtorum, ex hac iuſtitia poſſet velle præmiare; quia non præmiaret omnino voluntariè, ac liberaliter, nec ex ſola indigentia, ſed ex debito ſpecialis cuiuſdam decentiæ, & quaſi moralis cuiuſdam neceſſitatis, ſic etiam Chriſti humanitati, ratione aſſumptionis, debentur gratia, & virtutes; & non ex pura miſericordia. Item in rebus quoque naturalibus totius vniuerſi, multa facit Deus, ex debito naturali creaturæ, & ad naturalem illius exigentiam, vt cùm poſtquam creauit in eſſe, dat illi virtutes, & proprietates connaturales, & concurſus naturaliter requiſitos ad operandum. Vtitur ergo Deus miſericordia, quando nulla omnino ratio debiti, ſiue exigentiæ ex parte creaturæ interuenit, vtitur iuſtitia, quando talis ratio intercedit: ſed quando punit peccatores, præcedit in illis debitum, ſiue exigentia, ac meritum pœnæ propter peccatum; ergo poteſt dici punire ex iuſtitia, quæ cùm non ſit commutatiua, neque diſtributiua, neque propriè legalis, dici poteſt prouidentialis, ſeu gubernatiua; quia illa in diuina voluntate correſpondet prouidentiæ ex parte intellectus diuini, & per illam gubernat Deus totum vniuerſum, quantum pertinet ad voluntatem. Et propterea eſt quædam diuina iuſtitia, correſpondens iuſtitiæ legali humanæ, quæ etiam circa commune bonum verſatur.

## DVBITATIO VI.

### *An etiam in creatura detur iuſtitia reſpectu Dei.*

### SVMMA.

1 *Concluſio negatiua probatur in genere. n. 57.*

2 *Probatur in ſpecie de iuſtitia meriti. n. 58.*

3 *An religio, & pœnitentia ſint iuſtitia ſpecialis. num. 59. ad 62.*

4 *An alijs rationibus poſſit eſſe iuſtitia hominis ad Deum. num. 62. & 63.*

SExta concluſio. Non eſt neceſſarium, vt, quia datur in Deo iuſtitia reſpectu creaturæ, de qua iuſtitia hactenus loquuti ſumus, detur etiam in creatura iuſtitia reſpectu Dei. Ratio vniuerſalis, & certa eſſe videtur, quia iuſtitia Dei ad hominem, ponit ius in homine, & in Deo debitum adæquandi hoc ius. Ius autem humanum, præſertim à Deo, adæquari facilè poteſt. At verò iuſtitia hominis ad Deum, contra ponit, debitum in homine, ius in Deo. Quoniam igitur diuinum ius, cum ſit altioris, & eminentioris cuiuſdam ordinis, non eſt adæquabile ab homine, ideo in homine reſpectu Dei non eſt iuſtitia, ſed alia eminentior virtus religionis, vel pœnitentiæ, &c. Sicut ob eamdem rationem, inter Patrem, & Filium non datur iuſtitia, ſed eminentior virtus pietatis. 57.

*Cõcluſio negatiua. Probatur in genere.*

Præterea in particulari de iuſtitia meriti, idem probatur, quia cum iuſtus facit opus meritorium gloriæ, non operatur vt debitor ad ſoluendum aliquid, ſed potius ad acquirendum, & vt fiat creditor alterius. Quod elicitiuè fit per omnes virtutes, præcipuè per charitatem, quarum actibus meremur gloriam. Imperatiuè verò, ſi iuſtus intendit 58.

*Probatur in ſpecie de iuſtitia meriti.*

lucrum

lucrum gratiæ, & gloriæ, pertinet ad virtutem ſpei: ſi autem intendit, opera meritoria facere, quia ſunt aliquid condignum, cui ex pacto, & iuſtitia promiſit Deus gloriam, vt mercedem formaliter, poteſt pertinere ad iuſtitiam hominis reſpectu Dei. Hæc autem magis directè, & per ſe ponitur in iuſto, ſatisfaciente pro pœnis Purgatorij; quia tunc operatur vt debitor, ſoluendo aliquid condignum pro debito. Quoniam verò talis ſolutio fit elicitiuè per actus aliarum virtutum, ideo in hoc etiam caſu iuſtitia hominis ad Deum, ad ſolutionem debiti concurrit imperatiuè, ex intentione dirigente actum ſatisfactorium ad ſoluendum moraliter æquiualens pro pœna debita: ob quam rationem videtur ad rationem iuſtitiæ magis accedere.

59. *An religio, & pœnitentia ſint iuſtitiæ ſpeciales.*

Quæ omnia breuiter tetigit Suarez opuſc. 6. ſect. 2. num. 35. imò antea à num. 13. videtur ſignificare, religionem, qua reddimus debitum cultum Deo, & pœnitentiam, qua dolemus de iniuriis Deo factis, eſſe partes non potentiales iuſtitiæ generalis, ſed ſubiectiuas iuſtitiæ particularis, acceptæ non pro humana, ſed præciſè ſecundùm conceptum analogicum, communem diuinæ, & humanæ, prout dicit tantum conceptum virtutis, reddentis alteri ius ſuum proprium, ſecundùm æqualitatem rei ad rem, quantum poteſt, ſaltem ſecundùm affectum, etiam ſi non æqualiter fiat ſecundùm effectum. Quam opinionem non improbabilem dixit Rebellus de Iuſtit. 1. p. lib. 1. q. 1. ſect. 2. num. 21. quia blaſphemia, & alia ſacrilegia continent rationem veræ iniuriæ, & iniuſtitiæ: ergo contrarij actus religionis pertinent ad veram, ac propriam iuſtitiam. Similiter omne peccatum mortale, eſt vera Dei iniuria, & verè, ac propriè lædit ius diuinum; ergo pœnitentia, inclinans ad ſeruandum illæſum omne ius, ac dominium diuinum, & ad reſarciendam omnem inæqualitatem, & iniuriam Deo factam, quantum in homine fuerit quoad effectum, & quantum ſimpliciter poſſibile eſt, quoad affectum, habere debet formalitatem iuſtitiæ commutatiuæ.

*Affirmant Suarez, & Rebellus.*

60. *Probabilius negãt S. Thomas, idem Suarez, & alij.*

Sed in altera fuiſſe ſententia videtur Suarez in poſteriori opere de religione, tomo 1. lib. 3. de habitu religionis, cap. 4. dicto primo, probans cum S. Thoma, & communi, religionem non eſſe veram, ac propriam iuſtitiam, ſed ab illa eſſentialiter diſtingui, & ab omnibus partibus ſubiectiuis, ſub illa contentis; & eſſe partem potentialem iuſtitiæ. Tum quia quidquid eſt hominis, eſt pluribus, & grauioribus titulis ipſius Dei. Tum maximè, quia non poteſt reddere Deo debitum cum æqualitate. Idémque docet contra Durandum de pœnitentia, ſicut in priori loco ſe probaſſe dicit, & in particulari rectè ſoluit argumentum, quod in opuſculo fecerat, de virtute, cui ſatis ſit, reddere æqualitatem quoad affectum; diſtinguens, hoc eſſe verum, quando impotentia reddendi æqualitatem quoad effectum, eſt accidentalis, & naſcitur ab extrinſeco; vt cùm homo non poteſt reſtituere alteri homini: tunc enim illa inefficacitas, quæ explicatur per, *Vellem ſi poſſem*, non eſt ex ratione obiecti virtutis, ſed ex ratione ſubiecti impotentis. Non autem, quando eſt eſſentialis, & naſcitur ab intrinſeco, propter excellentiam debiti, quod eſt altioris ordinis, & eſſentialem conditionem perſonæ, quæ habet eſſentialem improportionem ad ſolutionem illius debiti. Tunc enim inefficacitas eſt ex intrinſecis obiecti virtutis, quod ex natura ſua eſſe debet ſimpliciter poſſibile, vera, ac reali poſſibilitate; quia eſt ſpecificatiuum virtutis, quæ eſſentialiter eſt habitus realiter operatiuus circa ſuum obiectum. Aliter propter ſimiles affectus inefficaces, & conditionatos, Filij ad Patrem eſſet iuſtitia, non pietas: item ſerui ad Dominum, &c.

*Reddere æquale ſecundùm affectũ, non ſemper pertinet ad iuſtitiam.*

61. *Peccatum mortale eſt vera iniuria contra verũ ius Dei, non cõtra veram iuſtitiam.*

Quare ad rationem in contrarium ſupra n. 59. reſpondeo, peccatum mortale eſſe quidem veriſſimam, ac propriiſſimam iniuriam, tamen non per ordinem ad propriam, ac ſpecialem aliquam iuſtitiam, quæ per illud offendatur, cùm offendatur potius religio, ſeu charitas, ſiue alia virtus, ſed per ordinem, & denominationem à iure diuino, quod eſt propriiſſimè ius, licet non adæquabile, & idcirco non ius iuſtitiæ. Igitur ex eo, quòd peccatum mortale, ſit propriiſſimè iniuria, non ſequitur, religionem, & pœnitentiam eſſe propriè iuſtitiam. Enim verò plura requiruntur ad bonum, quàm ad malum. Ius enim diuinum, quò maius, & vniuerſalius eſt, eò facilius lædi, & violari poteſt; ſed eò etiam difficilius reparari ad æqualitatem, ac proinde deficit eſſentialiter à ratione iuris commutatiui. Vnde etiam in humanis poſſumus aliis tollere vitam, non dare. Item iniuriare parentes, ſed non ſatisfacere illis ad æqualitatem.

62. *In quo ſenſu concedi poſſit iuſtitia hominis ad Deum.*

Poſſet demum iuſtitia hominis ad Deum, alia ratione admitti: nempe, per pactum ab homine factum cum Deo, ſub conditione operis à Deo præſtandi; quale cernitur in illo, quod fecit Iacob, Geneſ. 28. *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me*, &c. *erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Tunc enim, impleta conditione ex parte Dei, redderet homo promiſſum, ſoluendo aliquid debitum, non ſolùm ex voto, vi virtutis religionis, ſed etiam ex iuſtitia commutatiua, vi pacti, quo fit æqualitas rei ad rem, ſiue dati, & accepti. Sicut enim quandò Deus facit pactum, impleta conditione ex parte creaturæ, Deus operatur directè ex iuſtitia commutatiua, vt debitor ad ſoluendum debitum; ita etiam operatur homo, quando ipſe facit pactum, impleta conditione ex parte Dei.

63. *Homo per nullum actũ bonum poteſt de iuſtitia ſatisfacere pro iniuria Deo facta per actum malũ.*

Hanc iuſtitiam in homine reſpectu Dei ponit Rebellus de Iuſt. 1. p. quæſt. 4. ſect. 2. num. 8. addens, eſſe etiam iuſtitiam commutatiuam, quando homo, poſt aliquod peccatum, quod directè contra gloriam, & honorem Dei tendat, vt ſi quis falſum teſtimonium Deo imponat, v. g. quòd mentitus ſit, vel aliter blaſphemet, facit contrarium actum, diſſuadendo ſcilicet, id, quod falsò perſuaſerat, vel laudando, atque honorando, &c. ad hunc enim actum ait teneri peccatorem ex iuſtitia commutatiua.

Sed contra. Quia idem eſt Dei ius, quo poſtulat, tam his, quàm aliis quibuſcumque peccatis non offendi, & iniuriari, nimirum quia eſt prima bonitatis regula, & æterna lex, cuius participationes quædam ſunt omnes naturæ creatæ rationales; & quia eſt omnium creator, & ſupremus dominus, ſed in aliis peccatis non facit creatura contra iuſtitiam commutatiuam, neque contra ius commutatiuum Dei, vt ipſemet cum communi notat contra quendam grauem Doctorem; ergo neque in his. Quare contrarij illi actus boni, erunt potius actus religionis, & pœnitentiæ, quàm commutatiuæ iuſtitiæ. Neque enim in illis bonis actibus, tantum valoris eſſe poteſt, quantum grauitatis eſt in actibus malis, prout offenſiuis Altiſſimi, & prorſus infiniti iuris diuini, vt latè oſtendi in materia de ſatisfactione Chriſti Domini.

Confirmatur, quia in humanis, Pater, v. g. habet ius



*Probatur exemplo patris, & filij in humanis.*

ius quatenus pater, ne inhonoretur à filio, ergo etiam Deus, quatenus Deus, habet ius, ne inhonoretur à creatura. Sed hoc ius Dei, quatenus Dei, eſt ius omnium eminentiſſimum, & inadæquabile ex natura ſua à creatura: ergo, ſi offendatur, erit quidem iniuria maxima in genere iniuriæ, quia offenſiua maximi iuris; tamen ſatisfactio, quam pura creatura offerre pro illa poteſt, erit omnium minima, ergo non ex iuſtitia, & per æqualitatem. Quare ſi poſt perſuaſum mendacium Dei, perſuadeo Dei veritatem, & falſitatem meam, erunt quidem materialiter æquales iniuria, & ſatisfactio; non autem formaliter, quatenus iniuria, & quatenus ſatisfactio; hoc eſt, quatenus offenſiua iuris diuini, & quatenus eiuſdem iuris reparatiua.

Circa reliquos tres huius quæſtionis articulos nihil ſcribendum occurrit, quod vel non habeatur ex dictis, vel in textu ipſo clarè expreſſum non ſit, vel apud alios quiuis ex ſe intelligere facilè nequeat.

# QVÆSTIO XXII.

## *De prouidentia Dei, in quatuor articulos diuiſa.*

Conſideratis autem his, quæ ad voluntatem abſolutè pertinent, &c.

---

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm prouidentia Deo conueniat.*

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd prouidentia Deo non conueniat, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur pars affirmatiua. num. 1.*

2 *In quo actu conſiſtat diuina prouidentia. num. 2. ad 13.*

3 *An prouidentia ſemper aſſequatur finem. num. 13. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

1. *Prima concluſio affirmatiua de fide ex Alberto.*

PRIMA concluſio ſimpliciter affirmatiua, *eſt abſque dubio ſecundùm fidem Catholicam*, vt docet Magnus Albertus 1. p. ſummæ, tract. 17. q. 67. membro 1. initio corpor. Tum quia Scriptura expreſsè tribuit Deo prouidentiam, Sap. 6. de diuina ſapientia, eiúſque amatoribus dicitur, *In vijs oſtendit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Quem locum ad hanc veritatem probandam attulit Auguſtinus 5. de Geneſi ad litteram, cap. 21. initio. Item Sap. 14. *Tua autem, Pater, prouidentia gubernat.* Et Eccleſiaſtes 5. *Neque dicas coram Angelo, non eſt prouidentia; ne fortè iratus Deus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.* Tum quia Scriptura apertè, & frequenter tribuit Deo proprios effectus prouidentiæ. Sapient. 6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* & cap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* & cap. 12. *Non eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus.* & Pſal. 140. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*: hoc eſt, quæ eos tantùm motus, & effectus exequuntur, quos ipſe diuina ſua prouidentia ordinauit, atque præcepit, iuxta id, quod anteà dicitur, *Præceptum poſuit, & non præteribit.* Quo loco Auguſt. ſupra probat, nullam prorſus rem diuina prouidentia deſtitui. *Nihil enim*, inquit, *tam videtur caſibus volui, quàm omnes iſtæ procelloſæ, ac turbulentæ qualitates, quibus cœli huius inferioris facies variatur, & vertitur, ſed cùm addidit, Quæ faciunt verbum eius, ſatis oſtendit, earum quoque rerum ordinem diuino ſubditum imperio, latere nos potius, quàm vniuerſitatis deeſſe naturæ.* & Matth. 6. *Reſpicite volatilia cœli. Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Fœnum agri Deus ſic veſtit.* Et hortans Dominus, ne de cibo, potu, veſtimento ſoliciti ſimus, certiſſimam diuinæ prouidentiæ rationem aſſignat, his verbis, *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* & cap. 10. *Vnus paſſer non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro. Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere*, &c. Tum quia de fide eſt, Deum eſſe cauſam omnium primam, & perfectiſſimam, hoc eſt, vt explicat S. Thomas initio corporis, *Non ſolùm quantum ad ſubſtantiam rerum, ſed etiam quantum ad ordinem earum in finem, & præcipuè in finem vltimum, qui eſt bonitas diuina*: & hæc omnia cauſare per intellectum, & voluntatem; qui actus in Deo ſunt ab æterno, & non poſſunt eſſe in tempore, vt ex ſuperioribus conſtat. Sed nomine prouidentiæ omnes intelligimus intrinſecos actus intellectus, & voluntatis, quibus cognoſcimus, & volumus ordinem mediorum, quo res gubernantur, & diriguntur vt finem ſuum aſſequantur: nam, vt ait S. Thomas paulò poſt, *Ratio ordinandorum in finem, propriè prouidentia eſt.* Ergo euidenter ſequitur concluſio Theologica, quòd intra Deum ab æterno ſit propria, & perfectiſſima ratio prouidentiæ. Hanc vltimam probationem S. Thomæ ductam ex diuina rerum cauſalitate, eleganter vrget Damaſcenus lib. 2. fidei, c. 29. paulò poſt principium, his verbis. *Neceſſe eſt eumdem eſſe eorum, quæ ſunt, & factorem, & prouiſorem. Nam neque decet, neque conſequens eſt, alium factorem eſſe eorum, quæ ſunt, & alium prouiſorem: ſic enim imbecillitati, debilitatique vterque ſubiaceret; hic non faciendi, ille non prouidendi.* Nam, vt aptè explicat Albertus ſupra, *ſicut in naturis, vna, & eadem virtus eſt, quæ formatiua eſt in ſemine, & factiua, ſiue generatiua nati; quæ efficitur regitiua eius, quod natum eſt, eo quòd influit vnicuique membro particulariter, & toti ſimul nato, talem diſpoſitionem, per quam vnumquodque ad ſuum ordinem deducitur, & ſingula in toto ſuis nectuntur ordinibus: ſic eſt in totius mundi factore, quòd eadem virtute facit mundum, influens vnicuique diſpoſitionem, qua ad proprium finem deducitur; & gubernans, & curans de omnibus, vt quæque ordinibus ſuis connectantur.*

Sap. 6. & 14. — Auguſtinus. — Eccleſiaſt. 5. — Sap. 6. 8. & 12. — *Exponitur locus Pſal. 140.* — Auguſtinus. — *Exponitur locus Matth. 6.* — Matth. 10. — *Theologica demonſtratio S. Thomæ.* — *Confirmatur ex Damaſceno, & Alberto.*

## DVBITATIO I.

### *Quem actum in Deo importet prouidentia.*

### SVMMA.

1 *A quo actu denominetur prouidentia. num. 2.*

2 *Prouidentiam importare actum intellectus, & voluntatis. num. 3. & 4.*

3 Pradi

3 *Prædictum actum intellectus, non eſſe ſcientiam viſionis; ſed intelligentiæ. num.5.*
4 *Eſſe ſcientiam de medijs, non de fine. num.6.*
5 *Non eſſe imperium poſt actum voluntatis. n.7. & 8.*
6 *In prouidentia eſſe duos actus voluntatis. num.9.*
7 *Prouidentiam formaliter eſſe actum intellectus. num.10. ad 13.*

2. *Secunda concluſio. De nomine, ſecundū Syluestrū, Boëtium, S.Thomam.*

SEcunda concluſio. Prouidentia, quantum ad quid nominis, & vocis etymologiam, importat ſolum actum intellectus. Quia, vt ait Syluest.1.p. conflati, quæſt.22.art.1.initio, & ex Boëtio notat etiam S.Thomas de verit.quæſt.5.art.1. ad 4. primo loco, *Prouidentia ſecundùm nomen dicitur, porro, id eſt, procul, videntia.* Sed loquendo de prouidentia, quantum ad quid rei, & rem ipſam tali voce ſignificatam, quo modo tractari debet à Theologo, ſint ſequentes concluſiones.

3. *Tertia concluſio. Importat actū intellectus, & voluntatis.* S.Thomas. Alenſis.

Tertia concluſio. Prouidentia importat aliquo modo tam actum intellectus, quàm voluntatis. Hoc apud omnes certum eſt. Vnde S.Thomas initio huius quæſtionis inter ea, *quæ reſpiciunt ſimul intellectum, & voluntatem,* numerat prouidentiam. Et Alenſis 1.p.quæſt.26. membro 2. initio corporis, ait, *Prouidentia ſpectat ad ſapientiam, & bonitatem: & importat quod eſt ſcientiæ, & voluntatis, ſecundùm differentes rationes. Ratione videntiæ, importat cognitionem: ratione cauſalitatis gubernationis, & regiminis, dicit bonam Dei voluntatem; quia ipſa eſt gubernatrix rerum.* (Albertus.) Et Albertus ſupra, membro 2.fin.corp. *Prouidentia habet aliquid, quod ſcientiæ eſt, ſcilicet habitum regentem, & habet aliquid, quod voluntatis eſt, ſcilicet deductionem vniuſcuiuſque in finem, & gubernationem: hic enim actus voluntarius eſt, & bonitatis, & curæ, qua curat de omnibus.* Eamdémque doctrinam ſæpe repetit in ſequentibus, & poſteriores omnes ſequuti ſunt. (Bonauent.) Vnde Bonauentura 1.d.40.art.1.q.2. initio, loquens de prædeſtinatione, quæ prouidentia quædam eſt, idem tanquam omnino indubitatum ſupponit, & bene probat ex Auguſtino lib. de bono perſeuerantiæ, cap.14. non longè à principio, dicente, *Prædeſtinatio ſanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* (*Quid ſit prædeſtinatio ſecundum Auguſtinum.*) præparare beneficia ad liberandum, ſpectat propriè ad liberalitatem liberæ voluntatis, decernentis tali tempore, occaſione, modo, &c. præſtare beneficium, & liberare. Et rurſus cap.17. circa principium, *In ſua, quæ falli, mutaríque non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quicquam eſt, niſi prædeſtinare.* Præter præſcientiam admittit diſpoſitionem: diſpoſitio autem, & propoſitum idem ſunt, vt bene interpretatur Arimin. 1. d.40.q.1.art.1. circa principium. (Ariminenſis.)

4. *Probatur cōcluſio ratione. Prouidentia præſupponit rerum creationem, & diſpoſitionē. Prouidentiæ definitio ex Damaſceno.*

Ratio concluſionis eſt, quia prouidere ſupponit res exiſtentes, vt patet tū ex cōceptu, quem omnes formamus de prouidentia, quam non apprehendimus poſſe exerceri circa res poſſibiles, & nunquam futuras; nec circa præterita, vt præterita, ſed ſolùm circa exiſtentia, & præſentia; v.g. prouidentia ducis, vel patrisfamilias, non eſt niſi de exercitu, vel familia exiſtente: tum ex duabus prouidentiæ definitionibus allatis à Damaſceno lib.2. fidei, c.29. initio. Prima, *Prouidentia eſt, quæ ex Deo eſt, in ea, quæ ſunt, cura.* Secunda, *Prouidentia eſt, voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem gubernationem ſuſcipiunt.* (Durandus. Suarez.) Vnde Durandus 1.d.39.q.3.num.5. & 6. quem ſequitur Suarez 1.p.tract.1. lib.3. c.10. n.2. & 3. rectè notat, quòd prouidentia ſupponit non ſolùm creationem, qua omnia eſſe ſimpliciter à Deo accipiunt; ſed etiam diſpoſitionem, qua res creatæ propter hunc, vel illum finem, accipiunt hunc, vel illum eſſendi ordinem, tum inter ſe, tum cum toto vniuerſo, aptum ad conſequendum illum finem, ad quem creatæ ſunt. Quibus ſuppoſitis, prouidentiæ proprium eſt, rebus creatis, ac diſpoſitis veluti remotè ad finis intenti conſecutionem, dare alia media, quæ iudicantur proximè neceſſaria ad eiuſdem finis conſecutionem, vt conſeruare res in eſſe, & ordine, ac diſpoſitione eſſendi; cooperari cum illis, illas præmouere, defendere, dirigere, &c. Sed in his omnibus conceptibus, ſine quibus prouidentia ſimpliciter eſſe non poteſt, manifeſtum eſt includi actus intellectus, & voluntatis; quia neque res præexiſtunt, aut aliquid realiter accipiunt abſque diuina voluntate; neque his creaturis dari prudenter, & prouidè poſſent hæc media apta ad hos fines, aliis creaturis alia media apta ad alios fines, niſi in diuina voluntate eſſet aliquis actus circa fines, & media; & in intellectu diuino præconcepta eſſet recta ratio horum, & illorum mediorum, ad hos, & illos fines. Igitur prouidentia importat aliquo modo actus intellectus, & voluntatis.

5. *Quarta concluſio. Non importat ſcientiam viſionis.* Arrubal. Gonzalez.

Quarta concluſio. Actus intellectus, quem importat prouidentia, dici non debet ſcientia viſionis. Hoc bene aduertit Arrubal hîc, diſp.63.n.16. quem inſufficienter impugnat Gonzalez diſp.65. ſect.2. circa medium; & eſt contra ipſum, alióſque modernos Thomiſtas reiectos ſupra, q.14. art. 8. dicentes, ſcientiam practicam, & rerum cauſatiuam, qualis in omnium ſententia, ſine vllo dubio, eſſe debet ſcientia, quæ in prouidentiæ conceptu includitur, eſſe ſcientiam viſionis. Sed ex contrario fundamento, latè ibi probato, quòd ſcilicet, ſcientia viſionis, ſit quidam ſpeculatiuus intuitus, purè cognoſcens res iam factas, in eáſque tendens ſub formali ratione obiecti, & non practica aliqua directio, rerum cauſatiua, quæ tendat in res futuras ſub formali ratione effectus, euidenter ſequitur, in tali ſcientia conſiſtere non poſſe prouidentiam, quæ ſecundùm omnes eſt practicum aliquod principium rerum effectiuum. Quamobrem cùm communiter, & bene dicitur, prouidentia verſari circa futura, eſt intelligendum de futuris, non tanquam formaliter obiectis, circa quæ verſatur ſcientia viſionis, ſed tanquam formaliter effectibus, circa quos verſatur ſcientia ſimplicis intelligentiæ adiuncta voluntate; quæ ſcientia, inquit S. Thomas ſuprà quæſt.14.art.8.fin.corp. *conſuenit nominari ſcientia approbationis.* (S.Thom.)

6. *Quinta concluſio. Importat ſciētiam ſimplicis intelligentiæ.*

Quinta concluſio. Scientia pertinens ad prouidentiam, eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non qua cognoſcitur finis ſimpliciter, ſed qua cognoſcitur congruentia mediorum ad finem. Sequitur ex dictis. Scientia enim in formali ratione ſcientiæ, diuiditur adæquatè in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, ex probatis ſupra, quæſt.14.art.8. nam ſcientia approbationis addit rationem volendi, non ſciendi. Sed ſcientia prouidentiæ ex concluſione quarta, non eſt viſionis, ergo eſt ſimplicis intelligentiæ. Præterea prouidere non eſt ſimpliciter cauſare finem, ſed eſt adhibere media congrua ad cauſandum finem, ergo præter cognitionem, & amorem finis, poſtulat cognitionem, & amorem mediorum congruentium ad finem conſequendum.

7. *Sexta cōcluſio. Non importat actum intellectus imperantis.*

Sexta concluſio. Præter actum intellectus cognoſcentis, hæc, vel illa media, apta eſſe ad finem conſequendum, & actum voluntatis decernentis dare eadem media propter conſequutionem finis, non eſt neceſſarium, ad conſtituendam completam



tam prouidentiæ rationem, multiplicare alium actum intellectus cognoſcentis prædictum actum voluntatis, & immediatè intimantis, ſiue imperantis potentiæ exequutiuæ, vt exequatur id, quod voluntas decreuit. Ita Vazquez hîc d.87. num.13. (Vazquez.) Suarez 1. p. tract. 2. lib.1. cap.16. (Suarez.) Arrubal ſupra à num.11. contra aliquos recentiores, quos ſequitur Gonzalez ſupra. (Arrubal.) Ratio Arrubal optima eſt, quamuis à Gonzalez dicatur *friuola.* Quoniam alia cognitio conſequens voluntatem Dei liberam in actu ſecundo, & efficacem de dando talia media, tali tempore, & modo, ſupponit non ſolùm intrinſecam diuinæ voluntatis perfectionem, quæ eſt neceſſaria, ſed etiam extrinſecam, & liberam illius habitudinem ad media, per quam media habent quòd ſint futura; ergo ſupponit ſufficientiſſimè factam applicationem potentiæ exequutiuæ ad operandum talia media, tali tempore, & modo, congrua ad finem conſequendum: ergo ſupponit intra Deum rationem prouidentiæ omnino completam: ergo ad prouidentiæ complementum nullo modo eſt neceſſarius, ſaltem in Deo, ille tertius actus cognitionis imperantis, & applicantis. quicquid ſit in homine, in quo nonnulli volunt, imperium eſſe actum voluntatis, non intellectus, de qua re in 1.2. Omnes conſequentiæ, vt patet, ſunt euidentes. Solùm antecedens probatione indigeret, niſi eius veritas eſſet abundè demonſtrata ſuprà, q.19.art.3.

8. *Soluūtur cōtraria argumenta Gonzalez.*

Quapropter cum Gonzalez num.12. dicit primò hanc rationem eſſe friuolam, quia nititur falſo fundamento, *nempe, quòd diuina volitio libera non conſtituitur in eſſe talis per internam, & immanentem determinationem diuinæ voluntatis,* affert ſanè fundamentum tanta firmitate ſtabilitum loco citato, præſertim à num.65. vt hinc potiſſimum conſtare certò poſſit, rationem eſſe maximè firmam. Cùm verò dicit ſecundò in ſententia, Arrubal, voluntatem Dei, vt liberè volentem, *conſtitui per externam operationem,* falſum illi imponit, vt oſtendi loco citato, num.63. (Arrubal.) Conſtituitur, inquit Arrubal hoc ipſo loco, num.12. *per habitudinem extrinſecam ad operationem.* Quo modo ſentit, & loquitur ipſemet S. Thomas ſupra quæſt. 19. artic. 3. ad 5. (S.Thom.) *Voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.* Et ad 6. *Diuinum velle non habet neceſſariam habitudinem ad volita.* (*Quid ſit habitudo diuinæ voluntatis.*) Habitudo ad operationem, non eſt ipſa operatio præciſè, ſed eſt ipſamet voluntas diuina, vt formaliter, ſe ipſa immediatè, abſque alio addito, ſe habens ad operationem, tamquam liberum illius principium. Demum ratio, qua Gonzalez deinde contra Arrubal probat, prouidentiam non conſiſtere in cognitione congruentiæ mediorum ad finem, *quia,* inquit, *illa cognitio, eſt iudicium purè ſpeculatiuum de congruentia mediorum; vnde etiam adiuncta voluntate mediorum ſub eadem ratione formali iudicij ſpeculatiui non poteſt eſſe proxima ratio agendorum;* (*Quid ſit iudicium practicū in actu primo.*) facilè ſoluitur, quia peccat ex defectu diſtinctionis practici in actu primo, & in actu ſecundo. Nego igitur illud iudicium eſſe purè ſpeculatiuum, ſed dico, eſſe practicum in actu primo, ſi per ſe conſideretur; hoc eſt, ſcire talia media eſſe congrua ad talem finem conſequendum, & operandum, ſeu practicandum ad extra, eſt tale, vt quantum eſt ex ſe, & in ſua ratione directiui, nihil illi deſit ad actualiter practicandum, & dirigendum, niſi ſola libera applicatio, ac determinatio, requiſita in alio genere volitiui; vt bene explicat S. Thomas ſupra quæſt.14. artic.8. concludens, (S.Thom.) *quòd ſcientia Dei ſit cauſa rerum, ſecundum quod habet voluntatem adiunctam.* Vnde de verit. quæſt.3.artic.6.ad 6. vt fuſius explico cit.art.8. à num.110. ad 114. docet, Ideam ſpeculatiuam poſſibilium, & practicam actualium, ne ratione quidem differre, ſed ſolùm diſtingui, *quia practica addit ſuper ſpeculatiuam ordinem ad actum;* nimirum, non per additionem alterius actus in genere intellectiui, alioqui idea practica in genere ipſo ideæ, & intellectus, differret pluſquam ratione ab idea ſpeculatiua; ſed per additionem in alio genere liberæ voluntatis determinantis ideam ad actum. Quare cum Gonzalez requirit, vt cognitio *ſit proxima ratio agendorum,* ſi intelligit de ratione proxima in ratione cauſandi in genere cauſæ dirigentis, vt declaro ſupra quæſt. 19. artic. 4. dub. 1. præſertim n. 4. & 7. nego, illam rationem non eſſe proximam rationem agendorum: ſi verò intelligit de ratione proxima in ratione cauſandi ſimpliciter, id profectò requirit contra S.Thomam, qui ſæpè locis, & verbis allatis ſupra quæſt.14.artic.8. à num.37. ad 44. docet, in ratione cauſandi proximius principium eſſe voluntatem, quàm intellectum. Vnde in 1. d.38.quæſt.1. artic.1. ad vltimum loquens de cauſalitate, qua Deus per intellectum, & voluntatem cauſat res, ait, *In voluntate completur ratio cauſalitatis:* & tamen per opinionem Gonzalez completur per intellectum.

9. *Septima concluſio. In prouidentia actū intellectus præcedit intētio finis, ſequitur electio mediorum.* S.Thomas.

Septima concluſio, ſi fiat comparatio inter actus intellectus, & voluntatis, qui ad prouidentiam ſimpliciter ſpectant, vnus actus voluntatis conſequitur, & alius antecedit actum intellectus. Ex concluſione 4. & 6. ad prouidentiam, præter cognitionem congruentiæ mediorum ad finem, concurrunt duo actus voluntatis, primus, voluntas finis, & hunc actum, inquit ſanctus Thomas hîc ad tertium, *Prouidentia præſupponit. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, niſi velit finem.* Ita autem præcipere eſt proprium prouidentiæ in intellectu iudicante, ac dictante, hæc, vel illa congrua media eſſe ſumenda, vt aſſequamur finem intentum. Secundus, voluntas mediorum ad finis intenti conſequutionem: prior enim eſt amor, & intentio finis ſimpliciter; poſterior verò electio mediorum propter finem. Et ſicut intellectus actu dirigens voluntatem, eíque proponens, vt hoc, vel illo modo diſponat, ſiue, vt hæc, vel illa media eligat ad hunc, vel illum finem adipiſcendum, præſupponit in voluntate amorem finis; ita voluntas eligens ordinata, & congrua media propter finem, præſupponit in intellectu cognitionem ordinis, & congruentiæ mediorum ad finem.

10. *Octaua concluſio. Prouidentia principaliter eſt in intellectu.*

Octaua concluſio. Prouidentia, vt formaliter prouidentia, importat directè, & principaliter ſolum actum intellectus: neceſſariò autem connotat antecedentem voluntatem finis, & conſequentem voluntatem mediorum. Hac concluſione conciliari facilè poſſunt diuerſa Theologorum dicta de actibus, in quibus prouidentia conſiſtit. (*Varia Theologorum ſententia.*) Multi enim prouidentiam tribuunt voluntati, vt Bonauentura 1. diſt.40. artic. 1. quæſt. 2. Scotus quæſtione 1. §. *Ad iſtam,* Henricus quodlib.4.quæſt.19. Ariminenſis quæſt.1.artic.1. & alij loquentes de prædeſtinatione. Quibus fauet Damaſcenus ſupra, num. 4. definiens prouidentiam per voluntatem. Et Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum, cap. 10. initio, illis verbis, *Prædeſtinatio, eſt gratiæ præparatio.* Quamuis paulò poſt admittat præſcientiam, dicens, *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſti-*

prædeſtinatione præſcientia. Multò plures prouidentiam tribuunt intellectui. S.Thomas hîc in corpore dicens, *Ratio ordinis rerum in finem, in mente diuina præexiſtens, propriè prouidentia eſt.* Et clarius ad tertium. *Prouidentia eſt in intellectu, ſed præſupponit voluntatem finis.* Et idem habet quæſt. ſequenti, art.2. & de verit.quæſt.5.art.1.fin. corp. *Prouidentia*, inquit, *includit & ſcientiam, & voluntatem: ſed tamen eſſentialiter in cognitione manet, non quidem ſpeculatiua, ſed practica.* & quæſt.6. art.1. circa med. corp. *Prouidentia conſiſtit in actu rationis, ſicut & prudentia.* Alenſis 1.part. ſummæ quæſt.28. membro 1. art. 2. ad 2. de prædeſtinatione. Riccardus 1.d.41.art.1. quæſt.2. circa principium. Durandus 1.d.39.quæſt.3.num.6. *Prouidentia per ſe, & directè pertinet ad intellectum practicum, ſicut & prudentia.* Et idem d.41.quæſt.1.num.9. de prædeſtinatione. Durandum citat, & ſequitur Marſilius quæſt. 41. art.1. initio. Capreolus d.40. art.1. concluſ.1. de prædeſtinatione, & art.2. concluſ.2. de prouidentia. Caietanus, Syluester, Bagnes, Zumel d.2. concluſ.1. Valentia, Molina d.1. Nauarrete, Gonzalez, & alij interpretes huius articuli. Ferrarienſis 3.cont.Gent. cap.64. initio. Fonſeca 6. metaphyſ. cap.2. quæſt.5. ſect. 2. Machin infra, artic.4. d.45. ſect. 1. nonnulli denique ſunt qui prouidentiam tribuunt vtrique actui. Quibus fauent S.Thomas, Alenſis, Albertus, Bonauentura, & Auguſtinus relati ſupra num.3.

11. *Prouidētiam cōnotare duos actus voluntatis.*

Secunda pars concluſionis de connotatis, conſtat ex dictis ſupra, num.9. quia, vt dicitur hîc ad ſecundum, *Ad curam,* ſeu prouidentiam, *duo pertinent, & ratio ordinis, quæ dicitur prouidentia, & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio.* Non poteſt autem Deus in tempore realiter exequi media, quæ vt congrua, iudicauit eſſe ordinanda ad finem realiter conſequendum, niſi intra ſe ab æterno habuerit aliquam voluntatem finis, & efficacem voluntatem mediorum.

12. *Probatur cōcluſio ex S. Thoma.* *Prouidentia eſt principalis pars prudentiæ ex Auguſtino, Ariſtotele, & S. Thoma.*

Prima pars probatur à S.Thoma hîc, quia prouidentia, *eſt principalis pars prudentiæ*; quod de verit. quæſt.5. art.1. probat authoritate Tullij, & expreſſe docet Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, quæſt.31. initio, definiens prouidentiam per ſolum actus intellectus, ſic, *Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum eſt.* Probat etiam ratione. *quia prudentiæ proprium eſt ſecundùm Philoſophum 6. Ethic. cap.12. ordinare alia in finem. Nam prudentia præcipuè dirigit in his, quæ ſunt ad finem; ex hoc enim dicitur quis prudens, quia bene eſt conſiliatiuus; conſilium autem non eſt de fine, ſed de his, quæ ſunt ad finem, vt dicitur 3. Ethic.* ſed reliquæ duæ partes prudentiæ, ſcilicet memoria præteritorum, & intelligentia præſentium, ordinantur ad prouidentiam, *& non ſunt niſi quædam præparationes ad actum prudentiæ; prout ex præteritis memoratis, & præſentibus intellectis coniectamur de futuris prouidendis*; ergo prouidentia eſt principalis pars prudentiæ, & illius *quaſi completiua,* vt dicitur loc. cit. de verit. ſed ſecundùm omnes prudentia per ſe, & formaliter eſt in ſolo intellectu, ergo etiam prouidentia. De qua re plura dicam infra de prædeſtinatione, quæ eſt prouidentia quædam ſupernaturalis infallibilium mediorum in finem vitæ æternæ.

## DVBITATIO II.

### *An ad prouidentiam neceſſariò ſpectet aſſequutio finis.*

### SVMMA.

1 *Aſſequutio finis non ſpectat ad prouidentiam in genere. num.13.*
2 *Spectat ad prouidentiam prædeſtinationis. n.14.*
3 *Prouidentia diuina ſemper aſſequitur finem generalem. num.15.*
4 *Non ſemper aſſequitur finem particularem. n. 16. ad 20.*
5 *Quid de hac re ſenſerit S.Thomas. num.20.*
6 *Defenditur Molina contra Nauarrete, & Gonzalez. num.21. ad finem articuli.*

13. *Concluſio negatiua de prouidentia in genere.*

NOna concluſio negatiua omnium, loquendo de prouidentia in genere, prout præſcindit à creata, & increata: quia aliqua prouidentia, nimirum creata, habet veram, ac propriam eſſentialis prouidentiæ rationem, etiam ſi per illam creatura non aſſequatur finem, quem abſolutè intendit. Atque hanc concluſionem tantùm probat ratio Durandi 1.d.40.quæſt.1.num.6. illis verbis, *Ex hoc enim ſolo, quòd militi dantur arma, & clerico liber, & mercatori pecunia, ſufficienter eſt eis prouiſum, dato quòd miles non vincat, nec clericus addiſcat, nec mercator lucretur.* Ratio à priori eſt, quia prouidentia vt ſic, abſtrahit à perfecta, & imperfecta, ſiue infallibili, & fallibili. Sicut enim intellectus, eſt eſſentialiter intellectus, etiam ſi ſit creatus, imperfectus, & fallibilis; & voluntas, eſt eſſentialiter voluntas, etiam ſi ſit creata, imperfecta, & inefficax: ita prouidentia, ſeu prudentia, quæ ad intellectum, & voluntatem pertinet, eſſe debet eſſentialiter talis, & habere veram, ac propriam prouidentiæ, & prudentiæ rationem, etiam ſi fuerit creata, imperfecta, & fallibilis. Quòd autem prouidentia intentum finem non aſſequatur, nihil aliud neceſſariò importat, niſi prouidentiæ fallibilitatem, cum qua ſtant reliqua omnia ad eſſentiam prouidentiæ requiſita, nempe directio, & exequutio mediorum, quæ hîc, & nunc probabiliter, ac prudenter iudicantur ſufficientia ad habendum finem intentum. Quem ſi non conſequimur, id oritur, quia futuros euentus vel ignoramus, vt in creaturis, propter quod Sapient.9. dicuntur, *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ*; vel ſi certò ſcimus, tamen ob prudentem aliquam rationem ab eorum procuratione, ac prouidentia non iudicatur eſſe recedendum, vt in Deo infra explicabo. Hæc autem futuri euentus, ſeu finis ignorantia, vel inefficax intentio, neque tollit ſufficientiam mediorum, neque directionem, & exequutionem, neque ſimpliciter voluntatem, & complacentiam finis, quæ prouidentiæ eſſentiam ſufficienter ſaluant; prouidentia igitur vt prouidentia præcisè, conſequutionem finis non poſtulat.

*Probatur ratione Durandi.*

*Probatur alia ratione à priori.*

*Exponitur locus Sap.9.*

14. *Concluſio affirmatiua de prouidentia ſupernaturali prædeſtinationis.*

Decima concluſio. Diuina prouidentia, quæ procedit ex præſuppoſita abſoluta, & efficaci voluntate finis, ex qua de facto procedit ſupernaturalis prouidentia prædeſtinationis, vt ſequenti quæſtione probabitur, neceſſariò importat finis conſequutionem, prorſus infallibilem: ac proinde hæc infallibilitas eſt de eſſentia talis prouidentiæ, nempè diuinæ prædeſtinantis. In hoc etiam omnes conueniunt. Et euidenter ſequitur ex duobus principiis, latè probatis in ſuperioribus. Altero de ſumma efficacia diuinæ voluntatis, per quam velle,

&



& realiter efficere poteſt quicquid non implicat contradictionem. Altero de ſcientia conditionata antecedente omne liberum decretum, per quam ſolam præparari poſſunt infallibilia media, quæ eligere poteſt, ac debet diuina voluntas, vt liberi fines ab ipſa infallibiliter intenti, liberè ſimul, & infallibiliter eueniant.

15. *Concluſio affirmatiua de prouidentia diuina reſpectu finis generalis.* Syluester. Prouerb.16.

Vndecima concluſio. Prouidentia diuina ex eo formaliter quòd eſt diuina, ſemper aſſequitur generalem aliquem finem à diuina voluntate efficaciter, & abſolutè intentum. Hoc rectè obſeruauit Syluester ſupra, in fine ſui commentarij; & poſteriores omnes ſequuti ſunt. Quia ſaltem, *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, Prouerb.16. ſemper igitur ac Deus ordinat, atque efficaciter vult, & exequitur media ad aliquem particularem finem bonum, ipſamet mediorum productione intendit communicare bonitatem ſuam, & operari ad gloriam ſuam, ſeu manifeſtationem ſuarum perfectionum: & tunc etiam, cum permittit, homines particularibus auxiliis ſuis reſiſtere, & peccare, finem habet oſtendendi diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, & iuſtitiam ſuam in vaſa iræ. Nam vniuerſaliter, vt docet Auguſtinus in Enchiridion cap. 11. *Malum, bene ordinatum, & loco ſuo poſitum, eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret, mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo:* quam veritatem copioſius proſequitur Damaſcenus lib. 2. Fidei, cap. 29. ante medium.

*Deus permittit mala propter bona ex Auguſtino, & Damaſceno.*

16. *Concluſio negatiua de prouidentia diuina reſpectu finis particularis.*

Duodecima concluſio. Prouidentia diuina, non obſtante, quòd diuina ſit, non ſemper aſſequitur particularem illum finem, in cuius conſequutionem media dirigit, & exequitur. Ac proinde, prouidentia, neque vt prouidentia præcisè, neque vt prouidentia diuina ſimpliciter, præter rationem ordinis in finem, importat de neceſſitate aſſequutionem finis; ſed hanc importat ſolùm, vt prouidentia diuina talis, hoc eſt, prædeſtinans, & prædefiniens finem efficaci, atque abſoluta ſua voluntate. Ita multò plures, & grauiores Theologi. In primis clariſſimè ipſemet S.Thomas, de verit.quæſt.6. artic.1. aliquantò poſt principium corporis, *Prouidentia,* inquit, *ordinem in finem reſpicit tantùm; vnde per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur: ſed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel euentum ordinis; vnde non eſt niſi eorum, qui gloriam conſequuntur.* & 1.d.40.quæſt.1.art.2.fin. corp. *Bene poteſt aliquid ab ordine prouidentiæ, quantum ad id, quod intentum eſt, exire; cum velit omnes homines ſaluos fieri, licèt non omnes ſaluentur: non autem ab ordine prædeſtinationis.* ſequuntur Thomiſtæ communiter, Capreolus 1.d.40.quæſt.1.artic.1.concluſ.2. Heruæus art.1.initio, Ferrarienſis lib.3.cont.Gent. cap.94. §. *Sed occurrit,* Syluester 1. p. conflati q.22. artic.1. Præterea Durandus 1.diſt.40. quæſt.1. n.6. Marſilius quæſt.41.artic.10.initio, Molina hîc diſput.2. cuius non ſolùm ſententiam, ſed verba ipſa accipit Zumel, hîc d.2. præſertim in maiori explicatione. Item Valentia puncto 1. Vazquez d. 87. cap.4. Suarez tract.2.lib.1. cap.18. à num.5. Becanus cap.13.num.5. Arrubal d.69. Nazarius in controuerſia. Machin d. 45. ſect.1. contra Caietanum hîc, Bagnes, Ripam, Nauarrete controuerſia 30. vbi initio immeritò dicit, *Quòd Ferrarienſis 3. cont. Gent. c.94. nec ſomniauit opinionem Molinæ,* quia eam vigilantiſſimè, & expreſſiſſimè docuit, vt patet legenti totum dubium ſuprà citatum. Item contra Gonzalez d.65. ſect.3. & 4. & alios, cum quibus ſentire videtur noſter Fonſeca 6. Metaph.c.2.quæſt.5. ſect.4. ſed re ipſa nobiſcum verè ſentit, vt patet ex ſolutionibus argumentorum. Nihilominus ex aliis pro concluſione citatis iudicari facilè poteſt, quàm verè dixerit Bagnes, *Caietanum ſequuntur vniuerſi Doctores graues noſtri temporis.*

*Eſt S.Thom.*

*Capreoli, Heruæi, Ferrarienſ. Syluest. Durand. Marſil. Molinæ, Zumel, Valentiæ, Vazquez, Suarez, Becani, Arrubal, Nazarij, Machin, Contra Caietanum. Bagnes, Ripam, Nauarrete, Gonzalez.*

17. *Probatur primò à poſteriori.*

Probatur concluſio primò euidenter, ratione à poſteriori ſignificata à S.Thoma ſupra. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & omnibus diuina ſua prouidentia dat media ad ſalutem conſequendam, & tamen pauci ſaluantur, multi damnantur; ergo hæc media in iis, qui non ſaluantur, non aſſequuntur illum particularem ſalutis finem, propter quem à Deo prouiſa, & data ſunt. Atque hanc rationem tanti fecit Vazquez ſupra, vt dixerit, *opinionem Caietani nulla ratione defendi poſſe.* & Molina ſupra, *Iam hodie opinio, quam impugnamus, minimè in fide eſt tuta, ne amplius dicam.* Vnde cum Bagnes hîc ad quartum, negat quòd Deus, *ſimpliciter loquendo, habet prouidentiam reſpectu reproborum, circa vltimum finem beatitudinis, vt illum aſſequantur;* manifeſtè ſentit contra S.Thomam verbis citatis, & contra veritatem, vt patet ex probatis ſupra, quæſt.19. artic.6. idque iure merito dixit Molina, in ſua tertia ratione, *eſſe pluſquam durum, & contra communem ſententiam ſanctorum;* quæ verba habet etiam Zumel ſupra.

*Cenſura opinionis cōtrariæ.*

18. *Probatur ſecundò à priori.*

Secundò ratione à priori. Quia Deus eſt prouiſor vniuerſalis; ergo prouidentiam ſuam exhibere debet iuxta naturales conditiones cauſarum ſecundarum, quibus prouidet. Vnde de ipſamet ſupernaturali gratia dicitur, quòd ita datur naturæ, vt eam, quoad eius fieri poteſt, perficiat in ſuo naturali modo agendi. Sed inter cauſas ſecundas aliquæ ſunt liberi arbitrij, cuius proprium eſt ſe liberè determinare ad vtrumlibet, vel bonum, vel malum. ergo iuxta talem eligendi libertatem, ac fallibilitatem, creaturæ liberæ ita per diuinam prouidentiam fuerunt dirigendæ, ac promouendæ in bonum, ſiue naturale, ſiue etiam ſupernaturale, vt non prædeterminarentur ad vnum, neque ſemper per media efficacia, atque infallibilia ad finem dirigerentur, ſed etiam per media ſufficientia, & fallibilia. Et ſicut natura ſua deficere poſſunt à bono: ita permittere vt earum culpa aliquando deficerent. Hanc rationem tetigiſſe videtur S. Thomas infrà, quæſt.23.artic.3. initio corporis dicens, *Ad prouidentiam pertinet, permittere aliquem defectum in rebus, quæ prouidentiæ ſubduntur. Vnde cum per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam, vt permittat, aliquos ab iſto fine deficere.* Docet, per diuinam prouidentiam in vitam æternam ordinari, etiam homines, qui vitam æternam non aſſequuntur: & tamen, aliquos ab iſto particulari diuinæ prouidentiæ fine deficere, ait, non ſolùm non eſſe contra rationem prouidentiæ Dei, ſed potius ad illam ſpectare: quia ſcilicet ita exigit natura liberarum creaturarum, circa quas diuina prouidentia exercetur.

*S.Thomas.*

19. Confirmatur, quia ſi quid obeſſet, quo non poſſet non euenire id, ad quod Deus per ſua media creaturam rationalem ordinat, vel eſſet, quia non impleretur voluntas finis, quam præſupponit diuina prouidentia, vt hîc ad tertium, vel quia prouidentia Dei omnipotentis, vteretur mediis inefficacibus, & fallibilibus. Non primum, quia ex omnium Theologorum ſententia probata ſupra, quæſt.19. artic. 6. non eſt neceſſarium, vt omnis libera Dei voluntas impleatur. Quocirca benè

*Non omnis Dei volūtas impletur.*

*Durand.*

Durandus 1.d.40. quæſt.1. num.6.fin.ad hoc propoſitum ait, *Prædeſtinatio habet adiunctam voluntatem conſequentem, quæ ſemper impletur. Prouidentia autem habet adiunctam voluntatem antecedentem, quæ non ſemper impletur.* Quod quidem non oritur ex Dei vel ignorantia, vel impotentia, vel malitia, vel alia imperfectione; ſed ſolùm ex rationabili vſu diuinæ libertatis, qua liberis creaturis prouidere voluit etiam media, quæ præuidit, earum culpa effectum non habitura: hoc enim poſtulant & natura creatæ libertatis, & munus vniuerſalis gubernatoris. Non ſecundum, tum quia ad diuinam prouidentiam ſatis eſt, quòd illa media ex natura ſua ſunt ſufficientia, &apta ad conſequendum finem, & reipſa finem conſequerentur, ſi ad cooperandum cum illis vellet creatura liberè ſeſe determinare; quod ad liberam finis conſequutionem neceſſariò requiritur; vt in ſuperioribus abundè probatū eſt. Tum quia illorum mediorum inefficacia, & fallibliitas nullo modo oritur ex parte Dei, ſed ſolùm ex parte creaturæ liberæ, quæ cum poſſet ſufficientiſſimè illis mediis liberè cooperari, & ſaluari, culpa ſua noluit: ex qua libera determinatione ad malum, quæ non à Deo, ſed ſolùm à creata libertate eſt, habent illa media vt ſint inefficacia, & fallibilia; cuius rei fuſior tractatio pertinet ad materiam de efficacia gratiæ.

*Deus conueniēter vtitur medijs ineſſicacibus.*

*Ineſſicacia mediorū oritur ex creatura, non ex Deo.*

20. Obiicies primò S.Thomam tum articulo ſecundo ad primum, dicentem, *Impoſſibile eſt, aliquem effectum ordinem cauſæ vniuerſalis effugere.* tum articulo quarto ad primum. *Euenit infallibiliter, & neceſſariò, quod diuina prouidentia diſponit euenire infallibiliter, & neceſſariò: & euenit contingenter, quod diuinæ prouidentiæ ratio habet, vt contingenter eueniat.* & ad ſecundum. *In hoc eſt immobilis, & certus diuinæ prouidentiæ ordo, quòd ea, quæ ab ipſo prouidentur, cuncta eueniunt.* tum 3.cont. Gent.cap.94. num.5. *Nihil diuinam prouidentiam effugit, & ordo diuinæ prouidentiæ omnino immutari non poteſt.* tum infra q.23. artic. 6. vbi prædeſtinationis certitudo probatur. Propter hæc loca, inquit Caietanus circa finem huius articuli, *Iudicio meo dicendum eſt, quòd author mutauit ſententiam in melius.* & ſequitur Fonſeca ſupra, §. *Vnde patet.* Contra verò ait Syluester ſupra, *Sed meo iudicio è duobus oportet eſſe alterum; aut quòd iſti ſoli hactenus fuerunt boni Thomiſtæ; aut ipſi non ſunt boni Thomiſtæ: nullus enim Thomiſta hactenus vidit iſtam contradictionem, etiam Petrus Bergomas, qui in S.Thoma, quaſi videtur pro ſingulari gloria magnum aceruum coaceruaſſe contradictionum, id eſt,* 1222. Eamdem ſententiæ mutationem negat Ferrarienſis 3.cont.Gent.cap.94.§.*Sed occurrit.* Quamuis eam mutationem concedere videatur Capreolus 1.d.40.art.1.concl.2.& apertè concedat Bagnes hîc ad primum.

*Obijcitur primò S.Thom.*

*S. Thomam mutaſſe ſententiam aſſirmant Caietanus, Fonſeca, & Bagnes, & ſignificat Capreolus.*

Negari tamen facilè poteſt: enim verò diuerſum quid eſt, nullum effectum, etiam eum, qui reſpectu cauſæ particularis, dicitur caſualis, & fortuitus, euenire abſque diuina prouidentia, quod rectè negare nemo poteſt: &, euenire ſemper illum effectum, propter quem diuina prouidentia confert ſufficientia media. Quod ſolum hîc negamus cum S.Thoma, qui nullibi id conceſſit. Item verum eſt, quòd ſemper eueniunt quæ à Deo prouidentur; hæc autem propriè, vt benè notat Ferrarienſis ſuprà, & ſequitur Vazquez ſupra, ſunt media ordinata ad finem, non autem finis, ad quem ordinantur media. Deus enim dicitur, prouidere media ad finem, quæ ſemper exequitur; non autem prouidere finem, quem aſſequantur media: quia finis reſpectu prouidentiæ ſe habet non tamquam id, quod prouidetur, ſed tamquam id ad quod prouidentur alia; v.g. medicus non prouidet ſanitatem, ſed prouidet medicamenta neceſſaria ad ſanitatem. Vnde S.Thomas de verit. quæſt. 5. artic.1.circa finem corporis ait, *Scientia communiter ſe habet ad cognitionem finis, & eorum, quæ ſunt ad finem: ſed prouidentia pertinet tantùm ad cognitionem eorum, quæ ſunt ad finem, ſecundum quod ordinantur in finem.* Præterea veriſſimè dicitur quòd ordo diuinæ prouidentiæ omnino immutari non poteſt; ſed hic ordo conſiſtit in hoc, inquit Ferrarienſis ſupra, *vt aliqui tantùm habeant ea, quibus ad ſuum finem peruenire poſſint; alij verò non ſolùm habeant ea, quibus ad ſuum finem poſſint peruenire, ſed etiam, vt ad ipſum finem perueniant. Vtroque modo determinatio diuinæ prouidentiæ eſt certa, & infallibilis.* Et in hoc ſenſu precatur Eccleſia in oratione Dominicæ ſeptimæ poſt Pentecoſten, quam obiiciunt Bagnes, & Ripa ſupra, *Deus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te,* &c. Deus enim omnia diſponit, omnia præuidet; & omnia eodem prorſus modo, quo ipſe diſpoſuit, ac præuidit, infallibiliter eueniunt. Sed alius longè diuerſus eſt præſentis quæſtionis ſenſus. Demum infallibilem certitudinem prædeſtinationis etiam reſpectu euentus finis, non negamus, vt ſupra n.14.

*Melius negāt Syluester, Ferrarienſis, & alij.*

*Prouidentia ſecundùm S. Thomā, Ferrarienſem, & Vazquez, eſt propriè mediorum, non finis.*

*Non obſtat immutabilis ordo diuinæ prouidētia, de quo eſt oratio Eccleſiæ.*

## *Defenditur Molina contra Nauarrete, & Gonzalez.*

Obiicies ſecundò quæ contra Molinam habet Nauarrete hîc controuerſia 30. propoſit. 1. *Falſiſſimum,* inquit, *eſt, aſſerere, quòd Deus in illa prouidentia, qua dirigit res liberas ad ſuos fines, dependeat à libertate earum, qua liberè ſe determinent ad tendendum, vel non tendendum in tales fines.* Arguit primò, *ſi expectaret Deus determinationem, qua res liberè ſe determinant ad ſuos fines, non operaretur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, ſed voluntatis creatæ,* contra Paulum ad Epheſ.1. aliter Deus in ſua prouidentia ſe gereret ſicut homo, qui prouidentiam circa alios habet, non reſpiciendo ad voluntatem ſuam, ſed voluntatem aliorum. Arguit ſecundò. *Prima, & radicalis ratio, dans efficacitatem medijs ad conſequutionem finis, eſt voluntas diuina: ergo Deus ad tribuendū dictis medijs efficaciam, conſulit ſuam voluntatem.* Arguit tertiò. *Si Deus expectaret illam determinationem, iudicaret quid futurum eſſet, nō ex ſua prouidentia, ſed ex determinatione voluntatis creatæ,* contra illud Iudith 9. *Tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti.* Arguit quartò ex verbis Auguſtini 5.de ciuit. c.9.poſt medium. *Ipſæ noſtræ voluntates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiúſque præſcientia continetur: atque ita qui omnes rerum cauſas præſciuit, profectò in eis cauſis, etiam noſtras voluntates ignorare non potuit.* Hinc Nauarrete ita colligit. *Ex hac continentia omnium cauſarum in diuina voluntate, paſſim probat Auguſtinus, quòd voluntates noſtræ operantur quod Deus antecedenter vult eas operari, & præſcit eas operaturas abſque dependentia ab ipſis.* Quintò ex verbis Auguſtini lib. 6. Hypognoſticon, *ſtulte, Deus eſt qui iuſtificat impium, non præuentus humana voluntate, ſed ipſe præueniens hominis voluntatem;* ita arguit Nauarrete, *Vbi non ſolùm negat Auguſtinus, quòd Deus præueniatur bona voluntate, rectè operante, & merente; ſed aſſerit, quòd omnem bonam voluntatem ſua præſcientia, & prouidentia præueniat,* quia antea dixerat Auguſtinus. *Quod ergo bonum eſt, præſcientia prædeſtinat: id eſt, prinſquam ſit in re, præordinat. Hoc cum, ipſo authore, eſſe cœperit, vocat, ordinat, & diſponit;* propter hæc verba, bonus vir contra Molinam ita exclamat,

21.
*Sentētia, quā Nauarrete imponit Molinæ.*

*Impugnat 1.*

Ad Epheſ.1.

*Impugnat 2.*

*Impugnat 3.*

Iudith 9.

*Impugnat 4.* ex Auguſt.

*Impugnat 5.* ex eodē Auguſtino.



exclamat, *Fugiamus, obſecro, hanc ſtultitiam, quam reprehendit Auguſtinus: & non dicamus, quòd Deus in iuſtificando, vel in decernendo iuſtificare impium, præuenitur humana voluntate.* Quia, inquit, *totum opus iuſtificationis, eſt meræ voluntatis Dei. Et conſequenter, decretum de iuſtificando, eſt ita proprium voluntatis Dei, vt ſtultum ſit reducere ipſum ad voluntatem hominis præuenientis voluntatem diuinam.* Arguit ſextò ratione, *Prima radix operandi liberè propter vltimum finem, eſt ipſa intentio finis; quia tota libertas electionis radicatur in intentione, & libertas in mouendo creaturam ad media, radicatur in prima directione ad vltimum finem.* Sed hæc intentio, atque directio habetur à Deo, *& nullo modo à creatura, quæ ſe habet paſſiuè, recipiendo à Deo efficacem ordinationem in vltimum finem,* ergo modus operandi liberè habetur à ſolo Deo, *omnino independenter à creatura.* Arguit ſeptimò, *Deus in directione creaturæ intellectualis ad finem, habet ſe, vt primum agens liberum; ergo vt cauſa omnis libertatis; ergo non expectat aliquam libertatem agentium inferiorum.* Arguit octauò, *Illa determinatio libera agentis inferioris, quam Molina dicit expectare Deum, eſt aliquid proueniens à Deo, tanquam ab agente libero: ergo tamquam à præordinante prius tale agens inferius ad ſuum proprium finem.*

*Impugnat 6.*

*Impugnat 7.*

*Impugnat 8.*

22. Ad hæc pro Molina, & veritate, reſponderi facilè poteſt. Initio autem aduerto, Nauarrete minus fideliter agere cum Molina, quem impugnandum ſuſcipit, quòd ſuper hunc articulum diſp.2.dixerit, *Deus pendet à libertate creata.* Hæc propoſitio in tota illa longa diſputatione non legitur. Sæpè docet Molina, & quidem rectè, effectus creatos pendere à libero arbitrio; quòd verò ipſemet Deus pendeat à libero arbitrio, Nauarrete addit, non ex ingenio Molinæ, ſed ſuo, ibi de hac pendentia à libero arbitrio non loquitur Molina niſi §. *Ex his.* vbi ait, voluntatem Dei, quam præſupponit prouidentia non conſequens finem, eſſe voluntatem finis *conditionatam, conditione pendente ex libero arbitrio creato, ſi ſcilicet vno, aut altero modo cooperari velit.* Aſſerit à nobis pendere conditionem creatam, non voluntatem increatam. Et paulò poſt, *Voluit Deus beatitudinem dependenter à libero vſu proprij cuiuſque arbitrij; atque adeò ſub conditione, ſi & ipſe velit.* Illud, *dependenter,* cadit ſupra *beatitudinem,* quæ eſt quid creatum, non ſupra, *voluit Deus,* quod eſt increatum. Et in §. *Alterum eſt.* clarè aſſerit, *effectum omnem, quia libero arbitrio creato, modo aliquo pendet, poſſe re ipſa euenire, ac non euenire.* Per illud, *modo aliquo,* aduertere poterat Nauarrete cautelam loquendi, quam in contraria ſententia ipſe non ſeruat, dicendo, *Nullo modo pendet à creatura. Omnino independenter à creatura.* vt ſupra in ſexto argumento. Deinde in §. *Arbitror.* ait Molina, *Illi ordines, diuinæ prouidentiæ, qui fines, ab arbitrio creato pendentes, aſſequuntur,* &c. Pendere ab arbitrio, tribuit finibus creatis, non diuinæ prouidentiæ. Idem denique habet ad ſecundum, & tertium, ſed dependentiam Dei à creatura ego ibi inuenire non potui. Sed quicquid ſit de hoc modo loquendi, ſpectando res ipſas, quæro, quid negas cum dicis, prouidentiam diuinam non pendere ab hominum libertate, *qua liberè ſe determinent ad tendendum, vel non tendendum in ſuos fines?* ſi negas; liberè ſe determinare, negas libertatem, vt in ſuperioribus ſatis, ſupérque demonſtratum eſt; nihil enim aliud, genus humanum vniuerſum hactenus eſſe intellexit, operari liberè, niſi liberè ſe determinare ad vtrumlibet ex duobus oppoſitis, & ad tendendum, vel non tendendum in aliquid. Si verò concedis, vt credo, eum, qui liber eſt, & liberè agit, liberè ſe determinare ad vtrumlibet, ergo diuina prouidentia ſtatuere non poteſt, vt creatura aliqua finem liberè aſſequatur, niſi ipſamet creatura ſeſe liberè determinet, poſitis omnibus ex parte Dei neceſſariò prærequiſitis ad ſeſe liberè determinandum. ergo dicere potuit Molina, ſi fortè in aliis operibus ſuis aliquando id legitur, Deum in efficaci prouidentia, ac voluntate de creaturis liberè ſaluandis, à creata libertate pendere, ſcilicet aliquo largo, & improprio modo, in quantum illa prouidentia finem aſſequi nequit, niſi creatura ipſa ſeſe liberè determinet ad bonum, per potentiam, qua ſe ad malum determinare liberè poſſet, ſi vellet. Ad argumenta igitur, quatenus hunc ſenſum impugnant, reſpondeo.

*Exponitur Molinæ ſententia à Nauarrete non benè relata.*



Ad primum. Nego ſimpliciter, *Deum expectare determinationem, qua res liberè ſe determinant.* Hæc enim propoſitio, quæ vt à Molina dicta ſupponitur, & impugnanda aſſumitur, neque in citata d. 2. ex qua refertur, neque in alio Molinæ loco, quem ſciam, legitur: ſed eam Nauarrete ſibi finxit, verbis ad falſitatem compoſitis. Quare tam hoc, quàm ſequentibus argumentis, in ea impugnanda fruſtra laborat; & falſitates, atque ſtultitias, quas nimia libertate ſapientiſſimo ætatis noſtræ Theologo tribuit, in ſeipſum potius, quàm in Molinam effudit. Molina quidem & hîc d. 2. & ſæpe alibi, veriſſimè docet, Deum, ante vllum decretum, & prouidentiam, præſupponere, ac præuidere conditionaliter, ad quam partem liberè ſe determinatura eſſet creatura, ſi poneretur ſub his, vel illis circumſtantiis, ſi taliter, vel taliter affecta eſſet, ſi per hæc, vel illa media dirigeretur; hoc autem non eſt, *expectare determinationem, qua res liberè ſe determinant:* hæc enim eſt abſoluta quædam determinatio, ab æterno abſolutè futura, quam diuina prouidentia, orta ex efficaci, & abſoluto voluntatis decreto, non expectat, aut præſupponit, ſed certiſſimè cauſat: non quidem prædeterminando, hoc eſt, deſtruendo liberum operandi vſum, ſed concurrendo cum talibus auxiliis, ac mediis, cum quibus conditionaliter præuiſum fuerat, quod futura eſſet libera determinatio. Cum hoc autem benè ſtat, imò ſine hoc ſtare non poſſet, vt ſupra quæſt.14.artic.13.d.22.concl.2. Deum omnia operari ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Nihil enim abſolutè eſt, aut abſolutè, ac liberè futurum præſupponitur, ante conſilium, & liberum decretum intellectus, & voluntatis Dei, vnde omnia habent vt actu ſint. Quare prouidentia diuina ad hoc vt infallibiliter, & liberè aliquid eueniat, non reſpicit ad voluntatem creatam, ſicut reſpicit humana prouidentia, ſed ſolùm ad præſcientiam, & voluntatem ſuam.

23.
*Reſpondetur ad primum, Deum nō expectare, ſed cauſare determinationē liberam abſolutè futuram.*

*Exponitur locus ad Eph. 1.*

24. Ad ſecundum. Nego, efficaciam, & infallibilitatem in mediis haberi ex diuina voluntate: ex hac præcisè habetur exiſtentia mediorum, & infallibilitatis ipſorum: infallibilitas verò habetur ex diuina præſcientia conditionata, vt ſupra, q.14. artic.13. dub.21. & docet Molina hîc d.2. §. *Alterum:* dicens, quòd media, & effectus, vt ſubſtant diuinæ præſcientiæ conditionatæ, *contrahunt neceſſitatem conſequentiæ, comparatione illius.* Et §. *Dixi.* ex præſcientia Dei conditionata, inquit, *eiuſmodi neceſſitas conſequentiæ, immutabilitas, atque indiſſolubilitas mediorum diuinæ prouidentiæ emanat.*

*Ad ſecundum ex Molina infallibilitatem mediorū haberi ex Dei præſciētia, non voluntate.*

25. Ad tertium, iam dixi, Deum, vt abſolutè iudicet, & ſciat liberam noſtram determinationem abſolutè futuram, non expectare hanc determinationem abſolutè futuram à nobis ante diuinam prouidentiam, ſed illam haberi, & ſciri poſt prouidentiam

*Ad tertium vt ad 1.*

*Exponitur locus Iudith 9.*

dentiam abſolutam Dei. Et ideo Iudith 9. rectè dici, *Tua iudicia in tua prouidentia poſuiſti.* Quamquam neque abſolutum iudicium de liberis noſtris effectibus abſolutè futuris, neque ipſamet abſoluta Dei prouidentia omnino infallibilis haberi poteſt, niſi præcedat in diuino intellectu præſcientia conditionata de libera noſtra determinatione conditionaliter futura, dependenter tamen à conditionata Dei voluntate, & prouidentia. Quare vt abſolutè decernat Deus liberos fines, infallibiliter, ac liberè futuros, & propter illos prouideat media prorſus infallibilia, non tam expectat noſtram liberam determinationem conditionatè futuram, quàm ſuam præſcientiam, voluntatem, & prouidentiam conditionatam. Quæ qualiſcumque expectatio, ſi modò expectatio dici debet, (hæc enim aduerſariorum vox eſt, non noſtra) cùm ſit potius obiectiua quædam rationis præſuppoſitio, eſt neceſſariò concedenda ab omnibus Theologis de libertate rectè ſentientibus, & habet firmum, atque expreſſum fundamentum in ſacris Scripturis, Auguſtino, & aliis, vt fusè probo ſuprà q.14.art.13.n.149.292.296.

26. *Ad quartũ, Auguſtinum malè referri à Nauarrete.*

Ad quartum. Ibi Auguſtinum nil aliud docere, niſi contra Ciceronem, Deum præſcire omnes cauſas, atque adeo noſtras voluntates, quæ cauſæ quædam ſunt, quas, inquit, noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit, quod nullus Catholicus negat. Collectio autem Nauarrete, in primis mutat terminos, Auguſtinus dicit, cauſas contineri Dei præſcientia; Nauarrete verò ex Auguſtino refert, ac ſumit, cauſas contineri in diuina voluntate. Qui eſt error notabilis, quia inde ipſe vult deducere, infallibilitatem liberorum effectuum oriri ex Dei voluntate prædeterminante, contra Molinam, & alios noſtros Theologos dicentes, oriri ex præſcientia conditionata. Quod nunc, occaſione huius loci, obiter, ſed efficaciter confirmare libet ex vltimis ferè verbis eiuſdem capitis noni. Voluntates noſtræ, inquit Auguſtinus, *Ideo quicquid valent, certiſſimè valent, & quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt; quia valituras, atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt*; ſummam certitudinem, atque immobilitatem euentuum, liberè futurorum, reuocat non ad voluntatem cauſantem, ac prædeterminantem, vnde libertas læderetur; ſed ad infallibilem, atque infinitam præſcientiam, quæ abſque vlla cauſalitate, ac prædeterminatione, tantùm ſimpliciter, ac ſpeculatiuè præcognoſcat determinationem à nobis liberè futuram, vnde libertas videtur, non violatur.

*Per Auguſtinum infallibilitas futurorũ oritur ex Dei præſcientia, non voluntate.*

27. *Ad quintum, de Auguſt.*

Ad quintum. Ibi Auguſtinum, vt clariſſimè conſtat ex antecedentibus, & conſequentibus, ſtultitiam vocare opinionem hæreticorum dicentium, gratiam non dari ex miſericordia præueniente bona opera, ſed contra potius, ex bonis operibus præuenientibus illam. Vnde id Auguſtinus reiicit maximè ex illo ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Ex quo Auguſtinus ſic arguit, *Audi gratis, & tace de meritis.* Damnat igitur merita præuenientia gratiam, non autem præſcientiam præuenientem omne liberum decretum Dei. Quam dum inter ſtultitias hæreticorum, quas Auguſtinus confutat, ex nimio opinionis ſuæ affectu imaginatur Nauarrete, id probat ex illis aliis verbis, *Bonum præſcientia prædeſtinat.* Quibus, ſi pacatius egiſſet Nauarrete, animaduertere facilè potuiſſet non ſe damnaſſe ſtultitiam Molinæ, ſed ſapientiam Auguſtini. Si *præſcientia prædeſtinat*, ergo ante decretum prædeſtinationis datur pręſcientia. conſequentiam probo ex eodem Auguſtino, qui paulò ante verba citata ſic habet. *Deus quicquid, antequam ſit, ſic præſcit, prædeſtinat: & propterea prædeſtinat, quia quale futurum ſit præſcit: ſed non omne, quod præſcit, prædeſtinat.* Apertiſſimè Auguſtinus diſtinguit præſcientiam à prædeſtinatione, & ante prædeſtinationem conſtituit præſcientiam, docétque, *Deum ideo prædeſtinare, quia præſcit.* Ex aduerſo autem Nauarrete, aliíque ponentes prædeſtinationis decretum prædeterminans ante omnem præſcientiam, ex eóque conſequentem præſcientiam, aſſerunt, *Deum ideo præſcire, quia prædeſtinat.* Hinc iam prudens, & candide lector dignoſcis, vnde proceſſerit zelus ille Nauarrete, in quem adeo diſſolutus eſt, vt Molinæ ſtultitiam fugiendam eſſe proclamauerit. Vtinam conſtaret, libros illos Hypognoſticon eſſe Auguſtini, quia proculdubio conſtaret, propter veritatem, & ſapientiam Auguſtini, Molinam immeritò vocari ſtultum. Sed quoniam arguens pro certo ſupponere videtur, librorum illorum authorem, eſſe Auguſtinum, ideo ego ad hominem argumentatus ſum: præſertim cum de illis libris eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus in libello de Scriptoribus Eccleſiaſticis, verbo, Auguſtinus, in operibus ſeptimi Tomi teſtetur, *Quòd eruditi ſunt, & vtiles, & vetuſti Authoris.* Demum in eodem quinto argumento eſſet grauius animaduertendum in illam propoſitionem, *Totum opus iuſtificationis, eſt meræ voluntatis Dei.* Per illa verba, *totum, meræ*, videtur excludi libera creatæ voluntatis cooperatio, quam ad iuſtificationis opus pertinere, fides docet. Sed quia hæc materia non eſt huius loci, & cum Doctore Catholico diſputamus, qui bene ſentire debet, licèt malè loqui videatur, curam hanc aliis relinquimus. Certè, vt alia omittam, huiuſmodi propoſitio, ſi vim verborum attendas, minimè ſapit doctrinam Pauli dicentis 1. ad Corinth. 15. *Gratia Dei mecum*, & Auguſtini lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. multò poſt principium, illis verbis, *Deus, vt velimus, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum ſuum, vocando noſtrum, ſequendo.* & lib. de ſpiritu, & littera, cap. 34. *In omnibus miſericordia Dei præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Et tamen Nauarrete verbis directè, & expreſsè oppoſitis ſcribere non dubitauit, *Totum eſt meræ voluntatis Dei*, authoris mentem excuſo, excuſare verba non poſſum.

*Exponitur locus ad Rom. 3.*

*Ex Auguſt. datur in Deo præſcientia ante decretũ prædeſtinationis.*

*De authore librorum Hypognoſticon.*

Bellarmin.

*Nauarrete propoſitio non vſurpanda.*

1. ad Cor. 15.

Auguſtin.

28. *Ad ſextum, notantur duæ propoſitiones nimis falſæ.*

Ad ſextum tota illa ratio nimis turbidam doctrinam continet. Primò. *Prima radix operandi liberè eſt intentio.* Non agnoſcis intrinſecam voluntatis libertatem? Cur ergo non aſſeris, hanc eſſe primam radicem operandi liberè? Secundò. *Manifeſtum eſt*, inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. 12. art. 1. fin. corp. *quòd intentio propriè eſt actus voluntatis.* Peto igitur ab arguente, ſit ne hic actus liber, vel neceſſarius? Si liber, ergo ſupponit radicem libertatis in potentia, vnde habet eſſe liberum; ergo non poteſt eſſe prima radix liberè operandi. Si neceſſarius, vt expreſsè ſentire videtur in minore, id, præter quàm quòd eſt euidenter falſum, cum vel ipſa experientia conſtet, liberum nobis eſſe in finem tendere, verbi gratia, in ſanitatem, in ſcientiam, in Deum ipſum, dici etiam non poteſt ad propoſitum noſtrum; quia ex terminis ipſis abſurdum, imò ridiculum apparet, primam radicem, propter quam voluntas liberè operetur, eſſe actum neceſſarium eiuſdem voluntatis. Nego igitur illius argumenti maiorem, minorem, & conſequens, quòd nullus, qui verè liber eſt, ferre poteſt. *Modus*, inquit, *operandi liberè habetur à ſolo Deo, omnino independenter à creatura*, ergo arbitrium creatum, non eſt liberum, ſed eſt ſeruum, & res de ſolo titulo, imò titulus ſine re. Enim verò ſi homo in ſe intrinſecè, & realiter habet verum liberum arbitrium, à Deo realiter diuerſum, ergo homo modum liberè operandi habet etiam à ſuo libero arbitrio, & non à ſolo Deo; ergo pluſquam falſum eſt, & hoc præſertim tempore, quo omnes hæretici liberum arbitrium peſſundare maximè contendunt, omnino fugiendum, quòd modus operandi liberè habeatur, *omnino independenter à creatura.*

S. Thomas.



29. *Ad ſeptimũ, de cauſa modi liberè operandi.*

Ad ſeptimum. Conceſſo antecedente, diſtinguo primum conſequens. *Deus in directione creaturæ intellectualis ad finem, habet ſe, vt cauſa omnis libertatis.* Si ſignificat, omnem libertatem, quæ eſt in actuali operatione noſtra libera, cauſari à ſolo Deo, & non cauſari à noſtro libero arbitrio, quem ſenſum intendere videtur arguens, vt patet ex ſecunda conſequentia, & ſexto argumento, ferri non poteſt, vt dixi. Si verò ſignificat, cauſari etiam à libero noſtro arbitrio, ac proinde, non paſſiuè prædeterminato ab alio extrinſeco, ſed actiuè ſe determinante per intrinſecam ſuam indifferentiam ad vtrumlibet, qui eſt eſſentialis conceptus operandi liberè cum dominio ſui actus, verum eſt, ſed tunc falſa eſt conſequentia ſecunda, modò conſequens accipiatur in bono ſenſu ſupra num. 25. Tunc enim ante abſolutam diuinæ prouidentiæ directionem neceſſe eſt præſupponere liberam noſtram determinationem conditionaliter futuram, & à Deo præuiſam per ſcientiam ſuam conditionatam, & mediam.

30. *Ad octauum, an Deus expectet noſtrã determinationem.*

Ad octauum. Quæro primò, vbi dicat Molina, *Deum expectare determinationem noſtram?* Certè hoc non dicit in hoc articulo diſp. 2. quam ſolùm citat, & impugnat Nauarrete. Sed de hac expectatione ſufficienter dictum eſt ſupra num. 25. aliíſque locis ibi citatis. Secundò ad argumentum, concedi poſſe totum in bono ſenſu ſupra explicato, qui noſter eſt contra Nauarrete. Proculdubio noſtra determinatio libera, ſiue abſoluta, ſiue conditionata prouenit à Deo: nam ipſa etiam conditionata determinatio, procedit, tanquam à præcedente conditione, à diuino concurſu proportionato cauſæ liberæ, hoc eſt, non prædeterminatiuo vnius partis, ſed indifferenter parato ad duas oppoſitas partes. Præterea abſoluta determinatio eſt à Deo præordinante, & prædefiniente; ſed ſimul etiam, ante vllam præordinationem, & prædefinitionem, conditionaliter præuidente illam eamdem determinationem futuram ſub conditione.

31. *Nauarrete arguit contra Molinam dicentem, voluntatem Dei non ſemper impleri.*

Obiicies tertiò ex eodem Nauarrete ſupra in propoſitione tertia contra eumdem Molinam, ſeu potius contra Ambroſium, Hieronymum, Alenſem, Bonauenturam, S. Thomam, Ægidium, alióſque quamplurimos citatos ſupra, quæſt. 19. art. 6. num. 3. & 6. quos Molina ſequitur dum rectiſſimè docet, quòd Deus ex antecedente conditionata voluntate vitæ æternæ, conditione pendente ex libero arbitrio creato, habet prouidentiam circa reprobos, quæ finem non aſſequitur, quia voluntas illa conditionata non impletur, deficiente conditione, non ex defectu Dei, ſed ex defectu creaturæ, à cuius libertate pendebat conditio. Sic arguit Nauarrete. *Actus prouidentiæ diuinæ, ex ſeipſo, & ſecluſo ordine ad aliquid extrinſecum, debet eſſe infallibilis. Sed ſi Deus prouideret circa actus liberos, & aſſequutionem finium ipſorum, voluntate conditionata, ſcilicet ſi voluntas creata voluerit ſe determinare ad hoc, vel ad illud, iam talis actus prouidentiæ diuinæ, non eſſet ex ſe infallibilis*; ergo. *Maior*, inquit, *ita nota eſt, vt non ſolùm vir Chriſtianus, ſed Paganus iudicaret blaſphemum contrarium*: tunc enim prouidentia Dei non eſſet perfectiſſima. minorem probat, quia conditionata illa voluntas, *dependeret ex adimpletione conditionis per creaturam; ergo Deus intra ſeipſum non haberet ſufficientia principia ad cognitionem illam infallibilem.* Ergo, inquit, *quantumcumque fingas ſcientiam mediam, debes neceſſariò reducere ad principium, intra Deum exiſtens, infallibilitatem dictæ conſequutionis finis; vel debes incidere in barathrum negandi infallibilitatem intrinſecam prouidentiæ Dei.* Et cùm nos reſpondemus ſatis eſſe, ipſam ſcientiam mediam, eſſe infallibilem, ita inſtat. *Implicat, quòd iſta præſcientia ſit intrinſecè infallibilis, niſi cauſa, ad quam reducitur talis infallibilitas, ſit intra ipſum Deum.* & tandem concludit, *eſſe chimericum*, quod cum Sanctis, & Scholaſticis ferè omnibus docuit Molina initio obiectionis, eúmque ridiculè hortatur, *vt videat, qualiter in ſua ſententia poſſit ſaluare ea, quæ ſancti Patres paſſim docent de diuina prouidentia; ſcilicet, quòd præueniat omnia, & quòd nihil prorſus ſit, quod non ſubſit eidem prouidentiæ Dei.*

32. *Reſpondetur explicãdo infallibilitatem diuinæ prouidentiæ.*

Reſpondeo, in maiore, prouidentia dici poteſt infallibilis dupliciter, primò reſpectu Dei, quòd ſcilicet Deus infallibiliter cognoſcat, quicquid ex ſua prouidentia futurum, vel non futurum ſit in rebus: ídque veriſſimum eſt, ſiue prouidentia finem aſſequatur, ſiue non, in quo maximè differt increata prouidentia à prouidentiis creatis. Secundò reſpectu particularis finis creati, in cuius aſſequutionem ordinatur prouidentia Dei; & tunc diſtinguo maiorem, quæ vera eſt, ſi prouidentia procedat ex efficaci, & abſoluta voluntate finis: falſa verò ſi procedat ex voluntate conditionata finis. Atque hanc doctrinam vocare blaſphemam, eſt blaſphemos vocare non ſolùm Molinam, ſed etiam omnes Sanctos, & Scholaſticos ſupra citatos, quorum illa eſt. Vnde in graui Theologiæ controuerſia, vbi pro Molina tot grauiſſimorum Theologorum teſtimonia ſuppetunt, vanum, ac ridiculum eſt contra Molinam ad Paganos, cæteróſque rudes Theologiæ Chriſtianos prouocare. Neque vrget perfectiſſimæ prouidentiæ diuinæ ratio, qua probatur maior; quia illa fallibilitas, ſeu potius inefficacia diuinæ prouidentiæ, non eſt ex aliquo Dei defectu, ſed ſolùm ex defectu creaturæ liberæ, quem permittere, ad ipſammet diuinæ prouidentiæ perfectionem pertinet, vt cum S. Thoma, & aliis oſtendi ſupra num. 18. & 19. Quid ſentiendum ſit de minore, patet ex dictis de infallibilitate prouidentiæ. Nunc addo, quòd prouidentia dirigens, atque ordinans media ad aliquem finem, ſi dirigat media infallibilia ex antecedente efficaci, & abſoluta voluntate finis, eſt infallibilis. Si verò dirigat media fallibilia ex antecedente conditionata voluntate finis, non eſt infallibilis per infallibilem connexionem mediorum cum fine.

Ad probationem minoris. Nego antecedens. Voluntas diuina non pendet à conditione, ſed ſolùm à conditione pendet aſſequutio finis, quam ipſe Deus, ex rationabili ſua prouidentia circa liberas creaturas, pendere vult à conditione creatæ libertatis. Illud etiam conſequens, quod vt valde abſurdum ſæpè repetit Nauarrete, *Deus intra ſeipſum non habet ſufficientia principia ad cognitionem infallibilem*, indiget declaratione. Nam loquimur de 33.

*An intra Deum ſit vis infallibiliter cognoſcendi liberos effectus.*

cognitione effectus liberi boni ſupernaturalis. Hic igitur ſumi poteſt vel vt abſolutè futurus,& huius cognitionem infallibilem habet Deus omninò ex ſe ipſo, nempe ex decreto ſuo, illum effectum liberè prædefiniēte,quod eſt cauſa illius effectus abſolutè futuri:vel vt conditionatè futurus ex libera creatæ voluntatis determinatione, ſub qua ratione idem effectus neceſſariò præſupponi debet, vt poſſit Deus illum antecedenter, atque abſolutè prædefinire vt liberum, & huius cognitionem infallibilem habet Deus per principia ſua intrinſeca exiſtentia intra ſeipſum, ſiue ex ſeipſo, quantum attinet ad totum id, quod ad cognitionem infallibilem requiritur ex parte cognoſcentis, quia in ſeipſo, independenter à quocumque alio extrinſeco, habet intrinſecam, atque infinitam vim infallibiliter cognoſcendi quicquid infallibiliter cognoſcibile eſt: quantum verò attinet ad id, quod requiritur ex parte obiecti cognoſcibilis, quod eſt liberum, ac proinde eſſentialiter indeterminatum in ſua cauſa omninò antecedenter, & ſolùm determinabile per cauſam ſuam proximam indeterminatam, & indifferentem ad vtrumlibet, non habet Deus intra ſe illa principia, ſed extra ſe. Quod ſi clarè explicare velimus, nil aliud verè eſt, niſi, non poſſe Deum, ſalua noſtra libertate, ante omnem ſuam præſcientiam, etiam conditionatam, prædefinire, ac prædeterminare voluntatem noſtram ad aliquem actum liberum conditionatè futurum:vt demonſtratum eſt ſuprà quæſt.14. artic.13. Atque hoc non eſt incidere in barathrum negandi infallibilitatem intrinſecam prouidentiæ Dei, vt contra Molinam loquitur Nauarrete; ſed potius eam infallibilitatem ita moderatè, ac ſapienter cum omnibus ſanctis, & antiquis Theologis explicare, vt non incidamus in barathrum negandi libertatem, quam olim multi Gentiles, & hæretici, & hoc tempore Lutherani, & Caluiniſtæ omnes, ex hoc eodem principio de infallibilitate diuinæ prouidentiæ, perperam intellecto, peſſum dedere. His igitur Nauarrete,aliíſque ſimilibus, & chimeras obiiciat, & hortationes paret; non autem Molinæ, doctiſſimo viro, de vniuerſa Chriſtiana Theologia optimè merito.

34.
*Obijcitur à Gōzalez cōtra Molinā.*

Obiicies quartò ea, quæ habet Gonzalez d.65. ſect. 3. concluſ. 1. contra Molinam, cui imponit, quòd hîc d.2. §. *Alterum*, negauerit, *Prouidentiam, quæ præſupponit voluntatem conſequentem, ſeu abſolutam finis intenti, ex ſe eſſe omnino certam, & infallibilem.* & affert multas authoritates, & rationes probantes infallibilitatem diuinæ prouidentiæ.

*Reſpondetur declarando ſentētiā Molinæ de infallibilitate diuinæ prouidētiæ.*

Reſpondeo, Molinam, hanc infallibilitatem, quæ de fide eſt, nunquam negaſſe. Solùm veriſſimè docuiſſe,infallibilitatem illam haberi per præſcientiam conditionatam, & non per voluntatem, ſed præſupponi à voluntate, vt ſupra n.24. Quam veritatē vt profundius explicaret, addidit in citato §. *Alterum.* hypotheſim impoſſibilem. Nimirum, quòd ſi per impoſſibile, ante voluntatem de dandis mediis ad effectum aliquem liberè faciendum à creatura, non præeſſet in Deo præſcientia conditionata, illa Dei voluntas, & prouidentia nullam inducerent neceſſitatem in effectum liberum; ſed ſicut effectus liber poteſt eſſe, & non eſſe, ita illa Dei voluntas, ſeu prouidentia poſſet aſſequi, vel non aſſequi ſuum. Quod non eſt negare infallibilitatem diuinæ prouidentiæ, ſed ſolùm huius infallibilitatis formalem radicem aſſignare, ac declarare. Quamobrem non ſunt ad rem contra Molinam omnia, quæ affert Gonzalez; ea enim probant tantùm de facto, nulla poſita hypotheſi impoſſibili, iuxta decimam concluſionem ſupra n.14. quam Molina expreſsè ſequitur in §. *Poſtremò.* & §. *Quando.* & in ſolutionibus argumentorum.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm omnia ſint ſubiecta diuinæ prouidentiæ.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd non omnia ſint ſubiecta diuinæ prouidentiæ, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Ex S. Thoma hîc ad quartum prouidentia cauſarum liberarum excludit determinationem ad vnum. num.1.*

2 *Ex eodem S. Thoma infallibilitas diuinæ prouidentiæ non ſumitur ex decreto prædeterminante. num.2.*

#### COMMENTARIVS.

*1. Concluſio affirmatiua.*

CONCLVSIO affirmatiua de fide, quæ adeo certa eſt, & adeo clarè probatur, & eruditè tractatur à S. Thoma, vt Commentatoris operam non deſideret. Præſertim cum multa, quæ ad illam ſpectant, partim dicta ſint articulo præcedente, & ſupra quæſt.14.art.5. initio, partim dicta ſint in ſequenti quæſtione de prędeſtinatione. Vnum illud, quod habetur in reſponſione ad quartum, videtur contra modernos, qui doctrinam Thomiſticam profitentur, animaduerſione digniſſimum. Cùm enim contra particularem prouidentiam, quam Deus de liberis hominum actionibus habet, obieciſſet quarto loco S. Thomas ipſammet hominis libertatem, ex illo Eccleſiaſtici 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* ita reſpondet, vt planè doceat, ſtare Dei cauſalitatem, ac prouidentiam circa omnes liberas operationes abſque determinatione ad vnum; & propterea ſaluari libertatem. *In hoc*, inquit, *quòd dicitur, Deum, hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo à diuina prouidentia; ſed oſtenditur, quòd non præfigitur ei virtus operatiua determinata ad vnum; ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm quaſi ab altero directæ in finem; non autem ſeipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur, & eligunt. Sed quia ipſe actus liberi arbitrij reducitur in Deum, ſicut in cauſam, neceſſe eſt, vt ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, diuinæ prouidentiæ ſubdantur.* Libertas ideo per S. Thomam non excludit prouidentiam, quia per hanc homini libero, ac proinde ex ſe indeterminato, & propterea relicto in manu conſilij ſui, *non præfigitur virtus operatiua determinata ad vnum.* Sed per modernos Thomiſtas, ponentes in diuina prouidentia decretum Dei extrinſecè prædeterminans, ad vnum, & qualitatem, ſeu motionem inhærentem, intrinſecè prædeterminantem ad vnum, per diuinam prouidentiam homini libero, propriiſſimè, ac veriſſimè *præfigitur virtus operatiua determinata ad vnum:* ergo introduxerunt nouam quamdam Dei prouidentiam, contradicentem libertati, ex ſententia ipſorum Doctoris. Præterea, ſi quamuis liberi arbitrij *virtus operatiua non ſit determinata ad*

*Notabilis reſponſio ad quartum cōtra Thomiſtas modernos.*



*vnum*, tamen eius *actus reducitur in cauſam primam*; ergo concurſus cauſæ primæ non eſt prædeterminans liberum arbitrium ad vnam partem. Deinde tum hîc, tum alibi, dum loquitur de virtute determinata ad vnum, ſemper addit, illam eſſe propriam rerum naturalium non liberarum: ergo pro certo hábet, determinationem ad vnum pugnare cum libertate. Denique ipſamet citata Scripturæ verba, à diuina prouidentia de homine libero, prædeterminationem ad vnum manifeſtè excludunt. Relinqui in manu conſilij ſui, & abſque vllo conſilio ſuo, ac libertate, & affigi, ſiue alligari ad vnam determinatam partem, ita vt dum ſubes tali prædeterminationi, nulla vi, nec humana, nec diuina, nullo prorſus conſilio, mouere te poſſis ad aliam partem oppoſitam, vel ex ipſis terminis, ſi rectè percipiantur, videntur duo conceptus inuicem planè repugnantes.

*Exponitur locus Eccleſiaſtici 15.*

2.
*Ex alio S. Thomæ loco reijcitur prouidentia infallibilis ex decreto prædeterminãte.*

Vlterius ad idem propoſitum faciunt verba eiuſdem S. Thomæ 1.d.39.quæſt.2.art.2. paulò ante finem corporis, *Si voluntas ineuitabiliter in finem tenderet per diuinam prouidentiam, tolleretur ſibi conditio ſuæ naturæ, vt dicit Dionyſius cap.4. de diuin. nomin. & ideo taliter à Deo inſtituta eſt, vt etiam deficere poſſet, ita tamen, quòd in poteſtate eius eſſet deficere, vel non deficere.* Vnde ad tertium ait, *Liberum arbitrium, ita ordinatum eſt ad bonum, quòd ab eo deficere poſſit. Si enim ineuitabiliter in vnum tenderet, tolleretur ratio voluntatis in tali natura.* Duo accuratè animaduertenda ſunt. Alterum, pro eodem vſurpari, ſicut verè idem omnino eſſe probaui ſupra quæſt.14.art.13.num.112. & 113. & 119. ineuitabiliter tendere in finem, & non poſſe non tendere in finem. Alterum, *quòd ſi voluntas ineuitabiliter tenderet in vnum, tolleretur ratio voluntatis, & conditio ſuæ naturæ*; ſed voluntas poſita ſub prouidentiæ decreto, prædeterminante ipſam ad vnum ante omnem præſcientiam, etiam conditionatam, ineuitabiliter tendit in vnum: ergo voluntas poſita ſub prædicto prouidentiæ decreto, non habet rationem voluntatis, & conditionem ſuæ naturæ. Maior eſt ſanctorum Dionyſij, & Thomæ; & iiſdem penè verbis recipitur à Zumel hîc, diſp. vnica ad 1. Minor eſt omnium aduerſariorum, qui ſaltem concedunt, inter decretum Dei prædeterminans, & actum creaturæ prædeterminatum, eſſe connexionem prorſus infallibilem, atque ineuitabilem. Conſequentia eſt euidenter in forma. Maneat igitur, prouidentiam Dei circa creaturas liberas, fundatam in decreto prædeterminante omnino antecedenter, ex aperta Sanctorum ſententia, contradicere conditioni, ac rationi voluntatis liberæ.

*Zumel.*

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Deus immediatè omnibus prouideat.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd Deus non immediatè omnibus, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Pars affirmatiua probatur ratione ſancti Thomæ. num.1.*

2 *Defenditur Arrubal contra Gonzalez. num.2.*

3 *Soluuntur obiectiones Gonzalez probantes, determinationem diuinæ voluntatis eſſe intrinſecè in Deo. num.3. ad finem articuli.*

#### COMMENTARIVS.

*1. Concluſio affirmatiua.*

QVÆ ſcribit S. Thomas, manifeſta ſunt abſque vlla controuerſia: ſicut enim certum eſt, Deum per intellectum, & voluntatem producere omnia immediatè, hoc eſt, vel ſe ſolo, vel ſimul cum creatura, exequendo immediatè totum id, quod exequitur creatura, etiam ipſammet actionem, ſiue operationem, qua fit aliud *vt quod*, & dicitur effectus: ita certum eſt prouidentiam diuinam immediatè ſe extendere ad omnia, & ſingula in particulari, cum omnibus illis modis, conditionibus, & circumſtantiis tam intrinſecis, quàm extrinſecis, cum quibus re ipſa fiunt in tempore. Quoniam, vt optimè ratiocinatur S. Thomas articulo præcedente, *Cùm omne agens agat propter finem, tantùm ſe extendit ordinatio effectuum in finem, quantum ſe extendit cauſalitas primi agentis. Cùm ergo nihil aliud ſit Dei prouidentia, quàm ratio ordinis rerum in finem, neceſſe eſt omnia, in quantum participant eſſe, in tantum ſubdi diuinæ prouidentiæ*; ſed omne, quod ſimpliciter eſt ab aliqua cauſa, & quocumque modo eſt ſub quauis particularitate, id à Deo participat immediatè, modo dicto; ergo eodem modo cadit ſub prouidentiam Dei.

*Ratio S. Thomæ.*

2.
*Defenditur Arrubal contra Gōzalez.*

Hanc ferè rationem tradit Arrubal hîc, d. 64. num.5. quam multis impugnat Gonzalez diſp.65. ſect. 4. quòd pro medio termino ſuæ rationis, ex dictis ſupra, quæſt.19.art.3. ita ſumpſerit, *Quia diuina voluntas terminatur ad res creatas omnes, ſicut ad obiecta volita, per actionem ad extra.* Vbi Gonzalez, vt poſſet impugnare Arrubal, quem ſibi finxit dicentem, formale determinatiuum, & conſtitutiuum diuinæ voluntatis actualiter liberæ, eſſe operationem ad extra, nonnulla verba, quæ in duabus veris propoſitionibus apud Arrubal leguntur, tranſpoſuit, & ſimul collegit ad componendam vnam tertiam propoſitionem abſurdam, quam falsò tribuit Arrubal, vt ſuo loco oſtendi ſupra, q.19.art.3. num.63. & art.1. huius quæſtionis num. 8. Prima igitur propoſitio Arrubal eſt hæc, *Diuina voluntas terminatur ad res creatas, ſicut ad obiecta volita.* Secunda propoſitio, *Diuina voluntas per actionem ad extra operatur.* Gonzalez ex ſecunda propoſitione ſumpſit illud, *Per actionem ad extra,* & ex prima illud, *Terminatur*, &c. & compoſuit hanc tertiam, *Diuina voluntas terminatur ad res per actionem ad extra.* Vniuerſalius, & abſtractius quid eſt, terminari, quàm operari. Vnde voluntas diuina ad ipſam quoque operationem propriè terminatur, quam tamen propriè non operatur. Itaque cum dicitur, *Diuina voluntas terminatur ad res per actionem,* ſignificatur, non terminari ad actionem, ſed ipſam actionem eſſe rationem formalem, qua terminatur vniuerſaliter ad quodcumque terminatur, quod Arrubal, & omnes falſum eſſe putamus. Cum autem ſimpliciter, & ſine alio addito dicitur, *Diuina voluntas terminatur ad res volitas*, intelligitur vniuerſaliſſimè, etiam de terminatione ad actionem ipſam, quæ eſt quoque à Deo volita, non per aliud reale additum, ſed ſolùm per extrinſecam, & liberam quamdam habitudinem, vt loquitur ipſemet Arrubal cum S. Thoma, vt oſtendo ſupra artic.1. num.8. & multò fuſius quæſt.19.art.3.

Hinc manifeſtum eſt, nullius eſſe momenti quæ contra Arrubal, falsò ab ipſo relatum, affert Gonzalez. Verùm quoniam ibi nititur perſuadere aliam 3.

ſuam

ſuam opinionem, multo abſurdiorem, de reali, atque intrinſeca diuinæ voluntatis determinatione, multis reiecta ſupra, quæſt. 19. artic. 3. à num. 60. ad 69. breuiter referam, & diluam, quæ pro eadem falſitate addidit in citata ſectione quarta, ſpectantia ad Dei prouidentiam, de qua nunc agimus.

*Gonzalez reale, & intrinſecã determinationẽ diuinæ volũtatis probat primò.*

Arguit primò. Prouidentia, vt ex Boëtio definit S.Thomas ſupra, art. 1. fin. corp. *Eſt ipſa diuina ratio, in ſummo omnium Principe conſtituta, qua cuncta diſponit.* ergo, inquit, *actus prouidentiæ in Deo eſt determinatio intrinſeca intellectus, & voluntatis, qua ordinat, & diſponit vnamquamque rem agendam in particulari.* Alioquin Deus non intrinſecè intra ſe diſponeret de rerum productione *per internam, & immanentem applicationem, & determinationem ſuæ voluntatis.*

*Reſpondetur, actualem determinationẽ eſſe intrinſecè à Deo, non in Deo.*

Reſpondeo, negando conſequentiam: actualis enim determinatio, ac diſpoſitio, ſeu applicatio, in principio libero, tamen infinitè perfecto, non poteſt eſſe aliquid intrinſecum, & immanens, ſicut eſt in creaturis liberis, finitis, & imperfectis; licèt ſit ex vi intrinſeca actus vitalis immanentis, qui propter libertatem, & perfectionem omnino infinitam abſque vlla alia intrinſeca additione, ac variatione determinari, ſeu terminari poteſt ſe ipſo immediatè ad ipſas etiam actiones ad extra, & mediantibus actionibus ad omnes effectus, qui per actiones fiunt. Vnde cùm Arrubal affirmat hoc ſecundum, non negat primum: in cuius probatione Gonzalez contra Arrubal fruſtra laborat.

4.

*Probat ſecũdò.*

Arguit ſecundò. *Si diuina voluntas in ſe intrinſecè manet indifferens circa exiſtentiam, aut non exiſtentiam productionis hominis, aut Angeli; ab extrinſeco oriri non poteſt determinatio illa ad futuritionem exiſtentiæ potiùs, quàm ad non futuritionem eius. hæc enim determinatio à Deo oriri debet; manente autem illo ſub omnimoda illa indifferentia intrinſeca, non eſt ratio aliqua vnde oriatur illa determinatio potius, quàm oppoſita.*

*Reſpondetur ex libertatis indeterminatione oriri effectum determinatum.*

Reſpondeo, concedo illam actualem determinationem non oriri ab extrinſeco, ſed ab ipſo Deo, & ab intrinſeco, & immanente eius actu libero. Aio autem, ita eſſe à Deo, vt non ſit in Deo, ſed ad creaturam, vt accuratius explico in proprio loco. Illa verò indifferentia, quæ obiicitur, tantum abeſt vt officiat illi determinationi, vt potius det illi, vt ſit libera. Si enim illa determinatio quicquid tandem illa ſit, prodiret ab aliqua diuina ratione intrinſeca, ad vnum determinata, illa proculdubio eſſet eſſentialiter neceſſaria, non libera. Sicut etiam in creaturis, ideo volitio libera eſt, quia oritur à voluntate indeterminata, atque indifferente. Illa igitur intrinſeca indifferentia non poteſt eſſe ratio vnde oriatur vna determinatio potius, quàm oppoſita, quando eſt incompleta, & imperfecta; quando verò eſt completa, ac perfecta, qualis neceſſariò eſſe debet indifferentia libertatis, ipſamet ex eo formaliter quòd libera ſit, eſt ſufficiens, & adæquata ratio, vt ab illa oriatur hoc potius determinatum, quàm aliud oppoſitum.

5.

*Probat tertiò.*

Arguit tertiò. *Actus prouidentiæ æternus eſt in Deo, & actu exiſtens; ergo non pendet à futura productione temporanea, & contingente, tamquam à ratione, per quam conſtituitur in ratione actus liberi.*

*Reſpondetur, prouidẽtiam Dei non pendere à creatura.*

Reſpondeo, concedo totum, quod nunquam negauit Arrubal. Ille actus ab æterno terminatus eſt ad productionem tamquam ad effectum, non tamquam ad obiectum, aut rationem formalem. Et ideo non actus diuinus à productione, ſed cõtra potius, productio pendet ab illo actu. Vnde ex eo quod productio, temporalis ſit, & contingens, non eſt neceſſarium vt temporalis, & contingens ſit ille actus.

6.

*Probat quartò.*

Arguit quartò. *Voluntas conditionata, expectans concurſum cauſarum ſecundarum, non videtur habere poſſe rationem prouidentiæ operationum in ſingulari, cùm non magis reſpiciat iſtam, quàm oppoſitam, quod tamen non ſufficit ad prouidentiam, qua Deus cuncta in ſingulari, & diſtinctè diſponit.*

*Reſpondetur primò, volũtatẽ Dei cõditionatã nõ expectare cõcurſum creaturæ.*

Reſpondeo primò. Voluntas conditionata perperam dicitur, *expectans concurſum cauſarum ſecundàrum.* Quæ verba in nullo Societatis noſtræ Theologo leguntur, imò verè in nullo catholico; ſed ab aduerſariis conficta, per ſummam iniuriam nobis attribuuntur. Cauſa prima nullius cauſæ ſecundæ concurſum expectat, ſed omnem planè concurſum cuiuſcumque cauſæ ſecundæ, ſiue neceſſariæ, ſiue liberæ, cauſat omnino independenter, & intimè: licèt ratio propter quam cauſet, ſeu præbeat hunc potius concurſum, quàm alium oppoſitum, quem etiam cauſare, ac præbere paratus erat, quantum ex ſe eſt, non ſit aliqua prædeterminatio, ſed ſolùm ſit libertas creaturæ, quæ completè potens, & indifferens ad vtrumlibet, ſeſe ipſa determinat ad hoc, non ad aliud. Quæ quidem libera determinatio ante omne decretum prędefiniens præſuppoſita, & præuiſa vt conditionaliter futura, neceſſaria omnino eſt, vt abſolutè, & efficaciter prædefiniri à Deo poſſit ſalua libertate; verbis igitur antecedentis ſecundum noſtram opinionem ita correctis,

*Reſpondetur ſecundò, volũtatem Dei cõditionatã, ſtare cũ prouidentia rerũ in particulari.*

Reſpondeo ſecundò, negando antecedens. Enim verò ſi omnis Dei prouidentia, eſſet per voluntatem abſolutam, non per conditionatam, profectò nõ aliter prouideret Deus creaturis rationalibus, ac liberis, quàm irrationalibus, ac ſeruis. Nec aliter prouideret in actibus bonis, quàm in actibus malis. Quare quòd voluntas conditionata, *non magis reſpiciat iſtam, quàm oppoſitam,* non tollit prouidentiam, & diſtinctam diſpoſitionem rerum omnium in ſingulari; quia voluntas conditionata reſpicit diſtinctè, ac particulariter duas partes oppoſitas, conditionaliter tamen, non abſolutè; ſed tollit ex rebus prouiſis neceſſitatem, ſinítque eas liberè operari. Quod tandem ipſemet Gonzalez in fine eiuſdem ſectionis quartæ, euidenti veritate coactus fateri videtur. Nam Deum cauſare in nobis modum concurrendi liberè, probat ex eo quòd, *Nulla alia media prouideat niſi illa, cum quibus ſcit, per ſcientiam omnino naturalem, ac neceſſariam, voluntatem noſtram liberè fore conſenſuram.* Si hæc ſcientia dicitur, *omnino naturalis, ac neceſſaria*, ergo eſt ante quodlibet liberum Dei decretum. Si præterea dicitur eſſe ſcientia, qua Deus ſcit, *voluntatem liberè fore conſenſuram*, ergo eſt ſcientia de futuro libero; voluntas enim liberè conſenſura, importat clariſſimè futurum conſenſum liberum, igitur vel eſt futurum abſolutum, vel conditionatum. Si primum, ergo datur aliqua creatura futura ante quodlibet liberum Dei dercetum, quod nullus catholicus aſſerere poteſt. Si ſecundum, ergo ante quodlibet liberum Dei decretum, datur ex parte obiecti creati determinata veritas futuri liberi conditionati; & ex parte Dei, conditionata illius præſcientia.

*Gõzalez dictum non cohærens aliјs eius dictis.*

Quod hactenus ſemper negauit Gonzalez, ſed nunc ex citatis eius verbis, per euidentem, ac neceſſariam conſequentiam deducitur. Solùm diſplicet, & non conſequenter dicitur, quod illa ſcientia ſit *omnino naturalis, ac neceſſaria*, quia cum eius obiectum ſit aliquid futurum liberum, eſſe, ac dici debet aliquo modo libera, & non pura ſcientia ſimplicis



ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt de puris poſſibilibus, ſed aliquo modo ſcientia viſionis, quæ eſt de futuris.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm prouidentia rebus prouiſis neceſſitatem imponat.*

### Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd diuina prouidentia neceſſitatem, &c.

### COMMENTARIVS.

1. IN hoc articulo eadem omnino difficultas tractatur, quæ ſupra, quæſt. 19. art. 8. de qua ibi, & multò copioſius quæſt. 14. artic. 13. præſertim num. 147. & 403. & dub. 22. abundè diſputatum eſt.

*Diuina prouidẽtia cauſat modũ operandi neceſſariò, & contingenter.*

Propria huius articuli ſunt; primum, duæ rationes, quibus probatur, à diuina prouidentia oriri, non ſolùm vt cauſæ ſecundæ cauſent hos vel illos effectus, ſed etiam vt illos cauſent tali modo, nempe vel neceſſariò, vel contingenter. Prima quia ad prouidentiam Dei pertinet, ordinare res in finem, ſcilicet, non ſolùm in bonitatem ſuam, quæ eſt finis primarius, ſed etiam in perfectionem vniuerſi, quæ eſt finis ſecundarius principalis. Ergo ad prouidentiam pertinet ordinare, vt quædam contingenter, quædam neceſſariò eueniant. Probat conſequentiam, quia eſſe neceſſariò, & eſſe contingenter, ſunt quidam gradus eſſendi; ergo pertinent ad perfectionem vniuerſi.

*Ex S. Thoma dari de facto omnes poſſibiles gradus eſſendi.*

*Quæ quidem,* inquit, *non eſſet, ſi non omnes gradus eſſendi inuenirentur in rebus. Vnde ad diuinam prouidentiam pertinet, omnes gradus entium producere.* Aduertendum diligenter eſt pro aliis materiis hoc principium, quòd ad Dei prouidentiam de facto ſpectat, vt ad perfectionem vniuerſi, iam de facto dentur omnes gradus eſſendi, ſiue entium. Hinc enim fit, vt cùm de aliqua re, ſpectante ad alium nouum eſſendi gradum, diſtinctum ab omnibus, quos in vniuerſo habemus, controuerſia oritur, an de abſoluta Dei potentia fieri poſſit, non ſit contemnenda çoniectura, fundata in doctrina expreſſa S.Thomæ, aſſerere, non poſſe fieri, ex eo quòd non ſit facta. Et ideo in ſuperiori tomo, quæſt. 12. art. 4. num. 9. fin. ex hoc principio probabiliter argumentatus ſum cum Ægidio, & multis aliis recentioribus, implicare creatam aliquam ſubſtantiam intrinſecè ſupernaturalem; quoniam illa, cum ad entis gradum, & ordinem ſpectet, ſi fieri poſſet, vtique facta eſſet: aliter vniuerſum eſſet imperfectum; & conſequenter, imperfecta prouidentia Dei. Secunda ratio in reſponſione ad tertium, *neceſſarium, & contingens, propriè conſequuntur ens, in quantum huiuſmodi.* Vnde modus contingentiæ, & neceſſitatis cadit ſub prouiſione Dei, qui eſt vniuerſalis prouiſor totius entis.

2.

*Ex S. Thoma hîc in fi. corp. prædeterminatio ad vnũ eſt contra cõditionẽ cauſæ liberæ.*

Secundum, vltima corporis verba, quòd Deus præparat cauſas neceſſarias, & contingentes, *ſecundùm conditionem proximarum cauſarum.* Sed ex q. 14. art. 13. circa medium corporis, naturalis conditio proximæ cauſæ contingentis eſt, vt *ſe habeat ad oppoſita, & non ſit determinata ad vnum.* Ergo contra naturalem creatæ libertatis conditionem, & contra diuinam prouidentiam à S.Thoma explicatam, manifeſtè ſentiunt, qui cauſas ſecundas liberas ad vtrumlibet, prædeterminant ad vnum, ad libitum alterius, ſiue extrinſecè per æternum Dei decretum prædeterminans prorſus antecedenter, ſiue intrinſecè per inhærentem aliquam qualitatem, ſeu motionem prædeterminantem.

# QVÆSTIO XXIII.

## *De prædeſtinatione, in octo articulos diuiſa.*

### Poſt conſiderationem diuinæ prouidentiæ, agendum eſt de prædeſtinatione, &c.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm homines prædeſtinentur à Deo.*

### Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd homines non prædeſtinentur, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Æterna hominum prædeſtinatio probatur, & definitur. num. 1. & 2.*

2 *Prædeſtinationis cauſa efficiens, & materialis. n. 3. & 4.*

3 *Angelos etiam prædeſtinari, & non alias creaturas. num. 5. & 6.*

4 *An detur prædeſtinatio ad pœnam. num. 7.*

5 *Prædeſtinationem terminari ad gloriam, & gratiam. num. 8.*

6 *In quibus Dei actibus conſiſtat prædeſtinatio. n. 9. ad 19.*

7 *An dentur plura prædeſtinationis decreta. n. 19. ad 26.*

8 *An electio ad gloriam ſit ex præuiſis meritis. n. 26. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

PRIMA concluſio affirmatiua de fide, patet ex apertiſſimis Scripturæ locis, infra citandis. Et ſupponitur à Tridentino ſeſſ. 6. c. 12. & can. 15. damnante eos, qui dicunt, *Hominem iuſtificatum teneri ex fide ad credendum, ſe certò eſſe in numero prædeſtinatorum.* 1.

*Probatur reſponſio affirmatiua.*

Trident.

Ratio eſt, quia Deus efficaciter ordinat homines in vltimum, ac ſupernaturalem finem vitæ æternæ: hoc autem eſt prædeſtinare. Nam propriè loquendo, vt docet S.Thomas hîc in fine corporis, *Deſtinare eſt mittere.* Quoniam verò creatura, naturæ ſuæ viribus ad finem vltimum ſupernaturalem peruenire non poterat, ideo oportuit, vt ab alio ad illum finem ordinaretur, & quaſi mitteretur. Etenim, vt bene probatur in medio corporis, *Ad illud, ad quod non poteſt aliquid virtute ſuæ naturæ peruenire, oportet quòd ab alio tranſmittatur, ſicut ſagitta à ſagittante mittitur ad ſignum.*

*De nomine prædeſtinationis ex S. Thoma.*

*Prædeſtinationis definitio ex S.Th.*

ſignum. Hăc autem tranſmiſſionem, non in re exercitam, ſed animo firmiter conceptam, & mente propoſitam, vt optimè diſtinguitur infra art.2.ad 2.appellamus prædeſtinationem, quæ propterea à S.Thoma hîc circa finem corporis definitur, *Ratio, in Deo præexiſtens, tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.*

2. *Prædeſtinationem eſſe æternam.* S.Thom. Ad Rom.8. Ad Epheſ.1. 1. ad Cor.2. Ad Epheſ.1. *Exponitur cũ S. Thoma dictum Origenis.*

Addita verò eſt particula, *præ*, ad ſignificandum, vt docet S.Thomas 1.d.40. quæſt.2.art.vnico poſt medium corporis, prædeſtinationem ab æterno antecedere eius effectum; qui eſt realis, & exterior, ac temporanea tranſmiſſio in gloriam mediante gratia; vt colligitur ex Paulo ad Rom.8. dicente, *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & iuſtificauit, & glorificauit.* Quæ æterna prædeſtinationis anteceſſio ſignificatur ad Epheſ.1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* & 1. ad Cor. 2. loquens Paulus de ſapientia incarnata, ait, *Quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula.* & quidem cum prædeſtinatio ſit actus liber Dei circa aliquid futurum, cuius eſt cauſa, iuxta illud ad Epheſ.1. *Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*; non potuit non eſſe æterna, ex probatis ſupra, quæſt.19.artic.7. Et propter hoc Origenes, quem refert, & exponit S.Thomas infra, art.2.ad 2. dixit, *Prædeſtinatio eius eſt, qui non eſt:* quia ſcilicet, prædeſtinatio eſt æterna, ſubiectum verò, & terminus prædeſtinationis ſunt in tempore.

3. *Prædeſtinatio eſt opus ſolius Dei.*

Ex tradita prædeſtinationis explicatione ſequitur primò, Prædeſtinationem non poſſe eſſe opus niſi ſolius Dei: quia ſolus Deus ſicut dare; ita etiam ordinare infallibiliter poteſt ad finem excedentem naturales vires omnis creaturæ rationalis, & creatæ, & creabilis.

4. *Prædeſtinatio eſt perſonarum, non naturæ.* *Corollarium Suarez cõtra Scotum.*

Secundò, Prædeſtinationem non verſari circa naturam, quatenus naturam per ſe, ac directè, ſed potius circa perſonam vt ſubſiſtentem in natura: quia prædeſtinatio, prout nunc de illa cum omnibus Theologis propriè loquimur, eſt ordinatio ad beatitudinem, quæ, vt ſuo loco probaui, in operatione conſiſtit; operatio autem propriè eſt ſuppoſiti, & perſonæ, non naturæ. Quare meritò Suarez 1.p.tract.2.lib.1. cap.4. n.8. confutat Scotum dicentem, Chriſti humanitatem, vel animam, primò, ac præcipuè fuiſſe prædeſtinatam ad excellentem beatitudinem, & ratione illius fuiſſe etiam prædeſtinatam ad vnionem hypoſtaticam: quamuis enim hoc ſecundum verum ſit, ſumpta prædeſtinatione in alio ſenſu ab eo, in quo nunc diſputamus, quia vnio hypoſtatica cum perſona verbi, conuenit humanitati, ſeu naturæ, non perſonæ hominis; tamen primum illud propriè dici non poteſt.

5. *Angelos etiã eſſe prædeſtinatos.* S.Thomas. *Miſeriã nullo modo pertinere ad eſſentiam prædeſtinationis.*

Tertiò, à Deo fuiſſe etiam prædeſtinatos Angelos, vt notat S.Thomas hîc ad tertium, quod ita certum eſt, ſicut certum eſt, dari Angelos beatos; nam hi etiam abſque prædeſtinatione, beatitudinem, eorum naturales vires excedentem, conſequi non potuiſſent. Quoniam verò Angeli prædeſtinati, creati in gratia, in eáque ſemper perſeuerantes, & glorificati, nunquam fuerunt miſeri, inde rectè colligit S.Thomas, ſtatum miſeriæ, tanquam terminum à quo, *nihil referre ad rationem prædeſtinationis.* Sed ſatis eſſe ſtatum beatitudinis, tanquam terminum ad quem, quia, inquit, *motus non accipit ſpeciem à termino à quo, ſed à termino ad quem: nihil enim refert, quantum ad rationem dealbationis, vtrum ille, qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, aut rubeus.* Nihilominus Angelorum etiam prædeſtinatio fuit opus diuinæ miſericordiæ, ſpectata nimirum pura eſſentia, non denominatione miſericordiæ, quia, inquit, *omnis collatio boni ſupra debitum eius, cui confertur, ad miſericordiam pertinet:* quamuis ipſa carentia ſupernaturalis boni, quæ cuilibet intellectuali naturæ, illius boni ſimpliciter capaci, per ſe competit, dici poſſit quædam miſeria. Et ideo quod de hominum prædeſtinatione tribui ſolet Auguſtino, eam eſſe *propoſitum miſerendi*, extendi etiam poteſt, propria aliqua ratione ad prædeſtinationem Angelorum.

*Prædeſtinatio etiã Angelorum dici poteſt cũ Auguſtino propoſitum miſerendi.*

6. *Prædeſtinatur ſolũ creatura intellectualis.*

Quartò, non poſſe prædeſtinari alias creaturas, niſi intellectuales, vt probat S.Thomas hîc ad ſecundum; quia aliæ ſunt omnino incapaces beatitudinis.

7. *Nullus diuina poteſtate prædeſtinatur ad malum.* Arauſican. Trident. *Prædeſtinatio propriè nõ eſt ad pœnã.* Auguſt.

Quintò non poſſe ſalua fide dici, *aliquos ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe*: propter expreſſas definitiones Arauſicani can. 25. & Tridentini ſeſſ.6. can.17. Quæ doctrina, de malo abſolutè tradita, accipienda eſt non ſolùm de malo culpæ, ad quod Deus nullum directè ordinare poteſt; ſed etiam de malo pœnæ: quia etſi Deus hoc efficaciter velit, tamen non vult abſolutè, ſed præſuppoſita culpa. Prædeſtinatio autem, propriè ſumpta, eſt quando Deus ex ſe, & ex propria ſua beneuolentia, & non prouocatus, & quaſi coactus ab aliis, ordinat ad bonum ſimpliciter. Quapropter Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap.10. ait, *Prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia.* quia nimirum, vt ſtatim explicat, præſcientia, non prædeſtinatio, eſt de peccatis. Vnde addit, *Prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio, gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.* & libro de bono perſeuerantiæ, cap.14. *Prædeſtinatio nihil aliud eſt, quàm præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Quam definitionem S. Thomas infra art.2.ad 3.intelligendam eſſe docet, non de præparatione paſſiua, & externa, quæ eſt in paſſo, ſeu prædeſtinato, & eſt affectus prædeſtinationis, non prædeſtinatio; ſed de actiua, & interna, quæ eſt in agente, ſiue Deo prædeſtinante, qua, inquit, *Deus ab æterno per intellectum ſe præparauit, præconcipiendo rationem ordinis aliquorum in ſalutem.* Quamquam aliquando idem Auguſtinus minus propriè aſſerit in Enchiridion cap.100. Damnatos Deus *iuſtè prædeſtinauit ad pœnam.* & lib. 21. de ciuit. cap.24. aliquanto poſt principium, *Prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo.* Quem loquendi modum vſurpant etiam Fulgentius lib.1.ad Monimum, ſæpè; imò totum librum inſcripſit, *De prædeſtinatione Dei, bonorum ad gloriam, malorum ad pœnam.* Iſidorus lib.2.de ſummo bono, cap.6. num.1. & 3. & Gregorius apud ipſum.

*Declaratur cũ S. Thoma prædeſtinationis definitio ex Auguſtino.* *Prædeſtinationẽ ad pœnam v[illegible]ur ãt Auguſtinus, Fulgentius, Iſidorus, Gregorius.*

8. *Terminum prædeſtinationis eſſe gloriam, & gratiam.* S.Thom. Actor.13. Ad Rom.9. Trident. Ad Epheſ.1. Ad Rom.8. Auguſt.

Sextò, Prædeſtinationem terminari, tum ad gloriam, tanquam ad terminum vltimum, & finem, vt docet S.Thomas hîc, & articulo ſequenti, & patet ex illo Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*; & ad Rom. 9. *vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam*; vnde Tridentinum ſeſſ.6. can.17. vocat, *prædeſtinatos ad vitam:* tum ad gratiam, tanquam ad terminum proximum, & medium, ſeu viam; vt patet ex illo ad Epheſ.1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum*; hæc enim fit per gratiam: & ex Auguſtino ſupra, definiente prædeſtinationem per gratiæ præparationem. Vtrumque terminum cum dicta ſubordinatione perſpicuè ſignificat Paulus ad Rom. 8. *quos prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* & Auguſt. ſupra, vniuerſaliter definiens prædeſtinationem, per *præparationem gratiæ, & beneficiorum Dei.* & clarius S.Thomas 1.d.40.quæſt.2. articulo vnico, circa medium corporis, *Propriè in illa dicitur prædeſtinatio, quæ homo ex naturalibus ſuis conſequi non poteſt, ſcilicet gratiam, & gloriam. Et ideo dicit Damaſcenus, quòd prædeſtinatio eſt eorum, quæ non ſunt in nobis.* Ratio eſt, quia Deus prædeſtinat ad gloriam, vt finem: ergo non ſine mediis. Item, prædeſtinat ad gratiam, vt medium: ergo non ſine fine. Quapropter dici debet prædeſtinare ad gloriam per gratiam, & ad gratiam propter gloriam. Eſt enim prædeſtinatio, quædam tranſmiſſio; quæ, vt perfecta ſit, debet reſpicere & vltimum terminum, & omnes terminos inter medios, ordinatos ad aſſequutionem termini vltimi. Et licèt prouidentia ſimpliciter, ſit de mediis tantùm, quatenus ſupponit res, ex propria natura deſtinatas ad ſuos proportionatos fines; atque adeo non indigentes niſi mediis ad conſequutionem finium, quæ media per prouidentiam Deus illis procurat: tamen prouidentia prædeſtinationis addere etiam debet tranſmiſſionem, & peculiarem ordinationem ad ipſum vitæ æternæ finem improportionatum naturæ noſtræ.



S.Thomas.

## DVBITATIO I.

### *In quibus Dei actibus conſiſtat prædeſtinatio.*

### SVMMA.

1 *Conſiſtere in tribus actibus, & quo modo. num. 9. ad 13.*
2 *Ante omnes actus requiri ſcientiam mediam. n.13. & 14.*
3 *An prædeſtinatio ſit pars prouidentiæ, & quo modo. num.15.ad 18.*
4 *Prædeſtinatio non eſt prædeterminatio voluntatis ad vnum. num.18.*

9. *Conſiſtit primariò in actu intellectus, ſecundariò in duobus actibus voluntatis.* S.Thomas. 2.Machab.6. 2.ad Cor.9.

SEcunda concluſio. Prædeſtinatio, directè, ac principaliter, ſeu formaliter importat actum intellectus diuini, iudicium ſcilicet practicum, ordinans, ac diſponens hæc, vel illa media, quibus efficaciter electi ad finem gloriæ, poſſint conuenienti modo finem illum infallibiliter conſequi; eaque proponens voluntati eligenda, & acceptanda. Indirectè autem, & ſecundariò connotat duos actus diuinæ voluntatis; alterum antecedentem efficaeis intentionis gloriæ; alterum ſubſequentem efficacis electionis mediorum, ſeu propoſiti illa dandi. Hæc concluſio non nihil probata remanet ex dictis ſupra quæſt. 22. artic.1. dub.1. in ſimili difficultate de prouidentia in generali, pro qua ibi numero decimo refero Alenſem, Durandum, Marſilium, Capreolum, pro eadem eſt S.Thomas hîc circa finem corporis, dicentis, *Ratio in mente Dei præexiſtens, tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, prædeſtinatio nominatur.* & articulo ſequente in corpore. *Prædeſtinatio, eſt quædam ratio ordinis aliquorum in ſalutem æternam, in mente diuina exiſtens.* Et ad ſecundum docet, Prædeſtinationem eſſe illam deſtinationem, ſeu miſſionem, *quam aliquis mente concipit, ſecundùm quod dicimur, deſtinare quod mente firmiter proponimus. iuxta illud 2.Machabæorum 6. Eleazarus deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.* In quo etiam ſenſu 2. ad Corinth. 9. dicitur, *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo*; & ad tertium. *Talis præparatio eſt prædeſtinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationem operis fiendi. Et ſic Deus ab æterno præparauit prædeſtinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in ſalutem.* Et articulo quarto de prouidentia, cuius pars eſt prædeſtinatio, ait, *eſt ratio in intellectu exiſtens.* & paulò poſt, *Prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam, præſupponit ſecundùm rationem, quòd Deus illorum velit ſalutem.* Idémque ex inſtituto probat de verit. q.6.art.1. & ſequuntur Riccardus 1.d.40.artic.1.q.1. Heruæus art.1. & reliqui omnes Thomiſtæ, & recentiores communiter, contra Bonauenturam, Scotum, Henricum, Gregorium, citatos q.22.art.1.num.10. Aureolum 1.d.40.quæſt.1.propoſ.1.ponentes prædeſtinationem formaliter in ſola voluntate efficaci, vel eligente media, vel intendente finem gloriæ. Quos ex recentioribus ſequuti ſunt Vazquez diſp.87. cap.3. quamuis in fine aſſerat, hanc concluſionem eſſe probabilem; & ex parte Suarez 1.part.tract.2.lib.1. cap.17. qui hanc quæſtionem ait eſſe de nomine, & omnes opiniones eſſe probabiles, ſed in fine inclinat in opinionem contrariam: ſicut etiam Leſſius de prædeſtinatione ſect.1. num.1.

Riccard. Heruæus. Aureolus. Vazquez. Suarez. Leſſius.

10. *Probatur cõcluſio ex Auguſtino.* *Exponitur locus ad Eph. 1. cum Hieronymo.*

Concluſio habere videtur non leue fundamentum in modo loquendi Scripturæ, & Auguſtini. Etenim Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap.14. non longè à principio, ait, *Prædeſtinatio nihil aliud eſt quàm præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Vbi præter præſcientiam, ponit præparationem; ſignificans, prædeſtinationem non conſiſtere in quacumque præſcientia; nam illa, qua Deus ſpeculatiuè cognoſcit media, vt poſſibilia, ad hunc finem, ſicut & alia conditionata, qua cognoſcit, futurum hunc finem ſi dentur talia media, non pertinet ad prædeſtinationem formaliter, quæ ſecundùm omnes eſt actus practicus, ſpectans efficaciter ipſam actualem conſequutionem finis: ſed conſiſtere in præſcientia practica, præparante, & ordinante media; ſeu, iudicante, hæc media cum tali, & tali ordine, ac diſpoſitione, eſſe danda huic electo ad finem gloriæ. Quod clariùs expreſſiſſe videtur de prædeſtinatione Sanctorum, cap.10. illis verbis, *Prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia.* & ſtatim definit, *Prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio.* Quibus in locis ſaltem habemus, prædeſtinationis obiectum directum, & immediatum, non eſſe finem, hoc eſt, gloriam, ſed eſſe media, hoc eſt, gratiam, & merita. Ergo à formali prædeſtinationis conceptu excluditur ſaltem voluntas finis. Præterea Paulus ad Epheſios 1. ait, *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.* Vbi prædeſtinationem ponit vt diſtinctam à propoſito, quod eſt actus voluntatis, & vt poſteriorem illo: quia verè prius fuit efficax propoſitum voluntatis dandi gloriam, quàm prædeſtinatio, ſeu præparatio gratiæ, & efficacium mediorum ad gloriam infallibiliter conſequendam. Quem locum exponens Hieronymus ita habet, *Inter prædeſtinationem, & propoſitum, hi, qui ſolent inter verba diſcutere, hoc aſſerunt intereſſe, quòd prædeſtinatio, alicuius rei, multò ante in mente eius, qui deſtinet quid futurum ſit, præfiguret. Propoſitum autem, cum iam vicina ſit machinatio, & pene cogitationem ſequatur effectus.*

11. *Probatur cõcluſio ratione S.Thomæ.*

Ratio præcipua concluſionis ſumitur ex S.Thoma quæſt.6.de verit.art.1. circa medium corporis; quia prædeſtinare, ex propria vocis ſignificatione, importat ordinare, ac dirigere, ſeu præparare,

vt loquitur Auguſtinus ſupra, & colligitur ex Actor.13. vbi prædeſtinati appellantur, *Præordinati in vitam æternam. Solius autem rationis eſt dirigere, vel ordinare,* inquit S.Thomas ſupra, quicquid in contrarium dicat Scotus quodlib.17. art.2. & 2. ſent. d.6. q.1. ad 2. Quia ordinare propriè contingere non poteſt ſine cognitione extremorum, & comparatione eorum inter ſe; vt ſcilicet, alterum eſſe debeat prius cum talibus, & talibus circumſtantiis, alterum poſterius, &c. Et quamuis voluntas ordinatè velit vnum propter aliud, cum his circumſtantiis, &c. id tamen non eſt ordinare, ſed potius ferri in res ordinatas ab alio. Quare voluntas, ſicut cùm vult obiectum ſimpliciter, præſupponit propoſitionem obiecti ſimpliciter; ita, cùm vult obiectum ordinatum, præſupponere debet propoſitionem obiecti ordinati: ergo non facit ordinationem, ſed eam ab intellectu factam præſupponit: alioquin ipſa etiam executiua potentia dici poſſet ordinare, nam ipſa etiam ordinatè exequitur vnum prius, aliud poſterius, & illud propter hoc. Hinc fit, vt ſemper à S.Thoma ſupra, Prædeſtinatio dicatur quædam prouidentia, & prudentia, cuius eſt cognoſcere media conuenientia ad finem, eáque proponere voluntati, & hoc modo eam dirigere, & mouere ad electionem mediorum propter finem, & ſic tandem ordinare res per media conuenientia ad duos fines.

*Exponitur locus Actor.13. Ordinare eſt actus intellectus, non voluntatis ex S. Thoma contra Scotum.*

12. Præterea, quòd prædeſtinatio, præter actum intellectus, includat liberum aliquem actum diuinæ voluntatis, patet ex eo quòd prædeſtinatio, abſolutè, ac ſimpliciter loquendo, eſt liberè in Deo; quod, tanquam de fide certum, bene probat Suarez 1.p.tract.2.lib.1.cap.3. concluſ.1. ex illo ad Epheſios 1. *Prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Vnde paſſim in Scriptura, & apud omnes Patres, & Scholaſticos, prædeſtinati vocantur *electi*: eligere autem eſt actus liber. Sed nullus actus in Deo eſt liber, niſi vel actus voluntatis, vel per aliquam habitudinem ad actum voluntatis: ergo prædeſtinatio in Deo inuoluit aliquo modo liberum actum voluntatis. Hunc autem eſſe, tum efficacem voluntatem finis infallibiliter conſequendi, tum voluntatem efficacem dandi media infallibilia ad talem finem, omnes fatemur. Et ideo S.Thomas infra, tanquam omnino certum aſſumit, Prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam. Et efficaciam, atque infallibilitatem clariſſimè expreſſit Auguſtinus ſupra, illis verbis, *Quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* & de correptione, & gratia, cap.9. poſt medium. *Quicumque in Dei prouidentiſſima diſpoſitione prædeſtinati ſunt, omnino perire non poſſunt.* In eadem efficacia fundatur differentia tradita à S.Thoma q.6. de verit.art.1. ante medium corporis, inter prouidentiam, & prædeſtinationem, quòd nimirum, *prouidentia ordinem in finem reſpicit tantùm; vnde per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur. Sed prædeſtinatio reſpicit etiam exitum, vel euentum ordinis; vnde non eſt niſi eorum, qui gloriam conſequuntur.* Sicut igitur voluntas, qua Deus vult in re, ipſum ordinem in finem, non poteſt eſſe niſi efficax, & infallibilis reſpectu huius ordinis; ita voluntas, qua Deus vult in re ipſum euentum, non poteſt eſſe niſi efficax, & infallibilis reſpectu euentus. Itaque prædeſtinatio, non eſt quælibet ordinatio, ac præparatio mediorum ad finem, ſed mediorum infallibiliter connexorum cum actuali conſequutione talis finis, nempe gloriæ. Practicum autem huius ordinationis iudicium efficacium mediorum, neceſſariò oritur ab efficaci voluntate finis. Is enim, qui efficaciter, & infallibiliter vult euentum finis, ſi rationabiliter vult, debet neceſſariò adhibere proportionata media ad illum finem tali modo conſequendum; quæ media non poſſunt eſſe alia, niſi efficacia, & infallibilia. Idem quoque iudicium eſt neceſſarium ad aliam efficacem voluntatem, & electionem mediorum: habet enim ex efficaci voluntate finis, vt efficaciter moueat voluntatem ad acceptanda, & danda media infallibilia ad talem finem: quia poſito quod diuina voluntas liberè, & infallibiliter præintenderit talem finem, non poteſt non eligere media infallibilia, ſine quibus non poteſt haberi infallibiliter talis finis. Ex his tribus actibus ad completam prouidentiæ rationem requiſitis, hoc eſt, voluntate finis, iudicio de mediis, voluntate mediorum, principalior, non in ratione prædeſtinationis, ſed in ratione beneficij, & gratiæ, procul dubio eſt primus; ex illo enim oriuntur, & neceſſitatem habent ſecundus, & tertius; & ille eſt primò, & per ſe liber, ortum habens ex puriſſima Dei miſericordia, ac liberalitate: & ideo frequenter Scripturæ, Patres, & Scholaſtici, prædeſtinationem vſurpant pro huiuſmodi voluntatis actu, eam vocantes propoſitum, decretum, electionem, voluntatem. Vnde Paulus ad Rom.9. latius explicans myſterium prædeſtinationis, maximè commendat Dei libertatem, ac miſericordiam, quæ ad primum actum, per ſe, & præcipuè ſpectant. Hanc enim ob cauſam concludit, *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et iterum paulò poſt, *Ergo cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat.* Et deinde pro libertate Dei, addit, *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et rurſus prædeſtinatos vocat, *vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.*

*Prædeſtinatio includit aliquē liberum actum diuinæ voluntatis.*

*Exponitur cū Suarez locus ad Epheſ.1.*

*Efficacia prædeſtinationis ex Auguſtino.*

*Differentia prædeſtinationis, & prouidentiæ ex S.Thoma.*

*Quo modo ſe habeant in prædeſtinatione voluntas finis, iudicium de medys, & voluntas mediorum.*

*Exponitur locus ad Rom.9.*

13. Tertia concluſio. Præter tres actus iam explicatos, ex quibus completè, atque integrè habetur intrinſecus prædeſtinationis conceptus, ad ipſam totam prædeſtinationem neceſſariò prærequiritur alius antecedens actus præſcientiæ conditionatæ, qua infallibiliter præcognoſcatur finis, ſiue euentus liberè futurus, ſi darentur hæc, vel illa media. Hanc concluſionem & authoritatibus, & rationibus, latiſſimè probaui ſupra, q.14. art.13. præſertim dub.17. ex quibus ita colligo, & breuiter arguo. Primus actus, ad prædeſtinationem intrinſecè ſpectans, eſt antecedens, efficax, & abſoluta voluntas finis, quoad ipſum euentum liberè, & infallibiliter conſequendum, vt modò probatum eſt, ſed ad hunc actum neceſſariò prærequiritur prædicta præſcientia conditionata, per quam ſaluatur libertas, & habetur infallibilitas mediorum; vt demonſtratum eſt cit.art.13. Ergo huiuſmodi præſcientia eſt neceſſaria ante totam prædeſtinationem. Certè S.Thomas 1.d.40. quæſt.1. art.2. in fine corporis, & ad ſecundum, ante propoſitum ſaluandi, vult præſupponi præſcientiam de actuali ſaluatione; quæ, ante propoſitum, non poteſt intelligi vt abſolutè futura, quia ſaluatio hoc habet à propoſito; ſed debet omnino intelligi, vt futura ſub conditione. ergo per præſcientiam ante propoſitum, quam ad prædeſtinationem aliqua ratione ſpectare docet S.Thomas, non poteſt aliam ſcientiam ſignificare, niſi conditionatam.

*Tertia concluſio. Primus actus ad prædeſtinationē neceſſarius, eſt ſcientia media.*

*Confirmatur primò ex S.Thoma.*

14. Idem præterea confirmari nunc poteſt in propria materia ex celeberrimo illo Pauli loco de prædeſti-



natione ad Rom.8. *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui.* nimirum, proximè per gratiam; remotè, & vltimatè per gloriam. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit,* &c. Vbi Paulus non eſt intelligendus de præſcientia abſoluta futurorum meritorum, quæ eſt poſt prædeſtinationem, & quaſi effectus prædeſtinationis: ſicut enim merita ipſa abſolutè futura, ſunt effectus prædeſtinationis, &, tanquam obiectum, præſupponuntur ad abſolutam præſcientiam viſionis meritorum, abſolutè futurorum; ita multò magis prædeſtinatio præſupponi debet ad prædictam præſcientiam. Neque poſſumus rationabiliter aſſerere, Paulum pro eodem accipere præſcientiam, & prædeſtinationem: tum quia prima propoſitio cauſalis, ſeu reddens cauſam, vt patet ex particula, *nam*, nullum redderet integrum ſenſum, vt manifeſtum eſt conſideranti verba illius primæ propoſitionis: tum quia in ſequentibus procedit Paulus gradatim, inferendo vnum ex alio; & gradatio incipit ab illis verbis, *Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit*: tum quia Auguſtinus, cuius verba refero ſupra, quæſt.14. artic.13. num.426. clariſſimè interpretatur de præſcientia, & prædeſtinatione, vt de actibus diſtinctis; & de præſcientia antecedente prædeſtinationem; quod ipſemet Aluarez ibidem citatus n.313. negare non potuit. tum quia Hugo Victorinus in epiſtolam ad Rom.9.214. exponens hunc locum, *Præſcientia,* inquit, *cauſa eſt prædeſtinationis, quam naturaliter, non tempore præcurrit.* Eſt igitur Paulus intelligendus de præſcientia conditionata meritorum conditionaliter futurorum, vt probo etiam ſupra quæſt.14. artic.13. num.342. Præſcire enim propriè dicitur de futuris, non abſolutis, vt probatum eſt, ergo conditionatis: cùm præter hæc duo, nullum aliud futurorum genus hactenus excogitatum ſit. Itaque verborum Pauli ſenſus eſt, Quos præſciuit conſenſuros, & merituros, & gloriam adepturos, ſi haberent talia gratiæ auxilia, hos efficaciter elegit ad gloriam, & ita direxit, atque ordinauit, vt illa auxilia haberent. Similis locus videtur ad Rom.11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* hoc eſt, quos præſciuit, eos non repulit, ſed prædeſtinauit, & efficaciter ordinauit in vitam æternam. *Nam*, vt ex contextu interpretatur Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap.18. initio, *hoc, quod ait, præſciuit, non rectè intelligitur, niſi, prædeſtinauit.*

*Secundò ex verbis ad Rom.8.*

Hugo de S. Victore.

*Exponitur locus ad Rom. 11. cum Auguſtino.*

15. Quarta concluſio. Prædeſtinatio eſt *quædam pars prouidentiæ, quantum ad obiecta*, non quantum ad ipſum diuinæ prouidentiæ actum intrinſecum, & immanentem. Ita S.Thomas hîc in fine corporis, & quæſt.6. de verit.artic.1. circa principium corporis, Caietan. hîc, §. *Aduerte.* Prædeſtinationem eſſe ſimpliciter, & eſſentialiter prouidentiam, patet ex dictis de prouidentia, & prædeſtinatione. Eſt enim prouidentia, actus, quo Deus res per media proportionata in finem dirigit, ſed prædeſtinatio eſt actus, quo Deus creaturas intellectuales per ſupernaturalia gratiæ media dirigit in finem ſupernaturalem vitæ æternæ: ergo prædeſtinatio eſt prouidentia, vnde ab Auguſtino verbis citatis ſupra num.12. vocatur, *prouidentiſſima diſpoſitio.* Quòd autem ſit prouidentia, non totaliter, ſed partialiter quantum ad obiecta, patet, quia prouidentia reſpicit omnes res, omnia media, omnes fines; item ordinat ad finem ſimpliciter, ſiue illum aſſequatur, ſiue non. At prædeſtinatio reſpicit tales res, nimirum capaces beatitudinis; talia media, nimirum ſupernaturalia, & efficacia diuinæ gratiæ; talem finem, nimirum vitam æternam; item ordinat efficaciter ad euentum finis, & ad actualem ipſam finis conſequutionem; vt ex inſtituto explicat S.Thomas citato loco de veritate, & fuſius 1.d.40. quæſt.1. art.2. vbi cùm docet, quòd prædeſtinatio *addit* prouidentiæ, eſt intelligendus de additione, non quoad entitatem, ſic enim demit potius, quàm addat, quia quædam obiecta includit, & reliqua omnia prouidentiæ obiecta excludit; ſed quoad explicationem, & determinationem; quo modo dicitur, ſubſtantia, v. g. addere enti, in quantum enti.

*Quarta concluſio. Prædeſtinatio eſt prouidentia.*

S.Thomas.

Caietanus.

Auguſtinus.

*Prædeſtinatio, eſt pars prouidentiæ, quantum ad obiecta.*

*In quo ſenſu dicat S.Thomas, Prædeſtinatio addit prouidentiæ.*

16. Demum, quòd prædeſtinatio non ſit pars prouidentiæ, *ex parte actus*, vt loquitur Caietanus ſupra, ſi intelligatur de diuina prouidentia, prout eſt in ſeipſa, eſt omnino certum, *quoniam*, inquit Caietanus, *actus diuinus nec partis, nec totius rationem in ſe habet.* Si verò intelligatur de diuina prouidentia prout à nobis ratione ratiocinata cum fundamento in re concipi debet, idem probo ex dictis in ſuperiori tomo quæſt.4. artic.2. num.58. de modo concipiendi diuina attributa: neque enim concipi debent cum aliqua imperfectione repugnante ipſi diuinæ perfectioni, quia tunc non conciperentur cum fundamento in re, ſed contra fundamentum in re. Si autem conciperemus vnam prouidentiam circa vnum obiectum, & aliam prouidentiam circa aliud obiectum, conciperemus prouidentiam in ſe ipſa quoad actum intrinſecè finitam, ſeu limitatam; quia vna prouidentia A, vt diſtinctè concepta ab alia prouidentia B, in quantum ſubſtat menti ſic concipienti, non eſſet prouidentia B. ergo tam A, quàm B, ſunt prouidentiæ limitatæ in intrinſeca ratione prouidentiæ; ergo non ſunt prouidentiæ diuinæ: ſicut ſi quis in Deo mente diſtingueret, alium actum viſionis diuinæ terminatum ad Angelum, & alium terminatum ad hominem, profectò conciperet contra fundamentum in re ipſa habitum, & non conciperet ſcientiam diuinæ viſionis. Et idem dici poteſt de potentia diuina concepta in ordine ad vnam tantùm rem, & alia potentia concepta in ordine ad aliam tantùm rem; quarum potentiarum nulla eſſet diuina, quia nulla eſſet omnipotentia; & idem de aliis ſimilibus. Igitur cum fundamento in re non concipit, qui concipit in Deo duas prouidentiæ ſpecies, alteram ſupernaturalem, quæ ſit prædeſtinatio; alteram naturalem, quæ ſit prouidentia communis: ſed ipſa tota, ac ſimpliciſſima, & omnino in ſe indiuiſibilis prouidentia, concipi poteſt inadæquatè in ordine ad talia obiecta, præſcindendo ab aliis; & inadæquatè in ordine ad alia obiecta, præſcindendo ab his: ſic enim ſemper concipimus ipſammet prouidentiam diuinam, & prorſus illimitatam in ſe, quia illam in ſe mentaliter non diuidimus, ſed tota inadæquatio, ac diuiſio eſt ex parte obiectorum, quæ verè in ſe ſunt inadæquata, & diuiſa, ſeu partialia prouidentiæ obiecta; & habebimus plures partes prouidentiæ, non ſubiectiuæ, neque integrales ex parte actus, ſed ſolùm ex parte obiectorum.

*Prædeſtinatio non eſt pars prouidētiæ ex parte actus.*

*Quo modo cōcipienda ſit diuina prouidentia.*

17. Quinta concluſio. Omnis prædeſtinatio eſt prouidentia ſupernaturalis: non autem omnis prouidentia ſupernaturalis, eſt prædeſtinatio. Ita omnes in re ipſa. Primum patet ex dictis. Probatum enim eſt, prædeſtinationem eſſe eſſentialiter prouidentiam: item eſſe prouidentiam circa ſupernaturalia, hoc eſt, gratiam, & gloriam; ergo eſt ſupernaturalis. Secundum eſt etiam certum, ſicut certum eſt, quòd, vt ait S.Thomas citato loco de

*Quinta concluſio. Prouidentia ſupernaturalis latius patet prædeſtinatione.*

S.Thomas.

de veritate. *Per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur*, nimirum per ſupernaturalia media,& auxilia gratiæ ſufficientis,quæ procul dubio eſt prouidentia ſupernaturalis,& tamen non eſt prædeſtinatio; quia per hanc prouidentiam, communem in ſupernaturali genere gratiæ, non omnes ſaluantur: *multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*, Matth.20.

Matth.20.

18. Sexta concluſio. Prædeſtinatio non eſt prædeterminatio liberæ voluntatis ad vnam partem; licèt ſit efficax, & abſoluta prædefinitio alicuius determinati effectus, abſolutè, & infallibiliter futuri à voluntate perfectè libera in actu primo, quæ eſt potentia, completa quidem ad plura oppoſita,tamen ad nullum determinata,ſed ad quodlibet indeterminata, & indifferens ad vtrumlibet. Secunda pars de prædefinitione ab omnibus admittitur. Tertia pars de libertate, eſt contra aliquos modernos, qui cùm cauſarum liberarum antecedentes, & infallibiles præderminationes, antea prorſus inauditas, in Theologiam inuexerint, germanum libertatis conceptum, prioribus ſæculis receptiſſimum, omnino perturbare videntur, vt ſupra,quæſt.14.artic.13.latiſſimè demonſtrauimus. Prima pars de prædeterminatione habetur expreſsè hîc ad primum, & ſufficienter declarata eſt loco citato, præſertim num.332. ſed quoniam ad prædeſtinationem ſpecialiter pertinet, de qua nunc agimus, & tangit controuerſiam, noſtra ætate omnium celeberrimam, eam iterum breuiter adnotare libuit. Exponens igitur S. Thomas Damaſcenum dicentem, *Deum non prædeterminare ea, quæ in noſtra poteſtate ſunt*, quia, inquit, *neque cogit, neque vim affert*; perſpicuè docet, prædeterminationem importare *impoſitionem neceſſitatis*: & idcirco, inquit, *prædeſtinatio non excluditur*. Si à ſupernaturali, & efficaci prouidentia, qua Deus creaturas intellectuales, ac liberas, infallibiliter ducit in vitam æternam, excluditur prædeterminatio, non prædeſtinatio; immeritò ſanè, & expreſsè contra ſanctiſſimos Doctores, Damaſcenum, & Thomam, in ipſo intrinſeco prædeſtinationis conceptu introductus eſt conceptus prædeterminationis: & tam vocibus, quàm rerum conceptibus abutuntur, dum actum Dei, omnino antecedenter prædeterminantem ad vnum cauſas ſecundas, liberas ad vtrumlibet,cum creata libertate ſtare poſſe exiſtimant.

*Sexta cõcluſio. Prædeſtinatio non eſt prædeterminatio voluntatis ad vnũ.*

*Probatur ex Damaſceno cum S. Thoma hîc ad primum.*

## DVBITATIO II.

### *An in voluntate Dei prædeſtinantis diſtingui ratione poſsint plura decreta.*

#### SVMMA.

1 *Diſtingui debent decretum gloriæ,& decretum gratiæ. num.19.& 20.*

2 *Inter hæc decreta concipi debet ſcientia viſionis. num.21.*

3 *Ante eadem decreta concipiendum eſt aliud decretum creationis. num.22.ad 25.*

4 *Non eſt impoſſibile vnum decretum creationis, & prædeſtinationis. num.25.*

19. SEptima concluſio. Totum prædeſtinationis negotium explicari non debet per vnicum ſimpliciſſimum decretum, quo Deus velit efficaciter dare gratiam, & gloriam; ſeu gratiam ad gloriam conſequendam, vel gloriam conſequendam per gratiam; ita vt, ne ſecundùm rationem quidem diſtingui poſſint in Deo duo voluntatis actus, alter circa gloriam, alter circa gratiam. Ita ferè omnes, tám qui decretum electionis ad gloriam ponunt ante decretum, ac præuiſionem gratiæ, & meritorum, quàm qui ponunt poſt. Solùm in contrarium ſunt aliqui recentiores,quos refert, & multis impugnat Suarez 1.p.tract.2.lib.1.cap.8. à num.3.ad 14.

*Septima concluſio affirmatiua.*

Suarez.

Ratio eſt, quia ad hæc diſtinguenda, ſicut ad reliqua omnia, quæ in Deo ratione diſtinguimus, habemus in rebus, & in obiectis ſufficientiſſimum fundamentum. Etenim gloria, & gratia, ſiue auxilia efficacia, quibus gloriam infallibiliter conſequimur, habent rationem finis, & mediorum. Media autem in ordine intentionis pendent quidem à fine intento, ſed finis non pendet à talibus mediis electis. Quamuis enim voluntas finis vt ſic, eadem ſit vel formalis, vel ſaltem virtualis voluntas mediorum; tamen quando ad eumdem finem conducere poſſunt vel hæc media, vel illa alia, tunc certiſſimum eſt, voluntatem finis non pendere à voluntate horum mediorum; voluntatem verò horum mediorum pendere à voluntate finis; ſicut in caſu noſtro, ita Deus perducit infallibiliter hunc hominem ad gloriam per hæc auxilia, vt potuiſſet perducere per alia, & alia in infinitum. Hæc autem independentia, & non neceſſaria connexio inter hanc gloriam, & hanc gratiam, eſt optimum fundamentum, vt rationabiliter concipere poſſimus in Deo voluntatem huius gloriæ ſine voluntate huius gratiæ, ſeu potius, eamdem Dei ſimpliciſſimam, atque indiuiſibilem voluntatem terminatam ad hanc gloriam, non ad hanc gratiam, & conſequenter, intentionem finis priorem electione mediorum.

*Ratio concluſionis.*

*Quando voluntas finis concipi poſſit ſine voluntate mediorum.*

Adde, finem eſſe in ſe, & propter ſeipſum abſolutè appetibilem, & non propter media; media verò eſſe appetibilia propter finem: ideo enim amatur medium, quia amatur finis; non autem contra, ideo amatur finis quia amatur medium, ergo quamuis quoad executionem non poſſit haberi finis ſine mediis, tamen quoad intentionem, & amorem, poteſt voluntas ferri circa bonitatem finis, & non circa bonitatem medij. In quo amore includitur amor,& electio mediorum, non formaliter, & explicitè, ſed virtualiter, & implicitè, & veluti in radice, quatenus ipſa bonitas finis, eſt cauſa, ſeu ratio vt amentur media, iuuantia ad conſequutionem finis. Tanta igitur diſtinctio in obiectis, hoc eſt, in fine, & mediis, ſiue in gloria, & gratia, ſatis, ſupérque eſt, vt, etiam ſi concipiamus in Deo præcedere ſcientiam finis, & omnium mediorum, poſſimus nihilominus concipere, eius voluntatem prius terminari ad finem gloriæ, quàm ad hæc media gratiæ. Poſita namque tali præſcientia, adhuc ſaluatur prædicta ratio diſtinctionis; nempe, vt amor finis, ſit ratio amandi media, non contra. Quemadmodum quia ratio cur Deus vult, eſt quia intelligit, non contra, ideo in Deo ratione diſtinguimus intellectum & voluntatem, & concipimus priorem intellectum, poſteriorem voluntatem. Et vniuerſaliter ratione ratiocinata diſtinguere meritò poſſumus vnum attributum ab alio, quando vnum eſt ratio alterius, vt actus purus eſt ratio immutabilitatis, & immutabilitas eſt ratio æternitatis, &c. Semper enim ac ſunt in Deo formaliter duæ perfectiones, habentes talem formalem rationem, ſecundùm quam, ſi eſſent diſtinctæ in re, vna cauſaret aliam, non contra, illa cum

20.

*Amor finis eſt prior amore mediorum.*

*Regula generalis diſtinguendi diuinam perfectionem.*





fundamento in re debet à nobis prius, hæc poſterius concipi. Vnde hæc per illam à priori demonſtratur, quo modo S. Thomas ſupra, quæſt.19. artic.1. demonſtrat Deum velle ex eo quòd intelligit. Quapropter per illum primum actum, quo concipimus, diuinam voluntatem ferri in gloriam, fertur etiam in gratiam, & merita, non formaliter, ſed virtualiter; quia gloria ex natura ſua non eſt comparabilis niſi per gratiam. Vnde ſequitur, illum primum actum, conceptum præcisè vt terminatum ad gloriam, non eſſe conditionatum, hoc eſt, non eſſe voluntatem dandi gloriam, ſi ponantur merita; quia radicaliter includit etiam abſolutam voluntatem mediorum, & meritorum, ſeu conditionum, ſine quibus dari iure non poteſt gloria, nec Deus vult illam dare.

*Decretũ gloriæ abſolutũ terminatur ad gratiam non formaliter, ſed virtualiter.*

21. Ex hac concluſione de duplici prædeſtinationis libero decreto, altero intentionis finis gloriæ, altero electionis mediorum gratiæ, habemus, eſſe in Deo concipiendum, & ratione ratiocinata diſtinguendum intermedium quemdam actum ſcientiæ, qua abſolutè videat præſentem ſuam intentionem dandi gloriam,antequam concipiamus eſſe in Deo electionem mediorum.Nam liberum intentionis decretum prius ratione eſt præſens in ſe, quàm abſolutè videatur à Deo vt præſens in ſe. Nam hæc ſcientia viſionis comparatur ad illud decretum, tanquam actus intellectus ad obiectum intelligibile; quod eſt prius intellectione, ſaltem ſecundùm rationem: ergo ſcientia abſoluta viſionis decreti de gloria, eſt ratione poſterius illo; eſſe verò debet prius ratione alio decreto electionis mediorum gratiæ; quia voluntas non tendit in medium, vt formaliter medium, niſi quia vult finem: ergo tendit in medium propter finem, non quomodocumque, ſed præuolitum: ergo debet illi antecedenter repræſentari bonitas finis, non ſimpliciter, ſed voliti. ergo prædicta ſcientia eſt ſecundùm rationem noſtram intermedia inter intentionem finis, & electionem mediorum, illam conſequens, hanc antecedens.

*Scientia decreti gloriæ eſt in Deo prius decretò gratiæ.*

Demum hanc concluſionem ſuadent omnia, quæ ſequenti dubitatione afferemus ad probandum, decretum efficax dandi gloriam fuiſſe in Deo prius ratione decreto dandi infallibilia media ad gloriam infallibiliter obtinendam, & conſequenter, prius præuiſione meritorum noſtrorum.

22. Octaua concluſio. Ante prædicta duo prædeſtinationis decreta, & de fine gloriæ, & de mediis gratiæ, diſtinguendum ratione eſt in diuina voluntate aliud decretum efficax, & abſolutum de creatione prædeſtinatorum; imò etiam in diuino intellectu actus ſcientiæ viſionis, qua præcognoſcat Deus,eos,qui prædeſtinantur eſſe abſolutè futuros. Hoc ſatis expreſſiſſe videtur S.Thomas 3.part. quæſt.1.artic.3. ad 4. illis verbis, *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum*: vt ibi notat Caietanus. Præterea 1.d.41. quæſt.1. art.2. ad 3. ait, *Eſt quædam vocatio ad eſſe per creationem, cui non reſpondet æterna electio*. Idem ſignificat Alenſis 1.part.quæſt.28.membro 2. artic.1. in fine corporis, illis verbis, *Prædeſtinatio dicitur reſpectu rei entis in præſciẽtia, non reſpectu rei exiſtentis in ſua natura propria*. Sequuntur Vazquez ſupra,diſp.82. cap.5.Arrubal hîc,diſp.71.cap.2.& alij valde communiter cum S. Thoma dicentes, Chriſtum, in quo omnes prædeſtinati ſumus, fuiſſe prædeſtinatum poſt præuiſionem abſolutam peccati primorum parentum. Contra Suarez 1.p. tract.2.lib.1. cap.6. num.12. & alios, procedentes ex contraria opinione de prædeſtinatione Chriſti ante omnem aliam creaturam.

*Octaua concluſio. Ante decreta prædeſtinationis fuit decretũ creationis, & ſcientia futurorum.*

S.Thomas.

Caietanus.

Alenſis.

Vazquez.

Arrubal.

Suarez.

23. Colligitur concluſio ex Auguſtino verbis citatis ſupra num.7. dicente, *Gratia eſt ipſius prædeſtinationis effectus*. Hæc autem gratia non eſt illa, inquit in epiſtola 105. longè à principio, *qua creati ſumus vt homines eſſemus, quam non commendat Apoſtolus, ſed qua iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus. Iſta eſt enim gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Et clariùs de bono perſeuerantiæ, cap.14. *Prædeſtinatio nihil aliud eſt, quàm præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*. Si effectus prædeſtinationis non eſt gratia creationis, ergo voluntas prædeſtinationis, non eſt voluntas creationis, ergo hanc debet præſupponere, & abſolutam viſionem illius: quia omnis voluntas intendens efficaciter aliquod bonum adiacens alicui ſubiecto, ſi ipſa non eſt voluntas illius ſubiecti, debet illam præſupponere, & effectum illius præuiſum; alioquin efficax illa intentio eſſet irrationabilis, & imprudens: ſicut enim ad hoc vt realiter ſit in rebus bonum alteri concupitum, omnino requiritur vt ſit ſubiectum, cui bonum illud eſt concupitum; ita pariter, ad hoc vt per efficacem, & abſolutam voluntatem rationabiliter intendatur bonum realiter adiacens alteri, omnino etiam requiritur, vt vel ſimul intendatur eodem actu exiſtentia alterius, vel ſaltem per aliam priorem efficacem voluntatem præſupponatur, & præuideatur intenta. Igitur cum prædeſtinatio per Auguſtinum ſit voluntas efficax gratiæ Chriſti, non gratiæ creationis; gratia autem Chriſti non poſſit eſſe realiter, neque realiter intendi abſque exiſtentia ſubiecti, cui amatur, & inhæret, fit neceſſariò vt prædeſtinatio præſupponere debeat ante ſe aliam efficacem voluntatem creationis ſubiectorum prædeſtinatorum, & præſcientiam abſolutam exiſtentiæ eorum. Hæc enim eſt voluntas, & præſcientia quædam, communis prædeſtinatis, & reprobis; quæ propterea præſupponenda eſt à particulari voluntate prædeſtinationis, reſpiciente, ac perficiente quaſdam creaturas, non omnes. Item creatio numerari non poteſt inter *beneficia Dei quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*; cùm beneficium creationis habuerint omnes reprobi, etiam illi, qui ſemper fuerunt in ſeruitute peccati originalis, & actualis, & ſemper erunt in damnatione perpetua ſub poteſtate, & ſeruitute diaboli. Sed per Auguſtinum, prædeſtinatio præter ſcientiam, & voluntatem horum beneficiorum, *nihil aliud eſt*; ergo non includit voluntatem creationis, ergo præſupponit, vt probatum eſt. Eodem modo argumentari licet ex Proſpero in reſponſionibus ad excerpta Genuenſium, dubio octauo, vbi eadem Auguſtini verba habet, ac defendit. Imò ex ipſomet Paulo ad Rom.8. vbi numerans diſtinctè omnes effectus prædeſtinationis, non aſſignat alios niſi, *vocauit, iuſtificauit, glorificauit*. Creatio verò neque ad vocationem, neque ad iuſtificationem, neque ad glorificationem pertinet, ſed ante hæc omnia neceſſariò præſupponitur in re, ergo in intentione, ergo in præſcientia abſoluta. Quæ Pauli verba magis explicans Auguſtinus cum multis aliis Epiſcopis Prouinciæ Carthaginenſis, atque Numidiæ, epiſtola 95. ad Papam Innocentium, ante medium ait, *Et ſi quædam non*

*Probatur ex Auguſtino.*

*Probatur ex Proſpero.*

*Exponitur cũ Auguſtino locus Rom.8.*

*improbanda ratione dicatur gratia Dei, qua creati ſumus, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt: alia eſt tamen, qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur.*

*Probatur cõcluſio à poſteriori ex opinione de decreto incarnationis poſt præſcientiam peccati.* S.Thomas.

24. Ratio concluſionis à poſteriori eſt ita certa, ſicut certum eſt, quod cum S.Thoma, & multò maiori, ac meliori parte Theologorum probauimus 3.p. quæſt.1. artic. 3. Decretum Incarnationis Verbi factum poſt abſolutam præſcientiam primi peccati Adæ; ac proinde poſt decretum, & præuiſionem creationis generis humani, abſolutè futuri. Etenim, vt prudentiſſimè ratiocinatur ibi S.Thomas, *cum in ſacra Scriptura vbique incarnationis ratio ex peccato primi hominis aſſignetur, conuenientius dicitur, Incarnationis opus ordinatum eſſe à Deo in remedium contra peccatum, ita quòd peccato non exiſtente, incarnatio non fuiſſet.* Hac veritate ſuppoſita, ita arguo. Decretum prædeſtinationis Chriſti fuit poſt decretum creationis hominum, & poſt præſcientiam viſionis hominum abſolutè futurorum, imò etiam poſt præſcientiam humani peccati abſolutè futuri, ſed decretum prædeſtinationis Chriſti ordine cauſalitatis fuit prius decreto prædeſtinationis hominum; ergo decretum prædeſtinationis hominum fuit multò magis poſt decretum, & præſcientiam creationis hominum.

*Decretũ prædeſtinationis Chriſti prius decreto prædeſtinationis hominum.*
*Exponitur locus ad Rom. 8.*
& ad Eph. 1.

Conſequentia eſt euidens, maior ſupponitur, minor eſt omnino certa propter expreſſa verba Pauli ad Rom. 8. *Prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Si Chriſtus eſt primogenitus omnium prædeſtinatorum, ad cuius conformitatem, atque exemplar prædeſtinauit Deus reliquos omnes homines, qui prædeſtinati ſunt; ergo prædeſtinatio Chriſti fuit prior cauſa prædeſtinationis noſtræ. Præter hanc prioritatem exemplaris cauſæ, aliam prioritatem cauſæ meritoriæ exprimit idem Paulus ad Epheſios primo, illis verbis, *Elegit nos in ipſo*, hoc eſt, Chriſto, *ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo.*

*Ratio confirmatur ex Auguſtino.*

Confirmatur ex verbis Auguſtini de bono perſeuerantiæ, cap. 14. aliquanto poſt principium, vbi de reprobis loquens, ait, *A perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti; ſed in maſſa perditionis, iuſto diuino iudicio relinquuntur.* Si per diuinam prædeſtinationem homines ſeparantur à maſſa perditionis, in qua omnes homines continentur, in quantum omnes in Adamo peccauerunt; ergo huiuſmodi maſſa ad prædeſtinationem præſupponitur; ergo ante decretum prædeſtinationis Deus præſciuit abſolutè futuram exiſtentiam, ac perditionem generis humani.

*Reijcitur alia Caietani ratio à priori.*
*Poſſe eſſe vnũ decretũ creationis, & gratiæ prædeſtinationis.*
Suarez.
Arrubal.
Vazquez.

25. A priori etiam idem multi probare contendunt, authore Caietano 3. part. quæſt.1. artic. 3. ex impoſſibilitate vnius decreti tendentis in creationem naturæ propter exaltationem ipſius ad gratiam, & gloriam. Quoniam, inquiunt, natura eſſentialiter præſupponitur ad gratiam, & gloriam; ergo decretum creationis naturæ & præſcientia abſoluta naturæ futuræ in eſſe reali naturæ, debet etiam neceſſariò præſupponi ad decretum prædeſtinationis de efficaci naturæ exaltatione ad gratiam, & gloriam. Verùm hic diſcurſus non videtur neceſſarius, vt bene docuit Suarez 1. part. tract.2. lib.1. cap.6. num.12. & ſequitur Arrubal hîc diſput. 71. num. 7. & verè ſentit Vazquez diſp.82. cap.5. quamuis initio contradicere videatur. Illa enim eſſentialis prioritas, ſeu præſuppoſitio, quam in re ipſa habet natura reſpectu gratiæ, probat quidem, Deum per aliquod decretum non terminatum ad creationem naturæ, non poſſe intendere efficaciter gratiam, & gloriam naturæ, niſi præſuppoſito alio decreto, & abſoluta præſcientia de naturæ exiſtentia realiter futura, aliter illa intentio eſſet fatua, vt patet; probat quoque in ipſa reali exequutione, exiſtentiam naturæ, tanquam cauſæ ſubiectiuæ, ac materialis, præcedere exiſtentiam gratiæ, & gloriæ, tanquam formæ aduenientis, atque adiacentis naturæ: tamen non probat, Deum in ſua intrinſeca intentione, vno, eodémque decreti actu, non poſſe ferri ſimul in naturam, & gratiam, per modum vnius, intendendo creationem naturæ per ſolam habitudinem ad gratiam, tanquam ad finem; ita vt intendat creationem naturæ non propter ipſam naturam ſecundùm ſe, neque propter aliquod aliud motiuum, ſed ſolùm ad finem exaltandi illam per gratiam.

*Forma præſupponi poteſt ſubiecto in intẽtione, non in exequutione.*

Quamuis enim in genere cauſæ materialis, & in ordine exequutionis, ſubiectum præſupponatur formæ; tamen in alio genere cauſæ finalis, & in alio ordine intentionis, forma præſupponi poteſt ſubiecto, v.g. quamuis oculus in re præſupponatur ad viſionem, tamen in anima intendimus oculum propter viſionem, non viſionem propter oculum. Ita igitur intra ſe intendere potuit Deus creationem humanæ naturæ propter gratiam, & gloriam: & tunc hoc prædeſtinationis decretum, quia idem eſſet ſimul creationis decretum, eſſet ante, & non poſt abſolutam præuiſionem futuræ creationis, & exiſtentiæ naturæ. Ergo quòd de facto decretum prædeſtinationis naturæ humanæ fuerit poſt decretum, & præſcientiam viſionis de naturæ humanæ creatione, atque exiſtentia realiter futura, haberi aliunde non poteſt, quàm ex ſacra Scriptura per ea, quæ nobis reuelauit de prædeſtinatione, atque incarnatione Chriſti Domini, facta *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*, poſt præuiſam totius generis humani ruinam, quod in Adamo peccauerat, & ceciderat, & propriis viribus aſſurgere nulla ratione poterat.

## DVBITATIO III.

### *An efficax, & abſoluta electio hominum ad gloriam fuerit in Deo ante, vel poſt præuiſionem meritorum.*

SVMMA.

1 *Declaratio terminorum, & concluſio. num.26.*
2 *Quid ſentiant Scholaſtici, præſertim S. Thomas. num.26. ad 31.*
3 *Impugnatur opinio Nominalium, & Catherini. num.31. & 32.*
4 *Concluſionem eſſe Auguſtini probatur à num. 33. ad 47.*
5 *Eſſe aliorum Patrum probatur à num.47. ad 52.*
6 *Colligi ex Scriptura probatur à num.52. ad 60.*
7 *Eadem concluſio probatur rationibus. num. 60. ad 65.*
8 *Obiectiones ex authoritate Scripturæ. num. 65. ad 71.*
9 *Obiectiones ex authoritate Auguſtini. num. 71. ad 78.*
10 *Obiectiones ex authoritate aliorum Patrum. n.78. ad 86.*

11 *Obiectio*



11 *Obiectiones rationum. num.86. ad 92.*
12 *Occurritur alijs rationibus, præſertim moralibus. num.92. ad finem articuli.*

*Declaratur titulus quæſtionis.*

PRoponitur quæſtio de electione *efficaci, & abſoluta*; quia apud omnes indubitatum eſt, voluntatem, qua vult Deus hominibus dare auxilia diuinæ gratiæ, quæ in ſe ſunt media ad gloriam, & vt talia Deus præcognoſcit, & dare decernit, præſupponere aliquam voluntatem dandi gloriam, vel inefficacem, vel efficacem quidem quantum eſt ex ſe, tamen conditionatam; quam ſufficienter explicaui ſupra, quæſt.19. art.6. &, vt ibi probaui, expreſſit Paulus 1. ad Timoth.2. illis verbis, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* Hæc igitur voluntas, efficax, & abſoluta dandi gloriam, appellabitur in ſequentibus electio ſimpliciter; & de ea nunc quærimus, an ſit primus actus, vnde Deus homines prædeſtinare incœperit. Quæ controuerſia multò grauior, ac celebrior eſt noſtro ſæculo, quàm apud priſcos Theologos antea fuerit.

*Nona concluſio. Electio ad gloriam non fuit ex præuiſis meritis.*

26. Nona concluſio. In eodem prædeſtinationis negotio, poſt actum ſcientiæ, ſimplicis intelligentiæ de gloria, & gratia, ſeu de fine, & mediis vt poſſibilibus, & poſt alium actum, immediatè ſequentem, ſcientiæ conditionatæ de gloriæ fine infallibiliter futuro, ſi ponerentur hæc, vel illa media, & auxilia gratiæ, quam ſcientiam dari ante quodlibet actuale Dei decretum, ſuppono ex probatis ſupra quæſt. 14. artic. 13. dub.17. ſtatim in tertio ſigno rationis, ante voluntatem dandi gratiam, & conſequenter, ante abſolutam præuiſionem meritorum, poni debet in Deo actus voluntatis efficacis dandi abſolutè gloriam quibuſdam hominibus, non aliis; ita vt non ideo Deus prædeſtinatos elegerit ad gloriam, quia præuidit eorum merita, ſed contra potius, ideo voluerit illis dare gratiam, & merita, quia ex ſapientiſſimo ſuo beneplacito, merè libero, elegit illos ad gloriam. Hæc eſt multò communior, & grauior ſententia tam inter antiquos, quàm inter modernos Doctores.

### *Quid ſentiant S. Thomas, aliique Scholaſtici, præſertim veteres.*

*Verba S. Thomæ infra art. 4.*
*& art. 5. ad tertium.*

In primis ita ſentit ſine dubio S. Thomas infra, artic. 4. initio corporis, dicens, *Prædeſtinatio ſecundum rationem præſupponit electionem*; quia, inquit, *eſt ratio ordinationis in finem. Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præſuppoſita voluntate finis. Vnde prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam, præſupponit ſecundum rationem, quòd Deus illorum velit ſalutem.* Vbi nomine *ſalutis æternæ*, aliqui inſufficienter intelligunt, *iuſtificationem, & perſeuerantiam in gratia.* quia S. Thomas manifeſtè loquitur de ſalute æterna, quam docet eſſe *finem*, intentum, & electum à diuina voluntate antecedente prædeſtinationem, quæ per ipſum eſt actus intellectus practici ordinantis media ad finem, ac proinde antecedente ipſam voluntatem dandi media ordinata, ac propoſita per intellectum, & præuiſionem abſolutam meritorum, quæ eſt poſt voluntatem dandi media. Iuſtificatio autem, & perſeuerantia in gratia, eſto larga, & impropria aliqua ratione dici poſſint ſalus æterna, tamen nulla prorſus ratione dici poſſunt ſalus æterna, quæ ſit finis præuolitus ante prædeſtinationem. Neque quicquam refert quòd deinde in reſponſione ad primum dicatur quòd *in collatione gratiæ, & gloriæ, attenditur electio*, ex eo quòd, vt immediatè antea dixerat, illam gratiam, & gloriam, quam dat aliquibus, non dat aliis. hoc enim non tollit, quin electio gloriæ tanquam finis, præcedat electionem gratiæ, tanquam medij. Vnde art.5. ad 3. hæc electio in ſalutem æternam, quæ ad prædeſtinationem præſupponitur, expreſsè vocatur electio ad gloriam, illis verbis, *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem. Vnde Auguſtinus dicit ſuper Ioannem, quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, ſi non vis errare.* Et tamen aduerſarij nullam aliam electionem ad gloriam, & reprobationem in Deo agnoſcunt, niſi ex iuſtitia factam, propter rationem præuiſorum meritorum, ac demeritorum.

*& 1. d. 41. q.1. art.2. ad 1. & 2.*
*& de verit. q. 6. artic.2. ad 9.*

Clariſſimè 1.d.41.quæſt.1.art.2.ad 1. *Electio diuina eſt, qua aliqui ex ordine ſuæ ſapientiæ ordinantur ad finem beatitudinis. Sed prædeſtinatio eſt ſecundùm quòd præparantur eis ea, quæ perducunt in finem. Et ideo ſicut voluntas ordinans in finem, præcedit actum voluntatis præparantis ea, quæ ducunt in finem; ita electio prædeſtinationem præcedit.* Poſt electionem ad finem beatitudinis, ponit prædeſtinationem, & voluntatem præparantem media ad illum finem, quæ ſunt iuſtificatio, merita, perſeuerantia vſque in finem; poſt quam voluntatem eſt præuiſio meritorum; ergo illa electio eſt concipienda ante meritorum præuiſionem. Et deinde ad ſecundum. *Electio diuina non præexigit diuerſitatem gratiæ, quia hæc electionem conſequitur; ſed præexigit diuerſitatem naturæ in cognitione diuina, & facit diuerſitatem gratiæ.* Et tamen per aduerſarios, omnis prædeſtinatorum electio, quam eſſe volunt in Deo poſt præuiſionem meritorum ex gratia, præexigit, & conſequitur, & non facit diuerſitatem gratiæ. Et de verit. quæſt.6. artic.2. ad 9. *Electio*, inquit, *Dei, qua vnum eligit, & alium reprobat, rationabilis eſt; nec tamen oportet, quòd ratio electionis ſit meritum: ſed in ipſa electione, ratio eſt diuina bonitas; ratio autem reprobationis eſt in hominibus peccatum originale.* & artic. 3. poſt medium corporis, adeo graue abſurdum reputat *quòd præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis*, vt illud certò dicat eſſe *contra autoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.* Hæc adeo clara ſunt, vt nulla probabilitate moderni quidam aſſerant, S. Thomam ipſis non aduerſari.

Heruæus. Capreolus. Hiſpalenſis. Caietanus. Trigoſius. Carthagena. Sotus.

Vnde Thomiſtæ omnes concluſionem noſtram tenent, Heruæus 1.d.40.q.1.art.3. Capreolus d.41. q.1.art.1.concluſ.9. Hiſpalenſis ibidem, Caietanus infra, art.4. & 5. vbi Bagnes, Nauarrete, Ripa, Nazarius, Gonzalez, Zumel, Machin, Trigoſius in Bonauenturam 1.p.quæſt.18.art.6.dub.2. Carthagena de prædeſtinatione, diſcurſu decimo, præterea Sotus in cap.9. epiſtolæ ad Romanos, in digreſſione de prædeſtinatione.

Scotus. Durandus. Ægidius. Ariminenſis. Riccardus.

Cum S.Thoma, & Thomiſtis, quod non leue euidentis, atque vrgentis veritatis eſt argumentum, conſentiunt Scotus 1.d.41.q.1.§. *Poteſt aliter.* & in reportatis, eadem d. q.1.§. *De alio membro*, & Durandus q.1.num.8. & 9. & q.2. num.11.12.14. Item Ægidius 1.part.diſt.41.quæſt.2. Ariminenſis quæſt.1. artic.2. concluſ.1. in ſecunda probatione principali, illis verbis, *Ex hac Auguſtini authoritate patet manifeſtè, quòd quia prædeſtinatio præparauit aliquos ad regnum æternum, id eſt, quia Deus propoſuit, & ſuo propoſito ordinauit aliquos ad æternum regnum, ideo etiam præordinauit eos vocare, & iuſtificare*, &c. & idem ſæpe repetit in ſequentibus. Riccardus 1. diſt.41. artic.2. quæſt.2. ad 2. 27.

illis verbis, *Deus ex mera liberalitate aliquos prædeſtinauit ad vitam æternam.*
Maior.
Maior d.40. quæſt.2. concluſ.1. & in ſolutionibus argumentorum contra illam.
Cordaba.
Antonius Cordubenſis quæſt. 56. vbi probat quintam opinionem S.Thomæ, & Scoti, cum quibus, inquit in fine quæſtionis, *Doctores communiter conſonant.* Eamdem ſententiam ex noſtris Theologis ſequuti ſunt Illuſtriſſimi Cardinales,
Toletus.
Bellarmin.
Toletus in cap.8. epiſtolæ ad Romanos, annotatione 31. Bellarminus lib.2. de gratia cap.15. ad 1. à quo contraria opinio dicitur, *parum congruens cum Scripturis, & libris Auguſtini poſterioribus, & ipſa ratione. Sed nullo modo errori Pelagianorum, aut Caſſiani, & Fauſti affinis.*
Suarez.
Item Suarez lib.3. de auxiliis cap.16. vbi de ſententia contraria, num.8. ita cenſet, *re vera probabilis eſt, & nihil inuoluit apertè impoſſibile, vel quod aliqua ex parte ad errorem Pelagij accedat: & ideo, ſi neceſſaria eſſet hæc ſententia ad excludendas phyſicas prædeterminationes repugnantes libertati, potius eſſet ferenda ad libertatem cum gratia conciliandam, quàm introducenda talis gratiæ efficacitas, quæ libertatem tollat.* Poſtea verò re maturius conſiderata in 1.p. tract.2. lib.1. cap.8.num.50. pro veritate huius concluſionis ita grauius pronunciat, *Non eſt doctrina expreſsè reuelata, & ideo non dicimus eſſe de fide; colligitur tamen ex reuelatis, multúmque in ſacra Scriptura inſinuatur.*
Arrubal.
Pererius.
Iuſtinianus.
Molina.
Arrubal hîc, diſp. 72. & 73. & Pererius apud ipſum diſp.72. num.5. Iuſtinianus in cap.1. ad Epheſ.num.4.fin. Lorinus, Sà, Barradas, & alij citandi infra, num.58. & 59. eamdémque opinionem verè ſequitur Molina infra, art.4.diſp.1.membro 6. vocans eam communem, & tribuens ſanctis Auguſtino, & Thomæ; & clarius membro 11. concluſ. 6. etſi nonnulli eum referant pro contraria ſententia, decepti fortaſſe, quia negat electionem ante præuiſionem meritorum, non quidem abſolutam, ſed conditionatam tantùm, iuxta probata ſupra quæſt.14. artic.13. dub.17. & quia in membro 7. 8. & 9. contra ſeptimam concluſionem ſupra, num.19. probat, in eodem ſigno rationis elegiſſe ad gloriam per merita, ſed non propter merita, vt ipſemet bene diſtinguit circa initium membri noni.
Valentia.
Et in eodem ſenſu accipi poteſt Valentia puncto quarto, qui etiam in contrarium à nonnullis affertur, ſed non clarè loquitur.

28. Quamuis multi etiam ſint in contrarium, vt
Contra Turrianum, Vazquez, Becanum, Leſſium.
Turrianus opuſculo de electione. Vazquez d. 89. Becanus 1. part. tract.1. cap.14. quæſt. 4. & omnium fuſiſſimè, atque ardentiſſimè Leſſius diſput. de prædeſtinat. ſect. 2. 3. 4. & 5. qui pro ſua ſententia citant primo Alenſem 1. part. quæſt. 28. membro 3. artic. 3. vbi tenet, præſcientiam eſſe rationem prædeſtinationis;
*De ſententia Alenſis.*
ſed Alenſis loquitur in alio ſenſu longè diuerſo à ſenſu aduerſariorum: tum quia ita vult, præſcientiam meritorum eſſe rationem prædeſtinationis, vt expreſsè neget ad primum, hanc rationem eſſe ipſa merita; aduerſarij autem volunt, rationem electionis ad gloriam, non tam eſſe præſcientiam meritorum, quàm ipſa merita præſcita: tum quia Alenſis loquitur de præſcientia, quæ ſit ratio non ſolùm voluntatis dandi gloriam, ſed etiam voluntatis dandi gratiam. Ait enim ad ſecundum. *Nam collationis gratiæ, & gloriæ poteſt eſſe ratio, præſcientia meritorum*; & ſæpe ſupra, illam præſcientiam vult eſſe rationem antecedentem Dei voluntatem, & prædeſtinationem, *qua ſcit aliquem bene vſurum gratia.* Aduerſarij verò contendunt, præſcientiam meritorum eſſe quidem rationem voluntatis dandi gloriam, non autem voluntatis dandi gratiam, ſed hanc præſupponi ad præſcientiam meritorum. Igitur Alenſis videtur loqui de præſcientia meritorum, antecedente omnem diuinam voluntatem & gloriæ, & gratiæ; quæ tamen præſcientia ſit ratio tam electionis ad gloriam, quàm electionis ad gratiam, non motiua diuinæ voluntatis, tenendo ſe ex parte prædeſtinatorum, qui electionem ad gloriam de iuſtitia meruerint, vt ſentit contraria opinio; ſed ex parte ipſius Dei, directiua duntaxat diuinæ voluntatis prædeſtinantis, & infallibiliter eligentis ad gratiam, & gloriam, quæ præſcientia eſt conditionata antecedens quodcumque liberum Dei decretum.

Citant ſecundò Albertum 1. d. 40. artic.12. & 29.
*De ſententia* Alberti,
d.41. artic.3. ſed in primo loco nihil aliud ad rem habetur, niſi hæc propoſitio, *Prædeſtinatio Dei cauſa eſt gratiæ in libero arbitrio; & præſcientia Dei aliquo modo eſt cauſa*; ex quo dicto, quid certi contra nos colligi rectè poſſit, non apparet. In ſecundo etiam loco nihil prorſus lego, quod aduerſariis faueat. Sed in reſponſione ad quartum, illis verbis, *Scientia meriti dicit rationem collationis gratiæ, non cauſam prædeſtinationis*; loqui videtur iuxta ſenſum Alenſis ſupra.
Bonauent.
Citant tertiò Bonauenturam 1.d.41. artic.1. quæſt.2. num.15. & 16. vbi nil adhuc clarè: quamuis enim ita habeatur num.16. *Si quæratur, quare magis voluit ſaluare Petrum, quàm Iudam? Reſpondetur, quòd iſte habuit bona merita, ille verò mala:* tamen non ſatis conſtat, an loquatur de voluntate exequutionis tantùm, de qua illud verum omnino eſt; an etiam de voluntate intentionis, de qua nunc diſputamus. Hanc enim negaſſe videtur initio num.15. cum dixit, *Quòd cùm quæritur, vtrum Dei electio motiuam rationem habeat, quantum ad ordinationem voliti ad eius voluntatem*, ita eſt reſpondendum, *ſi quæratur ratio cauſalis, vel meritoria, reſpondetur, quòd dari non poſſit.* & tamen aduerſarij reſpondent, hanc cauſam meritoriam de facto dari. Vnde Trigoſius ſupra, Bonauenturam explicat pro noſtra ſententia.
Henrici,
Citant quartò Henricum quodlib. 4. quæſt.19. & quodlib.8. quæſt.5. ſed in primo loco clarè loquitur de effectibus prædeſtinationis, quorum vnus eſt ratio alterius, vt vocatio, cui conſentimus, eſt ratio iuſtificationis; iuſtificatio, eſt qua vſque in finem perſeueramus, eſt ratio glorificationis: vt patet ex fine corporis, & ſolutionibus argumentorum. In ſecundo loco nimis fusè, & confusè multa dicit, & aliquando pro noſtra ſententia, aliquando pro contraria. Videtur autem ordine intentionis prius ponere electionem gloriæ, quàm præuiſionem meritorum; ordine verò executionis prius præuiſionem meritorum, quàm electionem gloriæ. Vnde pro nobis multò ante medium quæſtionis ita habet, *Dei æterna electio, vel reprobatio non habet vllo modo pro ratione opera præſcita: tamen effectus temporalis electionis, vel reprobationis, bene poteſt habere illa pro ratione ſine qua non; cum ſemper ſic euenit ſecundùm quòd Deus præſciuit.* & aliquanto poſt, vniuerſaliter ita ſumit, *In operandis, ſemper finis vltimus, primum eſt in artificis intentione, & vltimum in executione; & eſt cauſa, ſiue ratio aliorum in intendendo.* Vnde manifeſtè ſequitur, quòd in Deo intentio dandi gloriam fuerit prior intentione dandi gratiam, & merita, & conſequenter prior præuiſione meritorum: quia gloria reſpectu gratiæ, & meritorum, eſt finis vltimus, qui, inquit Henricus, *ſemper primum eſt in intentione.* Citant quintò Maiorem



Maioris,
Maiorem 1. d. 40. quæſt. 2. vbi tamen eſt apertè contra ipſos; & ideo eum ſupra, num.27. attuli pro concluſione.

30. Citant ſeptimò Argentinam 1. d. 41. quæſt.1.
Argentinæ,
artic.2. qui tamen non videtur ad ipſorum ſenſum clarè loqui: quamuis enim ponat præſcientiam bonorum operum ante decretum prædeſtinationis; & bona opera præſcita, eſſe rationem aliquo modo motiuam decreti prædeſtinationis: tamen non videtur loqui de præſcientia abſoluta, ſed conditionata; nec de decreto ſolius gloriæ, ſed etiam gratiæ. Sic enim ſuam ſententiam proponit initio articuli. *Cauſa prædeſtinationis adultorum eſt bonus vſus liberi arbitrij, ab æterno à Deo præcognitus, finaliter duraturus; quem bonum vſum finalem Deus ab æterno contemplans, propoſuit talibus hominibus huiuſmodi vſum habituris, ſic dare gratiam finaliter in præſenti, vt mediante gratia in præſenti, perueniant ad gloriam in futuro.* Præcognitio ante propoſitum de danda gratia, non poteſt eſſe præſcientia viſionis abſoluta de meritis abſolutè futuris, quia hæc abſoluta præſcientia viſionis præſupponit abſolutum decretum de danda gratia, ſine qua non poſſunt eſſe abſolutè futura opera meritoria vitæ æternæ. Præterea in quinto argumento contra opinionem S.Thomæ, & Ægidij, declarat, ſe cum Auguſtino loqui *de merito largè, quod dicitur meritum aliquo modo de congruo; non de merito propriè dicto, puta de condigno.* Aduerſarij verò loquuntur de præuiſione meritorum propriè de condigno. Denique Argentina ad ſecundum ait, *quòd bonus vſus liberi arbitrij, vt eſt meritorius vitæ æternæ de condigno, vel etiam de congruo ſecundùm propinquam diſpoſitionem, vel motionem ad gratiam gratum facientem,* eſt effectus, & non cauſa, ſeu ratio prædeſtinationis. Idem verò vſus acceptus *penes bonitatem morum, in quam bonitatem poteſt homo ex puris naturalibus*, non eſt effectus, ſed cauſa, ſeu ratio prædeſtinationis, *quia*, inquit, *non oportet illam bonitatem reducere in ſupernaturale principium, ſed ſufficit ad eam conſequendam bona conſuetudo hominis, præſuppoſita communi, & vniuerſali Dei influentia.* Et de vſu in hac ſecunda acceptione, non autem prima, declarat, ſe antea dixiſſe, illum à Deo præcognitum, eſſe cauſam diuinæ prædeſtinationis. Quæ verba, ſicut nimis quidem fauent ſemipelagianis, ita certè nullo modo indicant ſententiam authorum contra quos diſputamus; qui rectè ſentientes de electione ad gratiam, merè gratuita, abſque vllo reſpectu ad opera bona naturalia, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè præcognita, contendunt, poſt hanc electionem, & poſt abſolutam præuiſionem operum ex gratia meritoriorum, & non ante, factum eſſe à Deo decretum efficax, & abſolutum prædeſtinationis, ſiue electionis ad gloriam. Ergo ex antiquis Doctoribus nullus verè citatur, qui contra concluſionem ſentiat, niſi
*Contrarium ſentit Rubionenſis.*
vnus Gulielmus de Rubione 1. d. 41. quæſt.1. qui articulo primo impugnat opinionem S.Thomæ, & Scoti, quam nos ſequimur; & in artic.2. concluſ. 3. expreſsè admittit contrariam opinionem, quam longo poſt tempore ſuſcitarunt multi moderni Doctores, quos referunt Vazquez, & Leſſius ſupra. Quem omnium ferè veterum Theologorum vnanimem conſenſum diligenter aduertere, ac referre, operæ pretium eſſe duxi, ad veritatem, grauitatémque ſententiæ, quam mox certò oſtendam eſſe Auguſtini, & valde firmum fundamentum habere in Scripturis ſanctis.

*Reijcitur tertia quædam opinio.*

Fuerunt autem ex antiquis nonnulli, qui me- 31.
*Declaratur opinio*
dia quadam via incedentes, aſſeruerunt, duplicem eſſe in Deo prædeſtinationem, alteram ſingularem ex ſpeciali priuilegio, per quam Deus prædeſtinauit beatiſſimam Virginem, Ioannem Baptiſtam, Hieremiam, Apoſtolos, aliόſque viros dignitate, ac ſanctitate præſtantes; & hanc eſſe ante præſcientiam meritorum: alteram communem de lege ordinaria, per quam reliqui prædeſtinati ſunt; & hanc factam eſſe poſt meritorum præuiſionem. Ita Ocham 1.d.1.quæſt.vnica, littera G.
Ochami,
Gabrielis.
Gabriel ibidem art.2. concluſ.2.& 3. cum quibus, vt referunt Suarez 1.p.tract.2.lib.1.cap.8.num.28. Arrubal diſp.72. num. 7. ſentit Catherinus lib.1.
*De ſententia Catherini.*
de prædeſtinatione capite vltimo, & lib.3. ab initio, & in caput octauum epiſtolæ ad Romanos; addítque de proprio, eos, qui primo modo ſaluantur, eſſe prædeſtinatos; non autem qui ſaluantur ſecundo modo: & ideo horum numerum non eſſe certum, donec præuideantur perſeueraturi in bono vſque ad mortem.

Sed mediam hanc viam reliqui omnes, tam pa- 32.
*Impugnatur opinio.*
troni, quàm aduerſarij huius concluſionis, meritò damnarunt. Primò, quia duplex hic prædeſtinandi modus, in ipſomet Deo omnino diuerſus, & veluti oppoſitus, cùm vnus ſit ante præuiſionem meritorum, alius poſt præuiſionem meritorum, nullum habet in Paulo, & Auguſtino probabile fundamentum, vt ex dicendis conſtabit; ſemper enim de prædeſtinatione loquuntur, tanquam de puriſſima miſericordia eodem modo facta reſpectu omnium, qui de facto conſequuntur vitam æternam. Apparet quidem magna diuerſitas in mediis gratiæ, quibus electi tranſmittuntur in finem vitæ æternæ. Diuerſitas verò in ipſa electione ad vitam æternam, à Deo facta, non apparet, ſed fingitur. Illa mediorum diuerſitas non oritur ex diuerſa electione circa ipſum finem, ſed ſolùm ex libertate electorum, qui omnibus mediis reſiſtere poſſunt, & quibuſdam mediis reſiſtunt, aliis non; & ex infinita ſapientia, ac libertate Dei eligentis, qui ſcit multa gratiæ media, quibus ſingulos electos poteſt infallibiliter perducere ad finem efficaciter intentum; & ſingulis dat hæc, vel illa media, prout ſapientiſſimè vult.
*Impugnatur Catherinus, ex Auguſtino, & Fulgentio.*
Secundò illud Catherini additum eſt prorſus vitandum, apertè, & grauiſſimè contradicente, tum Auguſtino lib. de bono perſeuerantiæ cap.8. aliquanto ante finem, illis verbis, *Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſſimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe.* Vnde infra cap.14. vniuerſaliſſimè de omnibus, *quicumque liberantur*, ait quòd per prædeſtinationem, *certiſſimè liberantur:*
*Author libri de fide ad Petrum, eſt Fulgentius, non Auguſtinus ex Bellarmino.*
tum Fulgentio, qui cenſetur author libri de Fide ad Petrum, qui habetur in tertio tomo operum Auguſtini, vt bene probat Cardinalis Bellarminus in libello de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, anno 400. in obſeruatione tomi tertij: in eo igitur lib. cap.35. ita præcipit Fulgentius, *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, neque perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinauit ad regnum cœlorum; nec quemquam eorum, quos non prædeſtinauit ad vitam, vlla poſſe ratione ſaluari.* Nulla igitur ratione licet Theologo, aut etiam fideli dicere, aliquem ſaluari qui non eſt à Deo ad ſalutem prædeſtinatus.
*Exponitur locus ad Rom.8.*
Quod etiam indicauit Paulus ad Rom.8. vbi de prædeſtinatis ait, *Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis* Filij

*Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Ergo omnes illi prædeſtinati ſunt, qui habent conformitatem cum Chriſto, & ſunt Chriſti fratres, & cohæredes; qui ſine dubio ſunt omnes planè beati, qui cum Chriſto regnant in cœlis, & non aliqui duntaxat. Et ideo de omnibus, qui ſaluantur, dicitur Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* quæ præparatio eſt prædeſtinatio ſecundùm Auguſtinum ſupra num. 7. & ratio, quam ad hanc veritatem probandam affert Ariminenſis 1. d. 41. q. 1. art. 1. §. *His præmiſſis.* optima eſt, quia Deus eſt qui in tempore dat gloriam, & gratiam, & finalem perſeuerantiam neceſſariam ad gloriæ conſequutionem: ergo ab æterno dare voluit, & præſciuit. Hanc autem præſcientiam, & efficacem, atque abſolutam voluntatem gratiæ, & gloriæ, omnes vocamus prædeſtinationem. Ergo nemo prorſus aſſequi poteſt gratiam, & gloriam ſine Dei prædeſtinatione.

*& Matth. 25.* *Ariminenſis.*

## *Quid hac de re ſenſerit Auguſtinus.*

33. Vtraque opinio, tam de electione ad gloriam ante præuiſionem meritorum, quàm de electione ad gloriam poſt præuiſionem meritorum, patronum habere nititur Auguſtinum. Et meritò quidem. Eum enim, inquit Cœleſtinus Papa epiſtola prima ad Epiſcopos Galliæ c. 2. *tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos, etiam ante à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur.* Quæ, & alia verba Cœleſtini in Auguſtini doctrinæ commendationem refert Proſper libro contra Collatorem, circa finem, exponens, illam maximè intelligendam eſſe de Auguſtini libris ſcriptis contra Pelagianos. additque, quod per hoc Cœleſtini teſtimonium, *his, qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, maleloquentiæ eſt adempta libertas: quando conſultantium actione ſuſcepta, & librorum, qui errantibus diſplicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum authoritate ſentiri, ſancto manifeſtauit eloquio: euidenter pronuncians, quantum ſibi præſumptionis iſtius nouitas, qua auderent quidam aduerſus antiquos magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritatis obſtrepere.* Præterea B. Hormiſda Papa epiſtola 67. ad Poſſeſſorem Epiſcopum, in fine ita clariſſimè, grauiſſiméque teſtatur. *De arbitrio libero, & gratia Dei, quod Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur, & aſſeruet Eccleſia, in varijs libris beati Auguſtini, & maximè ad Hilarium, & Proſperum, poteſt cognoſci.* Conſtat autem ad Hilarium, & Proſperum ab Auguſtino ſcriptos eſſe duos libros, alterum de prædeſtinatione Sanctorum, alterum de Bono perſeuerantiæ, quæ habentur in tomo ſeptimo Auguſtini poſt epiſtolas Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum ſcriptas de ſemipelagianorum erroribus, & argumentis contra doctrinam eiuſdem Auguſtini in aliis libris, & ſcriptis ab ipſo traditam.

*Teſtimonium Cœleſtini, & Hormiſdæ de authoritate Auguſtini.* Proſper.

34. Igitur concluſionem noſtram eſſe verè Auguſtini, probari poteſt primò, quia ita cenſent viri in Auguſtini doctrina verſatiſſimi, vt Cardinalis Bellarminus, cuius verba attuli ſupra num. 27. & Ariminenſis, cuius libri, Auguſtini authoritatibus, ac ſententiis paſſim abundant. Is loco citato immediatè ante articulum primum, non minus piè, ac modeſtè, quàm doctè, ita profitetur, *Quia hæc perſcrutatio altiſſima eſt, & inperſcrutabilis nobis mortalibus, & in ipſa errare multùm eſt periculoſum, idcirco nihil ex me in hac materia loqui intendo, ſed ſimpliciter ſententias, quas puto eſſe Sanctorum, & maximè B. Auguſtini, nihil penitus temerariè, aut pertinaciter aſſerendo.* Secundò, quia teſte Suarez 1. p. tract. 2. lib. 1. cap. 8. num. 31. ex aduerſariis ipſemet Catherinus ingenuè fatetur, pro hac concluſione eſſe manifeſtè Auguſtinum, quem tamen temerè deſerit, & maiori cum temeritate auſus eſt reprehendere, propter grauiſſima teſtimonia Cœleſtini, & Hormiſdæ ſupra. Et ideo in hoc à Suarez meritò dicitur, *reprehenſione digniſſimus.* Idem quoque ex aduerſariis fatentur Oſorius, & Camerarius apud Arrubal hîc diſp. 72. num. 12. tertiò afferendo in particulari multa loca, quæ videntur magis vrgere, omiſſis aliis, quæ legi poſſunt apud alios eiuſdem ſententiæ authores, præſertim Bellarminum, Suarez, & Arrubal.

*Concluſionem eſſe Auguſtini teſtantur* Bellarminus, Ariminenſis, Catherinus, Oſorius, Camerarius.

35. Primùm maximi momenti apud omnes eſſe debent duo loca, quæ pro hac veritate afferuntur, & intelliguntur à S. Thoma, de quo dubitari non poteſt, quin Auguſtini mentem, qua ſententiam ſuam confirmabat, optimè perſpectam habuerit. Igitur S. Thomas infra art. 4. ad 2. loquens de electione ad finem ſalutis æternæ, de qua loquutus erat in corpore, vt oſtendi ſupra num. 26. ait in ſenſu clariſſimo, *Voluntas Dei eligentis non prouocatur ad eligendum à bono in ſe præexiſtente, ſicut accidit in electione noſtra. Et ideo, ſicut dicit Auguſtinus, eliguntur à Deo, qui non ſunt; neque tamen errat, qui eligit.* Quæ verba apud Auguſtinum habentur in ſermone vndecimo de verbis Apoſtoli, cap. 4. Si Deus non antea, nec aliter eligeret ad gloriam, niſi poſt abſolutam meritorum præuiſionem, & propter merita præuiſa, eius voluntas eligens profectò prouocaretur à meritis, ac proinde à bono in re præexiſtente, non quidem realiter extra Deum, ſed intentionaliter in præſcientia ſua; quia vt præſciantur merita, v. g. Pauli, realiter, & abſolutè futura, neceſſe eſt vt in eadem præſcientia prius præſupponatur Paulus realiter, & abſolutè futurus, tanquam neceſſarium meritorum fundamentum. Præterea articulo ſequenti quinto ad tertium, cuius verba attuli ſupra num. 26. illud Auguſtini tractatu 26. in Ioannem circa principium, *Quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare;* ita clariſſimè exponit pro noſtra concluſione, *quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem.*

*Probatur primò ex locis, quæ affert S. Thomas.*

36. Secundò Ariminenſis 1. d. 41. quæſt. 1. artic. 2. concluſ. 1. in ſecunda probatione principali, Auguſtino tribuit illud ex libro de Fide ad Petrum, cap. 3. multò poſt medium. *Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita bonitate ſua prædeſtinauit ad regnum: quia enim tales prædeſtinando, præparauit vt regno digni eſſent, præparauit vtique ſecundùm propoſitum vocandos, vt obediant; præparauit iuſtificandos, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant; præparauit etiam glorificandos, vt Chriſti cohæredes effecti, regnum cœlorum ſine fine poſſideant.* Hinc Ariminenſis, verbis citatis ſupra, num. 27. aſſeruit, Auguſtinum eſſe manifeſtè pro noſtra ſententia. Nam expreſsè ſermo eſt de gloria regni cœleſtis, de qua immediatè antea dicitur, *Qui verò bona fecerunt, ibunt in vitam æternam, regnaturi ſine fine cum Chriſto, Rege omnium ſæculorum.* Quod vt explicaret, ſtatim ſubdit, *Illi autem cum Chriſto regnabunt,* &c. Sermo etiam eſt de prædeſtinatione, atque electione ad gloriam, facta ex *gratuita bonitate;* ergo non ex meritis præuiſis: & de ea electione, quæ eſt cauſa, ſeu ratio, vt prædeſtinati *obediant* vocationi, *rectè credant, & bene viuant;* quæ ſunt merita glorificandorum. ergo non præuiſio meritorum fuit ratio eligendi ad gloriam, ſed contra potius, electio ad gloriam, fuit ratio habendi, & præuidendi merita, quibus electi conſequerentur infallibiliter gloriam. Eſto autem citatus liber non ſit Auguſtini, ſed Fulgentij, vt ſupra, num. 32. tamen quia ex eius libris certò conſtat, Fulgentium in Africa, ſicut Proſperum in Gallia, de huiuſmodi materiis nihil prorſus ſcripſiſſe diuerſum ab iis, quæ à Magiſtro Auguſtino didicerant; hæc verba ita ſunt accipienda, ac ſi eſſent ipſiuſmet Auguſtini.

*Probatur ſecundò ex loco, quē affert Ariminenſis.*



37. Enim verò Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, quæ habetur ante duos libros de prædeſtinatione Sanctorum, & Bono perſeuerantiæ, quos, vt patet ex initio libri de prædeſtinatione Sanctorum, in huius epiſtolæ reſponſionem ſcriptos eſſe conſtat, maximè inſtrui ab Auguſtino obſecrat de huius quæſtionis veritate, & quoniam hoc præcipuam lucem præferre videtur ad Auguſtini mentem in hac quæſtione dignoſcendam, operæ pretium erit, eam epiſtolam in breuem ſummam fideliter, accuratéque redigere, & explicare, atque hoc loco omnibus attentè conſiderandam proponere: vnde etiam perſpicuè apparebit, ne minima quidem veritatis apparentia, nonnullos hodie ea, quæ in hac epiſtola continentur, obiicere contra ſcientiam mediam, antecedentem quodlibet actuale Dei decretum; vt, quantum tunc ſatis erat, oſtendi ſupra, quæſt. 14. art. 13. num. 424. & 425. Initio igitur ſuæ epiſtolæ Proſper, præcipuam, imo etiam totalem ſcribendi cauſam præmittit his verbis, *Multi ergo ſeruorum Chriſti, qui in Maſſilienſi vrbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ ſcriptis, quæ aduerſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quicquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.* Addit deinde, libro de correptione, & gratia poſtea edito, ac lecto, aliquos fuiſſe inſtructos, aliquos receſſiſſe, atque dixiſſe, ſalutem vniuerſis hominibus ita eſſe propoſitam, *vt quicumque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſſint. Qui autem crediturì ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratia vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præuiderit.* Quibus verbis ſignificat, quod clarius etiam inferius repetit, hæreſim Maſſilienſium ſemipelagianorum; qui non negarunt cum Pelagio neceſſitatem gratiæ ad gloriam merendam, & conſequendam; ſed ad refundendam noſtræ damnationis cauſam in culpam noſtram, non in Dei libertatem, voluerunt primam gratiam nobis dari propter aliquod meritum noſtri operis liberè facti viribus naturæ, non gratiæ. Ideoque electionem ad gloriam non eſſe factam niſi poſt præſcientiam huius naturalis boni vſus liberi arbitrij, & meritorum vſque in finem vitæ. Vbi duo acutè diſtinguenda ſunt; alterum, electionem factam poſt præſcientiam meritorum; alterum, electionem factam poſt præſcientiam etiam naturalis initij meritorij primæ gratiæ. Hoc ſecundum pertinet ad errorem Maſſilienſium. primum verò eſt adhuc poſitum in libera diſputantium opinione.

*Declaratur epiſtola Proſperi ad Auguſtinum.* *Præcipuum epiſtolæ intentum.* *Duæ quæſtiones in epiſtola diſtinguuntur.*

38. Paulò poſt magis explicans Proſper illud propoſitum, quod initio ex Auguſtini libris propoſuerat, & Maſſilienſibus maximè diſplicere teſtatur, ait, *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo eligendorum, & reyciendorum dicitur facta diſcretio, vt, ſecundùm quòd placuit creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem torporis afferre.* Propoſitum factum *ſecundùm quòd placet creatori,* non eſt propoſitum factum ex meritis præuiſis. Item, propoſitum, *quo eligendorum, & reyciendorum ſit diſcretio,* & quo eliguntur alij in *vaſa honoris,* alij in *vaſa contumeliæ,* non eſt propoſitum gratiæ, à qua nemo reiectus eſt, & ratione cuius dici nemo poteſt vas contumeliæ, imò vult Deus omnes homines fieri ſaluos, & vaſa honoris; ſed eſt efficax, & abſolutum decretum gloriæ, factum circa quoſdam, non circa alios, ſicut re ipſa quidam glorificantur, non alij. Igitur Auguſtinus, teſte Proſpero, in reliquis libris, ante libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de Bono perſeuerantiæ, docet, electionem glorificandorum factam à Deo ex libertate, & mera gratia, ante merita præuiſa. Præterea multò poſt Proſper refert, & reiicit ſolutionem præcipui argumenti, quo Maſſilienſes impugnabantur, exemplo puerorum, quorum aliqui baptizabantur, & ſaluabantur, alij non, & tamen abſque vllis propriis meritis; & exemplo nationum, in quarum vna, & non in alia, Euangelium prædicatur, & fiunt miracula, nulla habita præſentium meritorum ratione, cùm ij, quibus prædicatur, ſint mali, & plerumque peiores iis, quibus non prædicatur: in quibus caſibus ſemipelagiani confugiebant ad merita, vel demerita, præuiſa ſub conditione, vt ſæpe alibi dictum eſt.

*Quid apud Auguſtinum ſit propoſitū, quo vocantur electi.* *Argumētum Proſperi contra Maſſilienſes.*

39. Tandem Proſper circa finem epiſtolæ, multas difficultates Auguſtino proponit, de earúmque veritate ab eo inſtrui, magnis precibus enixè flagitat. Inter quas ſine dubio eſt quæſtio de qua nunc diſputamus. Quærit igitur inter alia, *Vtrum præſcientia Dei ita ſecundùm propoſitum maneat, vt ea ipſa, quæ ſunt propoſita, ſint accipienda præſcita:* hoc eſt, vt ex ſuperiùs dictis intelligi debet, an Deus res, ad ſalutem pertinentes, prius ſciat, quàm proponat, ac decernat: *an per genera cauſarum, & ſpecies perſonarum, iſta varientur; vt quia diuerſæ ſunt vocationes; in his, qui nihil operaturi ſaluantur, quaſi ſolùm Dei propoſitum videatur exiſtere; in his autem, qui aliquid boni acturi ſunt, per præſcientiam poſſit ſtare propoſitum:* hoc eſt, an aliqui, vt infantes baptizati, ac mortui ante vſum rationis, ſaluentur per propoſitum ſine operum præſcientia; aliqui verò, vt adulti, ſaluentur per propoſitum poſt operum præſcientiam, factum. *An verò vniformiter,* hoc eſt, reſpectu omnium, tam infantium, quàm adultorum, *præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa propoſito,* hoc eſt, ſemper Deus, ideo præſciat, quia propoſuit; non contra, ideo proponat, quia præſciuit. Deinde hoc Dei propoſitum ait eſſe, *quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt ad vitam æternam.* Igitur ſecundùm Auguſtinum, vt refert Proſper, ante propoſitum dandi fidem, & merita per gratiam, datur præordinatio ad vitam æternam, quæ eſt prædeſtinatio, & propoſitum dandi gloriam. *Illud etiam,* inquit Proſper, *qualiter diluatur, quæſumus, patienter inſipientiam noſtram ferendo, demonſtres, quòd retractatis,* vel vt alij codices clariùs habent, *pertractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par inuenitur, & vna ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt: vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione, præſcierit.* Vbi Proſper petit ſolutionem eius argumenti, quòd antea dixerat ab ipſis Maſſilienſibus contra Auguſtinum maximè obiici. *Obſtinationem ſuam,* inquit, *vetuſtate defendunt, vt ea,*

*Quid in epiſtola quærat Proſper ab Auguſtino.* *Quid ſit propoſitū ſecundum Auguſtinum.* *Proſper petit ab Auguſtino ſolutionem quæſtionis de electione ad gloriam antè vel poſt præſcientiā meritorum.*

*ea, quæ de epiſtola Apoſtoli Pauli, Romanis ſcribentis, ad manifeſtationem diuinæ gratiæ, præuenientis electorum merita, proferuntur, à nullo vnquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, vt nunc ſentiuntur, affirment.* Obiiciunt igitur, quia omnes Eccleſiaſtici ſcriptores ante Auguſtinum, propoſitum Dei admittunt *ſecundùm præſcientiam,* hoc eſt, poſt præſcientiam, vt patet ex manifeſto ſenſu verborum ſequentium, in quibus ex aliorum ſententia ponitur hæc cauſalis, contraria Auguſtino, *Ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecit, quia finem vniuſcuiuſque præuidit.* Ergo oppoſita cauſalis eſt Auguſtini, nempe, *Ob hoc Deus finem vniuſcuiuſque præſciuit, quia alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecit.* Non poteſt autem intelligi quæſitum Proſperi de propoſito dandi gratiam: tum quia loquitur de propoſito facto ex eo quòd Deus *finem vniuſcuiuſque præuiderit.* Nunquam autem aliquis, ſiue Catholicus, ſiue hæreticus, poſuit in Deo propoſitum dandi gratiam poſt præſcientiam finis vitæ. Tum quia loquitur de propoſito, quo Deus, alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecit. Quod de propoſito dandi gratiam, quam Deus omnibus dare propoſuit, dici non poteſt; ſed ſolùm de propoſito dandi gloriam, quam Deus efficaciter dare propoſuit quibuſdam tantùm, & non aliis. Tum quia loquitur de propoſito poſt præſcientiam noſtrarum voluntatum, & actionum, futurarum vſque in finem vitæ, *ſub ipſo gratiæ adiutorio*; ergo poſt præſcientiam præſupponentem propoſitum dandi gratiam: ergo aliud propoſitum conſequens hanc præſcientiam, non poteſt eſſe de danda gratia, ſed de danda gloria, quæ verè datur poſt finem vitæ. Tum quia Maſſilienſes ſupra, vt patet ex eorum verbis n.37. clarè loquuntur *de prædeſtinatione in regnum.* De hoc igitur propoſito dandi gloriã, quærit Proſper, vtrum ſit in Deo ante præſcientiam meritorum, vt in omnibus ſuis libris, vſque ad illũ diem ſcriptis, docuerat Auguſtinus; vel poſt præſcientiam meritorum, vt à reliquis omnibus Eccleſiaſticis ſcriptoribus dici, obiiciebant Maſſilienſes. Idque ſupra alia quæſita, adeo ardenter, atque humiliter quærit illis verbis, *Quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres*, vt non ſit veriſimile, Auguſtinum illi quæſito non ſatisfeciſſe in illis duobus libris, quibus epiſtolæ Proſperi reſpondet. Saltem ex luculentiſſimo Proſperi teſtimonio habemus, vt demonſtratum eſt, Auguſtinum in libro de correptione, & gratia, & in aliis omnibus libris contra Pelagianos ſcriptis ante libros de prædeſtinatione Sanctorum, & bono perſeuerantiæ, quos iam ſexagenarius ſcripſiſſe refertur, ſemper poſuiſſe in Deo propoſitum electionis ad gloriam ante abſolutam præſcientiam meritorum. Quòd autem hanc ſententiam in poſterioribus operibus non mutauerit, ſed potius confirmauerit, mox oſtendam.

*Propoſitum dandi gloriã, poni ab Auguſtino ante præſcientiam meritorũ probatur primò ex libro de correptione, & gratia cap.7.*

40. Arguo igitur primò ex libro de correptione, & gratia cap.7. vbi poſt principium docet, *Prædeſtinatos diſcerni à maſſa perditionis, non meritis ſuis, ſed per gratiam mediatoris.* Hanc verò diſcretionem factam eſſe ante decretum dandi gratiam, & conſequenter, ante præſcientiam abſolutam meritorum, patet tùm ratione, quia multis datur gratia, & iuſtificatio, qui tamen non ſunt prædeſtinati, & diſcreti à maſſa perditionis; ergo ab hac non diſcernit propoſitum dandi gratiam. Sed per Auguſtinum diſcernit aliquod propoſitum factum ſine meritis: ergo propoſitum dandi gloriam factum ante merita præuiſa: aliud enim, excluſo propoſito gratiæ, aſſignari non poteſt. Tum ex aliis ſequentibus Auguſtini verbis, quibus prædictam diſcretionem magis explicat. Primùm enim iſtius diſcretionis effectus ita numerat, *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, iſta diuinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium; & cùm audiunt, credunt; & in fide, quæ per dilectionem operatur, vſque in finem perſeuerant; & ſi quando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, etſi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerunt, redeunt; & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis huius vitæ, mortis celeritate ſubtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos; qui & elegit eos in Filio ſuo ante conſtitutionem mundi, per electionem gratiæ,* hoc eſt, omnino gratuitam ex pura miſericordia, vt ipſemet ſtatim explicat, dicens, *non ex operibus.* & paulò poſt, *electi ſunt per electionem, vt dictum eſt, gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum.* His verbis manifeſtè exprimitur in Deo ab æterno prima quædam radix omnium gratiarum, ac meritorum, quæ ſunt media ad conſequendum finem vitæ æternæ: quæ radix expreſsè dicitur diſcretio, & electio à Deo facta abſque meritis; & alia eſſe non poteſt niſi liberum, & gratuitum decretum de danda gloria. Neque enim decretum de danda gratia vſque ad mortem, oriri poteſt ex eodem decreto de danda gratia vſque ad mortem, ſed debet oriri ex alio priori decreto de danda gloria, quæ cùm ſit finis ex natura rei per gratiam acquiſibilis, petit conſequenter, aliud poſterius decretum de danda gratia. Idem colligo ex eo, quòd per hanc electionem, electi dicuntur, facti *vaſa miſericordiæ*: hoc eſt, ex vi miſericordioſiſſimæ diſcretionis à maſſa perditionis, & electionis ad gloriam, ſunt taliter conſtituti, vt liberandi ſint à miſeria peccati per gratiam, in eáque conſeruandi vſque in finem vitæ ex diuina miſericordia. At verò per electionem ad gratiam, eiúſque perſeuerantiam vſque ad mortem, fiunt potius *vaſa iuſtitiæ,* hoc eſt, tales, vt eis iuſtè ex meritis reddi debeat merces, & corona gloriæ à iuſto iudice Deo.

*Electio gratiæ eſt apud Auguſtinum electio gratuita.*

*Cur electi dicũtur ab Auguſtino vaſa miſericordiæ.*

41. Poſtea Auguſtinus ait, *Quicumque electi, ſine dubio etiam vocati ſecundùm propoſitum. Non autem quicumque vocati, conſequenter electi.* Manifeſtè diſtinguit decretum, & propoſitum vocandi à decreto, & propoſito, quo eliguntur prædeſtinati. Et hoc ſecundum docet eſſe cauſam primi, non primum ſecundi. Hinc ita argumentor. Electio antecedens decretum vocandi, eſt etiam multò magis antecedens merita futura, & abſolutam præuiſionem futurorum meritorum, quæ ſunt effectus poſterioris decreti vocandi. Ergo huiuſmodi electio conſiderari rectè non poteſt à Deo facta ex meritis præuiſis, ſed conſiderari debet ante abſolutam meritorum præuiſionem. Electio autem antecedens decretum vocandi non poteſt eſſe electio ad gratiam, quia hæc à vocatione incipit, quæ eſt prima gratia; ergo hæc antecedens electio, eſt electio ad gloriam. Ergo electio ad gloriam per Auguſtinum non eſt ex præuiſis meritis. Atque hoc verè eſt illud propoſitum, ſecundùm quod à Paulo, & Auguſtino ſæpe dicuntur vocari prædeſtinati. Neque enim vocamur ſecundùm propoſitum vocandi, ſic enim, quia reprobi etiam vocantur, hi quoque vocarentur ſecundùm propoſitum, & conſequenter, eſſent prædeſtinati; ſed proprium prædeſtinatorum eſt, vocari tali vocatione efficaci, accommodata alteri priori efficaci propoſito glorificandi: quod eſſe nequit ex præuiſis meritis, ſed ex pura gratia, ac miſericordia.

*Quid ſit vocari ſecũdum propoſitum.*

Denique



Denique Auguſtinus poſt medium capitis, clariſſimè explicat ſe, de electione ad gloriam, dicens, *Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto, non quomodo electus eſt Iudas ad opus, cui congruebat.* Et paulò poſt, *Illos*, hoc eſt, reliquos Apoſtolos, præter Iudam, *elegit ad obtinendum regnum ſuum*, quod ſtatim vocat, *regnum electorum*, & in fine capitis, *beatam vitam.*

42. Vbi rurſus de multis iuſtis, qui non perſeuerant vſque in finem, & damnantur, ita repetit, *Non enim ſunt à maſſa illa perditionis, præſcientia Dei, & prædeſtinatione diſcreti; & ideo, nec ſecundùm propoſitum vocati; ac per hoc, nec electi. Et tamen, quis neget eos electos, cùm credunt, & baptizantur, & ſecundùm Deum viuunt. Planè dicuntur electi à neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo, qui eos nouit non habere perſeuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos.* Si aliqui iuſti, & in gratia, ideo non ſunt vocati, nec iuſti, nec in gratia, ſecundùm propoſitum, quia non ſunt diſcreti, nec prædeſtinati, nec electi; ergo Auguſtinus loquitur non de electione ad gratiam, nec de propoſito vocandi, & iuſtificandi, & dandi gratiam, ſed de antecedente electione ad gloriam, &, vt ipſemet ait, *beatam vitam*, quam manifeſtè diſtinguit à gratia; & de alio priori propoſito glorificandi. Quod propoſitum dandi gloriam, ſi antecedit propoſitum dandi gratiam, non poteſt eſſe ex præuiſis meritis, quæ non poſſunt eſſe, & præuideri niſi ex gratia. Quare cum antea dixit Auguſtinus, *Illi ergo electi, qui ſecundùm propoſitum vocati; qui etiam prædeſtinati, atque præſciti*: non vult ponere propoſitum vocandi ante electionem, & propoſitum glorificandi, cuius contrarium ſæpe, & expreſsè docet in eodem cap. ſed ſolùm vult à poſteriori, & per effectum, declarare, quínam ſint à Deo electi ad gloriam; hi enim, inquit, ſunt, qui vocantur ſecundùm propoſitum; hoc eſt, ita vocantur, vt reſpondeant, & perſeuerent vſque in finem: hæc namque eſt illa vocatio, quæ eſt propriiſſimus effectus proueniens ab illo propoſito, quo eos efficaciter elegerat ad gloriam, & præſcierat, & prædeſtinauerat.

*Ex libro de correptione, & gratia, c.12. & 13.*

43. Similia docet Auguſt. in ſequentib. cap. Notanda maximè ſunt contra aduerſarios intelligentes Auguſtinum de electione ad gratiam, non ad gloriam, verba illa c.12. circa princ. *Nunc verò Sanctis, in regnum Dei, per gratiam Dei prædeſtinatis, perſeuerantia ipſa donatur.* Vbi regnum manifeſtè diſtinguitur à gratia, & finali ipſa perſeuerantia; & ratio, propter quam datur gratia, & perſeuerantia vſque in finem, dicitur eſſe prædeſtinatio in regnum. ergo non poteſt intelligi de regno gratiæ, ſed de regno gloriæ. Idem patet ex verbis cap.13. ante medium. *Numerus ergo Sanctorum, per Dei gratiam, Dei regno prædeſtinatus, donata ſibi etiam vſque in finem perſeuerantia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam ſine fine beatiſſimus ſeruabitur.* Meritò igitur tam Proſper ſupra, quàm omnes Maſſilienſes apud ipſum, intellexerunt Auguſtinum in libris contra Pelagianos, maximè in hoc libro de correptione, & gratia, docentem, prædeſtinatos fuiſſe à Deo electos ad gloriam ante abſolutam præſcientiam meritorum. Neque dici poteſt, Auguſtinum loqui quidem de electione ad gloriam ſine meritis, tamen eſſe intelligendum iuxta ſenſum ſemipelagianorũ, quos impugnabat, ſine meritis ex viribus naturæ, & non ſine meritis ex viribus gratiæ. Quamuis enim in primo ſenſu excludente naturæ merita ſæpe loquatur, tamen locis ſuperius citatis, clariſſimè quoque loquitur in vniuerſaliori ſenſu excludente etiam merita gratiæ. Nam verbis ex Ariminenſi allatis ſupra, num.36. loquitur de prædeſtinatione ad regnum facta ex *gratuita bonitate,* quæ excludit etiam merita gratiæ. Quam prędeſtinationem ibi etiam docet eſſe cauſam meritorum ex gratia; *vt obediant, vt accepta gratia rectè credant, & bene viuant.* Proſper quoque ſupra num.38. Auguſtino tribuit, hanc electionem factam, *ſecundùm quòd placuit creatori.* Ergo ex nullis meritis. Et num.39. petit inſtrui abſolutè de propoſito, & præſcientia, an hæc ſit illo prior, vel poſterior. Et propoſitum antecedens ab Auguſtino admiſſum, ait eſſe, *Quo fideles fiunt, qui præordinati ſunt ad vitam æternam*; ergo eſt propoſitum cauſans fidem, & vera gratiæ merita; ergo propoſitum prius meritis, & præuiſione meritorum ex gratia. Præterea ipſemet Auguſtinus ſupra num.40. loquitur apertè de illa electione, quæ eſt prima radix gratiæ, & omnium meritorum vſque ad finem vitæ: ergo ex nullis prorſus antecedentibus meritis facta. Et num.41. & 42. docet electionem eſſe cauſam vocationis ſecundùm propoſitum, à qua vocatione incipiunt gratiæ merita; ergo hæc poſteriora ſunt electione illa; ergo eſt electio facta abſque gratiæ meritis. Denique verbis hoc numero citatis, apertè loquitur de electione ad regnum facta per gratiam Dei, ergo non per iuſtitiam, & quæcumque merita: quia omne meritum opponitur gratiæ.

*Auguſt. loquitur de electione ad gloriã ſine meritis, non ſolũ naturæ, ſed etiam gratiæ.*

*Probatur ſecũdò ex libris de prædeſtinatione Sanctorũ, & Bono perſeuerantia.*

44. Arguo ſecundò teſtimoniis deſumptis ex libris de prædeſtinatione Sanctorum, & Bono perſeuerantiæ, quæ multò magis vrgere debent: quia cùm in his libris Auguſtinus reſpondeat ad epiſtolam Proſperi, qui de hac electione ad gloriam ante omnium meritorum præſcientiam, in aliis ſuis operibus ab Auguſtino tradita, vel ſolùm, vel præcipuè inſtrui flagitauerat ad confirmandos fideles, & hæreticos confutandos, nihil omnino legitur, quod vel leuiter faueat aduerſariis; multa verò ſcripta ſunt, quæ prioris ſententiæ confirmationem, ſi non euidentiſſimè, ſatis tamen clarè ſignificant. Et ſanè petitio illius epiſtolæ fuit adeo efficax, & de ſe adeo neceſſaria ad fidei defenſionem, vt ſola negatio retractationis ſententiæ, cenſeri prudenter poſſit euidens eiuſdem ſententiæ confirmatio. Afferam quædam, quæ videntur efficaciora.

*De prædeſtinatione Sanctorum c.16. Exponitur cũ Auguſt. locus ad Rom.11.*

Primò in libro de prædeſtinatione Sanctorum à cap.16. incipit agere de electione, quæ eſt, inquit circa finem capitis, *ſecundùm gratiam, non ſecundùm debitum.* Deinde addit cum Paulo ad Rom.11. quòd ex hac electione proueniunt *dona, & vocatio Dei ſine pœnitentia*, hoc eſt, inquit, *ſine mutatione ſtabiliter fixa.* ergo eſt electio ſine præcedentibus meritis non ſolùm naturæ, quæ merita in ſuperioribus capitibus fusè excluſerat Auguſtinus contra ſemipelagianos, ſed etiam gratiæ: quod enim horum eſt cauſa meritorum, non poteſt eſſe ex his meritis. Vnde initio capitis 17. ait, *Non eliguntur quia crediderunt, ſed eliguntur, vt credant.* iuxta illud Ioannis 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, & ſubdit, *Electi ſunt ante mundi conſtitutionem, ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit: Electi ſunt ea vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinauit, impleuit.* Clarè exprimitur præſcientia abſoluta meritorum gratiæ poſt electionem. Hanc autem antecedentem electionem fuiſſe ad gloriam, & non ſolùm ad gratiam, apertè colligo, tum quia talis electio eſſe dicitur, *in qua Deus ſua futura facta præſcinit*; quæ facta ſtatim enumerat cum Apoſtolo ad Romanos octauo, dicens, *Quos enim prædeſtinauit, ipſos & vocauit*

*Et cap.17.*

*Exponitur cũ Auguſt. locus Ioan.15.*

*Auguſt. loqui de electione ad gloriam.*

*cauit ſecundùm propoſitum, & iuſtificauit, & glorificauit illo vtique fine, qui non habet finem.* ergo illa electio, ſeu prædeſtinatio ante abſolutam præſcientiam meritorum, fuit etiam ad glorificationem vitæ æternæ: alioquin futurum huius glorificationis factum non præſciuiſſet Deus in illa ſua prædeſtinatione, & electione, ſed ipſa electio conſequuta eſſet præſcientiam aliunde habitam. Tum quia electi dicuntur ea vocatione, *qua Deus id, quod prædeſtinauit, impleuit.* Ergo vocatio eſt medium ad implendum terminum, & finem prædeſtinationis: vltimatus autem terminus, qui impletur per vocationem ſecundùm propoſitum, non poteſt eſſe ipſamet vocatio, ſed eſt ſalus vitæ æternæ, ad quam finaliter obtinendam illa vocatio verè tendit; ergo electio ante merita, de qua loquitur Auguſt. eſt electio gloriæ. Et ideo paulò poſt, ita concludit, *eligendo ergo facit diuites in fide, ſicut hæredes regni.* hoc eſt, quia prædeſtinatos eligit ad hæreditatem regni cœleſtis, ideo eos eligit vt faciat diuites in fide, aliiſque gratiæ meritis. Et de eadem electione præcedente merita naturæ, quæ nulla ſunt, & cauſante merita gratiæ, multa proſequitur c.18.
Et cap.20. & 19. & tandem c.20. poſt medium, ex eadem electione oriri docet, & multis Scripturæ locis probat, *Deum mirabili modo, & ineffabili inclinare prædeſtinatorum corda ad regnum cœleſte obtinendum.* Ad cuius rei probationem inter alia applicat illud Acto-
*Exponitur cũ Auguſt. locus Act.13.* rum 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati in vitam æternam.* Quo, inquit Auguſt. in fin. cap. *oſtenditur Deus ad regnum etiam cœlorum*, & ad vitam æternam parare, & conuertere hominum voluntates. Electio igitur Dei, ſecundùm Auguſtinum cauſans gratiæ merita, & conſequenter antecedens abſolutam præſcientiam meritorum, tendit expreſsè, & finaliter ad regnum cœlorum, & non ad ſolam gratiam præcisè.

45. Secundò in libro de Bono perſeuerantiæ, cap.8.
*De bono perſeuerantiæ, cap.8.* circa finem ait, *Ex duobus paruulis, originali peccato pariter obſtrictis, cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iſte ita vocetur, vt vocantem ſequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem ſequatur; inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi autem non donetur; inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei.* Et cauſam certiſſimam eſſe ſtatim ait, *Hunc eſſe ex prædeſtinatis,*
*Exponitur cũ Auguſt. locus 1. Ioan. 2.* *illum non eſſe*: eámque cauſam aſſignari ait à Ioanne epiſtola 1. cap.2. illis verbis, *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Quæ verba exponens Auguſtinus ait, *Vtrique vocati fuerant, & vocantem ſequuti; vtrique ex impijs iuſtificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati; & ſecundùm hæc omnia, ex nobis erant. Verumtamen ſecundùm aliam quamdam diſcretionem non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.* Atque hoc ipſum magis explicans, ſtatim addit, *Quænam eſt tandem iſta diſcretio? patent libri Dei, clamat Scriptura diuina, Non erant ex nobis, quia non erant ſecundùm propoſitum vocati, non erant in Chriſto electi ante conſtitutionem mundi, non erant prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui vniuerſa operatur. Nam ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent.* Nihil illuſtrius pro noſtra ſententia dici poterat. Duplex diſcretio clariſſimè diſtinguitur, altera tendens ad auxilia gratiæ, ad iuſtificationem, ad merita; & hæc communis eſſe dicitur reprobis, & prædeſtinatis: altera prædeſtinatorum propria, quæ cauſa eſſe dicitur non ſolùm vocationis, iuſtificationis, meritorum, ſed etiam perſeuerantiæ vſque in finem. Ergo antecedit hæc omnia, & abſolutam præuiſionem eorum; ergo eſt diſcretio tendens ad aliud obiectum antecedens hæc omnia; quod aliud eſſe nequit, niſi vita æterna, ad quam, tamquam ad finem, & bonum vltimum, ipſa etiam finalis perſeuerantia tendit. Demum ſi nulla alia eſſet electio ad gloriam niſi ex meritis, poſt abſolutam eorum præuiſionem, profectò cur in ſecundo caſu de duobus piis, ſaluetur vnus, non alius, non eſſent inſcrutabiliora iudicia, quàm cur in primo caſu de infantibus alter baptizetur, alter relinquatur: nam cauſa ex meritis reddi facillimè poterat de piis, non de infantibus, qui nihil boni, aut mali egerunt: de quibus eſſent ſine dubio multò inſcrutabiliora iudicia, quia magis pares, imo omnino pares in eadem cauſa ſunt; ambo in eodem communi peccato originali, ambo ſine vllis propriis meritis, & demeritis; & nihilominus hic aſſumitur, ille reiicitur. De adultis verò, & piis, manifeſta diſparitas eſt ex eo quòd in fine vnus inuentus eſt cum meritis, alius cum demeritis; & ideo ille aſſumptus, hic reiectus. Cauſa igitur ſecundùm Auguſtinum eſſe debet ſola Dei voluntas, occultiſſima quidem, tamen miſericordioſiſſima, & iuſtiſſima: cuius libertas magis apparet in caſu de piis, quos ad ſalutis portum pene duxerat, & tamen alterum mergi permiſit, alterum ſaluari voluit; quàm in caſu de infantibus, quorum alterum relinquere omnino ſtatuit.

Præterea in eodem lib. cap.14. paulò poſt prin- 46. Et cap.14.
cipium ita argumentatur Auguſtinus. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quos daturus eſſet filio ſuo, vt ex eis non perderet quemquam? Quæ vtique ſi præſciuit, profectò beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſciuit.* & ſtatim docet, prædeſtinationem nihil aliud eſſe, quàm iſtam *præſcientiam, & præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Et ex ſequentibus conſtat, ipſum loqui de liberatione à *maſſa perditionis.* Prædeſtinare aliquos dandos Chriſto, & non perdendos, ſeu damnandos, ſed liberandos à maſſa perditionis, eſt proculdubio prædeſtinare, & eligere ad vitam æternam: nam etiam ſi homines vocentur, & credant, & iuſtificentur, & iuſtè viuant, ac mereantur, adhuc tamen poſſunt contineri in maſſa perditionis, & damnari, & dari diabolo. Et nemo cenſetur abſolutè, ac perfectè Chriſto datus, & liberatus à maſſa perditionis, niſi efficaciter electus vt in cœlis cum Chriſto regnet in æternum, & ſit in oppoſita alia maſſa, ſeu potius, ordinatiſſima, & glorioſiſſima Dei ciuitate ſalutis æternæ. Sed Auguſtinus ex hac approbationis præſcientia, & efficaci voluntate dandi gloriam, infert præſcientiam, & præparationem ſupernaturalium beneficiorum, ac mediorum, & conſequenter, meritorum, quibus certiſſimè, ac prorſus infallibiliter perducuntur electi ad finem efficaciter antea intentum per priorem voluntatem, & præſcientiam approbationis. Ergo ante omnem electionem gratiæ, & abſolutam præſcientiam meritorum, admittit in Deo electionem ad gloriam, & diſcretionem à maſſa perditionis, in qua multi iuſtè relicti ſunt, & facti vaſa contumeliæ, alij verò miſericorditer liberati, & facti vaſa honoris, & gloriæ ſempiternæ. Eadem connexio prioris efficacis intentionis finis gloriæ cum poſteriori electione mediorum, ac meritorum gratiæ, paulò poſt perſpicuè ſignificatur, dum docet, Tyrios, & Sidonios, qui credidiſſent, & ſaluati eſſent, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent, vt ipſemet Chriſtus teſtatur Matth.11. relictos in maſſa perditionis, & non habuiſſe à Deo vt crederent, nec vnde crederent, quia, inquit, *Dei altiore iudicio, à perditionis maſſa non erant gratiæ prædeſtinatione diſcreti.* Et tam de his, qui credidiſſent, ſi vidiſſent ſigna, quàm de Iudæis, qui viderunt ſigna, & non crediderunt, quærit Auguſtinus, cur Tyriis non datum eſt vt viderent ſigna? &, cur Iudæis non datum eſt vt crederent viſis ſignis? & reſpondet, nullam aliam cauſam afferendo, niſi, *quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles*
*Quæ ſint merita ſecundũ propoſitum.* *viæ.* Semper igitur manifeſtè Auguſtinus ante vocationem, & fidem, & quæcumque merita, ponit efficax gloriæ propoſitum, atque electionem, quæ eſt diſcretio à maſſa perditionis; & propter hunc finem ait, prouideri, ac præparari infallibilia gratiæ media, ac merita; quæ, propter infallibilem connexionem, quam habent cum fine per Dei propoſitum intento, dicta ſunt à Paulo, & Auguſtino, *ſecundùm propoſitum.*

## *Quid de eadem re ſentiant alij Patres.*

47. Auguſtinum ſine dubio ſequuti ſunt, eius doctrinæ addictiſſimi ſectatores, & propugnatores acerrimi, Proſper, & Hilarius in Gallia, & Fulgentius in eadem Africæ prouincia. Primò de Proſpe-
Proſper. ro dictum eſt ſupra, num.37.38.39. Ex eodem in Reſponſionibus ad Capitula Gallorum cap.7. habemus quòd *præordinata in Chriſto electio dat miſericorditer perſeuerantiam in bono vſque ad finem.* Quos electos, inquit, *Deus à filijs perditionis prædeſtinatione diſcreuit.* Si hæc electio eſt facta *miſericorditer*, ergo abſque vllis meritis. Si dat *perſeuerantiam vſque ad finem.* ergo eſt facta ante præuiſionem abſolutam meritorum vſque in finem. Si denique per hanc electionem Deus prædeſtinatos *à filijs perditionis diſcreuit*, ergo eſt electio ad finalem æternæ gloriæ ſalutem, ſicut à contrario, non prædeſtinati, relinquuntur in finali æternæ miſeriæ damnatione. Datur igitur ſecundùm Proſperum, omnino gratuita electio ad gloriam.

48. Secundò Fulgentius idem docet libro de Fide
Fulgent. ad Petrum, cap.3. vt ſupra, num.36. Præterea lib.1. ad Monimum, ante medium, ait, *Quos pædeſtinauit ad gloriam, prædeſtinauit ad iuſtitiam.* Apertè diſtinguit in Deo duas prædeſtinationes, ſiue electiones, alteram priorem, vt cauſam poſterioris, ad gloriam; alteram poſteriorem, vt effectum prioris, ad iuſtitiam, & gratiam. Et libro de Incarnatione, & gratia, cap.31. circa finem. *Deus*, inquit, *prædeſtinatione ſua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perſeuerantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit.* Et ſtatim addit, quòd qui de prædeſtinatione aliter ſentit, *Manifeſtum eſt, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem gratis elegit, & prædeſtinauit ad regnum.* Quibus vltimis verbis clariſſimè expreſſit electionem, ſeu prædeſtinationem *ad regnum*, quod paulò ante vocauerat, *Donum glorificationis ad regnandum*, & apertè diſtinxerat ab aliis duobus donis, gratiæ, & perſeuerantiæ. Idque deinde ſolùm prædeſtinationi tribuens, ſignificat ad illud principaliter, & per ſe terminari diuinam prædeſtinationem, atque electionem; ad alia verò duo terminari ſecundariò, & conſequenter propter illud. Eamdem quoque electionem dixit fieri gratis, excludendo omnia gratiæ merita, quæ per poſteriora dona habentur.

49. Tertiò Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum, quæ
Hilarius. habetur ante librum de Prædeſtinatione ſanctorum, nonnulla ex Auguſtini libris refert, quæ Maſſilienſibus diſplicebant; inter quæ illud eſt, *vt eligendorum, reijciendorúmque ſit definitus numerus; & ſic prædeſtinati ſint ad vtramque partem, vt de alijs ad alios nullus poſſit accedere.* Quod dictum intelligitur de finali ſalute, ad quam abſque vllis meritis per merum Dei beneplacitum, ita aliqui eliguntur, vt damnari non poſſint; & contra, ita alij ab ea reprobantur, vt ſaluari non poſſint; & tam de hoc, quàm de aliis dictis circa finem epiſtolæ ita petit ab Auguſtino, *Libros, cùm editi fuerint, quos de vniuerſo opere moliris, quæſo habere mereamur; maximè vt per eorum authoritatem, ſi qua tibi in tuis diſplicent, à dignitate tui nominis, iam non trepidi ſequeſtremus.* Conſtat autem ex ſuperioribus, Auguſtinum in libris de Prædeſtinatione ſanctorum, & Bono perſeuerantiæ, reſpondendo ad hanc Hilarij epiſtolam, ea, quæ de electione prædeſtinatorum, & reproborum reiectione, antea docuerat, nunquam reuocaſſe, ſed ſæpe, & euidenter confirmaſſe. Ergo idem omnino Hilarium ſenſiſſe putandum eſt.

Quartò, Hugo de S. Victore in epiſtolam ad 50. Hugo de S. Victore.
Roman. quæſt.225. docet, prædeſtinationis effectum eſſe vocationem, non communem, ſecundùm quam dicitur Matth. 22. *Multi ſunt vocati,* Matth.22. *pauci verò electi*; ſed ſpecialem, *quæ ſit*, inquit, *ſecundùm propoſitum, ſecundùm quam nullus vocatur niſi electus, & prædeſtinatus.* Electio, ſeu prædeſtinatio ante vocationem, neceſſariò eſſe debet ante omnia merita, quæ primam diuinæ vocationis gratiam neceſſariò præſupponunt; ſed vt antea dixerat in quæſt.215. fin. *Prædeſtinatio eſt de ſaluandis*, ergo ſecundùm Hugonem electio prædeſtinatorum ad ſalutem æternam, concipienda eſt in Deo ante vllam aliam gratiam, & abſolutam præſcientiam meritorum.

Quintò, his Patribus addi poſſunt Patres Con- 51. Conc. Valét.
cilij Valentini ſub Lothario Imperatore, anno 855. tempore Papæ Benedicti III. Hoc Concilium cap.3. paulò poſt principium, *Fidenter*, inquit, *fatemur, in electione ſaluandorum, miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione verò periturorum, meritum malum præcedere iuſtum iudicium Dei.* Vbi loquitur de electione oppoſita damnationi. Sicut igitur damnatio periturorum eſt ad ſupplicium æternum, ita electio ſaluandorum eſt ad vitam æternam. Quod clarè expreſſerat Concilium his præcedentibus verbis, *Fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.*

## *Probatur concluſio authoritate Scripturæ.*

Primùm vrgeo verba illa ad Epheſ.1. *Elegit nos* 52. *Exponitur locus ad Eph.1. cum Auguſt.*
*in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Vbi omnes concedunt, loqui Paulum de voluntate abſoluta, & firmo decreto: quod apertè ſignificant voces illæ, *elegit, prædeſtinauit, propoſitum.* Loqui etiam de electione liberali, antecedente præuiſionem meritorum, docet Auguſt. de Prædeſtinatione ſanctorum, c.18. optimè probans ex illo, *elegit vt eſſemus ſancti, & immaculati*, & ita deducit, *non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus, nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe, prædeſtinans vt tales per gratiam eius eſſemus*, & cap. ſequenti 19. poſt

principium rurſus ait, *Non quia credidimus, ſed vt credamus, elegit nos; ne priores eum elegiſſe dicamur, falsúmque ſit, quod abſit, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Nec quia credidimus, ſed vt credamus, vocamur.* Eamdem gratuitam Dei voluntatem, excludentem quęcumque noſtra merita, ſignificat etiam clarè Paulus, vt adnotauit ipſemet Auguſt. citato c.18. illis verbis, *Prædeſtinauit ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ:* & infra clarius, *Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum eius, quod propoſuit,* &c. & paulò poſt, vt colligit idem Auguſt. cit. c.19. *In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Eodem modo exponit Hieronymus dicens, *Non enim ait Paulus, elegit nos ante conſtitutionem mundi, cùm eſſemus ſancti, & immaculati; ſed elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati, hoc eſt, qui ſancti, & immaculati ante non fuimus, vt poſtea eſſemus.* Hæc igitur ſancta, atque immaculata vita, eſt effectus illius æternæ electionis, non cauſa, ſeu ratio.

*Et Hieronymo.*

53\. Et quamuis Paulus non videatur loqui de electione ad gloriam, ſed ad gratiam; tamen ſicut certum eſt loqui de prædeſtinatis, & electis, diſtinctis à reprobis, ita certum eſſe debet, non loqui de electione ad gratiam ſufficientem tantùm, per quam homines, ſancti, & immaculati eſſe poſſunt, ſed non ſunt; neque de electione ad gratiam efficacem pro aliquo tempore, & non pro fine vitæ, quia hanc gratiam largitur etiam multis reprobis: ſed ſolùm de electione ad gratiam efficacem finalem, quia hæc eſt gratia propria prædeſtinatorum, & non obſcurè ſignificatur illis verbis, *vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius.* Enim verò electio prædeſtinatos efficit ſanctos, non quomodocumque, ſed ſanctitate finali; quos ſanctos, Paulus ad Roman.8. vocat *ſanctos ſecundùm propoſitum*, illis verbis, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Vt declararet ſanctos prædeſtinatos, non ſatis habuit dicere, *diligentes Deum*, qui omnes ſunt ſancti ſimpliciter, & poſſunt eſſe etiam reprobi; ſed neceſſarium duxit limitare ſanctos tales, eos ſcilicet, *qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti:* hoc eſt, ſanctitate orta ex peculiari propoſito electionis prædeſtinatorum, quæ non eſt ſanctitas niſi finalis; propter quam ſanctitatem dicit Dominus, fieri non poſſe, vt in fine mundi, *in errorem inducantur etiam electi:* & ideo addit, *ſed propter electos breuiabuntur dies illi.*

*Quæ ſit gratia propria prædeſtinatorum.*

*Exponitur locus ad Roman.8.*

54\. Habemus igitur ſaltem ex hoc loco, quòd decretum efficax de gratia finali fuit ante præuiſa merita. Vnde efficaciter deducitur, ante præuiſionem meritorum fuiſſe etiam efficax decretum de gloria. Conſequentiam probo primò, quia huiuſmodi decreta ſunt inuicem adeo connexa, vt pro eodem moraliter reputentur; cùm impoſſibile ſit, eligere aliquem vt perſeueret in gratia vſque in finem vitæ, & non eligere vt ſaluetur, & è contra, teſtante Domino Matth. 24. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Secundò, quia de hac electione ad gratiam finalem ſine præuiſis meritis, ſunt eædem prorſus difficultates, quæ fiunt ab aduerſariis contra electionem ad gloriam ſine præuiſis meritis; nam ſicut gloria, ita perſeuerantia vſque in finem non habetur abſque libera cooperatione noſtra, & abſque aliquo merito vel de condigno, vel de congruo. Si enim perſeuerantia in re non datur ſine meritis, & nihilominus Deus vult efficaciter illam antequam videat merita futura; ergo idem dicendum de gloria, licèt non detur ſine meritis. Tertiò, quia inter gratiam finalem, & gloriam, nulla à parte rei intercedunt merita; ita vt poſt gratiã finalem detur infallibiliter gloria, nõ propter merita facta poſt illam gratiam, ſed ante: ergo ſi voluntas dandi infallibiliter gratiam finalem eſt ante præuiſionem meritorum, ante hanc pariter erit voluntas dandi infallibiliter gloriam. Ex parte enim obiectorum, multò maior connexio eſt inter gratiam finalem, & gloriam, quàm inter gratiam finalem, & præcedentia merita gloriæ; quia gratia finalis non poteſt eſſe ſine gloria, merita autem gloriæ ante gratiam finalem poſſunt eſſe ſine gratia finali, cum multi poſt gratiam, & multa gloriæ merita peccent, & in peccato moriantur. Nos verò non diſtinguimus hos actus in Deo, nec concipimus inter illos rationem prioris, & poſterioris, niſi cum aliquo fundamento in re ipſa, deſumpto ſcilicet ex ipſis obiectis prout ſunt à parte rei; & quidem ſatis per ſe manifeſtè apparet magna inordinatio inter actus diuinos, ſi ita Deum procedere concipiamus, volo huic dare gratiam finalem, volo huic dare merita gloriæ, video futura merita, volo huic dare gloriam propter merita. Quo ordine concipiendus eſſet Deus procedere, ſi dicatur, velle dare gratiam finalem ante præuiſa merita, velle tamen dare gloriam non niſi poſt præuiſionem meritorum.

*Si ante præuiſa merita eſt electio ad gratiã finalẽ, eſt etiam electio ad gloriã.*

Matth.24.

55\. Idem Scripturæ ſenſus colligi poteſt ex multis aliis locis, in quibus prædeſtinati appellantur ſimpliciter, & abſolutè, *electi*, ad diſtinctionem aliorum, qui dicuntur, reprobi. Vel igitur dicuntur electi reſpectu gloriæ ante prælectionem ad gratiam, & habemus intentum. Vel reſpectu gratiæ ante prælectionem ad gloriam; ſed hæc gratia non poteſt eſſe niſi perfecta, & conſummata vſque in finem vitæ; ergo, &c. vt ſuprà. Imò ita appellatos fuiſſe, pręcipuè propter electionẽ ad gloriam, patet ex illo 2. ad Tim. c.2. *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cœleſti.* Et ideo in fine mundi, abſoluto iam ſtatu viæ, ac merendi, & completo, ac finaliter ſtabilito ſtatu termini, ſiue gloriæ, ſiue damnationis, Matth.24. & Marci 13. dicitur quòd Chriſtus congregabit electos ſuos, nimirum ad gloriam, ad quam ante mundi conſtitutionem eos elegerat. Et ne eamdem gloriam amitterent, de eodem tempore finis mundi dicitur Marci 13. *Propter electos, quos elegit, breuiabit dies.* Cui ſimile eſt illud Sap.4. vbi de electo dicitur, *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius.* Ergo electio eſt cauſa, vt quis ita in gratia conſeruetur, & cuſtodiatur, vt in ea ſine peccato moriatur: quæ electio non poteſt de præcedente alia re eſſe, niſi de gloria. Ergo Deus ordine intentionis, prius voluit gloriam, quàm media, per quæ in ordine executionis cauſanda eſt gloria. Confirmatur ex ratione, quæ Sap.4. affertur, cur Deus prædeſtinatum citò mori voluerit in gratia, quia, inquit, *Placita erat Deo anima illius.* Et iterum ſtatim immediatè repetit, *Propter hoc præparauit educere illum de medio iniquitatum.* Ratio igitur cur prędeſtinatus transferatur de ſtatu gratię, ac merendi, ad ſtatum gloriæ, non dicuntur eſſe gratia, aut merita gloriæ, quia hæc communia eſſe poſſunt cum reprobis, ſed ſolũ quia Deo placebat illa anima per miſericordioſiſſimã, & omnino liberalẽ electionem ad gloriam. Si enim nulla alia ratio eſt efficacis electionis ad gloriã, niſi ſola merita, profectò non videtur prudẽter intelligibile, cur datis duobus hominibus, altero prędeſtinato, altero reprobo, habẽtibus eandem gratiam, eadem merita, quæ etiã plura eſſe poſſunt in reprobo, Deus, præuidens quòd ſi

*Cur prædeſtinati dicãtur electi.*

*Exponitur locus 2. ad Timoth.2.*

Matth.24.
Marci 13.

*Exponitur locus Sap.4.*

præde



prædeſtinatus moreretur cras, damnaretur, velit, ad vitandum hoc malum, & propter efficacem dilectionem, & complacentiã, ſiue electionem illius, vt immatura morte hodie moriatur, non cras; & è contra, pręuidens quòd reprobus ſi moreretur cras, damnaretur, ſi moreretur hodie, ſaluaretur, velit vt moriatur cras, non hodie. Hæc igitur diuina ordinatio, & duplex cauſa, quam huius ordinationis aſſignat Scriptura, ſcilicet ne prædeſtinatus mutaretur in malitiam, &, quia placebat Deo, manifeſtè demonſtrant, primam quamdam electionem ad gloriam, & efficacem dilectionem quorumdam, & non aliorum, non fuiſſe in Deo poſt præuiſionem meritorum, & propter merita, ſed ſolùm, vt ait Paulus ſupra, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitum eius, quod propoſuit.*

56\. Secundò, multum quoque vrgent, adiuncta Auguſtini expoſitione, verba illa Ioannis 6. *Hæc eſt voluntas Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.* Vbi ſermonem eſſe de prædeſtinatis, patet, tum ex verbis ipſius, quæ ſunt de iis, qui ita à Chriſto reſuſcitantur in die iudicij, vt non perdantur, ſed dentur Chriſto à Patre: qui ſunt ſine dubio ſoli prædeſtinati, & non reprobi. Tum ex Auguſtino libro de correptione, & gratia, cap.9. vbi poſt princip. ait, *Hi Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam æternam. Ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc, nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus vt non pereat, ſed habeat vitam æternam.* & poſt medium. *Quicumque prædeſtinati ſunt, omnino perire non poſſunt. Hi verè veniunt ad Chriſtum, quia ita veniunt quomodo ipſe dicit, Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Et clarius lib.5. contra Iulianum cap.3. poſt medium, loquens de prædeſtinatis, & electis per electionem gratiæ, ait, *Ex his nemo perit, quacumque ætate moriatur. Abſit enim vt prædeſtinatus ad vitam, ſine ſacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait, Hæc eſt autem voluntas eius, qui miſit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.*

*Exponitur cũ Auguſt. locus Ioan.6.*

57\. Voluntas verò qua Deus Pater dicitur Chriſto dediſſe prædeſtinatos, debet rationabiliter intelligi de voluntate antecedente, non conſequente præſcientiam meritorum: quia Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap.8. initio exponens ſimilia verba Ioannis ex eodem cap.6. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*, ait, *Quid eſt, ad me veniet, niſi, credet in me? Sed vt fiat, Pater dat.* Ergo ſecundùm Auguſtinum Ioannes loquitur de ea voluntate, quæ eſt cauſa vt prædeſtinati credant; ergo eſt voluntas antecedens fidem; ergo omnia merita, quæ in præcedente fide fundantur, ſed eadem eſt voluntas gloriæ, tum quia eſt voluntas per quam prædeſtinati reſurgent in nouiſſimo die, ſcilicet ad vitam immortalem, & beatam: tum quia eſt voluntas, qua, vt ait Auguſtinus ſupra, Chriſto intelliguntur dari qui ordinati ſunt in vitam æternam; ergo ante præſcientiam abſolutam meritorum ſignificat Ioannes, interpretante Auguſtino, dari in Deo efficacem voluntatem erga aliquos, quos vocamus prædeſtinatos.

*Exponuntur alia verba Ioan. 6. cum Auguſtino.*

58\. Tertiò, idem probatur *apertè*, vt ait Bellarminus ſupra, ex illo Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Quibus verbis, inquit ibi Maldonatus, *Quod ab omnibus hoc loco eſt obſeruatum, verum eſt, ſignificari regnum cœlorum gratuita Dei voluntate, benignitatéque eſſe nobis prædeſtinatum ſine noſtris meritis.* Id enim obſeruant Beda, & Cyrillus apud S.Thomam in Catena. Item in eumdem locum Theophylactus, Magnus Albertus, Bonauentura, Hugo Cardinalis, Nicolaus de Lyra, Dionyſius Carthuſianus, Ioannes Gagneius, Ioannes Arboreus, Ianſenius in concordia cap.86. Cardinalis Toletus, Emanuel Sà, Sebaſtianus Barradas. Hic locus, ſi interpretum multitudinem, & grauitatem attendas, eſt valde efficax: ſi verò ſpectes verba ipſa, & intentionem Chriſti loquentis, minus efficax videtur. Quamuis enim certum ſit, ſignificari voluntatem dandi gloriam, quam clarè exprimit vox, *regnum*, quod immediatè antea clarius vocat, *regnum Dei, & iuſtitiam eius*, quia regnum Dei, vt diſtinctum à iuſtitia, non poteſt aliud eſſe niſi vita æterna; item ſignificari voluntatem gratuitam abſque vllis meritis, tum ex proprietate Latinæ vocis, *complacuit*, tum ex voce Græca, quæ à Ianſenio ſupra propriè vertitur, *ſua gratuita bonitate diſpoſuit*, &, vt ait Maldonatus ſupra, & ſequitur Barradas ſupra, *ſignificat gratiam:* tamen certum non eſt, ſignificari voluntatem efficacem, prædeſtinatorum propriam, de qua tantùm præſens eſt controuerſia, & non potius voluntatem inefficacem, ſeu conditionatam, quam communiter complacentiæ voluntatem vocamus, & Deo tribuimus reſpectu omnium, iuxta illud 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri;* eámque authores, contra quos diſputamus, non negant, eſſe in Deo ante abſolutam meritorum præuiſionem, vt notaui initio huius dubitationis. Hanc enim ſimplicis complacentiæ voluntatem bene patitur verbum, *complacuit;* neque aliam poſtulat argumentum, quod facit ibi Chriſtus à maiori ad minus; ſi enim, inquit, Pater veſter ex mera liberalitate, ac miſericordia voluit, & promiſit dare vobis æternum, ac ſummum bonum regni cœleſtis, vóſque facere hæredes Dei, cohæredes Chriſti: quantò magis dabit vobis temporalia, ac minora bona ad victum, & veſtitum neceſſaria. Vnde Maldonatus, & apud ipſum Euthymius, per puſillum gregem intelligunt, cœtum omnium ſimul fidelium, quos conſtat non eſſe omnes prædeſtinatos. Et ideo qui hoc tenet, non poteſt conſequenter aſſerere, verba ſequentia, *quia complacuit*, &c. eſſe accipienda de prædeſtinatione. Et quidem cum tota illa Chriſti exhortatio de fugienda nimia ſolicitudine rerum temporalium, in omnes planè fideles quadret, non eſt cur non debeat de omnibus intelligi. Et eſto intelligatur de omnibus Diſcipulis, vt Theophylactus, & alij iuxta textum Lucæ magis communiter exponunt, vel etiam preſſiùs de omnibus Apoſtolis, vt aliis placet, idem ſequitur; quia inter ipſoſmet Apoſtolos Iudas non fuit electus efficaciter ad gloriam regni cœleſtis. Si igitur cum Chriſtus dixit, *Nolite timere puſillus grex*, non loquitur ad ſolos prædeſtinatos, illud quod ſequitur, *quia complacuit*, &c. non poteſt intelligi de complacentia propria prædeſtinatorum, ſed communi prædeſtinatis, ac reprobis.

*Exponitur locus Lucæ 12.*
Bellarmin.
Maldonat.

S.Thom.

Ianſen.

1\. ad Tim.2.

59\. Quartò, adduci etiam poſſunt verba illa Act.13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hunc locum Ioannes Lorinus bene probat eſſe intelligendum *de prædeſtinationis præordinatione;* quæ præordinatio eſt, inquit, *Dei gratis omnino ad vitam æternam eligentis.* Sermo igitur eſt de iis, qui *præordinati* ſunt, *id eſt, præfiniti*, inquit ibi Chryſoſtomus homil.30. non longè à principio; ergo accipi debet præordinatio intellectiua, efficax, & approbationis, quæ actualiter cauſet actum credendi.

*Exponitur locus Act.13.*
Lorinus.

Chryſoſt.

dendi. Nam hæc præordinatio, ſiue electio ad vitam æternam non obſcurè ſignificatur tamquam cauſa, cur præordinati, ſiue electi, ita prædicatione Pauli, & Barnabæ, commoti fuerint, vt crediderint. Imò etiam tamquam cauſa non ſolùm vocationis, & iuſtificationis, & gratiæ, ſed ipſius etiam finalis perſeuerantiæ, vt docet Auguſtinus, qui libro de correptione, & gratia cap. 6. circa finem exponens hæc verba, ita ſubdit, *Quis in æternam vitam potuit ordinari, niſi perſeuerantiæ dono? Quandoquidem qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Qua ſalute, niſi æterna?* Vbi, quod per ſe etiam ſatis clarè exprimunt ipſamet Lucæ verba, clariſſimè ponitur voluntas vitæ æternæ diſtincta à voluntate gratiæ, & perſeuerantiæ. Igitur ante voluntatem vocandi, & dandi gratiam ad credendum, & perſeuerandum, & conſequenter, ante omnia gloriæ merita, quæ non ſunt niſi poſt fidem, & gratiam, fuit in Deo voluntas glorificandi. Et quidem efficax, quia ex vi illius, prædeſtinati ita vocati ſunt, vt actu crederent: & non crediderunt alij non prædeſtinati, quibus tamen non deerat inefficax Dei voluntas ad gloriam, & ſufficiens gratia ad credendum. Et Auguſtinus talem vitæ æternæ voluntatem eſſe docet, vt vi illius, ad vitam æternam acquirendam detur perſeuerantia vſque in finem. Quæ voluntas proculdubio efficax, & abſoluta eſt. Hæc igitur fuit in Deo ante præſcientiam meritorum. Cùm enim hæc præſcientia præſupponat merita abſolutè futura, ac proinde abſolutam Dei voluntatem dandi merita, & gratiam, ſi ante hanc voluntatem eſt voluntas dandi gloriam, erit hæc etiam ante præſcientiam meritorum.

Auguſtin.

## *Probatur concluſio rationibus.*

60. Prima ratio à priori, eáque potiſſima, ac valde efficax eſt, quam tangunt S. Thomas infra, artic. 4. circa principium corporis, illis verbis, *Non præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis. Vnde prædeſtinatio aliquorum in ſalutem æternam, præſupponit ſecundùm rationem, quòd Deus velit illorum ſalutem. Ad quod pertinet electio.* Et clariùs Scotus 1. d. 41. q. 1. §. *Poteſt aliter.* illis verbis, *Volens ordinatè finem, & ea, quæ ſunt ad finem, prius vult finem, quàm aliquod entium ad finem; quia propter finem alia vult. ergo*, &c. & multi alij authores noſtræ concluſionis citati ſupra num. 27.

*Prima ratio S. Thomæ, & Scoti à priori.*

Eam igitur hunc in modum explico. Nullum agens intellectuale, cognoſcens aliquod medium, & volens illud vt medium ad aliquem finem, poteſt velle medium, niſi habeat præſuppoſitam, & antecedentem voluntatem finis; quod principium, indubitatum eſſe, vel ipſa experientia conſtat; & ratio euidenter ſuadet: enim verò medium, vt medium, non habet aliam rationem boni, niſi vtilis, nimirum ad finem conſequendum; ac proinde, non habet rationem appetibilis, niſi in ordine ad id, ad quod eſt vtile, hoc eſt ad finem; ergo cauſa, ſeu ratio volendi medium, eſt voluntas finis. Et quidem ſi voluntas medij ſit efficax, præcedens quoque voluntas finis efficax ſit neceſſe eſt. Sicut enim quia cognitio concluſionis pendet ex cognitione principij, impoſſibile eſt illam eſſe neceſſariam, hanc probabilem; ita, quia non minus pendet voluntas medij à voluntate finis, eſt impoſſibile vt illa ſit efficax, hæc inefficax. Etenim qui ita vult media, vt illa à parte rei aſſumat ad conſequendum finem, quod eſt habere voluntatem efficacem medij, vt medij formaliter, ſine dubio ita vult finem, vt quantum poteſt faciat ad aſſequendum finem; quod eſt velle efficaciter finem: ergo voluntas efficax medij neceſſariò præſupponit præcedentem voluntatem efficacem finis, ex qua illa cauſatur, & mouetur. Adde, quòd ſicut intentio finis eſt cauſa electionis mediorum, ita vſus mediorum eſt cauſa conſecutionis finis: ergo qui vult vti hoc medio efficaci, cognito vt efficaci, hoc eſt, vt habente infallibilem connexionem cum hoc effectu, non poteſt non velle efficaciter hunc effectum. Eſt enim planè impoſſibile, cognoſcere, hoc eſſe infallibilem cauſam illius effectus, & velle efficaciter hoc vt infallibilem cauſam illius, & tamen nolle efficaciter illum effectum. Deus igitur voluit pro omnibus gloriam, & vltimum finem; voluit etiam gratiam, vt medium ad hunc finem conſequendum; ergo prius voluit gloriam, quàm gratiam. Pro prædeſtinatis verò voluit efficaciter gloriam; voluit quoque efficacem gratiam, vt medium omnino infallibile ad conſequutionem gloriæ; ergo prius efficaciter voluit gloriam, quàm gratiam efficacem, & finalem: ergo non potuit prædeſtinatis velle primò gloriam ex præuiſis meritis, quæ concipi non poſſunt præuiſa, niſi poſt voluntatem dandi gratiã. Quod cùm ita ſit, conſequens eſt, vt cum Scriptura & Patres docent, electionem ad gratiam, qua infallibiliter ſaluantur prædeſtinati, non eſſe ex meritis, ſed ante meritorum præuiſionem, intelligi debeant, idem omnino docere de efficaci electione ad gloriam; cùm hæc electio ſit ante illam; ergo multò magis ante effectum illius.

*Voluntas medij præſupponit voluntatem finis.*

*Voluntas efficax medij præſupponit voluntatem efficacē finis.*

61. Secunda ratio ſumi efficaciter poteſt ex particularibus quibuſdam prædeſtinatis, iis nimirum infantibus baptizatis, qui moriuntur ante vſum rationis, & glorificantur. His enim Deus dat gratiam finalem ſine vllis eorum prorſus meritis; & illam dat vt finalem, & efficacem ad infallibilem conſequutionem gloriæ; ergo efficaciter vult, & intendit gloriam, vt finem, gratiam verò efficaciter vult, & eligit vt efficax medium: ergo prius vult efficaciter gloriam, quàm gratiam. Sed gratiam vult ante præuiſa merita, imò abſque vlla vnquam meritorum præuiſione, aut viſione; ergo multò magis vult gloriam.

*Secũda ratio.*

62. Tertia ratio deſumitur ex Ægid. 1. d. 41. 1. p. diſt. q. 2. initio corp. & in arg. *Sed contra.* Prædeſtinatio eſt infallibilis directio per infallibilia gratiæ media ad gloriam infallibiliter conſequendam; quibus mediis, inquit Auguſt. de Bono perſeuer. c. 14. *certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Sed vniuerſa hominum maſſa ita differenter ex ſuo diuino beneplacito reſpicitur à Deo, vt quidam ſint prædeſtinati, quidam non prædeſtinati; ergo quidam diriguntur infallibiliter per gratiam ad gloriam, quidam fallibiliter; ergo cõcipere debemus, Deum prius eligere, ac ſeparare dirigendos infallibiliter, à non dirigendis infallibiliter: quia, inquit Ægid. *Si aliquis aliqua dirigere vellet, & alia non dirigere, niſi ſepararet dirigenda à non dirigendis, caſualiter ſolùm dirigenda dirigeret:* quod de diuinæ ſapientiæ ordinatiſſima directione cogitari nequit. Hinc formari poteſt

*Tertia ratio Ægidij.*

Auguſt.

63. Quarta ratio, quia inter omnes gratias, quas ſingulis hominibus ad gloriam obtinendam dare poteſt Deus, quædam ſunt ſufficientes tantùm, quæ ſcilicet ſi darentur, non haberent effectum, quædam verò efficaces, quæ ſi darentur, non ſolùm haberent ſimpliciter effectum, ſed haberent infallibiliter, ita vt in aliquo bono ſenſu non poſſint non habere effectum propter efficaciam, & infallibilitatem in actu primo, antecedenter ad actum ſecundum, vt non ſemel explicatum obiter eſt ſupra q. 14. ar. 13.

*Quarta ratio ex gratiarum diuerſitate.*





Ex hoc gratiarum genere Deus abſque vllo merito, aut demerito, quibuſdam hominibus vult dare gratiam efficacem, quibus poſſet velle dare gratiã ſufficientẽ: contra verò, aliis hominibus, quibus poſſet velle dare gratiam efficacem, nõ vult dare niſi ſufficientem. Atque hanc gratuitam diuerſarum gratiarum efficacem voluntatem ipſi etiam aduerſarij in Deo admittunt. Tunc ſic arguo. Electio ſimpliciter medij, præſupponit intentionem ſimpliciter finis, quod nemo negat; ergo diuerſa electio medij, ſeu electio mediorum longè diuerſorum in ipſamet antecedente ratione medij, præſupponere debet diuerſam intentionem finis. Sicut enim ſe habet electio ſimpliciter ad intentionem ſimpliciter, ita diuerſæ rationis electio habere ſe debet ad diuerſæ rationis intentionem: alioquin ego pariter negabo, quòd electio ſimpliciter, & vt electio medij præcisè, præſupponere ſimpliciter debeat intentionem finis. Sed Deus per æternam, & abſolutam voluntatem dandi gratias hominibus, elegit valdè diuerſa gratiæ media, nimirum pro quibuſdam gratiam efficacem, qua vult dare ipſum actualiter tendere, & infallibiliter peruenire ad conſequutionẽ finis gloriæ ſempiternę; pro reliquis gratiam ſufficientẽ, qua vult dare tantùm poſſe tendere, & peruenire ad prædictum finem: ergo irrationabiliter concipitur diuina voluntas per eamdem omnino finis intentionem, communem, atque indifferentem, ſecundùm quam dicitur, *Vult omnes homines ſaluos fieri*, æqualiter ſe habere circa illos, quibus vult dare gratiam efficacem, & circa reliquos, quibus non vult dare gratiam efficacem, ſed tantùm ſufficientem; ergo concipienda omnino eſt circa illos intentio finis abſolutè efficax, circa alios intentio finis non abſolutè efficax, ſed ſufficiens. Illa autem abſolutè efficax intentio finis gloriæ cùm præſupponatur ante abſolutam voluntatem dandi gratiam, cogitari rectè non poteſt poſt abſolutam præuiſionem meritorum ex gratia. Igitur confitenda eſt antecedens, & efficax quædam diſcretio, à Deo abſolutiſſimo gloriæ domino, liberè facta; per miſericordiam, reſpectu eorum, quos à maſſa perditionis, in qua vniuerſum genus humanum iuſtiſſimè detinebatur, liberare voluit: & per iuſtitiam, reſpectu reliquorum, quos voluit in illa maſſa deſerere.

64. Cõfirmatur ratio; quia etſi huius diſcretionis, ſeu diuerſitatis, non poſſit aſſignari aliqua cauſa, ſeu ratio reſpectu voluntatis finis gloriæ, cur ſcilicet hos tantùm eligat ad gloriam, & non alios; quia illa voluntas, cùm ſit voluntas finis, qui non propter alia, ſed propter ſeipſum amabilis eſt, nullam aliam priorem præſupponit voluntatem alterius obiecti creati, vnde reddi valeat ratio huiuſmodi diſcretionis: tamen reſpectu alterius voluntatis mediorum gratiæ, in quibus mediis magna etiam diſcretio cernitur, cùm quædam ſint ad finem efficacia, quædam inefficacia, reddi debet ratio, cur quibuſdam hominibus dare voluerit media efficacia in quantum efficacia, & noluerit dare aliis: quia voluntas medij, quæ eſt voluntas de vno obiecto creato poſteriore, præſupponit voluntatem finis, quæ eſt voluntas de alio obiecto creato priore: ex qua priori voluntate finis poteſt, ac debet accipi ratio poſterioris voluntatis medij. Igitur ſi quæratur, cur Deus velit his dare infallibilia gratiæ media ad gloriæ finem certiſſimè conſequendum, aliis verò hæc dare nolit, ſed dare velit alia media ſufficientia, & fallibilia; reſpondendum eſt, quia his, & non aliis, voluit efficaciter, & abſolutè dare finem gloriæ. Si vlteriùs quæras, cur ad gloriæ finem hos ita elegerit, alios reprobauerit, tunc non poteſt alia reddi cauſa, ſed exclamandum cum Paulo ad Rom. 11. vt ſæpiſſimè facit Auguſtinus, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit?* Et ſi quis fortè doleat, & conqueratur, quòd non ſit inter electos, & liberatos à maſſa perditionis, quæ querimonia occaſionem dediſſe videtur contrariæ opinioni, venit profectò monendus, ac reprehendendus aliis Pauli verbis ad Rom. 9. quæ ad idem propoſitum frequenter vſurpat Auguſtinus, *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.*

*Explicatur magis quarta ratio.*

Ad Rom. 11.

Ad Rom. 9.

## *Satisfit obiectionibus ex authoritate Scripturæ.*

65. Obiiciunt aduerſarij primò nonnulla ſacræ Scripturæ teſtimonia. Primò illud Matth. 22. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Vnde ſic arguunt. *Quare pauci electi, niſi quia pauci voluerunt venire.* Idque confirmant ex illis verbis Theophylacti in hunc locum. *Vocare enim eſt Dei; electum autem fieri, aut non electum, etiam eſt noſtrum.*

*Obijciuntur primò verba Matth. 22.*

Theophyl.

Reſpondeo, longè alium huius loci ſenſum traditum eſſe ab Auguſtino, patet ex dictis ſupra à num. 40. ſæpe enim electionem ponit ante vocationem, vt eius cauſam. Quod ipſemet Paulus non obſcurè ſignificat, cum prædeſtinatos nonnunquam appellat, *vocatos ſecundùm propoſitum*, hoc eſt, tali vocatione, nempe efficaci, qualem poſtulat antecedens Dei propoſitum, quo gratis prædeſtinati, ſiue electi ſunt ad gloriam. Itaque nego, cauſam cur pauci ſint electi, eſſe, quia pauci voluerunt venire: ſed dico cum Auguſtino cauſam eſſe, quia Deus liberè noluit plures eligere. Noluiſſe autem inuitatos, & vocatos venire, non eſt cauſa vt non ſint electi, ſed ſolùm eſt cauſa vt ſint reprobati, ac damnati. Neque verè aduerſatur Theophylactus, nam non loquitur de electione Dei interna, hæc enim noſtra eſſe ſimpliciter, minus rectè dici poſſet, ſed de electione externa, quæ eſt ipſa ſaluatio: ita vt velit tantùm ſignificare; Deum vocare nos ſine nobis, non tamen ſaluare nos ſine nobis, liberè conſentientibus, & merentibus. Sic enim explicat Matthæi verba, *Pauci enim qui ſaluantur*, clarè loquitur de ſaluatione, quam ſtatim immediatè magis explicans addit, *& qui digni, vt eligantur à Deo*, hoc eſt, vt à damnatis ſeparentur, & reponantur in beatiſſimo cœlorum regno. Et ſequitur iuxta allatum ſenſum, *ita vt Dei quidem ſit vocare: electos autem fieri, vel non, noſtrum eſt.* hoc eſt, poſita diuina gratia, adhuc in noſtra libera poteſtate eſt, ſaluari, aut non ſaluari. In quo ſaluatio diſtinguitur à vocatione, quia vocare, aut non vocare, eſt ſolùm in libera poteſtate vocantis, & non vocati.

*Reſpondetur cum Auguſtino.*

*Quid ſit vocari ſecundũ propoſitum.*

*Explicantur verba Theophylacti.*

66. Secundò, quia Matth. 25. reddens Chriſtus cauſam, cur prædeſtinatis parauerit regnum à conſtitutione mundi, quod in die iudicij illis poſſidendũ tradet, ait, *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. ergo ob merita. Sicut ibidem ad reprobos à contrario dicitur propter demerita, *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Confirmant ex illo Matth. 20. *Sedere ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quem locum Epiphanius hæreſi 69. Cyrillus lib. 10. theſauri cap. 6. Ambroſius

*Obijciuntur ſecundò verba Matt. 25. & 20.*

Epiphan. Cyrill. Ambroſ.

*Theophyl. Chryſoſt.*

lib.5.de fide cap.3. Theophylactus ibi, & Chryſoſtomus hom.35. in Matthæum, exponunt de præparatione æterna per merita, nimirum ab æterno præuiſa. Cui expoſitioni conſonat præcedens interrogatio Chriſti petentis merita ad ſeſſionem illam obtinendam, *Poteſtis bibere calicem, quem ego biburus ſum?*

*Reſpondetur, probari aliud poſterius decretum gloriæ ex meritis,*

Reſpondeo, his Scripturis, & Patribus, bene probari, quod omnes noſtræ concluſionis authores fatentur, dari ab æterno in Deo poſt præuiſionẽ meritorũ aliam iuſtitiæ voluntatem dandi gloriam ex meritis, ratione diſtinctam à prima miſericordiæ voluntate hactenus probata, de gloria danda ante præuiſionem meritorum. Et euidens ratio eſt, quia de fide eſt, Deum in tempore dare gloriam propter merita. Certum autem omninò eſt in Theologia, quòd quicquid Deus facit in tempore, facere diſpoſuit ab æterno per intellectum, & voluntatem; ergo ab æterno Deus præuidit merita prædeſtinatorum abſolutè futura, & propter hæc merita præuiſa, & conſequenter ſecundùm noſtrum modum concipiendi in re fundatum, poſt horum meritorum præuiſionem, voluit efficaciter, & abſolutè dare illis gloriam. Et in hoc bene dicuntur proportionaliter opponi prædeſtinati reprobis. Sicut enim illis Deus ex præuiſis meritis vult æternam gloriam, ita his ex præuiſis demeritis vult æternum ſupplicium. Hæc verò poſterior voluntas dandi gloriam ex iuſtitia propter merita, non excludit aliam priorem voluntatem dandi gloriam ex miſericordia ſine meritis. In hoc enim primo decreto illud, *ſine meritis*, refertur & ad gloriam, & ad voluntatem Dei. Prout refertur ad gloriam, eſt accipiendum præciſiuè, non excluſiuè, ſeu negatiuè, non poſitiuè; hoc eſt, decernit Deus dare gloriam ſimpliciter, non decernendo modum dandi, aut excludendo merita, aut includendo merita; quod eſt negatiuè non includere merita, non autem poſitiuè excludere merita, aliter non poſſemus rectè concipere in ſecundo decreto includi merita. Prout refertur ad voluntatem Dei, excludit poſitiuè merita, & ſignificat, illam voluntatem ad gloriam decernendam non moueri per iuſtitiam ex motiuo præcedentium meritorum, ſed tantùm moueri per miſericordiam ex motiuo præcedentis miſeriæ totius generis humani concluſi in maſſa perditionis poſt Adę peccatum. Quod non contradicit poſteriori decreto iuſtitiæ, imò multum cohæret; quia maioris miſericordiæ opus fuit, iuſtè excluſos à gloria, eleuare ad gloriam, non ſolùm ſimpliciter, ſed etiam iuſtè merendam. Hanc duplicem voluntatem, ſiue electionem, breuiter quidem, ſed ſatis dilucidè tradidiſſe videtur Auguſtinus ſerm.7. de verbis Domini cap.2. illis verbis, *Quos voluit Dominus, hos elegit. elegit autem, ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm gratiam, & ſecundùm illorum iuſtitiam.*

*Prædictũ decretum ſtare cũ alio priori decreto gloriæ ſine meritis.*

*Confirmatur ex Auguſtino.*

67. *Obijciuntur tertiò verba ad Rom. 11.*

Tertiò illud ad Rom.11. *Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem, bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excideris: ſed & illi, ſi non permanſerit in incredulitate, inſerentur.* Ex his, inquiunt, *apertè colligitur, de fine nihil eſſe abſolutè ſtatutum, ſed ſolùm ſub conditione, & totum ab illa pendere.*

*Reſpondetur explicando prædicta verba.*

Reſpondeo, collectionem nullam eſſe. Nam cùm Paulus hîc loquatur ſub conditione de futuro, liceret pariter colligere, quod de noſtro fine nihil adhuc ſtatuit Deus, ſed ſtatuet poſt mortem, igitur in his verbis nihil prorſus dicitur de diuinis decretis, ſed ſolùm agitur de operibus noſtris, & externis operibus Dei. Et ſenſus planus eſt, ſi peccatores in peccato permanſerint vſque in finem, punientur à Deo; ſi verò conuerſi fuerint, & in iuſtitia perſeuerauerint vſque ad mortem, illos Deus glorificabit. A contrario de iuſtis, ſi perſeuerauerint, ſaluabuntur; ſi peccauerint, & in peccato mortui fuerint, damnabuntur. Ex quo ſenſu nihil prorſus deduci poteſt pro aliqua præſentis controuerſiæ parte, vel negante, vel affirmante electionem ad gloriam ante præuiſionem meritorum.

Quartò illud 1. ad Timoth.2. *Deus omnes homines vult ſaluos fieri.* Quod non vellet *verè, & ſincerè, ſi in primo illo decreto de ſaluandis hominibus, quod ex ſe concepit, tam paucos ad ſalutem elegit, & tam immenſem numerum excluſit: & in ſecundo inſtanti nullam illis niſi incongruam gratiam, ſaltem pro termino vitæ, præparauit.* 68.

*Obijciuntur quartò verba 1. ad Timoth.2.*

*Reſpondetur declarãdo locum Pauli.*

Reſpondeo, Deum veriſſimè, & ſinceriſſimè voluiſſe ſalutem omnium hominum, quia ex formali, ac proprio affectu finis, omnibus realiter largitus eſt ſufficientiſſima media ad ſalutis finem conſequendum. Quod autem præter hoc miſericordiæ decretum omnibus commune, facere voluerit aliud maioris miſericordiæ decretum dandi quibuſdam, & non aliis, media non ſolùm ſufficientia, ſed etiam efficacia, atque infallibilia ex efficaci, & abſoluta voluntate finis, non tollitur vera, ac ſincera voluntas ſaluandi omnes, ſed ſolùm additur maior quædam beneuolentia erga aliquos. Reliqui verò debent potius gratias agere de primo ſufficientis gratiæ decreto pro ipſis facto, quàm conqueri de ſecundo maioris gratiæ decreto facto pro aliis, & non pro ipſis. Alioquin illis Deus dicet, quod operariis murmurantibus, quia non plus acciperent, reſpondit Dominus vineæ, Matth. 20. *Amice non facio tibi iniuriam, aut non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Quare cum dicitur, quòd Deus à ſalute *tam immenſum numerum excluſit*, id abſolutè dictum, falſum eſt: quia in primo communi decreto ſunt omnes incluſi; in ſecundo autem decreto particulari, ipſi non ſunt excluſi ſimpliciter à ſalute, ſed ſolùm ſecundùm quid, hoc eſt, ſunt excluſi à ſalute efficaciter, & infallibiliter obtinenda; cum quo tamen ſtat, quòd ſint ſimpliciter incluſi, & à Deo miſericorditer ordinati, ad ſalutem ſufficienter obtinendam. Item cum dicitur, quòd Deus non prædeſtinatis *incongruam gratiam præparauit*, opus etiam eſt diſtinctione, & ſuauiori modo loquendi, ne in inuidiam adducantur, & malam in partem accipiantur iuſtiſſima, ac miſericordioſiſſima Dei decreta. Deus igitur præparauit quidem gratiam incongruam, tamen ſimul etiam ſufficientem: & incongruam, ſiue inefficacem, non ex defectu Dei præparantis, aut ipſius gratiæ ſecundùm ſe, ſed ſolùm ex defectu, ac malitia hominum recipientium; ſufficientem verò ex intrinſeca vi ipſiuſmet gratiæ. Neque præparauit incongruam, quia erat incongrua, ſed ſolùm quia erat ſufficiens. In qua præparatione ſic explicata nihil omnino apparet contra veritatem, ac ſinceritatem diuinæ voluntatis, qua vult omnes homines ſaluos fieri: ſed ſolùm ex parte hominum apparet negligentia, qua liberè noluerunt Dei voluntati, ac miſericordiæ correſpondere. Quam negligentiam potuiſſet quidem Deus alia gratia efficaci impedire, vt cum prædeſtinatis fecit, tamen nulla prorſus ratione impedire tenebatur, imò multis rationibus ſapientiſſimè, ac iuſtiſſimè voluit illam permittere.

*Matth.20.*

*An reprobi dici poſſint excluſi à gloria.*

*An Deus præparauerit reprobis gratiam incongruam.*

Quintò obiiciunt parabolam vineæ, Matth.20. vbi explicatur gloria, vt denarius, ac merces data operariis; nimirum poſt operis præuiſionem. 69.



*Obijcitur quintò parabola vineæ, Matth.20.*

*Reſpondetur, probari poſterius decretũ iuſtitiæ.*

Reſpondeo, hac parabola probari ſolùm, quod non negamus, gloriam dari ex meritis, & conſequenter, decretum huius exequutionis non fuiſſe in Deo niſi poſt præuiſionem meritorum. Sed præter hoc decretum, contendimus eſſe diſtinguendum aliud prius decretum intentionis abſque meritis, & ante meritorum præuiſionem. Quod non obſcurè colligi poteſt ex eademmet parabola. Tum ex illis verbis, *Aut non licet mihi, quod volo, facere?* Vbi clarè exprimitur quædam voluntas ex libertate, ac liberalitate, non ex debito, & iuſtitia. Atque hæc libertas apparet in re ipſa, quia in fine parabolæ concluditur, *Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Vtique diuino beneplacito; quo abſque vllis præcedentibus meritis voluit dare nouiſſimis electis plus gratiæ ad plus merendum, quàm primis electis. Quæ maior gratiæ donatio non potuit non oriri ex præcedente maiore beneuolentia gloriæ. Hanc autem diuerſitatem diuinæ voluntatis, tam in gratia, quàm in gloria inter ipſoſmet electos non eſſe reprehendendam, aut mirandam, ſtatim probat ibi Chriſtus per aliud admirabilius inter omnes homines ſimpliciter directos ad gratiam, & gloriam, cùm immediatè poſt parabolam ſubiungit, *Multi enim*, hoc eſt, omnes, *ſunt vocati, pauci verò electi.* nimirum ex libera voluntate Dei eligentis, ad gloriam, abſque meritorum præuiſione, & concurſu: alioqui ſi ſpectaretur tantùm electio facta per merita, nihil magis mirandum attuliſſet Dominus vt probaret non eſſe mirandum illud, quod antea dixerat, *erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi.* Plura de expoſitione huius parabolæ, ſi placet, legi poſſunt in ſuperiori Tomo quæſt.12.art.6.à num.6.ad 9.

*Colligi prius decretum miſericordiæ.*

70. *Obijciuntur ſextò verba 2.Petri 1.*

Sextò illud 2. Petri 1. *ſatagite, vt per bona opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.*

*Reſpondetur exponendo verba.*

Reſpondeo, his verbis vel nimis probari contra omnes, vel nihil probari contra nos. Nam ſi accipiantur de electionis certitudine ſecundùm ſe, & apud Deum, de qua ſola nunc diſputamus, probant contra omnes, electionem noſtram ne ipſi quidem Deo eſſe adhuc certam, ſed ad hoc expectari futura noſtra bona opera. Si verò accipiantur, vt verè accipi debent, de electionis certitudine ſecundùm effectum, & apud nos; hæc Apoſtoli exhortatio habet locum ſiue electio diuina ponatur poſt, ſiue ante præuiſionem operum. In quo etiam ſenſu dicitur Apocal.3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Hæc ſignificare non poſſunt, ſalutem noſtram non eſſe à Deo ab æterno firmiter, & certò decretam, tam per decretum intentionis ante præuiſionem meritorum, quàm per decretum exequutionis poſt præuiſionem meritorum: ſed ſolùm ſignificant, nos nullam talium decretorum habere notitiam; & idcirco ſemper cum timore, ac ſolicitudine, noſtræ ſalutis operibus vacandum.

*Exponitur locus Apocal.3.*

*Obijciuntur ſeptimò verba Iacob.2.*

Septimò addi poteſt illud Iacobi 2. *Deus elegit pauperes, in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe*; ergo ſicut quia elegit pauperes, electi ante electionem præſupponuntur pauperes, etiam in præſcientia eligentis; ita quia elegit diuites in fide, electi ante electionem præſupponuntur præuiſi diuites meritis fidei.

*Reſpondetur exponendo cũ Auguſtino.*

Reſpondeo, hunc diſcurſum non eſſe neceſſarium, patet ex eo quòd iidem dicuntur electi hæredes regni. Nullus verò dici poteſt hæres regni, antequam intelligatur à Deo ad regnum electus, ac deſtinatus. Eſto autem intelligatur de electione præſupponente fidei, & charitatis merita morte conſummata; tamen non opus eſt intelligere de prima electione intentionis, ſed intelligi commodè poteſt de ſecunda electione exequutionis, vt ſupra, n.66. Verùm hic locus manifeſtè pro noſtra ſententia exponitur ab Auguſtino libro de prædeſtinatione Sanctorum c.17. circa finem de electione non præſupponente, ſed cauſante, & antecedente fidem noſtram. Ibi enim ad probandum quòd *elegit Deus fideles, ſed vt ſint, non quia iam erant*, affert hæc Iacobi verba, quæ ita ſtatim explicat, *eligendo ergo facit diuites in fide, ſicut hæredes regni. rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit.*

## *Satisfit obiectionibus ex authoritate Auguſtini.*

Obiiciunt ſecundò Auguſtinum primò ex lib.1. ad Simplicianum quæſt.2. multò ante medium, vbi exponit illud ad Rom.9. *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*, ſic ait, *Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio; id eſt, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius: ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum. Nam niſi eſſet electio, non eſſent electi, nec rectè diceretur, quis accuſabit aduerſus electos Dei? Non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientia.* hoc eſt, ex præſcientia bonorum operum electi ſumus ad vitam æternam. Clariſſimè docet, propoſitum iuſtificandi, & dandi gratiam, non eſſe propter noſtra præcedentia bona opera: tamen hoc propoſitum antecedere electionem gloriæ, factam ex futuris bonis, ac meritoriis noſtris operibus poſt prædictum propoſitum. Et ne eſſet vllus de eius mente ambigendi locus, id vniuerſaliter probat, & à priori ex ipſa eſſentiali electionis ratione, quia electio præſupponere debet aliquam diuerſitatem inter eos, inter quos fit electio, propter quam vnus eligatur, alius reiiciatur. Et ideo circa finem quæſtionis ita concludit, *reſtat ergo vt voluntates eligantur.* Quam rationem affert etiam in expoſitione quarumdam propoſitionum Epiſtolæ ad Romanos, propoſitione 60. illis verbis, *ſi cui vult, donat Spiritum ſanctum, quomodo elegit, cui donet? Si enim nullo merito, non eſt electio; æquales enim omnes ſunt ante meritum, nec poteſt in rebus omnino æqualibus electio nominari.* 71.

*Primò ex lib. 1. ad Simplicianum q. 2. Locus ad Rom. 9. quo modo exponatur ab Auguſtino.*

Reſpondet verè, & eruditè Cardinalis Bellarminus lib.2. de gratia, cap.15. poſt principium, quòd *Auguſtinus, cum ſcripſit libros ad Simplicianum, adhuc iuuenis erat, neque multa inuenerat in hac difficillima quæſtione, quæ poſtea maiori diligentia inueſtigauit, & reperit.* Ipſe enim Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum, cap.4. initio ita teſtatur, *Duos libros ad Simplicianum ſcripſi in ipſo exordio Epiſcopatus mei.* Illud igitur principium de electione præſupponente in eligendis diuerſitatem ab iis, qui non eliguntur, & conſequenter, ſententiam, quæ inde deducebatur, de electione ad gloriam poſt merita, ſine dubio mutauit in poſterioribus operibus, in quibus ſæpe, & apertiſſimè docuit, electionem cauſare, & non ſupponere prædictam diuerſitatem. Quod Bellarminus benè probat ex epiſtola 105. multò poſt medium, vbi declarans eumdem

*Reſpondetur cum Bellarmino Auguſtinum retractaſſe ſententiam,*

*Idẽ locus ad Rom. 9. aliter expoſitus ab eodẽ Auguſtino.*

eumdem Pauli locum, *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret*, affert aliam expoſitionem, oppoſitam illi ad Simplicianum ſupra, dicens, *Vt ſecundùm electionem propoſitum eius maneret, electionem ſcilicet gratiæ, non debiti; electionem, qua eligendos facit ipſe, non inuenit.* Et epiſtola 106. multò ante medium, eadem Pauli verba ſic interpretatur, *Quod dictum eſt, maior ſeruiet minori, non ex operibus, ſed ex vocante dictum intelligatur, vt ſecundùm electionem, Dei propoſitum maneret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit electionem voluntatis humanæ, ſiue naturæ, cùm par eſſet in vtroque mortis, damnationiſque conditio, ſed electionem, proculdubio, gratiæ, quæ non inuenit eligendos, ſed facit; de qua & in conſequentibus eiuſdem epiſtolæ loquens ait, ſic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt.* Et clariùs de prædeſtinatione Sanctorum cap. 17. circa finem; *eligendo facit diuites in fide, ſicut hæredes regni*, & ſtatim affert rationem, qua euidenter retractat quod de electionis natura dixerat aliis locis ſupra citatis. *Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit.* Et contrarium de electione principium neceſſariò probat, non ſolùm electionem ad gloriam, ſed etiam electionem ad gratiam, præſupponere in diuina præſcientia aliquam eligendorum diuerſitatem, v. g. fidei, propter quam ad primam gratiã eligantur. Quod propterea aliquãdo ea falſa ratione ductus aſſeruit Auguſtinus citata propoſitione ſexageſima, ſed deinde expreſſè retractauit lib. 1. Retractationum, cap. 23. circa medium: vbi ita ſe excuſat, *Nondum diligentius quæſiuerã, nec adhuc inueneram, qualis ſit electio gratiæ, de qua idem dicit Apoſtolus, reliquiæ per electionẽ gratiæ, ſaluæ factæ ſunt: quæ vtique nõ eſt gratia, ſi eam merita vlla præcedant; ne iam quod datur non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, reddatur potius meritis, quàm donetur.* Eamdémque retractationem ſcripſit libro de prædeſtinatione Sanctorum c. 3.

*Alia minus probabilis Auguſtini interpretatio ex Suarez.*

Aliter Suarez opuſculo de Auxiliis lib. 3. c. 18. num. 3. & 4. contra Bellarminum interpretatur Auguſtinum de electione per modm executionis, non per modum intentionis, ſed quia oſtenſum eſt, Auguſtinum clarè loqui de electione vniuerſaliter, quatenus electio eſt, ideo interpretatio Bellarmini v detur præferenda.

72. Secundò Auguſtinus, ſeu potius Proſper ex ſententia Auguſtini, ad obiectiones Vincentianas art. 12. ſic habet, *Hi de quibus dicitur, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum; voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati; eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate ac veritate manſuri. Ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini eſt cauſa labendi.* Hinc ita arguunt. Si ideo homines non ſunt prædeſtinati, *quia præſciti ſunt caſuri*; & ſi eſſent reuerſuri, & manſuri, eſſent prædeſtinati: ergo nec electio, ſeu reprobatio negatiua, qua Deus voluit non eligere ad gloriam, eſt facta ante præſcientiam demeritorum; nec electio ad gloriam fit, niſi poſt præſcientiam meritorum. Vnde ſequitur quod concedunt, & probant, in noſtra poteſtate eſſe vt ſimus electi, vel non electi. Similiter, in noſtra poteſtate eſſe vt ſimus prædeſtinati, vel non prædeſtinati: quoniam in noſtra poteſtate eſt, poſt habitam Dei gratiam, mereri, vel demereri vſque in finem, quorum operum intuitu Deus nos eligit, & prædeſtinat; vel reprobat, & non prædeſtinat.

*Secundò ex articulo duodecimo ad obiectiones Vincentianas.*

*Reſpondetur explicando verba Proſperi.*

Reſpondeo, per illam cauſalem, in qua ſola fundantur aduerſarij, *quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem*, &c. non afferri cauſam eſſendi, & à priori, ſed ſolùm inferendi à poſteriori. Signum enim euidens eſt, non eſſe prædeſtinatos, qui verè ſunt, & à Deo præſciuntur caſuri, & ita permanſuri ſunt vſque ad mortem: ſicut à contrario, ſignum euidens eſt, prædeſtinatos eſſe, qui ſunt, & præſciuntur à Deo perſeueraturi in gratiâ, & bonis, ac meritoriis operibus vſque in finem. Hunc autem eſſe ſenſum Proſperi, & Auguſtini probo euidenter, primò quia in articulo ſeptimo, Proſper, vt refero ſupra, num. 47. manifeſtè poſuerat electionem prædeſtinationis ante futuram perſeuerantiam. Non eſt autem veriſimile, paulo poſt in articulo duodecimo eum dixiſſe oppoſitum. Secundò, quia in hoc eodem articulo duodecimo concludit, *Ac per hoc prædeſtinatio multis eſt cauſa ſtandi.* Quod apertè falſum eſſet, ſi prædeſtinatio eſſet poſt præſcientiam abſolutam perſeuerantiæ, qua multi iuſti ſtabunt, & perſeuerabunt vſque in finem. Tunc enim prædeſtinatio poſſet quidem eſſe cauſa gloriæ, quæ finalem perſeuerantiam conſequitur; non autem cauſa finalis perſeuerantiæ, quæ ad abſolutam viſionis præſcientiam, habentem pro obiecto illam perſeuerantiam abſolutè futuram, & multò magis ad prædeſtinationem, præſcientia illa poſteriorem, præſupponeretur. Tertiò cauſam inferendi à poſteriori clariùs ſignificant alia verba ſequentia, in quibus fit tantùm mentio effectus, & non præſcientiæ, cuius mentio fit in verbis præcedentibus, *eſſent*, inquit, *prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & manſuri.* in quo eodem ſenſu à poſteriori, notauimus ſupra, num. 42. dixiſſe ſimiliter Auguſtinum, *Illi ergo electi, qui ſecundùm propoſitum vocati.* Quare illud, *quia præſciti, ſunt caſuri*, accipiendum pariter eſt, ac ſi abſolutè, & ſimpliciter dictum ſit, *Quia ſunt caſuri*; ita vt non fiat vis in præſcientia effectus, ſed ſolùm in ipſo effectu, qui quoniam non ſolùm eſt futurus, ſed etiam præſcitur à Deo futurus, ideo additum eſt, *quia præſciti ſunt caſuri.* Quartò, quia hæc cauſa cognoſcendi reſpectu noſtri, non obſcurè ſignificatur primis illius articuli verbis, *Prædeſtinatio Dei etſi apud nos, dum in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt; apud illum tamen, qui fecit quæ futura ſunt, incommutabilis permanet.* Quintò demum, quia Proſperi intentio in illa reſponſione ad duodecimam obiectionem non plus poſtulat, obiiciebatur ſolùm, *quòd Dei prædeſtinatione efficiantur de filijs Dei, filij diaboli.* Reſpondet Proſper, hoc negando, quia inquit, etſi interdum hi, qui ſunt iuſti, & filij Dei, fiant peccatores, & filij diaboli, hoc tamen accidit eorum *voluntate*, non Dei prædeſtinatione, quæ ſolùm eſt cauſa perſeuerantiæ. Quod vltimum explicat à poſteriori, vt dictum eſt. In quo diſcurſu, ex eo quòd doceat, prædeſtinationem eſſe cauſam perſeuerantiæ, colligitur potius ſententia de electione ad gloriam ante præſcientiam meritorum. Quòd autem voluerit præterea Proſper ibi directè, & expreſſè definire prædeſtinationem poſt, vel ante præuiſionem meritorum, eſt omnino impertinens ad prædictum eius intentum: ſiue enim ſit ante, ſiue poſt, ſemper verum eſt, Deum non prædeſtinare ad malum, ſed ad bonum. Quod ſolùm petebat illa obiectio. Eodem modo, ob eamdem rationem, exponenda ſunt ſimilia alia Proſperi verba ad idem propoſitum dicta, ad capitula Gallorum, reſponſione tertia, circa principium. *Non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præſciti ſunt*; & reſponſione ſeptima, *quia illos*

*Exponuntur alia Proſperi verba.*

*ruituros*



*ruituros propria ipſorum voluntate præſciuit, ob hoc à filijs perditionis, nulla prædeſtinatione diſcreuit.* Vbi ſtatim perſeuerantiæ cauſa aſſignatur, præordinata *in Chriſto electio.* Vnde docet, non eſſe inquirendum, *Quare Deus iſtis non dederit, quod alijs dedit: ſed confitendum eſt, & miſericorditer dediſſe quod dedit, & iuſtè non dediſſe quod non dedit.* Si Deus miſericorditer dat perſeuerantiam; ergo ex voluntate gratuita æternæ ſalutis.

73. Tertiò ex eodem Auguſtino contra noſtram ſententiam afferuntur multa in libro de Prædeſtinatione Dei, in quibus referendis, & interpretandis immorari non eſt operæ pretium, quia ex grauiſſimo Cardinalis Bellarmini teſtimonio de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in obſeruatione ſeptimi tomi operum Auguſtini, *Libellus de Prædeſtinatione Dei non eſt ſancti Auguſtini, cùm in extremo libro doceat, prædeſtinationem eſſe ex præuiſione operum; quam ſententiam vbique S. Auguſtinus oppugnat.*

*Tertiò ex libro de prædeſtinatione Dei.*

*Reſpondetur cum Bellarmino, illũ librum non eſſe Auguſtini.*

74. Quartò arguunt ex libro de Bono perſeuerantiæ cap. 14. & 17. vbi Auguſtinus probat, doctrinam ſuam de prædeſtinatione non aduerſari vtilitati, & fructui prædicationis, quod contra illam doctrinam Maſſilienſes ſemipelagiani maximè obiecerant, vt conſtat ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij, de hac materia ad Auguſtinum ſcriptis, ſuperius citatis: ſed ſententia de electione ad gloriam ante præuiſionem meritorum, impedit prædicationem prædeſtinationis, quia valde turbat fideles; ergo illa non eſt cenſenda ſententia Auguſtini.

*Quartò ex libro de bono perſeuerãtiæ c. 14. & 17.*

*Reſpondetur, ſententiã, de electione ad gloriam ante præuiſionem meritorũ, non obſtare prædicationi.*

Reſpondeo, huic obiectioni ſatisfacere Auguſtinum, nihil vnquam dicendo, quòd vel leuiſſimè indicet prioris ſententiæ mutationem, vt oſtendi ſupra, num. 44. & deinceps; & ſanè id dicendum fuiſſet, ſi aliter deinde ſenſiſſet Auguſtinus. Prædicta enim obiectio eſt perſpicuum teſtimonium, priorem Auguſtini ſententiam fuiſſe ab omnibus, & catholicis, & hæreticis apprehenſam de prædeſtinatione gratuita; ergo hæc erat expreſſè retractanda, vel neganda; quod tamen nunquam in illis duobus libris de prædeſtinatione Sanctorum, & bono perſeuerantiæ factum legitur. Solùm igitur ad obiectionem reſpondet Auguſtinus, non eſſe ceſſandum à prædicatione traditæ doctrinæ de prædeſtinatione, primò multis exemplis Scripturæ, vbi dicitur Deus quibuſdam dare, & quibuſdam non dare fidem, & bonam voluntatem, & bona opera; & nihilominus ad hæc omnia omnes hortamur. Secundò, quia poſt principium capitis decimi quarti citati, docet, Tyrios, qui credidiſſent ſi vidiſſent miracula, non vidiſſe miracula, *quia prædeſtinati non erant ab eo, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & inueſtigabiles viæ.* Non erat profectò ad huiuſmodi prædeſtinationis obſcuritatem recurrendum, ſi cum aduerſariis ſenſiſſet; qui facillimè aſſerunt, illa miracula, & gratiam, non fuiſſe Tyriis datam, ob eorum peccata præuiſa. Tertiò, quia poſtea in eodem cap. 14. ait, *Non eſt impedienda prædicatio prædeſtinationis*; & ſtatim aſſignat hanc optimam rationem, *Vt qui fideliter, & obedienter viuit, non de ipſa obedientia, tamquam de ſuo non accepto bono, extollatur: ſed qui gloriatur, in domino glorietur. In nullo enim gloriandum, quando noſtrum nihil eſt.* Aduerſarij verò ex eorum opinione deducunt, ipſammet Dei electionem, & prædeſtinationem eſſe in libera noſtra poteſtate. quod eſt longè diuerſum ab Auguſtini ratione. Quartò, quia rurſus in fine citati capitis decimi quarti inquirens, cur à Deo quidã habeant, quidam non habeant aures audiendi vt credant, & rectè viuant, & ſaluentur, non affert rationem ex præuiſis meritis, quam rationem, ſi illam veram exiſtimaſſet, afferre facillimè poterat, & verè debebat ad turbatos Maſſilienſium animos pacandos, ſed eam rationem ſe ignorare ingenuè fatetur, dicens cum Paulo, *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis eius conſiliarius fuit? Aut tu quis es homo, qui reſpondeas Deo? Numquid ideo negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Numquid propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus non ita eſſe, quoniam cur ita ſit non poſſumus inuenire?* Vnde initio capitis decimi ſexti concludit, *Dicatur ergo verum, & capiant qui poſſunt: ne fortè cùm tacetur propter eos, qui capere non poſſunt, non ſolùm veritate nudentur, verùm etiam falſitate capiantur qui verum capere poſſunt.* At verò prædeſtinationem ex præuiſis meritis quis non capit? quis ægrè ferat? Cùm igitur Auguſtinus huiuſmodi præuiſionem, qua prædeſtinatio omnibus facilè prædicari, & facilius ab omnibus percipi poteſt, nunquam afferat, ſed ſemper ad Dei libertatem, & ſapientiam occultam confugiat, ſignum euidens eſt, illam præuiſionem ab eius mente alienam omnino fuiſſe. Quintò Auguſtinus cap. 17. ad hominem vrget ſemipelagianos, quia ipſi, etſi velint, primam gratiam dari, vel non dari ex naturalibus noſtris bonis, vel malis operibus, tamen fatentur contra Pelagium, ſequentia alia bona opera ſupernaturalia dari à Deo per gratiam. Sed hæc gratia ſecunda, quibuſdam datur, quibuſdam non datur, ex libera Dei voluntate; ergo idem dici conuenienter poteſt de donatione ipſiuſmet primæ gratiæ, & de glorificatione, atque adeo de tota prædeſtinatione. Quo ſimili argumento catholicos aduerſarios vrgere poſſumus. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum, qua omnes, abſque vllis meritis, ad bene viuendum, & merendum, & perſeuerandum, & ad obtinendam gloriam ſimpliciter indigemus, non eſt æqualiter prædeſtinata pro omnibus, ſed cum maxima inæqualitate, cùm aliqui copioſiſſimam acceperint, vt Apoſtoli, alij ferè nullam, vt infantes non baptizati, præſertim qui in vtero matris moriuntur; vt etiam adulti barbari, qui nihil vnquam de rebus noſtræ fidei perceperunt. Atque hæc inæqualitas, & diſcretio, abſque vlla turbatione & prædicatur, & auditur. Ergo pari ratione patienter, atque humiliter ferenda, & confitenda eſt eadem inæqualitas in gloriæ prædeſtinatione, vt omnes quidem ſine vllo merito, imò poſt demeritum, ſint ſimpliciter prædeſtinati ad gloriam per illam miſericordioſiſſimam voluntatem, qua Deus omnes homines, iam mortuos in maſſa perditionis, ſaluos fieri voluit; tamen aliqui ſint prædeſtinati efficaciter, alij tantùm ſufficienter. Nihil enim dici poteſt contra iſtam inæqualem gloriæ prædeſtinationem ſine meritis, quæ eſt in controuerſia, quod obiici nequeat contra inæqualem gratiæ prædeſtinationem ſine meritis, quam omnes de fide eſſe fatemur.

*Ad Rom. 11. & 9.*

*Eamdem eſſe rationem de electione gratuita ad gloriam, & ad gratiam.*

Quintò ex illis verbis de bono perſeuerantiæ cap. 14. *Hæc prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Sed in hac definitione nihil dicitur de voluntate abſoluta dandi gloriam, quæ voluntas, ſi daretur, ad prædeſtinationem præcipuè ſpectaret. ergo illa fingitur. 75.

*Quintò ex alijs verbis de bono perſeuerantiæ cap. 14.*

*Reſpondetur declarando prædeſtinationis definitionẽ ab Auguſtino traditam.*

Reſpondeo, falſam eſſe minorem. Etenim per *præſcientiam, & præparationem*, non intelligit Auguſtinus meram præſcientiam, tenentem ſe ex parte ſolius intellectus, vt oſtendi ſupra, num. 10. ſed prædictam voluntatem maximè includit, ex cuius

defectu

defectu ibidem dixit, *Poteſt eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia.* Vnde poſtea in capite decimo ſeptimo, aliquantò poſt principium, dona prædeſtinationis ait *eſſe præcognita,* quod ſtatim explicat, dicens, *id eſt ad donandum prædeſtinata.* vbi ſatis clarè apparet gratuita voluntas. Et clariſſimè de prædeſtinatione Sanctorum cap. 17. poſt principium ait, *electi ſunt ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit:* electionem, quæ eſt abſoluta voluntas, cum prædeſtinatione ipſa confundit: & dum docet, futura præſciri in prædeſtinatione, apertiſſimè diſtinguit præſcientiam à prædeſtinatione aliqua antecedente præſcientiam, quæ prædeſtinatio alia eſſe non poteſt niſi efficax, & abſoluta voluntas ſaluandi. Demum Auguſtinus, vt conſtat ex multis locis ſuperius allatis, ſæpiſſimè prædeſtinatos vocat electos, & prædeſtinationem, electionem, ac propoſitum, quod eſt abſolutus actus voluntatis.

76. *Sextò ex libro de bono perſeuerãtiæ cap. 18.* Sextò ex libro de bono perſeuerantiæ cap. 18. fin. *Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* Sed prædeſtinatio poſt præuiſionem meritorum non eſt error contra Scripturas; ergo hanc non reiicit Auguſtinus.

*Reſpondetur diſtinguendo ex Auguſtino duas prædeſtinationes, ad gloriam. & ad gratiam.* Reſpondeo ex dictis ſuprà, num. 37. circa finem, in totali prædeſtinatione, quam omnino ſine meritis, ex ſententia Auguſtini, eſſe defendimus, diſtingui debet & prædeſtinatio ad gloriam, & prædeſtinatio ad gratiam. Prima dici poteſt ex meritis, ſalua fide: ſecunda ex meritis dicebatur contra fidem à ſemipelagianis. Auguſtinus verò verbis allatis eſt intelligendus de ſecunda tantùm: quia immediatè ante loquitur *de vocatione electorum,* quam certum eſt nulla merita præcedere, neque in re, neque in præſcientia: & paulò poſt, *de prædeſtinatione gratiæ,* quam fides docet non dari ex meritis. Vnde initio capitis decimi noni epilogat, ſe probaſſe, *vt gratiam Dei gratuitam, ſicut credenda, atque prædicanda eſt, per omnia credentes, per omnia prædicent.* & ad id tantùm probandum ibi affert authoritates Cypriani, Ambroſij, & Gregorij Nazianzeni. Quòd autem Auguſtinus præter hanc poſteriorem gratiæ prædeſtinationem pertinentem ad fidem, eiúſque occaſione propter ſimilitudinem, quam cum illa habet, docuerit, dari aliam priorem gloriæ prædeſtinationem, poſitam in libera Theologorum diſputatione, ex aliis eius dictis ſatis ſupérque in ſuperioribus demonſtratum eſt.

77. *Septimò ex libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 3.* Septimò dicunt, Auguſtinum libro de prædeſtinatione Sanctorum capite tertio, & alibi ita arguere, *Si prima gratia daretur ex meritis, tolleretur prædeſtinatio gratuita.* Sed certum eſt, gloriam dari ex meritis: ergo non poteſt ſecundùm Auguſtinum defendi gratuita prædeſtinatio ad gloriam.

*Reſpondetur non benè referri Auguſtinum.* Reſpondeo, illam argumentationem me nuſquam apud Auguſtinum legiſſe memini. In capite tertio citato tantùm expreſsè, nil aliud ad rem cogitari poteſt, niſi illud, *Quæ vtique non eſt gratia, ſi eam vlla merita præcedunt: ne iam quod datur non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, reddatur potius meritis, quàm donetur.* Vbi de ſola externa gratiæ datione ſermo eſt; & nihil hinc in toto capite deducitur ad internam gratiæ prædeſtinationem ſine meritis. Eſto autem illa argumentatio ſit Auguſtini, tamen nego eam applicari pariter poſſe prædeſtinationi gloriæ. Nam cum gratia neque detur, neque dari poſſit ex merito, cùm rectè ex ipſa eſſentiali ratione gratiæ arguat Apoſtolus ad *Ad Rom. 11.* Rom. 11. *Si gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia;* euidenter ſequitur ex hoc, quòd gratia non poſſit prædeſtinari per merita: at verò cum gloria dari ſimpliciter poſſit & ex meritis, & ſine meritis, ex eo quòd de facto detur ex meritis, non neceſſariò ſequitur fuiſſe etiam prædeſtinatam ex meritis.

## *Satisfit obiectionibus ex authoritate aliorum Patrum.*

78. *Obijcitur Fulgentius.* Obiiciunt tertiò alios Patres. Primò Fulgentium lib. 1. de Monimum, multò poſt medium, ſiue in cap. 24. vt alij citant, illis verbis, *Oſtenſurus itaque Deus, quid reddendum præſciuerit, & quid donandum; prædeſtinauit illos ad ſupplicium, quos à ſe præſciuit voluntatis malæ vitio diſceſſuros, & prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros.*

*Reſpondetur, Fulgentium loqui de exequutione.* Reſpondeo, ſermonem apertè eſſe de prædeſtinatione exequutionis, in ſenſu probato ſupra, num. 66. Vnde eamdem exequutionem clariſſimè explicat verbis ſequentibus, *Iſtis quod promiſit, piè tribuens: illis quod prædixit, iuſtè tribuens.* Loquitur igitur de prædeſtinatione ad regnum, qua tribuere voluit, quod promiſit. Quæ voluntas fuit poſt præuiſionem operum. & de prædeſtinatione oppoſita prædeſtinationi ad ſupplicium, quam omnes ponimus poſt præuiſionem peccatorum.

79. Item ex eodem Fulgentio afferunt verba illa libri de incarnatione circa finem, *Deus, qui prædeſtinatione ſua donum illuminationis, perſeuerantiæ, & glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit præparauit: quique non aliter perficit in opere, quàm in ſua ſempiterna, atque incommutabili habet voluntate diſpoſitum.* Sed in opere dat gloriam ex meritis; ergo non habet aliam voluntatem dandi gloriam niſi ex meritis.

Reſpondeo, Fulgentium hoc eodem loco eſſe apertè pro nobis oſtendi ſupra, num. 48. Concedo igitur maiorem ex verbis Fulgentij, & minorem ſubſumptam; nego autem conſequentiam: quamuis enim dixerit Fulgentius, ſalutis noſtræ opus nullo alio modo re ipſa fuiſſe perfectum in tempore, quàm ille, quem diuina voluntas ab æterno diſpoſuit, vnde bene probatur voluntas exequutionis ex præuiſis meritis, tamen non dixit è conuerſo, ipſam diuinam voluntatem in ſe, nullo alio modo, ſeu nulla alia volendi ratione diſpoſuiſſe de illo opere, niſi in eo modo, quo deinde illud à parte rei perficit; ex quo ſecundo ſenſu tantùm deducitur conſequentia, & ideo non ad mentem Fulgentij. Quòd autem iſti duo modi, ſeu iſtæ duæ diſpoſitiones, quæ nil aliud ſunt, niſi voluntas intentionis, & voluntas exequutionis eiuſdem obiecti, nempe gloriæ, nullam habeant inter ſe oppoſitionem, declaratum eſt ſuprà, num. 66. poſt medium.

80. *Obijcitur Clemens.* Secundò afferunt Clementem libro tertio recognitionum, aliquanto poſt medium, illis verbis, *Præuidens Deus, quia iſta poteſtas arbitrij, alios quidem faceret eligere bona, alios verò mala; & per hoc in duos ordines neceſſariò propagandum eſſet hominum genus; vnicuique ordini conceſſit locum, & regem, quem vellet, eligere.*

*Reſpondetur, nõ eſſe ad rẽ.* Reſpondeo, hæc verba non videri ad rem: quia ſunt de electione bonorum, vel malorum operum, quam per liberum arbitrium ipſi homines faciunt; & nihil prorſus de electione hominum, quam faciat Deus ad præmiandum, vel puniendum, de qua tantùm nunc diſputamus.

Tertiò



81. *Obijcitur Hieronymus.* Tertiò afferunt Hieronymum in cap. 1. Iſaiæ, ſuper illa verba, *Si volueritis, bona terræ comedetis,* &c. vbi ait, *Liberum ſeruat arbitrium, vt in vtramque partem, non ex præiudicio Dei, ſed ex meritis ſingulorum, vel pœna, vel præmium ſit.* Eligere autem, vel non eligere ad gloriam ante præuiſionem bonorum, vel malorum operum, eſſet, dari pœnam, vel præmium ex præiudicio Dei.

*Reſpondetur declarando quid ſit præiudicium.* Reſpondeo, præiudicium eſſe ſententiam iudicis præconceptam, non ſolùm ante cauſæ examen, ſed etiam contra merita cauſæ. Vnde Hieronymus illud, *ex præiudicio,* opponit illi, *ex meritis.* Sumit igitur propriè præiudicium, pro ſententia temerè, & iniuſtè prædeterminata, quæcumque fuerint merita cauſæ. Hoc autem modo certum eſt, neque prædeſtinationem, neque reprobationem, vtramque factam ante operum præuiſionem, fuiſſe ex præiudicio Dei. Electio enim ad gloriam non ex motiuo meritorum, fuit mera miſericordia, vi cuius deinde decreta ſunt merita, & conſequenter lata eſt, ſeu præconcepta iuſtiſſima ſententia exequutionis gloriæ ex meritis præuiſis, abſque vllo præiudicio. Reprobatio verò, ſeu non electio efficax, & abſoluta ad gloriam, fuit ex iuſtitia, vt paſſim docet Auguſt. locis ſupra cit. quia huiuſmodi diſcretio facta eſt inter homines iacentes in maſſa perditionis, quibus nihil iuſtè debebatur, niſi damnatio. Sed alia reprobatio ad pœnam, de qua expreſsè loquitur Hieronymus, facta eſt ex meritis malorum operum. Sicut à contrario loquitur de præmio, quod vt formaliter præmium, non eſt decretum niſi decreto exequutionis poſt præuiſa merita bonorum operum.

82. *Hieronymum loqui de decreto exequutionis.* Ex eodem Hieronymo afferunt alia verba in cap. 1. Malachiæ, ſuper illa verba, *Dilexi vos,* &c. *Porro dilectio, & odium Dei, vel ex præſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus, alioquin nouimus, quòd omnia Deus diligat, nec quidquam eorum oderit, quæ creauit, ſed propriè eos ſuæ vindicet charitati, qui vitiorum hoſtes ſunt, & rebelles; & è contrario, illos odit, qui à Deo deſtructa cupiunt rurſum extruere.*

Reſpondeo, hæc omnia vera eſſe, ſed ſpectare ad dilectionem, & odium exequutionis, quam nos negamus eſſe poſt præuiſionem operum. Sed qui hanc affirmat, non eſt neceſſarium vt neget priorem aliam voluntatem intentionis abſque meritis, quam præterea in Deo diſtinguendam eſſe contendimus.

83. Afferunt demum illud epiſtolæ ad Hedibium q. 10. circa fin. *Deus vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quæ vocauit, non ſaluat irrationabiliter, & abſque iudicij veritate, ſed cauſis præcedentibus; quia alij non ſuſceperunt Filium Dei: alij autem recipere ſua ſponte voluerunt. Hæc autem vaſa miſericordiæ, non ſolùm populus gentium eſt, ſed etiam hi, qui ex Iudæis credere voluerunt; & vnus credentium effectus eſt populus. Ex quo oſtenditur, non gentes eligi, ſed hominum voluntates.*

*Hieronymum eſſe pro concluſione.* Reſpondeo, Hieronymum primis illis verbis, *Vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quæ vocauit,* & per totam ferè quæſtionem, in qua ſæpe cum Paulo, cuius verba ibi exponit, docet aliquorum prædeſtinationem eſſe ex miſericordia, ac libertate Dei, eiúſque rationem eſſe nobis prorſus occultam, ſatis clarè indicat priorem intentionis voluntatem abſque noſtris meritis. Quam voluntatem non negat, ſed aliam voluntatem poſteriorem exequutionis, illi cohærentem addit, cùm ſubdit, *Non ſaluat, niſi præcedentibus cauſis,* hoc eſt, meritis. *Germanus Hieronymi ſenſus.* Vnde cùm in fine concludit, *Non gentes eligi, ſed hominum voluntates,* non ſignificatur electio operum præcedentium, ſed tantùm ſubiectum remotum electionis: ex præcedentibus enim manifeſtus ſenſus eſt, non eligi gentes tantùm, aut Iudæos tantùm, ſed aliquos ex gentibus, aliquos ex Iudæis; ac proinde non eligi homines, quia huius, vel illius generis ſunt; ſed quia ſunt homines liberam voluntatem habentes.



84. *Obijcitur Ambroſius. Exponitur locus Matt. 20.* Quartò, afferunt Ambroſium lib. 5. de fide c. 3. ante fin. qui exponẽs illud Matth. 20. *Non eſt meum dare vobis,* ita habet. *Non eſt meum, qui iuſtitiam ſeruo, non gratiam. Denique ad Patrem referens addidit, Quibus paratum eſt, vt oſtenderet, Patrem quoque non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis, quia Deus perſonarum acceptor non eſt. Vnde & Apoſtolus ait, Quos præſciuit, & prædeſtinauit. Non enim ante prædeſtinauit, quàm præſciuit; ſed quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit.*

*Reſpondetur, Ambroſium loqui de exequutione.* Reſpondeo, proculdubio loqui Ambroſium de prædeſtinatione, ſiue electione, quoad executionẽ, non quoad intentionem: tum quia expreſsè loquitur de *prædeſtinatione præmij.* Gloria autem non ſolùm ſpectatur à Deo vt præmiũ, cui meritum correſpondet, & præponitur tum in re, tum in mente præmiantis, ſed etiam vt gratia, ac miſericordia, cui correſpondet præcedens miſeria, atque indignitas ſine vllis meritis: tum quia ea verba maximè ſcripſit ad exponendum locum Matthæi, vbi clarè ſermo eſt de ipſa exequutione gloriæ. Et quidem cùm hæc gloriæ executio ex noſtris operibus pendens, ac proinde, diuina voluntas dandi gloriam ex meritis propter laborem noſtrùm, multò magis omnes incitet ad bona opera, quàm alia prior Dei voluntas ex pura miſericordia, qua intendit abſolutè ſaluare aliquos, & non omnes, mirum eſſe non debet ſi Scripturæ, & Patres non ſolùm hanc, ſed illam etiam frequenter inculcant. Satis eſt pro noſtra ſententia, quòd ita loquuntur de voluntate iuſtitiæ ex meritis, & aliã miſericordiæ voluntatem, à meritis omnino independentem, nunquam excludant; imò ſæpe, & apertè exprimant, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt. Quare de eadem iuſtitiæ voluntate accipi poſſunt alia verba eiuſdem Ambroſij in illud ad Rom. 8. *Quos præſciuit,* &c. quod ita *Exponitur locus ad Rom. 8. & 9.* interpretatur, *Quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Et ſimilia habet infra in id c. 9. *Iacob dilexi,* &c. Vbi tandem electionem ex præſcientia meritorum probat his verbis, quæ executionem dumtaxat ſpectant, *Nam neminem damnat, antequam peccet; & nullum coronat, antequam vincat.* Quamquam commentarium illum non eſſe Ambroſij, multis prudenter, atque eruditè probat Cardinalis Bellarminus in lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis, verbo Ambroſius.

85. *De decreto exequutionis loqui Chryſoſtomum.* In eodem igitur ſenſu accipiendi ſunt Chryſoſtomus homil. 80. in id Matth. 20. *Eſuriui enim,* &c. illis verbis, *Nam antequam nati ſitis, quia ſciebam vos huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* Et Damaſcenus libro contra Manichæos pa- *Damaſcen.* gina 562. *Præuidens Deus ea, quæ nos ſpontè facturi ſumus, ea videlicet, quæ noſtra ſunt in poteſtate, virtutem puta, & vitium, etiam ea, quæ noſtra non ſunt in poteſtate, prædefinit.* præmia ſcilicet, & ſupplicia. Item Origenes lib. 7. in epiſtolam ad Romanos, *Origen.* explicans illud, *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit.* Theodoretus in eumdem locum, & q. 12. *Theodor.* in Exodum. Theophylactus ibidem, & in cap. 9. *Theophyl.* explicans illud, *cum nondum nati,* & illud, *Numquid dicit figmentum.* OEcumenius in caput octauum citans Cyrillum, & Photium. *OEcumen.* Euthymius *Euthym.* in cap. 20. Matthæi, explicans illud, *Quibus paratum eſt.* *Sedul.* Sedulius, & Theodulus cap. 8. ad Ro- *Theodul.*

RR man.

Arnob.

man. in illud, *quos præſciuit*. Arnobius in Pſalm. 90. 91. 108. 117. quos omnes pro ſua ſententia citat Leſſius diſput. de prædeſtin. ſect. 2. ſed verè nihil habent niſi ſenſum probatum ſupra num. 66. nullus autem negat alium ſenſum noſtræ concluſionis ſupra, num. 26. quod de ſingulis diſtinctè demonſtrare, ne longior ſim, prætermitto: cum ex multis diligenter hactenus explicatis, quid de cæteris ſentiendum ſit, vnuſquiſque iudicare facilè poſſit. Solùm videtur addendum, probabile eſſe, nonnullos ex his Patribus nomine præſcientiæ, quam ante executionis electionem in Deo ponunt, intelligere ipſum efficax, & abſolutum ſaluandi decretum, quod propter ſummam eius efficaciam, & certitudinem, æquiualet ipſi ſcientiæ viſionis, quia ſcilicet ita certò futurum eſt, quod Deus futurum eſſe decernit, vt iam dici poſſit, videri eſſe futurum. In hoc ſenſu accepiſſe videtur illud Pauli ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit: quos prædeſtinauit, hos & vocauit*, &c. vbi Paulus, vt exponit Bellarm. lib. 2. de gratia c. 15. circa princ. *ſignificat dilectionem, ac per hoc, voluntatem glorificandi, priorem eſſe prædeſtinatione: illos enim prædeſtinauit conformes fieri Chriſto, quos præſciuit præſcientia approbationis.*

*Patres præſciētiam Dei ſumere pro decreto.*

*Exponitur locus ad Roman. 8.*

Bellarmin.

Auguſtinus.

De hac præſcientia loqui videtur Auguſt. de prædeſtinatione Sanctorum c. 10. cum docet, prędeſtinationem non eſſe quamlibet præſcientiam, ſed præſcientiam eorum, quæ ipſemet Deus facit, ac proinde, efficaciter, & abſolutè decreuit facere. Vnde ait, *Prædeſtinatione quippe Deus, ea præſciuit quæ fuerat ipſe facturus*, hoc eſt, quæ decreuerat ipſe facere. Vbi prædeſtinationis decretum manifeſtè ponit ante præſcientiam viſionis. Aduerſarij autem dicere non poſſunt cum Auguſt. *prædeſtinatione præſciuit*, ſed potius totum oppoſitum, *præſcientia prædeſtinauit*. Hanc præſcientiam ſumptam pro efficaci, & abſoluta voluntate antecedente prædeſtinationem ſignificat quoque Auguſt. cum libro de Bono perſeuerantiæ cap. 17. contra ſemipelagianos arguit, quòd ſi aliqua ſupernaturalia Dei dona, ad quæ illi gratiam neceſſariam eſſe fatebantur, *dantur à Deo, & ea ſe daturum eſſe præſciuit, profectò prædeſtinauit*. eáque paulò poſt vocat, *dona præcognita, id eſt, ad donandum prædeſtinata*. & in fin. cap. *Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo: præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus*. & ſtatim id apertè confirmat initio ſeq. cap. 18. dicens, *Vnde aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus, Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. Hoc quod ait, Præſciuit, non rectè intelligitur niſi prædeſtinauit.* Quod deinceps fusè probat, prædeſtinationem explicans per electionem ſine meritis; & ex illo ad Rom. 11. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt*, ita concludens, *In hac ergo electione, & in his reliquijs, quæ per electionem gratiæ factæ ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſciuit. Hæc eſt illa electio, qua eos, quos voluit, elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, vt eſſent ſancti*, &c. Et tandem in fine eiuſdem cap. 18. docet, quod paulò ante dixi eſſe addendum, *Quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus, Dei præſcientiam; & agitur de vocatione electorum; nihil nos prohibet, eamdem prædeſtinationem intelligere.* Et ita in cap. ſeq. 19. interpretatur Cyprianum, Ambroſium, & Gregorium Nazianzenum; ergo cum aduerſarij apud multos Patres legunt, voluntatem exequendi gloriam poſt præſcientiam, hinc neceſſariò colligere non poſſunt prędeſtinationem poſt præſcientiam: quoniam, Auguſtino interprete, & apud Scripturam, & apud Sanctos, præſcientia ſumitur pro gratuita prædeſtinatione, & electione: ergo ante illam voluntatem iuſtitiæ ex meritis, ſicut datur præſcientia, ita datur alia voluntas eligens, & prædeſtinans ſine meritis.

Ad Rom. 11.

## *Satisfit obiectionibus ex ratione ductis.*

Obiicies primò. Inſtantia, ſeu ſigna rationis, diſtinguenda ſunt in Deo ex cauſalitate, ac dependentia obiectorum. Sed merita ſunt cauſa gloriæ: ergo concipere debemus, Deum prius ferri in merita, deinde in gloriam. 86.

*Prima obiectio.*

Reſpondeo, merita eſſe cauſam gloriæ in ordine executionis: gloriam verò eſſe cauſam meritorum in ordine intentionis. Sicut Philoſophi communiſſimè dicunt de mutua finis, & mediorum cauſalitate in diuerſo genere cauſæ, media eſſe cauſam efficientem finis, finem eſſe cauſam finalem mediorum. Prior autem eſt ordo intentionis, quàm executionis; cùm hic ex illo pendeat, non contra. Et ideo ſimpliciter dicimus, priorem eſſe intentionem gloriæ, quàm electionem, & præuiſionem gratiæ, & meritorum. Quare in diuerſo genere cauſæ, ſiue ratione diuerſi ordinis, verum eſt, ideo Deum voluiſſe merita, quia voluit gloriam: &, ideo voluiſſe gloriam, quia voluit merita.

*Reſpondetur declarãdo diuerſas cauſalitates, quas inter ſe habēt merita, & gloria.*

Obiicies ſecundò, quia præcipuum noſtræ ſententiæ fundamentum traditum ſupra, num. 60. procedit quando finis conſequendus eſt ab eo ipſo, qui illum intendit: non autem, quando finis conſequendus eſt ab aliquo alio, ſicut accidit in caſu noſtro de gloria, quam intendit Deus dare aliis à ſe. Quod declarari poteſt exemplo Regis, proponentis præmium victori: ille enim non poſſet ſtatuere, dare alicui illud præmium, niſi prius videret eius pugnam, & victoriam; alioquin præmium non eſſet præmium, ſed donum omnino gratuitum. Deus autem decreuit dare gloriam, vt præmium legitimè certantibus, & vt mercedem, & coronam iuſtitiæ. ergo non poteſt velle gloriam dare vt ſic, niſi prius præuideat labores, & merita. 87.

*Secũda obiectio contra præcipuum fundamentũ concluſionis.*

Reſpondeo, illud fundamentum procedere eadem ratione reſpectu aliorum, quibus intenditur finis; modò is, qui intendit finem ab alio conſequendum, poſſit illi dare omnia media efficacia, & habentia infallibilem connexionem cum fine: & ipſe hoc certò pręſciat, vt eſt in caſu noſtro: tunc enim implicat, me velle dare medium efficax, & vt formaliter tale cognitum, & electum, reiecto alio medio inefficaci, quia inefficax eſt, & cognoſcitur, & non habere præcedentem voluntatem, & intentionem efficacem finis: cùm in eo caſu non ſit alia ratio volendi efficaciter medium, niſi voluntas efficax finis. Quare non obſtat exemplum allatum, quia Rex terrenus poteſt quidem proponere præmium; ſed non poteſt dare, & multò minus præcognoſcere media efficacia, quibus infallibiliter obtinendum ſit præmium ab hoc, vel illo; & propterea non poteſt habere efficacem intentionem dandi præmium ante præuiſam victoriam. Verumtamen ſi fingamus, illum Regem certò prę-uidere militem pugnaturum, & victurum, & meriturum præmium, ſi haberet talia arma; ita vt ſolus Rex poſſit præmium proponere, & dare illa arma; tunc eſſet impoſſibile, velle mihi dare illa arma, & non moueri ex præcedenti voluntate dandi mihi præmium. Similiter inſufficiens eſt aliud exemplum, quo vtuntur aduerſarij. Deſiderat, inquiunt, pater vt filius fiat doctus, & propter hunc finem dat omnia media. Vbi voluntas mediorum eſt efficax,

*Reſpondetur, fundamentũ procedere, etiã reſpectu aliorũ, quibus intenditur finis.*



quia realiter dat media. Voluntas verò finis eſt inefficax, quia finis conſecutio non eſt in eius poteſtate. Verùm hoc oritur ex eo, quòd pater non habet voluntatem efficacem, nec poteſtatem dandi omnia media neceſſaria ad illum finem, v. g. ingenium, ſanitatem, diligentiam filij, &c. ſed ſolùm habet voluntatem efficacem mediorum, quæ à ſe pendent; & ideo conuincitur etiam habere antecedenter voluntatem efficacẽ illius finis, prout comparandi per talia media, & prout pendentis ab illis mediis. Si verò poſſet dare omnia media, quibus poſitis filius infallibiliter fieret doctus, non poſſet intelligi, cognoſcere, & velle dare illa media, niſi ex præexiſtente amore efficaci doctrinæ filij.

88. Obiicies tertiò, Deus primo ſuæ efficacis voluntatis actu circa prędeſtinatos, non vult gloriam abſolutè, & independenter omnino à meritis, ſed vult illam formaliter vt mercedem, & præmium, ac proinde per merita, ſiue ex meritis; ergo ſi non vult gloriam poſt voluntatem, & præuiſionem meritorum, ſaltem in eodem rationis inſtanti per eumdem actum vult ſimul gloriam, & merita, contra ſeptimam concluſionem ſupra, num. 19.

*Tertia obiectio.*

Reſpondeo primò, hoc eſſe etiam contra aduerſarios huius nonæ concluſionis ponentes voluntatem efficacem gloriæ, ratione poſteriorem voluntate efficaci, & præuiſione meritorum: & tamen multò magis contra ipſos argumentari poſſumus, non poſſe diſtingui illas duas voluntates: quia Deus non vult dare gratiam, & opera ſupernaturalia meritoria gloriæ, niſi formaliter vt ſemen, & meritum glorię. Secundò totum concedi à quibuſdam authoribus noſtræ ſententiæ. At verò tali cōceſſione planè deſtruitur præcipuum eius fundamentum, quo ideo ponitur prior voluntas gloriæ voluntate meritorum, quia gloria, & merita ſe habent vt finis, & medium: finis autem quoad intentionem eſt prior mediis, ita vt intẽtio finis ſit ratio electionis mediorum; & non contra, electio mediorum ſit ratio intentionis finis. Tertiò alios concedere, primum actum eſſe, velle gloriam per merita in communi. Secundum verò, velle ex multis meritis, ſeu mediis, hæc, non illa. Sed contra hos eſt etiam idem inconueniens, quia finis quoad intentionem, eadem ratione, qua non pendet à mediis in particulari, non pendet etiam à mediis in communi. Præterquam quòd modus ille tendendi per aliquem particularem voluntatis actum in aliquod bonum in communi, cùm ſit ex ipſo obiecto, ac proinde eſſentialiter, confuſus, & imperfectus, ſine vllo fundamento, imò contra fundamentum ex parte ipſius Dei, in diuina voluntate concipitur.

*Reſpondetur primò retorquendo.*

*Secũda aliorum reſponſio nō probatur.*

*Reijcitur tertia reſponſio.*

Quartò igitur dicendum cum Suarez 1. p. tr. 2. lib. 1. c. 8. à n. 4. ad 14. Deum nolle ſimul formaliter gloriam, & merita; ſed prius gloriam præciſè, ob bonitatem ipſius gloriæ, independentem à bonitate gratiæ quoad intentionem. Deinde velle gratiam, & merita propter ipſam gloriam. Quare cum dicitur, Deus primo actu vult gloriam, vt præmiũ, & mercedem; nego formaliter, cōcedo virtualiter, ſeu radicaliter: non quòd de potentia abſoluta non ſit alius modus dandi gloriam, niſi per merita; ſed quia, ſaltẽ de potentia ordinata, & ſecundùm viam ex natura rei conuenientem, hic eſt modus obſeruandus à ſapiẽtiſſimo, & ſuauiſſimo rerum gubernatore Deo, ergo poſita voluntate efficaci dandi gloriam his, vel illis, ex vi talis voluntatis intelligitur habere aliam voluntatem eligendi omnia efficacia media neceſſaria ad conſecutionem infallibilem gloriæ, quibus poſitis ſcit infallibiliter prædeſtinatos merituros, & obtenturos gloriam. Atque hæc ſecunda voluntas, ſiue alia ſubſequens, qua in tertio rationis ſigno intelligitur velle directè gloriam propter merita præuiſa, fertur in gloriam vt præmium, & mercedem, & coronam iuſtitiæ. Quamobrem illo primo actu Deus vult dare gloriam ſine meritis, ſiue independenter à meritis, negatiuè quidem, non autem poſitiuè, hoc eſt, neque formaliter excludit merita, neque formaliter includit, ſed ſolùm non includit; vel potius, includit poſitiuè, tamen non formaliter, & explicitè, ſed virtualiter, & implicitè. Quod ipſimet aduerſarij tenentur aſſerere de inefficaci ſeu conditionata glorię voluntate, quam fatentur eſſe ante meritorum præuiſionem. Enim verò illa etiam eſt voluntas finis, ſeu gloriæ aliquo modo vt mercedis, ac præmij.

*Reſpondetur quartò cum Suarez, primum Dei decretũ non eſſe formaliter ad gloriã ſimul, & merita. Deus primo actu vult gloriam vt præmiũ virtualiter, non formaliter.*

*Quo modo velit Deus dare gloriam ſine meritis.*

Obiicies quartò, ſi velle efficaciter gloriam, prius eſt quàm velle merita; ergo prius etiam erit, ſcientia viſionis cognoſcere futuram gloriam, quàm velle merita: quia ſtatim poſt efficacem Dei voluntatem intelligitur res tranſire de non eſſe futuro ad eſſe futurum; ac proinde, eſſe obiectum ſcientiæ viſionis Dei; ergo gloria habet eſſe futurum independenter à meritis. 89.

*Quarta obiectio.*

Reſpondeo, diuinam illam voluntatem eſſe cauſam gloriæ, ſed inadæquatam; quia primo illo actu, etſi Deus non decernat dare gloriam per merita, tamen neque decernit ſe ſolo dare gloriam, excludendo aliam cauſalitatem meritorum noſtrorum. Et ideo ex vi illius voluntatis, antequam intelligamus voluntatem aliam efficacem meritorum, gloria non habet eſſe futurum abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, hoc eſt, non ex parte omnium cauſarum, ſed ex parte vnius tantùm cauſæ, nimirum increatæ; quæ etſi determinauerit futuram hanc indiuidualem gloriam, cum tanta intenſione, tali tempore, in hoc ſingulari ſubiecto, tamen non determinauit illam gloriam futuram per has cauſas tantùm, & non per alias, per quas poteſt eſſe futura, & ex natura rei conuenienter exigitur, vt ſit futura. Quapropter poſt hoc decretum de gloria, & ante decretum de meritis, eſt ſcientia viſionis de tali gloria ſecundùm quòd futura eſt ex parte Dei, non ſecundùm quòd futura eſt ex parte meritorum; ſiue, non ſecundùm quòd eſt ſimpliciter, & totaliter futura, ſed ſecundùm quòd eſt aliquo modo, & partialiter, ſiue inadæquatè futura. Vnde non ſequitur, gloriam habere eſſe adæquatè futurum independens à meritis, ſed ſolùm inadæquatè, & negatiuè, modo explicato ſupra, num. 66. & num. 88. fin.

*Reſpondetur, primũ decretũ intentionis eſſe cauſam gloriæ inadæquatam.*

Obiicies quintò, prædicta Dei voluntas antecedens, & efficax dandi gloriam non eſt neceſſaria ad ſalutem, alioquin reprobi, circa quos non fuit illa voluntas, non poſſent ſaluari; ergo gratis, & ſuperfluè fingitur. 90.

*Quinta obiectio.*

Reſpondeo, non eſſe neceſſariam ex parte obiecti, quia gloria haberi ſimpliciter, & abſolutè poteſt ſine illa. eſſe autem neceſſariam ex parte Dei operantis: quia poſito quòd Deus ſciat, hæc media eſſe infallibiliter connexa cum conſequutione talis finis, non poteſt velle dare hæc media, vt formaliter media infallibilia ad talem finem, & non præintendere efficaciter talem finem.

*Reſpondetur, prædeſtinationẽ ſine meritis eſſe neceſſariam ex parte Dei, nō ex parte prædeſtinati.*

Obiicies ſextò, quia illa propoſitio, *quicumque ordinatè volens, prius vult efficaciter finem, quàm media efficacia ad illum finem*, in qua præcipuè fundatur ratio noſtræ ſententiæ, vt ſupra à num. 60. intelligi debet de volitione finis, ex quo ſumitur intrinſeca perfectio volitionis; non autem ſi finis ita ſit extrinſecus volenti, vt nulla ex illo fine perfectio ſu- 91.

*Sexta obiectio contra præcipuam concluſionis rationẽ.*

matur volitionis. Quam diſtinctionem aliqui à priori probant, quia voluntas finis ideo ſolùm debet præcedere actu, aut virtute, vt ſit actuale, aut virtuale principium electionis mediorum: quæ principiandi ratio competere non poteſt fini extrinſeco, ſed tantùm intrinſeco. Cùm igitur in voluntate, qua Deus vult media gratiæ efficacia ad gloriam, gloria ſit finis creatus, Deo extrinſecus, vnde voluntas diuina perfectionem nullam ſumere poteſt, non eſt neceſſarium vt concipiatur in diuina voluntate efficax intentio gloriæ præcedere electionem efficacium mediorum gratiæ; ſed ſatis eſt, vt præintelligatur perfectus, atque efficax amor ſuæ diuinæ bonitatis, ex qua, tamquam ex fine intrinſeco mouetur diuina voluntas ad electionem quorumcumque mediorum, ſiue efficacium, ſiue tantùm ſufficientium.

*Reſpondetur, Deum prius velle finem, etiam extrinſecum.*

Reſpondeo, ex probatis ſupra q. 19. art. 5. dub. 1. Deus non ſolùm vult omnes creaturas propter bonitatem ſuam, ſed etiam vult vnam creaturam propter aliam; ita vt ratio, propter quam terminatur ad vnam creaturam, ſit quia terminatur ad aliam. Quod ibi fusè, ac diſtinctè declaratum eſt, etiam ex ſententia Vazquez, & Arrubal, quorum eſt hæc obiectio: Itaque illa propoſitio à S. Thoma, Scoto, & aliis authoribus noſtræ concluſionis, vniuerſaliter vſurpatur, & veritatem habet de omni eo, quod reſpectu alicuius habet rationem medij reſpectu finis, ſiue ille finis comparetur ad illius finis voluntatem vt vera cauſa finalis, ſiue vt ratio finalis motiua, ſiue vt ſimplex ratio terminatiua, propter quam volens vult, & eligit aliud vt medium, quod cum illo fine habet efficacem, atque infallibilem connexionem. Enim verò de hac quoque pura ratione terminandi procedunt omnes diſcurſus ſupra facti à n. 60. Quia ſi ratio, propter quam Dei voluntas terminatur ad efficax gratiæ mediũ, eſt quia terminatur ad gloriam, manifeſtum valde eſt, ex hoc nos habere fundamentum diſtinguendi, & prius concipiendi in Deo voluntatem efficaciter terminatam ad gloriam, per abſolutum decretum intentionis miſericordiæ; poſterius verò terminatam ad gratiam, vt medium efficax, & infallibiliter ducens ad conſequutionem gloriæ, per aliud abſolutum decretum electionis.

*Cur finis intentio præcedere debeat electionẽ mediorum.*

Itaque nego, illam propoſitionem habere vim in vno fine, & non in alio. Et ad probationem dico, finis intentionem debere præcedere electionem mediorum, non ſolùm vt ſit verum principium, ſeu cauſa aut actualiter, aut virtualiter influens in electionem mediorum; ſed etiam vt ſit vera, ac realis ratio ſimpliciter terminatiua propter quam, reſpectu electionis mediorum: ita vt ſi finis gloriæ intentio non terminaretur efficaciter ad gloriam, tamquam ad rationem ſimpliciter, & extrinſecè terminatiuam, non terminaretur ad electionem medij gratiæ efficacis, quia efficax eſt; vnde reſpectu reproborum, quia diuina voluntas non terminatur efficaciter ad gloriam, ideo non terminatur ad gratiam finaliter efficacem. Demum quòd Deus omnia velit vltimatè, & intrinſecè propter ſe ipſum, non tollit quin verè, ac realiter velit etiam vnam creaturam propter aliam, ac proinde neceſſarium ſit ex noſtro concipiendi modo, voluntatem eius prius terminari ad vnam propter ſeipſam independenter ab alia, deinde terminari ad aliam propter illam vnam, & dependenter ab illa, dependentia ſcilicet ſimpliciter, & extrinſecè terminatiua. Alioquin ſi præcisè ſpectetur ordo ad diuinam bonitatem, propter quam omnia vult, cùm illa communiter, atque indifferenter ſe habeat ad omnia, non eſſet maior ratio cur reſpectu prædeſtinatorum eligeret media gratiæ efficacia, & reſpectu reproborum eligeret inefficacia. Quapropter Deus non eligit medium vt efficax ad gloriam infallibiliter conſequendam, ex eo ſolùm quia perfectè amat bonitatem ſuam; nam ex eodem amore circa ſe ipſum mouetur etiam cum eligit medium ſufficiens, & in cæteris ſuis liberis decretis operandi ad extra, ſed ex eo etiam quia propter ſuam bonitatem communicandam, eius voluntas ex puro affectu miſericordiæ intelligitur prius terminata efficaciter ad gloriam: alioquin apparet inintelligibile, quòd ſine huiuſmodi præcedente, ac præſuppoſita terminatione, terminetur ad medium vt efficax, eligendo illud propter infallibilem connexionem, quam habet cum gloria, & ad hoc vt per illud aliqui infallibiliter conſequantur gloriam. Sicut enim ex eo quòd gloria ſit finis creatus, & extrinſecus, & bonitas diuina ſit finis increatus, & intrinſecus, non tollitur quin, ipſis etiam aduerſariis fatentibus, præintelligatur in diuina voluntate ſimplex quidam, & conditionatus affectus, quo intendit dare gloriam omnibus, qui gratiæ conſenſerint, & in gratia perſeuerauerint vſque in finem: ita nec idem obſtare debet, quin præintelligatur efficax, & abſolutus affectus gloriæ ad electionem medij efficacis propter infallibilem eiuſdem gloriæ conſecutionem.

*Prioritas, & poſterioritas decretorũ non tollitur ex eo quòd Deus velit omnia propter ſe.*

## *Occurritur alijs rationibus, præſertim moralibus.*

Contra eamdem veritatem quidam arguũt primò, ſequeretur, reprobos vſſe poſitiuè excluſos à gloria. quia Deus ciuitatem, & regnum Sanctorum conſtituiſſet ex his, & non ex aliis. Sicut enim qui ad palatium fabricandum eligit hos lapides, non alios, cenſetur poſitiuè excludere alios: ita Deus pro cœleſti vrbe eligens prædeſtinatos, non reprobos, cenſetur hos poſitiuè excludere. Vnde ex vi huius electionis certus Deus eſt, neminem reliquorum ſaluandum, & nemini dandam gratiam efficacem vſque in finem. 92. *Prima ratio.*

*Reſpondetur ſupponendo Chriſtũ fuiſſe prædeſtinatũ poſt præuiſionem peccati Adæ.*

Reſpondeo, poſita S. Thomæ ſententia, quam proprio loco ſequutus ſum, de prædeſtinatione Chriſti, & hominum in Chriſto, poſt præuiſionem peccati, meruiſſe omnes homines excludi poſitiuè à gloria; in quo ſenſu paſſim docet Auguſt. factam eſſe ex omnibus hominibus maſſam quamdam perditionis. Hinc benigniſſimus Dominus miſericordia motus fecit liberum decretum de incarnatione, & morte Chriſti pro omnium ſalute, & gloria; quo primo affectu, certum de fide eſt, nullum fuiſſe excluſum à gloria, ſed omnes planè incluſos, quia Chriſtus pro omnibus incarnatus, & mortuus eſt, nemine prorſus excepto. Poſt hoc aſſerimus, factum eſſe aliud decretum, quo Deus ſtatuit dare efficaciter, & abſolutè gloriã prædeſtinatis, & media efficacia; reprobis verò ſtatuit non dare efficaciter, & abſolutè gloriam, nec media efficacia. His poſitis reſpõdeo in forma ad argumentum, diſtinguendo conſequens, ſi eſſe poſitiuè excluſos, ſignificat, nulla ratione fuiſſe ſufficienter incluſos, & ordinatos ad gloriam per ſufficientia auxilia, ac media, id eſt omnino negandum. Si verò ſignificet per poſitiuum, ac liberum decretum fuiſſe de illis conſtitutum vt non haberent infallibiliter, ſiue efficaciter, atque abſolutè gloriam, & efficacia media ad gloriam infallibiliter conſequendam, hoc vltro concedimus, & putamus eſſe id, de quo Paulus, & ſæpiſſimè Auguſtinus dicunt, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Numquid iniquitas apud Deum? ô homo, tu quis es qui reſpondes Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Non eſt autem ſimile, quod de lapidibus affertur, quia lapides illi ita ſunt excluſi ab illo palatio, vt nulla prorſus ratione ſint incluſi: reprobi verò ſunt incluſi in ſufficienti voluntate dandi gloriam, & ſolùm excluſi ab efficaci, atque infallibili gloriæ conſequutione.

*Quomodo reprobi ſint, vel non ſint excluſi à gloria.*



93. *Secũda ratio.*

Arguunt ſecundò, ſequeretur, Deum non velle ſincera voluntate ſaluare omnes. Cur enim primò ante præuiſa merita tam paucos eligit? Cur ſecundò ex non ita electis nullus omnino ſaluatur? Cur tertiò non ita electis non præparauit niſi gratiam incongruam. Confirmant, quia ſicut electis Deus præparat gratiam congruam, quia congrua eſt; ita non electis præparat gratiam incongruam, quia incongrua eſt: ergo non ſincerè vult illos ſaluare, ſed potius videtur quaſi inſidiari illorum ſaluti.

*Reſpondetur, Deũ ſincera voluntate velle ſaluare omnes, etiam reprobos.*

*Cur Deus tã paucos prædeſtinauerit.*

Reſpondeo ad primum, cur tam paucos elegerit, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei. Cur inter iſtos paucos, elegerit hos, & non illos, inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei, vt loquitur Auguſtinus ſupra num. 45. Simile quid reſpondere tenentur aduerſarij, qui fatentur prædeſtinationem ad gratiam ſine meritis. Cur enim tam paucos prædeſtinauit ad talem gratiam, qua præſciebat illos eſſe ſaluandos; & non ad aliam, qua præſciebat illos eſſe damnandos; contra verò, reliquos omnes prædeſtinauit ad talem gratiam, qua præſciebat illos eſſe damnandos; & non ad aliam, qua præſciebat illos eſſe ſaluandos? Certè in vtroque caſu, ex eo, quòd circa aliquos ſit voluntas maioris boni, minus rectè arguitur, quòd circa alios non ſit ſincera voluntas minoris boni. Igitur voluntas ſaluandi efficaciter paucos, ſtat cum vera ac ſincera voluntate ſaluandi ſufficienter alios.

*Cur ex non prædeſtinatis nullus ſaluetur.*

Ad ſecundum, quòd non ſaluentur reprobi, non oritur ex negatione efficacis electionis; nam ſine hac habuit Deus circa reprobos voluntatem illos ſufficienter ſaluandi, & efficaciter dandi ſufficientia auxilia ad ſalutem, quibus ſaluari poſſunt, ſi velint. Oritur igitur ſolùm ex propria libertate, ac malitia; quam reſponſionem neceſſe eſt dari etiam ab aduerſariis, ſi ab ipſis quæratur, cur ex infinita propemodum multitudine reproborum, qui omnes habuerunt gratiam, verè, ac ſincerè ſufficientem, qua actu ſaluari poterant, ſi voluiſſent, nemo prorſus ſaluus factus ſit? nimirum ex proprio defectu, non ex defectu ſinceritatis voluntatis, & gratiæ Dei.

*Deũ non præparare gratiã incongruam.*

Ad tertium, nego ſimpliciter, Deum præparaſſe gratiam incongruam. Enim verò præparauit gratiam ſufficientem, præuiſam tamen incongruam, & inefficacem, non ex gratia, aut ex Deo, ſed ex libero noſtro arbitrio, vt explico ſupra, num. 68. fin. Vnde ad confirmationem dico, diuerſam rationem eſſe de gratia congrua, & de gratia incongrua, modò ſupponamus, his gratiis nil aliud ſignificari, niſi, vt hodie in ſcholis communiùs loquimur, gratiam efficacem, qua infallibiliter habetur effectus ex vi ipſius gratiæ, & gratiam inefficacem, qua non habetur effectus ex defectu ſolius liberi arbitrij: ac proinde, gratiam, congruitatem, & infallibilitatem habere à Deo; incongruitatem verò, ac defectum à ſolo libero arbitrio: quæ omnia probaui in propria materia de auxiliis, & efficacia diuinæ gratiæ, & hoc loco, ac tempore ſupponi debent. Cum igitur congruitas ſit à Deo per ordinem ad bonum, incongruitas ſit à libero arbitrio per ordinem ad malum, non eſt ratio, vt ſi Deus dat electis gratiam congruam, quia congrua eſt, debeat pariter non electis dare gratiam incongruã, quia incongrua eſt.

Arguunt tertiò, promiſſio gloriæ, ac ſalutis, omnibus facta, eſt conditionata, ſi ſeruaueris, ſi perſeueraueris, &c. ergo ante perſeuerantiam abſolutè futuram non poteſt poni in Deo abſoluta gloriæ voluntas, ſed tantùm conditionata: alioquin iſtæ promiſſiones ſalutis, & comminationes perditionis, & gehennæ, vana eſſent terriculamenta. Confirmant, quia illa conditio, *ſi perſeueraueris, idem valet ex parte rei, ac ſi dicas, ſi Deus ex ſe prædefiniuit vt perſeueres: & conditio, ſi non perſeueraueris, ſi Deus non prædefiniuit tuam perſeuerantiam.* ergo diuinarum promiſſionum, & comminationum ſenſus eſt hic ineptiſſimus, *Promitto vobis vitam æternam, ſi ego ex meo beneplacito vobis perſeuerantiam decreui; ſi ego vobis nolui decernere perſeuerantiam, deturbabo in gehennam.* 94. *Tertia ratio.*

*Reſpondetur declarãdo cur nõ ſint vanæ promiſſiones conditionatæ, factæ electis.*

Reſpondeo, negando conſequentiam, ad cuius probationem dico, conditionatas Dei promiſſiones, etiam prout intelliguntur factæ electis, non eſſe vanas; quia electio illa abſoluta, ita à Deo facta eſt, vt tamen in poteſtate liberi arbitrij relictum ſit ſaluari, vel damnari. Et idcirco neceſſarium fuit, ſalutem promittere, & oppoſitum comminari ſub iſtius libertatis conditione. Ad confirmationem, nego illum eſſe ſenſum illarum conditionum. Illud, *ſi perſeueraueris*, ita eſt aliter explicandum, ſi decreto meo indifferente, quo iuxta naturalem exigentiam tui liberi arbitrij, paratus ſum concurrere vel ad actum perſeuerantiæ, vel ad aliud oppoſitum, prout te liberè determinaueris vel ad hoc, vel ad illud, volueris te determinare ad perſeuerantiam, ego te ſaluabo, & conſequenter, decernam abſoluto exequutionis decreto ſaluare te. Vbi nulla prorſus apparet abſurditas, aut repugnantia cum alio priori abſoluto intentionis decreto de perſeuerantia abſolutè danda, ante meritorum præuiſionem. In ſimili proportionaliter bono ſenſu à contrario, comminationes oppoſitæ, ab vnoquoque explicari facilè poſſunt.

*Quis ſit ſenſus huius cõditionis, ſi perſeueraueris.*

Arguunt quartò, quia modus electionis, quem nos ponimus, videtur minus congruere bonitati, & iuſtitiæ Dei. Bonitati quidem, quia à bonis ſupernaturalibus per illam electionem præparatis multi excipiuntur. Vnde illa negatiua reprobatio eſt inutilis, & pernicioſa creaturæ, & non tendit per ſe niſi ad eius exitium. Iuſtitiæ verò, quia per electionem impoſſibile eſt electos non bene operari, & ſaluari; contra verò per reprobationem impoſſibilis redditur reproborum ſalus; qui etiam diuina poteſtate videntur prædeſtinati ad malum, & creati vt pereant: nam ex illa infallibiliter ſequitur æterna damnatio. 95. *Quarta ratio.*

*Reſpondetur retorquendo argumentum contra prædeſtinationẽ ad gratiam.*

Reſpondeo, totum hoc argumentum fieri poſſe contra aduerſarios de prædeſtinatione ad gratiam abſque vllis meritis. Nam per gratiam etiam, ſi de ea rectè ſentimus, Deus quibuſdam dat infallibiliter credere, bene viuere, & perſeuerare, non autem aliis, vt paſſim contra Semipelagianos, & Pelagianos docet Auguſtinus. De hac igitur tam diuerſa electione ad gratiam, dicam, ſi Deo placet, quæ eſt iſta bonitas, quæ iuſtitia? Dicendum igitur tam in hac electione ad gratiam ſine meritis, quàm in electione ad gloriam, pariter ſine meritis, maximè relucere Dei bonitatem, miſericordiam,

*In prædeſtinatione, & reprobatione ſine meritis, oſtendi bonitatem, & miſericordiam Dei, ex Aug.*

diam,& iuſtitiam. Quod non meis, ſed Auguſtini verbis iuuat oſtendere, ac perſuadere. Is de prædeſtinatione Sanctorum ad hoc propoſitum ait cap.8. poſt princip. *Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes, quos docet, miſericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat: ſed miſeretur, bonum tribuens; obdurat, digna retribuens.* Et ſtatim huiuſmodi querimoniæ applicat illud, quod Paulus ad Romanos 9. reſpondet illi, qui conqueritur, quòd Deus, ſi cuius vult, miſeretur; & quem vult, indurat; neque poſſit meritò laudare prædeſtinatos, quòd bene viuant, & ſaluentur; neque reprehendere reprobos, quòd non faciant opera ſalutis,& damnentur; quia nemo poteſt reſiſtere voluntati Dei ſine vllis meritis eligentis prædeſtinatos, reiicientis reprobos. Inquit Auguſtinus, *Numquid reſponſum eſt ab Apoſtolo, ô homo, falſum eſt quod dixiſti? Non. Sed reſponſum eſt, ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare ſic me feciſti? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem facere maſſa? & ſequentia, quæ optimè noſtis.* Et cap.9. initio, huius irrationabilis querimoniæ radicem profundiùs tangit, & rem totam illuſtriùs exponit, ita concludens, *Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit, ex vno omnes iſſe in condemnationem, ſine dubitatione iuſtiſſimam; ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiam ſi nullus inde liberaretur. Vnde conſtat, magnam eſſe gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid ſibi deberetur, in eis, qui non liberantur, agnoſcunt: vt qui gloriantur, non in ſuis meritis, quæ paria vident eſſe damnatis, ſed in Domino glorientur. Cur autem iſtum potius, quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Melius enim & hîc audimus, aut dicimus, ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? quàm dicere audeamus, quaſi nouerimus quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit.* Rurſus ſequenti libro de Bono perſeuerantiæ cap.8. circa principium, idem argumentum ita ſoluit. *Non ſimus ingrati, quòd ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, vt ſi inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus. Ex vno quippe omnes in condemnationem, non iniuſtitia iudicati ſunt filij iræ, ſed iuſtitia. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debitum, bonitas; in exigendo, æquitas intelligitur: nuſquam eſſe apud Deum iniquitas inuenitur.* Eamdem doctrinam deinceps eleganter, ac latè proſequitur explicando parabolam vineæ, Matth.20. Et inter alia, rem noſtram magis explicant illa verba, *Cùm iuſtus eſſet Deus etiam ſi vtrumque puniret; qui liberatur, habet vnde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat.* & paulò poſt, *Cur in eadem maſſa, me potius, quàm illum puniet; aut illum, quàm me potius liberabit? Hoc non dico, ſi quæris, quare? quia fateor me non inuenire quid dicam. Si & hoc quæris, quare? quia in hac re, ſicut iuſta eſt ira eius, ſic & magna eſt miſericordia eius, ita inſcrutabilia iudicia eius.*

*Exponitur locus ad Roman. 9.*

August.

*Cur ſine meritis prædeſtinare, ac reprobare ſit opus miſericordiæ, ac iuſtitiæ.*

96. Et nihilominus aduerſarij, huius diuerſiſſimæ diſcretionis cauſam, quam vt inſcrutabilem Auguſtinus humiliter ſe ignorare fatetur, ex præuiſis meritis facillimè, ac certiſſimè afferendam eſſe contendunt. Et vbi Auguſtinus miſericordiam, ac iuſtitiam Dei maximè commendat, ibi ipſi nullam eſſe miſericordiam, ac bonitatem, nullam eſſe iuſtitiam conqueruntur. Profectò perturbationes, & querimoniæ omnes ceſſabunt, ſi ſpectemus, omnes homines poſt Adæ peccatum fuiſſe in vna communi maſſa perditionis, omnes iræ filios, omnes iuſtè damnatos, abſque vllo humano remedio. Ab hoc malo ſolus Deus liberare potuit. Et ſanè, ſicut ſi omnes in illa maſſa reliquiſſet, fuiſſet iuſtus iudex; ita cùm in ea relinquere voluit aliquos tantùm iuxta beneplacitum ſuum, fuit etiam iuſta ſententia. Aliquos verò liberaſſe, maximam miſericordiæ, ac bonitatis opus fuit. Itaque illa reprobatio negatiua, non rectè dicitur inutilis, & pernicioſa, cùm ſit iuſta: & propterea non tendit ad exitium, ſed ad iuſtum, ſeu ad boni priuationem ex iuſtitia debitam. Præterea cum dicitur, impoſſibile eſt electos non ſaluari, addendum eſt, *non ſaluari liberè*, ac proinde, cum poſſibilitate ad oppoſitum, & cum multis periculis, & laboribus, vt omnium Sanctorum vitæ teſtantur. Item reproborum ſalus eſt impoſſibilis, non ſimpliciter, ſed ex propria libertate, ac malitia, ex qua præuiſi ſunt abuſuri gratia, & finaliter in peccato morituri. Nec reprobatio negatiua negans ex iuſtitia ſuperexcedens quoddam bonum, prædeſtinat ad malum. Nec reprobi creati ſunt vt pereant, ſed vt in Adamo omnes iuſtificentur, & viuificentur. Nec æterna damnatio ſequitur infallibiliter ex illa reprobatione, ſed ſolùm ex peccato à Deo infallibiliter præuiſo futuro ex hominum libertate, ſufficientiſſimè per Dei gratiam adiuta vt non peccaret. Dicamus igitur non minus verè, quàm piè, cum Auguſtino de Bono perſeuerantiæ cap. 11. circa principium, *Miſericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus: neque inſcrutabilia ſcrutari, neque inueſtigabilia veſtigare conemur.*

*Reprobatio negatiua ad quid tendat.*

*Quo modo nō poſſint nō ſaluari electi; & reprobi non damnari.*

Auguſt.

97. Arguunt quintò, quia hic modus electionis videtur planè tollere omnem ſolicitudinem bonorum operum, & ſalutis. quia ſi ſum prædeſtinatus, Deus non poteſt non dare ſalutem, bona opera, & ipſam etiam ſolicitudinem, quacumque tandem incuria, ac negligentia ex me poſita. Si verò reprobatus ſum, quamuis diligentiſſimè laborem vt ſaluer, ſum denique infallibiliter moriturus in peccato, & damnandus.

*Quinta ratio.*

Reſpondeo, hoc idem argumentum fusè proponi ab Auguſtino de Bono perſeuerantiæ cap.15. factum à ſemipelagianis, hinc probare conantibus, primam gratiam dari, aut negari, ex naturæ meritis, vel demeritis, & ſine dubio ſicut probant Catholici electionem ad gloriam ex meritis gratiæ, ita pariter probare poſſunt hæretici electionem ad gratiam ex meritis naturæ. Nam ſicut quia omnes eliguntur ſiue ordinantur ad gloriam ſine meritis, & aliqui eliguntur efficaciter, qui ſunt prædeſtinati, & infallibiliter ſaluandi; aliqui ſufficienter, qui ſunt reprobi, & infallibiliter damnandi; hinc probatur, tolli ſolicitudinem ad bonum: ita quia omnes per gratiam vocantur ſine meritis, & aliqui vocantur efficaciter, & ſecundùm propoſitum, qui infallibiliter ſaluabuntur, aliqui diuerſiſſimo modo vocantur ſufficienter tantùm, & non ſecundùm propoſitum, qui infallibiliter peribunt; hinc eadem omnino ratione probari poſſet, tolli eamdem ſolicitudinem. Atque hoc argumento, & nimio zelo animum tranquillandi, maximè commotos Maſſilienſes in ſuam hęreſim incidiſſe, teſtes ſunt Hilarius, & Proſper in epiſtolis de hac re ad Auguſtinum ſcriptis, vt ipſemet Auguſtinus reſpondendo commemorat in cit. cap.15.

*Reſpondetur retorquendo argumentum cōtra electionē ad gratiā.*

Verùm



*Ex prædeſtinatione, & reprobatione ſine meritis, non tolli ſollicitudinē bene viuendi.*

Auguſt.

Verùm, vt acutè refellit Auguſtinus, vtramque prædeſtinationem expreſsè diſtinguens, & in hoc eas æquales faciens, in quantum vtraque facta eſt ſine meritis, *Iſta ita nos à confitenda Dei gratia, id eſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur; & à confitenda ſecundùm eam, prædeſtinationem Sanctorum, deterrere non debent; ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, vt dicat, ſiue nunc rectè viuatis, ſiue non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit; vel boni, ſi bonos; vel mali, ſi malos. Numquid enim ſi hoc audito, nonnulli in torporem, ſegnitiémque vertantur, & à labore procliues ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt eſſe, quod dictum eſt.* Negandum igitur eſt, tolli illam ſolicitudinem, ſed contra potius, ſi prudenter, ac piè diſcurrere velimus, poſſe mirum in modum accendi. Enim verò vnuſquiſque ita debet cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operari, vt in diuina miſericordia ſperare poſſit, ac debeat, ſe eſſe vnum ex electis: & hinc præcipuè moueri, vt quanta maxima poteſt ſolicitudine electioni, ac miſericordiæ Dei correſpondeat. Ex hoc enim diſcurſu, etiam ſi electus fortaſſe non ſis, multa oriri poſſunt bona, & nullum malum: ex alio autem diſcurſu, etiam ſi electus fortaſſe fueris, multa prouenire poſſunt mala, & nullum bonum. Igitur ille eſt prudenter, ac piè præferendus, hic prorſus abiiciendus. Vnde ibidem Auguſtinus cap.17. circa principium ait, *Ille, quem Deus caſtum futurum prædeſtinauit; quamuis id incertum habeat, non ideo non agit vt caſtus ſit, quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe quod erit, imò etiam gaudet eius charitas, nec inflatur, tamquam id non acceperit.* Et ſtatim monet, idem dicendum de reliquis meritoriis operibus, etiam de ipſa perſeuerantia. & contrarium, inquit Auguſtinus in fine eiuſdem capitis decimi ſeptimi, tangens rationem à nobis aſſignatam, *eſt dicere tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſeipſo, ſed in Deo didicerit ponere.* quod cogitare nefas eſt. Vnde infra cap.21. fin. & cap.22. iubet, cum de prædeſtinatione prædicatur populis, ita eſſe loquendum, ac ſi omnes ſint prædeſtinati, & nullus exceptus. *Dicendum eſt*, inquit, *ſic currite, vt comprehendatis, atque vt ipſo curſu veſtro ita vos eſſe præcognitos noueritis, vt legitimè curratis. De ipſo curſu veſtro bono, rectóque condiſcite, vos ad prædeſtinationem diuinæ gratiæ pertinere.* Sic enim fiet, inquit, *vt hominis ſegnitia repellatur.* & circa finem capitis 22. iubet omnes *ſperare, & confidere, non eſſe à prædeſtinatione populi eius alienos; quoniam in ipſo ſpem noſtram habere iubemur, non in nobis: & hanc ſpem tenentes ſeruire Domino in timore, & exultare ei cum tremore.*

Auguſt.

*Vnuſquiſque eſſe debet in bonis operibus ſolicitus, ac ſi eſſet prædeſtinatus.*

98. Arguunt 6. tolli zelum animarum. Sed ex dictis manifeſtum eſt, hoc etiam inconueniens, quod æquè militat contra gloriæ, & contra gratiæ prædeſtinationem abſque meritis, irrationabiliter obiici. Dei eſt, & ex miſericordia liberare quem vult, & ex iuſtitia non liberare. Noſtrum eſt, bonis operibus inſudare, & omnium proximorum ſaluti cooperari, quantum cum diuina gratia poſſumus; & in diuina miſericordia benè ſperare tam de nobis, quàm de aliis. *Sunt*, inquit Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap.16. initio, *qui propterea vel non orant, vel frigidè orant, quoniam Domino dicente didicerunt, ſcire Deum quid nobis neceſſarium ſit, priuſquam petamus ab eo. Num propter tales, huius ſententiæ veritas deſerenda, aut ex Euangelio delenda putabitur? Cauendum eſt igitur ne dum timemus, tepeſcat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.*

*Sexta ratio.*

*Reſpondetur non tolli zelū animarum.*

Auguſt.

Multa alia obiiciũtur, ſed vel ex dictis à quolibet ſolui facilè poſſunt, vel pendent ex infra dicendis, vel ſupponunt falſam ſententiam de hominum prædeſtinatione, ac reprobatione facta ante præuiſionem peccati Adæ, quam multis reieci cum S.Thoma 3.p.quæſt.1.art.3. vel opinionem de Angelis prædeſtinatis poſt præuiſa eorum merita, quam falſam etiam eſſe ſuppono ex propria materia, & euidenter ſequitur ex rationibus huius concluſionis ſupra, num.60.63. vt bene probant Suarez 1.p.tract.2.lib.1.c.9. & 12. Zumel infra, art.4. diſp.1.& art.5. diſp.3. Trigoſius in Bonauenturam 1.p.quæſt.18.art.10. dub.6.

S.Thomas. Suarez. Zumel. Trigoſius.

---

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm prædeſtinatio aliquid ponat in prædeſtinato.*

## Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd prædeſtinatio ponat aliquid in prædeſtinato, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Declarantur duæ concluſiones articuli. num.1.*
2 *An prædeſtinatio ſit neceſſaria ad ſuos effectus. n.2. ad 17.*
3 *An gloria, & gratia ſint effectus prædeſtinationis. num.17. ad 23.*
4 *An gratia interrupta, & omnia gratiæ auxilia ſint effectus prædeſtinationis. num.23. ad 31.*
5 *An permiſſio peccati ſit effectus prædeſtinationis. num.31. ad 39.*
6 *An res naturales ſint effectus prædeſtinationis. n.39. ad finem articuli.*

### COMMENTARIVS.

1. IN hoc articulo habentur duæ concluſiones certæ, ac faciles. Prima. *Prædeſtinatio non eſt aliquid in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante tantùm.* Patet ex præcedentibus, quibus probatum eſt, prædeſtinationem in ſeipſa formaliter ſpectatam conſiſtere in actibus immanentibus intellectus, & voluntatis Dei. Vnde oritur, ſicut dicitur ad ſecundum, & quartum, vt prædeſtinatio ſit æterna, non obſtante quòd prædeſtinationis effectus, & ſubiectum illorum effectuum ſint in tempore. In quo ſenſu exponit illud Origenis, *Prædeſtinatio eſt eius, qui non eſt*; quia prædeſtinati non exiſtunt in ſeipſis niſi in tempore, quorum tamen prædeſtinatio in Deo exiſtit ab æterno, quando prædeſtinati non exiſtunt. Quamobrem illud Auguſtini, *Prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei*, exponitur ad tertium non de præparatione *patientis vt patiatur, quæ eſt in præparato*, ſed de præparatione *agentis vt agat, quæ eſt in agente.*

*Prima articuli cōcluſio.*

*Quid ſit illud Origenis, prædeſtinatio eſt eius, qui non eſt.*

*Exponitur illud Auguſtini, prædeſtinatio eſt præparatio beneficiorum Dei.*

Secunda concluſio. *Executio prædeſtinationis, quæ gubernatio dicitur, eſt paſſiuè quidem in gubernatis, & prædeſtinatis; actiuè autem eſt in Deo gubernante.* Probat, quia executio prædeſtinationis eſt vocatio, & magnificatio, ſecundùm illud ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & magnificauit.* Hi autem effectus recipiuntur in prædeſtinatis, & procedunt à Deo prædeſtinante, ſed vt hæc aliáque multa ad prædeſtinationis effectus pertinentia, diligentius examinentur, ſit

*Secunda articuli cōcluſio.*

*Exponitur locus ad Rom. 8.*

 DVBI

## DVBITATIO I.

### *An prædeſtinatio ſit neceſſaria ad ſuos effectus.*

### SVMMA.

1 *Probatur eſſe neceſſariam ex parte Dei. num.2.*
2 *Probatur eſſe neceſſariam ad gloriam infallibiliter habendam. num.3.*
3 *Probatur non eſſe abſolutè neceſſariam ex parte effectus.n.4. ad 7.*
4 *Probatur eſſe Deo conuenientiſſimam.n.7.*
5 *Soluuntur obiectiones Gonzalez.n.8.ad 17.*

COnſtat apud omnes prædeſtinationem habere proprios quoſdam effectus, qui de facto nunquam habentur abſque prædeſtinatione; cuiuſmodi certò ſunt, (vt interim omittam alios dubios, de quibus infra) perſeuerãtia in gratia conſummata vſque ad mortem, & vita æterna: & de his inquirimus, quantam dependentiam habeant à prædeſtinatione explicata, nempe ab efficaci, & abſoluto propoſito glorificandi, & ordinandi ad gloriam per media infallibilia.

2. *Prima concluſio. Eſt neceſſaria ex parte Dei.* Suarez. *Sequitur ex probatis ſupra.*

Prima concluſio. Prædeſtinatio, ſi ſpectetur ex parte Dei agentis, eſt omnino neceſſaria ad ſalutem cum effectu conſequendam, ita vt Deus non poſſit ſimpliciter alio modo velle dare gloriam per gratiam, niſi prædeſtinando. Hoc obiter probaui ſupra, artic.1.num.90.& ſignificatur à Suarez 1.p. tract.2.lib.1. cap.7. num.21. & euidenter ſequitur ex duabus opinionibus ſuperius probatis, altera de abſoluta intentione finis omnino neceſſaria ante electionem infallibilium mediorum, vt articulo præcedente, præſertim à num.ſexageſimo; altera de neceſſitate præſcientiæ diuinæ conditionatæ ante decretum prædefiniens, ex qua ſcientia neceſſariò prouenit infallibilitas in antecedentibus conditionibus, ac mediis, vt ſupra quæſt.14. artic.13.præſertim dub.17.& 21. Ex his enim fit, neminem de facto ſaluari per aliquam gratiam, quin illa ſit medium infallibile ad ſalutem: præuidit enim infallibiliter Deus, quòd ſi ego haberem talem gratiam, ſaluarer; & ex hac infallibili præſcientia prouenit in illa gratiæ infallibilitas antecedens ſalutis effectum abſolutè futurum. Sed neque illa præſcientia poteſt non eſſe in Deo, neque illa infallibilitas poteſt non eſſe in gratia; ergo non poteſt Deus velle meam ſalutem per talem gratiam, niſi volendo finem per medium prorſus infallibile. Sed Deus per medium infallibile, & cognitum vt infallibile, non poteſt tendere in finem, niſi illũ efficaciter, atque abſolutè præintendendo: ergo ex modo operandi ipſius Dei, eſt omnino impoſſibile, haberi ab illo gloriam abſque præcedente electione ad gloriam, & certiſſima directione ad illam per medium infallibile, ac proinde, abſque prædeſtinatione.

*Sequitur ex opinione nouorum Thomiſtarum.*

Idem alia euidentiore ratione aſſerere tenentur moderni Thomiſtæ, ex eorum opinione de neceſſitate diuini decreti prædeterminantis ante præſcientiam conditionatam: vnde ſequitur, vt Deus non poſſit velle gloriam per gratiam, niſi prædefiniendo gloriam, & præparando medium gratiæ prædeterminantis.

3. *Secunda concluſio. Eſt neceſſaria ad effectum habendum infallibiliter.*

Secunda concluſio. Prædeſtinatio, ſi ſpectetur ex parte effectus, eſt etiam omnino neceſſaria ad hoc vt gloriæ finis habeatur, non ſolùm ſimpliciter, ſed etiam infallibiliter per medium gratiæ efficacis. Hoc quoque apertè ſequitur ex noſtra opinione de efficacia, atque infallibilitate gratiæ ex præſcientia conditionata. Si enim gloria per gratiam obtineri infallibiliter non poteſt, niſi per gratiam efficacem, & efficaciam habere gratia non poteſt niſi per præſcientiam Dei conditionatam; ergo vt gloria per gratiam habeatur infallibiliter, præſupponi debet in Deo præſcientia conditionata, qua reddatur infallibile gratiæ medium ad liberè comparandum gloriæ finem. Ergo conſequens Dei iudicium practicum, & voluntas ferri non poſſunt in prædictum medium niſi vt infallibile: ergo per antecedentem efficacem intentionem finis gloriæ. ergo per prædeſtinationem. Idem ſequitur ex ſententia de infallibili conſequutione gloriæ per medium gratiæ prædeterminantis: hæc enim infallibilis conſequutio haberi non poteſt à Deo niſi vt ordinante media infallibilia, eáque eligente ex præſuppoſita efficaci intentione finis. Solùm differimus, quia ipſi ita ponunt pendere infallibilem conſecutionem à mediis ex natura ſua intrinſeca infallibilibus, ac prædeterminantibus, vt ſi per impoſſibile Deus ad illa media danda non concurreret per intellectum, & voluntatem, ſed per ſolam omnipotentiam, ac proinde non per prædeſtinationem, quæ in actibus intellectus, ac voluntatis ſita eſt, adhuc idem effectus infallibiliter haberetur. Nos verò, qui ſentimus, hanc infallibilitatem omnino antecedentem pugnare cum libertate, ac proinde finem non poſſe infallibiliter, & liberè comparari niſi per infallibilitatem prouenientem ex media Dei ſcientia conſequente liberum noſtrum operandi vſum, conſequenter negamus, data prædicta hypotheſi impoſſibili, futurum infallibiliter gloriæ finem. Ideoque aſſerere poſſumus, prædeſtinationis effectum, vt infallibiliter futurum, habere omnimodam connexionem cum prædeſtinatione, ſaltem cum præſcientia, ad liberè prædeſtinandum eſſentialiter prærequiſita.

4. *Tertia concluſio. Nõ eſt neceſſaria ex parte effectus ſimpliciter.* Suarez. Arrubal. Carthag. Molin.

Tertia concluſio. Prædeſtinatio eodem modo ſpectata ex parte effectus, non eſt abſolutè neceſſaria ad actualem conſecutionem gloriæ per gratiam. Ita Suarez 1.part.tract.2.lib.1.cap.7.num.21. & magis directè in cap. 8. num. 48. Arrubal d.67. num.37.& d.68.cap.2. Carthagena de prædeſtinatione diſcurſu decimo, ratione prima, Molina infra, artic.4. d.1. membro tertio; & alij omnes authores noſtræ ſententiæ, negantis prædeterminationem ad actus liberos, tam extrinſecam, quàm intrinſecam, vnde hæc concluſio neceſſariò ſequitur; quia ſi gratiæ media ex ſe non ſunt prædeterminantia, & infallibilia, ſed ſufficientia tantùm; ergo præciſa quacumque infallibilitate tã ex parte mediorum, quàm ex parte Dei prædeſtinantis, ac proinde præciſa prædeſtinatione, atque efficaci intentione gloriæ, & conſiderata ſolùm dependentia effectus, ſeu finis à mediis ſufficientibus, haberi ſufficientiſſimè poteſt actualis conſecutio illius finis. Eſt autem contra omnes authores auxilij prædeterminantis, ſine quo volunt, vel non poſſe haberi, vel, (quod, mea quidem ſententia, vt ſuperius demonſtraui, in idem redit,) non eſſe infallibiliter habendum finem gloriæ. Hinc enim fit, vt ad gloriam in effectu ſimpliciter habendam, ſit neceſſarium medium prædeterminans, atque adeo infallibile: & vt propterea neceſſarium ſit ex parte intellectus, & voluntatis Dei, vt dirigat, & eligat ad gloriam media infallibilia, & conſequenter, vt gloriæ finem efficaciter præintendat, qui ſunt actus prædeſtinationis.

5. *Prima ratio à poſteriori.*

Probatur concluſio primò à poſteriori, valde efficaciter, quia reprobi, & non prædeſtinati, habent



habent gratiæ media, verè, ac realiter ſufficientia ad actualem conſequutionem finis gloriæ; alioquin cum actu reſiſtunt gratiæ, & non conuertuntur, vel non perſeuerant, & non ſaluantur, non peccarent, nec eſſent digni reprehenſione, ac dãnatione; nec eos hortari iure poſſemus, vt cũ gratiæ auxiliis, quæ ſufficienter habent, bene operentur, & perſeuerent, & ſalui fiant. ergo nullum antecedens principium illis deeſt, abſolutè neceſſarium ad actualem conſequutionem gloriæ. Sed deeſt illis diuina prædeſtinatio; ergo hæc ad actualem gloriæ conſecutionem non eſt abſolutè neceſſaria.

*Secunda ratio à priori.*

Secundò à priori, quia vt cauſa ſecunda libera poſſit completè, & ſufficienter operari, ſeu conſequi ſimpliciter effectum aliquem ſupernaturalem liberum, ſatis eſſe debent omnia principia neceſſaria ad illum effectum tam ex parte cauſæ ſecundæ, quàm ex parte cauſæ primæ: ſed ad bene operandum ſupernaturaliter, ac liberè, non requiritur aliud ex parte cauſæ ſecundæ, niſi libertas eleuata per ſupernaturale principium gratiæ ſufficientis non prædeterminantis; & ex parte cauſæ primæ decretum dandi hoc principium, & concurrendi cum libero arbitrio indifferenter ad plures partes oppoſitas: inter quæ requiſita non eſt prædeſtinatio. ergo hæc, quantum eſt ex parte effectus ſecundùm ſua intrinſeca, non eſt abſolutè neceſſaria.

6. *Corollarium primum.*

Vnde ſequitur, quòd ſi in Deo nulla eſſet præſcientia conditionata, nullum decretum antecedenter prædefiniens gloriam; ſed ſolùm eſſet decretum dandi has gratias, quas de facto dedit; & decretum concurrendi ad illam oppoſitionis partem, ad quam creatura liberè ſe determinauerit; & decretum efficax conditionatũ glorificandi, ſi diuinæ gratiæ correſponderit vſque in finem, eoſdem planè effectus haberemus, qui nunc in prædeſtinatis, vel in reprobis de facto habentur. Differentia dumtaxat eſſet, quia nunc iſti effectus, vt ſcientiæ mediæ, & prædeſtinationis, ita habentur liberè, vt etiam habeantur infallibiliter: facta autem illa ſuppoſitione haberentur quidem liberè, ſed fallibiliter; quia tunc gratia eſſet quidem ſufficiens in actu primo, & efficiens in actu ſecundo, tamen nullo modo eſſet efficax in actu primo, non efficacia prædeterminationis, quam negamus; non efficacia præſcientiæ, à qua præſcindimus.

*Corollarium ſecundum.*

Sequitur præterea, quod facta eadem ſuppoſitione, ſi datæ fuiſſent hominibus aliæ gratiæ ab his, quæ de facto datæ ſunt, multi ex his, qui nunc ſunt prædeſtinati, fuiſſent damnati; & multi, qui nunc ſunt reprobati, fuiſſent glorificati. Imò contingere potuiſſet, vt omnes planè eſſent vel damnati, vel glorificati; & vt omnes nunc prædeſtinati, damnarentur; & omnes reprobati, glorificarentur; nemo enim eſt qui vi alicuius gratiæ non ſaluaretur; ſicut cum aliqua alia minori gratia non periret ex propria libertate.

7. *Quarta concluſio. Eſt Deo conuenientiſſima.*

Quarta concluſio. Prædeſtinatio eſt etiam neceſſaria ad ſuos effectus, non vt ſimpliciter fiant, vt præcedente concluſione probatum eſt, ſed vt conuenienti, & perfecto modo fiant à Deo, ita vt, eſto non eſſet omnino neceſſaria ex parte Dei, vt ſupra, concluſione prima, ſed poſſet Deus illos effectus producere ſine prædeſtinatione, vt ſecundùm ſe producibiles ſunt, iuxta tertiam concluſionem; tamen adhuc ad conuenientem, ac perfectam diuinæ prouidentiæ rationem eſſet neceſſarium vt Deus eos per prædeſtinationem produceret. Et ideo ex hoc etiam capite per prædeſtinationem eos de facto producit, vt contra Catherinum, & alios probaui ſupra artic.1. num.31. & 32. Hoc quoque prudenter adnotauit Suarez 1.par.tract.2. lib. 1. cap. 8. num. 49. & ferè ex dictis in articulo primo eſt manifeſtum. Suarez.

In hoc enim prædeſtinandi modo, quem defendimus, per gratuitam electionem ad gloriam, immediatè factam ex miſerrima perditionis maſſa totius generis humani, ante cuiuſlibet meriti præuiſionem, proculdubio multò magis relucent liberalitas, & miſericordia Dei; in quem modum maximè quadrat illud Pauli ad Rom.8. *Non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei.* Ad Rom.8. Item diuina ſapientia, de quo eſt illud ad Rom.11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Ad Rom.11. Præterea Dei libertas, ac dominium ſupra bona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ, de quo ſcriptum eſt Pſal.83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Pſal.83. Quam libertatem explicat Paulus ad Rom. 9. *ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*: ad modum figuli, qui, inquit, *habet poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Item potentia, & efficacia diuinæ voluntatis; hanc enim diſcretionem fecit Deus, inquit Paulus ad Rom. 9. *Volens notam facere potentiam ſuam, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Ad Rom.9. Præterea dependentia creaturæ à Deo, vt propterea Paulus ibidem dixerit, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* & vis, atque efficacia diuinæ gratiæ. Nam, vt dicitur ad Epheſ.1. *Deus prædeſtinauit nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia.* Ad Epheſ. 1.

### *Diſſoluuntur rationes Gonzalez in contrarium.*

8. *Prima obiectio.*

Obiicit primò Gonzalez hîc, d.70.ſect.1. à n.6. contra Molinam, & Suarez, illud Auguſtini, ſeu Fulgentij poſitum ſupra art. 1. num. 32. *Firmiſſimè tene, nullum eorum, quos non prædeſtinauit ad vitam, vlla poſſe ratione ſaluari.* In quo probando contra Maſſilienſes totus eſt Auguſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum, inquit Gonzalez.

*Reſpondetur declarando verba Fulgentij.*

Reſpondeo, planum Fulgentij ſenſum eſſe, quos de facto non prædeſtinauit Deus, nulla ratione ſaluari poſſe propriis viribus, ac meritis: alioquin indubitatum apud omnes eſt, reprobos, qui non ſunt prædeſtinati, poſſe aliqua ratione ſaluari ſimpliciter, nimirum per ſufficientia gratiæ media, quæ illis non negat Deus, qui propterea dicitur, *Vult omnes homines ſaluos fieri.* Longè autem alius eſt quæſtionis noſtræ ſenſus, qua inquirimus ex hypotheſi impoſſibili, an ſi vita æterna non penderet à Deo per prædeſtinationem, poſſet alia quapiam ratione, etiam ab ipſomet Deo per gratiam ſupernaturaliter pendere. De quo ſenſu ne verbum quidem apud Auguſtinum, neque apud Maſſilienſes, qui ab Auguſtino in libro de prædeſtinatione Sanctorum maximè impugnantur, quòd aſſererent ex parte noſtra meritum primæ gratiæ.

9. *Secunda obiectio.* Auguſt. *Exponitur locus Ioann.* 15.

Obiicit ſecundò illud Ioann.15. *Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos.* Quibus verbis Auguſtinus libro de prædeſtinatione Sanctorum cap.17. Maſſilienſes, dicentes, *Deus elegit nos, quia præſciuit credituros, non quia facturus fuerat ipſe credentes*, ita impugnat, *contra iſtam præſcientiam loquitur filius Dei, dicens, Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi: cum hoc potius præſcierit Deus, quod ipſi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi.* Quæ vltima verba, vt ex antecedentibus, & conſequentibus patet, ſic ſunt accipienda, Deus præſciuit potiùs, quòd vocati per gratiam ad fidem, erant illum electuri, liberè credendo,

dendo, vt qui electi antea fuerant ad fidem omnino gratis, iam ex huius fidei merito mererentur eligi ad iuſtitiam, & gloriam. Hinc Gonzalez ita arguit, *Non eſt cognoſcibile à Deo, quòd nos ſumus electuri Chriſtum, antequam ille eligat nos. Ergo non eſt futurum vllo modo, quòd ſine gratuita eius electione præcedente conſenſum noſtrum, nos eligamus illum.*

Reſpondeo, concedo totum. Neque enim contendimus, prædeſtinationem non eſſe neceſſariam ad ſuos effectus, ex eo quod iſti effectus haberi poſſint ex aliqua antecedēte electione viribus naturæ facta, abſque omni antecedēte electione gratuita à Deo facta viribus gratię; hoc enim ſemipelagianorum commentum fuit: ſed quia non eſt neceſſariū ex parte effectus, vt hæc gratuita Dei electio fiat per præſcientiam conditionatam, & per abſolutam electionem ad gloriam ante præuiſionem abſolutam meritorum, & per præfinitionem fidei, & meritorum: ſed iidem effectus haberentur, ſi Deus per aliam voluntatem, etiam omninò gratuitam, ſed conditionatam, vellet dare gratiam, & ſaluare ſi conſenſerint, damnare ſi diſſenſerint: & deinde ex præuiſis meritis, aut demeritis, abſolutè decerneret ſaluare, aut damnare.

*Tertia obiectio.*

10\. Obiicit tertiò illud Ioann. 10. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis*. hoc eſt, non eſtis prædeſtinati. Vnde Gonzalez ita diſcurrit, *Illatio Chriſti bona non eſſet, ſi prædeſtinatio Dei neceſſaria non eſſet, vt aliquis in ipſum perſeueranter vſque ad finem crederet.*

*Reſpondetur exponendo locum Ioan. 10.*

Reſpondeo, illationem Chriſti non poſſe fundari in huiuſmodi neceſſitate; alioquin alij, qui non ſunt prædeſtinati, nulla ratione ſaluari poſſent, & conſequenter, culpa ſua non damnarentur, quia carerent prædeſtinatione, quæ ponitur omnino neceſſaria ad ſalutem, & non eſt in libera poteſtate eorum, ſed à ſolo Deo pendet. Fundatur igitur ſufficientiſſimè illatio Chriſti in eo, quòd ſine prædeſtinatione, etiam ſi omnes ſaluari poſſint, tamen de facto nullus ſaluabitur; non ex defectu alicuius principij ad ſalutem neceſſarij, ſed ex defectu hominum, qui per gratiam ſufficienter à Deo vocati, & adiuti, noluerunt liberè ſaluari; ex quorum numero nullus eſt, qui prædeſtinatus ſit, ſed ſunt ſolùm ij omnes, qui non ſunt prædeſtinati. Et idcirco bona eſt conſequentia, non es prædeſtinatus vt credas, ergo non credis.

*Quarta obiectio ex verbis 1. Ioan. 2. quæ exponūtur cū Auguſtino.*

11\. Obiicit quartò illud 1. Ioan. 2. *Non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* Quæ verba Auguſtinus de bono perſeuerantiæ capite octauo, ita interpretatur, *Non erant ex eis, quia non erant electi, non erant prædeſtinati,* &c. ex his Gonzalez ita arguit, *Non fuiſſet bona illatio, ſi electio non eſſet neceſſariò requiſita vt perſeuerarent vſque in finem. Ex quo colligitur, quòd niſi quis fuerit electus, re ipſa non erit perſeueraturus vſque in finem.*

*Reſpondetur, prædeſtinatione, ſi non requiritur vt quis poſſit ſaluari, neq; requiri vt quis ſaluetur.*

Reſpondendum eodem prorſus modo. Solùm addo, dici non poſſe, quod ſignificare videtur arguens in ſua vltima collectione, & clarius dicit infra numero ſuo 13. ad 5. & n. 16. ad 2. Prædeſtinationem eſſe neceſſariam, non vt quis poſſit perſeuerare, & ſaluari, quam potentiam reprobi communem habent cum prædeſtinatis; ſed ſolùm vt quis actu perſeueret, & ſaluetur. Enim verò quicquid in actu primo antecedit, ordinatum vt cauſa, & potentia ad actum ſecundum, ſi illud dicitur eſſe neceſſarium ad actum ſecundum, erit ſine dubio neceſſarium ad actum primum, & ad poſſe actum ſecundum: ſi enim ignis, v.g. habeat omnia neceſſariò prærequiſita ad hoc, vt abſque vllo impedimento, & omnino in actu primo expeditus, poſſit calefacere, eſſet inintelligibile, & gratis fictum, aſſerere, adhuc prærequiri aliud antecedens principium, calefactionis effectiuum, igni antecedenter neceſſarium non vt poſſit actu calefacere, ſed ſolùm vt actu calefaciat. Sed prædeſtinatio, vt nos etiam cum arguente fatemur, eſt cauſa omnino antecedens ſuorum effectuum; ergo non poteſt rationabiliter concipi vt antecedenter neceſſaria ad actu mereri, & perſeuerare, non autem ad poſſe actu mereri, & perſeuerare. Si enim potentia reprobi eſt in actu primo omnino completa, & nullum habens impedimentum, ſed prorſus expedita ad actualiter perſeuerandum; poſito quòd exeat in actum ſecundum, ſequi non debet aliquod impoſſibile, cum ex receptiſſimo, ac notiſſimo axiomate, poſſibili poſito in actu ſequi non poſſit impoſſibile; alioquin idem eſſet poſſibile, vt ſupponitur, & ſimul etiam impoſſibile, vt deducitur, quæ eſt manifeſta contradictio. poſita autem in actu perſeuerandi prædicta reprobi potentia ſine prædeſtinatione, iam apertè ſequitur, prædeſtinationem non eſſe neceſſariam ad actu perſeuerandum: quia impoſſibile euidenter eſt actu perſeuerare ſine re neceſſaria ad actu perſeuerare. ergo actualis perſeuerantia poſſibilis, poſita in actu, inferret impoſſibile, nempe actu perſeuerare ſine re neceſſaria ad actu perſeuerandum; quod omnes cenſemus abſurdum.

*Ex poſſibili poſito in actu ſequi non poteſt impoſſibile.*

*Reijcitur quoddam dictū Bagnes, & Zumel.*

Quare cum Bagnes infra q. 23. art. 3. circa finem ad ſeptimum dixit, & iiſdem verbis dicit Zumel ibidē diſp. 4. ad 6. *Quòd homo in ſenſu compoſito non poteſt agere pœnitentiam ſine auxilio ſpeciali; ſed poteſt ſimpliciter: quia,* inquit, *aliud donum eſt, poſſe agere pœnitentiam, & aliud eſt agere illam.* Eadem ratione reiiciendus eſt, quia ponit aliquid neceſſariò prærequiſitum ad agere, & non ad poſſe agere. Præterquam quod eſt planè inintelligibile, me in ſenſu compoſito cum negatione auxilij ſpecialis, non poſſe agere pœnitentiam; & tamen me actu peccare ſi cum eadem compoſitione non actu ago pœnitentiam. Enimuero lumine naturæ notiſſimum videtur, neminem ſub ea ratione, ſub qua non poteſt operari, peccare ſi ſub ea ratione non operetur, hoc enim eſt illud, quod vniuerſa moralis Philoſophia clamat, ad impoſſibile nemo tenetur. Item, in ipſis terminis implicare videtur contradictionem, me poſſe ſimpliciter operari; & nihilominus implicare contradictionem me operari: quæ difficultates, meo iudicio, inſuperabiles proueniunt ex prædeterminationibus liberi arbitrij.

*Quinta obiectio ex Auguſtino.*

Obiicit quintò illud Auguſtini libro de hæreſibus, hæreſi 88. initio, *Pelagiani Dei gratiæ, qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in tantum inimici ſunt, vt ſine hac poſſe hominem credant facere omnia diuina mandata.* Addit ex Auguſtino libro de correptione, & gratia, capite vndecimo, dari duplex donum perſeuerantiæ, *alterum ſine quo perſeuerare non poſſumus; alterum, quo etiam fit vt perſeuerantes ſimus. Quod ſecundum, per totum librum de bono perſeuerantiæ docet, eſſe neceſſariò requiſitum, vt reipſa aliquis conſequatur ſalutem.* 12.

*Reſpondetur explicando Auguſtinū.*

Reſpondeo, primum locum nihil vrgere ad rem, quia eſt de gratia, de qua nunc non diſputamus, non autem de æterna, & intrinſeca Dei prædeſtinatione, de qua eſt præſens noſtra controuerſia.

*Prædeſtinatio aliquando ſumitur intentionaliter, aliquādo realiter.*

Quare illud, *qua prædeſtinati ſumus,* &c. accipiendum eſt de reali, & externa, non de intentionali, & intrinſeca prædeſtinatione; quia per gratiam realiter nobis inhærentem, de qua manifeſtè loquitur Auguſtinus contra Pelagianos, qui illam neceſſariam eſſe negabant, non prædeſtinamur à Deo



Deo intrinſecè, ſed tantùm extrinſecè; ſicut ſagitta per motum prædeſtinatur à ſagittante in ſignum.

*S.Thomas.*

Nam, vt docet S.Thomas hîc ad ſecundum, *Deſtinatio aliquando ſumitur pro reali miſſione alicuius ad aliquem terminum.* Illud igitur, *ſine hac poſſe hominem facere*, &c. eſt intelligendum, *ſine gratia ſimpliciter*, ſine qua verè nihil facere poſſumus ad ſalutem pertinens; non autem, *ſine prædeſtinatione*; ſine qua reprobi per Dei gratiam verè, ac ſufficienter poſſunt perſeuerare, & ſaluari, ſi volunt.

*Declaratur duplex perſeuerātiæ donum ex Auguſtino.*

Quod additur ex Auguſtino de duplici dono perſeuerantiæ, nihil eſt contra nos, quia non negamus, per prædeſtinationem de facto haberi, quòd perſeuerantes ſimus, ſed ſolùm contendimus, quòd ſi eadem gratia, quæ de facto datur per abſolutum decretum, vt perſeueremus, daretur alio decreto conditionato, adhuc eſſemus perſeuerantes vi illius gratiæ. Imò ex illo loco aliquid pro noſtra ſententia colligi poteſt, quia primum perſeuerantiæ donum, quod habent reprobi per gratiam ſufficientem abſque prædeſtinatione, non ſolùm eſt illud, *ſine quo perſeuerare non poſſumus,* vt Gonzalez diminutè refert ex Auguſtino, ſed etiam, *cum quo perſeuerare poſſumus, ſi volumus,* vt ſæpe definit Auguſtinus cit. cap. 11. poſt med. Vnde circa finem id magis declarat exemplo primi parentis, qui habuit primum perſeuerantiæ donum, quo poterat perſeuerare, ſed non perſeuerauit, dicens, *Acceperat poſſe, ſi vellet, poſſet enim perſeuerare etiam, ſi vellet: quod vt nollet, de libero deſcendit arbitrio.* Illud, *vt nollet,* clariſſimè ſignificat negationem actus ſecundi perſeuerantiæ, quam adæquatè tribuit Auguſtinus ſoli libero arbitrio, ergo ſecundum donum efficacis, ſiue actualis perſeuerantiæ, quod habetur ex prædeſtinatione, non eſt omnino neceſſarium ad actum ſecundum perſeuerandi; alioqui non perſeuerare, ſeu nolle perſeuerare, non ſolùm *de libero deſcenderet arbitrio*, vt expreſsè docet Auguſtinus, ſed etiam multò magis, imò ſolùm deſcenderet de neceſſaria carentia ſecundi doni efficacis, quod non eſt in poteſtate liberi arbitrij, ſed in libertate ſolius diuinæ miſericordiæ. Quapropter cum Auguſtino tribuitur in toto libro de bono perſeuerantiæ, ſed nec caput, nec verba citantur, quòd dixerit, hoc ſecundum donum, ad actualiter perſeuerandum, *eſſe neceſſariò requiſitum,* non eſt accipiendus in ſenſu ipſi Auguſtino contrario, quem intendit arguens, ſed ſolùm quia ſine gratia efficaci, & prædeſtinatione, nullus de facto perſeuerat actualiter vſque in finem, & ſaluatur. Quod enim eſt cauſa vt aliquis effectus ſit, qui aliter nunquam eſt, dici aliqua ratione poteſt, neceſſariò requiſitum vt ſit ille effectus; hoc eſt, non ita requiſitū, vt ſi alia gratia daretur per aliam Dei voluntatem conditionatam, abſque diuina prædefinitione illius effectus, non eſſet ille idem effectus; ſed requiſitum dumtaxat ex eo, quod qui gratiam ſufficientem ad actu perſeuerandum recipit, non vult perſeuerare; quod ſolùm, inquit Auguſtinus, *de libero deſcendit arbitrio.* ergo non de neceſſaria carentia alicuius neceſſarij ad actualiter perſeuerandum. Nam, vt idem Auguſtinus optimè arguit cit. cap. 11. *Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini quàm primùm facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, vt ſine diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſent, adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

*Sexta obiectio ex S. Th.*

13\. Obiicit ſextò, quia ratio S.Thomæ ſupra art. 1. probans in Deo prædeſtinationem, *conuincit etiam, illam eſſe neceſſariò requiſitam, vt creatura reipſa conſequatur ſalutem.* Addit ex noſtra ſententia colligi errorem Origenis, quem impugnat S.Thomas 3. cont. Gent. cap. 89. dicentem, *Quòd Deus cauſat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi; non autem ſic, quòd faciat nos velle hoc, vel illud.*

*Reſpondetur declarando rationem S. Thomæ ſupra art. 1.*

Reſpondeo, prædeſtinationem ſumi poſſe dupliciter, primò pro actu Dei, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, ſiue vtriuſque, quo creatura & poteſt conſequi, & actu conſequitur ſalutem. Secundò pro actu, quo creatura ad actualem ſalutem efficaciter, & abſolutè ordinatur antecedenter ad gratiæ, & meritorum præuiſionem; & per abſolutam præfinitionem operum ſupernaturalium. In primo ſenſu magis vniuerſali, & minus diſtincto, conuincit ratio S. Thomæ, & de fide eſt, eſſe in Deo prædeſtinationem, nec poſſe non eſſe, poſito quòd aliqui ſaluantur: & hunc ſenſum noſtra ſententia non negat, quia etiam ſi Deus ex præuia voluntate conditionata tantùm, dandi gloriam, vellet dare gratiam; & ex meritis deinde præuiſis vellet dare gloriam, hæc etiam eſſet prædeſtinatio primo modo, vi cuius haberetur etiam ipſa actualis perſeuerantia, & gloriæ conſecutio. Secundus autem ſenſus verus quidem eſt, tamen adhuc poſitus in libertate diſputantium Theologorum, nec intētus per illam rationē S.Thomæ, qua probabat exiſtentiam prædeſtinationis in ſenſu certiſſimo ad fidem pertinente, vt patet ex verbis Pauli, quæ ad eam probandam affert in argumento *ſed contra.* Nos igitur cum Molina, Suarez, & aliis authoribus ſcientiæ mediæ antecedentis quamlibet diuinæ voluntatis prædefinitionem, de prædeſtinatione in hoc ſecundo ſenſu accepta aſſerimus, ita ab ea pendere effectus prædeſtinationis, vt ſi prædeſtinatio hoc ſecundo modo facta non eſſet, ſed alio primo modo, adhuc vi huius prædeſtinationis haberentur iidem finalis perſeuerantiæ, & glorificationis effectus, qui de facto habentur vi illius alterius prædeſtinationis. Vnde euidenter probatur tertia concluſio ſupra num. 4. de hac prædeſtinatione non ſimpliciter neceſſaria ex parte effectus. Cum igitur effectus volendi, & perficiendi tam habeatur per hanc prædeſtinationem, quam de facto dari fatemur, quàm haberetur per aliam prædeſtinationem, quam defendimus, vt poſſibilem, tantùm ex parte effectus per ſe conſiderati, leuiter ſanè error ille Origenis, ſententiæ noſtræ tribuitur.

*Septima obiectio.*

Obiicit ſeptimò, quia ex noſtra ſententia ſequitur, *vel Deum non habere prouidentiam de ſalute æterna illius, qui abſque prædeſtinatione ſaluaretur; vel ſaltem quòd illa eſſet incerta, & timida de tali effectu futuro.* Hanc ſequelam falſam probat, *quia prouidentia Dei æqualiter omnino procuraret ſalutem eius, qui damnaretur, & eius, qui ſaluaretur; ergo incerta eſſet, & timida: imò illa diſcretio vnius ab alio, nullo modo caderet ſub tali Dei prouidentia, ſi quidem æqualiter reſpiceret vtrumque.* 14.

*Reſponſio Suarez.*

Affert deinde optimam reſponſionem Suarez libro ſecundo de concurſu Dei cap. 7. negantis ſequelam, ex eo quòd in veriſſima ſententia probata ſupra quæſt. 14. artic. 13. dub. 17. ante quodlibet decretum prædefiniens datur in Deo ſcientia media, vi cuius infallibiliter ſcit, quid futurum eſſet de ſalute vniuſcuiuſque ſi illi daretur hæc, vel illa gratia: nimirum quòd iſte damnaretur, alius ſaluaretur: vnde prouenit, vt diuina prouidentia ſit certiſſima, & conſtantiſſima, quia poſita in priori ſigno ſcientia media: cùm in poſteriori ſigno abſque alia præuia finis præfinitione, abſolutè decerneret huic dare hoc medium, illi aliud medium, ſtatim in hoc ipſo decreto medij poſſet

poſſet infallibiliter præſcire finem abſolutè futurum, v. g. hunc ſaluandum, illum damnandum. Quod ſatis eſt ad perfectiſſimam prouidentiæ rationem, qua ſcilicet Deus ita decernit media propter finem, vt hoc ipſo præcisè quòd decernit tale, vel tale medium, ſciat infallibiliter, finem eſſe futurum, vel non futurum, ſcilicet vi præcedentis ſcientiæ mediæ, qua infallibiliter præcognouit, quòd ſi decerneret dare huic tale medium, eſſet futurus, vel non futurus talis finis.

*Inſtãtia Gõzalez.*

*Hæc tamen ſolutio*, inquit Gonzalez contra Suarez, *hallucinatio eſt*. Quam ſuã hallucinationem non aliter probat, niſi quia ſcientia conditionata ſcire debet effectum conditionatè futurum per dependentiam à prima cauſa. ergo à prædeterminatione illius effectus, antecedente omnem præſcientiam eius: alioquin Deus concurreret ad effectum, *vel abſque prouidentia illius, vel per prouidentiam incertam, & timidam, & cœcam.*

*Reſpondetur, diuinæ prouidentiæ perfectionem ſaluari per ſciẽtiam mediã, non per prædeterminationem.*

Reſpondeo, negando hanc vltimam conſequentiam, vt ſatis demonſtratum eſt quæſt. 14. art. 13. dub. 22. prouidentia per prædeterminationem antecedentem omnem præſcientiam, etiam conditionatam, eſt quidem certiſſima, ac firmiſſima diſpoſitio agentis ex mero ſuo imperio, nulla habita ratione rerum, quas gubernat; tamen non eſt diſpoſitio agentis iuxta connaturalem exigentiam rerum ſibi ſubiectarum: ac proinde non meretur nomen prouidentiæ, quia non ſolùm eſt cœca, cùm nihil præuidendo prouideat, ſed etiam eſt fatua, vel ſaltem temeraria, & violenta. Prouidentia autem, quæ exercetur poſita præſcientia conditionata antequam intelligatur fieri liberum prouidentiæ decretum, eſt certiſſima, quia infallibiliter præcognoſcit, quid futurum ſit per ſuum decretum: eſt firmiſſima, & non timida; quia præſupponit, & præcognoſcit firmiſſimam, atque omnino infallibilem connexionem, quam habent media cum fine: eſt demum oculatiſſima, & non cœca; quia antequam velit aliquem finem liberè futurum, infallibiliter præuidet quid futurum eſſet, ſi ita vellet. Vnde fit, vt præterea ſit prudens, ac circumſpecta; ac proinde non ſolùm attingens fortiter, ſed diſponens ſuauiter; quia cum efficaciter vult, vt creatura libera, potens conſentire, vel diſſentire, conſentiat, non diſſentiat, non applicat illi alia media ad conſentiendum, niſi ea, quibus certiſſimè præuidit, illam ſe liberè determinaturam ad conſentiendum, quæ prudens ſuauitas, ac circumſpectio in contraria ſententia deſideratur.

15. *Octaua obiectio.*

Obiicit octauò. Quia ſi Deus eodem modo ſe haberet circa eos, qui ſtant, & qui deficiunt, ergo hi deficerent abſque Dei permiſſione: nec Deus *aliquam gratiam ſpecialem donat illi, quem non permittit deficere, quam non donat illi, quem permittit deficere. quod Zumel ait ſine graui nota defendi non poſſe.*

*Reſpondetur declarando punctum præſentis quæſtionis.*

Reſpondetur, iam variari punctum quæſtionis, quia cùm & nos, & Gonzalez fateamur, effectus prædeſtinationis cauſari de facto ex gratia ſpeciali, atque efficaci, ſiue infallibili in actu primo, data per præcedentem prædeſtinationem, atque abſolutam prædefinitionem effectus; tamen nos aſſerimus, hanc efficaciam, ac dependentiam à tali prædeſtinatione, ac præfinitione non eſſe ſimpliciter neceſſariam ex parte effectus ſecundùm ſe; arguens verò cùm ſuſcepiſſet impugnandum hoc ſecundùm, probat primum, quod non negamus. Si igitur præſcindamus à prædeſtinatione, non à præſcientia media, facilè dicitur, non eodem modo habere ſe Deum circa omnes; quia cùm ponatur præſcire infallibiliter, hunc ſub conditione gratiæ A. defecturum, ſub conditione gratiæ B. non defecturum; alium verò ſub conditione gratiæ C. non defecturum, ſub conditione gratię D. defecturum, ſi Deus intelligatur ſolùm velle dare efficaciter aliquam ex his gratiis, abſque alia efficaci intentione finis, eo ipſo intelligitur dare gratiam ſpecialem, vel non ſpecialem, & in hoc ſenſu non eodem modo ſe habere circa omnes, ſed velle permittere defectum illius, cui vult dare gratiam A, vel D. cum qua præuidit defecturos, & non vult dare gratiam B. vel C. cum qua præuidit non defecturos. Si verò præſcindamus tam à prædeſtinatione, quàm à præſcientia conditionata, & cogitemus tantùm, Deum abſolutè decernere dare has eaſdem gratias ex præcedente voluntate conditionata finis; tunc admitti poteſt totum argumentum: ſatis enim nobis eſt ad illud, quod hîc formaliter intendimus, per illas gratias, & diuinas voluntates, adhuc haberi eoſdem planè effectus ſecundùm ſe, qui nunc de facto habentur per præſcientiam conditionatam, & prædeſtinationem, & prædefinitionem.

16. *No[illegible]cti[illegible]*

Obiicit nonò. Vt aliquis de facto ſaluetur, ex parte effectus requiritur neceſſariò donum perſeuerantiæ: ſed hoc non poteſt aliunde haberi, niſi à Deo per prædeſtinationem; ergo, &c.

*[illegible] perſeuerãtia.*

Reſpondeo, diſtinguo maiorem. Si per *donum perſeuerantiæ* intelligatur ipſa ſimpliciter gratia, cum qua de facto perſeueramus, concedo, illam eſſe omnino neceſſariam ex parte effectus perſeuerantiæ ſecundùm ſe. Et in hoc ſenſu ad minorem dico, hanc gratiam non poſſe aliunde haberi niſi à Deo: poſſe autem, quantum eſt ex parte effectus, à Deo haberi alio modo quàm per prædeſtinationem: licèt, quantum eſt ex parte Dei dantis, neceſſaria ſit prædeſtinatio. Si verò per *donum perſeuerantiæ* intelligatur ipſa gratia, non ſimpliciter, ſed vt donata per antecedentem gratuitam electionem ad gloriam, & abſolutam præfinitionem ipſiuſmet actualis perſeuerantiæ, & donata vt ſpecialis, & efficax, habens antecedenter infallibilem connexionem cum ipſo perſeuerantiæ effectu abſolutè futuro, nego maiorem; quamuis enim hæc neceſſaria ſint ex parte Dei, & etiam ex parte effectus ad hoc vt habeatur infallibiliter ex ſpeciali Dei beneuolentia, in quo ſenſu definit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 22. *neminem ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe*, & can. 16. perſeuerantia vocatur, *magnum illud donum*, tamen ex parte ipſius effectus ſimpliciter, & ſecundùm ſe, vt ſcilicet poſſit ſimpliciter exiſtere, atque haberi dependenter à Deo, eiúſque diuina gratia, neceſſaria minimè ſunt. Trident.

## DVBITATIO II.

### *An gloria, & gratia ſint effectus prædeſtinationis.*

#### SVMMA.


1 *Gloriam eſſe effectum prædeſtinationis probatur contra Durandum. num. 17. ad 21.*

2 *Gratiam eſſe effectum prædeſtinationis contra Gabrielem. num. 21.*

3 *Quid requiratur vt gratia ſit effectus prædeſtinationis. num. 22.*


17. *Prima concluſio affirmatiua de gloria.*

PRima concluſio. Gloria eſt effectus prædeſtinationis: & conſequenter, eſt primarius, & vltimatus effectus, ad quem reliqui omnes ordinantur; quia inter omnia ſupernaturalia bona noſtra omnium maximum, & vltimum eſt gloria, cuius gratia cœtera omnia ſunt, ac dantur; quod non obſcurè ſignificauit Paulus illa gradatione ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Ita omnes, vno excepto Durando 1. d. 41. q. 2. n. 10. & probatum remanet authoritatibus, & ratione ex dictis ſupra art. 1. n. 8. Addi poteſt ratio ad hominem, quia Durandus concedit, prædeſtinationem eſſe cauſam gratiæ, & meritorum, quæ ſunt media ad gloriam, nimirum quia formaliter media, & efficacia media; oritur enim prædeſtinatio, vt cum ipſomet Durando probauimus art. 1. dub. 3. ex priori efficaci, & abſoluta intentione finis gloriæ; ergo prædeſtinatio, etiam conſiderata præcisè, & formaliter vt eſt *de medijs, non de fine*, quo modo de ea expreſsè loquitur Durandus, cauſat media efficacia ad gloriam, in quantum media efficacia ſunt: ergo cauſat gloriam, ſaltem mediatè; quia media ſunt immediata cauſa effectiua finis, ergo quod eſt cauſa mediorum in ordine ad finem, eſt etiam neceſſariò cauſa mediata finis: ſicut medicus per artem medicinæ, quæ formaliter non intendit, ſed præſupponit finem intentum ſanitatis, quia præparat, & cauſat medicamentum, vt medium efficax ſanitatis, dicitur quoque cauſa ſanitatis.

*Exponitur locus ad Rom. 8. Concluſio cõtra Durandum, qui impugnatur ad hominem.*

18. *Prima obiectio Durãdi.*

Obiicies primò fundamentum Durandi, *quia prædeſtinatio non eſt de fine, ſed de medijs perueniendi ad finem; ſed gloria dicit finem, & non medium perducens ad finẽ: ergo non cadit ſub effectu prædeſtinationis.*

*Reſpondetur, prædeſtinationem eſſe de medijs & fine diuerſa ratione.*

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, prædeſtinatio non eſt immediatè de fine, id concedo; quia finis, cùm ſit per ſe bonum, terminat immediatè intentionem voluntatis, non actum practicum intellectus, ad quem pertinet prædeſtinatio ſecundùm ſe formaliter accepta, ex probatis ſupra art. 1. dub. 1. non eſt mediatè de fine, id nego; quia, vt ipſemet Durandus ſumit, *eſt de medijs perueniendi ad finem*, ac proinde cauſat media, non per ſe, ſed formaliter vt cauſantia finem, ergo eſt cauſa finis.

19. *Obijcitur ſecundò Auguſtinus.*

Obiici ſecundò poteſt pro Durando illud Auguſtini de prædeſtinatione ſanctorum c. 10. *Prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.* ergo nõ gloria.

*Reſpondetur exponendo verba Auguſtini.* Ad Rom. 6.

Reſpondeo, hoc loco, vt ſæpè alibi, iuxta modum loquendi Pauli ad Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna*, Auguſtinum nomine gratiæ comprehendere vniuerſaliter omnia bona ſupernaturalia, etiam ipſam gloriam, & ea omnia, vt ipſemet ibidem paulò ante verba citata habet, *quæ Deus fuerat ipſe facturus*, inter quæ præcipuè eſt gloria. Vnde libro ſequenti de bono perſeuerantiæ cap. 14. eadem prædeſtinatio vniuerſalius, & clarius in plurali definitur, *Præparatio beneficiorum Dei*, quæ omnia beneficia, in priori alia definitione complexus fuerat nomine gratiæ: gloria igitur ſicut eſt maxima Dei gratia, ita etiam eſt Dei beneficium omnium maximum: ergo ſecundùm Auguſtinum præcipuè continetur inter alia beneficia, quæ ſua prædeſtinatione Deus pręparat, & cauſat.

20. *Tertia obiectio.* *Reſpondetur diſtinguendo.*

Obiici poteſt tertiò, quia gloria eſt finis prædeſtinationis, ergo non effectus. Reſpondeo, ſi ſumatur prædeſtinatio pro abſoluta intentione gloriæ, liberè facta abſque vllis meritis ſecundùm probata ſupra art. 1. dub. 3. & ſumatur finis pro re, quæ non amatur propter aliam bonitatem creatam, ſed propter ſolam increatam bonitatem, concedo totum. Si verò prædeſtinatio ſumatur pro iudicio practico, proponente voluntati media conuenientia, hoc eſt, infallibilia, vt ea acceptet ad illum gloriæ finem actualiter cauſandum, nego totum.





21. *Secunda concluſio affirmatiua de gratia.*

Secunda concluſio. Gratia quoque eſt prædeſtinationis effectus. Ita omnes, & ſufficienter patet ex ſolutionibus præcedentium argumentorum, & ex dictis ſupra art. 1. n. 8. & ex verbis Pauli ſupra n. 17. vbi inter effectus prædeſtinationis, non ſolùm vltimo loco quoad executionem aſſignatur glorificatio, ſed prius etiam vocatio, & iuſtificatio. Vnde ad Epheſios 1. dicitur, *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum Dei*, quæ propriè fit per gratiam: *quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei. Si autem filij, & hæredes*, vt dicitur ad Rom. 8. ergo ipſa hæreditas gloriæ actu poſſeſſa, non conſtituit filios Dei adoptiuos, & hæredes gloriæ; ſed hoc facit præcedens gratia ſolùm à Gonzalez hîc d. 71. initio, in contrarium referuntur *Gabriel, & Ocham, & Guillelmus de Rubione in 1. d. 40. q. 2.* in quibus tamen id non lego. Dubitat tantùm Gabriel 1. d. 40. q. vnica, art. 1. notabili primo, his verbis, *quia vita æterna non dabitur alicui in patria, niſi ei, cui confertur gratia in via, ideo communiter dicitur, quòd prædeſtinatio connotat etiam gratiæ collationem in præſenti: licèt fortè hoc non ſit de per ſe, ratione prædeſtinationis.* Idque ſtatim ita probat. *Si enim per poſſibile, vel impoſſibile, Deus alicui conferret vitam æternam ſine gratia, ille nihilominus eſſet prædeſtinatus, licèt non eſſet accepturus gratiam in via.* Sed facilè ſoluitur, negando eſſe propriè, ac formaliter prædeſtinatum, ſed tantùm electum: quamuis enim de facto omnis electus ſit prædeſtinatus, & omnis prædeſtinatus ſit electus; tamen de poſſibili, de quo arguit Gabriel, ille quidem eſſet electus efficaciter ad finem gloriæ, non tamen prædeſtinatus, hoc eſt, non præordinatus, ac directus per efficacia media ad illum finem infallibiliter conſequendum.

*Exponitur locus ad Epheſ. 1.*

*& ad Rom. 8.*

Gonzalez.

*Refertur ſẽtẽtia Gabrielis eiúſq; ratio ſoluitur.*

*Differentia inter prædeſtinatum, & electum.*

22. *Tertia concluſio. Gratia vt ſit effectus prædeſtinationis, eſſe debet actu coniuncta cum gloria.*

Tertia concluſio, nulla gratia, ſiue actualis, ſiue habitualis, eſt effectus prædeſtinationis, niſi habuerit aliquam coniunctionem cum finali perſeuerantia, & actuali glorię conſequutione. Hoc nemo negat, & non obſcurè colligitur ex Paulo ad Rom. 8. vbi prædeſtinationis effectum docet eſſe vocationem, non quamlibet, ſed quæ cauſat iuſtificationem: item, non omnem iuſtificationem, ſed eam tantùm quæ cauſat glorificationem. *Quos*, inquit, *prædeſtinauit, hos & vocauit*: & ſtatim indicat, non quomodocumque vocaſſe, ſed cum effectu iuſtificationis, addens, *& quos vocauit, hos & iuſtificauit*: idemque oſtendit reſpectu glorificationis, ſubiungens, *quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* idem indicat, cùm electorum vocationem, quæ per prædeſtinationem cauſatur, ſæpe vocat, *ſecundùm propoſitum*. Vnde Auguſtinus de prędeſtinatione ſanctorum cap. 16. initio apertè diſtinguit duas vocationes, alteram non prędeſtinatorum, alteram prædeſtinatorum propriam, quam docet, *eſſe quandam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes imaginis filij ſui.* Et rurſus circa finem capitis, *non enim vocatione illa vocati ſunt, de qua dictum eſt, multi vocati: ſed illa, qua vocantur electi.* & clarius c. ſequenti 17. circa medium, *electi ſunt ea vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinauit, impleuit. quos enim prædeſtinauit, ipſos & vocauit; illa ſcilicet vocatione ſecundùm propoſitum: non ergo alios, ſed quos prædeſtinauit, ipſos & vocauit: nec alios, ſed quos ita vocauit, ipſos & iuſtificauit: nec alios, ſed quos prædeſtinauit, vocauit, iuſtifi*

*Exponitur locus ad Roman. 8.*

*Duplex vocatio ex Auguſtino.*

*iuſtificauit, ipſos & glorificauit; illo vtique fine, qui non habet finem.* Et iterum de correptione, & gratia c. 7. circa medium, exponens illud Pauli ſupra, *Hos & vocauit*, ait, quod optimè probat ex ipſo contextu, *eos vult intelligi, quos ſecundùm propoſitum vocauit: ne putentur in eis eſſe aliqui vocati, & non electi.* & in fine capitis, loquens de fide prædeſtinatorum, ait, *Aut omnino non deficit, aut ſi deficit, reparatur antequam vita iſta finiatur, & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, vſque in finem perſeuerantia deputatur.* De aliis verò non prædeſtinatis inquit, *Nec illo tempore, quo bene, piéque viuunt, in iſto numero computandi ſunt*, nempe prædeſtinatorum, & ſtatim aſſignat rationem à priori, dicens, *Non enim ſunt à maſſa illa perditionis, præſcientia Dei, & prædeſtinatione diſcreti, & ideo nec ſecundùm propoſitum vocati, ac per hoc, nec electi.* Eamdémque expoſitionem tradit epiſt. 106. poſt medium.

*Differētia inter gratiam prædeſtinatorū, & reproborum.*

Igitur ex Pauli, & Auguſtini doctrina ſine dubio habemus, Gratiæ media, quæ Deus eligit vt det prædeſtinatis, eſſe debere media efficacia, quæ infallibilem connexionem habeāt cum fine vltimo, propter quem dantur: hæc enim propriè ſunt illa, quæ prædeſtinatis, & non reprobis, intelliguntur dari à Deo, *ſecundùm propoſitum*, nimirum efficax, & abſolutum finalis perſeuerantiæ, & gloriæ: alioqui ſecundùm propoſitum inefficax, & conditionatum perſeuerantiæ, & gloriæ, reprobis etiam dantur gratiæ media, quæ multoties ſunt efficacia ad conuertendum, iuſtificandum, merendum, non autem ad glorificandum; ergo proprius prædeſtinationis effectus, nō eſt quæcūque gratia, ſed illa dumtaxat, qua efficaciter ita conuertimur, iuſtificamur, meremur, vt etiam vltimò perſeueremus, & glorificemur: aliæ enim gratiæ, ſunt quidem effectus prouidentiæ ſupernaturalis communis, non autem ſpecialis, quæ dicta eſt prædeſtinatio. Quid autem ſit illa efficacia, per quam gratia prædeſtinatorum diſtinguitur à gratia reproborum, in hac controuerſia ſupponendum eſt èx materia de gratia. Solùm ex præſenti doctrina, qua ex Paulo, & Auguſtino probauimus, prædeſtinatos vocari, & iuſtificari, non quomodolibet, ſed ſecundùm Dei propoſitum efficax, & abſolutum glorificandi, certum in omni ſententia eſſe debet, hanc efficaciam conſiſtere in aliqua infallibili connexione, quam gratia habeat cum actuali gloriæ conſecutione, vndecumque tandem hæc infallibilitas proueniat: hæc enim ſunt illa gratiæ beneficia per prædeſtinationem cauſata, de quibus in ipſa prædeſtinationis definitione dixit Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 14. *Certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Et ſanè ſi media non habeant huiuſmodi certiſſimam, atque adeo omnino infallibilem connexionem cum fine, non poſſumus cōuenienter intelligere, ea eligi à Deo ad obtinendum finem à ſe efficaciter præintentum, cui intentioni implicat aliquem reſiſtere, & poſſe reſiſtere.

Auguſtinus.

## DVBITATIO III.

### *An prædeſtinatorum gratia per peccatum interrupta, & omnia gratiæ auxilia ſint effectus prædeſtinationis.*

### SVMMA.

1 *Probatur pars affirmatiua de gratia. n. 23. & 24.*
2 *Soluuntur contraria argumenta. n. 25. ad 29.*
3 *Probatur pars affirmatiua de auxilijs. n. 29. & 30.*

23.
*Quarta concluſio affirmatiua de gratia.*

QVarta concluſio. Probabilius eſt, gratiam ſanctificantem, & merita, quæ in prædeſtinatis interrumpuntur mortali aliquo peccato, eſſe etiam prædeſtinationis effectus. Hoc ex inſtituto optimè probat Suarez 1. p. tract. 2. lib. 3. c. 4. quem ſequuti ſunt Arrubal d. 83. Gonzalez d. 71. ſect. 3. Trigoſius in Bonauenturam 1. p. q. 13. art. 2. dub. 4. concl. 5. Valent. hîc puncto 3. §. *Secundum eſt*, Nazarius controuerſia vnica, §. 3. & concl. 3. Machin. d. 48. ſect. 1. concl. 2. contra Vazquez d. 93. c. 3. Becanum 1. p. tract. 1. c. 14. q. 3. n. 8. & 9.

Eſt Suarez. Arrubal. Gonzalez. Trigoſij. Valentiæ. Nazarij. Machin. Contra Vazquez. Becanum.

Fundamētum ſupponit vnam opinionem communem probatam in materia de pœnitentia, quæ eſt ipſiuſmet Vazquez 1. 2. tomo 2. d. 221. n. 33. de reuiuiſcentia gratiæ, & meritorum per pœnitentiam. Si enim poſtrema illorum reſtauratio in vltima prædeſtinati iuſtificatione, eſt effectus prædeſtinationis, vt fatetur ipſemet Vazquez; ergo etiam prima eorumdem infuſio, & effectio. Conſequentia videtur manifeſta, quia tota illa gratia, & omnia illa merita, ad quæ poſt pœnitentiam reſurgit prædeſtinatus, ſunt ſine dubio effectus prædeſtinationis, cui reſpondet tanta præcisè gloria, quantam Deus in prima gratuita electione propoſuit dare prædeſtinato; ita vt ſi non præceſſiſſet prior alia collatio alterius gratiæ, & aliorum meritorum, per hanc præcisè pœnitentiam, & iuſtificationem, quæ nunc fit, non haberetur tanta gratia, nec conſequenter tanta gloria, nec iſta prædeſtinatio particularis, quæ de facto habetur: ergo prædeſtinatio per ſe non minus terminata eſt ad primam iuſtificationem, & priora merita, quàm ad iuſtificationem ſecundam, & merita poſteriora.

24.
*Confirmatur primò ex Paulo ad Roman. 8.*

Confirmari poteſt primò ex Paulo ad Rom. 8. tum quia de prædeſtinatis generaliter dicit, *Quos prædeſtinauit, hos & iuſtificauit*: ergo quælibet iuſtificatio ſiue interrupta, ſiue nō interrupta per peccatum, eſt effectus prædeſtinationis. Nam etſi cum Auguſtino ſupra intelligendum ſit, *Iuſtificauit ſecundùm propoſitum*, tamen adhuc illa iuſtificatio per peccatum interrupta, ac mortificata, dici poteſt ſecundùm Dei propoſitum efficax, & abſolutum dandi tantam determinatam gloriam ante meritorum præuiſionem: nam ius ad tantam determinatam gloriam non fundatur in ſola gratia continuata, & nunquam amiſſa, ſed etiam in gratia diſcontinuata, & amiſſa, non quidem totaliter, cùm ſit poſtea reſtituta: ergo hæc etiam ortum habuit ex iſto Dei propoſito. Tum quia de iiſdem vniuērſaliter aſſerit, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Quod maximè locum habere debet de ipſa iuſtificatione, & meritis ex gratia ſanctificante. hæc enim verba exponens Auguſtinus de correptione, & gratia c. 9. poſt medium, intelligi vult, *Prorſus omnia*, ita vt extendat etiam ad peccati permiſſionem, vt infra referam; ergo multo magis extendenda ſunt ad gratiam, & merita.

*Confirmatur ſecundò ex Auguſtino.*

Secundò ex Auguſtino ibidem in fine capitis, vbi loquens de peccato, quo Petrus iam iuſtificatus, ter negauit Chriſtū, ait, *ſed quia didicit non de ſe ipſo fidere, etiam hoc ei profecit in bonum; faciente illo, qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum: quia ſecundùm propoſitum vocatus erat, vt nemo eum poſſet eripere de maſſa Chriſti, cui datus erat.* Facio vim in illa cauſali, *Quia ſecundùm propoſitum vocatus erat.* ergo ſecundum Auguſtinum prima vocatio, qua Petrus obtinuit iuſtificationem, & merita, amiſſa deinde per peccatum, fuit vocatio ſecundùm propoſitum, ergo effectus prædeſtinationis, vt ſupra, num. 22. ergo etiam iuſtificatio, & merita, quæ poſt illam vocationem, & vi illius conſequutus eſt Petrus.

25.
*Prima obiectio.*

Obiicies ex aduerſariis primò, quia iuſtificatio, &



& merita ſimpliciter, ſunt interdum etiam in reprobis.

*Reſpondetur, differre dona reproborum à donis prædeſtinatorū interruptis per peccatum.*

Reſpondeo, hæc dona eſſe in prædeſtinatis vt efficacia ad actualem effectum conſequutionis gloriæ, quod eis conuenit, etiam poſt peccatum, vi cuius non ſunt planè mortua, ſed dumtaxat mortificata; & hoc modo ſunt prædeſtinationis effectus, & in ſolis prædeſtinatis. In reprobis verò ſunt abſque huiuſmodi efficacia, & actuali influxu in vltimum glorificationis finem.

26.
*Secūda obiectio.*

Obiicies ſecundò. Quia permiſſio peccati non fit ex intentione reſtaurandi rurſus merita per pœnitentiam: ergo illa merita per peccatum permiſſum interrupta, non fuerunt præintenta per priorem prædeſtinationem.

*Reſpondetur, merita interrupta prædefiniri ſecundū ſe, non vt interrupta.*

Reſpondeo, negando conſequentiam. Nam ad hoc vt ea merita intelligantur prædeſtinata, ſeu prædefinita, non eſt neceſſarium vt concipiamus, Deum ex priori complacentia, ac prædefinitione pœnitentiæ, voluiſſe peccatum permittere, ſed ex complacentia ipſorum meritorum, & virtutis, & gratiæ, & gloriæ ſecundùm ſe, vt dubitatione ſequenti fuſius declarabo.

27.
*Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò. Media prædeſtinationis, quia dantur ex peculiari Dei prouidentia, eſſe ſemper debent continuata cum aliis mediis, quæ vſque ad beatitudinem perducent prædeſtinatum. Sed hanc continuationem non habent gratia, & merita interrupta per peccatum: ergo hæc fuerunt à Deo ordinata per communem gratiæ prouidentiam, non per prædeſtinationem; ergo ad prædeſtinandum eſt neceſſaria noua alia ordinatio, & intentio Dei, qua dona perdita reſtaurentur, & continuentur ex ſpeciali prouidentia vſque in finem vitæ æternæ.

*Reſpondetur cum Suarez.*

Reſpondet optimè Suarez ſupra n. 8. negando maiorem. Etenim illa mediorum continuatio, non eſt neceſſaria ad ſpecialem prædeſtinationis prouidentiam; quia ſicut in re ipſa, quamuis gratia, & merita diſcontinuentur, nihilominus tamen verè, ac realiter conferunt ad vltimum, & propriiſſimum prædeſtinationis effectum, qui eſt vita æterna; ita conferre etiam poſſunt in ſpeciali Dei prouidentia, in cuius acceptatione dona illa non ſunt extincta, ſed adhuc manent.

28.
*Quarta obiectio.*

Obiicies quartò. Adam gratiam, & merita in ſtatu innocentiæ non habuit ex meritis Chriſti, quia ſupponimus cum S. Thoma 3. p. q. 1. artic. 3. quòd ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus non fuiſſet incarnatus. Sed tota gloria, quam habet Adam, fuit effectus prædeſtinationis ex meritis Chriſti: cui gloriæ vt prædeſtinatæ, non poſſunt correſpondere prima illa Adami gratia, & merita vt primò collata, ſed vt ſecundò reſtituta; ergo de reliquis ſimiliter dicendum.

*Reſpondetur explicando prædeſtinationem Adami.*

Reſpondeo cum Arrubal, & Gonzalez ſupra, concedendo totum argumentum, præter vltimam conſequentiam, quamuis enim in vno particulari caſu propter ſingularem quandam rationem cogamur aſſerere, alicuius prædeſtinationis effectum non fuiſſe quædam dona ſupernaturalia, quoad primam eorum collationem, ſed ſolùm quoad eorum reſtitutionem; tamen in reliquis omnibus in quibus huiuſmodi neceſſitas non eſt, ſed prædeſtinationis cauſalitatem extendere facilè poſſumus ad omnia dona, etiam vt primò collata, ad prædeſtinationis dignitatem pertinet, hanc extenſionem illi tribuere. Vnde ſi ſecunda Adami iuſtificatio fuiſſet fortè iterum interrupta per ſecundum aliquod peccatum mortale, & deinde per pœnitentiam ſecundo reparata, de hac ſecunda iuſtificatione dicendum pariter eſſet quemadmodum de reliquis, nempe, illam eſſe prædeſtinationis effectum, non ſolùm vt reſtitutam, ſed vt primò collatam: quia tunc eadem prorſus ratio eſſet de Adamo, & de reliquis omnibus prædeſtinatis.

29.
*Quinta concluſio affirmatiua de auxilijs gratiæ etiā inefficacibus.*

Quinta concluſio. Auxilia gratiæ, quæ dantur prædeſtinatis, ſiue externa, vt prædicatio, miracula, & ſimilia, ſiue interna, vt illuminationes, & inſpirationes, ſi fuerint efficacia vſq; in finem abſque vlla peccati mortalis interruptione, ſunt effectus prædeſtinationis ſecundùm omnes, vt ex dictis intelligi facilè poteſt: de hoc enim caſu verificari ſaltem debet illud Pauli ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit.* Si verò fuerint efficacia ad conuertendum, & iuſtificandum vſque ad aliquod tempus, poſt quod prædeſtinatus peccet mortaliter, vel ad vnum actum ſupernaturalem fidei, poſt quem prædeſtinatus diſcredat, cenſeri etiam debent prædeſtinationis effectus, vt patet ex concluſione præcedente, quia hi etiam actus conducunt aliqua ratione ad beatitudinem, ſi non eſſentialem, ſaltem accidentalem, vt bene explicat Suarez ſupra c. 5. à n. 14. & c. 6. n. 4. ſi demum fuerint planè inefficacia, quia ſcilicet præſtinatus non reſpondet primæ gratiæ, qua Deus illi interius ſuaſit vt prædicatori, ac miraculis crederet, probabile eſt, eſſe etiam prædeſtinationis effectus, vt piè, ac doctè probant Suarez ſupra c. 6. Arrubal d. 84. cap. 2. Nazarius controuerſia vnica, concl. 4. Machin d. 48. ſect. 1. §. vltimo, Gonzalez d. 71. ſect. 2. contra Salmeronem, Valentiam, Vazquez, Zumel apud ipſum. quos ſequitur Becanus 1. p. tract. 1. c. 14. q. 3. n. 5. quia licèt hæc auxilia non ſint efficacia in genere cauſæ efficientis, vt ſupponitur, quia ex libera reſiſtentia prędeſtinati non concurrunt ad actum, propter quem data ſunt, tamen credibile eſt eſſe efficacia in genere cauſæ obiectiuæ, nimirum vt deinde noua alia ſuperueniente vocatione, ad conſentiendum efficaciter moueat non ſolùm iſta ſecunda vocatio, quæ eſt realiter præſens, ſed etiam prima reiecta, quæ nunc etiam præſens ſit, ſed tantùm intentionaliter, & obiectiuè in memoria. Nobis enim facilè eſt, & multum connaturale, cùm ad bonum aliquod iterum impulſi conſentimus, reſpicere ad primum impulſum, & dolere quòd bono conſentiendo improbi, & ingrati fuerimus, & hinc vel maximè moueri vt ſecundum impulſum impigrè ſequamur; ergo credendum piè eſt, ita à Deo prædeſtinante fuiſſe præordinata omnia auxilia danda prædeſtinatis, vt vel eſſent cauſæ efficaces, vel ſaltem efficacia obiecta; in quo amplo ſenſu accipienda ſunt quæ generaliter dixi ſupra in concluſione tertia. Et in hoc diſtinguuntur iſta auxilia prædeſtinatorum ab auxiliis reproborum, quia hæc inefficacia ſunt, etiam vt obiecta.

Ad Rom. 8.
Suarez.
*Concluſionis authores, & aduerſarij.*

30.
*Probatur ex Rom. 8.*

Huiuſmodi pia probabilitas non contemnendum fundamentum habet in verbis Pauli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Si omnia, & vniuerſaliſſimè, *prorſus omnia*, vt interpretatur Auguſtinus ſupra, n. 24. ergo inter hæc numerari omninò debent dona ſupernaturalia gratię, ſi non efficacis, ſaltem ſufficientis: de quibus eſt multo maior ratio quàm de peccatis à Deo permiſſis; quæ tamen, vt Auguſtinus ibidem ex iiſdem Pauli verbis colligit, cooperantur etiam in bonum prædeſtinatorum, ergo ſecundùm Paulum, & Auguſtinum, gratia ſufficiens, cui prædeſtinatus reſiſtit, cedit aliqua ratione in bonum prædeſtinati. Idque oriri apertè ſignificant ex illo propoſito, quo prædeſtinatum

deſtinatum Deus vocat ſanctum,hoc eſt,ita vocat, vt conſummatam ſanctitatem, & gloriam conſequatur.Loquuntur enim de propoſito,quod Deus habet circa prædeſtinatos,non circa reprobos : at verò circa reprobos Deus habere poteſt omne aliud efficax propoſitum & vocandi, & iuſtificandi,præter propoſitum glorificandi;ergo de hoc intelligendi ſunt,cum docet,omnia,ac proinde gratiam ſufficientem,quæ prędeſtinatis cooperatur in bonũ, oriri ex diuino prædeſtinationis propoſito.

## DVBITATIO IV.

### *An permiſsio peccati ſit effectus prædeſtinationis.*

#### SVMMA.

1 *Concluſio affirmatiua probatur primò authoritate num.31.*

2 *Probatur ſecundò ratione.num.32.*

3 *An Deus poſſit permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ.num.33.ad 36.*

4 *Deum permittere peccatũ ob alios fines.n.36.ad 39.*

31\. *Sexta cõcluſio affirmatiua eſt Suarez.* Bagnes. Molinæ. Zumel. Gonzalez. Trigoſij. Nazarij. Machin. Contra Vazquez. Arrubal. Becanum.

SExta concluſio ſimpliciter affirmatiua,ſicut eſt communior, ita probabilior, quam omnium optimè, & acutiſſimè probat Suarez 1.p. tract.2. lib.3.cap.8.& opuſc.1.lib.2.cap.5.ad 4.eamdem ſequũtur Bagnes hîc notab.3.& art.ſeq.dub.2.Mol. diſp.3.Zumel d.1.concl.7. Gonzalez d.71. ſect.5. Trigoſius in Bonauenturam 1.p.q.13.art.2.dub.4. concl.6.Nazarius hîc, controuerſia vnica concl.9. Machin d.48.ſect.3.circa initium,contra Vazquez d.93.c.2.Arrubal d.82.Becanum 1.p. tract.1.c.14. quæſt.3.num.15.

*Probatur ex Auguſtino.*

Probo primò authoritate Auguſtini de correptione,& gratia c.9.aliquanto ante finem, vbi loquens de prædeſtinatis,ſic habet, *Talibus Deus,diligentibus eum,omnia cooperatur in bonum, vſque adeo prorſus omnia,vt etiam ſi qui eorum deuiant,& exorbitant,etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt,atque doctiores, diſcunt enim in ipſa iſta vita iuſta cum tremore ſe exultare debere, non ſibi arrogando, tamquam de ſua virtute, fiduciam permanendi; nec dicendo in abundantia ſua, non mouebor in æternum.* Certum eſt, Paulum verbis adductis numero præcedente, quibus hoc loco vtitur Auguſtinus,loqui de omnibus, quæ Deus ipſe vult propter bonum prædeſtinatorum,præintentũ ab ipſo Deo ex propoſito, quo illi vocati ſunt Sancti. Sed inter hæc omnia Auguſtinus apertiſſimè numerat permiſſionem peccatorum;ergo hæc etiam ſecundùm Auguſtinum eſt directè volita à Deo ex abſoluto prædeſtinationis propoſito faciendi homines ſanctos,ac beatos. Præterea hanc doctrinam paulo poſt confirmat Auguſtinus duobus exemplis,

*Confirmatur exemplo Dauidis.*

altero Dauidis, qui multum profecit ex peccato, quod Deus in eo permiſit,*quia*,inquit Auguſtinus, *filius erat promiſſionis,non perditionis*, hoc eſt,prædeſtinatus,non reprobus;ergo cauſa cur in prædeſtinatis permittit Deus peccatum, & maiorem intendit gratiæ profectum,eſt quia ſunt prædeſtinati filij promiſſionis;ergo prædeſtinatio permiſſionem illam cauſat. Si enim hæc procul dubio cauſat maiorem illum gratiæ profectum; ergo etiam permiſſionem peccati; quæ, vt permiſsio eſt præcisè, bona ſimpliciter eſt, vnde ille profectus aliqua ratione pendet.

*Et exemplo Petri Apoſtoli.*

Altero Petri Apoſtoli, qui ex permiſsione, qua permiſſus eſt ter negare Chriſtum,*didicit non de ſeipſo fidere:* de qua permiſsione ſtatim loquens Auguſtinus,ita pro hac concluſione clariſsimè docet, *etiam hoc ei profecit in bonum; faciente illo, qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum,quia ſecundùm propoſitum vocatus erat,vt nemo eum poſſet eripere de manu Chriſti, cui datus erat.* Si facit Deus permiſsionem peccati in Petro ad maius Petri bonum, ex eo quòd vocatus erat ſecundùm propoſitum beatificandi illum; ergo illa permiſsio ortum habuit ex diuino prædeſtinationis propoſito, & electa eſt à Deo vt efficax medium efficacis intentionis finis gloriæ Petri.

32\. *Concluſionis ratio. Permiſſio peccati quid ſit.*

Probo ſecundò ratione pręcipua,quia permiſsio peccati eſt per ſe effectus Dei, ac proinde per ſe, ac directè volitus à Deo : eſt enim permiſsio peccati, negatio illius efficacis auxilij, cuius vi impediretur peccatum;ſicut igitur Deus per ſcientiam, & voluntatem ſuam cauſat tale auxilium,ita etiam cauſat negationem illius, quam vocamus permiſſionem peccati.

*Eſt à Deo directè volita.*

Eadem permiſsio eſt etiam effectus, quo prædeſtinatus iuuari multum poteſt ad augmentum gratiæ, ad plura,& maiora merita,ad perſeuerandũ vſque in finem,& denique ad ipſam gloriam.

*Eſt vtilis indirectè.* Auguſtinus.

Quæ permiſsionis vtilitas clariſsimè traditur ab Auguſtino ſupra,cuius doctrinam,& verba vſurpant Sãcti Anſelmus,& Thomas exponentes illud ad Rom.8.*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Item ab eodem Auguſt.14. de ciuit.cap.13.fin.illis verbis, *Audeo dicere,ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum, manifeſtúmque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderunt. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer Pſalmus,Imple facies eorum ignominia,& quærent nomen tuum Domine*, & de natura, & gratia, c.24. *Sunt*, inquit, *mala,quæ proſunt, mirabili miſericordia Dei*, & ſignificat ſe loqui etiam de malis culpæ, ſtatim id probans exemplo peccati Dauidis, qui, inquit,*ſibi tribuebat quod à Domino habebat. Quare oſtendendum ei fuerat vnde haberet, vt reciperet humilis,quod ſuperbus amiſerat.*

Damaſcen.

Et à Damaſceno lib.2. de fide,c.29.circa medium,*Permittitur quis quandoque in turpem incidere actionem ad emendationem deterioris affectus,v.g. quis eſt elatus in virtutibus,& rectè factis ſuis : hunc ſinit Deus in adulterium prolabi, vt per caſum in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino.* Et paulo poſt docet, Deum permittere aliquorum peccata, *ſecundùm præſcientiam eius iuſtè derelinquente, ad correctionem, ſalutem,& gloriam patientis,aut ad aliorum zelum, & imitationem, aut ad Dei gloriam.*

Ambroſius.

Et ab Ambroſio ſerm.47.de fide Petri,initio docente,*Petrum poſteaquam negauit Dominum,fuiſſe meliorem,fidelior enim factus eſt poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit; atque ideo maiorẽ gratiam reperit,quàm amiſit.* Cum igitur peccati permiſsio cõducat aliqua ratione ad maius gratiæ,& gloriæ bonum,& in ſe mala non ſit,poterit ſine dubio Deus ex abſoluto prędeſtinationis propoſito de fine beatitudinis, eligere mediũ permiſsionis peccati. Quod ſi poſsibile eſt, nulla eſt ratio cur non ita de facto ſit : quod factum ſignificant verba Pauli ad Rom.8.*Diligẽtibus Deum,&c.* addita communi Patrum expoſitione,& doctrina.

### *Soluitur difficile contrariæ ſententiæ fundamentum.*

33\.

Obiicies pręcipuum aduerſariorum fundamentum. Non poteſt à Deo eligi permiſsio peccati ex intentione pœnitentiæ. Sed non poteſt à Deo eligi permiſsio peccati ex intẽtione beatitudinis,niſi eligatur ex intentione pœnitentiæ; ergo permiſsio peccati non poteſt eligi ex intentione beatitudinis;



ergo nõ poteſt eſſe effectus prędeſtinationis.

*Nõ poſſe Deũ permiſſionem peccati eligere ex intentione pœnitentiæ.*

Reſpondetur, hoc argumentum eſſe quidem difficile,ita vt magnam contrariæ ſententiæ occaſionem dederit doctiſſimis viris. Verùm enim verò, quia,ſi habet vim,nimis probat,vt mox oſtendam,ideo cenſendum eſt,nihil verè probare.Igitur aliqui primò negant maiorem. Sed multo probabilius,non ſolùm omnes aduerſarij,ſed etiam Suarez ſupra à n.11.& opuſc.1.lib.2.c.5.ad 4. Gonzalez ſupra, & alij concluſionis authores fatentur non poſſe negari, quia pœnitentia, vt formaliter pœnitentia,reſpicit eſſentialiter peccatum vt formaliter peccatum,tamquam eſſentiale illius præſuppoſitum fundamentum; ergo qui non exiſtente peccato, prædefinit, & intendit efficaciter, & ſapienter pœnitentiam peccati, & propter hunc finem eligit permiſſionem peccati, non poteſt intelligi non velle ipſum formaliter peccatũ:quamuis enim permiſſio peccati, non ſit peccatum, ſed bonum;tamen quia illa ad pœnitentiæ finem,non eſt per ſe, ac formaliter medium neceſſarium, ratione permiſſionis præcisè, quæ bona eſt; ſed ratione peccati, ac mali permiſſi, ideo qui medium permiſſionis peccati eligit propter finem pœnitentiæ efficaciter præintentæ,non poteſt probabiliter excuſari,quòd velit duntaxat bonum permiſſionis, quod non eſt formale pœnitentiæ fundamentum; ſed potius accuſari debet,quòd actualiter,vel ſaltẽ virtualiter velit malum peccati, quod per ſe,ac propriè eſt materia, quam præſupponit pœnitẽtia;ita vt ſi per impoſſibile poſſet eſſe peccatum abſque vlla Dei permiſſione, adhuc eſſet neceſſaria hæc eadem pœnitentia, quæ de facto requiritur ad peccatum cõmiſſum ex diuina permiſſione. Si igitur Deus propter prædefinitionem pœnitentiæ vellet permiſſionem peccati, conuinceretur hanc velle non propter permiſſionem pręcisè, quæ non eſt peccatum, ſed ſolùm peccati cauſa per accidens,nempe non prohibens,ac proinde non eſt materia pœnitentiæ prædefinitæ;ſed propter ipſum peccatum,quod eſt quidam effectus diuinæ permiſſionis, qui per ſe ſolus, præcisè ſpectatus, eſt neceſſarius, ac ſufficiens ad conſequendum prædefinitum pœnitentiæ finem : implicat autem,Deum velle peccatum,quia peccatum.Tota ratio fundatur in hoc veriſſimo,ac receptiſſimo principio, quòd qui efficaciter vult aliquẽ finem, & propter illum finem eligit mediũ neceſſarium, cenſetur maximè velle id,quod per ſe, & formaliter in illo medio influit in illum finem,eſto id haberi,& exiſtere nequeat abſque aliis in illo medio requiſitis,v.g.qui propter ſanitatis finẽ,vult ſcindi venam ad emiſſionẽ ſanguinis, maximè velle cenſetur emiſſionem ſanguinis, quæ per ſe ſola ad ſanitatem conducit, & propterea ſi aliunde haberi poſſet, nollet ſcindi venam; ſed quia illa emiſsio aliter haberi nequit, vult etiam ſciſsionem venæ. Ita prorſus in caſu noſtro, ſi Deus,antequam præuideret peccatum abſolutè futurum,prædefiniret, & præintenderet pœnitentiam, & propter hunc finem eligeret permiſsionem peccati, vellet maximè, & per ſe peccatum eſſe abſolutè futurũ,quod per ſe ſolum eſt vnicum medium neceſſariò prærequiſitum ad pœnitentiam : permiſsionem verò cenſeretur velle indirectè,ac remotè, in quantum peccatum, cuius pœnitentia eſt prædefinita, non poteſt in re haberi, & exiſtere, niſi ipſemet Deus illud permittat. Hæc verò peccati complacentia, & directa,atque efficax voluntas cogitari non poteſt de eo, de quo dictum eſt Pſalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

Pſalm.5.



34\. *Cur Deus pœnitentiam intẽdere poſſit, non ante, ſed poſt præuiſionẽ peccati.*

Dixi, *antequam præuideret peccatum abſolutè futurum*,quia alia eſt ratio de voluntate pœnitentiæ poſt abſolutam pręſcientiam peccati,quam voluntatem omnes in Deo eſſe fatemur, & de voluntate pœnitentiæ ante abſolutam præſcientiam peccati, quam voluntatem nos in Deo eſſe poſſe negamus, vt rectè obſeruauit idem Suar.ſupra,n.13. contra authores huius primæ reſpõnſionis:quia vi primæ voluntatis præſupponentis peccatum,non neceſſe eſt poni peccatum,ſed duntaxat deſtrui præſuppoſitum vi creatæ voluntatis defectibilis; quod nullum eſt malum, ſed magnum bonum. At verò vi ſecundæ voluntatis,licèt neceſſe ſit deſtrui ſimpliciter peccatum, ad hanc enim deſtructionem per ſe,& proximè ordinatur pœnitentia,quæ intenditur; tamen, quoniam peccatum non præſupponitur eſſe, & nihil deſtrui poteſt niſi eſſe præſupponatur, neceſſariò fit,vt vi eiuſdem voluntatis,quæ ſupponitur eſſe efficax, & abſoluta, poni debeat peccatum; & conſequenter, vt qui ante poſitionem peccati eſt efficaciter, & abſolutè affectus ad pœnitentiam, & deſtructionem peccati, ſit etiam propter hunc finem efficaciter affectus ad poſitionem peccati, & ad peccatum ipſum,licèt hic affectus vltimato tendat ad deſtructionem peccati. Sicut voluntas, v. g. reſuſcitandi, vel ſanandi aliquem, ſi eſt ante mortem, vel infirmitatem abſolutè futuram, eſt ſaltem virtualiter voluntas mortis,& infirmitatis; non autem ſi eſt poſt mortem, vel infirmitatem.

35\. *Poteſt eligi permiſſio peccati ex intẽtione beatitudinis, non pœnitentiæ.*

Ergo reſpondeo ſecundò,cõcedendo maiorem, ſed negando minorem. Eſt enim à nobis concipiendus Deus per præſcientiam ſuam conditionatam prius cognoſcere, quòd ſi permitteret peccatum Petri,v.g.& vellet illi deinde dare talia auxilia,Petrus non ſolùm ageret pœnitentiã,ſed etiam occaſione peccati,acquireret maiorem fidem,humilitatem, conſtantiam,charitatem,& gratiam,& conſequenter maiora merita, & maius ius ad maiorem gloriam, ad quam ſupponitur prædeſtinatus. Poſita huiuſmodi conditionata præuiſione, aſſero, Deum,poſtquam præelegit Petrum ad tantam determinatam gloriam, dependenter ab hac finis intentione poſſe eligere medium permiſſionis talis peccati,non ex priori proxima intentione vel peccati,vel pœnitentiæ,ſed aliorum bonorum virtutum, & gratiæ, & gloriæ : quamuis enim illa alia bona ex permiſſione peccati haberi nequeant in re,niſi poſito peccato,& poſita etiam pœnitentia peccati;tamen,quoniam permiſſio peccati non eſt cauſa per ſe influens in peccatũ, & conſequenter,non eſt per ſe cauſa pœnitentiæ,& illa alia bona per ſe ſpectata non habent neceſſariam connexionem cum pœnitentia, & peccato, cum omnia intelligi bene poſſint prouenire ex aliis diuinæ gratiæ auxiliis abſque vllo peccato,& pœnitentia, ideo non eſt neceſſarium,vt qui eligit permiſsionem peccati, ad hanc electionem moueatur ex priori complacentia,atque intentione peccati,ſeu pœnitentiæ,ſed poteſt immediatè moueri ex complacentia, & intentione aliorum bonorum:& deinde poſt abſolutam voluntatem permittendi peccatum, præuiſo peccato abſolutè futuro, definire illius peccati pœnitentiam.

36\. *Deus permittit peccata nõ propter pœnitentiam, ſed propter alia bona.*

Huiuſmodi ſolutio,ſi non eſt valde euidens,tamen eſt omnino neceſſaria : quia ſi ex neceſſaria connexione,quam habet pœnitentia cum permiſſione peccati, & peccato ipſo, non poſſet Deus velle permittere peccatum niſi ex complacentia pœnitentiæ, & conſequenter ipſiuſmet peccati, ſequeretur ex nullo bono fine prius intento poſſe

Deum velle permiſſionem peccati, quod, vt rectè ait Suar. ſupra n. 16. *nullo modo dici poteſt:* tum quia Sancti communiter verbis ſupra citatis, docent, Deum plerumque ob aliquem bonum finem permittere peccata. Tum quia ipſemet Paulus ad Ro- *Exponitur locus ad Roman. 9.* man. 9. ait, *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gratiæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Quibus verbis clarè dicitur Deus permittere reproborum peccata ob finem gloriæ ſuæ, hoc eſt, ad manifeſtandam ſuam potẽtiam, & diuitias gratiæ ſuæ. Quod ſi ſemel concedamus, Deum poſſe eligere permiſſionem peccati, vt medium ad obtinendum aliquem bonũ finem, prius à ſe intentum, quia ſcilicet eſt finis, qui ſecundùm ſe ſpectatus, non habet neceſſariã cum peccato connexionem, ſicut habet pœnitentia, vt probatum eſt, quæ propterea non poteſt eſſe finis reſpectu permiſſionis peccati, nulla prorſus ratio eſt, ob quam idem extendi non poſſit ad alios ſimiles caſus, in quibus nimirum, finis præintentus non habet ſecundùm ſe eſſentialem dependentiam à peccato, vt peccatum eſt: inter quos fines procul dubio ſunt multa virtutum merita, & gratia, & gloria, ad quam electi ſunt prędeſtinati; ergo ex hac electione, & prædeſtinatione naſci poteſt permiſſio peccati ob alios proximos fines bonos, excepto fine pœnitentiæ. Idem argumentum fieri poteſt ex alio particulari caſu ſatis certo, cùm communiter dicant Theologi, præſertim ij contra quos diſputamus, Deum ex priori intentione redimendi genus humanum per Chriſti paſſionem, ac mortem, elegiſſe permiſſionem peccati Iudæorum cõtra Chriſtum.

37. *Inſtantia.* Dices cum aduerſariis, non eſſe eamdem rationem de peccati permiſſione à Deo electa ob honeſtum finem, quem tradit Paulus ſupra, & de eadem electa ob finem beatitudinis eius, qui peccare permittitur. Nam ad illum finem ſatis eſt præcisè ipſa gratiæ denegatio: ad hunc verò eſt neceſſaria pœnitentia, ac proinde peccatum ipſum.

*Reſpondetur, Deũ permittere etiã peccata ob finẽ, qui eſſe nequit abſque pœnitentia.* Sed contra primò, quia alij Sancti ſupra n. 31. & 32. apponunt alios honeſtos fines, qui etiam abſque pœnitentia eſſe nequeunt, & ſaluari non poſſunt per præciſam gratiæ denegationem, abſque peccato permiſſo, quod inde ſequutum ſit. Auguſtinus, quem ſequuntur Sancti Anſelmus, & Thomas, ait, *ſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis facit proficere*, &c. manifeſtè loquitur de deuiatione, quæ non eſt negatio gratiæ, ſed peccatum ipſum; & ait, *hoc ipſum* ex diuina ordinatione efficere in peccatoribus prędeſtinatis maiorem profectum humilitatis, & cautelæ, & fiduciæ in Deo. Quæ bona, ſuppoſito peccato, haberi nequeunt abſque pœnitenia. Vnde ibidem Auguſtinus exemplificat de permiſſione, qua Petrus Chriſtum, *mori pro illo metuens, ter negaret.* Vbi fit vis in negatione Chriſti, non in gratiæ negatione: & in alio loco apertè loquitur de permiſſione, qua ait, *eſſe vtile cadere in aliquod apertum, manifeſtúmque peccatum.* Et de ipſis peccatis, non de gratiæ negatione, quæ bona, ac iuſta eſt, dicit, *ſunt mala, quæ proſunt, mirabili miſericordia Dei.* redditur enim maximè admirabilis miſericordia Dei, ex eo, quòd ipſamet noſtra malitia vtitur ad bonitatem noſtram procurandam. Prodeſſe verò ſolùm ex denegatione gratiæ, dicta ineptè fuiſſet, *mirabilis miſericordia.* Præterea clariùs Damaſcenus ait, *ſinit Deus prolabi vt per caſum in cognitionem propriæ infirmitatis veniens, humiliatus confiteatur Domino.* Et hanc derelictionem expreſsè refert ad ſalutem, & gloriam patientis. Ambroſius quoque docet, Petrum factum eſſe fideliorem, ex memoria præteritæ infidelitatis, non præcisè ex denegatione gratiæ. Et quidem experimento certum eſt, eos, qui ex peccato reſurgunt cum maiori profectu virtutum, & gratiæ, vel ſolùm, vel ſaltem præcipuè moueri ex fragilitate, & ingratitudine præteriti lapſus ob propriam culpam, ac malitiam, & non ob defectum diuinæ gratiæ.

Secundò, idem quoque patet de fine aſſignato 38. à Paulo, nempe, *velle oſtendere diuitias gratiæ ſuæ in* *Exponitur locus ad Roman. 9.* *vaſa miſericordiæ.* Tum quia loquitur Paulus de oſtenſione diuinæ gratiæ reſpectu viatorum, qui maximè à poſteriori, ex ipſiſmet operibus bonis in prædeſtinatis, & malis in reprobis, veniunt in cognitionem gratiæ Dei; & non tendunt per ſe, & primariò, veluti à priori in gratiæ negationem, & poſitionem. Tum quia loquendo de oſtenſione gratię, etiam reſpectu beatorũ, adhuc iſte finis non poteſt præcisè ſiſtere in negatione gratiæ, ſed debet etiam includere peccatũ ex illa negatione permiſſum: quia ex natura rei, reſpectu omnium, tam viatorum, quàm beatorum, vis diuinæ gratiæ multo plus elucet, cùm apparent, non ſolùm ipſa gratia præcisè, eiúſque negatio, ſed etiam ipſimet gratiæ effectus, nempe bona opera, quę ex gratia procedunt, & mala opera, quæ ex noſtro libero arbitrio non procederent, ſi abundantiore gratia præmuniretur. Verè igitur Pauli, aliorúmque Sanctorum dicta ſaluari ſufficienter non poſſunt, niſi vniuerſaliter dicamus, præfiniri à Deo poſſe permiſſionem peccati ex priori intentione omnium illorum finium bonorum, qui etſi habeantur ex peccato permiſſo præſuppoſito, ac proinde ex tali ſuppoſitione haberi non poſſint abſque pœnitentia, tamen ſimpliciter, & nulla facta ſuppoſitione, aliunde haberi poſſunt ſine peccato, & pœnitentia; cum quibus nullam habent neceſſariam connexionem ex propria eorum eſſentiali ratione.

## DVBITATIO V.

### *An effectus prædeſtinationis ſint etiam res ordinis naturalis.*

SVMMA.

1 *Reſpondetur negatiuè de rebus ſimpliciter naturalibus. num. 39.*
2 *Reſpondetur affirmatiuè de rebus naturalibus, ſed ſupernaturalibus ſecundùm quid. n. 40.*
3 *Deducuntur nonnulla corollaria in particulari. n. 41. ad finem articuli.*

SEptima concluſio. Res omnes naturales, ea- 39. rúmque ordines, ac diſpoſitiones, quæ per pri- *Septima concluſio negatiua de rebus purè naturalibus.* mam mundi creationem à Deo immediatè conditæ ſunt, & reliqua omnia, quæ naturaliter ab ipſis, earúmque effectibus, & à Deo ad naturalẽ earum exigentiam cum illis concurrẽte proueniunt, non ſunt effectus prædeſtinationis. Ita Vazq. hîc d. 93. *Eſt Vazq.* c. vlt. Arrubal d. 81. *Arrubal.* Gonzalez d. 72. *Gonzalez.* Machin d. 48. *Machin.* ſect. 2. concl. 1. corollario 1. & 2. contra Suar. 1. p. *Contra Suar.* tract. 2. lib. 3. c. 7. Nazarium hîc, controuerſia vnica. concl. 10. *Nazarium.* Hæc concluſio ſine dubio eſſe debet S. Thomæ, & omnium Thomiſtarum, & aliorum, *Sequitur ex opinione de prædeſtinatione Chriſti poſt peccatũ.* qui tenent, Chriſtum Dominum non fuiſſe prædeſtinatum niſi poſt præuiſum peccatum primorũ parentum, ac proinde poſt decretum de creatione perfecta totius mundi, quod prædictam præuiſionem antecedit. Enimuero certum eſt, nos prædeſtinatos



ſtinatos eſſe poſt Chriſtum. Igitur ſi ante ipſius Chriſti prædeſtinationem præſupponitur rerum omnium naturalium creatio, & gubernatio perfectè futura, eadem præſupponitur multo magis ante hominum prædeſtinationem: ergo res illæ naturales eſſe non poſſunt effectus huius prædeſtinationis. In cuius veritatis probationem multa & ex authoritate Scripturæ, & Sanctorum Auguſtini, ac Thomæ, & ex ratione attuli ſupra art. 1. dub. 2. concl. 8. à num. 22.

40. *Octaua concluſio affirmatiua de rebus ſimpliciter naturalibus, ſed ſupernaturalibus ſecũdum quid.* Octaua concluſio. Effectus ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam naturales, ſupernaturales tamen ſecundùm quid, & quoad modum, quia nimirum producuntur vel à Deo ſolo, vel etiam à cauſis ſecundis ex peculiari Dei prouidentia, atque concurſu, ſupra communem, & naturalem curſum, atque exigentiam cauſarum ſecundarum, ſi aliquo modo concurrunt ad æternam alicuius ſalutem actualiter conſequendam, exiſtimari prudenter debent effectus prædeſtinationis. Ita omnes, & patroni, & aduerſarij præcedentis concluſionis ſupra citati. & Bagnes hîc §. *Circa ſecundam*, *Bagnes.* Trigoſ. in Bonauenturam 1. p. q. 13. artic. 2. dub. 4. *Trigoſ.* Zumel hîc d. vnica, concl. 6. *Zumel.* Mol. d. 3. §. *Dicendum.* *Molina.* Ratio breuiter eſt, quia huiuſmodi res ſunt quædam peculiaria beneficia, præparata quibuſdam, non omnibus, & diſtincta à communi creationis beneficio, eíque ſuperaddita; ergo ſi ſunt media, quibus aliqua ratione iuuantur prædeſtinati ad ſalutem obtinendam, putari iure debent eſſe ab æterno præuiſa, & electa ab infinita Dei ſapientia, ac miſericordia ex efficaci, atque abſoluta intentione finis gloriæ; *Auguſt.* ergo effectus prædeſtinationis, quæ ex Auguſtino de prædeſtinatione Sanctorum c. 10. *gratiæ eſt præparatio; gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus*; nimirum gratia, quæ ſit efficax ad conſequendum gloriæ finem. Et de bono perſeuerantiæ cap. 14. *nihil aliud eſt, quàm præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* hæ autem res, etſi naturales, tamen iuuantes ad vitam æternam, & ſuperadditæ beneficio creationis, dici etiam propriè poſſunt gratiæ Dei per Ieſum Chriſtum, & beneficia Dei quibus certiſſimè liberamur.

41. *Quid dicendum de filio impetrato per orationes.* Ex his duabus concluſionibus in genere, facile eſt nonnulla in particulari colligere ad eamdem materiam pertinentia. Primò, quando aliquorum generatio per iuſtorum orationes impetratur, ac proinde ex Chriſti gratia, illa generatio non eſt effectus prædeſtinationis reſpectu illius, qui generatur; nam per illam non accipitur niſi illud idem eſſe commune, quod omnes habent per creationis beneficium, ſupra quod, ſicut in reliquis omnibus, ita & in his per orationem impetratis, addere debet aliquid effectus prædeſtinationis, quod non ab eorum natura exigatur. Neque contra- *S. Thomas.* rium habet S. Thomas infra, art. 8. in argumento *ſed contra*, cùm loquens de Iacob prædeſtinato, quem pater eius Iſaac precibus obtinuit, ait, *non fuiſſet impleta prædeſtinatio, ſi natus non fuiſſet.* Hæc enim verba non ſignificant natiuitatem Iacob fuiſſe effectum prædeſtinationis ipſius, ſed potius fuiſſe ſubiectum præſuppoſitum ante omnem effectum prædeſtinationis.

42. *Quid dicendũ de varijs circumſtãtijs natiuitatis, & mortis.* Secundò, naſci tali loco, tali tempore, & in aliis circumſtantiis, ad ſalutem conducentibus, ſicut etiam mori, ſunt effectus prædeſtinationis: quia hæ circumſtantiæ ſupponunt commune beneficiũ creationis, vnde in variis variæ ſunt, & concedi poſſunt ſupra naturalem exigentiam, ac nexum cauſarum ſecundarum, & ordinari ad vitam æternam; ergo pertinere poſſunt ad peculiarem prædeſtinationis gratiam præparatã ex meritis Chriſti redemptoris, & ſuperadditam generali creationis gratiæ, quæ non fuit ex meritis Chriſti, do- *Gratia creationis non ex meritis Chriſti per Auguſtinum.* cente Auguſtino ep. 95. ante medium, quòd *etſi dicetur gratia Dei, qua creati ſumus; alia eſt tamen qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur.* & epiſt. 105. longè à principio, *Non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, vt homines eſſemus; ſed qua iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus. Iſta eſt enim gratia per Ieſum Chriſtum. Etenim Chriſtus non pro iuſtis, vt homines conderentur, ſed pro impijs mortuus eſt, vt iuſtificarentur.* Ad huius generis effectum pertinet quod dicitur Sapient. 4. *Sapient. 4.* *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* & illud Matth. 24. *Matth. 24.* *Propter electos breuiabuntur dies illi.* pertinent pariter alij effectus, ſimpliciter naturales, infirmitatum, tribulationum, viſionum, auditionum, & ſimiles ferè innumerabiles, qui in prædeſtinatis conſiderari poſſunt, conducentes aliquo modo ad ſalutem ipſorum. Vnde Auguſtinus de *Auguſt.* gratia, & libero arbitrio c. 17. ante medium exponens illud Pauli ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* ait, *quid eſt, omnia, niſi & ipſas terribiles, ſæuáſque paſſiones?*

Tertiò eadem ratione, internæ diſpoſitiones 43. *Quid dicendum de internis diſpoſitionibus.* ſimpliciter naturales, temperamenti, complexionis, indolis, ingenij, ſi reipſa ad ſalutem conferant, & non naturaliter oriantur ex cauſis ſecundis, ſed à Deo ſupra naturalem earum exigentiam, iudicari debent effectus prædeſtinationis. Ad hunc effectuum ordinem communiter cenſentur ſpectare complexiones Chriſti Domini, & beatiſſimæ Virginis. Et illud Auguſtini de bono perſe- *Auguſt.* uerantiæ cap. 14. poſt principium, *Habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*; & lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. multo ante medium, *Illi non electi, & non ſequuti, qui non contemperabantur vocationi.* Et paulo ante, *Quamuis multi vno modo vocati ſint, tamen quia non omnes vno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei capeſſendæ reperiuntur idonei.*

Quartò, multa opera moraliter bona, quæ 44. *Quid dicendum de operibus moraliter bonis.* quoad ſubſtantiam, & ex parte obiecti ſunt naturalia, eſſe plerumque numeranda inter effectus prædeſtinationis. Patet, quia hæc etiam, ſi non omnia, ſaltem difficiliora, quæ neceſſaria interdum ſunt ad obſeruantiam legis naturalis, fiunt ex gratia Chriſti, ſupra naturalem exigentiam, vt probatum ſuppono ex materia de gratia tanquam omnino certum. Iuuant præterea aliquo modo ad ſalutem, non vt aliquod meritum vel de condigno, vel de congruo, nec vt aliqua proxima diſpoſitio, aut occaſio motiua ad ſupernaturalem gratiam, & iuſtificationem, ſed vt diſpoſitio quædam remota, remouens prohibens, in quantum ſcilicet iſta bona opera naturalia ſecundùm ſubſtantiam impediunt oppoſita peccata, quibus maiora ſupernaturalis gratiæ auxilia impediri poſſunt ne effectum ſortiantur. hic autem qualiſcumque influxus ad ſalutem, ſufficiens eſſe debet, vt huiuſmodi opera dicantur effectus prædeſtinationis, hoc eſt, electa, & ordinata à Deo ex efficaci, atque abſoluta intentione ſaluandi, & glorificandi. Ex quo ſupernaturali fine, ad quem reliqui omnes effectus per prædeſtinationem à Deo referuntur, habet prædeſtinatio vt ſit eſſentialiter ſupernaturalis, quamuis aliqui effectus ſint ſecundùm ſubſtantiam naturales.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Deus aliquem hominem reprobet.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd Deus nullum, &c.

#### SVMMA COMMENTARII.

1 *Pars affirmatiua probatur authoritate, & ratione. num.* 1. *&* 2.
2 *Plures Dei actus in reprobatione diſtinguendos eſſe. num.* 3.
3 *In quo Dei actu conſiſtat reprobatio. n.* 4. *&* 5.
4 *Reprobationem negatiuam concipiendam eſſe ante præuiſionem peccatorum. n.* 6. *ad* 11.
5 *An dici poſſit Deus velle dare reprobis gratiam incongruam quia incongrua eſt. n.* 11. *&* 12.

#### COMMENTARIVS.

*Reprobatio oppoſita prædeſtinationi ex S. Thoma.*

EX dictis de prædeſtinatione, facilè, ac breuiter colligere poſſumus quid dicendum ſit de reprobatione: quia, vt docet S. Thomas 1. d. 40. quæſt. 4. art. 1. ad 3. *Reprobatio opponitur prædeſtinationi: & ideo per oppoſitum datur intelligi poſita prædeſtinatione.*

1.
*Prima cõcluſio affirmatiua.*
Matth. 25.
*De nominibus reproborum.*
Ad Rom. 9.
2. ad Timoth. 2.
*Cur vocentur præſciti.*

Prima concluſio ſimpliciter affirmatiua, eſt de fide; ſicut de fide eſt, non ſolùm de hominibus, ſed etiam de Angelis, multos ab æterna beatitudine eſſe reiectos, ex illo Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Hos enim reiectos, reproborum nomine hîc intelligimus, quos Paulus vocat ad Rom. 9. *Vaſa iræ apta in interitum.* Et tum ibidem, tum 2. ad Timoth. 2. *Vaſa in contumeliam,* & Theologi communiter vocant, Præſcitos: nam etſi ſicut prædeſtinatio, ex probatis ſupra artic. 1. dub. 1. ita etiam reprobatio conſiſtat in aliqua præſcientia, vt mox probabo; tamen quia per præſcientiam reprobationis, vt ratiocinatur S. Thomas 1. d. 40. art. 1. ad 2. *Nihil cauſatur in reprobato per quod malus fiat,* ſicut per præſcientiam prædeſtinationis cauſatur in prædeſtinato aliquid, per quod bonus fiat, ſcilicet gratia, & gloria, ideo ij, qui ex eo quod mali ſint, damnantur, & reprobantur, ex communi præſcientia generico vocabulo dicti abſolutè ſunt præſciti; qui verò ex eo quod boni ſint, glorificantur, dicti etiam ſunt aliis nominibus, quibus bonitatis eorum cauſa ſignificatur, vt electi, dilecti, &c. Non eſt autem ipſa quoque reprobatio dicta abſolutè præſcientia, ſicut reprobatus, præſcitus, quia ex eodem S. Thoma ibidem, reprobatio ſignificat aliquem actum tenentem ſe formaliter ex parte Dei, ex parte cuius ad reprobationem concurrunt non ſolùm preſcientia, ſed etiam actus voluntatis, vt mox oſtendam. Demum ipſum reprobi nomen aliquando legitur in Scriptura, vt 1. ad Cor. 9. *Caſtigo corpus, &c. ne cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Vbi reprobum non eſſe accipiendum pro reprobato, & repudiato ab hominibus, vt accipitur 2. ad Cor. 13. *Oramus vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt faciatis; nos autem vt reprobi ſimus.* hoc eſt, vt reprobemur, & contemnamur ab hominibus. Neque pro improbo, ac malo, vt videtur accipi Eccl. 9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.* Sed pro non electo à Deo, vt docent ibi cũmuniter interpretes, vt Chryſoſtomus, Theodoretus, clariſſimè Anſelmus, S. Thomas, & noſter Cornelius. Eodémque modo exponere videtur Gregor. lib. 6. Regiſtri, ep. 22. ad Gregoriam.

S. Thom.
*Cur reprobatio non dicatur præſcientia.*
*Exponitur locus 1. Cor. 9.*

2.
*Declaratur ratio articuli.*

Ratio concluſionis in hoc articulo allata, probat non ſolùm reprobationis exiſtentiam ſimpliciter, ſed etiam conuenientiam talis exiſtentiæ. Primum probat, quia certum eſt aliquos per Dei gratiam ordinatos ad finem vitæ æternæ, ab iſto fine deficere: certum quoque eſt, nullum in rebus contingere poſſe defectum, niſi eum permittat, ac permittere velit Deus, docente Auguſtino in Enchiridion c. 95. fin. *Non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo.* Ergo Deus permittit, aliquos deficere à fine vitæ æternæ. *Et hoc,* inquit S. Thomas, *dicitur reprobare,* ergo Deus reprobat. Secundum probat, quia conueniens omnino fuit, vt creatura intellectualis, ex eo quod ſit intrinſecè libera, ac natura ſua defectibilis, ita eleuaretur, ac dirigeretur ad ſupernaturalem gloriæ finem, vt non ſemper infallibiliter per efficacem gratiam ad finem illum duceretur, ſed etiam aliquando cum ſufficiente gratia ab illo fine deficere permitteretur. Vnde colligit S. Thomas hîc, quòd *ſicut prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ reſpectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam ſalutem; ita reprobatio eſt pars prouidentiæ reſpectu illorum, qui ab hoc fine decidunt.* Quod ſufficienter intelligitur ex dictis ſupra artic. 1. à num. 15.

### *In quo Dei actu conſiſtat reprobatio.*

3.
*Secunda concluſio de multis actibus ad reprobationẽ concurrentibus.*

Secunda concluſio. In reprobatione multi actus intellectus, & voluntatis Dei diſtingui ratione debent. Primus præſcientiæ de malo culpæ, & pœnæ æternæ, vt poſſibili. Secundus præſcientiæ conditionatæ de eodem malo, vt futuro ſub conditione. Tertius præſcientiæ abſolutæ de eodem malo, vt abſolutè futuro. Quartus iudicij practici, quo voluntati ſuæ proponit Deus talia media, cum quibus reprobi poſſunt ſufficienter ſaluari, tamen infallibiliter ex propria libertate, ac malitia non ſaluabũtur. Quintus alterius iudicij practici, & quaſi finalis ſententiæ, qua Deus decernit, hunc eſſe dignum, qui excludatur à regno cœlorum, & puniatur æterna pœna condigna. Sextus poſitiua voluntas, qua Deus non vult aliquos efficaciter eligere ad finalem gratiam, & gloriam: quæ voluntas eſt eadem cum voluntate permittendi peccatum, & perſeuerantiam in peccato vſque ad finem vitæ. Septimus abſoluta, & efficax voluntas damnandi, & reiiciendi à regno. Fundamentum eſt, quia per reprobos intelligimus eos, qui habent à Deo ſufficientia auxilia ad non peccandum, & ad conſequendam gratiam, & gloriam, & tamen liberè peccant, & à Deo in peccatorum pœnam damnantur, licèt ſi habuiſſent à Deo alia auxilia efficacia, ſaluati eſſent. Totum autem hoc negotium tranſigi non poteſt ſine omnibus prædictis actibus. Et vt reliquos clariores, & per ſe manifeſtos omittam, probo ſextum, quem aliqui à ſeptimo diſtingui nolunt: tamen diſtinguitur, quia ſeptimus, vt patet, non eſt niſi poſt abſolutam præuiſionem demeritorum, ſextus verò eſſe neceſſariò debet ante hanc præuiſionem: quia cùm Deus antequam decernat dare hæc aut illa media ad vitandum peccatum, & ad ſalutem acquirendam, præſciat hæc media eſſe efficacia, illa media eſſe tantùm ſufficientia, non efficacia; cùm decernit in poſteriori ſigno dare hæc media ſufficientia, neceſſe eſt vt ſimul etiam decernat dare media non efficacia,

*Voluntas non dandi gratiã finalem diſtingui debet à voluntate damnandi.*



efficacia, ac proinde vt habeat voluntatem abſolutam non ſaluandi efficaciter illum, cui vult dare media inefficacia, ſeu non vult dare media efficacia ad ſalutem, ſicut poſſet dare ſi vellet. Non poteſt autem abſolutè præſcire Deus futurum peccatum vſque ad finem vitæ, niſi poſt decretum dandi hæc, aut illa media ad peccatum vitandum; ergo decretum ſupra expreſſum in ſexto actu eſt ante præſcientiam peccati finalis abſolutè futuri; ergo multo magis ante ſeptimum actum decreti damnationis, & puniendi peccatum finale abſolutè futurum, quod decretum eſt poſt prædictam præſcientiam; ergo ſunt talia decreta, quæ ratione ratiocinata à nobis diſtingui poſſunt, ac debent.

4.
*Tertia cõcluſio. Reprobatio importat primariò actum intellectus, ſecũdariò voluntatis.*
S. Thomas.

Tertia cõcluſio. Reprobatio formaliter, & principaliter conſiſtit in quarto rationis actu, quo diuina prouidentia ordinat, ac voluntati proponit danda aliquibus talia media, cum quibus illi ſua culpa infallibiliter damnabuntur: ſecundariò autem importat voluntatem dandi prædicta media, & permittendi peccatum vſque in finem, & damnandi. Eſt ſatis communis, & ſine dubio S. Thomæ vltimis verbis corporis huius articuli. Nam cùm docuiſſet, reprobationem, ſicut & prædeſtinationem, conſiſtere formaliter in quadam prouidentia, quæ formaliter eſt actus intellectus, vt ſupra q. 22. art. 1. à n. 10. addit quòd *reprobatio non nominat præſcientiam tantùm, ſed aliquid addit ſecundùm rationem, ſicut & prouidentia.* Et ſtatim hoc additum eſſe Dei voluntatem ita explicat, ac probat; *ſicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Quam rationem & comparationem in hunc modum magis declaro. Reprobatio, & prædeſtinatio opponuntur tanquam priuatio, & habitus; ergo ſicut prædeſtinatio ex probatis articulo primo conſiſtit primariò in cognitione practica mediorum quibus electi efficaciter ad gloriam, conſequuntur infallibiliter merita, & præmium; ſecundariò in voluntate efficaci dandi media, & finem: ita reprobatio erit primariò cognitio practica mediorum, cum quibus non electi efficaciter ad gloriam, incident infallibiliter in peccata, & in pœnam; ſecundariò voluntas efficax non dandi efficaciter finem gloriæ, ſed dandi illa media, & infligendi pœnam.

*Probatur ex oppoſita prædeſtinatione.*

5.
*Reprobatio non conſiſtit in iudicio de dignitate pœnæ.*

Quo patet, minus rectè aliquos exiſtimare, cùm dicunt, reprobationem formaliter, & principaliter ſitam eſſe in quodam alio iudicio practico, numerato ſupra in quinto loco, quo Deus poſt præuiſa peccata aliquorũ, iudicat illos dignos pœna æterna. Hoc enim iudicium præſupponit ſecundùm rationem ante ſe tres alios actus in Deo, quibus habetur ſi non omnino integer, ſaltem principalis conceptus reprobationis, ac prouidentiæ. Primò enim eſt voluntas non dandi efficaciter aliquibus finem gloriæ, qui actus procul dubio quædam reprobatio dici poteſt, & multo aptius quàm prædeſtinatio dicitur oppoſita voluntas dandi aliis efficaciter gloriam. Secundò practicum iudicium de his vel illis gratiæ mediis, ſufficientibus quidem, tamen non efficacibus ad finem glorię conſequendum. Tertiò alia voluntas abſoluta, & efficax dandi huiuſmodi media ſufficientia, & inefficacia, & permittendi peccata vſque in finem vitæ: quo iudicio practico, adiuncta voluntate exequendi, habetur propriiſſimè ratio prouidentiæ reprobatiuæ. Poſt hos tres actus, concipimus in Deo abſolutam præuiſionem peccatorum: & tandem quinto loco intelligitur prædictus actus iudicandi de pœna; qui actus non videtur aliter ad prouidentiam pertinere, niſi vt quid conſequens illam; cùm prius ſecundùm rationem ſit, liberas creaturas per conuenientia media ad finem dirigere, quod proprium prouidentiæ, ac prudentiæ munus eſt; poſterius verò ſit, eaſdem iudicare, ac velle punire, ſi mediis illis libertate, & culpa ſua malè vtantur, & à fine deflexerint.

### *In quo ſigno concipienda ſit reprobatio.*

6.
*Quarta concluſio. Reprobatio negatiua eſt ante præuiſionem peccati.*

Quarta concluſio. In primo ſigno rationis, in quo Deus ante præuiſa creaturarum intellectualiũ merita, aut peccata, habuit circa prædeſtinatos efficacem voluntatem dandi illis gloriam, non ſe habuit merè negatiuè circa reprobos, ſed actu poſitiuo voluit eos non eodem modo efficaci eligere ad gloriam. Item in ſecundo ſigno rationis, in quo Deus præparauit, & dare voluit electis efficacia media ad gloriam, voluit etiam poſitiuè non præparare, nec dare non electis media eodem modo efficacia ad gloriam. Qui duo reprobationis actus, quamuis poſitiui, quia tamen terminantur ad aliquam negationem, à nonnullis, cum quibus in ſequentibus loquemur, rectè nominantur, reprobatio negatiua; ad diſtinctionem reprobationis poſitiuæ, quæ conſiſtit partim in iudicio practico, quo Deus, poſt præuiſa peccata, vt abſolutè futura in talibus hominibus vſque ad finem vitæ, ſtatuit illos eſſe dignos pœna, non præmio; partim in abſoluta voluntate puniendi. Et ideo hæc ſecunda poſitiua reprobatio nominari etiam conſueuit punitiua, ſicut prima permiſſiua, in quantum cum illa voluntate non eligendi efficaciter ad gloriam, & non dandi media efficacia, & infallibilia ad ſalutem, eſt coniuncta voluntas permittendi peccata, & finalem impœnitentiam.

*Duplex reprobatio, negatiua, & poſitiua.*

7.
*Authores, & aduerſarij concluſionis.*
Suarez.
Bagnes.
Nauarrete.
Gonzalez.
Nazarius.
Machin.
Cont.
Molina.
Bellarm.
Vazquez.
Arrubal.
Zumel.

Hæc concluſio eſt ſatis communis in ſchola S. Thomæ. Eámque tenent Suar. 1. p. tract. 2. lib. 5. c. 4. Bagnes hîc, dub. 2. concl. 2. circa finem. Nauarrete controuerſia 34. initio, malè citans in contrarium Suar. opuſc. 1. lib. 2. c. 5. nam à n. 7. vbi de hac materia agit, eſt ſibi conſtans. Item Gonzalez d. 77. ſect. 1. Nazarius hîc controuerſ. 1. Machin d. 50. ſect. 2. concl. 1. contra Mol. hîc §. *Verùm hæc ſententia.* Bellarm. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio c. 16. circa principium, Vazq. d. 95. c. 2. Arrubal d. 87. Zumel d. 1. quamuis in d. 2. concl. 5. ipſiſmet verbis, Bagn. oppoſitum aſſerat. Refertur præterea in contrariũ Scot. 1. d. 41. q. 1. §. *Dici poteſt.* Sed verè non videtur, tũ quia loquitur problematicè, vt patet ex iis, quæ habet circa finem quæſtionis: tum quia probabile eſt illum loqui de *volitionis diuinæ negatione,* non ex parte actus, ſed ex parte obiecti; ita vt velit ſolùm, in primis duobus ſupra dictis ſignis diuinam voluntatem ſe habuiſſe negatiuè circa reprobos, poſitiuè circa prædeſtinatos, ex eo quòd tunc formaliter per reprobationẽ nihil aliquibus voluit dare, ſed tantùm voluit negare ea, quæ dare voluit aliis prædeſtinatis. Tum quia poſtea in d. 47. circa finẽ, expreſsè admittit in Deo actum poſitiuũ, non directum, ſed reflexũ, quo vult, inquit, *non eligere Iudam peccaturũ, finaliter, & non volitionẽ gloriæ ipſius.*

8.
*Prima cõcluſionis ratio ex Sanctis Auguſtino, & Thoma.*

Arguo primò ex Sanctis Auguſtino, & Thoma. Nam infra, art. 5. ad 3. ita habetur, *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem niſi diuinam voluntatem. Vnde Auguſtinus dicit ſuper Ioannem, quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.* quibus verbis apertè exprimitur quædam reprobatio facta abſque cauſa ex parte reproborum potius, quàm ex parte prædeſti

prædeſtinatorum, ergo reprobatio non facta propter peccata reproborum; hæc enim haberet certam, atque euidentem rationem abſquè vllo errandi periculo; ergo reprobatio antecedens abſolutam præuiſionem peccatorum: quæ alia eſſe non poteſt, niſi præcedens Dei iudicium, ac voluntas non dandi efficaciter finem, & media; nec poteſt commodius collocari, ſeu à nobis concipi, niſi in iiſdem ſignis, in quibus concipimus Dei iudicium, ac voluntatem dandi efficaciter finem, ac media ante abſolutam meritorum præuiſionem. Idem argumentum duci poteſt ex aliis verbis Auguſtini ſupra, artic. 1. n. 45. & 95. quæ eamdem ſententiam clarius docent, & tribuunt Paulo, qui non ſemel huiuſmodi diſcretionem, ac ſeparationem prædeſtinatorum, & reproborum ab eadem communi maſſa, refert in ſapientiſſimam, atque inſcrutabilem voluntatem Dei, abſolutiſſimi Domini. Præterea Proſper ex mente Auguſtini, vt refero ibidem n. 38. non obſcurè indicat, hanc negatiuam reprobationem in eodem ſigno cum prædeſtinatione factam. *Hoc,* inquit, *propoſitum, quo eligendorum, & reijciendorum dicitur facta diſcretio, vt, ſecundùm quòd placuit creatori, alij vaſa honoris, alij vaſa contumeliæ ſint creati.* Quibus non ſolùm communitas ſigni, ſed etiam ipſiuſmet propoſiti identitas ſignificatur, quia ſcilicet, cùm ex multis in eadem maſſa, ſeu communitate connexis, & æqualiter indignis, atque egentibus, qui eos vt tales ſemper comprehendit, & tamen quibuſdam dat aliqua bona, quæ non dat aliis, eodem actu, quo vult bona illa dare aliquibus, non vult dare aliis. Quem ſenſum habere videtur S. Thomas q. 6. de verit. art. 1. ad vltimũ, dicens, *Qui eligit, alterum accipit, & alterum reijcit; quod dicitur reprobare.* In eodem igitur ſigno electionis ponenda eſt reprobatio. Quam etiam non obſcurè ſignificaſſe videtur Paulus illis verbis ad Rom. 9. *Cũ nondũ nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, Iacob dilexi, Eſau autẽ odio habui.* hoc eſt, reprobaui, vt ibi exponũt Sancti Anſelmus, & Thomas.

Proſper.

S. Thomas.

9. Hinc arguo ſecundò ratione ex communi doctrina probata ſupra q. 19. art. 3. n. 16. quia in agente intellectuali, velle directè, & expreſsè non agere, quod verè, & à parte rei nunquam eſt facturum, eſt longè perfectior agendi modus, quàm habere voluntatem veluti ſuſpenſam, non determinando ſe ad facere, nec ad non facere: primus enim agendi modus, clarius, & certius ſupponit in agente infinitam ſapientiam, & ſupremum, atque abſolutum dominium circa omnia ſimpliciter poſſibilia: ergo ille potius tribuendus eſt Deo, ſed Deus non dat reprobis infallibilia media ad gloriam conſequẽdam; ergo ab æterno poſitiuè voluit non dare. Hæc autem voluntas non dandi media infallibilia ad vitanda peccata, ſed permittendi peccata vſque in finem, antecedit abſolutam præuiſionem peccatorum, quæ ſub aliis mediis infallibilibus, ſi data eſſent, non fuiſſent præuiſa; ergo antecedit etiam reprobationem poſitiuam, & punitiuam, quæ præuiſionem illam præſupponit. Item eadem voluntas negãdi media infallibilia ad conſequendum finem, præſupponit aliam præcedentem voluntatem negandi infallibiliter finem, vt conſtat ex probatis ſupra art. 1. dub. 2. & 3. ergo Deus ante quamlibet reprobationem poſitiuam, & abſolutam præſcientiam demeritorum, reprobauit negatiuè aliquos, tum volendo non conferre efficaciter gloriam, tum practicè iudicando non eſſe danda infallibilia media ad gloriã efficaciter conſequendam, tum denique volendo non dare huiuſmodi media. qui actus, quia ſunt ante abſolutam præuiſionem demeritorum, concipi poſſunt, ac debent in iiſdem rationis ſignis, in quibus ponuntur tres alij oppoſiti prædeſtinationis actus, ante abſolutam prẹuiſionem meritorum, vt ſupra art. 1. dub. 3.

*Secunda ratio ex modo agendi diuinæ volũtatis.*

10. Dixi *efficaciter*, quia Deus alium antecedentem, ac ſimplicem volũtatis affectum de omnium gloria, tam prædeſtinatorum, quàm reproborum, æqualiter, ac ſemper ab æterno habuit ante omnes alios prædictos voluntaris actus, vt probaui ſupra q. 19. art. 6. à n. 3. cum quo affectu eſt omnino incompoſſibilis, & diuinæ miſericordiæ parum conſentaneus alius ſimplex voluntatis affectus, & multo magis efficax, atque abſolutum propoſitum ſimpliciter excludendi aliquam creaturam intellectualem à regno cœleſti ante præuiſum peccatum ſiue hominum, ſiue Angelorum; ſicut à contrario, erga prædeſtinatos, de facto fuiſſe probauimus efficacem electionem ad gloriam, ante præuiſa merita. Quamquam prædictam ſimpliciter reprobationem, ſimilem electioni prædeſtinatorum admittere videatur Durandus 1. d. 40. q. 2. n. 5. & 6. dum abſolutè, ac ſimpliciter explicat, quòd *reprobatio eſt refutatio alicuius à conſecutione vitæ æternæ*; eámque oppoſitam eſſe ait electioni prædeſtinatorum, quam ipſe etiam ante præuiſionem meritorum in Deo eſſe fatetur, de qua ſententia plerique omnes malè ſentiunt: vt eruditè refert Suar. 1. p. tract. 2. lib. 5. c. 3. n. 6. & ipſe vocat improbabilem, & alienam à ſana doctrina. Fuerunt igitur in Deo voluntas ſaluandi ſimpliciter, & ſufficienter reprobos, & voluntas non ſaluandi eos efficaciter, quę inter ſe non pugnant, cùm affirmatio, & negatio non cadant ſupra eamdem omnino rem, vt patet; ſicut ob hanc rationẽ pugnãt voluntas ſaluandi ſimpliciter, & volũtas non ſaluandi ſimpliciter.

*Deus reprobos voluit ſaluare ſimpliciter, non ſaluare efficaciter.*

*Durãdi ſententia reijcitur.*

Suarez.

11. Obiicies, ſi in primo ſigno Deus vult hos non eligere, ſeu non efficaciter glorificare; ergo in ſecundo ſigno, in quo intelligimus, præparare illis media ad ſalutem, ideo eligit talia media non congrua, quia voluit non efficaciter eligere ad finem. Hoc autem videtur inconueniens, nam ſic videretur Deus quodammodo quærere, quænam ſint media non congrua, vt ea det reprobis; ac proinde, dare hæc media quia ſunt non congrua, & directè intendere malum potius quàm bonum in donatione gratiæ. Vnde nos ſupra art. 1. num. 93. ad 3. probauimus, non eſſe concedendum, Deum velle dare gratiam incongruam, quia incongrua eſt.

*Obijcitur.*

Reſpondent aliqui negandam eſſe ſimpliciter conſequentiam. Sicut enim, inquiunt, in primo ſigno ideo Deus vult non dare efficaciter finem, quia non tenetur dare; ita in ſecundo ſigno nullam aliam ob cauſam concipi debet nolle dare media efficacia, niſi quia nulli ea debet: alioqui directa Dei intentio in præparatione gratiæ, ſiue ſufficientis, ſiue efficacis; eſt quia vult dare gloriam, ſiue ſufficienter, ſiue efficaciter. Nihilominus conſequentia, ſimpliciter loquendo, videtur nimis euidens: enimuero poſita illa voluntate non eligendi efficaciter ad finem, propter illam, ſeu, vi illius, implicat, Deum velle dare media congrua, ſiue, non dare media incongrua: ergo vult illa quia non congrua. Sicut poſita efficaci voluntate eligendi ad finem, non poteſt non velle dare media congrua; & ex tali voluntate naſcitur, vt ideo velit dare media congrua, quia congrua ſunt. Confirmatur à priori, quia voluntas electionis mediorum eſſe debet proportionata, & correſpondens voluntati intentionis finis.

*Reſpondetur concedendo ſimpliciter, Deum velle dare reprobis gratiam incongruã, quia incõgrua eſt.*



finis. Sed voluntas intentionis finis circa reprobos ſecundùm nos eſt, non dare efficaciter gloriam, cui fini per ſe, ac directè correſpondet, & formaliter proportionatur medium inefficax, quia formaliter inefficax eſt, ſi enim eſſet efficax, eſſet medium planè contrarium fini, qui propterea haberi nulla ratione poſſet ablata inefficacia, etiam ſi reliqua omnia in medio adeſſe intelligantur, ergo in aliquo bono ſenſu neceſſe eſt concedere, quòd ex hac quarta concluſione ſequatur, Deum in ſecundo ſigno velle medium incongruum, quia incongruum eſt: quamuis enim idem ſit etiam medium ſufficiens, tamen vt formaliter ſufficiens, correſpondet alteri intentioni finis inefficaci, & conditionatæ, ſecundùm quam dicitur, velle omnes homines ſaluos facere, & communiter ſe habet tam ad reprobos, quàm ad prædeſtinatos, ergo vt formaliter incongruum correſpondere debet alteri diſtinctæ intentioni efficaci, & abſolutæ, reproborum propriæ, non dandi efficaciter finem.

12. Videtur igitur mihi diſtinguẽdum conſequens. Nam medium incongruum, ſiue inefficax, quibus vocibus nunc extra propriam materiam pro eodem vtimur, conſiderari poteſt dupliciter, primò negatiuè per ordinem ad Deum, à quo non habet efficaciam medij infallibilis ad ſalutem, quam efficaciam auxilium gratiæ à ſolo Deo habere poteſt ſuppoſito vſu liberi arbitrij, præuiſo vt conditionatè futuro: quod hoc loco ſupponendum eſt, ex propria materia: & hoc modo ſpectatum medium inefficax nihil eſt aliud, niſi medium non habens vim infallibiliter perducendi hominem ad ſalutem, quamuis habeat ſufficienter vim ad præſtandum eumdem effectum, & in hoc primo ſenſu accipiendus eſt Suarez 1. p. tract. 2. lib. 5. c. 7. num. 13. & 14. concedens hanc cauſalem, *Deus permittit hunc peccare, quia non elegit illum ad gloriam*; & bene probans ex Auguſtino docente in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. non ſemel, quòd ideo aliqui non habent efficacem gratiam vt credant, & ſaluentur, quia non ſunt prædeſtinati, & à perditionis maſſa diſcreti. Secundò poſitiuè per ordinem ad hominem, ex cuius libertate, ac malitia habere intelligitur poſitiuam quamdam inefficaciam, in quantum homo culpa ſua non vtitur ſufficienti auxilio gratiæ ad ſalutem actualiter conſequendam, ſed illi poſitiuè reſiſtit, & in peccato moritur, ac damnatur. Ex prima igitur illa voluntate non dandi efficaciter finem, ſequitur neceſſariò in ſecundo ſigno voluntas dandi medium inefficax, quia inefficax primo modo negatiuè, hoc eſt, quia non habet illam efficaciam, quam habet aliud medium efficax, quod datur prædeſtinato, & dari etiam poſſet reprobo, ſed Deus dare non vult, quia nulla ratione dare tenetur, imò iuſtè negare poteſt in pœnam ſaltem peccati originalis. Et hanc partem bene probant rationes factæ contra præcedentem reſponſionem. Non autem ſequitur voluntas dandi medium inefficax, quia inefficax eſt ſecundo modo poſitiuè, hoc eſt, quia creatura illo malè vtitur, & illud non habet ſimpliciter effectum, quam tantùm partem probant rationes ad conſequentiæ probationem ſupra allatæ, Deum enim dare auxilium gratiæ ſufficiens, & inefficax. Hoc ſecundo intuitu, & affectu, nempe, vt creatura illud abiiciat, & non ſaluetur, neque eſt poſſibile, neque neceſſarium. Non poſſibile, quia hic affectus manifeſtè pugnat cum alio affectu quo vult omnes homines ſaluos fieri, propter quem affectum dat, & ab æterno dare voluit illud auxilium vt ſufficiens. Non neceſſarium, quia prima illa voluntas reprobans, non reprobat à fine ſimpliciter, ad quem finem ſimpliciter conſequendum Deus prius alia communiſſima ſua voluntate gratuita vniuerſos ordinauit, ſed ſolùm reprobat à fine conſequendo tali modo, nimirum efficaciter, & infallibiliter. Ad quem finem, præciſè, & formaliter conſideratum, ſatis eſt ſi medium non habeat in actu primo efficaciam, & infallibilem connexionem cum effectu; nec præterea requiritur, vt actu non habeat effectum: & ideo ſi per impoſſibile medium ſufficiens conſequeretur actualiter finem, nihil fieret contra voluntatem illam reprobantem. Dixi, *ſi per impoſſibile,* ſignificans eſſe ſimpliciter impoſſibile, gratiam aliquam habere effectum, & illam non eſſe efficacem: quæ impoſſibilitas non oritur ex parte effectus, vel gratiæ, vel creatæ voluntatis, ſi per ſe conſiderentur; ſed ſolùm ex parte Dei dantis illam gratiam, qui ob infinitam ſui perfectionem, non poteſt illam velle dare, abſque antecedente præſcientia conditionata, quòd ſi illa gratia daretur, haberet effectum, vnde gratia habet ſummam efficaciæ infallibilitatem; & conſequenter, vt in poſteriori ſigno non poſſit intelligi Deus velle abſolutè dare illam, niſi vt efficacem efficacia antecedente effectum abſolutè futurum, vt declaratum eſt ſupra, q. 14. art. 13. dub. 21. & in hoc ſecundo ſenſu docuerat idem Suarez ſupra cap. 4. n. 8. *Deum non voluiſſe directè, vt illa gratia, quam dat, non ſit congrua.* Vnde id bene probat ex eo, *quia hoc vel ad culpam pertinet, vel ad impedimentum ſalutis.* Deus autem neque velle poteſt culpam, neque vult impedire ſalutem, quam omnibus cupit; & ſufficientiſſimè procurat.

*Velle Deum dare gratiam incongruam, quia incongrua eſt, in aliquo ſenſu eſt verum, in aliquo falsũ.*

Suarez.

Auguſtinus.

Suarez.

---

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm prædeſtinati eligantur à Deo.*

## Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd prædeſtinati non eligantur, &c.

### SVMMA COMMENTARII.


1 *Exponitur doctrina totius articuli. n. 1. ad 4.*
2 *An ad prædeſtinationem ſit neceſſaria prædefinitio actuum liberorum. num. 4.*
3 *An prædefinitio ſit neceſſaria ad actus malos. n. 5. ad 40.*
4 *An prædefinitio ſit neceſſaria ad actus moraliter bonos. num. 40. ad 46.*
5 *An liberorum actuum prædefinitio ſit impoſſibilis. num. 46. ad 68.*
6 *An de facto detur omnium ſupernaturaliũ actuum prædefinitio. num. 68. ad 75.*
7 *An de facto detur prædefinitio bonorum actuum naturalium. num. 75. ad 88.*
8 *An prædefinitio antecedens ſaluet libertatem. n. 88. ad finem articuli.*


### COMMENTARIVS.

1. RESPONSIO affirmatiua ſufficiẽter in ſuperioribus explicata, ac probata eſt. Ratio S. Thomæ breuiter eſt, quia *prædeſtinatio ſecundùm rationem præſupponit electionem*, eſt enim prædeſtinatio, quædam prouidentiæ, ac prudentiæ *ratio in diuino intellectu exiſtens, præceptiua ordinationis*

*Declaratur articulus.*

*nationis aliquorum in finem ſalutis æternæ.* hoc eſt, eſt iudicium practicum, quo Deus iudicat danda efficaciter eſſe aliquibus hæc, vel illa efficacia media, & auxilia; quibus infallibiliter ſalutem æternam conſequantur. hic autem actus, vt patet, præſupponit ſecundùm noſtram rationem, Deum velle efficaciter gloriæ finem. *Nam*, inquit, *non præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis.* actus verò quo Deus efficaciter vult gloriam prædeſtinatis, eſt ſecundùm S. Thomam *electio, & dilectio. dilectio quidem, in quantum vult eis hoc bonum ſalutis æternæ: nam diligere, eſt velle alicui bonum; electio autem, in quantum hoc bonum aliquibus præ alijs vult, cùm quoſdam reprobet.* Quibus verbis manifeſtè indicat, dilectionem, & electionem, non eſſe duos actus ratione diſtinctos, ſed duas denominationes eiuſdem actus per ordinem ad aliquid extrinſecum, quod ſe habet omnino per accidens reſpectu illius actus, & proprij obiecti, vt rectè adnotauit Suarez 1.p.tract.2.lib.1.c.11.n.7. & habet etiam Machin. d.46. ſect.7. circa finem, quia quòd Deus bonum, quod per dilectionem aliquibus vult, ita velit aliquibus, vt non velit aliis, vnde actus denominatur electio, eſt per accidens illi dilectioni, quia ſi in mundo vnus tantùm fuiſſet homo, & fuiſſet prædeſtinatus, hic eſſet à Deo dilectus, non electus.

*Quid ſint electio, & dilectio Dei erga prædeſtinatos.*

*Quomodo diſtinguantur inter ſe.*

Suarez. Machin.

2. Et ideo dilectio dici poteſt prior electione, &, vt loquitur S. Thomas initio corporis, *electio ſecundùm rationem præſupponere dilectionem.* quia denominatio dilectionis habetur per ordinem ad obiectum intrinſecum illius actus, præciſo quocumque extrinſeco; denominatio autem electionis habetur per aliquam circumſtantiam accidentalem, & extrinſecam, qua carere poteſt actus; quia ſi non eſſent alij, præ quibus vult Deus gloriam prædeſtinatis, ſed prorſus omnes prædeſtinati fuiſſent, illa voluntas dandi gloriam, eſſet dilectio, non electio. Eiuſdem prioritatis aliam optimam rationem aſſignat S. Thomas hîc poſt medium corporis, ductam ex diuerſis modis, quibus diligunt Deus, & creatura. Etenim cùm *in nobis voluntas diligendo non cauſet bonum,* nos ad diligendum mouemur ex bono præexiſtente in eo, quem diligimus; & ideo prius eligimus quem diligamus, deinde diligimus: Deus autem ad volendum nobis bonum vitæ æternæ non mouetur ex alio præexiſtente bono in nobis, ſed ex ſua liberalitate, ac miſericordia, qua vult dare nobis illud bonum, & ideo eius dilectio eſt prior electione. Qua diſtinctione clariſſimè explicauit S. Thomas pro concluſione probata ſupra art.1.n.26. Deum, vt primò velit efficaciter gloriā prædeſtinatis, non aliis, non moueri ex præuiſis meritis, præexiſtentibus in illis.

*An dilectio ſit prior electione.*

*Diuerſo modo amant Deus, & creatura.*

3. Dices, pro eo tempore, quo aliquis prædeſtinatus, eſt in peccato, eſt adhuc verè prædeſtinatus; ergo electus: & tamen tunc non dilectus eſt, quia eſt inimicus Dei. ergo illa electio, non eſt dilectio. Reſpondet optimè Suarez ſupra n.5. quem ſequitur Machin. d.46.§. *In calce*; tunc etiam actualiter diligi prædeſtinatum, non amore collatiuo, ſed ordinatiuo: quia tunc Deus, licèt non conferat bonum gloriæ, & gratiæ finalis, tamen tunc habet voluntatem conferendi hæc bona pro alio tempore. Neque eſt eadem ratio de reprobo, qui hodie eſt in peccato, & cras erit in gratia. Nam hodie dici non poteſt ſimpliciter diligi, quamuis hodie velit Deus dare illi cras gratiam; quia hæc voluntas eſt de bono ad tempus, nec eſt de bono vltimato, & completo, ſed potius de via ad bonum: & eſt ſimul cōiuncta cum actu odij, quo Deus non vult illi dare gratiam finalem, & gloriam: à quo actu, quia terminatur ad negationē boni pro tota æternitate ſequente, & negat multo maius bonum, reprobus non ſolùm quando eſt in peccato, ſed etiam quando eſt in gratia, denominari debet potius exoſus ſimpliciter, quàm ſimpliciter dilectus. Vnde ſequitur, magis ſimpliciter diligi prædeſtinatum quando eſt in peccato, quàm reprobum quando eſt in gratia, vt cum S. Thoma probaui ſupra quæſt.20.art.4.num.6.

*Inſtantia.*

*Reſpondetur declarando quo modo diligatur prædeſtinatus quando eſt in peccato, & reprobus quādo eſt in gratia.*

## DVBITATIO I.

### *An ad diuinam prædeſtinatorum electionem neceſſaria ſit liberorum operum prædefinitio.*

#### SVMMA.

1 *Quid ſignificet prædefinitio.*
2 *Probatur pars affirmatiua. n.4.*

1 NOmine prædefinitionis omnes intelligimus efficax diuinæ voluntatis decretum, antecedens, & cauſans determinatum effectum: & ſi eſt conditionatum, antecedit, & cauſat effectum conditionatè futurum; ſi eſt abſolutum, antecedit, & cauſat effectum abſolutè futurum: vt conſtat ex dictis ſupra q.14.art.13.

*Declaratur nomen prædefinitionis.*

4. Prima concluſio ſimpliciter affirmatiua eſt omnium, quia efficaci intentioni finis correſpondere debet efficax electio mediorum, præſertim in Deo, agente efficaciſſimo, ac ſapientiſſimo, cuius voluntati nemo poteſt reſiſtere; ergo ſi Deus ante præuiſa merita, aliáque libera opera abſolutè futura, vult efficaciter, atque abſolutè dare aliquibus finē gloriæ, conſequendum per actus liberos, debet neceſſariò iſtos liberos actus prædefinire: alioqui non præintellecta huiuſmodi prædefinitione, finis intenti conſequutio remaneret omnino indeterminata in exequutione, & intrinſecè per voluntatem creatam, & extrinſecè per voluntatem diuinam, ac proinde poſſet ſimpliciter non euenire, & conſequenter irritari poſſet efficax intentionis diuinæ decretum. Hanc prædefinitionem, ſiue efficacem liberorum mediorum electionem, conſequēter, ac neceſſariò connexam cum antecedente efficaci intentione finis, ſatis clarè ſignificaſſe videtur Paulus illa gradatione ad Rom.8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* eamdem prædefinitionem expreſſit Auguſtinus illis verbis de correptione, & gratia c.14. *Deo volenti ſaluum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, vel nolle, in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinā voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* & infra, *De ipſis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit; ſine dubio habens humanorum cordium, quò placet inclinandorum, omnipotentiſſimam poteſtatē.* & in enchiridion c.98. *Quis tam impiè decipiat, vt dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non poſſe conuertere?*

*Prima cōcluſio affirmatiua.*

*Exponitur locus ad Roman.8.*

*Vis diuinæ volūtatis ex Auguſtino.*

## DVBITATIO II.

### *An prædefinitio ſit neceſſaria ad actus moraliter malos.*

#### SVMMA.

1 *Cōcluſio negatiua, eiuſq; authores, & aduerſarij.n.5.*
2 *Refertur, & impugnatur ſētētia Nazarij.n.6.ad 9.*

3 *Soluuntur*



3 *Soluuntur quædā argumenta Nauarrete.n.9.ad 14.*
4 *Contra Nauarrete defenditur Suarez docens, prædeterminationem non poſſe ſtare cum permiſſione. num.14.ad 19.*
5 *Defenditur Molina contra Nauarrete.n.19.ad 26.*
6 *Satisfit alijs obiectionibus Nauarrete. n.26.ad 33.*
7 *Opinio Gonzalez de prædeterminatione peccati, eiúſque argumenta reyciuntur. n.33.ad 40.*

5. SEcunda concluſio, non eſt neceſſaria, imò planè impoſſibilis prædefinitio ad quemcumq; actum moraliter malum. Hoc diligenter, ac fusè, tum authoritatibus, tum rationibus probaui ſupra q.14. art.13.n.136.& n.334.ad 337.& iterum ex inſtituto, à n.365. ad 385. & vt veritatem in Theologia omnino certam, & antiquiſſimam, atque grauiſſimam, valde fundatam in ſacris Scripturis, ac Patribus, & omnibus veteribus Scholaſticis, Societatis noſtræ Theologi vnanimiter amplexati ſunt, atque acerrimè defenderunt ab aduerſariis, qui cùm planè viderent, prædeterminationes tam intrinſecas, quàm extrinſecas ſtare non poſſe, niſi etiam aſſererent, Deum, voluntatem liberam ad exercendum actum bonum, vel actum malum, prædeterminare ad exercendum in particulari hîc, & nunc actum, qui ſine morali malitia, & inimicitia, atque iniuria ipſiuſmet Dei exerceri non poteſt; hanc quoque prædeterminationem, prioribus ſæculis prorſus inauditam, introducere, ac publicè tueri non dubitarunt, authore Dominico Bagnes, vt teſtatur Arrubal d.66.n.4.& nos ſupra q.14.art.13.n.111.& 350. ex illius dictis deduximus, & mox deducemus. Præſtabat ſanè, vel hac potiſſimum ratione, ne ſcilicet in huiuſmodi abſurdam aſſertionem inciderent, vniuerſas prorſus prædeterminationes abiicere, potius quàm, vt has retinerent, illam quoque complecti. Quamquam ex aduerſariis non deſunt, qui rei nouitate, & manifeſta indignitate commoti, contendunt, ſaluis reliquis prædeterminationibus, hanc ad actus malos non eſſe admittendam. Quos rectè quidē ſentire, tamen minus cohærenter philoſophari notaui loc.cit.n.365.& 382.& 430.fi. contra Gonzalez: & ipſemet Nauarr. contra Zumel bene probat ſupra q.19.art.9.controu.25.§.5. poſt 13.concl.verſ.*ſequitur.* & controu.26.§.1.verſ.*nota etiam.* Vnde Bagnes ſupra q.22.art.2.concl.2.ita habet, *Si peccatum conſideretur in quantum eſt quoddam ens, & actus quidam realis, cadit ſub diuina prouidentia, ſicut ſub diuina cauſalitate.* quod habet etiam Zumel ibid.diſp.vnic.concl.6. Sed ſecundùm ipſos diuina prouidentia ad omnia concurrit, prædeterminando omnia; ergo conuincūtur aſſerere, quòd Deus prædeterminet etiam materialem entitatem peccati. quam tamen in fine eiuſdem art.2.non obſcurè excludere videtur Caiet. & propterea Bagnes q.19. art.8. §.*ſed antequam.* ait, diſplicet quod ait Caiet. *Virtutem primæ cauſæ modificari per cauſam ſecundam.* Idque ſequitur Zumel ibidem. Sed quoniam idem apertè docet etiam S.Thomas 3.cont.gent.cap.66. n.5. ambos impugnat Nazarius ibidem, controu.1.

*Secunda concluſio negatiua.*

Bagnes. Arrubal.

*Nauarr. contra Zumel.*

*Bagnes cōtra Caiet. Nazarius contra Bagnes, & Zumel.*

6. Præterea inter nouos Thomiſtas mediam quandam ſententiam excogitauit Nazarius ſupra q.22. art.4. contr.3. qua partim nobiſcum, partim cum prædeterminatoribus cōueniret; ſed verè ab vtriſque diſcordat. Diſtinguit enim in peccato commiſſionis duplicem ſpeciem, aliam in genere moris, cuius, inquit, *conſtitutiuum intrinſecum, & formale, non eſt ſola priuatio debitæ rectitudinis, nec tantùm aliquid poſitiuum, puta, conuerſio ad obiectum, ſed vtrumque ſimul; poſitiuum quidem, vt principale, negatio verò vt quid ſecundarium;* aliam in genere naturæ, quæ manifeſta eſt omnibus. Hac diſtinctione poſita, dicit duo. Primum in 4.& 5.concl. *Deus non prædeterminat, in tempore voluntatem creatam ad ſpeciem mali moralis, & conſequenter non prædefinit ab æterno actum malum ſecundùm ſpeciem moris: ſed ad hanc voluntas creata primò ſe ipſam determinat.* Secundū in 6.concluſ. *Poſt dictam voluntatis determinationem, Deus eam determinat ad actum, ſecundùm ſpeciem eius naturalem: & eadem ratione, præuiſa dicta voluntatis determinatione ad ſpeciem actus moralem, prædefinit actum illius ſecundùm ſpeciem naturalem; quia quod Deus operatur in tempore, prædefiniuit ab æterno, ſe facturum.* Hinc contendit, omnia Suarez argumenta contra æternum Dei decretum, prædeterminans poſitiuos actus peccatorum, probare primum dictum, ſed non impugnare ſecundum.

*Sentētia Nazarij de prædeterminatione peccati.*

7. In qua ſententia, quædam ſunt falſa, quædam vera, ſed non cohærentia cum aliis dictis eiuſdem authoris, & ſociorum eius: ita vt inter ipſoſmet Thomiſtas de hoc dicendi modo dixerit Nauarrete controu.25.§.2.concl.7. aliquanto poſt princip. *Hic modus dicendi diſplicet nobis maximè, nec ipſum probabilem reputamus.* falſa ſunt primò, moralem malitiam formaliter principaliter conſiſtere in poſitiuo reali, cuiuſmodi ſine dubio eſt, *conuerſio ad obiectum*, cuius conuerſionis, inquit in 3.concl. *Deus non eſt cauſa.* quod ſatis falſum exiſtimo: hæc enim poſitiua conuerſio, quæ realiter elicitur, ſeu cauſatur à libera voluntate creata, & ad quam, vt conceditur, voluntas realiter ſe determinat, certè eſt ens aliquod poſitiuum reale, vt hoc diſtinguitur contra omne ens negatiuum, & contra omne ens poſitiuum rationis, ſiue voces illud phyſicum, ſiue morale. Huius verò generis ens de nouo in tempore realiter cauſatum à creatura, ponere omninò independens à cauſalitate Dei creatoris, & à generaliſſimo influxu primæ cauſæ, ferri non poteſt in ſana Theologia. Si enim in actu libero bono, conuerſio ad obiectum bonum, quamuis ſit moralis, ac libera, tamen quia eſt etiam poſitiua, ac realis, cauſatur ſecundùm ipſummet Nazarium à Deo, prima cauſa & phyſica, & morali, cui propterea omnes cauſæ ſecundæ tam phyſicæ, quàm morales, eſſentialiter ſubiiciuntur non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in cauſando; cur ob eamdem rationem in actu libero malo, poſitiua, ac realis conuerſio ad obiectum malum, non cauſabitur à Deo? Sed huiuſmodi falſitatem pluribus inſectari non eſt huius loci. Secundò priorem eſſe, & ideo prius à Deo præuiſam, determinationem creaturæ ad ſpeciem moris, quàm determinationem Dei ad ſpeciem naturæ: vbi manifeſtè apparet peruerſus eſſendi, & videndi ordo; cùm fundamentum eſſentialiter præſuppoſitum ad ſpeciem moris, ſit ſpecies naturæ; non autem contra, ſpecies moris præſupponatur ad ſpeciem naturæ. v.g. ambulatio, ſeu iudicium, in tali ſpecie naturali præſupponitur ad moralem bonitatem, vel malitiam ambulationis, ſeu iudicij, & non huiuſmodi bonitas, vel malitia præſupponitur ad naturam ambulationis, ſeu iudicij. Cùm igitur natura ſit quoad eſſe prior moralitate, neceſſe eſt vt prior etiam ſit quoad cognoſci, & quoad determinari. Tertiò Deum prædeterminare in tempore voluntatem liberam ad actum malum, ſecundùm ſpeciem naturæ, eumdémque actum ab æterno prædefinire. Actus malus, etiam ſi conſideretur ſecundùm ſpeciem naturæ, eſt actus liber à potentia libera per libertatem elicitus; ergo non per prædeterminationem ad vnum: quam pugnare cum libero operandi modo demonſtratum latiſſimè eſt ſupra q.14. art.13. Æterna quoque actus liberi

*Impugnatur prædicta ſententia.*

*Nauarr. contra Nazar. Formalē malitiā peccati non conſiſtere in poſitiuo.*

*Phyſicum eſſe prius morali.*

*Voluntatem nō prædeterminari ad actum malū in ſpecie naturæ.*

liberi prædefinitio vel eſt ante præſcientiam conditionatam eiuſdem actus ſub conditione futuri, & deſtruit libertatem, vt loco citato à num.385. vel eſt poſt prædictam ſcientiam, & pugnat cum infinita Dei bonitate, vt ibidem à num.365. quia ille actus ſpectatus in particulari hîc, & nunc, & cum reliquis omnibus ſuis circumſtantiis, quo modo prædefiniuntur actus à diuina voluntate, habet infallibiliter malitiam annexam. Quartò Deum quicquid facit in tempore, prædefiniuiſſe ab æterno. Hoc enim intellectum iuxta mentem Nazarij, aliorúmque aduerſariorum, de præfinitione antecedente præſcientiam conditionatam, & de præfinitione actuum liberorum, contradicit & noſtræ libertati, & bonitati Dei.

*Quædam non cohærentia in ſentẽtia Nazarij.*

8. Non cohærentia ſunt, primò eſſe aliquod ens poſitiuum reale, ad quod non prædeterminat Deus; vt relatum, & probatum eſt in primo falſo. Vbi etiam oſtendi, hoc ens debere produci à Deo. Dicunt autem, omne, quod à Deo producitur, à Deo etiam prædeterminari. Secundò, voluntatem creatam, primò ſe ipſam determinare ad actum malum, ſecundùm ſpeciem moris; ergo à cauſa indeterminata, quatenus indeterminata, prodire poteſt aliquis effectus determinatus. quod tamen Thomiſtæ hodie negant, & profitentur eſſe præcipuum fundamentum ſuarum opinionum, vt ſupra quæſt.14.art.13.num.421.& 422. Tertiò concedit Nazarius in quarto paragrapho citatæ controuerſiæ aliquanto poſt principium, *Deum ab æterno per infinitam ſcientiam ſuam naturalem, ante omnem ſuæ voluntatis determinationem, præuidiſſe quòd ſi conferat Paulo auxilium efficax ad talem rectam operationem, Paulus rectè operabitur: ſi Petro conferat auxilium tantùm ſufficiens ad fidei confeſſionem, quòd infallibiliter peccabit. Deinde præfiniuit Pauli conuerſionem, Petri verò negationem non præfiniuit.* His verbis apertiſſimè exponitur noſtra ſententia de præſcientia conditionata antecedente omne diuinæ voluntatis decretum, prædeterminans liberam voluntatem ad vnam partem, & prædefiniens vnum aliquem determinatum effectum liberum. Et tamen Nazarius cum aliis ſuis, quos citaui d.art.13.n.276. oppoſitum dixerat. Præterea ſi auxilium efficax, per Nazarium eſt prædeterminans, vt ibidem aſſerit, certè minus cohærenter ponitur, prius eſſe auxilium intrinſecè prædeterminans cauſam liberam ad actum, quàm decretum Dei extrinſecè prædeterminans eumdem actum, ad quem ordinatur auxilium, tamquam medium infallibile ad finem.

S.Thom. Nam, vt docet S.Thomas hîc, circa princip. corp. *Non præcipitur aliquid ordinandum in finẽ, niſi præexiſtente voluntate finis.* Quartò, voluntatem creatam prius determinare ſe ad ſpeciem actus moralem, Deum verò poſterius determinare voluntatem ad ſpeciem naturalem eiuſdem actus. Hæc duo dicta minimè cohærent; quia ſpecies moralis fundatur in ſpecie naturali, vt probatum eſt in ſecundo falſo; ergo in priori ſigno cum fundamento in re præconcipi debet ſpecies naturalis, in poſteriori ſpecies moralis. Ergo ſi ponitur determinatio creaturæ ad ſpeciem moralem, non poteſt cohærenter poſt hanc determinationem poni determinatio Dei ad ſpeciem naturalem. Quintò actus indiuiduus, quo quis, v.g. odio habet Deum, etiam ſpectatus ſecundùm ſuam naturalem ſpeciem, habet malitiam moralem omnino inſeparabiliter ſecum annexam; ergo qui aſſerit, Deum prædeterminare voluntatem ad prædictum actum, non poteſt conſequenter aſſerere, Deum non prædeterminare voluntatem ad peccandum, vt latè probaui quæſt.14, art.13.à num.365. vnde ſequitur, argumenta Suarez ſolui à Nazario prorſus inſufficienter; quia omnes ſolutiones fundantur in dictis propoſitionibus, quę nec veritatem, nec cohęrentiam habent.

## *Diſſoluuntur Nauarrete obiectiones.*

Nauarrete ſupra q.19. art.9. controu.25. & 26. multis contra noſtros, &, vt ſuo loco demonſtraui, contra vniuerſos Theologos, probare contendit Dei prædeterminationem, & prædefinitionem ad actus omnes malos: quæ fideliter, ac diligenter referam, & ſoluam, vt à certiſſima, clariſſimáque veritatis luce, omnis falſitatis, ac deceptionis vmbra penitus excludatur.

Arguit primò. Deus eſt cauſa entitatis peccati *immediata, prior natura, & independens. ergo prædeterminans.* Alioquin, inquit, *Deus expectaret concurſum liberi arbitrij ad peccandum: & illo poſito, concurreret velut neceſſitate quadam naturæ, & illo imaginario modo poſito à contrarijs iſtis authoribus.* Vnde ſequeretur, quòd *prius natura correſponderet in actu peccati aliquis effectus, quàm in eodem actu reluceat effectus Dei. quod,* inquit, *eſt delirium dicere.* 9.

*Prima obiectio.*

*Reſpondetur ex concurſu primæ cauſæ nõ ſequi prædeterminationẽ entitatis peccati.*

*Probatur ex S. Bonauent.*

Reſpondeo, concedo totum antecedens, ſed nego conſequentiam: nam etſi, vt optimè docet doctor Seraphicus Bonauentura 2.d.37. art.1. q.1. ad vltimum, *Deus eſt principale mouens in actione, quæ eſt ſubſtrata peccato; attamen non ſequitur ex hoc, quòd excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem; ſed ibi eſt ſola cooperatio diuinæ virtutis, non præuentio.* Si ex eo quòd Deus ſit cauſa principalis, non ſequitur, *quòd excitet,* multò minus ex eo quòd ſit cauſa immediata, quod minus eſt quàm eſſe cauſam principalem, ſequetur quòd prædeterminet, quod longè maius eſt quàm excitare: in hoc enim negotio, vbi agitur de concurſu infinitæ bonitatis, ac ſanctitatis Dei ad malos, & impias actiones, vt idem Sanctiſſimus vir grauiſſimè pronunciauit, cogitari piè, ac prudenter debet, *ſola cooperatio diuinæ virtutis, non præuentio*, quæ præſertim ſit infallibilis, & efficaciſſima prædeterminatio. Cooperatio autem cauſæ, bene cohæret cum immediatione cauſæ. Neque eadem prædeterminatio ſequitur ex eo quòd Deus ſit cauſa *prior natura, & independens,* vt ſufficienter explicatum eſt q.14.art.13.n.360.ex ipſomet Caietano. Saltem bonus Thomiſta repudiare non poteſt clariſſima verba S. Thomæ 1.2. q.80. art.1. ad 3. *Deus*, inquit, *eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana, & à diabolo,* &c. Cauſationem tribuit Deo, determinationem tribuit creaturæ liberæ, & non Deo, neque vt directè determinanti, neque vt perſuadenti. Si verò ad concurſum vniuerſalem primæ cauſæ immediatum, priorem natura, & independentem ſpectaret prædeterminare ad actum peccati, Deus etiam directè, & maximè determinaret ad illum actum, contra S.Thomam, & lib.1.cont.gent.cap.68.fin. *Dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum; non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari.* Manifeſtè igitur contra S.Thom. in generali concurſu primę cauſæ ad liberas actiones fingitur prędeterminatio ad vnum. Præterea idem expreſſiſſimè docet 1.2.q.9.art.6.ad 3. *Sine vniuerſali Dei motione, homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum.* quid clarius dici poſſit contra prædeterminatores ego non video.

*Probatur ex S.Thoma.*





*De verbo expectandi.*

*Confundi à quibuſdam Thomiſtis determinationẽ cum operatione.*

10. Ad id, quod additur in probatione cõſequentię, de expectatione, qua voce primus contra nos vſus eſt Bagnes, ſed moderatiùs, vt notaui ibid.n.149. circa fin. ſatis reſponſum in eodem numero, & aliis ſequentib. in qua etiam probatione Nauarrete liberam determinationem ad concurrendum, confundit cum ipſo concurſu. quam deceptionem omnibus aduerſariis nimium familiarem, vt non ſemel in ſuperioribus adnotare neceſſe fuit, &, quia præcipua eſt, & ideo ſępiſſimè nobis obiicitur, libenter iterum adnoto, hauſiſſe videntur à Bagnes ſupra art.3.dub.2. concl.3. §. *Secundus ſenſus*, & ſequitur Zumel ibid.diſp.2.concl.3.initio, vbi Bagnes confundens determinationem cum operatione, refert in opinione noſtra, quam tribuit etiam Ruardo Taper, & Ariminenſi, & Capreolo, *Quòd Deus non determinat voluntates hominum ad bonum, vel malum vſum; ſed actualis operatio pendet ſolùm ex libertate arbitrij, volentis ſe determinare ad bonam, vel malam operationem.* Et ſtatim hæc ſententia ab ipſo dicitur *parum conſentiens veritati Catholicæ.* Sed his verbis duo referũtur. alterum, *actualis operatio pendet ſolùm ex libertate arbitrij.* Et hæc eſt aperta hæreſis, quæ per ſummam iniuriam Arimin. Capreol. Ruard. & noſtris Theologis tribuitur. alterum, determinatio liberæ operationis, præſertim malæ, pendet ſolùm à creato arbitrio, liberè ſe determinante ad vtrumlibet, & nõ à Deo ad vnã partem prædeterminante arbitriũ ex natura ſua liberũ ad vtrumlibet: & hæc eſt noſtra, & omnium Patrũ, & veterum Scholaſticorum ſententia, vt ſuperius latiſſimè demonſtraui; quę propterea immeritò dicitur *parũ conſentiens veritati Catholicæ*; cùm, vt nobis quidẽ videtur, ſit ipſamet Catholica veritas de libertate creati arbitrij.

*Secunda obiectio.*

11. Arguit 2. Nauarrete contra noſtros Theologos rectè docentes, Deum cõcurrere ad materiale peccati per concurſum indifferentem; à Deo procedit determinata entitas, ergo per concurſum determinatum; conſequentiam, quæ falſa eſt, & habet manifeſtam inſtantiam in diuina voluntate, quæ ab ipſomet arguente dicitur *indifferens in ſeipſa*, & tamen ex duobus oppoſitis decretis liberis intelligitur facere vnum determinatum, & non aliud, probat, quia aliter *prima determinatio proueniens ab homine, non dirigeretur ad vltimum finem: non enim illam determinationem præcederet directio Dei determinata ad vltimum finem; quandoquidem præintelligeretur Deus indifferens ad iſtum, vel illum concurſum.*

*Reſpondetur, actũ ad quem homo ſe determinat, dirigi à Deo ad vltimũ finẽ.*

Reſpondeo, negando ſequelam. Nam actus liber determinatus, v.g. malus, quamuis ad illum ſe determinet homo, non prædeterminet Deus, tamen quia ad illum concurrit etiam immediatè Deus, & quidem principalius, vt ſupra diximus, facillimè, ſi volumus, intelligere poſſumus, illum à Deo dirigi ad vltimum finem, pro ea ſcilicet materiali parte, ſecundùm quam actus ille bonus eſt, & ad vltimum finem dirigibilis. Huiuſmodi igitur directio à Deo abſolutè facta, præcedit, & præintelligitur, non in primo illo ſigno, in quo præintelligitur concurſus ille vt indifferens ex parte Dei, & in actu primo; ſed in ſecundo ſigno in quo poſt præuiſam determinationem creaturę liberæ, idem concurſus concipitur vt determinatus. Tunc enim primò illa materialis entitas peccati habet, eſſe abſolutè futuram; ergo tunc, & non prius, poteſt vt abſolutè futura dirigi ad vltimum finem, omnis enim alia prior directio, vnde omnino antecedenter ad determinationem creaturæ, habeat illa materialis entitas peccati, vt ſit futura, manifeſtè contradicit & libertati createę, & increatæ bonitati.

12. Arguit 3. *Si noſtrum liberum arbitrium determinaret concurſum diuinum media illa actione mala, determinaret quidem quatenus poſitiuè inciperet conari ad talem actionem; in illo autem primo conatu ſubordinatur liberum arbitrium concurſui Dei, ergo impoſſibile eſt, quòd per eumdem conatum determinetur iſte concurſus.* Maiorem, quæ ſimpliciter falſa eſt, non aliter probat, niſi quia *conceditur à contrarijs, dicentibus, quòd cùm Deus ſe habet indifferenter modo explicato, expectat conatum liberi arbitrij, ad concurrendum cum ipſo.*

*Tertia obiectio.*

*Reſpondetur cum S.Thom. explicando modum, quo nos determinamus concurſum Dei.*

Reſpondeo, nos, cùm dicimus, liberũ arbitrium determinare concurſum diuinum, intelligimus in eo vero ſenſu, in quo dixit S.Thomas 3.cont.gent. c.66.n.5. *Secunda agentia ſunt quaſi particulantes, & determinantes actionem primi agentis.* quia nimirum, applicando hoc dictum ad propoſitum ſecundi agentis liberi, ratio cur Deus, paratus cum cauſa libera concurrere ad duo oppoſita, concurrat ad hoc, non ad illud, eſt quia cauſa ſecunda libera, non propter aliam rationem antecedentem ad libertatem, ſed ſolùm propter libertatẽ, & quia eſt libera, vult agere hoc, & non illud. Quare magna imaginatio eſt, radix omnium abſurdorum, quæ contra nos in vanum iactantur, dicere in maiore ex noſtra ſententia, determinari concurſum Dei media aliqua noſtra actione, & medio aliquo conatu, quem nos ipſi ex nobis incipiamus exhibere, & deinde adueniat influxus primæ cauſæ. Ex cauſa ſecunda libera nihil omnino reale procedit, quod non ſit immediatè, & principaliùs à prima cauſa. Solùm veriſſimè aſſerimus ad defenſionem humanę libertatis, cauſam ſecundam liberè operari hoc, non quia prima cauſa illam prædeterminauit antecedente aliquo decreto, ac præmotione, vt operaretur hoc, non aliud; ſed ſolùm quia ſe ipſa immediatè applicatur ad operandum hoc, potens completè, ac liberè operari aliud; & ſolùm hac ratione determinare cauſam primam, quantum erat ex ſe, paratam ad operandum aliud, vt operetur hoc, & non aliud. quod intelligere voluit præclariſſimus Thomiſta Sotus de quo ſupra q.14.art.13. n.292. dum dixit, *ordo iſte à nobis inchoat*, & ridiculè fingitur accidere, per aliam diſtinctam actionem, & conatum; ſed fit per ipſam præciſam actionem liberam, in quantum ratio cur ſit hæc, & non alia oppoſita, quæ eſſe poterat, eſt libertas cauſæ ſecundæ, non prædeterminatio cauſæ primæ. Quamobrem maiorem illam falſiſſimam, quam à noſtris ait concedi, in nullo noſtrorum Theologorum libro legit Nauarrete, ſed ingenio ſuo confictam primus ipſe ſcripſit in libris ſuis, nobíſque attribuit, vt ſuas prædeterminationes ſuauiùs introduceret.

*Probatur ex Soto.*

Arguit 4. *Eſſe omnium rerum, eſt proprius effectus Dei, procedens ab ipſo Deo in genere phyſico, ſed in actu peccati ante malitiam inuenitur eſſe commune cum alijs rebus bonis, quod quidem non poteſt eſſe primarius effectus liberi arbitrij, ergo præcedit vt effectus Dei, antequam conſideretur vt effectus liberi arbitrij.* 13.

*Quarta obiectio.*

*Reſpondetur, argumentum non eſſe in forma.*

Reſpondeo, conceſſa maiore, & minore intellecta de *ante* per ſolam antecedentiam, & prioritatem naturæ, iuxta dicta ſupra n.6. & 7. contra Nazarium, qui vt eamdem opinionem defenderet, contrarium principium aſſumpſerat, nego conſequentiam, quia argumentum manifeſtè non eſt in forma. Totum enim conſequens loquitur de diuini concurſus præcedentia, & antecedentia, de qua ne verbum quidem in præmiſſis.

## *Defenditur Suarez contra Nauarrete.*

Arguit quintò contra Suarez veriſſimè docentem, eſſe omnino incompoſſibilia iſta duo, Deum independenter prorſus à creata voluntate, eam 14.

*Quinta obiectio contra Suarez dicẽ-*

*ſum, peccati actum, ſi prædeterminatur, non poſſe permitti.*

prædeterminare ad entitatem peccati materialem, cum qua, vt proueniente à voluntate taliter prædeterminata, non poteſt non eſſe annexa formalis malitia: &, Deum permittere huiuſmodi malitiam. Ad eum fermè modum, quo quis, applicans ignem ad calefaciendum aquam frigidam, diceretur permittere, & non cauſare priuationem frigiditatis in illa aqua. Enimuerò vel ex ipſiſmet terminis, modò rectè percipiantur, manifeſtiſſimum eſt, formalem malitiam, inſeparabiliter connexam cum materiali peccati entitate cauſata hîc, & nunc, non permitti tantùm, ſed in omni rigore cauſari à Deo, non ſolùm cauſante ſimpliciter illam entitatem, ſed cauſante prędeterminando voluntatem vt cauſet illam entitatem, & non cauſet aliam: ita vt voluntas poſita ſub tali prædeterminatione Dei, non poſſit non cauſare illam entitatem, quam ſimpliciter ſine tali prædeterminatione cauſare non poteſt.

*Impugnatur primò.*

Hoc autem Nauarrete impugnat primò, quia Suarez *condemnat ſententiam de prædeterminatione materialis peccati, vt abſurdam, & diuinæ bonitati contrariam, repugnantémque diffinitioni Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum traditioni: in qua cenſura exceſſit ex ignorantia principiorum non ſolùm Theologiæ, verùm etiam Philoſophiæ, & Metaphyſicæ, vt conſtat ex rationibus ſupra poſitis.*

*Reſpondetur cenſuram à Suarez latã contra prædeterminationẽ entitatis peccati, aliorum etiam eſſe.*
*Cenſuræ Aureoli, Ariminẽſis, & aliorum contra idem.*

Reſpondeo, in hac cenſura Suarez non eſſe ſolum, vt retulimus ſupra q.14.art.13.n.136. &, vt omittam cenſuras Cardinalis Bellarmini, Molinæ, aliorúmque noſtræ Societatis Theologorum, quorum iudicio Nauarrete fortaſſe non ſtaret: & vt ego nullam meam cenſuram interponam; idem tamen dictum damnarunt, Ariminenſis vt *blaſphemum*; Marſilius vt *malè ſonans*; Zumel vt *non ſanæ doctrinæ conſonum, quod damnat Concilium Tridentinum, & maximè execrantur Sancti, Auguſtinus, Damaſcenus, Fulgentius, Thomas*; Alphonſus Mendoza vt *impium, & ſtultum*; Machin vt *falſiſſimum*. Demum Aureolus, vt refero cit.art.13.n.143. cùm probaſſet, Deum non poſſe in determinatione ſuæ voluntatis cognoſcere actum peccati futurum; id adeo certum exiſtimauit, vt ſtatim ſic grauiſſimè concluſerit, tamquam aliquid ad fidem pertinens, *ſic ergo demonſtratiuè concluditur cuilibet fideli, quòd Deus non nouit futura omnia per cognitionem nutuum ſuæ voluntatis, & determinationis ipſius.* Quo igitur ſpiritu Nauarrete grauiſſimam, certiſſimámque omnium Theologorum, (ſi paucos noſtri temporis aduerſarios excipias) veritatem, ſolius Suarez, cuius præclariſſima ſcientia toto iam terrarum orbe coruſcat, ignorantiam vocauerit, alij iudicent. Quænam autem ſint iſta principia à Nauarrete ſupra poſita, & à Suarez ignorata, patet ex eius obiectionibus, de quibus ſupra à num.9. vbi omnia ad duo reuocantur. Primum, quod Deus entitatis peccati eſt cauſa immediata, & prior natura. Secundum, quòd Deus hanc entitatem, ad quam ita concurrit, dirigit ad vltimum finem. Hæc principia ignorari à Suarez, dici non poteſt, niſi ab eo, qui Suarez ipſum ignorat. Tota igitur Suarez ignorantia, quam illi aduerſarius exprobrat, fuit, quia ex his principiis non deduxit diuinam prædeterminationem ad vnum in voluntate libera, indifferente ad vtrumlibet. Hoc verò non eſt ignorare principia, ſed eſt principiis male intellectis non peſſundare liberum arbitrium. Et, vt interim de aliis ſuperius dictis taceam, iuuat repetere quod illuſtriſſimus Thomiſta

*Notandũ Caietani dictum de prioritate cõcurſus primæ cauſæ.*

Caietanus docuit ſupra q.19.art.8. ad 2. Scoti, & poſteriores eius ſectatores ſequi deberent, quòd ſi ex concurſu generali Dei, priori ſecundùm naturam, deducatur duplex primæ cauſæ concurſus, alter prior in cauſam, alter poſterior in effectum, *puerilis hic eſt ſenſus.*

15\. *Impugnatur ſecundò.*

Impugnat ſecundò, quia non ſolus Deus producit illam entitatem peccati, tunc enim, *qui vult antecedens, etiam vult conſequens, quod intrinſecè conſequitur ex antecedente*; ſed concurrit ſimul cum creatura. Sed creatura concurrit vt cauſa deficiens, non Deus. ergo deformitas, conſequens entitatem, cauſatur à creatura, permittitur tantùm à Deo.

*Reſpondetur explicando, quis ſit excuſandus, quis accuſandus, quando duo cõcurrunt ad actũ malum.*

Reſponſum abundè eſt ſupra q.14.art.13.n.383. & 384. nunc addo, non poſſe excuſari Deum, ex eo quòd non concurrat ſolus, ſed ſimul cum creatura; ſicut non poteſt excuſari creatura, ex eo quòd non concurrat ſola, ſed ſimul cum Deo. Vt igitur in caſu, quo duo concurrunt ad aliquem actum malum, prudenter iudicetur, quis eorum veniat excuſandus, quis accuſandus, regula vniuerſalis eſt, & naturali lumine nota, vt excuſandus ſit is, qui ita concurrit, vt per ipſum non ſtet, quin concurrat ad actum oppoſitum bonum; ſed ideo concurrit ad actum malum, quia concurrit cum alio, cuius concurſum non poteſt vitare, & quo concurſu poſito non poteſt non concurrere ad actum malum, nec poteſt concurrere ad actum bonum oppoſitum. Accuſandus verò ſit is, per quem ſtat vt alius non concurrat ad actum bonum, imò qui eſt præuia, & efficax cauſa, vt alius ſimul cum ipſo non poſſit non concurrere ad actum malum, & non poſſit concurrere ad actum bonum: ſi enim ita res habet, debet profectò hic ſecundus, & non primus, cenſeri cauſa deficiens; contra verò, primus, & non ſecundus, cenſeri debet cauſa ſimpliciter efficiens. Ex ſententia autem Nauarrete, rationem primi concurrentis habet homo, non Deus, rationem ſecundi concurrentis habet Deus, non homo. ergo ex ſententia Nauarrete, eſt accuſandus Deus, & excuſandus homo. Maiorem, & prædictam regulam nemo prudens, ac iuſtus iudex negare poteſt. Conſequentia eſt euidenter in forma. Minorem ipſimet aduerſarij affirmant; &, vt reliquos prætercam, ipſemet Nauarrete ait, vt refero cit. art.13.n.144. & 111.fin. & 147.fin. & 155.

*Notãtur falſæ quædam propoſitiones Nauarrete.*

*Non poſſe liberum arbitrium exercere actiones, quibus peccat, quantum ad totam entitatem, quam habent, niſi prædeterminatum à Deo.* Item alibi. *Cauſa ſecunda in quocumque influxu reali, & phyſico, neceſſariò debet operari cum ſubordinatione ad cauſam primam in eodem genere; ita quòd ſi fuerit influxus phyſicus, etiam phyſicè ſubordinetur prædeterminationi phyſicæ.* Præterea *euidenti demonſtratione*, vt ipſe dicit, ita argumentatur. *Omnis entitas per participationem, reducitur ad ens per eſſentiam, tamquam ad primam, & vniuerſalem cauſam. Ergo omnis entitas, quæ eſt in actu peccati, etiam reducitur ad ens per eſſentiam, & conſequenter ad talem entitatem producendam non habet aliquam virtutem ſecunda cauſa, niſi prædeterminetur à prima.* Hinc Doctor iſte non dubitauit dicere, quod piis, ac doctis auribus non ſatis bene ſonat, & haud ſcio, an in alio eiuſdem opinionis authore ita expreſsè ſcriptum reperiatur, *Impoſſibile eſt, quòd homo adimpleat mandata, niſi pro illo inſtanti, quo currit præceptũ de adimpletione, accipiat à Deo prædeterminationem.* quam cùm omnes accipiant, alioquin ſi omnes eſſent prædeterminati ad ſeruandum præceptum, nemo peccaret, manifeſtè ſequitur, quòd dum homo non implet mandatum, & peccat, impoſſibile ſit vt impleat mandatum, & conſequenter, vt peccet. Et tamen Trident. ſeſſ.6. c.11. & can.18. damnat dicentes, *Dei præcepta homini ad obſeruãdum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Sequitur Nauarrete

*Trident.*



definiens permiſſionem eſſe, *denegationem auxilij neceſſarij ad actualem impletionem mandatorum.* Addítque, quòd *vt homo poſſit continere ſe à peccato, eſt omnino neceſſaria talis determinatio, & concurſus pro omni ſtatu.* Hinc quoque Doctor iſte hoc tempore, quo libertatem tollendam ab homine, & in ſolum Deum reuocandam eſſe conſpirant hęretici, de ea ita coactus eſt ſcribere, *in determinatione diuina inſpicitur tota libertas, quam voluntas poteſt habere ad operandum.* Hæc ſcilicet ſunt illa principia, quæ Nauarrete ſcit, & rectè dixit ignorari à Suarez; & verè quiuis alius, qui de diuinis rebus bene philoſophetur, ignoret neceſſe eſt. Ex quibus minor euidenter probata relinquitur. Maneat igitur veriſſimè pronunciaſſe Suarez opuſc.1.lib.2.cap.2.n.21. poſita opinione de prædeterminatione materialis peccati, ſequi quòd *permiſſio re vera erit titulus ſine re*, contra quod dictum has impugnationes ſcribit Nauarrete.

*Suarez.*

16\. *Impugnatur tertiò.*

Impugnat tertiò, *In ſententia Suarez, Deus concurrit ad materiale peccati, velut neceſſitate quadam naturæ, ſuppoſito quòd homo concurrit ad eumdem actum. Ergo producit totam entitatem actus: & tamen permiſſiuè ſe habet reſpectu priuationis ſubſequutæ, ex eo quòd illa priuatio conſequitur ex vi ſolius cauſæ deficientis. Sed concurſus diuinus eſt eiuſdem prorſus rationis, ſiue comitetur concurſum hominis, ſiue antecedat; & inſpicit in actu eamdem rationem formalem. Ergo ſicut permiſſiuè ſe habet Deus reſpectu illius priuationis, quando concurrit concomitanter, ita quando concurrit antecedenter.*

*Reſpondetur explicando ſententiam Suarez.*

Reſpondeo, malè referri ſententiam noſtri Suarez. Primò illa naturæ neceſſitas fingitur ab arguente, vt fusè notaui contra Gonzalez cit.art.13. num.499. Secundò fingitur etiam illa ſuppoſitio, *quòd homo concurrit.* Suppoſitio, quam ponit Suarez, eſt, *quòd homo determinat ſe ad concurrendum*, vt ibidem contra eumdem Gonzalez, & alios aduerſarios animaduertit. Tertiò, confusè dicitur, ideo Suarez aſſerere, priuationem, ſeu malitiam permitti à Deo, quia illa *priuatio conſequitur ex vi ſolius cauſæ deficientis.* Hoc quidem rectè docet Suarez, ſed præterea addendum ex illo eſt, quod maximè facit ad punctum præſentis controuerſię, ideo cauſam eſſe deficientem, quia ſe determinat ad materiale peccati. Quapropter ſi prædeterminat Deus, & conſequenter, non ſe determinat creatura ex propria libertate, euidenter ſequitur, cauſam deficientem eſſe Deum, non creaturam. His declaratis,

*Differẽtia inter antecedẽtem, & cõcomitãtem Dei cõcurſum ad actũ peccati.*

nego minorem ſubſumptam. Et differentia manifeſta eſt, quia in ſententia contraria de concurſu antecedente, interuenit duplex Dei concurſus, alter prior in cauſam liberam prędeterminans illam; alter poſterior in ipſummet effectum cauſæ liberę, ad quem etiam cum ipſa voluntate, & cum illa qualitate, ſeu præuia motione, phyſicè prædeterminante, quę etiam eſt quædam cauſa creata ſecunda, ac proinde dependens quoque eſſentialiter in operari à generali concurſu primæ cauſæ, prima cauſa immediatè concurrat neceſſe eſt. In noſtra verò ſententia de concurſu concomitante, non interuenit niſi vnus concurſus in effectum, ad quem ſe determinat cauſa libera. Ex qua differentia oritur, falsò dici, quòd concurſus Dei, etiam ſi conſideretur vt immediatè eſt in actum, non in cauſam actus, *inſpicit in actu eamdem rationem formalem*; quia in prima ſententia reſpicit actum ſub ratione formali prædeterminati, ac neceſſarij; in ſecunda verò ſententia ſub alia oppoſita ratione formali indeterminati, ac liberi.

17\. *Impugnatur quartò.*

Impugnat quartò, Deus præciſè conſideratus vt immediatè influens in actum, *permiſſiuè ſe habet reſpectu malitiæ.* ergo etiam vt immediatè influens in potentiam liberam, prædeterminans illam. Probat conſequentiam; *nam entitas, qua Deus prædeterminat cauſam ſecundam ad operandum, eſt eiuſdem rationis cum ipſa actuali operatione; ſi ergo concurſus ad actualem operationem non eſt malus, nec ex illo ſequitur priuatio; nec etiam concurſus prædeterminatiuus liberi arbitrij ad illud materiale peccati erit malus, nec ex illo conſequetur priuatio.* Confirmat, quia *priuatio potius ſequitur ex vi actus, quàm ex vi prædeterminationis ad actũ:* ſi enim actus non eſſet in ſe malus, prædeterminatio ad actum non imputaretur ad culpam. Sed actus malus non imputatur Deo præciſè propter influxum actus, quem influxum nos etiam, & omnes Catholici Deo concedimus; ergo multò minus propter influxum prædeterminationis.

*Reſpondetur declarando quid requiratur vt aliquid permittatur.*

Reſpondeo, antecedens in rigore eſſe falſum; quia, vniuerſaliter loquendo, permiſſiuè ſe habere reſpectu alterius, eſt propriè nulla ratione adiuuare alterum in ea re, ex qua neceſſariò ſequitur id, quod permittere dicitur; ſed ſinere, vt quod ipſe poſſet impedire, ſequatur ex altero. v.g. Princeps iuſtè permittit vt mulier aliqua ſit meretrix, quia poſſet impedire, tamen non facit aliquid, vnde neceſſariò ſequatur quòd illa ſit meretrix: tunc enim Princeps non ſe haberet permiſſiuè, ſed cauſaliter. Deus igitur conſideratus præciſè, vt immediatè influens in actum, non poteſt dici propriè, permittere malitiam, niſi etiam conſideretur vt non faciens aliquid vnde neceſſariò ſequatur malitia, & præterea vt potens impedire, & non impediens id vnde neceſſariò ſequitur malitia. Vnde ſub illa præciſa conſideratione Deus præſcindit à permittere, vel non permittere: ſi enim influit in actum, ſequens liberam potentiæ determinationem, quam poteſt impedire, ſed non vult impedire, permittit; ſi verò influit in actum, prędeterminando ad vnum potentiam liberam ad vtrumlibet, non permittit, ſed cauſat. Solùm recipi poteſt antecedens, ſi illud, *permiſſiuè ſe habere*, diminutè ſumatur pro non peccare, ſeu non imputari ad culpam: quia verè in omnium ſententia Deus concurrit immediatè ad actum, quo nos peccamus, & tamen ipſe non peccat. Tunc verò nego conſequentiam: & ad probationem, nego antecedens, ſaltem iſta prædeterminatio, ſiue vocetur qualitas permanens, ſiue motio tranſiens, eſt aliqua forma, in ſe formaliter neque libera, neque vitalis, ſed antecedens quoddã principium actus vitalis, prædeterminans liberam, & vitalem potentiam ad illum actum producendum. Ex hac autem diuerſa ratione, quicquid ſit de aliqua alia ratione, oritur, vt Deus nõ ſolùm influens in actum, ſed etiam prædeterminans potentiam vt influat in actũ, non ſe habeat permiſſiuè, ſed etiam cauſaliter reſpectu formalitatis priuatiuæ peccati.

*Prædeterminationem diſtingui ab actu prædeterminato.*

*Deus, ſi prædeterminat ad actũ peccati, cauſat malitiam.*

Sic enim Deus verè, ac manifeſtiſſimè nihil permitteret. Nam cùm quis actu peccat, nihil aliud fecit niſi & producere actum, & determinare ſe ad actum: ergo malitia ſequi debet vel ex productione, vel ex determinatione, vel ex vtraque. Sed per aduerſarios Deus non ſolùm concurrit ad actum, ad quem etiã concurrit creatura, ſed etiam maximè concurrit ad determinationem, prædeterminando potentiam ad illam, quam prædeterminationem facit ſolus Deus, & creatura paſſiuè tãtùm recipit; ergo malitiam non permittit, ſed maximè cauſat.

*Vnde ſequatur priuatio rectitudinis.*

Ad confirmationem, nego, priuationem ſequi ex vi actus, nam ad actum concurrit Deus, cui priuatio non tribuitur; ſed dico, ſequi ex vi determinationis ad actum, poſito quòd actus ſit ex obiecto malus: & ideo ſi Deus concurrit, etiam prædetermi

terminando ad actum, ad concurſum Dei, vel ſolùm, vel ſaltem præcipuè ſequitur priuatio; ac proinde reſpectu illius Deus nō ſe habebit permiſſiuè.

18. *Impugnatur quintò.*

Impugnat quintò, *manifeſtiùs*, vt ipſe ait, *voluntas ſolùm concurrit vt ſubordinata Deo reſpectu actus, ſed in deficiendo ſubtrahit ſe à concurſu diuino.* ergo reſpectu huius deficientiæ Deus non ſe habet productiuè, ſed merè permiſſiuè.

*Reſpondetur explicando modum, quo voluntas cōcurrēs ſubordinetur Deo, & ſubtrahatur ab eius influxu.*

Reſpondeo, mirum valde eſt, à Doctore, qui ſingulis penè verbis inculcat, Deum prædeterminare voluntatem, ſumi in antecedente, voluntatem ſubordinari Deo reſpectu actus tantùm: cùm cohærenter teneatur aſſumere, quod frequentiſſimè ſcribit, voluntatem ſubordinari Deo non ſolùm reſpectu actus, reſpectu cuius concurrit cum voluntate, ſed etiam maximè reſpectu determinationis ad actum, quam determinationem facit quidem Deus in voluntate, prædeterminando illam, non tamen cum voluntate, quæ in hac ſententia non ſe antecedenter determinat, ſed prædeterminatur à ſolo Deo. Altera quoque antecedentis pars, quòd ſcilicet voluntas *in deficiendo ſubtrahit ſe à concurſu diuino*, vera eſt in ſententia Suarez docentis ad actum malum concurrere Deum in actu primo per duplicem concurſum; voluntatem verò per liberam ſuam determinationem velle vti concurſu ad actum malum, & non alio concurſu ad actum bonum parato, quantum eſt ex parte Dei, qui illum præbuiſſet, & non oppoſitum, ſi ad illum voluntas ſe determinare voluiſſet; non eſt autē vera in ſententia Nauarrete de concurſu Dei per ęternum decretum prædeterminans, & per temporalem qualitatem prædeterminantem ad actum, cui eſt malitia annexa inſeparabiliter. Enimuerò ſi omnis Dei concurſus eſt abſolutus, & efficax, quem propterea non poteſt non ſequi creatura, & eſt determinatus ad vnam tantùm partem, v.g. ad actum malum, & non ad actum bonum, fit planè inintelligibile, quòd voluntas in deficiendo ſubtrahit ſe à concurſu diuino. Quæro, cùm voluntas deficit, à quo Dei concurſu ſe ſubtrahat? Non à concurſu immediato ad actum, quia voluntas illum concurſum de facto ſequitur, producendo actum, non à concurſu prędeterminatiuo voluntatis, quia per illam etiam de facto voluntas prædeterminatur ad producendum actum; non à concurſu ad oppoſitum actum bonum parato, & oblato, quia hic concurſus manifeſtè cōtradicit prędeterminationibus ad vnum, & ideo à prædeterminatoribus negatur: non à concurſu immediatè tendente ad deficientiam ipſam, quia ad hanc & impiè poneretur concurſus diuinus, & ne concurſus quidem ſimpliciter poni poteſt, cùm ſit priuatio quædam ſubſequens, ſeu reſultans ex aliquo concurſu. Non denique ab alio diuino concurſu, quoniam alium concurſum, præter numeratos, nemo hactenus in Deo commentus eſt; igitur Nauarrete non ex ſua, ſed ex noſtra ſententia, in quam, ob veritatis euidentiam, vel inuitus aliquando incurrit, aſſerere potuit in antecedente, quòd voluntas in deficiendo ſubtrahit ſe à concurſu diuino. Vnde ſequitur conſequentiam in noſtra ſententia poſſe concedi, in ſua verò ſententia debere quidem, tamen non poſſe rectè concedi.

## *Defenditur Molina contra Nauarrete.*

19. *Sexta obiectio contra Molinam. Arguit 1.*

Arguit ſextò, contra Molinam, idem omnino ſentientem cum Suarez de concurſu Dei ad materiale peccati: illum Nauarrete in paragrapho ſuo ſexto impugnat primò. *Si voluntas ſuo concurſu poſitiuo determinaret concurſum Dei, tunc concurſus talis eſſet magis limitatus, quàm concurſus voluntatis.* Si dicas cum Molina, quod veriſſimum eſt, id non ſequi, quia concurſus Dei eſt paratus ad vtramque oppoſitionis partem, & indifferens ad illam, ad quam libera voluntas ſe determinauerit; concurſus verò poſitiuus, & actualis voluntatis, eſt ad vnam determinatam partem; ac proinde ille eſt vniuerſalior, & minus limitatus, extendens ſe ad plura, quàm hic; *Hoc*, inquit Nauarrete, *nihil eſt. Nam vniuerſalitas concurſus diuini dicit perfectionem correſpondentem obiecto vniuerſaliſſimo, quod Deus reſpicit: in quo reſpectu includitur poſitiuus concurſus, primò determinans alios concurſus; non verò indifferentia determinabilitatis, quæ imperfectionem dicit. Nam in illa indifferentia non denotatur aliquid poſitiuum, ſed negatiuum, ſcilicet illa non determinatio. Vnde ſequitur, quòd extra Deum nihil prorſus præintelligatur ante concurſum voluntatis; quia illa indifferentia eſt negatiuum quid, non fundatum in poſitiuo aliquo, quod procedat à Deo.* Ex his obſcuris, & falſis dictis, ſtatim inferre promptè audet, quod quidem non crederem, niſi ego ipſe legiſſem, *Vide ergo quomodo in opinione iſtorum dicendum eſt, quòd entitas producta in peccato à voluntate, habet pro prima cauſa actualiter influente ipſam voluntatem; & quòd ſi Deus concurrit ad eamdem entitatem, concurrit vt cauſa ſecunda, & determinata voluntate.* Præterea contra nos ita addit Nauarrete, *Notetur etiam contradictio in dictis horum authorum. Nam ex vna parte Molina, & alij ponunt, quòd mala opera ſunt abuſus liberi arbitrij, quibus malè vtitur concurſu diuino. Ex altera parte dicunt, quòd concurſus voluntatis determinat indifferentiam Dei ad bonum, & ad malum actum. Si enim non præſupponitur concurſus poſitiuus Dei, ſed indifferens, quomodo voluntas abutitur illo?*

20. *Reſpondetur declarando veram ſentētiam de concurſu Dei ad actus liberos. In quo cōſtat vniuerſalitas diuini concurſus.*

Reſpondeo, hanc loquendi confidentiam, manifeſtè procedere ex defectu intelligentiæ opinionis noſtræ de concurſu Dei. Igitur concedo, vniuerſalitatem concurſus diuini dicere perfectionem; nego autem, illam conſiſtere in concurſu prædeterminante alios concurſus, ſed in concurſu accommodato diuerſiſſimis naturis, ac virtutibus omnium cauſarum ſecundarum. Et in caſu noſtro, de concurſu cum cauſis ſecundis liberis ad liberos earum actus, conſiſtere in decreto indeterminato, & indifferente concurrendi ad plures partes oppoſitas, & non ad vnam particularem, ac determinatam partem. Nego etiam, illam indifferentiam determinabilitatis, quam nos ponimus in iſto Dei concurſu, dicere imperfectionem, ſed maximam perfectionem, neceſſariò conuenientem concurſui primæ cauſæ cum cauſis ſecundis liberis liberè operantibus.

*Quid ſit determinabilitas diuini cōcurſus.*

Neque enim eſt determinabilitas in genere cauſæ materialis, per receptionem alicuius determinationis in ipſomet Deo; ſed ſolùm in genere cauſæ efficientis, nimirum ex duobus paratis concurſibus effectiuis, præbendo vnum determinatum ad connaturalem exigentiam cauſæ ſecundæ liberæ, quæ ſe voluit liberè determinare ad illum determinatum concurſum.

*Quid ſit indifferētia cōcurſus diuini.*

Quando igitur in oppoſitum dicitur, *In illa indifferentia non denotatur aliquid poſitiuum, ſed negatiuum, ſcilicet illa non determinatio*, notanda eſt arguentis imaginatio, vnde ſolùm proceſſerunt abſurda grauiſſima, quæ deinde ex noſtra opinione deduci, ad libitum ſuum ſibi finxit. Intellexit enim in concurſu indifferente, atque indeterminato, quem nos Deo tribuimus, nihil eſſe aliud, niſi meram negationem concurſus determinati. Quem quidem ſenſum ex nullo noſtro Theologo, ſed ex ingenio ſuo haurire potuit.



Concurſus indeterminatus apud nos, non dicitur per negationem poſitiui concurſus, ac proinde per negationem omnis concurſus, qui ſenſus eſt apertè contradictorius, ac ridiculus, nimirum, Deum concurrere abſque vllo concurſu; ſed per additionem poſitiui, quia ſcilicet, concurſus à Deo paratus, & oblatus cauſæ liberæ, non eſt vnus concurſus determinatus ad vnum, ſed multiplex concurſus ad plura, nulli determinatæ parti tantùm affixus, quia nimirum cauſa ſecunda libera, cui proportionatum concurſum offerre debet cauſa prima, vt ait S. Thomas ſupra quæſt. 14. ar. 13. *ſe habet ad oppoſita*, & non ad vnum determinatum, vt hodie dicunt noui Thomiſtæ. *S.Thom.* Itaque cum nobis tribuitur, *quòd extra Deum nihil prorſus præintelligatur ante concurſum voluntatis, quia illa indifferentia eſt negatiuum non fundatum in poſitiuo, quod ſit à Deo*, mirum in modum æquiuocatur. Arguitur de concurſu diuino *extra Deum*, & vocatur *indifferens*, imò mera negatio. Omnis concurſus extra Deum, ſine vllo dubio eſt determinatus, quia eſt ens aliquod reale in rebus exiſtens, ſingulare, ac certum. Indifferentia, quam noſtri Theologi in diuino concurſu eſſe docent, perperam concipitur in iſto concurſu in actu ſecundo extra Deū, ſed concipienda eſt in alio cauſatiuo, & antecedente concurſu in actu primo intra Deum parato per liberum ſuum decretum ab æterno.

*Quid ſit cōcurſus extra quid intra Deum.*

Ergo loquendo de concurſu diuino extra Deum, dico illum non eſſe aliquid in voluntate ante concurſum voluntatis, hoc enim eſt dogma aduerſariorum: tamen neque eſſe aliquid indifferens, neque negatiuum, ſed determinatum, & poſitiuum. Loquendo autem intra Deum, dico eſſe quidem indifferens, & indeterminatum, tamen poſitiuum, imò habere plus poſitiui, quàm ſi eſſet concurſus vnus determinatus, quia æquiualet duobus concurſibus poſitiuis determinatis. Ex his manifeſtum eſt, non ex noſtra opinione, ſed ex falſa arguentis imaginatione deduci, quod in concurſu ad materiale peccati, homo ſit cauſa prima, Deus cauſa ſecunda.

*Quo modo creatura peccans abutatur Dei concurſu.*

Inde etiam procedit contradictio, quam arguens in Molina, & aliis noſtris authoribus notari petit. Præſupponitur quidam poſitiuus Dei concurſus in actu primo paratus ad bonum, & malum, & hoc abutitur voluntas peccans, cùm per liberam ſuam determinationem teneatur vti illo concurſu ad bonum, & tamen ex mera ſua libertate vult vti ad malum, ac proinde abuti. Extra Deum verò in actu ſecundo nullus eſt præuius, ac prædeterminatiuus Dei concurſus ad materialem peccati entitatem, hoc enim concurſu non abuteretur homo, ſed ſimpliciter illum ſequeretur, quem non poteſt non ſequi; ſed eſt ſolùm ipſemet concurſus Dei concomitans, determinatus per concurſum, ſeu potius per liberam determinationem arbitri; qui concurſus, quatenus liberè determinatus à creatura, eſt ipſemet abuſus diuini concurſus antecedenter parati ad oppoſitam partem bonam.

21. *Arguit ſecūdò.*

Impugnat ſecundò, dicens, *detegamus fallaciam huius concurſus indifferentis, & quid intendant contrarij ponentes illum*, de quibus iſte bonus author ita teſtatur. *Solùm ſtatuunt, Deum concurrere cum libero arbitrio, quatenus conſeruat ipſum in ſuo eſſe. Et conſequenter dicunt, Deum indifferenter offerre ſuum concurſum, quatenus liberum arbitrium, quod in eſſe conſeruat, indifferens eſt. Itaque concurſus Dei indifferens, quem iſti ponunt, ſi rectè perpendatur eorum ſententia, nihil poſitiuum denotat ad extra, præter conſeruationem rerum in ſuis naturis.* & alia multa addit in eamdem ſententiam.

*Reſpondetur infideliter referri ſententiam, quæ impugnatur.*

Reſpondeo, parcendum benignè eſſe huius hominis ingenio, qui videtur huiuſmodi commenta ſomniaſſe potius, quàm legiſſe in aliquo Societatis noſtræ libro. Quamobrem, benigne lector, cùm huius authoris opera legis, in quibus nihil aliud ferè præſtat, niſi & noſtros Theologos contumeliis, & opiniones noſtras cenſuris perſequi, excuſa illum, quia non in noſtris veris ſententiis, ſed in ſuis falſis apprehenſionibus paſſus eſt ſcandalum. Primò apprehendendo in noſtra ſententia, Deum indifferenter concurrere cum operationibus liberi arbitrij, nulla alia ratione niſi conſeruando eſſe indifferens liberi arbitrij. Omnes indubitanter fatemur, concurrere etiam immediatè, & poſitiuè cooperando, nō prædeterminando. Secundò diuinū concurſum cooperatiuum non eſſe quid poſitiuum, ac diſtinctum à concurſu conſeruatiuo in eſſe. Neque opus eſt plura addere, quia huiuſmodi errores ſunt adeo euidentes, vt illico promant falſitatem referentis potius, quàm illuſtrium Theologorum, quibus imponuntur.

22. *Arguit tertiò.*

Impugnat tertiò Molinam, & Suarez, dicentes, *Materiale peccati non eſſe intentum à Deo abſolutè: imò quòd vellet Deus tale materiale non eſſe.* Hoc, inquit Nauarrete, *diſplicet nobis maximè. Fingitur enim Deus æquè ſi ſub quodam genere compulſionis concurreret ad materiale peccati.* Deinde refert Suarez dicentem, *Deum offerre ſuum generalem concurſum, ſolùm propter neceſſitatem.* Contra quod dictum ita loquitur. *Qui modus dicendi eſt nouus, & inauditus in Eccleſia, & vt talis fugiendus. quis enim adhuc auſus eſt dicere, quòd propter neceſſitatem Deus offerat ſuum concurſum? quæ eſt iſta neceſſitas?* Confirmat, quia, *chimericum eſt in actionibus diuinis ad extra, quæ procedunt à voluntate Dei, ponere voluntarium admiſtum inuoluntario; taliter quòd verificetur, Deum non plenè voluntariè agere.*

*Reſpondetur declarādo cōcurſum Dei ad actū peccati.*

Reſpondeo, non debet arguenti tantopere diſplicere, quod tamquam omnino certum ex Scriptura, & Sanctis docent reliqui omnes Theologi. Cùm Deus concurrit hîc, & nunc entitatem, cui inſeparabiliter annexa eſt moralis malitia, duo eſſe debent certa in bona Theologia. Alterum, Deum in tempore abſolutè concurrere ad entitatem, ac proinde ab æterno voluiſſe abſolutè concurrere. Et in hoc omnes conuenimus. In eo tantùm diſcrepamus, an in tempore concurrat abſolutè, & ab æterno concurrere abſolutè voluerit determinatus à libertate creaturæ, vt veriſſimè docent Molina, & Suarez, & ante ipſos, omnes Patres, & Scholaſtici, vt demonſtraui ſupra q. 14. artic. 13. à num. 366. an contra, prædeterminans ad vnum creaturam liberam ad vtrumlibet, vt noſtro tempore nouiſſimè quidam commenti ſunt. Alterum, vnde euidenter ſequitur prima pars propoſitæ quęſtionis, quæ noſtra eſt, & ſecunda contraria reiicitur, Deum inefficaciter, & conditionatè velle non concurrere, & non eſſe in rebus entitatem illam moraliter malam, nimirum per ſimplicem quamdam complacentiam, quæ, inquit S. Thomas ſupra quæſt. 19. art. 6. ad 1. fin. *magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas.* quod latè ibi declaraui, & probaui. Et apertiſſimè, ni multum fallor, expreſſit Arauſicanum can. 23. ita definiens, *ſuam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet.* Verba ipſa, & alia, quæ ad idem probandum attuli ſupra quæſt. 14. art. 13. num. 374. demonſtrant, loqui Concilium de materiali peccati. Et tamen docet, cùm id fit, non fieri voluntatem Dei; imò diſplicere Deo. Si diſplicet, & tamen concurrit, ergo ita concurrit,

*Vellet Deus non eſſe actū peccati.* *S.Thom.* *Arauſican.*

vt quantum ſimpliciter eſt ex ſe, vellet non concurrere. Eccleſiaſtici 15. dicitur, *Ne feceris, quæ Deus odit.* Quod prohibet Deus ne faciamus, eſt ipſum opus malum, quod propriè fit, non ipſa præcisè malitia, quam nemo propriè facit, & per ſe intendit. Illud igitur odit Deus, ergo vult non eſſe, & ad illud non concurrere, quantum eſt ex ſe. Et de ipſa excelſorum ædificatione, ad quam proculdubio Deus abſolutè concurrit, dicitur Hierem. 19. *Ædificauerunt excelſa, quæ nec aſcenderunt in cor meum.* ergo ſaltem conditionatè voluit non eſſe ædificationem illam: alioquin ſi omninò abſolutè illam voluit, in nullo planè ſenſu intelligi poteſt illud, *nec aſcenderunt in cor meum.*

*Exponitur locus Eccleſ. 15.*

*Exponitur locus Hierem. 19.*

23\. *Deum liberè cõcurrere ad materiale peccati.*

His præmiſſis, ad argumentum Nauarrete dico, illud, quòd *Deus ſub quodam genere compulſionis concurrat ad materiale peccati*, non fingi à nobis, ſed fingi ab arguente de nobis. Ipſemet Deus ab æterno, nemine prorſus compellente, liberrimè condidit hoc decretum, vellem non concurrere, v.g. cum Petro ad negationem Chriſti, ſed potius ad confeſſionem; ſed ſi Petrus pro innata ſua libertate abſolutè ſe determinauerit ad negationem Chriſti, volo ad illam abſolutè concurrere: quod decretum, poſt præuiſam liberam Petri determinationem negandi Chriſtum, abſolutè futuram, ſtatim de conditionato tranſit in abſolutum. Vbi nulla planè compulſio apparet, niſi fingatur, ſed ſolùm verè eſt neceſſaria quædam impletio liberi decreti diuini. quod autem neceſſarium ſit impleri libera Dei decreta, quis catholicus negare audeat?

*Suarez malè referri à Nauarrete.*

Quare ad id, quod additur contra Suarez, dico dicto primo eius dictum, vel falsò, vel diminutè referri, citantur enim verba ex opuſc. 1. lib. 2. cap. 2. num. 9. vbi ita habetur, & optimè, *Deus non adhibet ſpeciale auxilium, vt fiant mala; ſed ſolùm, propter neceſſarium, & generale munus (vt ſic dicam) primæ cauſæ, ſuum offert vniuerſalem concurſum, & libero arbitrio permittit illo vti.* & ſtatim explicat, talem neceſſitatem non oriri ex aliqua Dei indigentia, atque imperfectione, ſed ſolius creaturæ, dicens, *ſolùm præbet Deus ad actum peccati illum concurſum, qui neceſſarius eſt ex vi ſubiectionis cauſæ ſecundæ ad primam.* Nauarrete verò refert à Suarez dici, *Deum offerre generalem ſuum concurſum, ſolùm propter neceſſitatem.* Qua diminuta loquendi forma, & falsò intellexit, & parum fideliter de Suarez retulit, hanc neceſſitatem eſſe ipſius Dei, contra expreſſam mentem Suarez. Quare nõ de modo dicendi Suarez, ſed de ſuo dixit, *eſt nouus, & inauditus in Eccleſia, & vt talis fugiendus.* Profectò nimis frequens eſt in iſto authore, vt ex ſuperioribus conſtat, aliorum errores ſibi fingere, quos deinde impugnet, & damnet. Et ideo cùm de ſententiis noſtrorum Theologorum, contra quos totus eſt, agitur, illum quiuis meritò poterit habere ſuſpectum.

*Concurſus Dei ad actũ peccati eſt voluntarius ſimpliciter, inuolũtarius ſecũdũ quid.*

Ad confirmationem, patet ex dictis, in ſenſu explicato concurſum Dei ad peccati entitatem, eſſe vna ratione voluntarium ſimpliciter, & alia ratione inuoluntarium ſecundùm quid. Quare ſi illud, *Deum non plenè voluntariè agere*, dicitur propter inuoluntarium ſecundùm quid, nego eſſe *chimericum*, ſed veritatem valde certam in ſana Theologia. Si verò dicitur, ex eo quòd negetur voluntarium ſimpliciter, & aliquo modo abſolutum, concedo eſſe falſum.

24\. *Arguit quartò.*

Impugnat quartò, quia *voluntas, qua Deus producit aliquid ad extra, eſt voluntas complacentiæ.* Idque ſine vlla neceſſitate multis probare nititur, quia nos non negamus, voluntatem illam eſſe complacentiam ſimpliciter, imò etiam fatemur, eſſe complacentiam abſolutam, & determinatam: duo autem addimus, quæ erant impugnanda. Alterum, iſtam complacentiam de entitate materiali peccati, non eſſe determinatam ex ſe, neque prædeterminantem liberum arbitrium, ſed determinatam ex libera determinatione cauſæ ſecundæ liberæ. Alterum, præter iſtam complacentiam productiuam, eſſe in voluntate diuina diſtinguendum alium actum diſplicentiæ de eadem entitate, in quantum ad eam liberè ſe determinauit creatura, potens, ac debens eadem libertate determinare ſe ad aliam oppoſitam entitatem bonam; ſub qua ratione illa entitas induit rationem moralis malitiæ, & ab Arauſicano ſupra dicitur, *Deo diſplicere:* & in Scriptura locis ſupra citatis, à Deo odio haberi, & in cor Dei non aſcendere. Quæ omnia verificari non poſſunt præcisè de ipſa formali malitia, quia hanc ne creatura quidem directè vult, & per ſe intendit: ſed verificari debent de eo, ad quod reſultat malitia, quod qui directè vult, conuincitur indirectè, ac virtualiter velle malitiam, & peccare. In peccato autem commiſſionis, præter malitiam, & priuationem, nihil prorſus ſupereſt, ad quod reſultare queat malitia, niſi vel realis entitas actus, & concurſus realis ad illam, vel determinatio ad talem entitatem, & concurſum. Non reſultat ad primum, quia in omni opinione totum illud eſt etiam à Deo, & multò principalius quàm à creatura; & tamen creatura peccat, & non Deus. Ergo reſultat ad ſecundum. Sed ſi Deus omnino independenter à libero conſenſu creaturæ, illam prædeterminat ad materialem entitatem peccati, illa determinatio vel eſt à ſolo Deo, vt probaui ſupra quæſt. 14. art. 13. num. 157. vel ſaltem multò magis eſt à Deo, quàm à creatura. ergo malitia vel reſultat ex Deo ſolo, vel multò magis ex Deo, quàm ex creatura. Et reſpondere cum Nauarrete, aliiſque ſimilibus, quòd defectus malitiæ reſultat ex creatura, non ex Deo, quia creatura, & non Deus, eſt cauſa deficiens, ſiue, vt loquitur Nauarrete, *quia Deus non producit totam entitatem, & totam moralitatem inuentam in actu, tamen producit efficienter, & non deficienter*; eſt manifeſta petitio principij: quia inquirentes cur peccati defectus ſit à creatura, non à Deo, nihil aliud verè inquirunt, niſi rationem ob quam cauſa deficiens, & peccans, ſit creatura, & non Deus; igitur petenti, cur malitia, ſeu defectus peccati, ſit à creatura, non à Deo, ſi reſpondeas, quia cauſa deficiens eſt creatura, non Deus, planè reſpondes id, quod petitur; ergo vt liberetur Deus à concurſu ad peccatum, & intelligi verè poſſit, habere odium, ac diſplicentiam peccati, vt loquuntur ſacræ litteræ, eſt euidenter neceſſarium, liberare illum ab antecedente concurſu prædeterminatiuo.

*Actus peccati ſub qua ratione Deo diſpliceat.*

*Vnde reſultet peccati malitia.*

*Reijcitur reſponſio Nauarrete.*

Impugnat quartò, *Vtatur*, inquit, *iſta ratione, non dico doctus Theologus, ſed nouitius ſummuliſta contra iſtum modum concurrendi cauſæ vniuerſalis, vt intentum à contrarijs. Cauſa illa operatur de nouo, non ſolùm conſeruando arbitrium, verùm etiam de nouo producendo effectum; ergo talis effectus eſt vniuerſalior, quàm effectus procedens à libero arbitrio: ergo non ſupponit effectum liberi arbitrij, ſed antecedit ipſum, ergo ſemel conceſſo, vt concedunt iſti, & neceſſariò concedendum eſt, Deum concurrere de nouo ad entitatem actus peccati, tanquam cauſam vniuerſalem, implicatorium eſt adijcere, quòd concurrat præſupponendo concurſum cauſæ particularis.* 25.

*Arguit quartò.*

Reſpondeo rectè dictum eſſe hoc argumentum non docti Theologi, ſed nouitij ſummuliſtæ. *Enimverò* vanè laborat in probando contra nos, quod nullus vnquam noſtrorum Theologorum, imò nullus vnquam catholicus aſſeruit, nempe, quod concurſus cauſæ ſecundæ præſupponatur ad concurſum cauſæ primæ. Radix deceptionis non ſemel in ſuperioribus eſt demonſtrata: non diſtinguit Nauarrete inter concurſum, & liberam determinationem ad concurſum; nimirum, quia cùm omnem concurſum, etiam quem liberum vocamus, eſſe velit à cauſis prædeterminatis ad illum, nullum concurſum verè liberum videtur agnoſcere, quia teſte S. Thoma ſupra art. 1. ad 1. *Damaſcenus nominat prædeterminationem, impoſitionem neceſſitatis: ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad vnum.* Nemo eſt qui non ſciat, modò ſciat quid ſit libertas, omnes cauſas ſecundas, tam liberas, quàm neceſſarias, concurrere, & efficere: ſolas autem cauſas ſecundas liberas, ad concurrendum, & efficiendum ſe determinare; ergo qui *determinare* accipiunt pro *concurrere*, vt perpetuò faciunt aduerſarij noſtri in huiuſmodi controuerſiis, præcipuè Nauarrete, mirum in modum confundunt terminos; & conſequenter omnem ſuam diſputationem, quæ potiſſimum huiuſmodi confuſione nititur, efficiunt planè nullam, & dum nos vexare ſe putant, in propriis figmentis inſectandis operam, & oleum perdunt. Igitur concurſus Dei in cauſis liberis non præſupponit concurſum, ſed liberam determinationem ad concurſum; quæ ſcilicet non eſt concurſus, ſed ipſamet libertas, quæ dum concurrit ad vnum, completè potens concurrere ad vtrumlibet ex duobus, ac proinde per ipſam tantùm ſtat quo minus velit ad aliud concurrere, eſt præſuppoſita, ſeu prior quædam ratio, ob quam determinatur Deus vt concurrat ad vnum, non ad aliud, paratus quantum eſt ex ſe, concurrere ad aliud, ſi ad aliud cauſa libera vellet concurrere, non quidem per aliquem volitionis actum, ſed per ſuammet intrinſecam libertatem.

*Reſpondetur, concurſum cauſæ ſecundæ non præſupponi ad concurſum cauſæ primæ.*

*Diſtingui debent concurſus, & libera determinatio ad concurſum.*

*Quid ſit libera determinatio.*

Hac deceptione breuiter detecta, ad argumentum in forma, concedo antecedens, ſed nego conſequentiam, & conſequens. Si contra nos agit non doctus Theologus, ſed ſummuliſta, ab ipſo quæro, in qua bona ſummula fundetur iſta conſequentia, *cauſa de nouo producit hanc effectum, ergo hic effectus eſt vniuerſalior effectu producto ab alia cauſa.* Quam connexionem habeat nouitas productionis cum vniuerſalitate effectus, vt hæc ex illa in bona conſequentia deduci poſſit, bonus ſummuliſta docere debuerat. Præterea hoc conſequens, *talis effectus productus à cauſa prima eſt vniuerſalior, quàm effectus productus à libero arbitrio*, videtur apertè falſum; quia talis effectus, eſt ſingularis quidam effectus, qui in ſana, & communiſſima ſententia, idem prorſus eſt totus à cauſa prima, & totus pariter à cauſa ſecũda; ergo productus à cauſa prima, non eſt magis vniuerſalis, quàm productus à cauſa ſecunda, imò ne ſimpliciter quidem vniuerſalis: ille effectus, vt productus à cauſa prima, rectè dicitur productus à cauſa vniuerſaliore, & vniuerſaliſſima: ſed in ſeipſo neque vniuerſalior, neque ſimpliciter vniuerſalis dici rectè poteſt.

*An effectus cauſæ primæ ſit vniuerſalior effectu cauſæ ſecundæ.*

## *Occurritur alijs Nauarrete obiectionibus.*

26\. *Septima obiectio.*

Arguit ſeptimò in controuerſ. 26. concl. 1. multis authoritatibus Scripturæ, vbi dicitur Deus aliquid facere, quod peccatum eſt, ſeu impellere homines ad eas actiones, quæ ſine peccato exerceri ab illis non poterant.

*Reſpondetur declarando Scripturas.*

Reſpondeo, has eaſdem authoritates eſſe illas, quas paſſim congerunt hæretici ad probandum, omnium peccatorum authorem eſſe Deum. Et ideo ſuperuacaneum eſſe duxi in iis referendis, & exponendis immorari. breuiter dico eſſe intelligendas de diuina voluntate permiſſiua tantùm, vt fusè, atque eruditè interpretantur Cardinalis Bellarminus tomo 4. lib. 2. de amiſſione gratiæ, c. 11. ad 17. Suarez opuſc. 1. lib. 2. cap. 3. Valentia 1. p. quæſt. 19. puncto 3. à §. *Neque verò*, & multi alij recentiores, quibus nihil habeo quod addam. Certè ſenſus, quem interdum aduerſarij, de diuina voluntate omninò antecedenter prædeterminante liberum arbitrium vt liberè faciat hîc, & nunc id, quod ſine peccati deformitate fieri eſt impoſſibile, maximè fauet hæreticis, qui errorem ſuum de Deo, peccati authore, certò, atque euidenter demonſtrari exiſtimant, ſi Deus non ſolùm cauſet totum id, quod cauſat voluntas dum peccat, ſed etiam abſolutè, atque efficaciter prædeterminat voluntatem ad hoc ipſum cauſandum. Neque aliis argumentis contra catholicos agunt, niſi his ductis ex efficacibus, & antecedentibus Dei decretis, & prædeterminationibus de materiali actione peccati, quibus voluntas non poteſt non obedire, & formaliter peccare, vt legi poteſt apud Bellarminum loco citato, vbi hæc argumenta ex inſtituto refert.

Bellarm.

Suarez.
Valent.

Arguit octauò in concluſ. 2. *Actio libera, quæ in tempore exercetur, prius conſideratur vt libera eſt, quàm vt deficiens eſt. ergo pro illo priori debet reduci ad principium omnis libertatis, & ad primum agens liberum, ſed tale agens eſt Deus ſua prædefinitione decernens liberè eamdem actionem. ergo Deus abſolutè, & independenter à quocumque deficientia, prædiffinit illam actionem, vt actio eſt libera. Certè*, inquit, *totus diſcurſus eſt euidens.* 27.

*Octaua obiectio.*

Reſpondeo, mihi euidentem eſſe diſcurſus falſitatem. Concedo enim antecedens, & primam conſequentiam. Sed nego minorem ſubſumptam, de quá ſufficienter dixi ſupra q. 14. art. 13. num. 111. fin. & num. 147. fin. & num. 162. ad 169. & ſæpe aliàs oſtendi, omnem Dei prædeterminationem, eſſe prorſus contradicentem modo concurrendi primæ cauſæ cum cauſis ſecundis liberis.

*Reſpondetur negando minorem.*

Arguit nonò, poſt tertiam concluſionem contra Zumel benè docentem, Deum concurrere ad materiale peccati, ſed non prædeterminare, aut præmouere cauſam ad illud. *Deus*, inquit Nauarrete, *prædiffinit entitatem illam, in quantum accipit eſſe: ſed accipit eſſe à cauſa ſecunda, ergo euidens eſt, quòd prædiffiniat illam, in quantum procedit à cauſa ſecunda; & conſequenter, prædefinit ipſam cauſam ſecundam, vt tribuentem illud eſſe.* Vbi Nauarrete in ſuum Zumel grauiter inuehitur, & ne amicis quidem parcit, dicens, *Meritò reprehendendus eſt noſter Zumel, qui ſui oblitus, vtitur argumentis Suarez*, &c. Quam diſſenſionem inter ipſoſmet qui prædeterminationes admittũt, aduertere, prudentis eſt viri; illa namque non leue eſſe poteſt argumentum abſurdæ ſententiæ: nam vt refero quæſt. 14. articul. 13. num. 111. & 365. Bagnes, primus prædeterminationum inuentor, hanc prædeterminationem ad actus peccatorum, quamuis ex ſuis principiis euidenter deduci videret, nunquam tamen auſus eſt expreſsè concedere. Zumel earumdem prædeterminationum, eorumdémque principiorum fideliſſimus ſectator, non ſolùm expreſsè negauit, ſed etiam cenſuram addidit, & quidem multò grauiorem illa, quam tulit Suarez, leuius tamen à Nauarrete acceptam, vt ſupra num. 14. tamquam à comprædeterminatore. Præterea Verdu, Gonzalez, Machin, quibus etiam diuina decreta prædeterminantia, & aliæ 28.

*Nona obiectio.*

*Notanda diſſenſio inter Nauarrete, & Zumel, & alios aduerſarios.*

aliæ extrinſecæ prædeterminationes cordi fuere, eamdem abominati ſunt, vt *falſiſſimam*, quo modo eam ipſemet Machin modeſtè vocat. Nimirum religione, ac pietate præſtantes viri maluerunt haberi minus boni Philoſophi, negando quòd ex aliis eorum opinionibus deduci videbatur, quàm minus pij Theologi, concedendo quòd cum infinita Dei bonitate, ſanctis Scripturis, ac Patribus nimis apertè pugnare videbant.

*Reſpondetur, malè confundi concurſum Dei cum prædefinitione.*

Reſpondeo igitur pro Zumel, Nauarrete in antecedente confundere terminos, accipit enim *prædefinire*, pro *concurrere*. Zumel vult, illam entitatem cauſari à Deo, non prædefiniri. quare falſum eſt antecedens vt proponitur de prædefinitione: verum autem de cauſatione, & concurſu ſimpliciter. Vnde non ſequitur quòd Deus prædefiniat, & prædeterminet cauſam liberam, ſed ſolùm quòd ex indigentia illius concurrat ad illam partem, ad quam liberè ſe determinat, non prædeterminando, aut præmouendo illam ad actum peccati, ſed ſolùm cooperando cum illa.

*Decima obiectio.*

29. Arguit 10. *Implicat in eorum opinione, quòd Deus prædefiniat entitatem peccati in particulari, ſi manet indifferens ad concurrendum cum voluntate ad actum peccati, & expectans determinationem voluntatis.*

*Reſpondetur, cum prædefinitione actus liberi ſemper eſſe neceſſariũ aliud Dei decretum indifferens.*

Reſpondeo, tranſeat totum, loquendo propriè de præfinitione ad actum peccati, quam nos negamus. Si verò loquamur primò de præfinitione in genere, dico illam non implicare cum alio decreto indifferente ſimul in eadem Dei voluntate, vt de facto contingere putamus in actibus bonis prædefinitis. Hi enim etſi prædefiniti ſint cum omnibus particularibus circumſtantiis, tamen quia fiunt liberè à voluntate potente facere oppoſitum, petunt eſſentialiter ex parte cauſæ primæ decretum paratum concurrendi etiam ad oppoſitum, ac proinde decretum indifferens. Quod quidem non contradicit alteri decreto prædefinienti, quia iſta decreta non ſunt de eadem omnino re: decretum enim prædefiniens actum charitatis, v. g. eſt cauſa abſoluta vt ille actus ſimpliciter, & omnino fiat; decretum verò indifferens eſt cauſa conditionata vt idem actus fiat liberè, nimirum ſub conditione, ſi ad illum liberè ſe determinauerit creatura. Quare hoc tenet ſe ex parte potentiæ potius quàm ex parte actus, cùm vi huius habeat cauſa libera poſſe operari vtrumlibet ex duobus oppoſitis: illud verò contra, tenet ſe potius ex parte actus, quàm ex parte potentiæ, cùm illius vi habeat cauſa libera eſſe operaturam vnum determinatè. Si loquamur ſecundò largè de præfinitione ſumpta pro æterna Dei voluntate concurrendi ad vnum determinatum effectum, qui ſit peccatum commiſſionis in particulari, dico, cum hac voluntate indifferentiam decreti non ſolùm non implicare, ſed eſſe omnino neceſſariam ad ſaluandam libertatem, & ad rectè ſentiendum de diuina bonitate.

*Declaratur indifferentia diuini decreti.*

Neque enim iſta indifferentia dicitur per reſpectum ad actum in communi, ſed per reſpectum ad duos particulares actus ſub omnibus ſingularibus circumſtantiis acceptos, ad quos indifferenter ſe habet diuinus concurſus cum cauſa ſecunda libera, neutrum ſcilicet prædeterminans, ſed paratus cooperando adiuuare illam cauſam, ad quem libet ipſa ſe determinauerit. v.g. cum Petro poſito in omnibus particularibus circumſtantiis, in quibus negauit Chriſtum, paratus erat concurrere non ſolùm ad ſingularem illum actum negationis, ad quem de facto concurrit, & concurrere voluit, ſed etiam ad alium ſingularem actum oppoſitum confeſſionis Chriſti, ad quem Petrus liberè noluit ſe determinare.

*Vndecima obiectio.*

Arguit 11. in ſexta concluſione. Voluntas, qua Deus ab æterno decreuit, ac definiuit concurrere ad materialem peccati entitatem, quam voluntatem Nauarrete prædefinitionem minus propriè vocare videtur, quia eam nos etiam concedimus qui illam entitatem prædefiniri negamus, *eſt determinata ad bonum, & primò, & per ſe ordinatur ad gloriam Dei, ergo eſt impoſſibile vt ſit determinabilis, & determinetur per actum malum.* 30.

*Reſpondetur declarando modum, quo Deus concurrat ad actum peccati, & illum ad ſe ordinet.*

Reſpondeo, diſtinguo antecedens; ſi illa voluntas eſt ex ſe determinata ad illam entitatem, & prædeterminans cauſam ſecundam, vt ponitur ab arguente, nego ordinari ad bonum, & gloriam Dei, quia ſub ea ratione tendit ad illam entitatem formaliter vt ſubiectum moralis malitiæ, quæ directè, & per ſe reſultat ex illa entitate, vt ſtat ſub libera determinatione agentis liberi: ſub qua ratione entitas illa non eſt ordinabilis ad Deum, ſed contradicit eius infinitæ ſanctitati.

*Defenditur Salas à Gonzalez.*

Et in hoc ſenſu verè dixit noſter Salas 1. 2. quæſt. 9. artic. 6. diſp. 3. ſect. 2. ad 4. *Nec materiale peccati, cui ſemper, vel hîc, & nunc, & neceſſariò eſt annexa malitia, cauſari ſimpliciter à Deo, ſed ſecundum quid.* quam ſententiam qui intelligit, non poteſt dicere cum Gonzalez diſp. 59. num. 10. *eſſe omnino relegandam*, præſertim cum ipſemet num. 13. bene dicat, *Deus non ſolùm non poteſt eſſe cauſa deformitatis, verùm etiam neque actionis, aut entitatis, in quantum ſubeſt deformitati.* Si verò eſt determinata ex libera cauſæ ſecundæ determinatione, quam Deus non faciat, ſed ſequatur, concedo, illam eſſe determinatam ad bonum, & primò, & per ſe ordinari ad gloriam Dei: quia illa entitas, vt præſcindit à libera agentis determinatione, non eſt ſubiectum malitiæ, & nullo modo eſt moraliter mala. Conſequentia præterea peccat primò, quia nos non de hac voluntate iam determinata ad actum malum, ſed de alia voluntate indifferente ad actum malum, vel ad actum bonum, dicimus quòd *ſit determinabilis, & determinetur*; determinari enim eſt rei, non determinatæ, ſed indifferentis. Secundò, quia neque dicimus, decretum diuinum indifferens ad quodlibet creaturæ, *determinari per actum malum*; quaſi verò prius ſit actus malus à creatura, & deinde determinetur Deus ad concurrendum ad illum actum, vt perpetuò, ſed falsò refert arguens de noſtra ſententia: ſed determinari per liberam creaturæ determinationem, quæ formaliter nullus eſt actus, ſed quædam veluti applicatio ad determinatum actum, facta per libertatem, ſe ipſa immediatè, & per nullum aliud antecedens, eligentem elicere actum malum; cùm per eamdem, nullo alio ſuperaddito, potuiſſet immediatè elicere oppoſitum actum bonum.

*Duodecima obiectio.*

Arguit 12. in ſeptima concluſione, *Malitia peccati ſuperuenit entitati illi iam conſtitutæ in eſſe completo, tam ſpecifico, quàm indiuiduali: ergo nulla prorſus datur dependentia à tali malitia in entitate ſecundùm ſe: ergo quando præfinitur à Deo, non includitur ibi aliqua dependentia talis; quia res præfiniuntur à Deo conformiter ad naturam ipſarum, quæ communicatur ex vi præfinitionis.* 31.

*Reſpondetur, malitiæ ſubiectũ eſſe entitatem, non ſecundum ſe, ſed liberè determinatam.*

Reſpondeo, antecedens indigere maiori declaratione, ne confundamur, malitiæ ſubiectum non eſt tantùm illa entitas ſpecifica, & indiuidualis *ſecundùm ſe*, ſed debet addi, *vt facta cum libera determinatione.* Vnde fit, vt primum conſequens verum ſit, ſed non ad rem; quia nolumus malitiam ſuperuenire entitati *ſecundùm ſe*, ſed vt factæ cum libera determinatione; quo modo vel ſolùm, vel



vel præcipuè fit à Deo, ſi Deus, vt dicunt, ad illam entitatem in particulari prædeterminat liberum arbitrium. in tali igitur entitate, vt liberè determinata, ſiue electa, datur dependentia à malitia in genere cauſæ materialis, in quantum entitas ſub illa ratione eſt immediatum, ac proximum ſubiectum, cui non poteſt non ſuperuenire moralis malitia. Quapropter ſecunda conſequentia eſt abſolutè neganda, cuius probatio non vrget, quia natura actus circa obiectum diſſonum rectæ rationi, eſt, vt ſi ab agente libero liberè determinetur, & eligatur, petat eſſentialiter ſubiectare moralem malitiam.

*Decimatertia obiectio.*

32. Arguit 13. in eadem concluſione, & ſatis prolixè multa dicit, ex quibus tandem conficit hanc rationem, quam vocat *omnino indiſſolubilem ad probandam prædeterminationem entitatis peccati, prouenientem à Deo per ordinem*, inquit, *ad iſtam entitatem producendam, voluntas ſe ſubijcit concurſui actuali Dei, ergo vel ſe ſubijcit, antequam actualiter deficiat; vel poſtquam deficit; nam in ipſa actuali deficientia certum eſt quòd non ſe ſubijcit. ſecundum eſt ridiculum. Si primum, ergo pro illo priori Deus prædeterminat ipſam ad entitatem peccati.* quæ deinde peccat, non propter prædeterminationem, ſed quia, inquit, *talis concurſus Dei recipitur deficienter in voluntate, quæ malè vtitur præmotione diuina.*

*Reſpondetur, creaturam ſubijcere ſe cõcurſui Dei, quando actu peccat.*

Reſpondeo, conceſſo antecedente, ad quæſitum dico, quòd creatura peccans, ſubiicit ſe actuali concurſui diuino; non poſtquam deficit, neque antequam deficiat, quia in illo priori eſt ſubiecta Deo parato concurrere actualiter ad vtramque partem per decretum indifferens, non tamen actualiter concurrenti ad vnam determinatam partem: ſed ſolùm ſe ſubiicit *in ipſa actuali deficientia*, hoc eſt, dum actualiter ſe determinat, & concurrit ad actum deficienté à regula rectæ rationis. & contrarium ab arguente gratis dicitur *eſſe certum*. Cùm enim de creatura, quæ peccando deficit, quæritur, quando ſe ſubiiciat actuali concurſui Dei, an ante, vel poſt deficientiam, vel in ipſa deficientia? non debet deficientia ſumi præcisè pro ipſa priuatione, in qua nunc cum ipſomet Nauarrete ſupponimus conſiſtere moralem malitiam; quia reſpectu huius, ad quam nullo modo concurrit Deus, nullo modo ſubiicitur creatura concurſui Dei: ſed ſumi debet concretè pro ipſa operatione deficiente, reſpectu cuius non ſe habet actualis concurſus primæ cauſæ antecedenter prædeterminando cauſam ſecundam liberam, ſed tantùm concomitanter cum illa cooperando, propter eſſentialem indigentiam, quam talis cooperationis habet cauſa ſecunda. Itaque tota indiſſolubilitas huius rationis fundatur tandem in concurſu primæ cauſæ, prædeterminatiuo cauſæ ſecundæ liberæ, in ſuperioribus ſatis ſuperque diſſoluto. Quod verò in fine additur de hoc concurſu, recepto deficienter in voluntate, & de voluntate illo malè vtente, eſt re vera prorſus inintelligibile:

*Malè dici à Nauarrete, cõcurſum Dei recipi deficienter.*

quid enim quæsò eſt, recipere deficienter? Vel enim eſt primò recipere concurſum, qui in ſeipſo deficiens ſit, at eſt concurſus diuinus, in quo præcisè nullus moralis defectus eſſe poteſt. Vel ſecundò non integrè recipere concurſum, at totum adæquatè recipit voluntas, quam producit Deus. Vel tertiò voluntatem peccare recipiendo illum concurſum, at voluntas illum recipit à Deo, & non per aliquem ſuum liberum conſenſum, ſine quo nemo peccando deficit. Vel quartò concurſus Dei prædeterminatiuus voluntatis, dicitur recipi deficienter in voluntate, quia recipitur in voluntate, quæ deinde deficit, & peccat, ex eo quòd malè vtatur tali concurſu. At concurſu eſſentialiter determinato ad entitatem actus mali implicat vti ad oppoſitam entitatem actus boni: imò voluntatem taliter prædeterminatam, independenter à libertate ſua, implicat non operari actum malum, & non peccare: neque poteſt bene operari voluntas niſi recipiendo contrariam prædeterminationem, quam non poteſt ex ſe habere, & Deus non vult illi dare; quæ omnia docet Nauarrete. Et quis igitur capere prudenter poteſt, voluntatem iſtam deficere peccando, & abuti concurſu Dei? Fingat ſibi aduerſarius bonum vſum huius concurſus prædeterminatiui voluntatis ad materialem peccati actum, quis nam ille erit? Quòd ſi ne fingi quidem poteſt, omnino fingitur, & duntaxat voce dicitur, voluntatem malè vti illo concurſu. Hæc profectò eſt indiſſolubilis demonſtratio. Voluntas taliter prædeterminata, quia taliter prædeterminata eſt, & ex vi talis prædeterminationis, non poteſt non operari deficienter. ergo quòd deinde operetur deficienter, & peccet, vel ſolùm, vel principaliter oritur ex Deo, illam taliter prædeterminante. Conſequentia eſt euidens. Antecedens eſt, vel eſſe debet Nauarrete, & aliorum, dicentium duo, & concurſum prædeterminatiuum pertinere ad eſſentiam generalis concurſus primæ cauſæ, quo eſſentialiter indiget omnis cauſa ſecunda vt poſſit operari; & talem concurſum eſſe prædeterminatiuum ad vnam tantùm partem, nempe materialem peccati, ſub quo concurſu poſita voluntas prædeterminata nec poteſt operari partem bonam oppoſitam, cuius prædeterminationem à Deo non habet, vt ſupponimus, non minus quàm non poteſt operari abſque generali concurſu primæ cauſæ, ad quam volunt pertinere illam prædeterminationem; nec poteſt non operari talem partem malam, cuius habet prædeterminationem, ſicut non poteſt non operari cum actuali concurſu primæ cauſæ, quia per ipſos eſt actualis illa prædeterminatio.

Multa alia fusè contra nos in eadem controuerſia 26. congerit Nauarrete, ſed ea hîc addere neceſſe non eſt, quia ex dictis facillimè à quouis refelli poſſunt, cùm vel nobis falsò tribuat quæ nunquam diximus, vt cùm ſcribit nos tenere, *eſſe quid diſtinctum, concurſum Dei ad entitatem peccati, à concurſu hominis ad eamdem entitatem; & quòd ſuperueniat concurſus Dei concurſui hominis tanquam actus diſtinctus*, & cùm infrà addit, *iſti contrarij dicere tenentur, quòd non poteſt dari illud bonum, quod Deus producit, niſi præſupponat aliquod malum*; vel eadem non ſemel repetit, quæ ſufficienter ſoluta ſunt.

## *Gonzalez opinio, & argumenta refelluntur.*

Præterea Gonzalez ſupra, quæſt. 19. a. 8. diſp. 59. ſuam quoque hac de re opinionem condidit, quæ diligenter examinanda eſt, vt vel ex iſta aduerſariorum noſtrorum inter ſe diſcordantium diſſenſione, maximè appareat falſitas principalis opinionis, quam defendunt. 33.

*Deum antecedenter concurrere ad actum peccati, in quantũ ens.*

Primò intendit probare quòd *Deus concurrit ad actum peccati, in quantum ens, non ſolùm concurſu ſimultaneo, verùm etiam concurſu præuio, recepto in voluntate noſtra.* Arguit primò ex Capreolo in 2. d. 37. quæſt. 1. art. 3. ad 2. principale, ita docente de concurſu Dei ad actum peccati, *quantum ad omne poſitiuum, quod eſt in actu voluntatis, actio voluntatis*

*Probat Gonzalez primò.*

*luntatis creatæ eſt poſterior actione Dei in producendo quodlibet tale, quia nulla creatura agit niſi mota à Deo.* Et paulò poſt, *Motio Dei non determinat voluntatem creatam ad aliquid, quod ſit ſecundùm ſe malum, ſed ad illud, quod eſt ſecundùm ſe bonum ex natura ſua, licèt ſit malum quoad deformitatem, quam habet relatum ad cauſam ſecundam.*

*Reſpondetur ad verba Capreoli.*

Reſpondeo, in his Capreoli verbis, tria tantùm eſſe quæ Gonzalez ad ſuam ſententiam de præuio concurſu trahere poteſt, primum, concurſum Dei eſſe natura priorem concurſu voluntatis. Verùm hinc præter concurſum ſimultaneum in actum, deducere alium concurſum præuium in voluntatem, *puerilis eſt ſenſus*, inquit ipſemet Caietanus ſupra num. 14. fi. & explicaui quæſt. 14. art. 3. num. 360. Secundum, nullam creaturam agere niſi motam à Deo. Sed, vt ibidem oſtendi, hoc dicitur à Capreolo, & à S. Thoma, non propter præuium concurſum primæ cauſæ in cauſas ſecundas, quo ad agendum moueantur; ſed propter ipſum ſimultaneum primæ cauſæ concurſum, quo eſſentialiter indigent cauſæ ſecundæ vt ſe mouere poſſint ad agendum, ſiue vt actu agant. Tertium, motionem Dei determinare voluntatem creatam ad faciendum bonum, quod eſt in actu peccati. Vbi Capreolus per *determinare voluntatem*, non ſignificat præuium concurſum in voluntate receptum, ſed ſolùm, ex eſſentiali indigentia voluntatis cum ipſa concurrere ad determinatum actum. Hanc expoſitionem colligo ex eodem Capreolo. tum quia infra §. *Ad primum aliorum.* refert, quòd iſte concurſus bene dicitur à Gregorio, *coëfficientia Dei*, tum quia antea attulerat ſolutionem eiuſdem Gregorij, clariſſimè pro noſtra ſententia dicentis, *Deum ſequi determinationem voluntatis creatæ; quoniam ideo Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit; & non ideo quia Deus agit illum, voluntas agit illum. & ideo magis propriè dicitur Deus coagere voluntati in cauſando talem actum, quàm voluntas dicatur coagere Deo.* Quam reſponſionem non reiicit Capreolus, ſed ſolùm ait, *Apparet mihi, quòd aliter poteſt melius dici.* Tum quia in præcedenti d. 25. quæſt. 1. art. 3. ad 4. Scoti, concedit Scoto, *Quòd actus elicitus, vel imperatus à voluntate, contingenter, & euitabiliter euenit, & producitur à cauſa de ſe indeterminata, quæ tamen poteſt ſeipſam determinare, ſcilicet à voluntate.* Vbi planè reiicitur omnis concurſus prædeterminatiuus voluntatis. & 1. d. 45. quæſt. 1. art. 2. ad 4. contra tertiam concluſionem, negat Aureolo iſtam propoſitionem, *voluntas vt actiua mouet ſeipſam vt paſſiuam, abſque hoc quòd ipſa vt actiua prius ſe determinet.* & expreſsè contra poſteriores Thomiſtas ita ſubdit, *Dico quòd voluntas, quantùm ad exercitium actus, ſcilicet vt velit, vel non velit, determinatur à ſeipſa: & illud, quo ad hoc ſe determinat, eſt actus eius determinatus.* Sicut igitur hîc, voluntatem ſe determinare, eſt, vt ſe explicat ipſemet Capreolus, voluntatem elicere actum determinatum; itá cùm poſtea dixit, *Motio Dei determinat voluntatem*, debet intelligi de diuino concurſu ſimultaneo ad determinatum voluntatis actum. Eamdem Capreoli mentem apertiſſimè demonſtrant alia eius verba citata ſupra q. 14. art. 13. n. 101.

*In quo ſenſu dicat Capreolus, Deū determinare voluntatem ad actū peccati.*

*Capreolus, & Ariminenſis pro concluſione.*

34\. *Probat ſecundò.*

Arguit 2. authoritate aliorum Thomiſtarum. Ferrarienſis lib. 3. con. gen. cap. 71. circa finem. Soti lib. 1. de natura, & gratia, cap. 18. circa finem, Cano lib. 2. de locis cap. 4. ad 7. Medinæ 1. 2. quæſt. 79. art. 2. & quæſt. 109. art. 2. Bagnes 1. p. quæſt. 19. a. 10. dub. 1. poſt tertium fundamentum, & q. 49. art. 2. & Aluarez.

*Reſpondetur ad Ferrarienſem, Sotum, Cano, Medinam, Bagnes, Aluarez.*

Reſpondeo, Ferrarienſem ita habere, *Primum agens mouet cauſam ad agendum entitatem actionis, & non ad deformitatem.* Quod intelligitur vt ſecundum dictum Capreoli ſupra. Soti verba malè refert Gonzalez, eodem prorſus errore, quo eadem, vt notauit ſupra quæſt. 14. art. 13. num. 293. refert Aluarez. & Sotum apertè eſſe contra modernos Thomiſtas ibidem fusè oſtendi à num. 287. ad 294. In Cano ibi nihil prorſus ad propoſitum lego; ſicut nec in Medina. De illo fundamento Bagnes ſatis dictum eſt quæſt. 14. art. 13. num. 401. alius locus ex eodem citatus nihil habet ad rem. Denique Aluarez nimis fauet, quem propterea ipſemet Gonzalez infra numero ſuo 14. impugnat; quia non ſolùm concedit præuiam Dei motionem, ſed omnino prædeterminantem ex decreto prædeterminante actionem peccati in particulari, vt ex ſuperioribus conſtat; quam prædeterminationem negat Gonzalez, vt mox referam.

35\. *Probat tertiò.*

Arguit 3. ex S. Thoma 2. d. 37. quæſt. 2. art. 2. vbi in fine corporis ait, *quòd quicquid eſt in actu peccati de ratione entis, & boni, à Deo procedit mediante voluntate.* & ad ſecundum inquit, *Deus cauſa eſt actionis, in qua malum conſiſtit, ſecundùm quòd influit agenti eſſe, poſſe & agere.* Vnde Gonzalez ita deducit, *ergo loquitur non ſolùm de auxilio ſimultaneo, ſed etiam de præuio.*

*Reſpondetur ad S. Thomā.*

Reſpondeo, negando conſequentiam, imò ex hoc loco oppoſitum colligo q. 14. art. 13. num. 384. Illud igitur, *mediante voluntate*, non ſignificat præuium influxum in voluntate receptum, ſic enim videretur excludi immediatus Dei influxus in effectum voluntatis, quod omnes negamus; ſed ſignificat, Deum influere in effectus omnes voluntatis, non immediatè ſe ſolo, ſed ſimul cum voluntate, ſibi eſſentialiter in operando ſubiecta. Deus quoque *influit agere*, quia voluntas vt agat, indiget eſſentialiter Deo coagente, non autem præagente, nimirum per priorem alium influxum in voluntatem.

36\. *Probat quartò.*

Arguit 4. ſi Deus, & voluntas creata concurrerent ad aliquid ſimul, ſolùm concurſu ſimultaneo, caſualiter concurrerent.

*Reſpondetur, concurſū Dei ſimultaneū, non eſſe caſualem.*

Reſponſio patet ex dictis ſupra quæſt. 14. art. 13. num. 360. non eſſe concurſum caſualem. quia etſi ſimultaneus ſimpliciter ſit, tamen eſt cum eſſentiali ſubordinatione voluntatis ad Deum, qui concurſum illum directè intendit ad hoc vt agat voluntas, quæ ſe ſola non poteſt agere.

37\. *Secūdum dictum Gonzalez non cohærens.*

Secundò intendit probare, *Deum non concurrere ad actum peccati, vt actus eſt, excitando voluntatem per cogitationem, & affectionem.* Quod quidem veriſſimum eſt, ſed minimè cohærens cum concurſu præuio, ſub quo poſita voluntas non poteſt non operari, vel ſaltem eſt infallibiliter operatura actum peccati. Cuius generis phyſicus influxus longè maiorem connexionem habet cum actu peccati, quàm moralis influxus per cogitationem, & affectionem circa obiectum delectabile. & ſicut authores grauioris influxus phyſici excuſant Deū à peccato, quia ita influit vt non ſit cauſa deficiens, vel quia eſt cauſa vniuerſalis, vel quia non intendit deformitatem, vel quia non tenetur, vel alio modo, eadem ratione multò facilius excuſare poſſent authores leuioris influxus moralis, vt latiùs expendo q. 14. art. 13. n. 379.

38\. *Impugnatur tertium dictū Gonzalez.*

Tertiò intendit probare, *Deum concurſu præuio in voluntatem noſtram, non præmouere illam phyſicè, ſeu prædeterminare illam per ſe, & directè ad actum peccati determinatè, & in particulari hîc, & nunc. hoc enim modo,* inquit, *ſolummodo præmouet Deus voluntatem hominis ad actus bonos.* In quantum negat prędeterminationem ad actum peccati in particulari, quod bene probat authoritate S. Thomæ, & rationibus, nobiſcum ſentit, ſed contradicit Nauarrete, Aluarez, aliiſque ſociis prædeterminantibus. In quantum ponit, Deum prædeterminando concurrere ad actus bonos, non ad actus malos, ad quos tamen vt prima cauſa generaliter concurrit, euidēter ſequitur, concurſum prędeterminatiuū non eſſe de eſſentiali conceptu generalis influxus primæ cauſæ; nec eſſe neceſſarium propter indifferentiam voluntatis. Quæ & ſecundùm ſe, & ad hominem, maximè impugnant neceſſitatem concurſus prędeterminatiui ad actus bonos. In quantum deniq; his non obſtantibus admittit concurſum præuium, & antecedentem, diſtinctum à concurſu ſimultaneo, & cōcomitante, videtur opinio inintelligibilis, quæ & à ſuis, & à noſtris diſcrepat. Quæro enim an hic concurſus cauſet actum peccati in particulari hîc, & nunc? Si non cauſat, ergo aliquod poſitiuū particulare hîc, & nunc fit à creatura per veram, ac realem actionem, & tamen non fit à Deo: quod Gonzalez, vt bonus Theologus, concedere non poteſt. Si cauſat, ergo eſt concurſus verè, ac propriè prædeterminatiu us, quod negatur. Probo conſequentiam, quia eſt concurſus ad talem actum determinatum in particulari hîc, & nunc, vt probatum eſt; ergo nō eſt indifferens, ſed determinatus: eſt etiam infallibiliter cōnexus cum effectu ad quem voluntatem præmouere dicitur, quia pertinet ad actualem cauſæ primæ concurſum, quo ſtante nō poteſt non ſequi effectus ex cauſa ſecunda. Eſt denique præuius, receptus in voluntate, quam immediatè afficit præmouendo, vt conceditur; ergo habet omnes conditiones eſſentialiter requiſitas ad conceptum influxus prædeterminatiui. Manifeſtū igitur eſt, prædeterminationum ſententiam non poſſe & piè, & ſimul cohærenter defendi. Nam prædeterminationem ad actū peccati aſſerere pietatem non ſapit: & ideo plures, ex aduerſariis etiam, eam abominantur. huiuſmodi prædeterminatione abiecta, reliquæ omnes prædeterminationes ruant neceſſe eſt. Quamobrem in omnibus huius temporis controuerſiis de ſcientia media, de decretis prædeterminantibus, ac prædefinientibus, de prędeſtinatione, de concurſu primæ cauſæ, de efficacia gratiæ, hæc veritas de concurſu diuino ad actus peccatorum non prædeterminante, eſt ab omnibus, ſincerè ſcire cupientibus, maximi facienda, & ſemper præ oculis habenda; vt ſi quid cum illa minus cohærere viſum fuerit, pro falsò indubitanter habeatur.

*Deum nullo concurſu præuio concurrere ad actum peccati.*

39\. *Obiectio Gōzalez.*

Dices cum Gonzalez, Deus prę uio illo concurſu præmouet voluntatem vt motor vniuerſalis, nō vt ſpecialis; ergo præmouet illam ad actum peccati, vt actus eſt in vniuerſali, non in particulari hîc, & nūc.

*Reſpondetur declarando vniuerſalitatem primæ cauſæ.*

Reſpondeo, nullam eſſe conſequētiam: quia prima cauſa nō denominata eſt vniuerſalis ex eo, quod attingat effectus in vniuerſali, non in particulari, ſed quia attingit vniuerſos effectus in particulari; cùm omnes, & ſingulos cauſet, non minus quàm cauſent ipſæmet cauſæ ſecundæ. Quare immeritò Gonzalez n. 14. inuehitur in Reuerendiſſ. D. Aluarez quòd *ex vna parte fateatur, Deum ſolùm cōcurrere ad actum peccati vt vniuerſalem motorem per concurſum generalem; ex alia verò parte aſſerat, Deum concurrere producendo in noſtra voluntate qualitatem phyſicè præmouentem, & inclinantem efficaciter illam determinatè, & per ſe, & directè ad talem actum hîc, & nunc. Hæc enim duo,* inquit Gonzalez, *non videntur cohærere. Primum ex mente D. Thomæ dictū eſt, non ſecundum.* Equidem ſecūdum abſolutè falſum eſſe exiſtimo: tamen neceſſariò, & cohærenter dictum, poſita opinione, quam ipſe quoque Gonzalez ſequitur, de decreto antecedenter prædeterminante, omnino neceſſario ad veritatē, & intelligibilitatem cuiuſlibet effectus contingentis futuri, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, ſecundùm omnem rationem determinatam, & particularem; quod decretum eſſe volunt eſſentialiter requiſitum ad generalem concurſum cauſæ primæ, ab eóque eſſentialiter pendere in operando cauſas ſecundas liberas. Hinc enim euidenter ſequitur, tali decreto æterno debere correſpondere in tempore inhærentem aliquam qualitatem prædeterminantem cauſas ſecundas liberas ad omnes illos effectus in particulari, quos per illas fieri Deus ab æterno prędeterminauit, vt in ſuperioribus non ſemel oſtenſum eſt. Idem dicendum cohærenter ad aliam opinionem de libertate, cuius indifferentiam ad plura, ad vnum prædeterminandam eſſe exiſtimant, ad hoc vt poſſit influere in vnum determinatum effectum. Quare ſi propter hunc libertatis conceptum voluntas prædeterminatur ad actus bonos, debet pariter prædeterminari ad actus malos. Et quidem præuius ille concurſus in voluntatem, quem Gonzalez admittit, ſi non habet hoc munus illam prædeterminandi ad vnum particulare determinatum, non apparet quem alium vſum rationabiliter habere poſſit.

*Defenditur Aluarez à Gonzalez.*

*Prædeterminationem ad actū peccati ſequi neceſſariò ex opinione nouorum Thomiſtarū.*

## DVBITATIO III.

### *An prædefinitio ſit neceſſaria ad actus moraliter bonos.*

SVMMA.

1 *Reſpōdetur partim negatiuè, partim affirmatiuè. n.* 40.
2 *Occurritur obiectionibus Gonzalez. n.* 41. *ad* 46.

40\. *Tertia concluſio negatiua ex parte actus ſimpliciter, affirmatiua ex parte Dei.*

TErtia concluſio, voluntas Dei efficax, & abſoluta prædefiniens, ad nullum actum liberum, moraliter bonum, quantumuis meritorium, & ſupernaturalem, eſt ſimpliciter & abſolutè neceſſaria ex parte actus, ſed vel ex parte Dei; vel ex parte actus, vt non ſimpliciter, ſed infallibiliter producatur; vel neceſſaria vt producatur ſecundùm modum Deo conuenientem. Hoc ex inſtituto probatū eſt ſupra ar. 2. dub. 1. loquendo de prædeſtinatione. Et prima pars de neceſſitate ex parte actus ſimpliciter, quæ ſola eſt in controuerſia inter nos, & aduerſarios, manifeſtè ſequitur ex probatis dub. præced. Si enim poſitiuus, ac realis actus malus, dependens eſſentialiter à concurſu primæ cauſæ, agentis per intellectum, & voluntatem, ita fit à cauſa ſecunda, vt neque pendeat, neque pendere poſsit à voluntate Dei prędefiniente, nulla prorſus aſſignari poteſt probabilis ratio, cur aliquis actus bonus, quicumque ille ſit, ex eſſentia, ſeu neceſſitate ſua petat procedere à prima cauſa per concurſum prędefinitiuum. Hæc conſequentia confirmari poteſt ex ipſiſmet aduerſariis, quia, vt ex ſæpe dictis in ſuperioribus conſtat, ad hanc prędefinitionem maximè moti ſunt ex eſſentiali ſubordinatione, quam cauſa, etiam ſecunda libera habet ad primam cauſam. Sed hanc quoq; ſubordinationem habet actus malus, ergo ſi actus malus ſubordinatur primę cauſæ abſque voluntate prædefiniente, poterit pariter abſque illa ſubordinari actus bonus. Ad idem faciunt quæ dicta ſunt ſupra q. 14. ar. 13. n. 414. circa finem, & num. 542. Denique diligenter aduertendum eſt, hanc ſententiam neceſſariò ſequendam à noſtris Theologis, rectè docentibus, præſcientiam mediam, ſeu cōditionatam, eſſe in Deo ante quodlibet decretum prædefiniens, & conſequenter, veritatem effectus liberi conditionaliter futuri ha-

*Quid neceſſariò tenendum ab authoribus ſcientiæ mediæ.*

beri independenter à voluntate Dei prędefiniente. Hinc enim apertè ſequitur,inter antecedétes conditiones ad prædictam veritatem prærequiſitas, non eſſe decretum Dei prædefiniens.v.g.Deus non præſciuit Paulum tali vocationi conditionaliter conſenſurum,ſi conſenſum illum prædefiniret. Ex hoc autem quòd prædefinitio non ſit neceſſaria ad actum conditionaliter futurum,manifeſtè deducitur,quòd non ſit neceſſaria ad eumdem actum abſolutè futurum : quia ad hoc vt effectus de conditionato tranſeat in abſolutum, non requiritur noua alia cauſa,ſed ſolùm vt præcedens cauſa conditionata,purificata conditione,fiat abſoluta.

41. *Cōtra defenſores ſcientiæ mediæ, Gonzalez arguit primò.* Obiicies quę Gonzalez ſupra q.19.ar.8.diſp.57. à n.7.hanc concluſionem impugnans,affert contra Suarez,Arrubal,& alios omnes defenſores ſcientię mediæ. Primò quia SS.Patres concedentes, quod nemo negat, opera bona cauſari à Deo per voluntatem efficacem,& abſolutam,loquuntur de cauſa, *neceſſariò requiſita.* quod nos negamus de neceſſitate ex parte actus , non autem ex parte Dei. Sed Gonzalez primam neceſſitatem probat ex Auguſt. apud S.Thomam ſupra q.19.art.8.in 1.arg. *Nullus ſit ſaluus , niſi quem Deus voluerit ſaluari. Et ideo rogandus eſt , vt velit ; quia neceſſe eſt fieri , ſi voluerit.* Hinc ita arguit Gonzalez , *At voluntas Dei,pro qua oportet nos orare,eſt requiſita in ratione cauſæ;quia aliàs fruſtra pro illa oramus.*

*Reſpondetur ad Auguſt.* Reſpondeo , ad hanc orationem ſatis eſſe,ſi illa voluntas ſit cauſa requiſita ex parte Dei ſaluantis, non ex parte ipſius ſalutis ſecundùm ſe.Imò etiam, ſi ne ex parte Dei quidem eſſet requiſita , ad non fruſtra orandum,ſatis eſſe vt illa ſit certa,atque infallibilis cauſa ſalutis,licèt non neceſſaria, quia ſcilicet effectus ſalutis,quantum eſt ex ſe,nō poſtulat neceſſariò fieri per voluntatē Dei prædefinientem; & Deus , licèt poſſet ſaluare per aliam voluntatem indifferentem,& conditionatā,tamen poteſt etiam tutius ſaluare per voluntatem prædefinientem. Et ideo pro hac voluntate non fruſtra oramus.

42. *Arguit 2.* Secundò , *Voluntas Dei efficax influit aliquid in conſenſum noſtrum ; ergo conſenſus noſter , quantum ad ſui exiſtentiam,pendet ab illa voluntate ; ac proinde non potuit præſciri à Deo certò vt futurus , niſi dependenter ab illa voluntate efficaci. Imò idem ſequitur,ſi dicatur, quòd requiratur vt aliquo modo vtilis ad illum:quia inde ſequitur , quòd conſenſus noſter non eſt cognoſcibilis certò , vt futurus , niſi dependenter à præſcientia huius cauſalitatis. Ex quo,*inquit,*ſequitur,quòd ratio concordiæ,quam aſſignat Arrubal per hoc, quòd illa prædefinitio non præparat alia media proxima, quàm illa,per quæ aliàs opus fieret liberè,etiam ſine tali præfinitione ,nulla eſt : ſi quidem illa voluntas efficax , ordine cauſalitatis antecedit cooperationem noſtram abſolutè futuram ; ergo etiam præſcientiam mediam illius , quia aliàs præſcientia certa non fuiſſet : ſi quidem non verificatur quod ipſe ait,nempe quòd ab iiſdem medijs, & cauſis,à quibus opus illud eſt abſolutè futurum , præſupponeretur dependens, quatenus ſub conditione futurum.*

*Reſpondetur, liberos actus cauſari à Deo, ſed non prædefiniri.* Reſpondetur , concedimus , totum conſenſum cauſati,& pendere ab illa voluntate. Cùm verò infertur,*ergo non potuit præſciri* ,&c.diſtinguo hoc ſecundum conſequens; *non potuit*,impoſſibilitate tenente ſe ex parte Dei præſcientis,id concedo.*Non potuit*,impoſſibilitate tenente ſe ex parte conſenſus præſciti , id nego. Atque hoc eſt multò magis dicendum,ſi prædicta Dei volūtas dicatur cauſa non neceſſaria,ſed tantùm vtilis.Ad id verò,quod contra optimam concordiæ rationem ab Arrubal aſſignatam obiicitur, concedo antecedens,nego conſequentiam.Ad cuius probationem,eidem Gonzalez reſpōſum ſufficienter eſt ſup.q.14.ar.13.n.542. negando,voluntatem prędefinientem,ſi prȩſupponitur ad effectum abſolutè futurum,prȩſupponendam etiam eſſe ad effectum conditionaliter futurum. Quam conſequentiam fruſtra etiam contra nos facit Machin d.34.ſect.1.§.3.fi. *Defenditur Arrubal contra Gonzalez & Machin.* Illud igitur dictum Arrubal bene verificatur , in quantum nulla cauſa , ſub qua præuiſus eſt effectus conditionatè futurus, deeſt quādo idem effectus purificata conditione tranſit in abſolutè futurum : etiam ſi præterea ſit abſolutè futurus vi alterius cauſę ſuperadditę,non ex neceſſitate effectus ſecundùm ſe,ſed ex neceſſaria operādi perfectione,quæ Deo competit.

43. *Arguit 3. Reſpondetur vt ſuprà.* Tertiò,illa Dei voluntas eſt cauſa noſtri conſenſus;ergo hic ſine illa non eſſet : ergo eſt neceſſariò requiſita ad conſenſum. Et contrariū,inquit,*implicat in terminis*. Sed ad huiuſmodi implicantiā facillimè dicitur vt ſupra,cōſenſum non abſolutè futurū,ſine illa,non propter ipſum conſenſum,ſed propter diuinum operādi modū. Vnde ſolùm arguitur neceſsitas ex parte agentis , non ex parte effectus.

44. *Arguit 4.* Quartò,voluntas Dei prædefiniens conſenſum, ſi eſt cauſa influens in conſenſum , vt concedimus; ergo hic influxus,& conſenſus ſine illa non haberetur. Probat conſequentiam. *Tum quia nulla alia cauſa eſt eiuſdem ordinis cum illa. Tum quia de facto penderet ille influxus à duabus cauſis omnino adæquatis.* Quando autē remota vna cauſa,nō poteſt cogitari quòd remaneat idē influxus pendens ab alia cauſa, euidens ſignum eſt,ipſummet influxum,& effectū ex natura ſua indigere cauſalitate illius cauſæ.

*Reſpondetur declarando formalē effectum prædefinitionis.* Reſpondeo, conſenſum formaliter conſideratū, vt pendentem à voluntate Dei prædefiniente, non habere vt ſimpliciter fiat,& ſit,quia ſimpliciter fieret,& eſſet ſine illa,ſicut de facto eſt actus peccati: ſed ſolùm habere,vt fiat,& ſit infallibiliter per voluntatem Dei liberam. Qua ratione fieri , & eſſe, neceſſarium eſt , cum ſit , & eſt à Deo ; ex eo quòd Deus in intellectus ſui ſapientia omnino infinita, habet media infallibilia,etiam ad liberos , & fallibiles fines conſequendos:& electio mediorū infallibilium,quia infallibilia ſunt,præſupponit ex natura ſua efficacem voluntatem finis,vt oſtenſum eſt ſupra art.1. n.60. quam voluntatem nos vocamus prædefinientem.His præmiſsis dico ad antecedens obiectionis , voluntatem illam influere vt veram, ac realem cauſam,non tamen exequentem,ſed imperātem, imperio prorſus infallibili:ſine quo idem influxus haberetur ſimpliciter quoad totum ſuum eſſe intrinſecum, per aliam Dei liberā voluntatem indifferētem, ſicut habetur influxus ad actum peccati ; ſed non haberetur quoad extrinſecam denominationem imperati imperio infallibili,ac proinde, non haberetur infallibiliter. Quapropter duæ probationes cōſequentiæ non vrgent. Non prima, quia ablata voluntate prędefiniente,nulla alia cauſa remaneret eiuſdem ordinis cum illa , ac proinde non haberetur idem omnino effectus,nam cum illa effectus habetur infallibiliter, ſine illa idem effectus haberetur,ſed fallibiliter.Non ſecunda,quia voluntas prędefiniens,& voluntas indifferens non ſunt duæ cauſæ adæquatæ,eiuſdem omnino rationis , à quibus ſolis idem effectus pendere non poteſt ſecundùm opinionem valde communem , quæ ſaltem vera eſſe debet de potentia ordinaria , ſecundùm quam de facto concurrunt ad ſupernaturalem effectum liberum voluntas Dei prædefiniens,& alia Dei voluntas indifferens: quia prima eſt cauſa influens infallibiliter in vnam determinatam partem,ſecunda eſt cauſa parata ad influendum in duas partes oppoſitas, ac proinde fallibiliter



ter ſiue indifferenter influens in quamlibet determinatam partem.

45. *Arguit 5.* Quintò impugnat Suarez , quem ita ſentire ait, *lib.1.de prædeſtinatione cap.7.num.21. Hanc efficacem voluntatem Dei antecedere ordine cauſalitatis cooperationem noſtram, non ex parte effectus , tamquam influxum in illum ; ſed ex parte Dei operantis,tamquam requiſitum ad modum operandi eius perfectiorem , nempe, vt concurrere poſſit prudenter,& ſcienter ex certa intentione determinati effectus.* Contra arguit Gonzalez primò,quia Suarez *diſtinguit in Deo inter velle concurrere , & prudenter , ac ſapienter ex certa intentione velle concurrere : quod,* inquit, *intolerabile eſt,cùm ratio agendi in Deo non ſit niſi eius ſapientia;& repugnet illi à caſu agere.* Secundò *ſi hæc voluntas Dei nihil influit in noſtram cooperationem liberam ; ergo non antecedit illam,neque concurſum Dei concomitantem.*

*Reſpondetur, malè referri Suarez.* Reſpondeo , minus ſincerè referri ſententiam Suarez in cit.n.21. ita vt mirum valde ſit,aliquem eum legere,& intelligere, & ita referre. Primò falſum eſt , & manifeſta implicantia in terminis,dici à Suarez , *voluntatem antecedere ordine cauſalitatis*, & nihilominus, *nihil influere ex parte effectus*. Contra ſic habet Suarez , & rectè. *Præfinitio non eſt ex parte effectus ſimpliciter neceſſaria,vt effectus aliquando ſint : nam actus mali non præfiniuntur , & tamen fiunt abſque præfinitione,ergo quantum eſt ex parte ſua,& ſolius effectionis, poſſent eodem modo fieri boni abſque præfinitione.* Secundò notabilis quoque deceptio eſt referre,quòd Suarez de diuina prȩfinitione aſſerat, *illam eſſe requiſitam , vt Deus concurrere poſſit prudenter,& ſcienter,*&c. Hoc non aſſerit Suarez de præfinitione, ſed de præſcientia conditionata , antecedente præfinitionem. Et quis , bone Deus , dicere poteſt , ex actu voluntatis haberi , vt quis ſcienter operetur ? *Eſt*, inquit Suarez, *neceſſaria illa præſcientia ad diuinam præfinitionem ex parte ipſius Dei ; quia nihil poteſt eſſe volitum,quin ſit præcognitum.Nam ſicut in hominibus , eo eſſe poteſt perfectior prouidentia, & ſecurior præordinatio , & electio voluntatis, quo fuerit in homine maior cognitio efficacitatis mediorum:ita in Deo, ſumma,& ſingularis prouidentia , per quam præfiniuntur media per abſoluta decreta,ſupponit de illis ſcientiam futuræ efficacitatis eorum ſi talia applicentur, in qua cognitione,dicta conditionata ſcientia continetur.*

*Implicat, Deum velle, & non velle ſapienter.* Huiuſmodi falſitate detecta, facillimū eſt duobus argumentis Gonzalez ſatisfacere.Ad primum, illam diſtinctionem nuſquam legi in Suarez , ſed fingi ab arguente. Ne intellectu quidem,cum fundamento in re , concipere poſſumus , Deum velle concurrere,& non velle ſapienter concurrere:nam per eamdem voluntatem,cùm ſit diuina , & perfectiſſima,qua Deus vult,vult ſapientiſſimè , ac prudentiſſimè.Ratio tamen cur ſapienter velit,non eſt formaliter deſumenda ex ipſamet voluntate , ac præfinitione,ſed ex intellectu,& præſcientia.Nihil igitur *intolerabile* eſt in Suarez , niſi quod illi falsò tribuitur. Ad ſecundum , nunquam dixiſſe Suarez de voluntate præfiniente , *nihil influit*. Totum verè influit , ſed non neceſſariò , neceſſitate tenente ſe ex parte effectus , quoad intrinſeca ipſius,vt explicatum eſt.

Quędam alia Gonzalez n.10.& 11.obiicit contra Arrubal , quæ non opus eſt referre ; quia falsò ſupponit , vt notaui ſupra q.19.art.3. n.63. & 64. opinionem Arrubal de creata operatione,quòd ſit formale conſtitutiuum liberæ volitionis Dei , & æquiuocat de voluntate Dei , cùm refert, quòd de voluntate abſoluta,& efficaci dixerit Arrubal,*ſine Deo nihil fit.* Hoc enim dicitur de voluntate Dei ſimpliciter,non de prædefiniente,ſine qua & apud Arrubal,& apud omnes bonos Theologos certum eſt fieri actus malos;& demum non bene intelligit textum S.Thomæ ſupra q.19.art.8. vt ibi , & aliis in locis ſuperius declaraui.

## DVBITATIO IV.

### *An liberorum actuum prædefinitio ſit impoſſibilis.*

SVMMA.

1 *Probatur cōcluſio ſimpliciter negatiua.n.46.& 47.*
2 *Prædefinitionem ante ſcientiam conditionatam repugnare libertati. num.48.*
3 *Argumentum contra libertatem non bene ſolui à Zumel, & Trigoſio. num.49.ad 52.*
4 *Defenditur Suarez contra Nauarrete.n.52.ad 65.*
5 *Satisfit obiectionibus Gonzalez. n.65. ad 68.*

IMpoſſibilitas conſideranda maximè venit ex libertate , cui contradicere videtur prædefinitio; & ideo ſit

46. *Quarta concluſio negatiua probatur ex Auguſt.* Quarta concluſio. Prædefinitiò ſecundùm ſe,& ſimpliciter loquendo , bene ſtat cum noſtra operādi libertate. Hoc omnes fatemur,tam nos,quàm noui Thomiſtæ. In quo ſenſu valde indignum eſſe cenſet Auguſtinus in enchir.cap.95.Deum aliquid velle , & non facere , *quoniam ne fieret quod volebat omnipotens , voluntas hominis impediuit. Neque enim,* vt optimè ratiocinatur ſeq.cap.96.*veraciter ob aliud vocatur omnipotens , niſi quia quicquid vult,poteſt ; nec voluntate cuiuſpiam creaturæ , voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*&,vt addit cap.98. *Quis porro tam impiè deſipiat,vt dicat,Deum malas hominum voluntates,quas voluerit;quando voluerit,vbi voluerit,in bonum non poſſe conuertere ?* & de corrept.& gratia cap.14. initio, *Deo volenti ſaluum facere,nullum hominum reſiſtit arbitrium:ſic enim velle,& nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate,vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et clariſſimè loquens non ſolùm de actu reſiſtendi , ſed de ipſa etiam potentia paulò poſt ait,*Non eſt itaque dubitandum , voluntati Dei,qui in cœlo,& in terra omnia quæcumque voluit fecit,& qui etiam illa, quæ futura ſunt,fecit,humanas voluntates non poſſe reſiſtere , quo minus faciat ipſe quod vult ; quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult facit ; ſine dubio habens humanorum cordium quò placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* & ſtatim exemplificat de Abiſai,*Nunquid ille poſſet aduerſari voluntati Dei,& non potius eius facere voluntatem , qui in eius corde operatus eſt per ſpiritum ſuum, quo indutus eſt,vt hoc vellet,diceret,& faceret ?* Solùm in contrariū referuntur à Suarez opuſc. Suarez. 1.lib.1.cap.16.n.3. quidam Theologi , qui admittentes in Deo ſcientiam conditionatam , adhuc exiſtimant , eamdem rationem eſſe de prædefinitione,& de prędeterminatione,quam rectè docent pugnare cum libertate:& alij,qui prędictam ſcientiam negantes, conſequenter aſſerunt , prædefinitionem coincidere cum prædeterminatione deſtructiua libertatis. Quam quidem conſequentiam ſapienter laudat Suarez loc.cit.& lib.3.cap.17.n.1. & 3. quia multò certius eſt , prædeterminationem phyſicam voluntatis ad vnam partem,contradicere libertati ad vtrumlibet , quàm vel dari certam contingentium conditionatorum præſcientiam, vel effectus liberos poſſe in particulari à Deo omnino infallibiliter prędefiniri.In contrarium quoq; à Machin d.34.ſect.1.refertur Vazquez , qui d.99. Machin. c.4.viſus eſt illud aſſerere.Sed ex fin.cap.n.25.patet Vazquez.



 illum

illum loqui de præfinitione, non ſimpliciter, ſed antecedente ſcientiam conditionatam: & in eodem ſenſu accipiendus eſt Salas 1.2.quæſt.9.art.6. diſput.3.ſect.2.ad 4.quam præfinitionem latiſſimè reiecimus ſupra quæſt.14.art.13.dub.17.

Salas.

47. Firma concluſionis ratio non poteſt eſſe alia, niſi quia mox ſoluemus præcipuum, ac totale impoſſibilitatis argumentum, qua ſcilicet ratione fieri poſſit, vt Deus per voluntatem ſuam efficacem, cui certum eſt neminem poſſe reſiſtere, velit creatam voluntatem facere vnum determinatum, & non facere aliud oppoſitum; & nihilominus creata voluntas illud vnum determinatum faciat liberè, hoc eſt, faciat per virtutem ſuam indeterminatam, atque indifferentem, ac proinde ita faciat illud vnum, vt poſſit, ſi velit, facere aliud oppoſitum, firmiſſimè decretum à Deo vt non fiat. Hoc enim certò credimus, non poſſe aliunde oriri, niſi quia ante hanc Dei voluntatem datur præſcientia conditionata, qua voluntas creata ad vtrumlibet duorum oppoſitorum completa, & indifferens, conditionaliter præuidetur, per hoc vel illud medium, ſi daretur, factura vnum, & non aliud per liberam ſuam electionem, ac determinationem. qua veritate, & infallibilitate poſita, tam intrinſeca ex parte effectus ante præſcientiam, quàm extrinſeca ex parte cauſæ poſt præſcientiam, eſt neceſſarium, neceſſitate conſequente liberum operandi vſum, vt dato tali medio voluntas creata non ſolùm faciat ſimpliciter vnum, & non aliud, ſed etiam faciat vnum cum libertate, & antecedente poteſtate faciendi aliud ſi vult. Hinc igitur habet Deus, vt in poſteriori ſigno, poſt huiuſmodi ſcientiam conditionatam, concipi poſſit, ante effectum liberum abſolutè futurum, decernere infallibiliter vt futurus abſolutè ſit ab hac libera voluntate hic actus liber, & non alius oppoſitus: quia nimirum cognoſcit, & dare poteſt, ac dabit tale medium infallibile, per quod infallibiliter præuiſus eſt liberè futurus hic, non alius. Confirmatur quia dubitatione ſequenti oſtendemus, eſſe valde certum de facto dari has prædefinitiones de actibus liberis. Vnde quanta certitudine conſtat hoc factum, & nos liberè operari per actus prædefinitos, & non eſſe impoſſibile quod de facto eſt; tanta prorſus conſtare debet, prædefinitiones non eſſe libertati repugnantes, & nulla alia ratione eſſe impoſſibiles.

*Qua ratione effectus liber poſſit à Deo prædefiniri.*

*Certitudo cõcluſionis.*

48. Quinta concluſio. Prædefinitiones de actibus liberis, quantumuis bonis, ac meritoriis, antecedentes omnem diuinam futurorum contingentium præſcientiam, tam abſolutam, quàm conditionatam, ſunt omnino impoſſibiles propter manifeſtam repugnantiam cum libertate. Hæc eſt communiſſima ſententia noſtrorum Theologorum ſatis ſupérque in ſuperioribus demonſtrata, præſertim quæſt.14.art.13.à num.524.contra nonnullos modernos: qui nulla probabili ratione ſoluere poſſunt argumentum aduerſariorum quartæ concluſionis, ita diſcurrentium. Poſita diuina præfinitione de effectu futuro, effectus non poteſt non eſſe futurus, cùm implicet contradictionem, non impleri efficax Dei decretum; hæc autem ſuppoſitio eſt antecedens, quia eſt de re antecedente futuritionem effectus: nam cùm Deus efficaciter vult, aliquid eſſe futurum, quod antea non erat futurum, non præſupponit, ſed cauſat illud eſſe futurum. Suppoſitio verò antecedens, ex ſententia Anſelmi relata ſupra quæſt. 14. art.13. à n.397. & ab omnibus Theologis recepta, ſtare non poteſt cum libertate; quia illa non eſt in noſtra poteſtate, & præuenit vſum liberi arbitrij; & quotieſcumque conſequentia eſt neceſſaria, & antecedens non eſt in poteſtate mea, tunc etiam conſequens eſt neceſſarium, & in mea poteſtate eſſe non poteſt. Hoc, inquam, argumentum, vt loco citato multis oſtendi, ſolui non poteſt à ponentibus prædefiniens decretum antecedens præſcientiam conditionatam, quia in hac opinione præfinitio nullo modo præſupponit vſum liberi arbitrij, neque vt futurum abſolutè, neque vt futurum conditionatè. Nos verò ponentes præſcientiam conditionatam ante decretum prædefiniens, ac proinde, præfinitionem cauſare quidem liberum actum abſolutè futurum, tamen præſupponere eumdem conditionatè futurum, facilè reſpondemus cum Suarez opuſcul. 1. lib.1.cap.16.num.12. & lib.3.cap.19.à num.18.ad 21. Arrub. d.67.cap.6. præſertim à n.27. & iterum n.36. negando prædictam ſuppoſitionem eſſe ſimpliciter antecedentem: eſt enim proximè quidem antecedens, ſed remotè, & virtualiter conſequens. Nam licèt efficax Dei voluntas non præſupponat, ſed cauſet, & conſequenter antecedat effectum abſolutè futurum; tamen neceſſariò fundatur in præcedente præſcientia conditionata habente pro obiecto, ac proinde præſupponente eumdem effectum conditionatè futurum: à qua præſcientia voluntas diuina dirigitur, & ex ſuppoſitione neceſſitatur, vt ſi liberè velit, hunc aut illum liberum actum eſſe omnino in re, teneatur eligere, ac dare talia media, cum quibus, ſi darentur, præſcitus eſt hic vel ille actus liber infallibiliter futurus. Suppoſitio autem præſcientiæ conditionatæ, eſt ſuppoſitio conſequens, cum effectus, poſita conditione, non ideo ſit futurus, quia Deus illum præſcit; ſed contra potius, ideo præſciat Deus, quia effectus eſt liberè futurus, vt conſtat ex probatis ſupra de ſcientia Dei. Atque huius concordiæ rationem ex eadem præſcientia perſpicuè tradidiſſe videtur Anſelmus lib. de concordia cap.2. circa medium. Quærit enim, *An aliqua poſſint prædeſtinari, per liberum arbitrium futura?* & reſpondet, *Dubitari vtique non debet; quia eius prædeſtinatio, & præſcientia non diſcordant, ſed ſicut præſcit, ita quoque prædeſtinat.* & paulò poſt, *Quædam præſcita, & prædeſtinata non eueniunt ea neceſſitate, quæ præcedit rem, & facit, ſed ea, quæ rem ſequitur.* quia, vt inferius ratiocinatur, *prædeſtinatio non prædeſtinat niſi ſicut eſt in præſcientia.* Et ideo Damaſcenus dialogo aduerſus Manichæos circa finem ait, *Deus ea, quæ voluntariè à nobis futura ſunt, hoc eſt, ea, quæ in poteſtate noſtra ſita ſunt, præſciens, ea demum præfinit, quæ in arbitrio noſtro minimè conſiſtunt.* nimirum non ſimpliciter, & abſolutè, quia hæc eadem paulò ante dicuntur, *eſſe in poteſtate noſtra*; ſed ſecundum quid, & ex ſuppoſitione præſcientiæ, quæ ibidem præmittitur, & ante diuinam præfinitionem alia eſſe non poteſt niſi conditionata.

*Quinta concluſio, prædefinitio ante ſcientiã mediam pugnat cũ libertate. Difficile argumẽtum eorũ, qui omnino negãt prædefinitiones.*

*Optima reſponſio, Suar. & Arrubal.*

*Confirmatur reſponſio ex Anſelmo.*

## *Impugnatur modus dicendi Zumel, & Trigoſij.*

49. Huic argumento, vt omittam multa alia, de quibus fusè loco citato, minimè ſatisfacit Zumèl ſupra quæſt.19. artic. 8. diſput. 1. notabili 2. quem ferè ad verbum ſequitur Trigoſius 1. part. quæſt.15.art.2. dub.3. notabili 2.dicentem, quòd ſicut non ſequitur, *Me; quando operor, non liberè operari, etiam ſtante illa determinatione, qua me ipſum ad vnam partem determinaui*; ita nec ſequitur, me liberè non operari actum prædefinitum, etiam

*Refertur & reijcitur prima reſponſio.*



ſtante prædefinitione, cum qua, inquit, *in ſenſu compoſito non poſſum non operari.* Enimuerò nimis apertum diſcrimen eſt inter ſuppoſitionem ex ipſamet libera operatione, & ſuppoſitionem ex prædefinitione, antecedente, & cauſante operationem liberam; prima enim ſuppoſitio eſt conſequens vſum libertatis, & ideo non tollit, quin operatio, quam ſupponit, procedat antecedenter à principio indifferente, ac libero. Vnde oritur, vt dici poſſit quis operari liberè, etiam quando operatur; & tunc, ad ſaluandam libertatem, locum habeat illa diſtinctio, de poſſe non operari in ſenſu diuiſo, non poſſe non operari in ſenſu compoſito: at ſecunda ſuppoſitio eſt per Zumel prorſus antecedens omnem libertatis vſum, & abſolutè, & conditionatè futurum: & conſequenter, præfinitio, quam ſupponit, non ſolùm debet prædeterminare effectum, ſed etiam prædeterminare cauſam ad vnum determinatum effectum; quia huiuſmodi præfinitioni de fine efficaciter, & infallibiliter obtinendo, cui nullus poteſt reſiſtere, correſpondere eſſentialiter debet medium aliquod infallibile, quod nullum aliud fingi poteſt, vt ipſimet aduerſarij fatentur, niſi voluntas intrinſecè prædeterminata. Et ideo ſecunda ſuppoſitio nullo modo ſaluare poteſt, quòd operatio procedat antecedenter à principio indeterminato, atque indifferente ad vtrumlibet, hoc eſt, libero; nec poteſt iuuari, & ſe tueri illa diſtinctione de poſſe, & non poſſe operari in ſenſu diuiſo, & compoſito; cùm voluntas conſiderata in ſenſu diuiſo à prædeterminatione non poſſit per aduerſarios ſimpliciter operari; in ſenſu autem compoſito cum prædeterminatione non poſſit non operari: quod eſt breuiter, ac dilucidè, nullo modo poſſe ſaluare operandi libertatem.

*Differentia inter ſuppoſitionẽ antecedentẽ, & conſequentem.*

50. Idem Zumel minus ſatisfacit ibidem poſt quartam concluſionem dicens, *Profectò hæc eſt regula generalis Theologorum, quòd ad illa omnia ſe extendit diuina prædiffinitio, ad quæ ſe extendit cauſalitas, & efficientia Dei. quæ,* inquit, *ſe extendit ad omnes actus liberos, & contingentes, etiam quantum ad principia indiuiduantia, & in particulari quantùm ad ſingulas circumſtantias.* Hæc regula, quam iiſdem verbis vſurpat etiam Trigoſius ſupra concluſ.2. eſt manifeſtè contra authorem ſuum, qui vbique negat, & grauiter damnat præfinitionem diuinam de actibus malis, vt ſupra quæſt.14.art.13.num.136. ad quos tamen certum omnino in Theologia eſt, ſe extendere cauſalitatem Dei. De reliquis etiam actibus bonis non poteſt regula procedere. Tum quia mox oſtendam, non omnes prædefiniri, qui tamen omnes à Deo cauſantur. Tum quia nullus conditionatè futurus prædefinitur, vt probaui, & tamen omnes, etiam conditionatè futuri, dependent à prima cauſa conditionaliter concurrente. Tum quia cauſalitas eſt neceſſaria ex parte ipſius effectus, non item prædefinitio, vt ſupra dub.3. Denique gratis, imò falsò dicitur regula tradita ab omnibus Theologis, cum ne quidem ab omnibus, qui noſtras voluntates prædeterminant, admittatur; quia non omnes concedunt prædefinitionem actuum malorum, vt ſuo loco commemoraui. Confundit, & pro eodem accipere videtur Zumel, *voluntatem, & prædefinitionem* Dei. Voluntas quidem Dei ſe extendit ad omnia ad quæ ſe extendit cauſalitas, quia Deus nihil extra ſe cauſat niſi per intellectum, & voluntatem; & hæc eſt optima, & vniuerſaliſſima regula omnium Theologorum. Prædefinitio verò diuinæ voluntatis non ſe extendit ad omnia; nec ad ea, ad quæ ſe extendit, ſe extendit propter cauſalitatem, niſi ex regula paucorum recentiorum malè explicantium generalem primæ cauſæ concurſum per prædefinitionem effectuum, & cauſarum prædeterminationem.

*Refertur, & reijcitur ſecunda reſpõſio.*

51. Sæpe etiam in eadem diſputatione dicit Zumel duo, & ſequitur Trigoſius ſupra, quæ non cohærent. Alterum, per diuinam prædefinitionem prædeterminari voluntatem ad vnum. Alterum, ita prædeterminari, vt tamen diſponatur *ſecundùm modum, & conditionem ſuæ libertatis, & liberè velit quod Deus prædiffiniuit.* Hoc ſecundum, quod verum eſt, manifeſtè pugnat cum primo. Modus, & conditio libertatis eſt, vt voluntas libera liberè agat, mouendo, & determinando ſe ad vtrumlibet ex duobus oppoſitis, ad quæ indifferenter ſe habeat. *Quia,* vt ipſemet Zumel diſcurrit in fine primæ concluſionis, *de ratione libertatis eſt, quòd poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poſſit agere, & non agere; & conſequenter, poſito toto ordine cauſarum, ſemper cauſa libera debet eſſe indifferens, vt maneat libera.* Si autem voluntas in tempore phyſicè prædeterminatur ad vnum; ergo non manet indifferens, & libera. Si ab æterno prædefinita eſt operatura vnum, non aliud; ergo Deus cum tali voluntate ita ab ipſo efficaciter prædeterminata, non vult concurrere niſi ad vnum; ergo voluntas non poteſt agere niſi vnum; ergo voluntas per æternam Dei prædefinitionem prædeterminata ad vnum, non ad aliud, non poteſt agere, & non agere: quia nulla cauſa ſecunda poteſt agere quod Deus efficaciter vult vt non agat; nec contra, poteſt non agere, quod Deus efficaciter vult vt agat. Qui igitur ponunt prædefinitionem Dei omnino antecedentem, & prædeterminantem, verbis dumtaxat libertatem tueri poſſunt, re tamen vera eam deſtruere videntur.

*Prædeterminationem pugnare cũ modo operandi liberè.*

## *Defenditur Suarez contra Nauarrete.*

52. Suarez opuſcul.1.lib.3.cap.19. à num.18.ad 21. probans, per efficacem, & gratuitam electionem ad gloriam non lædi libertatem, tria dicit. Primum, per hanc electionem non determinari hominem ad aliquem actum voluntatis ſuæ in particulari. Secundum, per eamdem electionem, ex vi ſuæ cauſalitatis, & per ſe non immutari voluntatem. Tertium, ſuppoſitionem ex præfinitione actus liberi non eſſe omnino antecedentem, ſed fundari in alia priori ſuppoſitione, & illam virtute includere: quia talis præfinitio eſſe debet poſt præſcientiam conditionatam, quæ ſupponit effectum ſub his vel illis conditionibus futurum ex libera determinatione voluntatis, quas conditiones præfinitio ſequi debet.

*Referuntur tria dicta Suarez.*

53. Nauarrete hîc, controuerſ. 31. §.7. contra primum dictum inſtat, quia *Suarez contradicit ſibi ipſi 1.part. tractat.2. lib.1. cap.7. à num.12. impugnanti ſententiam tenentium, quòd non ſit prædeſtinatio per abſolutam præfinitionem omnium actuum liberorum in particulari.* Vnde Nauarrete in eamdem impugnationem multa congerit probando concluſionem dub.1.ſupra num.4.

*Obiectio contra primum dictum.*

Reſpondeo, hac in re immorandum non eſſe, quia illa Suarez reſponſio præproperè nimis dici potuit contradictio ab eo, qui eam fortaſſe non integrè legit. quia in fine ipſemet Suarez de primo illo dicto ita ſcribit, *Neque vniuerſaliter ſatisfacit quoad omnes prædefinitiones diuinas, neque etiam in præſenti declarat rem totam: nam poteſt vrgeri caſus, in quo neceſſarius ſit aliquis actus in particulari ad gloriam conſequendam.*

*Reſponſio.*

54. *Contra ſecũdum dictum arguit 1.* Contra ſecundum dictum inſtat primò ſic, *Dato quòd electio immutaret phyſicè voluntatem, adhuc non tolleret libertatem.* Idque, inquit, *probatur ex D. Thoma paſſim docente, quòd Deus non tollit libertatem, mouendo voluntatem, quia mouet illam ad modum ipſius voluntatis, ſcilicet per quamdam indifferentiam ad vtrumlibet.*

*Arguit 2.* Secundò, quia ſicut Deus per electionem ſuam mediorum, cauſat in homine eorumdem mediorum electionem; ita per ſuam intentionem finis, cauſat in homine eiuſdem finis intentionem. Idque probat, *Nam Deum præordinare ad finem hominem, eſt cauſare in illo intentionem finis.*

*Arguit 3.* Tertiò, cùm docet Suarez, *quòd ſuppoſitio antecedens tollit libertatem, quando determinat omnino voluntatem ad vnum*, inquit Nauarrete, *latet æquiuocatio. Si enim ſuppoſitio antecedens, ſolùm determinat, & non compatitur ſecum aliquam indifferentiam, talis ſuppoſitio non communicat libertatem in operando voluntati motæ. Cæterum ſuppoſitio antecedens, quam nos ponimus, non ſolùm tamquam requiſitam ad hoc, quòd liberè moueatur voluntas, verùm etiam tamquam communicantem libertatem actualem voluntati, eſt ex qua non ſolùm ſequitur in voluntate determinatio ad vnum, verùm etiam intrinſecus modus, quem voluntas ſecundùm ſuam naturam ſeruat in motione libera ſecundùm indifferentiam ad vtrumlibet.*

*Arguit 4.* Quartò, *Si prius tempore daretur ſuppoſitio omnino determinata, & ex illa ſequeretur operatio voluntatis, impoſſibile eſſet ſaluare libertatem: implicat enim, quòd ex eo, quod omnino iam præceſſit, tamquam determinatum ad vnum, ſequatur indifferentia ad vtrumlibet. Quapropter ſuppoſitio illa eſt in æternitate, tamquam præſentanea, & coëxiſtens intentioni liberæ voluntatis; & ſolùm præcedit natura ſecundùm genus cauſalitatis, quatenus ex electione diuina procedit, voluntatem creatam tendere in finem, ad quem e. igitur.*

55. *Reſpondetur ad primum, prædeterminationẽ opponi indifferentiæ.* Reſpondeo ad primum, tranſeat totum. Verùm enimuerò cum Nauarrete in omnibus operibus ſuis totus penè ſit in probando, quòd voluntas creata moueatur per prædeterminationem ad vnum, tam extrinſecam, quàm intrinſecam, quantùm cohærenter, & intelligibiliter nunc concedat, quòd eadem moueatur *per indifferentiam ad vtrumlibet*, vel ipſimet termini, qui ſeſe inuicem euidenter excludunt, apertiſſimè demonſtrant: quis enim concipere poteſt, voluntatem moueri vt determinatam ad vnum, & ſimul reſpectu eiuſdem moueri vt indifferentem ad vtrumlibet? Hoc enim non minus eſt, imò prorſus idem eſt, ad eumdem actum per idem principium moueri neceſſariò, & ſimul moueri liberè: quod nemo eſt, qui non ſtatim abſurdum iudicet. Optimè igitur Suarez in ſuo ſecundo dicto probat, operandi libertatem non tolli per prædeſtinationem, & quamlibet prædefinitionem effectus liberi, ex eo quòd ipſamet prædefinitio quamuis ſit quædam determinatio vnius partis, non immutat hoc eodem modo voluntatem, prædeterminando illam ad vnum, ſic enim libertas deſtrueretur, ſed tantùm immutando illi media ſimpliciter indeterminata, & indifferentia, cum quibus præuiſa conditionaliter fuerat operatura illud vnum, quod deinde præfinitum, ac determinatum eſt vt fieret.

56. *Ad ſecũdum explicatur modus, quo intentio, & electio cauſãtur à Deo.* Ad ſecundum, perperam diſtingui illos duos actus noſtros, intentionis, & electionis, quorum primus cauſetur ab intentione diuina, ſecundus à diuina electione. Vterque omnino actus cauſatur tam à diuino decreto intentionis de fine gloriæ, quàm à diuino decreto electionis de mediis gratiæ; diuerſo tamen modo; à primo decreto cauſantur finaliter, appetendo, & intendendo; à ſecundo decreto cauſantur effectiuè, exequendo; ſiue, vt communiter dici conſueuit, per modum intentionis, & per modum exequutionis. Quare Deum præordinare hominem ad finem, non ſolùm eſt cauſare in illo intentionem finis, ſed etiam in eodem genere cauſæ finalis cauſare in illo electionem mediorum propter finem intentum.

57. *Ad tertium notatur inſigne Nauarr. dictũ contra libertatem.* Ad tertium, nullam in dicto Suarez æquiuocationem latere, quia diſtinctio, & explicatio, quam illi addit Nauarrete, reddit apertè libertatem noſtram omnino commentitiam, vt tetigi ad primũ. Verùm hîc longè maius, & inintelligibilius abſurdum ſuperadditur. Nam non ſolùm ponuntur ſimpliciter ſimul in eadem voluntate reſpectu eiuſdem actus, prædeterminatio ad vnum, & indifferentia ad vtrumlibet, quarum rerum incompoſſibilitas ſtatim ſe ſe prodit auditis terminis; ſed ipſamet prædeterminatio ad vnum, dicitur *requiſita ad hoc quòd voluntas moueatur liberè cum indifferentia ad vtrumlibet.* Et propterea dicitur etiam, quòd prædeterminatio ad vnum, *communicat voluntati libertatem actualem, & indifferentiam ad vtrumlibet.* Quòd duo oppoſita in eodem ſubiecto ſint, ferri vtcumque poteſt, cum non deſint qui id aliquando dixerint; quòd autem vnum oppoſitum, ipſum ex natura ſua ſit cauſa, ſeu ratio, vt ab ipſo ſit, & ſecum in eodem ſubiecto compatiatur aliud oppoſitum, nulla ratione ferri poteſt; & qui adhuc dixerit, inuentus eſt nemo, præter vnum Nauarrete; qui in hoc, ſicut etiam in nonnullis aliis dictis, vt ſuperius adnotaui, à ſuis etiam diuiſus eſt. Cum dicis, *ex prædeterminatione ad vnum ſequitur in voluntate intrinſecus modus, quem voluntas ſecundùm ſuam naturam ſeruat in motione libera ſecundùm indifferentiam ad vtrumlibet*; quæro, vbi nam ſit formaliter libertas? nónne naturalis rationis, & fidei etiam lumine docemur omnes, eſſe ſolùm in voluntate? Cur igitur non aſſeris, intrinſecum operationis liberæ modum prouenire ex voluntate, ſed recurris ſolùm ad prædeterminationem ad vnum; quæ cum ſit formaliter oppoſita indifferentiæ ad vtrumlibet, hoc eſt, libertati, ac proinde eſſe nequeat in ſe libera, neque formaliter, neque virtualiter, non poteſt intelligi eſſe id vnde ſequatur intrinſecus modus libertatis?

58. *Ad quartum, prædeterminationem non ſtare cum libertate.* Ad quartum, ſi prædeterminatio præcedens tempore, tollit libertatem, vt conceditur, non video cur eadem prædeterminatio, præcedens tantùm natura, libertatem tollere non debeat. præcedentia enim temporis non immutat naturam rei, vnde ſolùm oritur effectus tollendi, vel non tollendi libertatem. Quare cùm ſuppoſitio illa realis prædeterminationis ad vnum, dicitur eſſe in æternitate, tamquam præſentanea, & coëxiſtens intentioni liberæ voluntatis, id quidem falsò, & inſufficienter dicitur. Falsò, quia præſentiam illam rerum temporalium in æternitate fictitiam eſſe, & contra mentem S. Thomæ, oſtendimus ſupra q. 14. art. 13. inſufficienter, quia eſto in æternitate præſentes, & coëxiſtentes ſint prædeterminatio voluntatis, & intentio voluntatis; ita tamen coëxiſtere debent, vt prior natura ſit prædeterminatio voluntatis, & intentio poſterius natura intelligi debeat eſſe vt procedens à voluntate prædeterminata ad vnum, ac proinde, non vt libera.

59. *Contra tertiũ dictum arguitur 1.* Contra tertium dictum obiicit Nauarrete in §. 8. nonnulla, quibus ſatisfactum ſufficienter eſt in ſuperioribus. Deinde ſic inſtat primò. *Quicquid in Petro cognoſcit Deus, pertinens ad conſequutionem vitæ æternæ, ſequitur ex prima electione, qua Petrum elegit ad vitam æternam: ergo nec abſolutè, nec ſub conditione*



*ditione cognoſcit merita Petri ante talem electionem.* Conſequentiam falſam de cognitione meritorum ſub conditione probat, *Nam implicat, Deum incipere ab hac cognitione conditionata, ſed debet incipere à cognitione abſoluta, vt probatum eſt.* Hoc autem ſuperius probauerat ex eo quòd Deus cognitionem effectus futuri, *debet neceſſariò fundare in concurſu ſuo, conditionato, ſi cognitio eſt conditionata, abſoluto, ſi cognitio eſt abſoluta; aliàs cognoſceret talem rem fiendam, ita independenter à concurſu ſuo, vt non præcederet in Deo aliqua ratio cognoſcendi eamdem rem certò, & infallibiliter: & conſequenter immediata ratio cognoſcendi futurum illud ſub conditione, eſſet res ipſa ſecundùm quòd eſt extra Deum: quod tamen*, inquit, *eſt manifeſtum delirium, ergo Deus in tali cognitione incipit à ſeipſo.*

*Reſpondetur, Deũ in cognitione effectuũ ſemper incipere à ſeipſo.* Reſpondeo, opus eſſe maiori diſtinctione, & claritate, vt penetrari poſſit punctum noſtræ controuerſiæ. Enimverò ita vniuerſaliter, & confusè loquendo, nemo poteſt negare, Deum in omni cognitione de effectibus futuris, etiam liberis, incipere à ſeipſo, & à concurſu ſuo, qui ſemper eſt cauſa concurſus creaturæ. Itaque concedo ſimpliciter, Deum in ipſamet ſcientia media incipere à ſuo concurſu conditionato, per voluntatem conditionatam, & ſecundùm obiectum, & ſecundùm actum: quia, vt non ſemel ſuo loco cum Suarez, & aliis noſtris Theologis notatum eſt, inter alias conditiones antecedentes, quas per ſcientiam mediam præuidere debet Deus vt præuideat effectus contingentes conditionatos, vna, eáque præcipua, eſt ſuum liberum decretum concurrendi. probandum verò erat, quod ſolum poſitum eſt in controuerſia, Deum incipere à ſeipſo, non ſimpliciter, ſed prædefiniente; & à ſuo concurſu, ſeu decreto, non quocumque, ſed prædeterminatiuo cauſarum ſecundarum.

*Quo modo Deus videat in ſeipſo futura contingentia.* Loquutus ſum de ratione ſimpliciter cognoſcendi, nam de ratione determinata cognoſcendi vnum effectum, & non alium ex duobus oppoſitis, quos cauſa libera poteſt efficere per indifferentiam ad vtrumlibet, ſuperius demonſtraui, eam non eſſe ſumendam ex parte Dei prædeterminantis, aut prædeterminati, ſed ex parte cauſæ ſecundæ liberæ, per intrinſecam, & completam ſuam indifferentiam ſeſe determinantis ad vnum, quod illi libet. Qua obiectiua determinatione præſuppoſita purè terminatiuè, & per dependentiam à libera primæ cauſæ voluntate, non tamen prædeterminante, ſed indifferente, habet Deus in ſeipſo ſufficientiſſimam rationem, primariò, & formaliter obiectiuam, & mouentem, in qua futurum illum determinatum effectum inſpicere poſſit, & non eius oppoſitum. Quæ omnia ſuis in locis diligenter explicata ſunt. *S. Thom.* Etſi S. Thomas ſupra quæſt. 14. art. 13. apertè docet, & probat, Deum, effectum ad vtrumlibet contingentem cognoſcere *in ſeipſo ſecundùm quod iam in actu eſt, & non vt eſt in ſua cauſa*, quæ cauſa præcipuè eſt ipſemet Deus per liberam ſuam concurrendi voluntatem, nimis liberè, non tam contra noſtrum Suarez, quàm contra Magiſtrum ac Doctorem ſuum audet affirmare, contrarium eſſe *manifeſtum delirium.* Vtinam & ipſi, & reliquis omnibus tribuat Deus, in hoc delirio ſapere.

60. *Arguitur ſecundò.* Inſtat 2. contra Suarez dicentem tria de ſcientia conditionata. primò, *quòd eſt neceſſaria ex parte Dei.* ſecundò, *quòd in Deo nullum ſupponit decretum liberum.* tertiò, *quòd eſt libera ex parte obiecti.* Sequeretur, inquit Nauarrete, primò, *quòd libertas in rebus non participaretur à primo exemplari libertatis.* ſecundò, *quòd Deus neceſſariò cognoſcat Petrum facturum hoc vel illud, & quòd remaneat libertas in Petro ad non faciendum illud.* Præterea, *vt penitus deſtruatur*, inquit, *dicta imaginatio*, ita arguit tertiò. *ſi Deus cognoſcit neceſſariò, quòd Petrus oblata tali occaſione debet exercere talem actum, ſequitur, in Deo non præcedere aliquod principium indifferens, in quo reluceat indifferentia ad exercendum, vel nõ exercendum talem actum. Si enim præcederet, non determinaretur Deus ad neceſſariò cognoſcendum dictum actum. ergo libertas Petri non præcedit in Deo: atque adeo Petrus non recognoſcit ſuperiorem in illo modo operandi liberè, ſed ipſe eſt regula ſui ipſius.*

*Reſpondetur explicando, & defendẽdo ſentẽtiam de ſcientia media.* Reſpondeo, tria illa ſapienter dicta eſſe à Suarez. ſolùm maiori explicatione indiget ſecundum dictum. Scientia media ex ſuperius probatis, nullum ſimpliciter ſupponit decretum realiter in actu poſitum. obiectiuè vero nullum ſupponit decretum prædefiniens, ſupponit autem decretum indifferens, & conditionatum ad duas partes oppoſitas. *Quo modo libertas noſtra participetur à libertate Dei.* Ad primum, nego ſequelam. imò ſi libertas Dei eſſentialiter conſiſtit in operandi indifferentia abſque vlla prædeterminatione ad vnam partem, vt oſtendi ſupra quæſt. 19. art. 3. nos, qui eamdem indifferentiam in creata voluntate eſſe contendimus, rectè explicare poſſumus libertatem noſtram participatam à primo exemplari libertatis. Quod præſtare non poſſunt qui nullam aliam in creaturis libertatem agnoſcunt niſi prædeterminatam ad vnum. Ad ſecundum. Quòd Deus neceſſariò cognoſcat effectus liberos, nullum eſt abſurdum, imò catholica veritas, modò illud, *neceſſariò*, rectè intelligatur vt cadens ſupra cognitionem, non ſupra rem cognitam. Ad tertium. illud ſequi in ſententia contraria, non in noſtra; quoniam cum aduerſarij velint, ante ſcientiam conditionatam præcedere in Deo decretum prædeterminans ad vnum, non poſſunt conſequenter, & intelligibiliter aſſerere præcedere in Deo principium indifferens. Suarez verò, aliíque noſtri Theologi, docentes, Deum ad actus noſtros liberos concurrere per decretum indifferens, quod actus conditionatè futuros antecedit obiectiuè, & abſolutè futuros antecedit etiam realiter, veriſſimè, & cohærenter dicere poſſunt, ita Deum neceſſariò cognoſcere effectus liberos, vt tamen in eo ſemper aliquo modo præcedat principium indifferens, in quo reluceat indifferentia cauſæ ſecundæ liberæ. *Qua ratione determinetur Deus ad cognitionem effectus liberi.* & cùm contra hoc arguis, *ſi præcederet, non determinaretur Deus ad neceſſariò cognoſcendum dictum actum*, concedo de determinatione intrinſeca, nego de determinatione extrinſeca; ab ipſa enim determinata, atque extrinſeca veritate, & intelligibilitate obiectiua actus, facillimè intelligitur determinari diuinus intellectus, ex ſeipſo intrinſecè determinatus ad cognoſcendum quodlibet verum, & intelligibile. Præſuppoſita igitur extrinſeca cauſæ liberæ determinatione, quæ eſſentialiter prærequiritur ad conſtituendum hoc determinatum obiectum intelligibile liberum, & non aliud oppoſitum, ſtatim abſque alio ſuperaddito Deus eſt determinatus completè, hoc eſt, tam intrinſecè per infinitam ſuam intelligendi virtutem, quàm extrinſecè per determinationem obiecti extra ſe liberè factam à cauſa ſecunda libera, ad illud intelligendum. Falſa igitur eſt vltima conſequentia, nempe, *libertas Petri non præcedit in Deo, nec Petrus recognoſcit ſuperiorem in modo operandi liberè.* Deus ſapientiſſimus, atque optimus ſuperior eſt. Vnde cauſas ſecundas ſibi ſubiectas, natura ſua liberas ad vtrumlibet, non violenter, & quaſi tyrannicè

coarctat ad vnum, veluti pecora campi, ſed ſuauiter iuxta naturalem earum conditionem dirigit, & adiuuat indifferenter ad oppoſita, vt eligant quod ipſis libuerit. quæ ſanè eſt omnium Theologorum ne dicam fidelium, veneranda doctrina, non Suarez imaginatio.

61. *Arguit tertiò.*

Inſtat 3. *Implicat, etiam conditionaliter cognoſcere, aliquem exercendum in merito ducente efficaciter ad finem, niſi præcognoſcatur ordo ad finem: ergo cognitio illa conditionata præſupponit electionem ad gloriam.*

*Reſpondetur, electionem ad gloriam non eſſe ante ſciẽtiam mediã.*

Reſpondetur negando ſimpliciter conſequentiam: quia ordo ſimpliciter ad gloriam ſufficientiſſimè habetur per gratiam, & voluntatem dandi illam; & ordo conditionatus ad gloriam, per gratiam conditionatam, & conditionatam voluntatem dandi illam, & ordo infallibilis ad gloriam per gratiam infallibilem infallibilitate habita vi præſcientiæ conditionatæ. ex hoc autem antecedente ita explicato non deducitur præcedens electio ad gloriam, ſed ſolùm præcedens gratia conditionata, prȩcognita vt infallibile gloriæ medium ab infallibili præſcientia conditionata.

62. *Arguit quartò.*

Inſtat 4. *cognoſcere ſub conditione, quòd ſi Sol lucet, dies eſt, omnino impertinens eſt, ſtante iudicio abſoluto, quòd Sol lucet, & dies eſt. Vel ſi intendo currere, impertinens eſt intendere ſub conditione motum, licèt verum ſit dicere ſub conditione, quòd ſi curram, mouear.* ergo pariter impertinens eſt ſcientia conditionata ad prædefiniendum actum liberum.

*Reſpondetur tradendo doctrinam inter conditionalia neceſſaria, & libera.*

Reſpondeo, falſam eſſe conſequentiam, in qua à conditionalibus neceſſariis, cuiuſmodi ſunt, diem eſſe ſi Sol lucet, aliquem moueri ſi currit, fit vitioſè tranſitus ad conditionalia libera, v. g. ſi Paulus hoc modo vocaretur, conuerteretur; ſi vocaretur alio modo, non conuerteretur. Quæ ex ſe non ſunt infallibilia, ſicut alia prioris generis; & ideo vt infallibiliter à Deo prædefiniantur per voluntatem ſuauem, ac prudentem, non deſtructiuam humanæ libertatis, neceſſariò prærequirunt in diuino intellectu antecedentem, atque infallibilem præſcientiam conditionatam. Quæ verò hîc repetit Nauarrete contra ſcientiam conditionatam, quæ, inquit, *non eſt ponenda formaliter in Deo,* ſoluta, & confutata ſunt etiam ex Thomiſtis ſupra quæſt. 14. art. 13. num. 211. & 215. & à n. 240. ad 250.

63. *Arguit quintò.*

Inſtat 5. quia Suarez lib. 1. de Prædeſtin. cap. 7. num. 21. dicit, *quòd ſcientia conditionata non pertinet vllo modo ad prædeſtinationis effectus.* & ſimul dicit, quòd eſt neceſſaria ad ſaluandam libertatem; quæ duo, inquit Nauarrete, *fateor me non intelligere: quia libertas requiritur in quodam effectu prædeſtinationis, cuiuſmodi eſt meritum.*

*Reſpondetur explicando modum, quo neceſſaria eſt ſciẽtia media ad effectus prædeſtinationis.*

Reſpondeo, intelligendi defectum prouenire ex eo, quòd falsò referatur primum dictum Suarez, qui non ait, *non pertinet vllo modo,* ſed vno tantùm modo. Hæc ſcientia conditionata, inquit Suarez initio numeri citati, *non eſt per ſe, ac ſimpliciter neceſſaria ed effectus, qui prædeſtinantur, per ſe ſpectatos: eſt verò neceſſaria ad ipſos effectus, vt ex prædeſtinatione fiant.* quia nimirum, ſi prædeſtinarentur abſque præſcientia conditionata, non eſſent effectus liberi. & ideo hæc ſcientia dici debuit neceſſaria ad libertatem, ſcilicet effectuum prædeſtinationis, hoc eſt, non effectuum liberorum ſecundùm ſe, qui adhuc eſſent liberi ſi non eſſent prædeſtinati, ſed effectuum liberorum, vt ſalua eorum libertate poſſint à Deo prædeſtinari.

64. *Arguit ſextò.*

Inſtat 6. in §. 9. dicens, *execror illam coactionem poſitam in Deo à Suarez opuſc. 1. lib. 3. cap. 19. n. 20.* Ita optimè docentis, *ex vi decreti prædefinientis liberum finem, cogitur, vt ita dicam, Deus ad applicanda illa media, quibus ſcit voluntatem humanam mouendam ad vſum liberum; atque ita planè fit, vt nullam libertatem tollat.* Contra arguit Nauarrete. *liber modus operandi perficitur procedendo ex intentione ad electionem; quod nullus, vel mediocriter inſtructus in Theologia, poteſt negare: tamen Suarez mutat iſtum ordinem in Deo, ponens coactionem procedendo ex intentione ad electionem.*

*Reſpondetur retorquendo argumẽtum.*

Reſpondeo, Nauarrete nimis facilè execrari quod nullus bonus Theologus, ne ipſe quidem negare poteſt. Non ne in eius ſententia Deus ex vi prædefinitionis de aliquo fine libero, v. g. de actu fidei, vel charitatis, cogitur eligere medium auxilij prædeterminantis ad illum actum, ita vt impoſſibile omnino ſit aſſequi finem efficaciter intentum, & eligere, ac dare aliud medium non prædeterminans? Non ne in omnium ſententia, poſito quòd Deus liberè promittere voluerit vitam æternam omnibus, ſi ſeruauerint mandata, dare cogitur, vel quaſi cogitur, hoc eſt, non poteſt non dare vitam æternam iis, qui mandata ſeruabunt? Ad argumentum igitur Nauarrete facillimè dicitur, quòd antecedens, in ſenſu, qui facit ad rem, & debet ab arguente intendi, eſt manifeſtè falſum, nempe, quòd eſt perfectior libertatis ratio in electione medij, quàm in intentione finis; enimverò in intentione finis nulla eſſe poteſt neceſſitas, neque ſimpliciter, neque ex ſuppoſitione. at in electione, ſemper eſt neceſſitas ex ſuppoſitione, tum vniuerſaliter, quia voluntas ſi intendit finem, non poteſt non eligere media ad finis conſecutionem; tum particulariter, quia ſi voluntas intendit talem finem, & tali modo, v. g. efficaciter, atque infallibiliter, non poteſt non eligere talia media, & media infallibilia, & ſimul non neceſſitantia, ſi intentio eſt de fine libero; imo vnum aliquod determinatum medium, ſi illud eſt neceſſarium ad obtinendum finem efficaciter intentum, v. g. poſito quòd Deus præuiſo peccato decreuerit ſaluare genus humanum perfectiſſimo modo ex iuſtitia, neceſſaria omnino fuit aſſumptio naturæ creatæ in vnitatem diuinæ perſonæ, vt ſuo loco probaui. optimè igitur Suarez docuit, in electione Dei ſimpliciter libera, qua ſtatuit de mediis ad actum aliquem liberum à ſe efficaciter prædefinitum, & præintentum, eſſe quamdam veluti coactionem, quæ non eſt aliud niſi neceſſitas ex ſuppoſitione, quæ ſtare poteſt cum libertate, & non reperitur in præſuppoſita finis intentione. Atque hæc ſunt adeo clara, & certa apud omnes Theologos, & Philoſophos, vt non ſit credibile de contrariis propoſitionibus ſcripſiſſe Nauarrete, *Nullus vel mediocriter inſtructus in Theologia poteſt negare.* Verùm omnis alius ſenſus non videtur facere ad rem; plura alia coaceruantur in eodem §. 9. ſed omittimus, quia vel apertè falſa ſunt, vel ſuperius diſſoluta, vel ſunt acerba, ac moleſta verba, quæ nulli nocent veritati, pro cuius ſolùm defenſione ad maiorem Dei gloriam, his commentariis ſcribendis abſque vlla offenſione, ac vindicta laboramus.

*Maiorem libertatem eſſe in intentione finis, quàm in electione mediorum.*

## *Diſſoluuntur obiectiones Gonzalez.*

*Prima obiectio.*

Præterea Gonzalez d. 45. ſect. 7. à num. 69. contra ſcientiam mediam, per nos neceſſariò prærequiſitam ad hoc vt Deus liberos actus noſtros prædefinire poſſit, obiicit primò. In opinione noſtra de ſcientia media, *Deus concurrit ad actus noſtros liberos per voluntatem, qua paratus eſt concurrere ad id,* 65.



*id, quod Petrus voluerit: ergo concurrit ignorando id, ad quod determinatè concurrit; ac proinde, ſine intentione eius in particulari, & modo cæco, & ignoranti, & abſque conſilio, & prouidentia de tali effectu determinatè, & in particulari.*

*Reſpondetur, decretum indifferens ſtare cum ſcientia, & prouidentia effectus determinati.*

Reſpondeo, conſequentiam eſſe euidenter falſam, vt tetigi etiam ſupra quæſt. 19. art. 4. num. 11. poſt medium, & in hac quæſt. 23. art. 2. num. 14. circa medium, contra eumdem Gonzalez. Nos voluntatem illam Dei abſolutè paratam ad duos oppoſitos concurſus ita ponimus, vt ante illam dari ſentiamus præſcientiam conditionatam, qua Deus certiſſimè prænouit, quod ſi liberè vellet facere decretum de concurrendo ad illam oppoſitionis partem, ad quam Petrus liberè ſe determinauerit, Petrus determinaret ſe ad hanc partem, non ad aliam oppoſitam. Quo fit, vt cùm in poſteriori ſigno concipitur Deus facere prædictum decretum, ſtatim infallibiliter ſciat quid determinatè, & in particulari futurum ſit, idque poſſit intendere cum ſummo conſilio, & prouidentia.

66. *Secunda obiectio.*

Obiicit 2. *ſcientia media præſupponit, quòd futurus eſſet talis effectus in particulari, ergo præſupponit dependentiam eſſentialem talis effectus à ſuis cauſis.* ſed nos nullum alium aſſignamus modum concurrendi primæ cauſæ, niſi *per voluntatem quaſi conditionatam, & quaſi expectantem determinationem noſtram, quia paratus eſt Deus concurrere ad id, quod Petrus voluerit, neſciens tamen determinatè, & in particulari in illa voluntate, aut per aliquod iudicium dirigens illam, ad quod concurrere velit. ergo cæco, & ignoranti modo, & abſque prouidentia, & conſilio præbet Deus illum concurſum.*

*Reſpondetur explicando modum, quo Deus per voluntatem ſuã concurrit ad actus liberos.*

Reſpondeo, concedo maiorem, & primam conſequentiam: ſed diſtinguo minorem, nam ſi intelligitur de modo concurrendi abſolutè ad actus ſupernaturales prædeſtinatorum, v. g. fidei, pœnitentiæ, de quibus Gonzalez expreſsè loquitur, nego illam, quia ad hos actus concurrit Deus per voluntatem abſolutam, & efficacem, prædefinitiuam vnius particularis, & determinatæ partis. Si verò intelligitur de modo concurrendi conditionatè, qui ſolus eſt nunc ad rem, & directè intendi debet ab arguente, concedo, effectum liberum conditionatè futurum à cauſa ſecunda libera, pendere conditionaliter à voluntate primæ cauſæ *quaſi conditionata,* item, *quaſi expectante,* hoc eſt, non prædeterminante ad vnum cauſam ſecundam liberam, ſed relinquente illam, vt iuxta naturalem ſuam libertatem ad vtrumlibet, ex duobus concurſibus per voluntatem illam quaſi conditionatam paratis, illum concurſum accipiat quem voluerit, quem quidem concurſum determinatum, & in particulari, etſi Deus neſciat, ſiue, vt cautiùs loquar, non ſciat in illa ſua conditionata, & indeterminata voluntate, nec per aliud iudicium antecedens præſcientiam conditionatam, quia ſcilicet his modis non eſt ſcibilis, certiſſimè tamen ſcit in obiectiua futuri conditionati veritate determinata, & in particulari, vt probatum ex inſtituto eſt ſupra quæſt. 14. art. 13. dub. 19. per ipſammet præſcientiam conditionatam, ac mediam. Falſa igitur omnino eſt vltima conſequentia. Noſtra profectò ſententia de ſcientia media ante decretum, multò maiorem ſcientiam Deo tribuit quàm opinio contraria de ſcientia poſt decretum: quia noſtra vult, Deum, etiam ante vllam ſuam præfinitionem, infallibiliter præſcire quid ex libera creatura futurum eſſet his vel illis conditionibus præſuppoſitis; contraria verò non vult, Deum hoc ſcire, niſi poſt præfinitionem. & ideo noſtra poteſt aſſerere, Deum in ſuis præfinitionibus ſapientiſſimè procedere cum cõſilio, ac prouidentia propter præſuppoſitam futurorum conditionalium infallibilem præſcientiam: quod contraria, hanc præſcientiam negans, non poteſt aſſerere.

*Quomodo Deus præſciat actus noſtros liberos.*

*Hoc,* inquit Gonzalez, *valde friuolum eſt. Primò quia præſupponunt defenſores ſcientiæ mediæ, quòd modus concurrendi prærequiſitus ex parte cauſæ primæ ad talem effectum, eſt, paratum eſſe ad concurrendum ad id, quod voluntas creata elegerit, abſque aliquo iudicio intellectus dirigente voluntatem ad talem effectum in particulari; ergo modo cæco, & ignoranti. Secundò, quia ridiculum eſt, alium modum concurrendi aſſignare Deo in præſcientia illa media, & alium diuerſum reipſa: tunc enim ſcientia media falſa eſſet, & ad nihilum vtilis, falſa, quia affirmat, quòd ſi Deus vocaret Petrum, & tali modo concurreret cum illo, ille vellet pœnitere; & tamen reipſa abſolutè, non illo modo, ſed alio longè diuerſo cum illo concurrere debet:* & eadem ratione probat, quòd non ſit vtilis; additque, *Cùm dicant concurſum ad actum ſecundum non præparari niſi iam vocato, implicatio eſt, quòd per voluntatem illam conditionatam præparetur; quia iam ſcit Deus quid electuri ſumus, & hæc noſtra determinatio iam eſſet futura pro illo ſigno, quo iam vocati ſumus.* 67. *Inſtat 1.* *Inſtat 2.*

*Reſpondetur ad primum, Deum per ſcientiã mediam nõ concurrere cæco modo.*

Ad 1. nego iterum conſequentiam vt ſupra, in hoc modo concurrendi ex parte primæ cauſæ, qui præuidetur per ſcientiam conditionatam, nulla alia cæcitas, nulla ignorantia cogitari verè poteſt, niſi quia in modo concurrendi primæ cauſæ ad effectus liberos, non præuidetur modus concurrendi neceſſariò, hoc eſt, per abſolutam, & efficaciſſimam voluntatem, quæ cauſas ſecundas, natura ſua liberas ad vtrumlibet, prædeterminet ad vnum violenter contra naturalem earum exigentiam. Quamobrem allata ſolutio non eſt friuola, ſed fortiſſimum libertatis creatæ propugnaculum.

*Reſpondetur, modum concurrendi conditionatè, & abſolutè, non eſſe diuerſum.*

Ad 2. Ridiculum eſſet, ſi nos totum modum concurrendi, quem aſſignamus in effectibus liberis conditionaliter futuris, non aſſignaremus in iiſdem effectibus, cum in poſteriori ſigno, purificatis conditionibus, intelliguntur de ſtatu conditionato tranſire in ſtatum abſolutum. Non eſt autem ridiculum, ſed verum neceſſarium, ſupra totum hunc concurſum addere aliud concurrendi principium in iiſdem effectibus abſolutè futuris per prædefinitionem; quia hæc, vt probatum eſt ſupra art. 2. dub. 1. & hoc art. 4. dub. 3. non eſt abſolutè neceſſaria ex parte ipſorum effectuum ſecundùm ſe. Hoc igitur poſito, nego, ſcientiam mediam eſſe falſam; falsò enim dicitur Deus, *abſolutè non illo modo concurrere,* illo prorſus eodem modo, quo per ſcientiam mediam præuiſus eſt conditionaliter concurſurus, concurrit abſolutè, ſed ſupperadditur prædefinitio. Vnde etiam nego, eamdem ſcientiam ad nihilum eſſe vtilem. Ad id, quod additur, dico falſo, vel ſaltem confusè de nobis referri, quod aſſeramus, concurſum ad actum ſecundum ſub conditione, *non præparari niſi iam vocato.* ſub conditione, de quo ſtatu nunc diſputamus, nullus abſolutè dici poteſt vocatus, nullus præparatus concurſus. Solùm verè dicitur, & per ſcientiam mediam infallibiliter præuidetur, quòd ſi Deus vellet facere decretum de vocando, & aliud decretum de indifferenter concurrendo cum tali vocato iuxta naturalem libertatis conditionem, vocatus reſponderet; quo conceptu integrè habito, nulla eſt implicatio: cum enim inter neceſſarias conditiones antecedentes, à quibus pendet effectus liber conditionatè futurus, ſit voluntas

Dei

Dei conditionata, & indifferens, ante hanc obiectiuè præcognitam, effectus ille præſciri nulla ratione poteſt.

## DVBITATIO V.

### *An omnium ſupernaturalium actuum prædefinitio de facto detur.*

### SVMMA.

1 *Probatur dari prædefinitionem ſimpliciter. n.68.*
2 *Traditur regula generalis de actibus prædefinitis. num.69.*
3 *Eſſe prædefinitos omnes actus ſupernaturales prædeſtinatorum. num.70. ad 74.*
4 *Item reproborum. num.74.*

68. *Sexta cõcluſio affirmatiua de prædefinitione ſimpliciter.* *Cenſura contrariæ opinionis ex Suarez.*

SExta concluſio, liberorum, ac bonorũ actuum prædefinitionem, ſimpliciter loquendo, de facto dari in Deo, eſſe debet apud omnes Theologos indubitata veritas: ita vt de contrario Suarez opuſ.1.lib.2.cap.7.num.2. ſic meritò cenſeat. *Mihi non videtur vera doctrina, nec conſentanea Auguſtino, D.Thomæ, & probatioribus Theologis; imo nec modo, quò ſcriptura loquitur in multis effectibus prouidentiæ diuinæ, in his præſertim quæ ad hominum ſalutem æternam, & prædeſtinationem ſpectant.* In hoc omnes conueniunt, non ſolùm veteres, qui de hac re ex inſtituto non diſputarunt, ſed eam vel obiter ſignificarunt, vel nunquam negarunt, verùm etiam recentiores, apud quos huiuſmodi controuerſia copioſiſſimè agitatur. Nemo enim ferè eſt qui neget prædefinitionem ſimpliciter, ſed contendunt duntaxat, an ſit ante præſcientiam conditionatam; an ſit vniuerſaliſſima de omnibus actibus, etiam malis; an ſaltem ſit vniuerſaliter de omnibus bonis. Concluſio igitur probata remanebit ex probandis infra de multis actibus prædefinitis ex authoritate Scripturæ, addita Patrum expoſitione, præſertim Auguſtini.

*Prædefinitio probatur ex prædeſtinatione.*

Conſtat præterea ex dubitatione prima huius articuli. Si enim Deus ante abſolutam præuiſionem meritorum decreuit efficaciter, & abſolutè dare gloriam, & deinde concipitur ad hunc finem ducere per merita, neceſſe eſt, vt liberi meritorum actus infallibiliter per Dei gratiam eueniant, alioquin gloriæ finis efficaciter à Deo intentus poſſet non euenire: ergo vt merita infallibiliter eueniant, eligit Deus media gratiæ infallibilia. ergo in priori ſigno concipi debet abſoluta, & efficaci intentione decernere hæc vel illa merita determinatè, & in particulari: quia, vt docet S.Thomas hîc, & multis probatum eſt ſupra art.1. dub.1. num.60. & 91. *Non præcipitur aliquid ordinandum in finem, niſi præexiſtente voluntate finis.* Hoc autem decretum eſt illud, quod nos vocamus prædefinitionem.

69. *Septima concluſio tradens regulam generalem.*

Septima concluſio. De facto Deus prædefiniuit omnes illos actus, propter quos dare voluit non ſolùm media infallibilia, ſed etiam quia media infallibilia ſunt. Hæc regula generalis euidenter deducitur ex principio ſupra poſito de mente S.Thomæ, Scoti, & aliorum communiter, *quòd ordinatè volens, prius vult efficaciter finem, quàm media efficacia ad illam finem.* ſicut enim cùm Deus prædefinit aliquem finem, à priori arguimus, eum deinde eligere media efficacia, & omnino infallibilia ad illum finem: ita contra, cùm Deus eligit media infallibilia ad aliquem finem obtinendum, à poſteriori arguimus, illum finem abſolutè, & efficaciter ab eo eſſe præintentum, quod eſt eſſe prædefinitum. ergo prædefinitio alicuius finis bene probatur de facto, ſi conſtet de mediis infallibilibus vt ſic electis propter illum finem. Dico, *vt ſic*, & initio concluſionis reduplicatiuè addidi, *quia media infallibilia ſunt*; quoniam poſſunt eſſe aliqua media infallibilia, & vt talia cognita à Deo, & per ſe volita, tamen non vt formaliter media infallibilia, ſed materialiter tantùm & formaliter volita propter alios fines. v.g. præſcit Deus, quòd præſenti tali occaſione ſubeundi martyrium, ſuperandi talem occaſionem carnis, vindictæ, &c. Petrus peccaret. hinc fit, illam occaſionem, vt ſubſtantem præſcientiæ Dei conditionatæ, eſſe medium infallibile ad actum peccati. Deus verò per ſe vult illam occaſionem, quæ eſt medium infallibile ad illum actum, & vt tale cognitum à Deo, tamen non prædefiniuit actum peccati, quia non elegit illam occaſionem vt formaliter medium infallibile ad actum peccati, ſed ob alios fines inefficaciter intentos martyrij, victoriæ, meriti, &c.

*Limitatio regulæ.*

70. *Octaua concluſio affirmatiua de actibus ſupernaturalibus prædeſtinatorum.* *Probatur ratione theologica.*

Octaua concluſio. De facto prædefiniti cenſeri debent omnes actus ſupernaturales prædeſtinatorum. Hoc etiam omnes fatemur. & poſita opinione noſtra de prædeſtinatione facta per gratuitam electionem ad gloriam, demonſtrari poteſt ratione Theologica valde certa. Deus dat prædeſtinatis auxilia gratiæ infallibilia, ad hoc vt infallibiliter faciant actus ſupernaturales, quibus infallibiliter conſequantur gloriam, quod Theologicè probatum eſt ſupra art.1. dub.3. multis authoritatibus Scripturæ, & Patrum, maximè Auguſtini, ſed naturali ratione conſtat, quod ibidem demonſtratum eſt, electionem efficacium mediorum præſupponere in ordinatè volente, qualis concipi debet Deus, efficacem intentionem finis: ergo prædefiniuit Deus omnes illos actus ſupernaturales, per quos ducere decreuit prædeſtinatos ad gloriam. Confirmatur, quia ex dubitatione quarta hic prædefinitionis modus eſt poſſibilis: eſt etiam multùm conueniens diuinæ miſericordiæ, ſapientiæ, libertati, potentiæ, gratiæ, vt declaro ſupra art.2. num.7. & ſpecialiſſimæ prouidentiæ, quam Scripturæ ſanctæ docent habere Deum de prædeſtinatis. ergo nulla probabili ratione negari poteſt, de facto dari.

71. *Probatur authoritate.*

Nititur quoque grauiſſimæ authoritatis fundamento valdè firmo. Primo enim frequenter, vt patet ex multis locis ſuperius allatis, Paulus, & Auguſtinus prædeſtinatos appellant, *vocatos ſecundùm propoſitum.* Nomine propoſiti, omnes intelligimus abſolutum, atque efficacem actum diuinæ voluntatis. & vocari ſecundùm propoſitum, ineptè exponeretur de propoſito terminato ad ipſam vocationem, ſic enim omnis vocatus, eſſet vocatus ſecundùm propoſitum, quod nemo dixerit: ergo exponendũ eſt de propoſito alterius boni, ad quod tendit bonum vocationis, tanquam medium ad finem. ſed hæc ſupradicta vocatio tendit ad hoc vt liberè reſpondeamus, & conſentiamus Deo vocanti, faciendo liberos, & bonos actus fidei, ſpei, charitatis, aliarúmque virtutum, ad quos nos vocat. ergo Deus ex antecedenti propoſito efficaci, & abſoluto horum actuum, vocat prædeſtinatos quadam ſpeciali, & efficaci vocatione, qua, vt ait Auguſtinus libro de correptione, & gratia cap.12. circa finem, *indeclinabiliter, & inſeparabiliter agimur.* Prædefinitio autem, de qua nunc diſputamus, ab huiuſmodi propoſito non differt.

*Quid ſit, vocari ſecũdùm propoſitum.*

*Gratia efficax ſecũdùm Auguſtinum.*

72. *Exponitur locus ad Epheſ. 2.*

Secundò efficax eſſe videtur illud Pauli ad Epheſ.2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis*





*ambulemus.* Conſtat ex antecedentibus ſermonem eſſe de ſupernaturalibus operibus factis ex gratia per merita Chriſti redemptoris. & quamuis non ſit omnino certum, loqui Paulum de ſolis prædeſtinatis, vt bene probat Suarez opuſc.1.lib.3.c.17. num.11. certum tamen eſſe videtur loqui de ſolis iuſtificatis, & valde probabile eſt, loqui etiam de ſolis prædeſtinatis: de iiſdem enim dicit, *Dei ſumus factura*, &c. de quibus immediatè ante ait, *Nos conreſuſcitauit, & concedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu, vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.* quæ verba ſatis propriè conueniunt prædeſtinatis. & ideo illud, *præparauit*, accipiendum eſt pro prædeſtinauit, & prædefiniuit; ad quod reſpexiſſe videtur Auguſtinus cum lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap.10. & 14. prædeſtinationem definit per præparationem, & ſequitur S.Thomas ſupra art.1. ad 3. Ita accipiunt Auguſtinus de Prædeſtinatione ſanctorum, cap.10. initio, illis verbis, quæ vſurpat etiam Beda in illum locum. *Quod ait Apoſtolus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, gratia eſt. quod autem ſequitur, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædeſtinatio eſt.* Proſper ad capitula Gallorum, reſponſ.14. *Fides*, inquit, *& charitatis opera, atque in eis vſque in finem perſeuerantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, rectè & iſta, & quæ ei retribuenda ſunt, prædeſtinata dicuntur ex authoritate Apoſtoli, qui ait, creati in operibus bonis, quæ præparauit*, &c. & lib.2. de vocatione gentium, cap.35. ex iiſdem Pauli verbis ita concludit, *Deus ergo his, quos eligit ſine meritis, dat vnde ornentur & meritis.* Fulgentius lib.1. ad Monimum multò ante med. *ſicut Salomon dicit, quia præparatur voluntas à Domino; ſic etiam bona opera noſtra Paulus à Domino aſſerit præparata, hoc eſt, in prædeſtinatione diſpoſita.* & ſtatim relatis Pauli verbis, ita concludit. *Sicut ergo præparata eſt per prædeſtinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus; ſic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* & præparare, ſumi pro prædeſtinare, confirmat ex illo Matth.25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Vnde paulò ante finem libri, poſt adductas nonnullas Auguſtini authoritates, ſubdit ad rẽ noſtram, *Puto in his dictis B. Auguſtini euidẽter oſtenſum, bona opera ſua Deum præſciſſe, & prædeſtinaſſe. Mala verò opera, hoc eſt, peccata, præſciſſe tantùm, non etiam prædeſtinaſſe.* Theophylactus exponens eadem verba, idem ſignificat dicens, *Deus præparauit hæc: quocirca non ſunt vel differenda, vel reijcienda, ſeu opere diuinitus deſtinato.* Idem Anſelmus ait, *Quæ opera bona Deus prædeſtinando præparauit, præueniens arbitrium noſtrum.* & S.Thomas eadem verba intelligit *de prædeſtinatione*; & reddit rationem dicens, *Nihil enim aliud eſt prædeſtinatio, quàm præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipſa bona opera noſtra. Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum diſpoſuit, ſe nobis daturum.*

Suarez. Auguſtinus. S.Thomas. Beda. Proſper. Fulgentius. *Exponitur locus Matth. 25.* Theophylactus. Anſelm. S.Thom.

73. *Probatur ex Auguſtino.*

Tertiò arguo ex Auguſtino, qui frequenter docet, eſſe quamdam prædeſtinatorum gratiam, & vocationem, quæ eſt antecedens cauſa omnino infallibilis liberorum actuum, eámque à Deo dari ex efficaci, & abſoluta horum actuum intentione, quam nunc prædefinitionem omnes vocamus. In libro primo ad Simplicianum queſt.2. circa medium ait, *Cuius miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat.* ex miſericordiſſima intentione, qua Deus efficaciter vult vt ipſum vocantem non reſpuamus, ſed illi liberè conſentiamus, eligit talem ſpecialem vocationem, quam ſcit, vtique infallibiliter, habituram effectum. Similia verba, quæ ex eodem Auguſtino, Ambroſio, & Chryſoſtomo attuli ſupra quæſt.14. art.13. num.231. & 232. notari, & expendi facilè poſſunt. Idem Auguſtinus ibidem, paulò ante verba citata, *etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, vt ſequantur.* In omni vocatione, & conſequenter voluntate vocandi, relucet aliqua Dei vocantis miſericordia, & antecedit intẽtio finis propter quem vocat, ſcilicet, vt liberè obediamus, & ſaluemur. & nihilominus docet Auguſtinus, Deum miſereri tantùm horum vocatorum, non aliorum: ergo horum miſeretur per antecedentem noſtrorum bonorum actuum intentionem efficacem, & abſolutam, & non inefficacem, & conditionatam, quo modo aliorum etiam miſeretur. & de Prædeſtinatione Sanctorum cap.8. ante medium. *Hæc gratia à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur.* Manifeſtè aſſignat antecedentem, & finalem rationem, ob quam Deus eligit tribuere gratiam efficacem, quia nimirum intendit auferre duritiam cordis, ad hoc vt liberè credant, & obediant. & ſummam efficaciam, atque infallibilitatem intentionis, hoc eſt, prædefinitionem, apertiſſimè infra explicat dicens, *ſi illos, quibus ſtultitia eſt verbum crucis, vt ad Chriſtum venirent, docere voluiſſet, proculdubio venirent & ipſi. Non enim fallit, aut fallitur qui ait, Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Abſit ergo vt quiſquam non veniat qui à Patre audiuit, & didicit.* Venire autem, vt ipſemet Auguſtinus initio capitis exponit, eſt credere, qui noſter actus eſt maximè liber. ergo liberi actus prædefinitionem de facto dari, docet Auguſtinus. Quod rurſus luculentius explicauit cap.16. & 17. nam cap.16. initio de vocatione prædeſtinatorum docuit, *eſſe quamdam certam vocationem eorum, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, qua vocatione fit credens.* & in fine concludit, *Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes ſunt docibiles Dei; nec poteſt eorum quiſquam dicere, credidi vt ſic vocarer: præuenit eum quippe miſericordia Dei, quia ſic vocatus eſt vt crederet*, hoc eſt, ex certa, atque abſoluta prædefinitione vt crederet, tali ſpeciali modo vocatus eſt. & ideo initio capitis decimi ſeptimi, ita clariſſimè addit, *Intelligamus ergo vocationem, qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt, ſed qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipſe ſatis aperit, vbi dicit, non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* & de hac electione ad liberum fidei actum infra loquens, ante ipſam apertè admittit prædeſtinationem, & prædefinitionem eiuſdem actus. *Electi ſunt*, inquit, *ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit. Electi ſunt de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinauit, impleuit. quos enim prædeſtinauit, ipſos & vocauit, illa ſcilicet vocatione ſecundùm propoſitum.* Prius igitur Deus prædefiniuit, ac prædeſtinauit vt aliqui crederent; deinde, vt hoc ſuum miſericordiæ abſolutum, & efficax propoſitum impleret, voluit illis dare talem certam vocationem, vi cuius præſciebat illos liberè, ſed infallibiliter credituros. & cap. ſeq.18. cùm ex verbis Apoſtoli ad Epheſ.1. deduxit, Deum nos eligiſſe, *non quia futuri eramus, ſed vt eſſemus ſancti, & immaculati*, hanc electionem in fine capitis expreſsè diſtinguit in duo propoſita, alterum intentionis, prædefiniens finem, qui ſunt liberi actus prædeſtinatorum; alterum exequutionis, eligens vocationis, & aliarum gratiarum media ad conſequendum talem finem. *Ipſe*, inquit, *operatur ſecundum propoſitum ſuum, vt ſimus*

*Vocatio efficax ex Auguſtino.* Ioan.15.

*in laudem gloriæ eius ſancti, & immaculati*; ecce primum propoſitum intentionis; & ſtatim infert ſecundum propoſitum vocationis, & exequutionis, ex primo quaſi cauſatum, ſubdens, *propter quod nos vocauit prædeſtinans ante mundi conſtitutionem. ex hoc propoſito eius eſt illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* Vnde lib. ſeq. de Bono perſeuer. c.14. aliquanto poſt principium ait, *Tyrij, & Sidonij, credere potuerunt*, &, vt inferius addit, *credidiſſent, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent, ſed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum.* Ideò igitur ſecundùm Auguſtinum Deus in exequutione eligit dare congruam vocationem, qua aliqui infallibiliter credant, quia prius in intentione prædefinit vt credant. *quia*, vt docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 112. art. 3. exponens Auguſtinum in hoc ipſo cap. cit. 14. *intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quòd Auguſtinus dicit in libro de prædeſtinatione ſanctorum, quod per beneficia Dei certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quod homo, cuius cor mouet, gratiam conſequat r, infallibiliter ipſam conſequitur, ſecundùm illud Ioan. 6. Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.*

*S. Thom.*

74. *Nona cõcluſio affirmatiua de actibus ſupernaturalibus reproborum. Suarez.*

Nona concluſio. Supernaturales quoque actus reproborum, qui pro aliquo tempore viuunt in gratia, atque adeo omnes ſimpliciter ſupernaturales actus cenſeri probabiliter debent de facto prædefiniri. Hoc multis bene ſuadet Suarez opuſc. 1. lib. 3. cap. 17. à num. 15. & nemo ferè negat. & non obſcurè ſignificatur in allatiș verbis Scripturæ, & ſanctorum ſupra. Nam hi quoque, qui aliquando verè conuertuntur, & iuſtificantur, dici poſſunt aliquo modo, *vocati ſecundùm propoſitum*, non quidem ad differentiam prædeſtinatorum, ſed ad differentiam omnium, qui vocantur, & non obediunt. Dici quoque ſimpliciter poſſunt, *creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulent.* & vniuerſaliter de omnibus ſupernaturalibus operibus ex Auguſtini ſentẽtia docuit Fulgentius, bona opera ſua Deum pręſciſſe, & prædeſtinaſſe. & quæ de gratia efficaci ſupra ex Auguſtino commemorauimus, conuenienter intelliguntur dicta de iſtis reprobis, qui etiam per efficacem gratiam credunt, & conuertuntur, & iuſti apud Deum verè ſunt pro tali tempore. Vnde ſumitur huius concluſionis ratio, ſimilis rationi concluſionis præcedentis: quia iſtis etiam hîc, & nunc dat Deus infallibile efficacis gratiæ medium ad finem liberè faciendi hunc vel illum liberũ actum, ergo præſupponitur efficax, & abſoluta illius finis intentio, quæ eſt prædefinitio. Vnde generaliter S. Thomas ſupra de omnibus iuſtificatis, & non de ſolis prædeſtinatis, probat, quòd præparanti ſe ad gratiam, gratia datur neceſſariò, *neceſſitate*, inquit, *non coactionis, ſed infallibilitatis.* idque ſtatim probat, *quia intentio Dei deficere non poteſt*, &c. vt ſupra. quibus verbis ſupernaturalium actuum liberorum prædefinitio ſatis clarè ſignificatur.

*S. Thom.*

## DVBITATIO VI.

### *An omnium ſimpliciter bonorum actuum, etiam naturalium prædefinitio de facto detur.*

#### SVMMA.

1 *Concluſio negatiua declaratur, & probatur, n. 75.*
2 *Exponuntur contrariæ authoritates, quas affert Gonzalez. num. 76. ad 81.*
3 *Declaratur duplex prædefinitio, antecedens, & concomitans. n. 79. & 80.*
4 *Soluuntur contrariæ rationes Gonzalez, num. 81. ad 88.*

75. *Concluſio negatiua, eiuſque authores, & aduerſarij.*

VLtima concluſio negatiua noſtrorum Theogorum, in qua ab aduerſariis diſcrepamus: qui cum diuinas prædeterminationes liberarum cauſarum introduxerint vt neceſſarias ad diuinam cauſalitatem, quod reiecimus quæſt. 14. art. 13. ferè per totum, & ad diuinam prouidentiam, quod reiectum etiam eſt cit. art. 13. num. 494. & 540. & quæſt. 22. art. 1. num. 33. & 34. & art. 2. & 3. eas extenderunt non ſolùm ad omnes actus bonos, ſiue ſupernaturales, ſiue naturales, verùm etiam ad actus malos. & ideo excuſandus eſt Zumel, qui liberiùs quàm veriùs hanc concluſionem vocat 1. p. quæſt. 23. art. 4. diſp. vnica, concl. 3. *Non ſanam doctrinam, & pluſquam temerariam, peioríque nota dignam.* & quæſt. 23. art. 3. diſp. 2. concl. 3. *temerariam, & errori proximam.* Vbi non ſatis ſibi conſtat, vt in ipſum, qui cum ipſo in prædeterminatione conſentiunt, aduerterunt, ſupra num. 5. quia ad ſuadendam hanc ſuam temeritatem vtitur rationibus ductis ex generali concurſu primæ cauſæ cum cauſis ſecundis, quæ probant etiam diuinam prædefinitionem actuum malorum, quam vbique ipſemet execratur. Idémque dictum intelligo de Trigeſio 1. p. quæſt. 14. artic. 6. dub. 2. concl. 1. qui hanc cenſuram, vt pleraque alia more ſuo hauſit ex Zumel. Verùm, vt omittam noſtrorum Theologorum authoritates, quæ apud aduerſarios fortaſſe firmæ non erunt, audiant hac de re illuſtriſſimum Durandi teſtimonium 1. d. 47. quæſt. 1. n. 6. vbi loquens de voluntate Dei efficaci, quæ ſemper impletur, ita docet. *Bona, quæ fiunt à prædeſtinatis, & eos quoquo modo iuuant ad ſalutem, cadunt ſub voluntate Dei, ſicut ſub prædeſtinatione: ſed de bonis purè moralibus, & non meritorijs in non prædeſtinatis, quòd hæc ſint à Deo, ratio naturalis non habet, nec fides cogit ad hoc, quin reſpectu talium, & malorum oppoſitorum, voluntas diuina poſſit ſe habere per indifferentiam, vt non ſit plus de vno, quàm de alio: & de malis quidem omnes concordant, de bonis verò pauci ſic loquuntur.* Habemus igitur grauiſſimo Durandi teſtimonio, vſque ad ea tẽpora omnes prorſus Theologos docuiſſe, quod hodie contra nos, tanquam periculoſos nouarum opinionum inuentores, & cunctis veteribus Theologis repugnantes, noui aliqui Thomiſtæ negant, Deum ad actus malos concurrere per voluntatem indifferentem, non autem prædefinientem. Item, paucos Theologos dicere, quod hodie tanquam fidei dogma omnes aduerſarij nobis obiiciunt, actus etiam omnes bonos morales fieri per voluntatem Dei prædefinientem, & non indifferentem.

*Cenſura Zumel, & Trigoſij contra concluſionem reijcitur ex Durando.*

*Probatur cõcluſio ratione.*

Ratio igitur concluſionis eſt, quia Deum cauſare, & prouidere actus bonos naturales per voluntatem ſuam antecedenter prædefinientem eos abſolutè futuros, non eſt neceſſarium primò ex parte ipſorum actuum, qui ſufficientiſſimè cauſati, & prouiſi eſſe poſſunt per dependentiam à voluntate Dei indifferente, & conditionata, ſicut de facto certum eſſe debet cauſari, & prouideri actus liberos malos, vt ex inſtituto probatum eſt ſupra art. 2. dub. 1. & hoc art. 4. dub. 3. ſed cum aliqua differentia, quia mali ita non ſunt prædefiniti, vt nec etiam ſint directè, & per ſe intenti voluntate antecedente, ne inefficaci quidem, ſed ſunt prohibiti, & puniti: at verò boni naturales, etſi non ſint prædefiniti, tamen eos Deus antece-

*Voluntas diuina diuerſo modo fertur in actus malos, & bonos naturales.*



antecedenter intendit affectu complacentię inefficaci, & conditionato, eóſque conſulit, & præcipit, & ad eos dat media per ſe vt ad finem. Quare negantes horum actuum prędefinitionem, non negamus prouidentiam, vt, teſte Suarez opuſc. 1. lib. 2. cap. 7. circa initium, *aliqui de nobis referunt, vt opinioni notam inurant, nobis attribuentes quod ex noſtra ſententia ipſi malè inferunt.* & infra num. 4. *Falsò Catholicis, & ſapientibus viris, ne dicam, ferè Theologis omnibus imponitur, quòd perfectam Dei prouidentiam negent, eo quòd phyſicam prædeterminationem tollant.* Quod contra nos referunt Zumel 1. p. q. 14. art. 13. d. 8. circa princip. & concl. 4. §. *Propoſitam.* & q. 19. art. 8. d. 1. poſt princip. & q. 23. art. 3. d. 2. concl. 3. Riſpolus lib. 1. q. 1. initio, & lib. 2. initio, & alij. Prædefinitionem enim ſeparari à prouidentia, demonſtrat exemplum malorum actuum, quorum Deus non prædefinitionem, ſed prouidentiam tantùm habet, cùm illos per intellectum, & voluntatem ſuam cauſet. Et non obſcurè docuit Origen. homil. 3. in Geneſ. in princ. vbi cùm dixiſſet, *Deum curare mortalia, & nihil abſque eius prouidentia geri, neque in cœlo, neque in terris*; ſtatim, à ratione eſſentiali diuinæ prouidentiæ excludendo voluntatem prædefinientem, ita ſe explicat, *Memento, quia nihil ſine prouidentia eius geri diximus, non ſine voluntate. Multa enim ſine voluntate eius geruntur, nihil ſine prouidentia; prouidentia namque eſt, qua procurat, & diſpenſat, & prouidet quæ geruntur: voluntas verò eſt, qua vult aliquid, aut non vult.* nimirum efficaciter, & abſolutè prædefiniendo. Neque etiam eſt ſecundò ex parte Dei neceſſarium, aut congruũ: quia iſti actus boni naturales, naturaliter oriuntur ex naturis, & generali ordine, atque ordinariis, & generalibus concurſibus naturalium cauſarum, & nihil per ſe proſunt hominibus ad gratiam, & gloriam, neque ſemper à Deo ordinantur ad peculiarem aliquem finem. ergo nulla bona ratio ſuadet, eos eſſe prædefinitos. Qua ratione motus S. Thomas infra art. 7. docet, ac probat, quòd certus eſt Deo numerus prędeſtinatorum, per modum cuiuſdam præfinitionis: non tamen numerus reproborum, vel boum, vel culicum, vel aliquorum huiuſmodi eſt per ſe præordinatus à Deo. Eadem verò ratio eſſe videtur de hoc genere bonorum actuum, qui naturalibus, ac generalibus naturæ viribus facillimè fiunt abſque vlla gratia, & ſpeciali auxilio Dei. Neque tertiò eſt aliqua grauis authoritas, quæ dicat omnes actus bonos naturales prædefiniri, in ſenſu, quo nunc de præfinitione loquimur, nempe antecedente actum vt abſolutè futurum, & abſolutam illius præſcientiam, propter quam præfinitionem teneatur Deus eligere media infallibilia, tamen liberè mouentia ad finem illum, qui eſt actus creatus liber: hic enim tendendi modus eſt multò ſublimior, ac proinde minus conueniens termino ad quem tendit, qui eſt naturali, ac generali modo factibilis.

*Per hanc cõcluſionem nõ negari prouidentiam ex Suarez cõtra Zumel, & Riſpolum.*

*Prouidentiã ſeparari à prædefinitione ex Origene.*

*S. Thomas.*

### *Occurritur obiectionibus Gonzalez ab authoritate.*

76. Contra Suarez, Vazquez, Arrubal, & alios noſtros Theologos multa obiicit Gonzalez d. 57. ſect. 2. ſed initio iterum malè refert opinionem Vazquez, & Arrubal de determinatiuo volitionis Dei liberę, vt ſuo loco notaui ſupra q. 19. ar. 3. n. 60. fin. & n. 63. & 64. & art. 4. n. 13. Quare cùm contra omnes defenſores ſcientiæ mediæ ſic arguit primò, *Vel Deus concurrit, per externam cooperationem noſtram determinatus ad tale obiectum in particulari; vel per internam, & immanentem determinationem liberam.*

*Prima obiectio.*



*Si primum, eſt ſententia Arrubal, & Vazquez. Si ſecundum, vel illa determinatio eſt conditionata ex parte obiecti, & quaſi expectans ad influendum determinationem noſtram liberam; & eſt ſententia Suarez, Molinæ, & Leſſij: vel eſt omnino abſoluta, & efficax antecedenter ordine cauſalitatis effectiua ad cooperationem noſtram, & eſt ſententia D. Thomæ.*

*Reſpondetur oſtendendo multas falſas impoſitiones in obiectione.*

Reſpondeo, omnes ſententias, & citationes eſſe planè falſas. falſum eſt, *diuinam voluntatem per externam cooperationem noſtram determinari ad tale obiectum in particulari.* Idque nec vnquam ſcripſerunt, nec ſomniarunt quidem Vazquez, & Arrubal, cùm nimis manifeſtum abſurdum ſit, formale conſtitutiuum actus diuini vitalis, & immanentis, eſſe aliquid creatum, & tranſiens extra Deum, ab eoque realiter omnino diſtinctum: & eo abſurdo deuorato, adhuc integra remaneat tota difficultas illius controuerſiæ. Nam cùm diuina voluntas libera ſit non ſolùm ad hoc vel ad illud particulare obiectum, ſed etiam ad hanc cooperationem noſtram circa hoc obiectum, vel ad illam cooperationem noſtram circa illud obiectum, quæri, & aſſignari debet, per quid vitaliter, & immanenter determinetur ad hanc cooperationem noſtram, potius quàm ad illam. falſum quoque euidentius eſt, vt ſupra quæſt. 19. art. 3. oſtendi contra Caietanum à num. 38. & contra ipſummet Gonzalez à n. 65. diuinam voluntatem liberam actualiter determinari ad tale obiectum in particulari *per internam, & immanentem determinationem liberam.* Idque nunquam dixerunt Suarez, Molina, Leſſius, S. Thomas. Cùm igitur huiuſmodi determinatio nulla prorſus ſit, quicquid deinde de illa quæritur, nempe an ſit conditionata, vel abſoluta, & citatis authoribus tribuitur, in vanum quæritur, & falsò tribuitur. Veriſſima ſententia breuiter eſt, diuinam voluntatem, ſeu volitionem, propter eius perfectionem omnino infinitam eſſe liberam, & indeterminatam, non per defectum alicuius intrinſecæ, ac vitalis determinationis, qua ad liberè volendum, & operandum indigeat, quo modo libera, & indeterminata eſt voluntas creata ob eius imperfectionem, ſed ſolùm per extrinſecam *habitudinem* ad volita, vt loquitur S. Thomas ſupra q. 19. artic. 3. ad 6. vel *tendentiam*, vt loquitur Scotus 1. d. 39. quæſt. 1. §. *Quantum ad primum*, vel *terminationem*, vt hodie in ſcholis communiter loquimur. Denique quòd diuina voluntas ſit *quaſi expectans ad influendum determinationem noſtram liberam*, quod imponitur Suarez, Molinæ, Leſſio, non legit Gonzalez in his Doctoribus, ſed in Bagnes ſupra art. 3. dub. 3. concluſ. 9. contra nos diſputante, qui primus hanc vocem, vt noſtram ſibi finxit, eóque magiſtro poſteriores omnes aduerſarij noſtri frequentiſſimè nobis obiiciunt, vt ſæpe ob rei grauitatem in ſuperioribus adnotare neceſſe fuit.

*S. Thom. Scotus.*

77. *Secunda obiectio.*

Arguit ſecundò, afferendo multas & veterum Scholaſticorum, & Scripturæ, & Patrum authoritates, quas inutile eſt referre, & examinare, quia euidenter nihil aliud probant, niſi, Deum ad omnia concurrere per ſuam voluntatem, eíque nihil poſſe reſiſtere: quod apud nos, & Catholicos omnes non eſt in controuerſia. Probandum tamen aſſumpſerat in ſua prima concluſione à num. 18. *quòd non eſt poſſibilis Deo alius modus concurrendi immediatè ad electiones noſtras liberas bonas, niſi per decretum liberum abſolutum, & efficax, internum, & immanens ſuæ diuinæ voluntatis, antecedens illas ordine cauſalitatis requiſitæ ad earum exiſtentiam.* quod præter Bagnes, eiúſque ſectatores, nullus antea dixit,

*Reſpondetur declarando punctum controuerſiæ.*

ſed omnes expreſsè negarunt, vt in ſuperioribus diſtinctiſſimè, ac fideliſſimè demonſtraui. Nec ab ipſo Gonzalez dici conſequenter potuit propter actus malos, quos verè, & realiter, & immediatè cauſat Deus per voluntatem, & tamen non per decretum prædeterminans, abſolutum, & efficax, omnino antecedens ordine cauſalitatis liberam peccatis determinationem ſecundùm ipſummet Gonzalez, cuius cohærentiæ defectum notaui ſupra num. 38. & 39.

78. *Non bene referri Capreolum à Gonzalez.*

Et vt alios authores, qui minus premunt, omittam, referam ſolùm Capreolum, Thomiſtarũ principem, quem Gonzalez pro iſta ſua concluſione citat in 2.*d.*28.*q.*1.*ar.*3.*ad* 12.*Durandi.* vt ex hoc vno principali conſtet, quanta fides habenda ſit Gonzalez in aliorum authorum citationibus. Primo igitur Capreolus non reſpondet ad argumentum Durandi, ſed contra ſecundam ſuam concluſionem proponit, & ſoluit quindecim argumenta, iiſdem verbis, quibus ea ex aliis proponit, & ſoluit Gregorius 2.d.26.q.1.art.3. Deinde in illa reſponſione ad duodecimum nihil prorſus habent pro arguente, & multa pro nobis. Diſtinguunt enim ibi Gregorius, & Capreolus duplicem modum, quo Deus iuuat hominem ad bene agendum, *primò immediatè ipſum actum efficiendo, & partialiter coëfficiendo, quem etiam voluntas coëfficit; & eſt modus communis, quo concurrit ad cuiuſlibet agentis creati effectum quemlibet. Secundò quodam modo ſpeciali, videlicet, faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere, ita quòd ipſa voluntas partialiter concauſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter concauſandum.* Et hic modus, inquiunt, *eſt Deo proprius, in quo voluntas noſtra non cooperatur, ſed Deus operatur ſine nobis operantibus vt velimus.* De hoc ſecundo modo tria dicunt, primum quòd per illum voluntas noſtra *non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens in cuius poteſtate eſt ſequi motionem agentis, iuuatur ita vt agat ea, quæ non ſic adiuta, nequaquam agere potuiſſet.* Secundum quòd *ad productionem actus mali ſolùm primo modo concurrit Deus.* Tertium quòd ſecundo iuuandi modo, quem ex Auguſtino probant *eſſe illud adiutorium Dei ſpeciale, ſine quo dicimus, nos nihil bene velle aut facere, & quo Deus facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati,* indigemus, vt ait Auguſt. *ad bona pietatis opera,* hoc eſt, meritoria, ac ſupernaturalia, ad quæ ſolùm indigemus ſecundùm omnes gratia ſpeciali, & efficaci. De his omnibus in fine Capreolus ita concludit. *Hæc Gregorius, & concordat S. Thomas 1.2.q.109. articulis quaſi ſingulis, potiſſimè 9. & 10.*

Gregorius.

*Arguitur pro cõcluſione ex dictis Ariminẽſis, & Capreoli.*

Ex his ita arguo, primò, modus communis concurrendi primæ cauſæ eſt, *immediatè efficiendo, & partialiter coëfficiendo.* ergo ſecundùm Capreolum, & Gregorium ad communem, & generalem influentiam primæ cauſæ non pertinet alius antecedens modus præmouendi, & prædeterminandi, quem aduerſarij introduxerunt. Secundò docent, & Auguſtino tribuunt, alium antecedentem influxum, quo actu operamur, non eſſe neceſſarium, niſi cùm operamur actus ſupernaturales. Et tamen aduerſarij illum extendunt etiam ad actus naturales. Tertiò dicunt, ſpeciali motione voluntatem à Deo *iuuari, applicari, & quaſi inſtrumentaliter moueri*: & non dicunt cum aduerſariis, prædeterminari, quod eſſet moueri propriiſſimè inſtrumentaliter, & non *quaſi inſtrumentaliter.* Quartò de ſecunda motione antecedente aiunt, *illam ſequi eſſe in noſtra poteſtate,* nimirum libera, qua ſcilicet poſſumus etiam illam non ſequi. Diuinam autem voluntatem abſolutam, & efficacem, prædeterminantem antecedenter etiam ad actum conditionatè futurum, nulla ratione poſſumus non ſequi, vt in ſuperioribus non ſemel oſtenſum eſt. Quintò modum ſecundum concurrendi excludunt expreſsè ab actu malo, quem tamen concurſui antecedenti ſubiiciũt aduerſarij, vel ſubiicere tenentur. Capreolus igitur, & Gregorius in iiſdem locis, quæ pro opinione contraria afferuntur, illam manifeſtè repudiant. Idque Gonzalez facilè diſcere poterat, vel ex ipſo Bagnes, qui ſupra art. 3. dub. 2. concl. 3. §. *ſecundus ſenſus*, veriùs, ac ſinceriùs pro noſtra ſententia contra ſuam refert Capreolum hoc eodem loco, quem Gonzalez attulit pro ſua.

*Bagnes cõtra ſe refert Capreolum.*

79. *Tertia obiectio.*

Arguit tertiò Gonzalez in ſecunda ſua concluſione ex S. Thoma infra q.25. art.5. ad 1. dicente, *Deum nihil facere in tempore, quod non præſcierit, & præordinauerit eſſe facturum.* & quodlib. 12. quæſt. 3. *Diuina prouidentia omnia ſunt præordinata, & prædefinita.*

*Reſpondetur explicãdo duo loca S. Thom.*

Reſpondeo, hæc vel nimis probare cõtra ipſummet Gonzalez, quia Deus cauſat in tempore actus malos, quos tamen non præordinauit, & prædefiniuit in rigore, quo nunc de his actibus diſputamus; vel nihil probare, quia in primo loco ex materia illius articuli, & contextu patet, illud *præordinauit,* nihil aliud ſignificare niſi, *ab æterno voluerit,* In ſecundo loco non leguntur ea verba, ſed in ſequenti quæſt. 4. art. 4. ita legitur circa finem corporis, *à diuina prouidentia omnia ſunt prædeterminata, & ordinata.* Vbi nullum aliud myſterium latet, niſi quòd omnia, quæ determinatè cauſat Deus in tempore, voluit ab æterno determinatè cauſare in eo tempore. Quod verum eſt etiam de actibus malis. Sed longè diuerſa eſt noſtra controuerſia. Proculdubio quicquid cauſatur in tempore, dependet eſſentialiter à libera Dei voluntate determinata, tamquam à cauſa antecedente ſecundùm æternam durationem quemlibet determinatum effectum. Nos verò inquirimus, an huiuſmodi voluntas ſit determinata ante præuiſam determinationem liberam creatæ voluntatis, & dicitur propriè prædefinitio, quam negamus de actibus malis, & bonis naturalibus, admittimus de actibus ſupernaturalibus: an verò poſt determinationem liberam creatæ voluntatis, ita vt ſit antecedens actum, vt vera cauſa ipſius; ſit verò conſequens determinationem ad actum; & hæc voluntas dici etiam potuit prædeterminans, hoc eſt, antecedenter & cauſalitate, & duratione æterna cauſans determinatum actum, quamuis non ſit cauſa antecedenter influens in ipſam cauſam liberam, prædeterminando illam vt faciat hunc determinatum actum, & non alium, quam propriè nunc vocamus prædeterminationem; eáque ad maiorem claritatem, ac diſtinctionem vocari poteſt prædeterminatio, ſeu præfinitio formalis, hoc eſt, cauſa antecedens non tantùm actum determinatum, ſed etiam ipſam formaliter determinationem ad actum: ad differentiam prioris, quæ dici poteſt prædefinitio ſeu prædeterminatio materialis, hoc eſt, non cauſans ipſam formalem determinationem, ſed actum ipſum determinatum. Primam formalem Arrubal d. 66. num. 1. vocat, *prædefinitionem antecedentem.* Secundam verò materialem, vocat, *prædefinitionem concomitantem*: non quidem reſpectu determinati actus, ſiue effectus, reſpectu cuius illa Dei voluntas eſt vera cauſa, ac proinde antecedens & duratione æterna, & natura, ſeu cauſalitate; ſed ſolùm reſpectu alterius rei, ſeu medij antecedentis, quod in exequutione præeligit aliquando diuina voluntas,

*Punctum cõtrouerſiæ.*

*Duplex prædefinitio.*

Arrubal.

*Quid ſit prædefinitio concomitans.*

vt



vt illum actum finaliter præintentum producat, & hæc eſt prædefinitio actuum ſupernaturalium, antecedens, & cauſans ipſam etiam liberam determinationem ad actum; aliquando non præeligit, ſed immediatè ſe habet ad ipſum actum, & ideo dicta eſt concomitans, licèt ſit realiter, ac propriè cauſa actus, & ſit quid conſequens determinationem ad actum, factam à cauſa ſecunda libera; & hæc eſt illa voluntas, qua dicimus, Deum concurrere ad actus etiam malos, & bonos naturales.

80. *De prædefinitione concomitante exponũtur Proſper.*

Quæ diſtinctio accuratè aduertenda eſt, ad graues aliquos antiquos Doctores intelligendos, qui his vocibus non eodem modo ſemper vſi ſunt. Ita Proſper ad capitula Gallorum in reſponſione decima quinta dixit, *Dubium non eſt, ſine vlla temporali differentia Deum & præſciſſe ſimul, & prædeſtinaſſe, quæ ipſo erant authore facienda: præſciſſe autem tantummodo, non etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura,* quæ ſuperius docuerat eſſe mala, & peccata, nimirum ſecundum rationem formalem malitiæ; cuius dumtaxat non eſt author Deus. Diuina volũtas, quæ ab æterno cauſare diſpoſuit omnia, quæ cauſat in tempore, ac proinde ipſam quoque materialem peccati entitatem, dicitur prædeſtinatio, nimirum non antecedenter dirigens media ad finem, ſed concomitanter tantùm coadiuuans finis productionem. Eodem modo ſæpe loquitur Fulgentius toto libro primo ad Monimum. Et tandem in fine hæc ipſa Proſperi verba ex Auguſtini ſententia affert. Neque aliud verè intendunt niſi quod aliis verbis expreſſit Greg. lib. 12. moralium c. 2. initio, *Cuncta Deus ſequutura præſciens, ante ſæcula decreuit, qualiter per ſæcula diſponantur.* Quod à Gregorio dicitur, *decreuit ante ſæcula,* Proſper, Fulgentius, & Auguſtinus dicunt, *prædeſtinauit.* Sic etiam magnus Dionyſius de diuinis nominibus c. 5. circa finem, Ideas diuinas eſſe docet, *eas rationes, quas Theologia prædefinitiones vocat, eorum, quæ ſunt, prædeterminatiuas, & effectiuas, ſcilicet per quas Deus omnia, quæ ſunt, prædefiniuit, & produxit.* vt refert ipſemet Gonzalez ſupra n. 27. ſi voluntas diuina in tempore facit hoc, euidens eſt quòd ab æterno determinauit facere hoc, & vt fieret hoc; & propter hanc ſolam rationem dici rectè potuit, prædeterminatiua, & prædefinitiua. Sed nos vlterius quærimus, an in actibus liberis ita hoc prædeterminauerit diuina voluntas, vt id voluerit ante omnem prorſus liberi arbitrij determinationem, etiam ſub conditione præuiſam, quod de nullo libero actu dici poſſe contendimus; vel ſaltem ante abſolutam liberi arbitrij determinationem, abſolutè præuiſam, quod affirmamus de actibus liberis ſupernaturalibus, de reliquis, ſiue malis, ſiue bonis negamus. Multò minus vrgent, imo allatam expoſitionem illuſtrant alia verba, quæ idem Gonzalez pro ſe refert ex Damaſceno in Dialogo contra Manichæos circa finem. *Deus ſecundum ſuam præſcientiam omnia prædefiniuit.* tum quia id ſtatim probat Damaſcenus ex eo quòd Deus non decernit in tempore, *Immutabilis,* inquit, *eſt Deus, nec ex cognitione, quæ factum ſequitur, ſed ex præcognitione iudicat.* ergo ſumit prædefinire, pro velle ſapienter æterno tempore ante. Tum quia ſi Deus dicitur prędefinire *ſecundùm ſuã præſcientiam*, ergo prius eſt Deum præſcire, quàm præfinire. Sed præſcientia eſt de rebus futuris; ergo ſecundùm Damaſcenum, prius eſt rem eſſe aliquo modo futuram, quàm Deum prædefinire vt res illa futura ſit. Quod paulo ante clariſſimè docuerat dicẽs, *Deum præſcire ea, quæ nos facturi ſumus, à nobis dependet; ſi enim ea facturi non eſſemus, nec ipſe eadem præſciret. Atque præcognitio quidem eius vera eſt, & immutabilis; non tamen ipſa cauſa eſt, vt id; quod futurum eſt, neceſſario fiat, ſed quia nos hoc, vel illud facturi ſumus, ideo ea præcognoſcit.* Quibus verbis explicare ſolùm intendit, liberum actum quatenus liberum, reſpectu illius diuinæ voluntatis, à qua dependet, ſcilicet indifferentis, & indeterminatæ quoad liberam determinationem à cauſa ſecunda factam, præcedere & præſcientiam, & voluntatem determinatam Dei, contra nouos Thomiſtas. Multas alias authoritates contra nos coaceruat Gonzalez, ſed non ſunt ad rem, quia manifeſtè loquuntur de actuum ſupernaturalium prædefinitione, vel de voluntatis diuinæ cauſalitate, & antecedentia ſimpliciter, quæ vltrò concedimus.

Fulgentius.

Gregorius.

Dionyſius.

Damaſcen.



## *Aliæ Gonzalez obiectiones ex ratione.*

81. *Arguit 1.*

Prima ratio. *Prædefinitio bonorum operum in particulari quoad omnes circũſtantias, nihil eſt aliud, quàm decretum abſolutum Dei concurrendi ad illas cum noſtro libero arbitrio determinatè, & in particulari. Sed per eiuſmodi decretum concurrit Deus ad ſingula bona opera. igitur ſingula determinatè, quoad omnes circumſtantias, determinauit, & prædefiniuit.*

*Reſpondetur declarando adæquatum conceptũ prædefinitionis.*

Reſpondeo, hoc argumento, ſi vim haberet, concluderetur etiam prædefinitio malorum operum, quam arguens non admittit: quia ſi abſolutè, & determinatè in particulari, ſit realiter in tempore actus peccati à cauſa ſecunda, & conſequenter, cauſa prima illum etiam in tempore cauſat, ergo cauſa prima fecit ab æterno liberum decretum abſolutum, & determinatum cauſandi illum actum in particulari; & tamen non prædefinit, igitur obiectio deficit in maiore, in qua diminutè definitur prædefinitio. Omnis prædefinitio eſt quidem decretum efficax, abſolutum, & determinatum: tamen non omne decretum efficax, abſolutum, & determinatum, eſt propriè prædefinitio, prout de ea nunc diſputamus, ſed eſſe debet antecedens ipſammet liberam determinationem abſolutè futuram, eiuſdémque determinationis abſolutam præuiſionem. Huiuſmodi decretum concedimus de actibus bonis ſupernaturalibus, negamus de actibus malis, vt impoſſibile, & de bonis naturalibus, vt de facto minus neceſſarium, & conueniens.

82. *Arguit 2.*

Secunda ratio. *Vt fatetur P. Arrubal, aliqua Dei prædefinitio requiritur ad noſtras bonas electiones, ſed ipſamet electio creatæ voluntatis non eſt, nec poteſt dici prædefinitio diuinæ voluntatis de tali electione creata.* Ex quibus præmiſſis nihil aliud ſequitur, niſi, ex ſententia Arrubal, aliquem diuinæ voluntatis actum intrinſecum, & immanentem, eſſe neceſſarium ad noſtras bonas electiones.

*Reſpondetur concedẽdo totum.*

Reſpondetur, concedo totum, aduertendum tamen eſt, malè Gonzalez hîc notare in Arrubal & contradictionem in maiore, & doctrinæ abſurditatem in minore. Maior enim ab eo conceditur de præfinitione concomitante, non antecedente, vt ſupra num. 79. & ideo huiuſmodi prædefinitionem d. 66. cap. 3. extendit ad realem entitatem cuiuſcumque operis mali. Minor quoque nunquam negatur ab Arrubal, vt ſupra n. 76. & ideo tum hoc loco, tum alibi ſæpe in ea probanda in vanum laborat arguens.

83. *Arguit 3.*

Tertia ratio. *Suppoſita ſcientia conditionata, media inter liberam, & naturalem, qualibet Dei voluntas abſoluta, & efficax præſupponit determinationem noſtræ voluntatis, abſolutè futuram.* Sed prædefinitio cauſat, non præſupponit determinationem

XX 2 abſolutè

abſolutè futuram: ergo planè deſtruitur omnis prædefinitio, ſi illa ponatur poſt, & non ante præſcientiam conditionatam. Maiorem falſam ſic probat. *Si voluntas abſoluta Dei antecedit determinationem noſtram abſolutè futuram, ſequitur primò quòd illa voluntas eſſet cauſa requiſita ad exiſtentiam determinationis noſtræ liberæ, quia aliàs nullatenus antecederet illam. Secundò quòd prædefinitio non eſſet in noſtra poteſtate, ſiquidem antecederet determinationem noſtram liberam.*

*Reſpondetur, prædefinitionē eſſe partim neceſſariam, partim non.* Reſpondeo ad primam ſequelam iuxta probata ſupra, dub. 3. prædefinitionem eſſe neceſſariam ex parte Dei, non ex parte actus; & ad contrariam probationem dico, bene ſtare ſimul iſta duo, prædefinitionem eſſe cauſam antecedentem actus, & non eſſe cauſam omnino neceſſariam vt ille actus ſimpliciter ſit; vt loco citato oſtenſum eſt. *An prædefinitio ſit in noſtra poteſtate.* Ad ſecundam ſequelam dico, prædefinitionem ſupponere præſcientiam conditionatam, quæ præſupponit determinationem noſtram liberam conditionatè futuram dependenter à noſtro libero arbitrio, ſeſe liberè determinante; & quoniam huic determinationi, quæ eſt in noſtra libera poteſtate, ſeſe accommodat ſapientiſſima, ac ſuauiſſima Dei prædefinitio, vt ſupra n. 48. ideo prædefinitio dici aliqua ratione poteſt, eſſe in noſtra poteſtate. Et cùm inſtat arguens, *non valet recurſus ad ſcientiam mediam, quia ſcientia media ſupponit, non efficit ſuum obiectum. vnde præſupponit totam ſeriem diuinorum actuum, qui reipſa antecedunt futuritionem determinationis noſtræ liberæ*; reſponſio patet ex dictis: nempe, ſcientiam mediam, quæ præſupponit determinationem noſtram liberam futuram ſub conditione, præſupponere totam ſeriem diuinorum actuum, qui neceſſarij ſunt ex parte liberi noſtri arbitrij ad determinationem illam ſimpliciter efficiendam; inter quos probauimus non eſſe prædefinitionem, quamuis hæc reipſa antecedat illam determinationem.

84. *Arguit 4.* Quarta ratio. *In agente per intellectum, & liberè, non diſtinguuntur cauſalitas alicuius effectus in particulari, & prædeterminatio, ſeu prædefinitio talis effectus in particulari. Sed ad diuinam prouidentiam pertinet cauſalitas effectus in particulari: ergo prædeterminatio, & prædefinitio illius.*

*Reſpondetur, non eſſe idem prædefinitionem, & cauſalitatē primæ cauſæ.* Reſpondeo, hoc etiam argumento probari prædeterminationem ad actum peccati. Maior igitur vera eſt de agente libero, in quantum immediatè agit, tunc enim ſi liberè agit per intellectum, & voluntatem, neceſſe eſt vt præconcipiat, & præintendat ſeu prædefiniat determinatum effectum, quem liberè cauſat: ſed in quantum agit iuuando aliud agens liberum vt liberè agat iuxta naturalem exigentiam libertatis ſuæ, eſt falſa. Tunc enim ſicut cauſa ſecunda adiuta agit per virtutem completam, ſed indeterminatam, & indifferentem ad plura; ita cauſa prima illam ſuauiter, & rationabiliter adiuuans, agere debet per decretum indeterminatum, & indifferens ad plura, cui manifeſtè contradicit decretum omnino prædefiniens, & prædeterminans ad vnum. *Decretū Dei indifferēs attingit effectus in particulari.* Falſum eſt autem, quod contra hanc ſolutionem addit Gonzalez, *Per hanc cauſalitatem non attingi à Deo per intellectum, & liberè talem effectum in particulari*; nam ex eo quòd decretum ſit indifferens, & non prædeterminans ad hoc particulare, non tollitur quin attingat hoc particulare; ſed contra potius fit, vt attingat hoc particulare, & poſſit attingere aliud particulare oppoſitum: quia ſcilicet non eſt decretum indifferens ad effectus in communi, ſed ad hos vel illos effectus in particulari. Quare cum vlterius addit Gonzalez, quòd per iſtum concurrendi modum, à nobis poſitum, *Deus neque præcognoſcit in particulari effectum, qui ex eius cauſalitate debet poni in actu, neque vult iſtum potius quàm eius oppoſitum in actu poni.* hæc quidem vera ſunt ante liberam determinationem creaturæ, falſa autem poſt hanc determinationem, quam cauſalitas primæ cauſæ debet incolumem ſeruare, non deſtruere.

85. *Arguit 5.* Quinta ratio, in qua *vim maximam* eſſe dicit Gonzalez. *Si diuina voluntas manet in ſe quaſi ſuſpenſa, & non magis inclinata ad futuritionem abſolutam huius effectus, quàm oppoſiti, nulla prorſus poteſt intelligi in ea prædefinitio huius effectus potius, quàm oppoſiti, quoad vſque intelligatur futura determinatio noſtræ voluntatis ad iſtum effectum potius, quàm ad eius oppoſitum.* Et quia nos ad hoc bene, ac facilè reſpondemus, intelligi futuram noſtram determinationem, non abſolutam, quæ eſt effectus prædefinitionis, ſed conditionatam, in priori ſigno præuiſam per ſcientiam mediam: ita inſtat, *Recurrere ad ſcientiam mediam omnino friuolum eſt; quia, vt ſæpe notauimus, ſcientia media præſupponit res, & non facit illas. Vnde præſupponit ordinem, & dependentiam talis effectus in particulari à voluntate diuina, & à voluntate creata, ſiquidem ab vtraque fit. at iuxta ſententiam, quam impugnamus, determinatio talis effectus in particulari nullatenus præſupponitur in diuina voluntate ante exiſtentiam determinationis noſtræ voluntatis circa illum. Igitur nulla determinatio diuinæ voluntatis excogitabilis erit, niſi ſubſequens determinationem liberam noſtræ voluntatis.*

*Reſpondetur declarando quid præſupponant præſcientia media, & prædefinitio, & quid nō præſupponant.* Reſpondeo ad maiorem vt ſupra num. 83. circa finem, ſcientiam mediam præſupponere res, non facere. Et ideo præſupponere dependentiam liberorum effectuum in particulari à voluntate diuina, ſcilicet indifferente ad plura, non prædefiniente, & prædeterminante ad vnum, quam ſupra probauimus non eſſe cauſam neceſſariam ex parte effectuum. Hinc patet, minorem eſſe falſam, & maiori cum falſitate attribui noſtræ ſententiæ, ſecundùm quam, prædefinitio præſupponitur ante noſtram determinationem abſolutè futuram, licèt ſubſequatur eamdem vt conditionatè futuram. Ergo perperam iuxta ſententiam noſtram dictum eſt, *nullatenus præſupponitur*, cùm præſupponatur vno modo abſoluto, non præſupponatur alio modo conditionato. Vnde ſolùm verè ſequitur, non poſſe in noſtra ſententia prædefiniri à Deo noſtros liberos actus ante ſcientiam mediam, poſſe autem prædefiniri, & quamplurimos de facto prædefiniri poſt ſcientiam mediam, & ante abſolutam ſcientiam viſionis.

86. *Arguit 6.* Sexta ratio. *Implicat quòd decretum Dei ſit abſolutum, & efficax, & quòd nihil efficiat. Si autem comitatur liberam cooperationem noſtram, non efficit illam.* ergo implicat, Deum concurrere ad cooperationem noſtram per decretum abſolutum, & efficax, quod ſit concomitans, vt vult Arrubal.

*Reſpondetur idem decretū eſſe concomitans, & cauſans.* Reſpondeo, hoc decretum, quo Deus concurrit ad omnes actus, etiam malos, & bonos naturales, dici concomitans tum per ordinem ad determinationem præcisè, quia non eſt decretum prædeterminans ad vnum cauſam liberam ad vtrumlibet, ſed determinationem illam concomitatur; tum per ordinem ad alia antecedentia determinationem, quia vi illius decreti nullum aliud antecedens medium producitur cauſans determinationem, quamuis idem decretum ſit vera cauſa efficiens, & ſecundùm naturam antecedens effectum liberum determinatum. quod in ſuperioribus non ſemel explicatum eſt ſufficienter.

Septima



87. *Arguit 7.* Septima ratio contra Vazquez d. 99. num. 45. dicentem, *Concurſus Dei, & voluntas concurrendi cum voluntate noſtra, non eſt de præuijs neceſſarijs ad operandum, ſed de neceſſariò comitantibus.* Gonzalez contra acriter inſurgit, intendens probare, *quod quidem concurſus Dei ad extra, eſt de concomitantibus cooperationem noſtram liberam, tamen implicat, voluntatem Dei effectiuam talis concurſus, eſſe de concomitantibus, ſed de neceſſariò prærequiſitis.*

*Reſpondetur explicando cur voluntas Dei, quæ rem cauſat, dicatur concomitans à Vazq.* Reſpondeo, hoc eſſe ita clarum, ac certum, vt contrarium immeritò tributum ſit Vazquez, viro doctiſſimo, qui pro eodem vſurpat concurſum Dei, & voluntatem diuinam concurrendi. Æterna Dei voluntas, terminata ad extrinſecum concurſum in tempore, eſt abſque vllo dubio vera cauſa illius concurſus; & ſub iſta ratione neque Vazquez, neque quiuis alius minoris notæ Theologus, negare poteſt, voluntatem Dei eſſe neceſſariò antecedentem, & prærequiſitam ad concurſum. Dicta igitur à Vazquez eſt concomitans contra prædeterminatores; nimirum, quia etſi cauſet ipſum concurſum, tamen non cauſat aliquid intermedium, antecedens, & prædeterminans voluntatem ad concurrendum. Hunc ſenſum arguens, ſi voluiſſet, videre facilè poterat in aliis antecedentibus Vazquez verbis, quæ breuitatis cauſa prætermitto: ſicut etiam alia, quæ contra eumdem Vazquez obiiciuntur à Gonzalez, quia ſoluta remanent ex dictis.

## DVBITATIO VII.

### *An prædefinitio omnino antecedens ſaluare poſſit liberum modum operandi.*

SVMMA.

1 *Impugnantur multa Gonzalez dicta ad ſaluandam libertatem cum prædefinitione omnino antecedente. num. 88. ad finem articuli.*

2 *An cum prædefinitione ſtet poteſtas ſufficiens ad oppoſitum. num. 88.*

3 *An ſtet neceſſitas ſequens, non antecedens. num. 89. ad 96.*

4 *An ſtet neceſſitas in ſenſu compoſito, nōn diuiſo. num. 96. ad 101.*

5 *An ſtet neceſſitas ex ſuppoſitione, non ſimpliciter. num. 101. ad 105.*

6 *Exponitur locus S. Thomæ de Verit. quæſt. 23. art. 5. ad 3. num. 105.*

*Concluſio negatiua.* Reſponſio negatiua ex inſtituto probata eſt ſupra quæſt. 14. art. 13. à num. 385. ad 404. nam per prædefinitionem omnino antecedentem, intelligimus decretum Dei abſolutum & efficax, antecedens non ſolùm effectum abſolutè futurum, ſed etiam conditionatè futurum, & multò magis omnem Dei præſcientiam, etiam mediam, ſeu conditionatam, ac proinde prædeterminans non ſolùm talem effectum, ſed etiam cauſam ad talem effectum. Cuius generis decretum, libertati contradicere, in ſuperioribus abundè demonſtratum eſt. Gonzalez. Quoniam verò Gonzalez d. 57. ſect. 3. noſtrorum Theologorum, præſertim Suarez argumenta valde contemnit, in quibus tamen vrgentiſſimam vim eſſe putamus, & multa acutè commentus eſt, quibus aliqui, in huiuſmodi controuerſiis minus verſati, impediri fortaſſe poſſunt, ne clariſſimam veritatis lucem inſpiciant, ideo conabor hoc loco diligenter oſtendere, eius reſponſiones non ſatisfacere.

### *An cum prædeterminatione ſtet ſufficiens poteſtas ad oppoſitum.*

88. Primò igitur ad argumentum, quo nos ex eo quòd *prædeterminatio neceſſaria eſt nobis ad volendum*, quod ipſi fatentur, deducimus, *ergo ſolùm erit in poteſtate noſtræ voluntatis velle id, quod vult Deus nos velle*, reſpondet Gonzalez, negando conſequentiam; quia, inquit, *ſi ſermo ſit de poteſtate ad peccandum, ipſa voluntas creata, ex ſe, in quantum eſt ex nihilo, defectibilis eſt. Si de poteſtate ad eliciendos actus, Deus per auxilium ſufficiens nobis collatum, quo voluntas habet in ſua poteſtate concurrere ad actum ſecundum, paratus eſt ad concurrendum nobiſcum.*

*Potentia ad peccandū non ſtat cum prædeterminatione.* Hæc ſolutio, ſi bene penetretur, auget potius, quàm vel tollat, vel minuat difficultatem. Primò quod dicitur de poteſtate ad peccandum, quæ rectè probatur eſſe in creatura, ex eo quòd eſt ex nihilo, non eſt ad rem. Enimuerò argumentum noſtrum non contendit ſimpliciter probare, creaturam non eſſe peccabilem, neque ſolicitum eſt de ratione probante peccabilitatem creaturæ, ſed his certiſſimis veritatibus præſuppoſitis, oſtendit, eas non poſſe ſubſiſtere, ſi actum, cui eſt infallibiliter annexa moralis malitia peccati, creatura non poteſt elicere ſine prædeterminatione, & cum prædeterminatione non poteſt non elicere, & hanc prædeterminationem ipſa non liberè vult, ſed ex mera libertate ſua cauſat Deus, qui cùm poſſit in creatura cauſare vel prædeterminationem ad actum malum, vel aliam oppoſitam prædeterminationem ad actum bonum, voluit cauſare illam, non hanc, non habito reſpectu ad liberum conſenſum creaturæ.

*Ex prædeterminatione tolli ſufficientiam ad operandum.* Quod ſecundò dicitur de auxilio ſufficiente collato iis, qui non habent auxilium prædeterminans, intelligi conſequenter nulla ratione poteſt. Auxilium prędeterminans, eſto non ſit neceſſarium ad poſſe agere, quod mox examinabo, ſaltem, ipſiſmet aduerſariis expreſsè ita diſtinguentibus, *eſt omnino neceſſarium ad actu agendum.* ergo nullum aliud auxilium dici conſequenter poteſt ſufficiens ad agendum. Conſequētia videtur clariſſima, quia vel ex ipſis terminis euidens eſt, nullam cauſam intelligi poſſe ſufficientem ad producendum aliquem actum, quæ caret re omnino neceſſaria ad producendum illum actum; genus enim humanum vniuerſum concipit, & indubitanter pronunciat, oculum, v.g. eſſe inſufficientē ad videndum ſine lumine, aut ſpecie; ignem non eſſe ſufficientem ad calefaciēdum ſine approximatione ſubiecti intra ſphęram actiuitatis ſuæ; artificem non eſſe ſufficientem ad ſecandum ſine ſerra; & idem de aliis innumerabilibus; nullam aliam ob cauſam, niſi quia lumen, aut ſpecies, eſt res neceſſaria ad videndum, approximatio ad calefaciendum, ſerra ad ſecandum, &c. ergo ſi ponitur, auxilium prædeterminans eſſe nobis omnino neceſſarium ad agendum, eſt manifeſta implicatio in terminis aſſerere, nos abſque auxilio prædeterminante habere auxilium ſufficiens ad agendum. Quod ſi ita eſt, & quis quæſo capere poteſt, peccare hominem, qui non habet auxilium ſufficiens ad non peccandum; eſſe ingratum diuinæ gratiæ, & meritò puniri, qui non habet auxilium ſufficiens ad conſentiendum gratiæ?

*Voluntas non prædeterminata non poteſt operari.* Hinc patet eſſe etiam euidenter inintelligibile, cùm de voluntate non prædeterminata ad actū ſecundum, ac proinde, vt modò probatū eſt, non habente auxiliū ſufficiens ad actum ſecundū, dicitur tertiò, *Habet in ſua poteſtate cōcurrere ad actū ſecundū.* Qui caret re omnino neceſſaria ad concurrendum

ad actum ſecundum, in cuius poteſtate non eſt, habere illam rem, cum apertiſſima falſitate dicitur, *Habere in ſua poteſtate concurrere ad actum ſecundum.* Item cum quarto dicitur, *Deus paratus ad concurrendum cum voluntate non prædeterminata*, hoc eſt ſecundùm ipſos, non habẽte, nec potente ex ſe habere, imò non potente ſimpliciter habere, quia Deus non vult dare rem omnino neceſſariam ad concurrendum, & conſequenter ſecundùm nos, non habente ſufficientiam ad concurrendum. Quis dixerit, Deum paratum cum ſtulto concurrere ad liberos actus? nimis certè clara ſunt hæc abſurda, quibus qui liberas voluntates prædeterminant, creatam libertatem tueri cupiunt: ſed fruſtra.

*Deus non eſt paratus concurrere cum voluntate nõ prædeterminata.*

## De neceſſitate antecedente, & ſequente.

89. His incommodis preſſus Gonzalez, ad illam propoſitionem, quam expreſsè concedit, & omnium abſurdorum radix eſt, *Decretum abſolutum prædeterminans, & prædefiniens, neceſſariò requiritur ad exiſtentiam noſtrarum bonarum electionum*, reſpondet per duas diſtinctiones, ſiue explicationes, quæ abſurditatem opinionis ſuæ videntur facere clariorem, hæc enim eſt natura falſitatis, vt quo vberius exponitur, eo clarius appareat. Primò dicit, *decretum illud eſſe neceſſariò requiſitum, neceſſitate ſequenti, quia nimirum nunquam ſine illo decreto aliqua bona actio fit à nobis; non neceſſitate antecedenti, quia per auxilium ſufficiens, & per concurſum paratum à Deo ex vi voluntatis antecedentis, qua vult, quantum eſt ex ſe, vt ille actus fiat à nobis, niſi per nos ſteterit, habet voluntas noſtra in ſua poteſtate libera, & expedita quicquid requiritur vt faciat actum bonum non prædefinitum.* Secundò dicit, *quòd volitio efficax, & abſoluta Dei, qua præfinit, quòd actus pœnitentiæ fiat à Petro, ſi conſideretur vt terminatur ad gratiam præuenientem, non eſt de prærequiſitis neceſſitate antecedente, ſed ſolùm neceſſitate ſequenti; quia ſolùm prærequiritur, vt ſic, ad præparanda media efficacia, quæ non prærequiruntur neceſſitate antecedenti, ſed ſolùm neceſſitate ſequenti, quia per media ſufficientia poteſt ille actus effici, ſi voluntas creata velit illis vti. Si autem conſideretur vt terminatur ſimul cum libero arbitrio Petri ad ipſummet actum pœnitentiæ, non eſt de prærequiſitis ad illum actum, ſed de concomitantibus; quia effectus illius voluntatis, vt habet rationem exequentis, & concurrentis in exercitio ad illum actum ſimul cum Petro, ſolùm eſt concurſus concomitans, non autem præuius, quia præuius conſiſtit in auxilijs præuenientibus efficacibus. Vnde licèt eiuſmodi volitio abſoluta Dei ſub iſta ratione antecedat ordine cauſalitatis ipſum actum pœnitentiæ; tamen effectus eius non antecedit illum, quia ſolùm eſt concurſus concomitans, qui fit etiam nobiſcum.*

*Referuntur duo dicta Gonzalez.*

90. In hac reſponſione Gonzalez multa bona dicit, quæ vel inuitus ex noſtra ſententia hauſit, ſed à Doctore prædeterminante dici cohærenter minimè poſſunt. Primò per te decretum prædeterminans, ſeu prædefiniens, eſt vera, ac neceſſaria cauſa & gratiæ præuenientis efficacis, & boni actus tam abſolutè, quàm conditionatè futuri; ergo nulla prorſus ratione intelligi poteſt neceſſarium neceſſitate ſequenti; hæc enim neceſſitas, vt vel ex ipſa voce manifeſtum eſt, ſequi debet ad aliquid aliud illam antecedens. Sed in ſententia aduerſariorum nihil omnino excogitari poteſt antecedens decretum ex quo antecedente præſuppoſito intelligi queat, ſequi neceſſariò decretum, quia per ipſos nulla in rebus datur veritas de futuro, neque abſoluto, neque conditionato ante decretum liberum Dei, ſed ex hoc omnis planè veritas cauſatur. Ergo iſta neceſſitas decreti, ore tenus dumtaxat, ad ſubterfugiendam vim noſtrorum argumentorum, dici ab ipſis poteſt neceſſitas ſequens. Id quidem dici poteſt à nobis, qui volumus, prædefinitionem non poſſe eſſe in diuina voluntate, niſi abſolutam, poſt conditionatam præſcientiam actus liberi conditionaliter futuri.

*Decretũ prædeterminans eſſe neceſſariũ neceſſitate antecedente.*

91. Secundò, iſta decreti neceſſitas ſequens, inſufficienter ita probatur, *quia nunquam ſine illo decreto aliqua bona actio fit à nobis.* Quæro, cur bona actio nunquam fiat ſine decreto? aduerſarij perpetuò huius rei rationem aſſignant, ex eo quòd bona actio, imò etiam omnis ſimpliciter actio creata, dependet eſſentialiter à libero decreto prædefiniente primæ, & increatæ cauſæ. ergo decretum eſt cauſa actionis; ergo eſt antecedens actionem, & ad actionem præſuppoſitum ſecundùm omnia, quæ ad decretum illud pertinent; ergo neceſſitas, quam illius decreti habet actio vt ab illo fiat, non poteſt eſſe ſequens actionem: quia ridiculum eſt concipere, neceſſitatem, quam habet actio vt fiat ab aliqua cauſa, ſequi poſtquam actio facta eſt ab illa cauſa; ergo eſt neceſſitas antecedens, hoc eſt, actio non antecedenter ex eo quòd facta eſt, habet conſequenter neceſſitatem decreti per quod fiat; ſed contra potius, conſequenter ad hoc vt fiat, habet antecedenter neceſsitatem decreti, quo, tamquam eſſentiali ſua cauſa, indiget vt fiat. Vbi, ne ambiguis, ac ſpecioſis vocibus confundamur, & decipiamur, accuratè conſiderandum eſt, quòd diuinum decretum, quamuis ſit liberum per ordinem ad diuinam voluntatem, quæ poteſt illud facere, vel non facere, tamen per ordinem ad effectum creatum, quem efficaciter decernit, eſt omnino neceſſarium, ita vt implicet non eſſe id, quod Deus efficaciter decernit vt ſit. Quando autem comparantur inuicem duæ res, quarum altera eſt cauſa neceſſaria alterius vt effectus, altera eſt effectus neceſſarius alterius vt cauſæ, neceſsitas, quam habet cauſa reſpectu effectus, non eſt neceſsitas, quæ ſequitur ex effectu, ſed eam cauſa habet ex ſe, hoc eſt, per intrinſecam vim ſuam, quæ nulla ratione poteſt impediri à productione illius effectus; ergo eſt cauſa effectus neceſſaria neceſsitate antecedente effectum. Neque dici poteſt neceſſaria neceſsitate ſequente effectum, ex eo tantùm, quòd eſt neceſsitas terminata ad effectum neceſſarium, qui ex illa cauſa ſequitur; tum quia hoc modo omnis neceſsitas eſſet ſequens ex effectu, & nulla antecedens in cauſa. v.g. neceſſarius eſſet Sol ad illuminandum, ignis ad calefaciendum, &c. neceſſitate ſequente, non antecedente, quod nemo dixerit; & tamen neceſsitas, quam habet Sol illuminandi, & ignis calefaciendi, terminatur ad effectum neceſſarium, qui ex illis cauſis neceſſariò ſequitur. Tum à priori, quia etſi non ſolùm cauſa ſit neceſſaria effectui, ſed etiam aliqua ratione dici poſsit effectus neceſſarius cauſæ, tamen certum eſt, cauſam eſſe neceſſariam effectui, quia cauſa non poteſt non facere effectum, & effectus non poteſt non fieri ex cauſa: quæ neceſsitas eſt euidenter antecedens, tota ſe tenens ex parte cauſæ, quia eſt neceſsitas, quam effectus habet cauſæ, non cauſa effectus. Certum quoque eſt, effectum nulla alia ratione dici poſſe neceſſarium cauſæ, niſi impropria ex eo quod cauſa vt det eſſe effectui, neceſſarium eſt vt effectus recipere poſsit eſſe à cauſa, quę etiam eſt neceſsitas antecedens, quia per illam nihil prouenit ex effectu in cauſam, ſed ſolùm ex cauſa in effectum; ergo eſt neceſsitas merè cauſalis, ac proinde antecedens. Quoniam igitur *numquam ſine*

*Neceſſitatem ſequentẽ non bene probari de decreto prædeterminante.*

*Declaratur neceſſitas ſequens.*



*decreto fit actio*, ex eo quòd decretum ſit cauſa eſſentialiter prærequiſita ad actionem, & actio ſit effectus eſſentialiter dependens à decreto, inde euidenter deducitur, decretum eſſe neceſſarium actioni neceſſitate antecedente, non autem neceſſitate ſequente, vt deducebat arguens, qui propterea bonis quidem verbis, tamen in malo ſenſu acceptis libertatem tuetur.

92. Tertiò ex his conſtat, omnia, quæ deinde adduntur, de auxilio ſufficiente, de concurſu Dei parato, de voluntate noſtra habente quicquid requiritur vt faciat actum non prædefinitum, non poſſe ſubſiſtere; quia iam oſtenſum eſt, prædefinitionem omnino antecedentem, eſſe neceſſariam neceſſitate antecedente, non ſequente. Vnde ſequitur ſine tali prædefinitione, tolli ſufficientiam auxilij, fingi concurſum Dei paratum, quia, vt ipſemet arguens probandum ſumit verbis relatis ſupra num. 77. *Non eſt poſſibilis Deo alius modus concurrendi immediatè ad electiones noſtras liberas bonas, niſi per decretum liberum abſolutum, & efficax, antecedens illas ordine cauſalitatis requiſita ad earum exiſtentiam.* Quæ verba perſpicuè exprimunt neceſſitatem antecedentem, quam paulò poſt expreſsè negauit, ne humanam libertatem negare cogeretur. Item ſequitur, voluntatem noſtram carentem re antecedenter neceſſaria vt faciat actum, non habere quicquid requiritur vt faciat actum. ex eo etiam quòd ab arguente, reſpectu prædeterminatorum, conceditur *voluntas Dei antecedens, qua vult, quantum eſt ex ſe, vt actus fiat à nobis, niſi per nos ſteterit, & ſi voluntas creata velit vti medijs ſufficientibus*, optimè ſtat cum noſtra ſententia, ſed cum ſua ſtare minimè poteſt. Tum quia hæc eſt voluntas conditionata, & indifferens ad oppoſita, quam ipſe contra nos vbique perſequitur, vt conſtat ex ſuperioribus. Tum quia illud, *ſi voluntas creata velit*, omnino ſignificare debet, *ſi ſe ad actum determinauerit*, ergo voluntas non prædeterminata à Deo poteſt ſe actu determinare, alioquin illa conditio, *ſi velit*, propter quam ponitur concurſus Dei realiter, & ſincerè paratus ad concurrendum cum creata voluntate ad illum volendi actum, eſſet prorſus vana, ac ridicula. Vbi igitur eſt illa prædeterminantis decreti neceſſitas contra nos ſingulis ferè paginis millies inculcata? Tum quia ſi prædeterminatio eſt antecedenter neceſſaria vt fiat actus, eamque Deus ex mera ſua libertate dat nobis ſine nobis, nunquam per voluntatem non prædeterminatam, ſed ſemper per Deum non prædeterminantem ſtabit, quò minus fiat actus.

*Ex principijs Gonzalez nõ poſſe defendi libertatem.*

93. Quartò, cum ex vna parte ponatur prædefinitio omnino neceſſaria ad hoc vt fiat actus, ex alia verò parte ponatur *voluntas noſtra habere in ſua poteſtate libera, & expedita, quicquid requiritur vt faciat actum non prædefinitum*; videtur dici, quòd prædefinitio ſit neceſſaria ad actualiter agendum, non autem ad poſſe agere. Et fortaſsè hoc ſignificare intendunt dicentes, eſſe neceſſariam neceſſitate ſequente, hoc eſt, ex parte actus ſecundi, non autem neceſſitate antecedente, hoc eſt, ex parte actus primi; vt dicunt Bagnes, & idem Gonzalez, quos refero, & impugno ſupra art. 2. num. 11. Hæc autem diſtinctio aliud prorſus inane, ac verbale effugium continet, tum quia per aduerſarios voluntas creata vt operetur indiget prædefinitione tamquam prima cauſa antecedente ſecundùm ordinem cauſalitatis, cui omnis cauſa ſecunda eſſentialiter ſubordinari debet in actualiter operando. Neceſſitas autem habendi aliam concauſam, præſertim principaliorem, ac ſimpliciter primam neceſſariam ad operandum, eſt proculdubio neceſſitas actus primi, ad poſſe operari, ac proinde eſt neceſſitas terminata ad actualem operationem, & non eſt neceſſitas præcisè ſolius actus ſecundi. Tum quia vniuerſaliter implicat intelligere, aliquid antecedens totam operationem eſſe neceſſarium cauſæ ad operandum, & non eſſe neceſſarium ad poſſe operari, nempe omnino completum, & expeditum in actu primo; quia hoc poſſe conſurgit ex omnibus neceſſariò prærequiſitis ad operandum; ergo ſi eſt aliquid antecedens neceſſariò prærequiſitum ad totam operationem, illud erit neceſſarium ad prædictum poſſe, quicquid illud ſit, etiam ſi fuerit antecedens circumſtantia vel pura conditio non influens in operationem, v.g. voluntas non eſt potens velle abſque præcognitione, oculus potens videre abſque lumine, ignis potens calefacere abſque extenſione, & approximatione; & vanum, ac nouum eſſet de his aſſerere, eſſe neceſſaria cauſis ad cauſandum, non ad poſſe cauſare: hæc enim diſtinctio, ſolùm habere poſſet locum in aliquo concomitante ipſam actionem, in eáque intrinſecè incluſo. v.g. dici poſſet calefactio neceſſaria ad producendum calorem, non ad poſſe producere, quia calefactio eſt neceſſaria calori vt actu producatur, non autem igni vt poſſit calorem producere. De aliis verò prærequiſitis ad totum effectum, & ad omnia illius intrinſeca, & concomitantia illum, eadem diſtinctio fruſtrà affertur ad fugam difficultatis ſine vllo bono ſenſu. Tum quia quicquid ſit de aliis prærequiſitis, certum planè apud omnes eſt, præſertim eos contra quos diſputamus, concurſum cauſæ primæ eſſe de neceſſariò prærequiſitis in qualibet cauſa ſecunda, ideo enim contendunt, illum eſſe applicatiuum, præmotiuum, excitatiuum, & prædeterminatiuum omnium cauſarum ſecundarum, & tam ipſi, quàm reliqui omnes fatemur ita eſſe neceſſarium, vt ſine illo, cauſæ ſecundæ neque agant, neque poſſint agere. Nefas enim eſt affirmare, cauſam ſecundam non ſubordinatam influentiæ, & concurſui parato cauſæ primæ poſſe agere, & habere potentiam omnino completam, & ſimpliciter expeditam ad agendum. Sed per aduerſarios prædefinitio omnino antecedens, eſt aliquid pertinens ad generalem influxum cauſæ primæ. ergo eſt neceſſarium non ſolùm ad agere, verùm etiam ad poſſe agere.

*Prædeterminationem, ſi eſt neceſſaria ad actum ſecundum, eſſe etiam neceſſariã ad actũ primum.*

Quintò ex dictis quiuis iudicare facile poteſt, cum eadem euidenti falſitate in eadem reſponſione dicit, *Quòd prædefinitio pœnitentiæ Petri, vt terminata ad gratiam præuenientem, non eſt de prærequiſitis neceſſitate antecedente, ſed ſequenti.* Mirum 94. valde eſt iſtum authorem in hac materia ita diſtinguere: equidem fateor, poſt diuturnam, ac diligentem inquiſitionem, me non poſſe percipere aliquem, ſaltem apparentem ſenſum huius diſtinctionis; cùm ex alia parte illius inanitas, ac falſitas nimium manifeſta ſit. Quid ſit illud, ex quo præſuppoſito ſequatur, vt neceſſaria ſit prædefinitio gratiæ præuenientis propter quod dici rationabiliter poſſit, hæc prædefinitio neceſſaria neceſſitate ſequenti, non apparet. ſolùm dici poſſet, hanc prædefinitionem, cùm ſit de medio, præſupponere aliam prædefinitionem finis, nempe actus pœnitentiæ, propter quem prædefinit medium gratiæ præuenientis efficacis; ſed non eſt ad rem, quia tam prædefinitio actus pœnitentiæ eſt antecedens, & neceſſaria illius cauſa, ac proinde ad illum neceſſaria neceſſitate antecedente, hoc eſt neceſſitate cauſæ; quàm prædefinitio gratiæ eſt antecedens, & neceſſaria cauſa gratiæ, ac proinde,

*Prædeterminationẽ ſemper eſſe neceſſariam neceſſitate antecedente.*

XX 4 per

per neceſſitatem antecedentem. quare quod ad prædictæ diſtinctionis probationem additur de mediis efficacibus, *quæ,* inquit, *non prærequiruntur neceſſitate antecedente, ſed ſequenti*; falſum etiam apertè eſt:quia media efficacia,ſi ſunt media. ergo ſunt cauſa exequutiua, & effectiua finis; ſi ſunt efficacia in actu primo, & non ſolùm efficientia in actu ſecundo.ergo ad cauſam maximè ſpectant; & ideo dicuntur præuenientia,quibus, inquit Auguſtinus libro de gratia,& libero arbitrio cap.16. *Deus facit vt velimus,& faciamus,præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* quæ omnia antecedentem cauſæ neceſſitatem manifeſtè exprimunt. Vnde ipſemet arguens ſuprà fatetur, *quod concurſus præuius conſiſtit in auxilijs præuenientibus efficacibus.* Quæ ſunt neceſſaria propter concurſum præuium, quis non videt eſſe neceſſaria neceſſitate antecedente?

95. *Prædefinitio actus eſt multò magis antecedens, quàm concomitans.*

Sextò non minus falſum, & in intelligibile eſt, quod vltimo loco dicitur de eadem prædefinitione vt terminata ad actum pœnitentiæ Petri, *non eſt,* inquit, *de prærequiſitis ad illum actum, ſed de concomitantibus*; idque,non aliter probat,niſi quia prædefinitio, formaliter, & præcisè conſiderata ſub tali terminatione ad actum, non cauſat aliquid antecedens actum, ſed ſolùm cauſare intelligitur immediatè ipſummet actum. Hoc ipſum Gonzalez paulò ante, vt refero ſupra num. 87. contra Vazquez dixerat, *implicare.* Nunc verò tanta premitur neceſſitate defendendi communem libertatem, vt ſuis etiam implicantiis cogatur noſtris argumentis reſpondere.Sed nihil proficit,quia diuina voluntas concurrendi ad extra, quamuis conſiderata per ordinem ad alia præuia, quæ non cauſat,dici aliqua ratione poſſit concomitans, tamen conſiderata per ordinem ad concurſum, quem ad extra verè, ac realiter cauſat,nulla ratione intelligi,& denominari poteſt concomitans, ſed veriſſimè, ac propriiſſimè eſt antecedens,& prærequiſita,ſicut eſt cauſa. Hinc verò oritur omnium noſtrorum argumentorum difficultas, quem inſuperabilem eſſe putamus; ſi hæc primæ cauſæ voluntas,neceſſaria vt cauſa, ac proinde prærequiſita neceſſariò neceſſitate antecedente, non ſolùm ad liberè agendum, ſed etiam ad poſſe liberè agere, non eſt indifferens ad plura, ſed determinata, & prædeterminans ad vnum; qua ratione cauſa ſecunda, quæ tali voluntati prædefinienti ita ſubditur vt non poſſit non ſequi illam, intelligi queat concurrere liberè ad actum prædefinitum,hoc eſt, ita ad illum concurrere, vt poſſit non concurrere ſi velit, imò etiam concurrere ad alium actum oppoſitum non prædefinitum?

## *De ſenſu compoſito, & diuiſo.*

96. *Refertur horum ſenſuum explicatio Gõzalez contra Suarez.*

Secundò principaliter ad iſtam propoſitionem, *ſtante prædeterminatione, & prædefinitione diuinæ voluntatis de futura pœnitentia Petri, Petrus poteſt non pœnitere,* reſpondet Gonzalez, *eſt vera in ſenſu diuiſo, falſa in ſenſu compoſito.* & modo dicendi hactenus inaudito,& in ipſiſmet terminis implicante expreſſam contradictionem, ipſum ſenſum diuiſum explicat,id eſt,in ſenſu compoſito, dicens, illam propoſitionem eſſe veram in ſenſu diuiſo, quia Petrus in ſenſu compoſito cum prædicta prædeterminatione, *ab intrinſeca indifferentia ad vtrumlibet, eſt potens, poſſibilitate cauſæ proximæ, non pœnitere.* Non poſſe autem in ſenſu compoſito, explicat non per negationem potentiæ proximæ, & prorſus expeditæ in actu primo, ſed per negationem ſolius actus ſecundi, dicens, eamdem propoſitionem eſſe falſam in ſenſu compoſito, in quantum, *nunquam continget, Petrum non pœnitere, ſtante illa ſuppoſitione.* & de Suarez, qui eruditiſſimè cum omnibus planè Theologis, ac Philoſophis, poſſe in ſenſu diuiſo, accipit pro poſſe, facta reali diuiſione antecedentis ſuppoſitionis à ſubiecto; non poſſe in ſenſu compoſito, accipit pro negatione potentiæ omnino expeditæ ad actum propter compoſitionem cum antecedenti ſuppoſitione, ait, *Paralogizatur ſæpè in hac materia, fingens ſibi hoſtem, quem feriat, cum magna fallacia.*

97. *Impugnatur prædicta explicatio.*

Vt demonſtrem, Suarez optimè diſcurrere, & ſincerè, ac fideliter impugnare ſententiam aduerſariorum,duo probabo; alterum, vulgatiſſimam, & antiquiſſimam diſtinctionem ſenſus diuiſi, & compoſiti, nouo, & abſurdo modo explicari à Gonzalez: alterum,quæ in hac explicatione dicit, eſſe euidenter inſufficientia,ac falſa.Primum probo primò, quia vel ex ipſis terminis abſurdum apparet, ſenſum diuiſum accipere, id eſt in ſenſu compoſito. profectò ſenſum diuiſum, & ſenſum compoſitum omnes concipimus tanquam duos ſenſus inuicem oppoſitos: ergo illud, quod componit ſenſus compoſitus, diuidere debet ſenſus diuiſus. ſed ſenſus compoſitus, etiam per explicationem ipſiuſmet Gonzalez, componit cum ſubiecto ſuppoſitionem antecedentem, ergo ſenſus diuiſus debet eamdem ſuppoſitionem à ſubiecto diuidere.Secundò cum de ſubiecto dicitur in ſenſu diuiſo, *poſſe facere,* non affirmatur præcisè, actus faciendi,ſed potentia expedita ad actum faciendi. ergo à contrario, cum de ſubiecto dicitur in ſenſu compoſito, *non poſſe facere,* perperam intelligitur, negari præcisè actum faciendi, ſed intelligendum eſt,negari potentiam expeditam ad actum faciendi. Tertio, mens Doctorum,qui inuenerunt hanc diſtinctionem de ſenſu diuiſo, & compoſito, fuit oſtendere, quòd ſubiectum habens potentiam ad plura oppoſita, quando eſt ſub vno oppoſito, adhuc retineat eamdem intrinſecam potentiam ad aliud oppoſitum. Etenim cùm in contrarium fieret hoc argumentum, *ſubiectum ſtans ſub vno oppoſito, tendere non poteſt ad aliud; ergo ſubiectum ſtans ſub vno oppoſito amiſit potentiam ad aliud oppoſitum.* Maiores noſtri negantes conſequentiam, & ſimul probare volentes, per vnum oppoſitum non fuiſſe amiſſam, ſed impeditam duntaxat potentiam ad aliud oppoſitum, diſtinxerunt antecedens; dicencentes, illud eſſe verum in ſenſu compoſito cum oppoſito, non autem in ſenſu diuiſo ab oppoſito: quia ſcilicet, ſi ſubiectum ſepararetur ab illo vno oppoſito, ſub quo eſſe præſupponitur, nulla alia intrinſeca variatione in ſeipſo facta, tendere poſſet,& de facto tenderet ad aliud oppoſitum: ergo ſignum euidens eſt, potentiam ad plura oppoſita, dum ſtat ſub vno oppoſito, non deperdi, ſed impediri in ordine aliud oppoſitum. At verò Gonzalez per explicationem ſuam hunc ſinceriſſimum,& grauiſſimum omnium Doctorum diſcurſum, quem ſuis prædeterminationibus aduerſari bene videbat, omnino deſtruxit, & inſufficienter dicit ſolùm concluſionem, quæ prædicto argumento impugnabatur, nec ſoluit argumentum, nec eius, quod dicit, rationem reddit. Cùm enim probatur, v.g. quòd Petrus ſtans non habeat illam potentiam ad ſedendum,quam habebat,antequam ſtaret; reſpondet Gonzalez, habere in ſenſu diuiſo,hoc eſt, inquit, Petrus etiam in ſenſu compoſito quando ſtat habet in ſeipſo intrinſecam potentiam ad ſedendum: qui ſenſus manifeſtè apparet vanus ac ridiculus. Senſus ratione probatiſſimus,

*Traditur vera explicatio ſenſus compoſiti, & diuiſi.*



& antiquitate venerabilis eſt, quem Suarez doctiſſimus, ac religioſiſſimus Theologus, non paralogizando,non fingendo, non fallendo; ſed notiſſimam, certiſſimámque veritatem ſinceriſſimè docendo expreſſit, ſi reſpondeas, habere in ſenſu diuiſo; quia nimirum, ſi Petrus diuidatur à ſtatione, & nihil aliud intrinſecum acquirere intelligatur, ſedere poterit ſi voluerit: ideóque ſtationem non aduerſari potentiæ ad ſedendum, ſed eam tantùm impedire: cuius impedimenti ablatione, ſeu diuiſione, ſtatim illa eadem motiua potentia, per quam Petrus ſtabat, intelligitur ad ſedendum expedita.

98. *Prædicta explicatio probatur ex S. Thoma de verit. q. 6. art. 3. ad 7.*

Quartò, ſi non eſſet nimis longum, demonſtrari facilè poſſet, ex dictis omnium Theologorum, ſenſum diuiſum eſſe ſumendum, non per compoſitionem cum oppoſito, ſed per diuiſionem ab oppoſito. Afferam tamen clariſſimum locum S.Thomæ de verit.quæſt.6.art.3.ad 7.in fine, vbi approbat iſtam reſponſionem datam in ſeptimo argumento. *Cùm dicitur, quòd prædeſtinatus, in peccato mortali poteſt mori, ſi accipiatur ſubiectum pro vt ſtat ſub forma prædeſtinationis, ſic eſt compoſita, & falſa: ſi autem accipiatur prout conſideratur ſine tali forma, tunc eſt diuiſa, & vera*; quæ diſtinctio, inquit in reſponſione ad ſeptimum, *eſt conſideratio ſubiecti cum forma, vel ſine forma.* Si ſecundùm S.Thomam prædicta propoſitio, compoſita eſt falſa, diuiſa eſt vera. ergo alia propoſitio eſt propoſitio compoſita, alia eſt propoſitio diuiſa: hæc enim eſt compoſita, & falſa, *Paulus cum prædeſtinatione poteſt damnari*; hæc eſt diuiſa, & vera, *Paulus ſine prædeſtinatione poteſt damnari,* quæ euidenter ſunt duæ diſtinctæ propoſitiones, & nihilominus Gonzalez contra Suarez, cuius explicatio duas diſtinctas propoſitiones reddebat, ita ſcribere non dubitauit. *Hæc eſt magna fallacia in explicànda illa vulgata diſtinctione, vt de ſe manifeſtum eſt; quia iuxta hanc expoſitionem non diſtingueretur eadem propoſitio, ſed alia longè diuerſa formaretur in vtroque membro. At D.Thomas, & Ariſtoteles vnam, & eamdem propoſitionem diſtinguunt aſſerentes, eam eſſe in gemino ſenſu accipiendam.* Eadem quidem propoſitio eſt quæ diſtinguitur: tamen per diſtinctionem non remanet eadem, ſed fiunt duæ propoſitiones valde diuerſæ. Præterea ſi S. Thomas docet, quòd quando illa propoſitio eſt falſa in ſenſu compoſito, *accipitur ſubiectum cum forma:* quando eſt vera in ſenſu diuiſo, *accipitur ſubiectum ſine forma,* quæ forma eſt illa, quæ alio nomine dici ſolet ſuppoſitio, apertiſſimè cōtra ſuum magiſtrum ita ſcribit Thomiſta, *Illa ſuppoſitio in vtroque membro debet manere, & illa ſtante, & ly, poteſt, ſemper ſumpto pro potentia proxima, & expedita, diſtinguenda eſt propoſitio illa in duplici illo ſenſu.* Quamquam his verbis ne ipſe quidem ſatis ſibi conſtat: quia illud, *poteſt,* non ſemper in vtroque membro ſumit pro potentia proxima, & expedita: ita enim ſumit, cùm dicitur, *poſſe in ſenſu diuiſo*; ſed cùm dicitur, *non poſſe in ſenſu compoſito,* accipit poſſe pro actu, quem ſolùm negari vult in ſenſu compoſito, & non pro potentia, quam proximam, & expeditam remanere vult, etiam in ſenſu compoſito.

99. *Prædeterminatus ad vnũ non habet potentiam omnino expeditã ad oppoſitum.*

Secundum probo primò, quia dicitur Petrus, etiam vt prædeterminatus à Deo ad determinatum actum pœnitentiæ, & vt formaliter compoſitus cum tali prædeterminatione, habere potentiam proximam, & expeditam ad actum oppoſitum. Hoc autem cohærenter dici non poteſt. Tum quia potentia proxima, & expedita eſt illa, quæ non caret aliqua re antecedenter, & in actu primo neceſſaria ad actum ſecundum. Sed per te voluntas cauſæ primæ prædeterminans ad vnum, eſt cauſa neceſſaria cuiuſlibet actus determinati; ergo qui caret prædeterminatione ad actum oppoſitum actui pœnitentiæ, dici non poteſt habere proximam, & omnino expeditam potentiam ad illum actum. Tum quia dici non poteſt potentia proxima, & omnino expedita ad agendum, quæ non intelligitur dependens à concurſu generali primæ cauſæ. Sed per te hic concurſus eſt paratus per voluntatem Dei prædeterminantem: ergo potentia non ſubordinata tali voluntati, non eſt proxima, & expedita ad agendum actum oppoſitum actui prædefinito à Deo. Tum quia Deus prædefiniens pœnitentiam, intelligitur velle efficaciter vt non ſit quodlibet aliud incompoſſibile cum pœnitentia. Sed non pœnitentia eſt maximè incompoſſibilis cum pœnitentia, ergo Deus prædefiniens pœnitentiam, efficaciter, & abſolutè vult, vt non ſit negatio pœnitentiæ, ergo poſita prædefinitione pœnitentiæ Petri, non remanet in Petro potentia expedita ad negationem pœnitentiæ: quia de quacumque cauſa ſecunda abſurdè dicitur, habere potentiam omnino expeditam, & proximam, vt faciat id, quod cauſa prima efficaciter, & abſolutè decreuit vt non faciat. Tum quia, certum ſaltem eſt, prædeterminationem pœnitentiæ, eſſe aliquod impedimentum negationis pœnitentiæ, quis enim concipere valet, negationem pœnitentiæ hîc, & nunc, ſtare ſimul cum diuina prædeterminatione pœnitentiæ hîc, & nunc? ergo potentia negationis pœnitentiæ dum intelligitur prædeterminata à Deo ad pœnitentiam, non poteſt non intelligi multum impedita ad negationem pœnitentiæ: ergo perperam dicitur omnino expedita. Tum quia ſi eſt omnino expedita, & proxima, ergo ſi ponatur in actu, non debet ex tali poſitione eſſe aliqua impoſſibilitas. Sed ſi poneretur in actu, ſequeretur, efficacem, & abſolutam Dei voluntatem non impleri, quod eſt maximè impoſſibile: ergo illa potentia ad vnum à Deo prædeterminata, falsò dicitur omnino expedita ad oppoſitum.

Probo ſecundò, quia inſufficienter, & falsò dicitur, Petrus prædeterminatus ad actum pœnitentiæ, poſſe facere actum oppoſitum, ſed nunquam facere. Inſufficienter quidem, quia oſtenſum modò eſt, non ſolùm nunquam facere, ſed nec poſſe facere, imò implicare contradictionem vt faciat: falsò autem, quia quod nullum eſt impedimentum vt poſſis facere, dici conſequenter nequit impedimentum vt facias. Omne impedimentum actus ſecundi, non poteſt alio modo concipi, niſi impedire actum primum, & potentiam ipſam ne prodeat in actum ſecundum.Quod videre licet vniuerſaliſſima inductione in omnibus. Quis enim concipere poterit, ſe eſſe impeditum vt currat, vt videat, vt peccet, vt credat, &c. & nihilominus ſe habere proximam, & omnino expeditam potentiam ad currendum, videndum, peccandum, credendum, &c. Videtur igitur ſolùm ad fugam difficultatis conficta iſta diſtinctio, de impedimento actus, quod tamen nullum ſit impedimentum potentiæ ad illum actum. Quamquam in caſu noſtro ſatis ſit intelligere impedimentum actus, vt intelligatur impeditus vſus libertatis ad vtrumlibet. Quod etiam ſolius actus impedimentum haberi ex diuina voluntate concurrente ad actus noſtros liberos, nefas eſt aſſerere. Neque dici poteſt quòd prædeterminatio potentiæ 100.

*Impedimentũ actus ſecundi ſẽper eſſe impedimentum actus primi.*

potentiæ ad vnum, neque ſit impedimentum potentiæ ad actum oppoſitum, neque vllum impedimentum ipſiuſmet actus oppoſiti: ſi enim poſita prædeterminatione pœnitentiæ, & propter talem prædeterminationem, & cum tali prædeterminatione numquam fit actus oppoſitus pœnitentiæ, qui fieret, ſi haberetur à Deo oppoſita prædeterminatio, eſt intelligibile per illam prædeterminationem neque impediri potentiam, neque actum. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, aduerſarios non poſſe libertatis creatæ cauſam tueri, niſi perturbando, ac negando clariſſimum, & vſurpatiſſimum ſenſum terminorum de neceſſitate antecedente, & ſequente, & de poſſe, aut non poſſe in ſenſu compoſito, & diuiſo. Quamobrem de Suarez, ex eo ſolùm quòd impugnando contrariam opinionem, hos terminos in prædicto ſenſu vſurpauerit, immeritò dictum eſt, *Fingit ſibi hoſtem, quem feriat.* præclariſſimus ætatis noſtræ Theologus fingere nequit vulgarium terminorum notiones, quibuſlibet in Philoſophia vel mediocriter verſatis non ignotas. Vir religioſiſſimus nullum habet hoſtem, niſi falſitatem. Hac vulneratos non intendit ferire, ſed iuuare, ac ſanare cupit.

## *De ſuppoſitione antecedente.*

101. *Suppoſitio ex decreto prædeterminante, eſt omnino antecedens.*

Ad aliud argumentum, quo nos aduerſariorum prædefinitionem impugnamus, quòd ſcilicet ſuppoſitio ex huiuſmodi prædefinitione ſit ſuppoſitio neceſſaria, & omnino antecedens, cuius generis ſuppoſitiones ex receptiſſima Anſelmi doctrina tollunt vſum operandi liberè, reſpondet primò Gonzalez ibidem à num. 52. *negando eiuſmodi ſuppoſitionem eſſe omnino antecedentem.* Quod verè negari nequit in eius opinione ponente, per prędefinitionem cauſari effectum ſub omni actualitate, ac futuritione, tam abſoluta quàm conditionata: tunc enim iſta ſuppoſitio antecedit duratione æterna, antecedit cauſalitate, & independentia, & dignitate, antecedit etiam præſcientia & abſoluta, & conditionata, quam poſt prædefinitionem eſſe contendunt. Neque vlla alia antecedendi ratio illi deeſt, ſecundùm quam dici verè poſſit, non omnino antecedens. Negationem verò ſuam probat Gonzalez primò *ex Capreolo in 1. d.45. quæſt. 1. art. 3. circa finem,* ex quo refert iſta verba, quæ in tota illa quæſtione, in qua non tres, ſed duos tantùm articulos ſcripſit Capreolus, inuenire non potuit. *Licèt iſta ſuppoſitio prædefinitionis Dei non ſit in poteſtate noſtra, tamquam in cauſa per quam eſt; tamen eſt in poteſtate noſtra, ſicut in illo, ſine quo illa non erit certa, aut efficax: & in hoc ſenſu poteſt dici conſequens.* Secundò ratione, *quia talis prædefinitio Dei, licèt in ratione cauſæ antecedat conſenſum noſtrum, inuoluit tamen in ſe habitudinem ad illum, tamquam ad effectum, quem cauſat; & non eſt ſuppoſitio efficax ſine libero arbitrio noſtro, ideo in hoc ſenſu non eſt omnino antecedens illud.*

*Cõtra arguit Gõzalez primò ex Capreolo.*

*Secundò ratione.*

*Reſpondetur ad primũ de Capreolo.*

Reſpondeo ad primum. Cùm de mente Capreoli pro noſtra ſententia contra aduerſarios euidenter conſtet ex multis aliis locis allatis ſupra num. 33. hæc alia verba, ſicubi leguntur, ſunt intelligenda de prædefinitione antecedente effectum abſolutè futurum, non autem antecedente, ſed conſequente effectum conditionatè futurum: & ſub iſta ratione ſuppoſitio prædefinitionis dici verè potuit à Capreolo, *ſuppoſitio conſequẽs:* & eſſe in poteſtate noſtra, *ſicut in illo, ſine quo illa non erit certa, aut efficax.* ad quæ verba paulò obſcuriora, cùm non conſtet de loco malè allegato ab arguente, non poteſt ex ipſomet Capreolo fidelius reſponderi.

*Ad ſecũdum cauſæ ſuppoſitio ordinatur ad conſequens, ſed non eſt conſequẽs.*

Ad ſecundum nego conſequentiam. Nouum, ac ridiculum eſt, propter cauſæ habitudinem, quam vna res habet ad aliam, tamquam ad effectum, aſſerere, effectum ſupponi ante cauſam, & cauſam non præſupponi aliqua ratione antecedenter ad effectum: hoc enim ſignificat, ſuppoſitionem cauſæ eſſe conſequentem, & non omnino antecedentem. Aliud igitur eſt, ſuppoſitionem ordinari ad conſequens; & aliud eſt, ſuppoſitionem eſſe conſequentem: primum, & non ſecundum habetur ex habitudine cauſæ ad effectum, hoc eſt, antecedentis ad conſequens, alioquin omnis ſuppoſitio antecedens, ex hoc ipſo formaliter quòd eſt antecedens, eſſet aliqua ratione conſequens; quoniam antecedens, vt formaliter antecedens, inuoluit habitudinem ad conſequens.

102. Ad idem argumentum reſpondet ſecundò Gonzalez, concedendo, prædefinitionem eſſe ſuppoſitionem omnino antecedentem: ſed negando, omnem ſuppoſitionem antecedentem eſſe neceſſitatem antecedentem, quoniam, inquit, *ex ſuppoſitione antecedenti aliquando ſolùm ſequitur neceſſitas ſequens.* Vnde iterum contra Suarez dicit, *Paralogizatur arguens; dum pro eodem ſumit vtrumque.* Quod probat primò ex S. Thoma ſupra quæſt. 19. art. 8. ad 3. illis verbis, *Poſteriora habent neceſſitatem à prioribus ſecundùm modum priorum. Vnde & ea, quæ ſunt à voluntate diuina, talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult ea habere, ſcilicet vel abſolutam, vel conditionatam tantùm.* Probat ſecundò ex Anſelmo libro de concordia, illis verbis, quæ non habentur circa finem illius libri, vt ipſe citat, ſed ante medium, nempe cap. 2. poſt medium. *Quamuis neceſſe ſit fieri, quæ præſciuntur, & quæ prædeſtinantur; quædam tamen præſcita, & prædeſtinata non eueniunt ea neceſſitate, quæ præcedit rem, & facit, ſed ea, quæ rem ſequitur, ſicut ſupra diximus. Non enim ea Deus quamuis prædeſtinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati reſiſtendo, ſed in ſua illam poteſtate dimittendo. Quamuis tamen ſua voluntas vtatur poteſtate, nihil tamen facit, quòd Deus non faciat, in bonis ſua gratia; in malis, non ſua, ſed eiuſdem voluntatis culpa.*

*Ex ſuppoſitione antecedẽte oriri neceſſitatem ſequentem, probat Gonzalez primò.*

*Probat 2.*

*Reſpondetur, certum eſſe, ex ſuppoſitione antecedẽti oriri neceſſitatem antecedentem.*

Reſpondeo, hoc eſſe aliud nouiſſimum dogma, nunc primum à Gonzalez conditum contra omnes Theologos, ac Philoſophos, quòd ſcilicet, neceſſarium ex ſuppoſitione antecedente non ſit neceſſarium neceſſitate antecedente. In has anguſtias pro libertate tuenda deuenerunt hi, dum noſtrum arbitrium ſuapte natura liberum ad vtrumlibet, omnino antecedenter prædeterminari volunt ad vnum, ad libitum, & arbitrium ſolius Dei. Quod quidem cum libertate concordari non poteſt, niſi certiſſima, clariſſimáque principia, quæ hactenus ſapientes omnes de libertate tradiderunt, perturbentur. Si ſuppoſitio eſt omnino antecedens, vt conceditur, & eſt cauſa prorſus ineuitabilis, ac neceſſaria, quia maximè neceſſarium eſt rem illam determinatam fieri, quam Deus per determinatum, ac prædeterminans decretum ſuum efficaciter, atque abſolutè fieri vult, & quis non videt neceſſarium ex ſuppoſitione antecedente eſſe neceſſarium neceſſitate antecedente? Sed ne in re euidentiſſima demonſtranda inutiliter immorer, ſolùm ex ipſiſmet authoritatibus, quas arguens pro ſe affert, illum redarguam.

Ad



103. *Exponuntur verba S. Thomæ.*

Ad verba S. Thomæ reſpondeo, illis rectè dici, ex voluntate diuina nos habere non ſolùm quòd operemur, ſed etiam quòd neceſſariò, & contingenter operemur, vel neceſſitate abſoluta, quæ libertati aduerſatur, vel neceſſitate conditionali, quæ ſtat cum libertate. Quòd autem hæc omnia habeantur ex diuina voluntate prædeterminante ad vnum omnia, tam neceſſaria quàm contingentia, ſiue abſolutè ſiue conditionaliter futura, dicit quidem Gonzalez, ſed S. Thomas perpetuò negat. Et vt alia multa omittam, quæ ſuis locis ſuperius attuli, in hoc ipſo articulo octauo citato, vt ibi explicaui, ac probaui, multa ſunt quæ manifeſtè impugnant arguentis intentum.

104. *Exponuntur verba S. Anſelmi.*

Ad verba Anſelmi, dico eſſe contra arguentem. primò quia apertè docet, neceſſitatem pugnantem cum libertate, eſſe illam antecedentem ſuppoſitionem, *quæ præcedit rem, & facit.* ſed per te prædefinitio diuina rem omnino præcedit, & facit; & præterea eſt cauſa neceſſariiſſima, cùm implicet contradictionem, ex ea non præuenire effectum prædefinitum, ergo huius prædefinitionis ſuppoſitio pugnat cum libertate. Secundò ex Anſelmo neceſſitas, quæ ſtat cum libertate, eſt illa, *quæ rem ſequitur,* hoc eſt, iam antecedenter factam abſque vlla prorſus neceſſitate. Sed neceſſitas, qua neceſſe eſt fieri actum prædefinitum à Deo prorſus antecedenter, non ſequitur poſt factum illum actum, ſed tota eſt in illo præcedente diuino decreto, vnde non poteſt non ſequi actus: ergo prædefinitionis illius neceſſitas, eſt deſtructiua libertatis. tertiò, ideo per Anſelmum prædeſtinatio non tollit libertatem, quia Deus non prædeſtinat, *voluntatem cogendo, aut voluntati reſiſtendo, ſed dimittendo illam in ſua poteſtate,* nimirum indifferente, & libera ad vtrumlibet: at verò prædeſtinare, voluntatem efficaciſſimè prædeterminando ad vnam tantùm partem, & conſequenter excludendo illam ab alia parte oppoſita, eſt euidenter cogere voluntatem, quia vt prædeterminata ad vnum, iam non poteſt ſe mouere ad vtrumlibet, contra ſuam naturam. Item eſt reſiſtere voluntati, quia prædeterminatio prohibet ne voluntas feratur in partem non prædeterminatam, in quam ſuapte natura expeditè ferri poteſt, ſi illi libuerit. Item apertiſſimè eſt non dimittere voluntatem in poteſtate ſua libera ad vtrumlibet. quartò quia in eodem capite paulò ante, & poſt verba citata, Anſelmus rationem ob quam prædeſtinatio Dei non tollat libertatem, aſſignat ex præſcientia antecedente prædeſtinationem, contra verò aduerſarij aſſignant ex prædefinitione antecedente omnem præſcientiam ſine dubio, inquit doctiſſimus Anſelmus, cui refragari nefas eſt, *aliqua poſſunt prædeſtinari per liberum arbitrium; quia eius prædeſtinatio, & præſcientia non diſcordant, ſed ſicut præſcit, ita quoque prædeſtinat.* & iterum inferius, *Prædeſtinatio non prædeſtinat, niſi ſicut eſt in præſcientia.* Contra verò Gonzalez, & ſocij propoſitiones directè oppoſitas propoſitionibus Anſelmi ita ſcribere non dubitant, *Deus ſicut prædeſtinat, ita quoque præſcit. Præſcientia non præſcit, niſi ſicut eſt in prædeſtinatione.*

Multa alia habet Gonzalez in citata ſectione tertia ad eumdem finem; ſed vel repetit, quæ iam ſufficienter confutata ſunt; vel addit plura, de quibus dictum eſt ſupra quæſt. 14. art. 13. vel alia, quæ pertinent ad materiam de auxiliis diuinæ gratiæ, de quibus hoc tempore ex Sedis Apoſtolicæ decreto noſtras diſputationes euulgare omnes pariter prohibemur.

105. *Obijcitur S. Thomas de verit. q. 23. art. 5. ad 3.*

Solùm addi poſſet pro Gonzalez, & pro aliquibus noſtræ ſententiæ authoribus, qui pariter contendunt, propter aliquam antecedentem rationem effectum eſſe neceſſarium neceſſitate ſequente, & non poſſe non fieri; cum hoc tamen ſtare, eumdem effectum non eſſe neceſſarium neceſſitate antecedente, & cauſam poſſe non facere illum: quia hæc eſt diſtinctio S. Thomæ de verit. quæſt. 23. art. 5. ad 3. vbi inquit, *non eſſe effectus diuinæ voluntatis non poteſt ſimul ſtare cum diuina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum diuina voluntate. Non enim ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari, & iſte poteſt damnari, ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſaluari, & iſte damnatur.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo, his verbis contineri optimam doctrinam ab omnibus conceſſam, de duobus actibus oppoſitis; quorum alter eſt incompoſſibilis cum altero, ſed potentia ad alterum non eſt incompoſſibilis cum altero, v.g. ſtare, & ſedere non poſſunt eſſe ſimul in eodem homine, in quo tamen dum ſtat eſt potentia ad ſedendum, & dum ſedet eſt potentia ad ſtandum; ſicut materia prima etiam quando eſt ſub forma ignis habet potentiam ad formam aquæ, licèt formæ ipſæ ſint incompoſſibiles. Et quoniam voluntas Dei efficax, & abſoluta de vno actu in aliquo ſubiecto inuoluit eſſentialiter actum in illo ſubiecto, cum tali voluntate, & ſubiecto eſt compoſsibilis potentia ad alium actum oppoſitum, non autem ipſemet actus oppoſitus. In hac verò planiſsima doctrina non vertitur cardo noſtræ controuerſiæ, qua vlterius quærimus, an actus non poſsit eſſe in ſubiecto habente actum oppoſitum, & nihilominus, ſubiectum habens actum oppoſitum poſſit eſſe cum illo actu. Quod eſt manifeſtè falſum, quia in vtraque propoſitione ponitur vnus actus cum alio actu oppoſito; ergo in vtraque propoſitione prædicari debet aliquid impoſsibile, & vt tale negari de ſubiecto. Similiter quærimus, & in idem ferè recidit: An quod eſt neceſſarium vt fiat actus à tali potentia, non ſit neceſſarium vt talis potentia faciat illum actum. Et id genus alia, quæ dici quidem poſſunt ad fugam, non intelligi ad veritatem. Denique aduerto ad maiorem intelligentiam S. Thomæ ſupra, iſtam propoſitionem ſemper eſſe falſam, *Prædeſtinatus non ſaluatur,* & vniuerſalius, *Quod Deus vult eſſe non eſt.* quia hæ propoſitiones non poſſunt ſumi in ſenſu compoſito, & diuiſo à compoſitione, cùm in iis vnum oppoſitum prædicetur de alio oppoſito, v. g. negatio ſalutis de prædeſtinato includente eſſentialiter ſalutem, & non eſſe de eſſe efficaciter, & abſolutè volito à Deo; quæ oppoſita nec conſiderari poſſunt vt ſimul compoſita, nec conſequenter vt diuiſa à compoſitione: ſed conſiderari ſemper debent vt inuicem ſimpliciter diuiſa. Et ideo nunquam vnum affirmari poteſt de alio, quia nunquam vnum eſt cum alio. Hanc verò propoſitionem, *Prædeſtinatus poteſt non ſaluari,* ſiue vniuerſalius, *effectus liber, quem eſſe vult Deus, poteſt non eſſe;* poſſe eſſe veram, & poſſe eſſe falſam; quia ſumi poteſt in ſenſu diuiſo, & ſic eſt vera; & in ſenſu compoſito, & ſic eſt falſa: hoc eſt, potentia, quoniam eſt indeterminata, & indifferens ad duo oppoſita, & eadem eſt cum vno, & cum alio oppoſito, poteſt eadem conſiderari in ordine ad vnum oppoſitum, non ſolùm vt compoſita cum alio oppoſito, quæ conſideratio eſt de impoſsibili, & falſo, ſed etiam vt diuiſa ab alio oppoſito, quæ conſideratio eſt de poſsibili,

*Prædeſtinatũ non ſaluari, ſẽper eſt falſum.*

*Prædeſtinatũ poſſe non ſaluari, eſt verũ in ſenſu diuiſo, falſum in ſenſu cõpoſito.*

&

& vero. Hic enim non prædicatur vnus actus de alio actu, qui actus ſunt ſimpliciter incompoſſibiles, ſed prædicatur de vno actu potentia ad alium actum oppoſitum, quæ potentia ſtat, & componit cum alio actu; & ideo conſiderari poteſt vt prædicatur in ſenſu compoſito cum vno actu, & conſequenter conſiderari etiam poteſt vt prædicatur in ſenſu diuiſo à tali compoſitione: quoniam potentia indifferens ad plura oppoſita, etſi non cum vtroque, tamen cum ſingulis benè cohæret; & ideo poteſt conſiderari & vt cum ſingulis compoſita, & vt à ſingulis diuiſa: actus verò quia componere non poteſt cum alio actu oppoſito, ideo non poteſt conſiderari ſub duplici ſtatu & compoſitionis, & diuiſionis.

---

## ARTICVLVS V.

### *Vtrùm præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis.*

Ad quintum ſic proceditur. Videtur quòd præſcientia meritorum ſit cauſa, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Prædeſtinatio non ex parte actus, ſed ex parte effectus in particulari, habet cauſam. n. 1. & 2.*

2 *Prædeſtinatio ex parte omnium effectuum non habet cauſam niſi diuinam bonitatem. n. 3. & 4.*

3 *Cur hic potius quàm ille ſit prædeſtinatus, non habet cauſam, etiam ex parte Dei. n. 4.*

4 *De cauſis reprobationis, n. 5. ad 16.*

### COMMENTARIVS.

1. *Prima concluſio negatiua de prædeſtinatione ex parte actus.* S.Thom.

PRIMA concluſio, Prædeſtinatio formaliter ſumpta pro actu diuino, ſiue, vt loquitur S.Thomas circa initium corporis, *ex parte actus*, qui eſt eſſentialiter ipſemet Deus increatus, nullam omnino habet, aut habere poteſt cauſam, ſicut nec ipſe Deus. & in hoc ſenſu S.Thomas ibidem ait, *nullus fuit ita inſanæ mentis, qui diceret, merita eſſe cauſam diuinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis.*

2. *Secunda concluſio affirmatiua de prædeſtinatione ex parte effectus.*

Secunda concluſio. Prædeſtinatio effectiuè ſumpta, ſiue, vt loquitur S.Thomas ibidem, *ex parte effectus*, & conſiderata in ordine ad ſuos effectus, de quibus ſupra, art. 2. ſi conſideretur *in particulari*, hoc eſt, ratione alicuius particularis effectus, habet *cauſam, & rationem*, alium particularem effectum. Ita S.Thomas hîc, & alij omnes, & patet primò in genere, quia licet, vt dicitur initio corporis, *Non ſit aſſignare cauſam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi, tamen poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, in quantum ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud*, vt pluribus explicatum eſt ſupra q. 19. art. 5. Secundò, nam merita ſunt cauſa moralis effectiua gloriæ, cuius etiam cauſa materialis diſpoſitiua eſt gratia, propter quod de meritis, quæ non cauſant effectiuè gloriam niſi ex gratia, dixiſſe videtur S. Thomas circa finem corporis. *Cauſa meritoria reducitur ad diſpoſitionem materiæ*; ſicut enim Deus dat beatis præmium gloriæ propter merita bonorum operum, ita dare ab æterno prædeſtinauit; quia vt docet S.Thomas in argumento *ſed contra. Sicut ſaluos nos fecit, ita prædeſtinauit nos ſaluos fieri.* Gloria verò, ad quam Deus prædeſtinatos elegit ante abſolutam meritorum præſcientiam, ſupra art. 1. dub. 3. eſt finalis cauſa gratiæ, & meritorum. Vnde dicere poſſumus, & conceditur à S.Thoma ibidem, *quòd Deus præordinauit, ſe daturum alicui gloriam ex meritis: &, quòd præordinauit, ſe daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam:* iuxta quem ſenſum conceditur ad primum, *quòd vſus gratiæ præſcitus, eſt ratio collectionis gratiæ ſecundùm rationem cauſæ finalis.* Quam exprimit Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 17. initio, dicens prædeſtinatos eligi, & vocari ſecundùm propoſitum, *Non quia crediderunt, ſed vt credant.* idémque ſæpe repetit cap. 18. & 19. vbi ait, *Non quia credidimus, ſed vt credamus, vocamur.*

*Cur cauſa meritoria reducatur ad diſpoſitionem materiæ, ex S.Thoma.*

*Vſus gratiæ eſt finalis cauſa donationis gratiæ ex Sanctis Thoma, & Auguſtino.*

3. *Tertia concluſio negatiua de prædeſtinatione reſpectu omnium effectuum.* S.Thom.

Tertia concluſio. Prædeſtinatio effectiuè etiam ſumpta, ſi conſideretur *in communi*, hoc eſt, ratione omnium effectuum collectiuè, *impoſſibile eſt, quòd habeat aliquam cauſam ex parte noſtra*, ſcilicet nec meritoriã, nec diſpoſitiuam. Ita etiam S.Thomas circa finem corporis, & communiſſimè alij, paucis quibuſdam antiquis exceptis, quos S.Thomas in corpore refert, & confutat. Potiſſimum huius veritatis fundamentum ab eo traditum, eſt, quia cum prædeſtinatio, ſit præparatio, & præordinatio in vitam æternam, *quicquid eſt in homine, ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub effectu prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam*, hoc eſt, prima ſupernaturalis vocatio, quæ inter omnes prædeſtinationis effectus primum locum obtinet in ordine exequutionis. Hæc autem vocatio, ſiue ſit tantùm ſufficiens, ſiue efficax, quæ ad prædeſtinationem requiritur, ex nullis naturæ noſtræ præcedentibus meritis, aut diſpoſitionibus à Deo nobis datur. Quod hîc S.Thomas non aliter probat, quàm ex illo Ieremiæ capite vltimo. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* fuſior enim harum veritatum probatio, & contrariarum opinionum impugnatio, proprium locum habent in materia de gratia; de qua nihilominus interpretes hîc ex inſtituto diſputant: nos verò integram, abſolutámque de diuina gratia tractationem, quam pro defenſione noſtrorum Theologorum contra huius temporis aduerſarios, paratam habemus, in aliud diſtinctum, ac iuſtum opus libenter reiicimus, donec per Sedem Apoſtolicam liberior pro dignitate de omnibus controuerſiis, ad vniuerſam materiam ſpectantibus, facta fuerit ſcribendi poteſtas.

*Exponitur locus Hierem. vltimo.*

4. *Quarta concluſio, cauſa finalis omniũ effectuũ prædeſtinationis eſt diuina bonitas.*

Quarta concluſio. Prædeſtinatio eodem modo ſumpta, effectiuè, & collectiuè, quamuis ex parte noſtra nullam habeat cauſam, vt probatum eſt, tamen cauſam finalem habet diuinam bonitatem, *ad quam*, vt dicitur in fine corporis, *totus effectus prædeſtinationis ordinatur vt in finem, & ex qua procedit, ſicut ex principio primo mouente.* Eadem diuina bonitas, in reſponſione ad tertium cauſa finalis dicitur etiam reprobationis; quia Deus repræſentat bonitatem ſuam nõ ſolùm in prædeſtinatis, *per modum miſericordiæ parcendo*, cùm dicat Paulus ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ*; ſed etiam in reprobis, *per modum iuſtitiæ puniendo.* Quod S. Thomas bene probat ex verbis Pauli ad Rom. 9. quæ ita explicat, *Volens Deus oſtendere iram, id eſt, vindictam iuſtitiæ, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, id eſt, permiſit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ.* & 2. ad Thimoth. 2. *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam linea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.* quamquam, vt ibidem additur, *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem.* quæ ſicut nulla habita ratione v. g. operum Pauli, & Iudæ, illum prædeſtinauit, hunc reprobauit; &, vt dicitur ad Rom. 9. *Cum nõdum nati fuiſſẽt, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, vt ſcilicet bonitatem ſuam multiformiter repræſentaret; ita contra, eodem prorſus modo multiformiter repræſentaſſet eamdem bonitatem ſuam, ſi prædeſtinaſſet Iudam, & Eſau, reprobaſſet Paulum, & Iacob. Ad huiuſmodi igitur electionem faciendam de his, non de aliis, ob nullam prorſus rationem, neque ex parte creaturarum, neque ex parte ſui, moueri potuit Deus, ſed eam fecit ex mera libertate diuinæ voluntatis ſuæ. Et ideo dixit Auguſtinus tractatu 26. in Ioan. circa principium. *Quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.* In qua inæqualitate non eſt iniuſtus Deus; tum generaliter, quia cùm ſit omnium ſupremus, & abſolutiſſimus Dominus, poteſt de quacumque re diſponere ſicut vult: tum particulariter, quia prædeſtinatio ſpectat ad gratiam, non ad debitum. Sed, vt diſcurrit S.Thomas ad 3. fin. *In his, quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult plus, vel minus; dummodo nulli ſubtrahat debitum, abſque præiudicio iuſtitiæ. Et hoc eſt, quod dicit Paterfamilias Matth. 20. Tolle quod tuum eſt, & vade: an non licet mihi quod volo facere?* Hanc ſecundam rationem luculenter explicat Paulus ad Roman. 9. illis verbis, *Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit. Moyſi enim dicit, miſerebor cuius miſereor; & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor. O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, cur me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Ad Epheſ. 1.

*Exponitur locus cũ S.Thoma ad Rom. 9.*

2. ad Timoth. 2.



*Nulla datur cauſa cur hic ſit prædeſtinatus, ille reprobatus.*

*Probatur ex Auguſtino.*

*Probatur ex S.Thoma.*

Matth. 20.

Ad Rom. 9.

## DVBITATIO I.

### *An ex parte reproborum detur aliqua cauſa reprobationis.*

### SVMMA.

1 *Reprobatio negatiua comparatiuè conſiderata non habet cauſam. n. 5. ad 8.*

2 *Reprobatio negatiua abſolutè conſiderata habet cauſam. n. 8. ad 12.*

3 *Reprobationis negatiuæ cauſa eſt ſolùm peccatum originale. n. 12. & 13.*

4 *De cauſis reprobationis poſitiuæ. n. 14. & 15.*

5. *Declaratur titulus.*

INquirimus *ex parte reproborum*, nam de reprobatione formaliter ſumpta ex parte actus Dei reprobantis, idem dicendum quod ſupra n. 1. de prædeſtinatione. Recolendum autem eſt ex dictis ſupra art. 3. n. 6. duplicem eſſe reprobationem, alteram negatiuam ſeu permiſſiuam, alterã poſitiuam ſeu punitiuam: & vtriuſque cauſas hîc indagamus.

6. *Quinta concluſio, partim negatiua, partim affirmatiua de reprobatione permiſſiua.*

Quinta concluſio. Reprobatio negatiua, ſi ſpectetur comparatiuè per ordinem ad prędeſtinationem, nullam habet cauſam ex parte reproborum; in quo ſenſu hoc probaui ſupra art. 3. à n. 6. ſi verò ſpectetur abſolutè per ſe, cauſam habet peccatum. Ita diſtinguo ad conciliandas diuerſas hac de re grauium Doctorum ſententias, præſertim Sanctorum Auguſtini, & Thomæ. Prima pars eſt expreſsè S.Thomæ hîc ad tertium poſt medium, illis verbis, *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet cauſam niſi diuinam voluntatem.* Quod confirmat celebri illo Auguſtini dicto, *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.* Præterea idem Auguſtinus ſæpiſſimè loquens de cauſa diſcretionis à Deo factæ inter reprobos, & prædeſtinatos, eam nullam eſſe fatetur præter ſapientiſſimam, ac iuſtiſſimam voluntatem Dei, & cum Paulo exclamat, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Et de prædeſtinatione Sanctorum c. 9. circa principium. *Cur autem iſtum potius, quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Melius enim & hîc audimus, aut dicimus, ô homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? quàm dicere audeamus quaſi nouerimus quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit.* Idem repetit libro ſequenti de bono perſeuerantiæ c. 8. verbis commemoratis ſupra ar. 1. n. 45. & 95. Rurſus epiſt. 105. circa medium. *Cur autem illum potius quàm illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt iudiciorum eius tam magnum profundum, verũtamen caueat præcipitiũ.*

S.Thomas.

S. Auguſt.

7. *Pars negatiua probatur ratione.*

Ratio euidens ſumitur ex verbis Pauli, & Auguſtini, quia ante reprobationem, & prædeſtinationem omnes homines præſupponuntur eſſe *in eadem maſſa*, vel *perditionis*, vt perpetuo ſentit, & loquitur Auguſtinus, clarè ſignificans opinionem de reprobatione, & prædeſtinatione à Deo facta poſt abſolutam præſcientiam peccati Adæ, in quo omnes peccauimus, vel naturæ, ſecundùm contrariam opinionem de prædeſtinatione Chriſti, & aliorum in Chriſto ante peccatũ. Sed in ordine ad gratiam, & gloriã, tam in maſſa naturæ, quàm in maſſa perditionis, omnes eramus prorſus æquales, &, vt ait Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum capite nono circa initium, *& in eis qui liberantur, & qui non liberantur, ſunt paria merita.* ergo ex parte ipſorum hominum nullam Deus cogitare potuit rationabilem diſparitatis rationem, ob quam aliquos reprobauerit, quæ non eſſet in aliis, quos prædeſtinauit: ſicut in ſimilitudine de vaſis, quam Auguſtinus ex Paulo frequenter vſurpat, quoniam omnia facta ſunt ex eadem æquali, & homogenea luti maſſa, ideo nulla ex parte vaſorum afferri poteſt diſcriminis ratio, ob quam hoc vas factum ſit in contumeliam, illud in honorem. Confirmatur à contrario, quia ex probatis ſupra art. 1. dub. 3. tum ratione, tum authoritate, præſertim Pauli, & Auguſtini, prædeſtinatio facta eſt ex nullis præuiſis prædeſtinatorum meritis, ſed ex mera liberalitate, ac miſericordia Dei prædeſtinantis, cui placuit ex omnibus ſimilibus tam in natura, quàm in originali naturæ peccato, eligere aliquos, non omnes; & iſtos aliquos voluit eſſe hos, & nõ illos, qui æquè bene eligi poterant, nec habebant maiorem indignitatem, ob quam non eligi mererentur; ergo ſi reprobatio, ſeu reproborum derelictio cõſideretur in ordine ad aſſumptionem prædeſtinatorum, nulla maior ratio fuit in reprobis vt iuſtè reprobarentur, & non prædeſtinarentur, quàm in prædeſtinatis vt miſericorditer prædeſtinarentur, & non reprobarentur.

Auguſt.

8. *Pars affirmatiua eſt S. Thomæ.*

Secunda pars ſignificatur à S. Thoma hîc ad tertium ante medium, docente, *Deum in iis, quos reprobat, voluiſſe ſuam repræſentare bonitatem, per modum iuſtitiæ puniendo:* ídque probat ex verbis Pauli relatis, & explicatis ſupra n. 4. Multo expreſſius de verit. q. 6. art. 2. ad 9. *In electione*, inquit, *ratio eſt diuinæ bonitas. Ratio autem reprobationis eſt in hominibus*

*nibus peccatum originale, vt dicit Auguſtinus, vel in futuro per hoc ipſum, quod eſt non habere debitum ad hoc, quòd ei gratia conferatur: rationabiliter autem poſſum velle denegare aliquid alicui, quod ſibi non debetur.* Et in cap. 9. epiſt. ad Rom. lect. 3. ante medium. *Cùm omnes homines, propter peccatum primi parentis, damnationi naſcantur obnoxij, quos Deus per ſuam gratiam liberat, ſola miſericordia liberat: & ſic quibuſdam eſt miſericors, quos liberat; quibuſdam autem iuſtus, quos non liberat; neutris autem iniquus.* Et lect. 4. multo poſt medium docet, quòd Paulus illis verbis, *volens oſtendere iram, id eſt,* inquit, *iuſtitiam vindicatiuam, ponit rationem reprobationis.* Iuſtitia verò vindicatiua clariſſimè præſupponit in reo peccatum, & culpam. Nam, vt ex Auguſtino optimè docet

Scotus.

Scotus 1. d. 41. q. 1. §. *Poteſt aliter. Non prius eſt Deus vltor, quàm aliquis ſit peccator. Videtur enim eſſe crudelitatis, punire aliquem non præexiſtente in eo culpa. Igitur non vult Deus prius aliquem punire, quàm videat eſſe peccatorem.* Eamdem ſententiam ſequuntur veteres, & recentiores multo communiùs.

9.
*Probatur ex Auguſtino.*

Probo illam primò ex Auguſtino, cuius eſt, teſte S. Thoma ſupra, nam de prædeſtinatione Sanctorum c. 8. poſt principium ait, *Cur non omnes docet, vt veniant ad Chriſtum? niſi quia omnes, quos docet, miſericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miſeretur, & quem vult indurat; ſed miſeretur bonum tribuens, obdurat digna retribuens.* Per eos, quos docet, & quos non docet, intelligit ſine dubio prædeſtinatos, & reprobos. Et clarè loquitur de reprobatione negatiua, hoc eſt, de voluntate, qua Deus aliquos vult non docere, nimirum per negationem gratiæ efficacis, ac finalis. Hæc reprobatio facta eſt, inquit, non miſericordia, ſed iuſto iudicio digna retribuente; ergo præſupponente culpam in reprobis. Quam culpam eſſe originalem paulo poſt apertiſſimè expreſſit initio capitis noni, vbi loquens de dono fidei, quod, inquit, *quibuſdam dari,* hoc eſt, prædeſtinatis, *quibuſdã non dari,* hoc eſt, reprobis, *omnino non dubitet qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare;* ita ſubdit, *Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit, ex vno omnes iſſe in condemnationem, ſine dubitatione iuſtiſſimam; ita vt nulla Dei eſſet iuſta reprehenſio, etiam ſi nullus inde liberaretur.* Et iterum libro ſequenti de bono perſeuerantiæ c. 8. circa principium loquens *de tam debita perditione,* quàm omnes in Adamo peccantes patiebamur, ait, *ſi Deus inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus. Ex vno quippe omnes in condemnationem, non iniuſtitia iudicati ſunt filij irá, ſed iuſtitia. qui ergo liberatur gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoſcat.* Non liberari, ad negatiuam reprobationem pertinet. Non liberari ex debito, eſt, reprobationis negatiuæ cauſam eſſe peccatum, cui debetur negatio liberationis, & gloriæ. Et poſtea ad illam interrogationem, *Cur in eadem maſſa, me potius quàm illum puniet, aut illum quàm me potius liberabit?* ait ſe nihil aliud poſſe reſpondere, niſi, *quia in hac re, ſicut iuſta eſt ira eius, ſic & magna eſt miſericordia eius, ita inſcrutabilia iudicia eius.* Et c. 11. circa principiũ ita grauiſſimè pronunciat, *Miſericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, ſine dubitatione credamus.* Eſt igitur omnino indubitatum apud Auguſtinum, quòd ſicut homines prædeſtinãtur ex nullo eorum præcedente merito bono, ita reprobantur ex præcedente eorum merito malo. Vnde epiſt. 106. circa medium ait, *Hæc maſſa ſi ita eſſet media, vt quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vaſa in contumeliam. Cùm verò per liberum arbitriũ primi hominis, in condemnationem vniuerſa defluxerit, procul dubio quòd ex ea fiunt vaſa in honorem, non ipſius iuſtitiæ, quæ gratiam nulla præceſſit, ſed Dei miſericordiæ: quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ abſit vt ſit apud Deum, ſed iudicio deputandum eſt.*

10.
*Probatur ratione.*

Probo ſecundò ratione, ſupponendo vnum, ex quo hæc veritas neceſſariò ſequitur, nempe, prædeſtinationem, & reprobationem non eſſe à Deo factam, niſi poſt abſolutam præuiſionem peccati primorum parentum, & totius poſterioritatis. Hęc enim veritas pendet ex prædeſtinatione Chriſti poſt eamdem præuiſionem facta, de qua proprius locus eſt in tertia parte in materia de incarnatione, vbi eam ex inſtituto probaui cum S. Thoma: quia nemo dubitat, homines eſſe prædeſtinatos in Chriſto ex meritis eius, ac proinde poſt Chriſtum prædeſtinatum. Præſuppoſito igitur peccato, quod vel formaliter, vel ſaltem cauſaliter, & conſequutiuè eſt iuſta priuatio gratiæ, & gloriæ, ſicut Deus propter rationem in ipſiſmet hominibus exiſtentem, potuit iuſtiſſimè, vt non ſemel docuit Auguſtinus ſupra, nulli prorſus velle dare vllã gratiam, ita de facto propter eamdem rationem cenſendus eſt, iuſtè voluiſſe non dare aliquibus ſpecialem quamdam gratiam, nimirum efficacem, & habentem infallibilem connexionem cum finali perſeuerantia, & gloria: quam voluntatem ſignificamus per reprobationem negatiuam, de qua eſt iſta quinta concluſio. Explicatur magis ratio ex probatis ſupra art. 3. n. 6. & ſequentibus de reprobatione negatiua, facta in eodem rationis ſigno cũ prædeſtinatione, ita vt in eo ſigno, in quo intelligitur Deus voluiſſe eligere aliquos efficaciter ad gloriam, & gratiã, intelligi quoque debeat noluiſſe efficaciter eligere alios. Nam per illam electionem facta eſt quædam ſeparatio inter prædeſtinatos, & reprobos in ordine ad gloriam, & gratiam. Hæc autem ſeparatio ab agẽte intellectuali ſapientiſſimo, & omnia perfectiſſimè comprehendente, vel nõ poteſt ſimpliciter fieri, vel ſaltẽ non ita perfectè, niſi vt tunc, quando ita eligit illos vt non eligat alios, velit quoque alios non eligere ſicut eligit illos; alioqui videretur vel non agnoſcere illos, quos verè deſerit non eligendo; vel cognoſcere, ſe deſerere, & tamen nolle ſe deſerere, ſed habere voluntatem ſuſpenſam, quod loco citato probauimus eſſe imperfectionẽ in agẽdo; ſed miſericordioſiſſima prædeſtinatorum electio ad gloriam fuit facta, vt ſupponimus hîc, poſt abſolutam præuiſionem peccati. ergo tunc etiam facta fuit iuſtiſſima non electio reproborum: tunc autem fieri potuit ex ratione præexiſtẽte in ipſis reprobis; etſi ita factam eſſe dicamus, illa reprobatio cõcipitur facta cum iuſtitia ex rationabili cauſa. ergo ita de facto dicẽdum eſt.

11.
*Obijcitur locus ad Rom. 9. qui exponitur.*

Obiicies quia Paulus ad Rom. 9. docet, Iacob fuiſſe à Deo dilectum, Eſau odio habitum, antequam nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali. Et addit, eam diſcretionis differentiam non ortam ex operibus, ſed ex mera voluntate vocantis. *Vt,* inquit, *ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Qui locus non poteſt intelligi de odio per poſitiuam reprobationem, ſiue abſolutã excluſionem à beatitudine: quia hæc ſecundùm omnes non eſt facta niſi ex operibus malis, & poſt illorum præſcientiam, vt mox probabo. ergo intelligi debet de reprobatione negatiua, ſeu de voluntate non ſpecialiter eligendi ad gloriam, & gratiam. Neque nouum eſt in Scriptura per odium ſignificari voluntariam carentiam ſpecialis amoris; vt

*Exponitur locus Luc. 14. & Matth. 10.*

vt Luc. 14. *Qui non odit patrem ſuum,* &c. hoc eſt, vt explicatur Matth. 10. *Qui amat patrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Sicut etiam Deus aliquando dicitur *obdurare,* ſolùm quia *non ſpecialiter miſeretur,*

*Quid ſit obdurare, ex Auguſtino.*
Bellarm.

vt ſæpe exponit Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianũ q. 2. & aliis locis, quod bene notauit Bellarm. tom. 4. lib. 2. de gratia, & libero arbitrio c. 16. ante medium. Non poteſt præterea idem locus intelligi de malo, quod egiſſent, non autem de malo, quod cõtraxiſſent, hoc eſt, de peccato originali, quod non agitur per propriam voluntatem, ſed per naturalem generationem, & originem contrahitur: quia Paulus ita excludit opera, vt referat cauſam ſolùm ad vocãtem, & ad electionem, & propoſitum Dei. ergo excludit omnem cauſam ex parte noſtra; quare verba ſequentia, quibus ſignificatur Deus feciſſe quædam vaſa in contumeliam, accipiẽda ſunt non per poſitiuã, & explicitam ordinationẽ ad pœnam ante præuiſam culpam, ſed per poſitiuam voluntatem non dandi efficaciter gloriam, & media efficacia, ſed tantùm ſufficientia, vnde ex malitia reproborũ prouenire debebant mala culpę, & pœnę.

*Reſpondetur, probari primam partem concluſionis.*

Reſpondeo, hoc argumento non impugnari ſecundam partem concluſionis, ſed probari primam: clariſſimè enim illa comparatio inter duos æquales ante vllum opus aut bonum aut malum ſignificat, ſermonem eſſe de odio, ſeu reprobatione negatiua, non per ſe, & abſolutè conſiderata, quo modo dicimus, cauſam habere ex parte reproborum, ſed conſiderata reſpectiuè per ordinem ad prædeſtinationem aliorum æqualium, quo modo nulla huius differentiæ, ſeu diſcretionis cauſa datur. Alioquin

August.

Auguſtinus hæc verba exponens in ipſomet Eſau aliquã reprobationis cauſã fuiſſe docet. *Quid,* inquit epiſt. 105. multo poſt medium, *oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?*

12.
*Sexta cõcluſio. Cauſa reprobationis negatiuæ eſt peccatum originale.*

Sexta concluſio. Prima ſufficiens, & vniuerſalis cauſa reprobationis negatiuæ per ſe ſpectatæ, non eſt aliquod peccatum actuale, ſed originale. Neque originale ſecundùm actualem contractionem, ſed ſecundùm debitum contrahendi, ex eo quòd omnes in Adamo peccauerunt. Hanc cauſam fuiſſe peccatum, non actuale, ſed originale, apertiſſimè docent SS. Auguſtinus, & Thomas ſupra n. 8. & 9. Quamuis enim peccatum actuale ſit cauſa ſufficientiſſima non ſolùm reprobationis negatiuæ, ſed etiam poſitiuæ, & punitiuæ, vt mox oſtendam, tamen neque eſt prima, cùm prius ſit peccatum originale; neque eſt vniuerſalis, cùm non competat omnibus reprobis defunctis ante vſum rationis cum ſolo peccato originali.

Trident.

Probo igitur concluſionem primò de peccato originali, quia illud ſine dubio eſt vniuerſale, nam, vt docet Trident. ſeſſ. 5. Decreto de peccato originali, can. 3. *omnibus ineſt:* eſt etiam cauſa ſufficiens priuationis gratiæ, & glorię, vt definit ibidem Tridentin. can. 2. eſt denique huius priuationis cauſa prima, quia ante ipſum, quod eſt peccatũ originis, & naturæ, dari non poteſt aliud prius peccatum.

*Soluitur fundamentũ cõtrariæ ſentẽtiæ.*

Neque refert, quamplurimos reprobari, quibus remiſſum eſt peccatũ originale, vnde aliqui mouentur ad dicendum, reprobationis negatiuæ cauſam vniuerſalẽ eſſe non poſſe peccatum originale: nam reprobatio negatiua non eſt voluntas negandi omnem ſimpliciter gratiam, quæ pugnat cum voluntate dandi gratiam gratum facientem, & conſequenter, cum voluntate remittendi peccatum originale, cuius eſſentia conſiſtit in priuatione ſolius gratiæ gratum facientis, vt ſuppono ex probatis in propria materia; ſed eſt præcisè, & formaliter voluntas negandi efficaciter gloriam, & cõſequenter negandi gratiæ media, non omnia, ſed ea dumtaxat quæ efficacia ſunt, & habent infallibilem connexionem cum gloria: quæ negatio præcisè, & formaliter ſtare bene poteſt cum voluntate remittẽdi peccatum originale, & dandi efficaciter gratiam ad aliquod determinatum vitæ tempus. Sicut de facto in baptizatis, & non habentibus peccatum originale, remanent ex iuſtitia in pœnam peccati originalis, quamuis ſimpliciter remiſſi, multæ negationes ſupernaturalium donorum, & gratiarum, quæ includebantur in iuſtitia originali ſtatus innocentiæ præter gratiam gratum facientem, qua formaliter tollitur peccatum originale.

13.
*Reprobationis negatiuæ cauſa eſt peccatum originale, quod debetur, non quod contrahitur.*

Probo ſecundò concluſionem de debito contrahendi peccatum originale, non de contractione: quoniam etſi contractio ſit cauſa ſufficiens, & vniuerſalis, cùm nullus planè reprobatus ſit qui peccatum originale non actualiter contraxerit; tamen non eſt cauſa prima, quia prius ſine dubio fuit, omnes peccaſſe in Adamo, ac proinde habuiſſe debitũ contrahendi peccatum originale, & propterea indiguiſſe Chriſto redemptore, quàm contraxiſſe in ſe actualiter peccatum originale. Vnde de immaculata Dei matre fatemur, fuiſſe liberatam à peccato originali, non autem à debito; quamuis hodie non deſint, qui liberatam eſſe etiam à debito aſſerant. Homo igitur conſideratus præcisè, & formaliter vt præſuppoſitus cum debito contrahendi peccatum originale, ex eo quòd peccauit in Adamo, ſicut habet in ſe iuſtitiæ debitum vt ſit peccato ſubiectus, ita etiam vt priuetur gratia, & gloria, ac proinde vt negatiuè reprobetùr à Deo: quæ debiti ratio, eſt ſufficientiſſima, & vniuerſaliſſima, & omnium prima reprobandi cauſa, ergo hæc formaliter eſt concipienda, cùm dicitur Deus ex iuſtitia reprobaſſe homines propter peccatum.

14.
*Septima concluſio Reprobationis poſitiuæ cauſa, sẽper eſt aliquod peccatum.*

Septima concluſio. Reprobatio poſitiua, & punitiua, ſi ſumatur pro voluntate puniendi pœna ſenſus, cauſam habet peccatum mortale perſonale, propria voluntate contractum: ſi ſumatur pro voluntate puniendi pœna damni, hoc eſt, pro voluntate abſolutè, & ſimpliciter excludendi à gloria, ſemper ex parte reproborũ cauſam habet aliquod peccatum pręuiſum cum duratione vſque ad finem vitæ, non tamen eiuſdem rationis in omnibus hominibus reprobis; nimirum, vel originale tantùm, vt in paruulis, qui ſine Baptiſmo moriuntur ante vſum rationis; vel originale ſimul, & actuale, vt in adultis, qui ſine baptiſmo, & in peccato mortali moriuntur; vel actuale tantùm, vt in adultis baptizatis, qui moriuntur ſine peccato originali, ſed cum peccato mortali. Hæc eſt communiſſima ſententia, & ſatis per ſe certa, & clara, quam non obſcurè expreſſit Concilium Valentinum ſub Lothario Imperatore, c. 3. illis verbis, *Fidẽter fatemur, in electione ſaluandorum, miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iuſtum Dei iudicium.* Et Proſper reſponſione ſeptima ad Capitula Gallorum circa principium. *Qui ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerũt, quia prædeſtinati non ſunt. Sed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præſciti ſunt.* Et ad eadem capitula in ſententia ſeptima, fin. *Quamuis omnipotentia Dei potuerit vires ſtandi præbere lapſuris, gratia tamen eius non prius eos deſeruit, quàm ab eis deſereretur. Et quia hoc ipſos voluntaria facturos defectione præuidit, ideo in prædeſtinationis electione illos non habuit.* Et intendit Scriptura multis in locis docens, Deum nolle mortem peccatoris, neminem damnare niſi ob peccata,

Concilium Valentinum.

Proſper.

peccata, velle omnes ſaluos fieri, Chriſtum Dominum ſufficienter pro omnibus mortuum eſſe, & ſimilia. Quapropter merito Suarez 1. p. tract. 2. lib. 5. cap. 3. n. 6. contrariam opinionem, quam tribuit Durando, Cordubæ, Caluino, Bezæ, & aliis modernis hæreticis, cenſet, *improbabilem, & alienam à ſana doctrina.* & Scotus 1. d. 41. q. 1. §. *ſecundum probatur.* prudenter dixit, eſſe *crudelem.*

*Cenſura contrariæ opinionis ex Suarez, & Scoto.*

15\. *Probatur cõcluſio primo ex Auguſtino.*

Probatur concluſio primò, quia affligi æternis cruciatibus inferni, & omnino excludi à beatitudine, eſt ex natura rei grauiſſima pœna. ergo non fuit à miſericordiſſimo Domino infligenda, niſi propter aliquam culpam. Vnde optimè ait Auguſt. lib. 3. contra Iulianum c. 18. fin. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Secundò, quia voluntas ita puniendi, omnino pugnat cum alia voluntate ſaluandi omnes, de qua ex reuelatione in Scriptura certi ſumus. Hac enim Dei ordinatione præſuppoſita de ſalute omnium, Deus non poteſt non ſaluare, niſi propter aliquam culpam. Si verò ante culpæ præuiſionem vellet omnino non ſaluare, tunc ſequeretur primò Deum illo decreto eſſe maximè crudelem, & iniuſtum, quia eſt manifeſtus actus crudelitatis, & iniuſtitiæ, velle aliquem punire propter culpam non cognita culpa; imo cum multo plures ſint reprobi quàm prædeſtinati, fuiſſet Deus propenſior ad malum, quàm ad bonum. Sequeretur ſecundò grauius, quòd tunc ex vi prædicti abſoluti decreti teneretur Deus directè, & efficaciter intendere culpam, & parare media ad illam efficacia, & prorſus infallibilia; quia tunc culpa eſſet vnicum medium ad implendam illam efficacem electionem ad pœnam. Sicut poſito decreto efficaci, & abſoluto de præmio gloriæ, tenetur ex vi illius directè intendere merita gratiæ. Solùm differentia, quæ veritatem hanc confirmat, eſt, quia gloriæ præmium ita dependet à meritis, vt ipſa etiam merita à Dei gratia principaliter pendeant; & ideo Deus illud præmium velle poteſt & ex miſericordia ante merita, & ex iuſtitia poſt merita. Pœnam verò peccati, quia dependet à ſolo peccato, quod non ex Deo, ſed ex nobis eſt, non poteſt velle niſi ex iuſtitia poſt peccatum. Hanc ob cauſam valet ita argumentari, datur in nobis cauſa pœnæ æternæ, ergo etiam reprobationis, hoc eſt, cur Dei voluntas ad illam pœnam terminetur. Non autem valet, datur in nobis cauſa gloriæ, ergo & prædeſtinationis ad gloriam: quia tam ad gloriam, quàm ad gloriæ merita, quæ in nobis ſunt, ordinati ſumus per puram Dei gratiam, ac miſericordiam. Ad peccatum verò quod in nobis eſt, & ſolùm pœnam cauſat, Deus neminem ordinare poteſt.

*Secundò ex abſurdis.*

*Non poteſt Deus antè præuiſionem peccati, decernere pœnã peccati.*

## DVBITATIO II.

### *An in poteſtate hominis ſit prædeſtinari, vel reprobari.*

### SVMMA.

1 *Quæſtionis qualitas, ac dependentia. n. 16.*

2 *Prædeſtinatio, & reprobatio formaliter ſumptæ, non ſunt in noſtra poteſtate. n. 17.*

3 *Prædeſtinatio ſumpta terminatiuè, dici poteſt eſſe, vel non eſſe in noſtra poteſtate ſecundùm diuerſas rationes. num. 18. ad 22.*

4 *Prædeſtinatio abſolutè loquendo, dici debet non eſſe in noſtra poteſtate. num. 22.*

5 *Reprobatio poſitiua eſt in noſtra poteſtate, non autem negatiua. num. 23. 24.*

6 *An in poteſtate noſtra ſit non reprobari, & conſequenter prædeſtinari. num. 25.*

7 *An in noſtra poteſtate ſit, non prædeſtinari. n. 26. ad finem articuli.*

EX ſuperioribus colligi facilè poteſt quid ſentiendum, ſeu potius, quomodo loquendum ſit in hac controuerſia, quam inter recentiores tantùm agitari video, & quidem de nomine potius quàm de re; quia res, vnde pendet modus loquendi, in aliis quæſtionibus tractata ſupponitur. Et ideo quid conſequenter ad ſuperius probata, & ad alias noſtras opiniones dicendum ſit, ſequentibus concluſionibus breuiſſimè indicabo. 16.

17\. *Prima concluſio negatiua de prædeſtinatione ſumpta formaliter, non terminatiuè.*

Prima concluſio. Tam prædeſtinatio, quàm reprobatio, ſumpta pro ipſa ſubſtantia actus intellectus, & voluntatis Dei, non eſt in noſtra poteſtate. Ita omnes, & patet ex probatis ſupra num. 1. & 5. quod enim eſt in poteſtate noſtra, à nobis cauſari poteſt, actus verò diuinus quoad ſubſtantiam cauſari nequit. loquemur igitur in ſequentibus de prædeſtinatione, & reprobatione quoad extrinſecam terminationem ad obiecta, quo modo cauſari aliqua ratione poteſt à creaturis tum ſcientia Dei, vt ſupra quæſt. 14. artic. 8. dub. 5. tum voluntas Dei, vt ſupra quæſt. 19. art. 5.

18\. *Secunda concluſio negatiua de prædeſtinatione ordine intentionis.*

Secunda concluſio. Prædeſtinatio ſecundùm ordinem intentionis dici nullo modo poteſt eſſe in noſtra poteſtate. Hoc apertè ſequitur ex communiſſima ſententia, quam ſupra artic. 1. dub. 3. defendimus de electione ad gloriam ex pura miſericordia abſque vllis meritis. Vnde ex contraria ſententia ſequitur, hanc electionem eſſe in noſtra poteſtate, ſcilicet ſupernaturali, & eleuata per gratiam, ſub qua ratione voluntas eſt cauſa meritorum; ergo ſi diuina prædeſtinatio ſiue electio ad gloriam nulla alia eſt niſi facta ex meritis, quia merita ſunt ſimpliciter in libera voluntatis merentis poteſtate, dici pariter poterit prædeſtinatio, eſſe ſimpliciter in noſtra poteſtate.

19\. *Tertia cõcluſio affirmatiua de prædeſtinatione ordine exequutionis particulari.*

Tertia concluſio. Prædeſtinatio ſecundùm ordinem exequutionis, ſi particulariter conſideretur, vt terminata ad aliquem particularem, ſeu partialem effectum, dici poteſt eſſe in noſtra poteſtate. Hoc in omnium opinione locum habere debet, quia nemo negare poteſt, gloriam in tempore cauſari à noſtris meritis, & dari à Deo propter merita noſtra; & conſequenter, ab æterno Deum efficaciter, & abſolutè decreuiſſe, & prædeſtinaſſe, dare illam ex meritis noſtris præuiſis: ſed merita ſunt in noſtra poteſtate, vt ſupra num. 17. ergo pariter prædeſtinatio, vt terminata ad gloriam per merita, eſt in noſtra poteſtate. Et in hoc ſenſu dictum eſt Marci vltimo, *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et Matth. 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et ſecundùm hunc ordinem exequutionis habere poteſt locum illud vulgatum dictum Auguſtino tributum, *Si non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris.* Quamuis enim id in Auguſtini operibus non legatur, vt teſtantur Suarez 1. p. tract. 2. lib. 5. cap. 8. num. 5. tamen æquiualens apud ipſum lego in Enchiridion cap. 103. & refert S. Thomas ſupra quæſt. 19. artic. 8. in primo argumento. *Nullus fit ſaluus, niſi quem Deus voluerit ſaluari. Et ideo rogandus eſt vt velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit.*

Marci vltimo.

Matth. 10.

*An ſit vera hæc propoſitio: ſi non es prædeſtinatus, fac vt prædeſtineris.*

Auguſtinus.

Suarez.

S. Thom.



20\. *Quarta concluſio de prædeſtinatione ſecundũ vniuerſalem ordinem exequutionis.*

Quarta concluſio. Prædeſtinatio eodem modo accepta ſecundùm ordinem exequutionis, ſi conſideretur vniuerſaliter, ſeu totaliter, reſpectu omnium effectuum, ac proinde etiam reſpectu primæ gratiæ efficacis, inuoluentis ſcilicet actualem connexionem cum libero conſenſu prædeſtinati, quam gratiam eſſentialiter poſtulat adultorum prædeſtinatio, qui per proprios actus liberos à Deo in beatitudinem deducuntur, non eſt in noſtra poteſtate quoad intrinſecam vim ipſius primæ gratiæ efficacis, & quoad eius donationem, & exiſtentiam; ſed eſt in noſtra poteſtate quoad liberum conſenſum, quem gratia efficax, vt efficax, eſſentialiter inuoluit. Hæc eſt ſincera ſententia Arrubal hîc, d. 77. & apud ipſum num. 3. Molinæ, & Valentiæ, contra quos fruſtra diſputat Gonzalez artic. 7. d. 76. ſect. 3. enimverò ipſemet, & quicumque alius in quauis opinione tenetur huius concluſionis ſenſum, ſi rectè percipiatur, admittere: quoniam licèt ſit in controuerſia poſitum, an efficacia conueniat gratiæ ante omnem liberum noſtrum conſenſum, non ſolùm abſolutè futurum, ſed etiam conditionatè futurum, & conſequenter, nulla prorſus ratione efficacia pendeat à libera noſtra poteſtate, quod nos negamus contra eos, qui nos prædeterminant, de quo nunc non opus eſt agere: tamen certum apud nos, & ipſos, & omnes eſt, quod paſſim legitur in Auguſtini operibus, gratiam efficacem eſſe illam, quæ non ſolùm dat vt poſſimus velle, & facere, quod commune habet cum gratia ſufficiente, ſed etiam dat, & facit vt velimus, & faciamus. Vnde conſtat, ad rationem eſſentialem gratiæ efficacis, vt formaliter efficacis, pertinere actualem noſtrum liberum conſenſum, ſine quo, ſiue antecedente, ſiue concomitante, ſiue ſubſequente, ſecundùm varias opiniones de formali conſtitutiuo efficaciæ gratiæ, gratia nec eſſe nec intelligi poteſt efficax, ac proinde, gratia prædeſtinationis. Neque verè alium ſenſum intendit Arrubal, præter hunc certiſſimum. Et in eodem dixit Vazquez d. 95. num. 56. *In noſtra eſt poteſtate, vt vocatio nobis collata, ad prædeſtinationem, aut ad non prædeſtinationem pertineat: tamen in noſtra poteſtate non eſt, ea gratia præueniri, aut non præueniri, quam Deus nouit in nobis effectum habituram.* Et idem clarius repetit num. 63. & inter aduerſarios ſequutus eſt ipſemet Nauarrete controuerſia 38. in tertia propoſitione.

*Exponitur ſentẽtia Arrubal contra Gonzalez.*

*Eadem ſentẽtia eſt Vazquez & Nauarrete.*

21\. *Prædeſtinatio ad primam gratiam eſt aliquo modo in noſtra poteſtate.*

Hinc in omnium ſententia euidenter probatur ſecunda concluſionis pars. Prædeſtinatio terminari non poteſt ad primam gratiam efficacem, propriam prædeſtinatorum, niſi terminetur ad liberum noſtrum conſenſum, qui eſt in noſtra poteſtate: ergo prædeſtinatio dici aliqua ratione poteſt in noſtra poteſtate, ſcilicet ſecundùm iſtum reſpectum ad actualem conſenſum, eſſentialiter pendentem à libera noſtra poteſtate. Prima verò pars eſt certa ſecundùm fidem, qua docemur, primam gratiam ſiue efficacem, ſiue etiam ſufficientem, donari à Deo, & eſſe in nobis ſine nobis, nimirum liberè conſentientibus, & vllo modo merentibus; ergo prædeſtinatio, vt terminata ad primam gratiam efficacem, conſideratam formaliter quantum ad eius productionem, ſeu donationem, & exiſtentiam ſimpliciter, præſcindendo à reſpectu ad liberum conſenſum, dici non poteſt, eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt, vt colligitur ex doctrina Philoſophi 3. Ethic. cap. 5. fieri per noſtrum liberum conſenſum, & electionem. Hos duos ſenſus exprimere voluiſſe videtur Theophylactus in illud Matthæi 22. *Multi ſunt vocati, pauci electi,* dum huius veritatis rationem reddit, dicens, *vocare enim eſt Dei: electum autem fieri, aut non electum, etiam eſt noſtrum.*

*Sed alio modo non eſt in noſtra poteſtate.*

Ariſtot.

Theophyl.

22\. *Quinta concluſio negatiua abſolutè loquendo de prædeſtinatione.*

Quinta concluſio. Abſolutè loquendo, dici non debet, prædeſtinatio eſſe in noſtra poteſtate, ſed potius, in libera poteſtate Dei prædeſtinantis. ratio eſt, quia etſi prædeſtinatio ſecundùm aliquam rationem ſit in noſtra poteſtate, tamen ſecundùm alias rationes & multo plures, & grauiores, vt ex dictis patet, eſt in poteſtate Dei, non noſtra. abſoluta autem denominatio fieri debet à maiori, & principaliori parte. Vnde Scriptura, & Sancti hoc abſoluto modo loquentes, prædeſtinationem paſſim tribuunt voluntati, ac miſericordiæ Dei, non hominum operibus, ac libertati. Ioann. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Ad Roman. 9. *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et paulo poſt, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et alia, quæ ex Sanctis Auguſtino, & Thoma attuli ſupra num. 6.

Ioannis 15.

Ad Rom. 9.

23\. *Sexta cõcluſio de reprobatione.*

Sexta concluſio. Reprobatio negatiua nullo modo dici poteſt eſſe in poteſtate reproborum, poſitiua verò reprobatio in reproborum poteſtate ſimpliciter eſt. Sequitur ex probatis dubitatione præcedenti. Prima pars patet ex eo, quòd reprobatio negatiua, ex parte reproborum vel nullam habet cauſam, vel non niſi peccatum originale, quod non eſt in noſtra poteſtate, cùm non ſit propria voluntate contractum. *Quia*, vt docet Auguſtinus lib. 1. retractionum cap. 22. fin. *in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem.* Et quidem in primo illo rationis ſigno, ante vllam operum ſiue bonorum, ſiue malorum abſolutam præuiſionem, in quo prædeſtinatorum, & reproborum diſcretio facta eſt, vt ſupra art. 3. ſicut non fuit in poteſtate prædeſtinatorum eligi efficaciter ad gloriam, & ad gratiam efficacem; ita nec in poteſtate reproborum eſſe potuit reprobari, ſiue excludi efficaciter à gloria, & ab efficaci gratia. Et propterea Paulus ad Roman. 9. Sicut de prædeſtinatione dixit, *Cuius vult miſeretur*; ita de reprobatione dixit, *Quem vul indurat.* Secunda pars conſtat, quia maxima ex parte reprobatio poſitiua facta eſt poſt abſolutam liberorum, & malorum operum præuiſionem, & propter ipſa mala opera: ſicut igitur mala opera ſunt in libera hominum poteſtate, ita & reprobatio. Dixi, *maxima ex parte*, nimirum poſitiua adultorum reprobatio, qui moriuntur in peccato mortali. Nam poſitiua reprobatio infantium, qui cum ſolo originali peccato decedunt, nec eſt in eorum poteſtate, ſicut nec reprobatio negatiua ob eamdem rationem.

Auguſt.

*Exponitur locus ad Roman. 9.*

24\. *Prima obiectio.*

Obiicies primò. Iſta eſt bona conſequentia, non ſum reprobus, ergo ſum prædeſtinatus: ergo etiam bona eſt iſta alia ſimilis conſequentia, in poteſtate mea eſt eſſe reprobum, ergo in poteſtate mea eſt eſſe prædeſtinatum.

*Reſpondetur, non valere, in poteſtate mea eſt eſſè reprobum, ergo prædeſtinatum.*

Reſpondeo, conceſſa prima conſequentia, nego ſecundam, & eius ſimilitudinem cum prima. Et omiſſa diſparitate, quam affert Vazquez d. 95. num. 52. aptior diſparitas videtur hæc, quia in prima conſequentia prædeſtinatio, & reprobatio comparantur inter ſe ſimpliciter, prout verè, & realiter ſunt in Deo; qua ratione non habent medium, quia nullus omnino eſt qui in intellectu,

Vazquez.

& voluntate Dei, non ſit aut prædeſtinatus, aut reprobatus. In ſecunda verò conſequentia prædeſtinatio, & reprobatio comparantur particulariter, & limitatè per ordinem ad poteſtatem, & libertatem noſtram, reſpectu cuius multo plures rationes habet reprobatio, quàm prædeſtinatio, vt in ſuperioribus expoſitum, & probatum eſt: & propter hanc diuerſitatem, abſolutè dici poteſt eſſe in noſtra poteſtate reprobatio, non autem prædeſtinatio.

25.
*Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò. Si in poteſtate mea eſt reprobari, ergo etiam non reprobari; ergo prædeſtinari. Prima conſequentia certa eſt, quia libertas eſt eſſentialiter poteſtas contradictionis, reſpiciens eſſe, & non eſſe ſub diſiunctione, v. g. ſi nunc liberè ſcribo, neceſſe eſt vt nunc poſſim non ſcribere; ergo ſi in libera poteſtate mea eſt reprobari, eſſe quoque debet non reprobari. Secunda conſequentia probatur, quia impoſſibile eſt, vt aliquis ſit non reprobatus, qui non ſit prædeſtinatus.

*Reſpondetur in poteſtate noſtra eſſe nō reprobari; non autem prædeſtinari.*

Reſpondeo negando ſecundam conſequentiam. Ad cuius probationem dico, eſſe impoſſibile, in vno, eodémque ſubiecto ſtare ſimul & negationem reprobationis, & negationem prædeſtinationis, ſi reprobatio, & prædeſtinatio ſpectentur ſimpliciter prout ſunt in re, vt ſupra ad primum. Si verò ſpectentur in ordine ad liberam noſtram poteſtatem, ſub qua ratione de iis loquitur obiectio, non eſt impoſſibile, imò de facto ita eſt, aliquem per libertatem ſuam reſpicere reprobationem, & non reprobationem, non autem reſpicere prædeſtinationem, aut non prædeſtinationem: quia, vt dixi, in ordine ad libertatem noſtram non ſunt in prædeſtinatione tot rationes à nobis pendentes, quot ſunt in reprobatione: & ideo prædeſtinatio, eiúſque negatio, nequeunt abſolutè tribui noſtræ liberæ poteſtati, ſicut tribuuntur reprobatio, eiúſque negatio. Neque ex parte terminorum, præcisè conſideratorum, eſt aliqua neceſſitas, vt ſubiecto, cui tribuitur negatio vnius, eidem tribui debeat poſitio alterius, hoc enim locum habet in duobus terminis contradictoriis, non autem in contrariè, & poſitiuè oppoſitis, cuiuſmodi ſunt prædeſtinatio, & reprobatio. Igitur ex vi conſequentiæ non eſt neceſſarium, vt ſi de libera noſtra poteſtate prædicatur non reprobatio, de eadem prædicetur prædeſtinatio.

26.
*Tertia obiectio continens quatuor rationes.*

Obiicies tertiò. Eſto dici abſolutè nequeat, eſſe in noſtra poteſtate prædeſtinari, dici ſaltem hoc modo poteſt, eſſe in noſtra poteſtate non prædeſtinari, quod ſecundum tenent nonnulli recentiores, quos refert, & multis impugnat Vazquez ſupra à num. 53. Prima eorum ratio ſumi poteſt ex eo quod hîc concedimus, nempe, in noſtra poteſtate eſſe reprobari; ergo etiam non prædeſtinari. Secunda, ſi in noſtra poteſtate non eſt non prædeſtinari, ergo nec ſaluari: quia nullus non prædeſtinatus ſaluari poteſt. Tertia, in noſtra poteſtate eſt non conſentire vocationi; ergo etiam vocationem illam efficere inefficacem. ergo irritare effectum prædeſtinationis; ergo efficere vt non ſimus prædeſtinati. Quarta, quia Scriptura, & Patres paſſim docent, Deum velle noſtram ſalutem. Cum qua voluntate non cohæret, quòd in eius libera poteſtate ſitum ſit, & non in noſtra, non prædeſtinare.

*Reſpondetur, ſicut prædeſtinari, ita nō prædeſtinari, non eſſe in noſtra poteſtate.*

Reſpondeo, in eo ſenſu, in quo conceditur, non eſſe in noſtra poteſtate prædeſtinari, non poſſe conſequenter concedi, in noſtra poteſtate eſſe non prædeſtinari: quia, vt dixi initio numeri præcedentis, eſt contra rationem eſſentialem libertatis, aſſerere, nos habere poteſtatem liberam ad vnum aliquod determinatum, ſine poteſtate ad contradictorium illius. Et in particulari caſu noſtro, non eſſe in noſtra poteſtate prædeſtinari, nil aliud ſignificat niſi, nullo modo pendere à noſtro libero conſenſu, quòd Deus nos efficaciter eligat ad gloriam. Eſt autem prorſus in intelligibile, quòd ſi ſolus Deus eſt qui liberè eligit aliquos ad gloriam, non ſit pariter ſolus Deus, qui liberè non eligere potuerit eoſdem ad gloriam, & de facto liberè non elegerit alios. Similiter in ſententia Vazquez, & aliorum aſſerentium, prædeſtinationem non conſiſtere in præcedente electione ad gloriam, ſed in electione ad primam efficacem gratiam, ex qua proueniant merita, & conſequutio gloriæ, ſi dicas, in noſtra poteſtate eſſe vt gratia illa ſit inefficax, erit pariter vt ſit efficax. Item ſi dicas, in poteſtate ſolius Dei eſſe, vt gratia illa præueniamur, erit etiam in eiuſdem poteſtate, & non in noſtra, vt non præueniamur.

27.
*Ad primam.*

Igitur ad primam rationem, nego conſequentiam: quia reprobari, prout dicitur eſſe in noſtra poteſtate, ſignificare debet voluntatem puniendi propter peccata. non prædeſtinari autem ſignificat voluntatem non dandi efficaciter gloriam, vel non præueniendi aliquem gratia ad gloriam conſequendam. Illa punitio apertè pendet à noſtra libertate, ſicut pendent peccata, quæ puniuntur: & ideo quia eſt in noſtra poteſtate punitio, & reprobatio, eſt etiam non punitio, & non reprobatio. At verò prima illa glorificatio, & donatio primæ gratiæ, fiunt abſque vlla dependentia à noſtra libertate, & meritis; ergo pariter negatio illius glorificationis, & donationis.

28.
*Ad ſecūdam.*

Ad ſecundam, diſtinguo conſequens. Si accipiatur de ſaluari ſufficienter, nego conſequentiam; omnes enim, etiam non prædeſtinati, ſaluari ſufficienter poſſunt, ſicut voluit Deus omnes ſufficienter ſaluos fieri. Si accipiatur de ſaluari efficaciter, & infallibiliter, concedo conſequentiam: ſoli enim prædeſtinati, hoc modo ſaluari poſſunt. Et ſi ex eo quòd in noſtra poteſtate eſt non ſaluari, deducitur, eſſe in noſtra poteſtate non prædeſtinari; ſimiliter à contrario, ex eo quòd in noſtra poteſtate eſt ſaluari, deduci poterit contra ipſoſmet arguentes, in noſtra poteſtate eſſe prædeſtinari.

29.
*Ad tertiam.*

Ad tertiam concedo totum argumentum in ſenſu quartæ concluſionis ſupra num. 20. & 21. Idémque pariter probare quod negatur, nempe, ipſum etiam prædeſtinari eſſe in noſtra poteſtate: quoniam non minus eſt in noſtra poteſtate non conſentire vocationi, & ita vocationem illam reddere inefficacem, & efficere vt non detur effectus prædeſtinationis, & vt non ſimus prædeſtinati; quàm conſentire vocationi, & ita illam aliquo modo reddere efficacem, & liberè implere effectum prædeſtinationis, & prædeſtinationem ipſam.

30.
*Ad quartam.*

Ad quartam vt ad ſecundam, Scriptura, & Patres de omnibus docent, Deum velle ſalutem ſufficienter: & ita in omnium libera poteſtate eſt tam non ſaluari, quàm ſaluari. Simul verò docent, Deum non omnium, ſed aliquorum, quos prædeſtinatos vocamus, voluiſſe ſalutem efficaciter, & infallibiliter: quomodo ſaluari, aut non ſaluari, non eſt in noſtra libera poteſtate.

ARTI



## ARTICVLVS VI.

### *Vtrùm prædeſtinatio ſit certa.*

### Ad ſextum ſic proceditur. Videtur quòd prædeſtinatio non ſit certa, &c.

SVMMA COMMENTARII.

1 *Diſtinguuntur, & probantur tres radices certitudinis prædeſtinationis. num. 1.*
2 *Quo ordine, & per quam ſcientiam certa ſit prædeſtinatio. num. 2.*
3 *Vnde habeatur certitudo mediorum prædeſtinationis. num. 3.*
4 *Soluuntur argumenta Gonzalez. num. 4. ad finem articuli.*

COMMENTARIVS.

1.
*Prima cōcluſio affirmatiua, Ioann. 10. Exponitur cū Fulgentio locus ad Rom. 8.*

PRIMA concluſio ſimpliciter affirmatiua, eſt apud omnes certiſſima ex illo Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* & ad Roman. 8. de vocatis ſanctis ſecundùm propoſitum prædeſtinationis dicitur, *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Vbi, vt acutè notauit Fulgentius libro primo ad Monimum multo poſt principium, propter ſummam prædeſtinationis æternam, & omnino immutabilem certitudinem non dicitur in præſenti, *glorificat*, ſed in præterito, *glorificauit*. Quo loquendi modo, inquit, *quod futurum eſt, velut factum firmat, iuxta illud Prophetæ, qui fecit, quæ futura ſunt, in illa quippe immobilitate conſilij ſui, ſecundùm bonum placitum eius, in prædeſtinatione iam fecit, quæcumque effectu operis ſui, tempore congruo facienda diſpoſuit.*

*Declaratur concluſio.*

De hac concluſione nihil ferè dici poteſt, quod in hac quæſtione, & in ſuperioribus quæſtionibus de ſcientia, de voluntate, & de prouidentia, abundè explicatum, ac probatum non ſit. Nunc eam ita breuiſſimè expono. In prædeſtinatione, ad eius certitudinem diſtinctius penetrandam, tria diſtingui debent. Primum, Dei præſcientia. Secundum, Dei voluntas. Tertium, media, quibus prædeſtinati ducuntur ad finem vitæ æternæ. Has tres certitudinis radices complexus eſt S. Thomas quodlib. 12. artic. 3. circa finem corporis. (S. Thom.) *Prædeſtinatio habet certitudinem ex parte ſcientiæ Dei, quæ non poteſt falli, & ex parte voluntatis diuinæ, cui non poteſt aliquid reſiſtere: & ex parte prouidentiæ, quæ certiſſimo modo ducit ad finem, cùm Deus ſit ſapientiſſimus.* Igitur prædeſtinatio ratione primi certiſſima eſt propter ſummam certitudinem, atque infallibilitatem diuinæ præſcientiæ, tum conditionatæ antecedentis voluntatem iuxta noſtram ſententiam, tum abſolutæ, ſeu viſionis, conſequentis voluntatem in omnium ſententia.

*Probatur ex Auguſtino certitudo prædeſtinationis ex parte præſcientiæ.*
*Ex parte voluntatis.*

Hanc certitudinem ex parte cognitionis ſpectauit Auguſtinus illis verbis de correptione, & gratia capite ſeptimo. *Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Et de bono perſeuer. cap. 14. circa principium, *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus vt crederent: aut quos daturus eſſet filio ſuo, vt ex eis non perderet quemquam.* Ratione ſecundi maximam quoque certitudinem habet prædeſtinatio, quam cit. cap. 7. expreſſit Auguſtinus illis aliis verbis, *ex iſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt.* & paulo poſt, *Horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Quoniam diuina voluntas, vt poſtea addidit in cap. 14. *ſine dubio habet humanorum cordium, quo placet inclinandorum, omnipotentiſſimam poteſtatem.* Vnde Paulus ad Rom. 9. cùm de prædeſtinatis dixiſſet, *cuius vult miſeretur:* ſtatim firmiſſimam prædeſtinationis infallibilitatem ex diuina voluntate aſſignat, dicens, *voluntati enim eius quis reſiſtit?*

*Ad Rom. 9.*
*Ex parte mediorum.*

Atque hæc ſecunda certitudo eſt illa, quam S. Thomas de verit. quæſt. 6. art. 3. vocat *certitudinem ordinis*, nimirum, vt ibidem explicat, *ordinis cauſæ ad effectum:* quam diſtinguit à certitudine præſcientiæ, & cognitionis. Demum ſummam etiam certitudinem prædeſtinationis ratione tertij expreſſiſſimè ita tradit idem Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 14. poſt principium, *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Et de correptione, & gratia cap. 7. quàm magnum efficaciæ pondus in ſuis gratiæ mediis habeant prædeſtinati, vt ipſemet ait, *quàm fortis perſeuerantiæ vſque in finem munus acceperint*, luculenter declarat, ac probat ex illo ad Rom. 8. (Ad Rom. 8.) *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Eiſdémque prædeſtinatis ſtatim applicat illud 2. ad Timoth. 2. (2. Ad Timoth. 2.) *Firmum autem fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc; ſciuit Dominus, qui ſunt eius.* Atque hæc apud omnes indubitata de certitudinibus diuinæ prædeſtinationis. De harum verò certitudinum ordine, ac dependentia vnius ab alia, ſiue earum prioritate, ac poſterioritate, de qua re admirabilis eſt, & propemodum infinita inter modernos Theologos controuerſia, ſit

2.
*Secunda concluſio de ordine certitudinis prædeſtinationis.*
S. Thom.

Secunda concluſio. Prædeſtinationis certitudo cum fundamento in re concipi debet hoc ordine; primò ex parte ſcientiæ, ſecundò ex parte voluntatis, tertiò ex parte mediorum. Hunc ordinem ſatis clarè expreſſit S. Thomas verbis citatis initio numeri primi; vnde ibidem ad primum ita colligit, *Dictum eſt, quòd prædeſtinatio habet certitudinem ex ſcientia, voluntate, & prouidentia,* nimirum ex mediis, quorum directio in finem ad prouidentiam propriè ſpectat.

*Certitudo prædeſtinationis, non eſt ex ſciētia viſionis.*

Vnde ſequitur, quòd prædeſtinatio non poteſt habere certitudinem ex ſcientia abſoluta viſionis conſequente decretum, vt aduerſarij volunt; quia tunc haberet certitudinem prius ex voluntate, deinde ex ſcientia, contra ordinem aſſignatum à S. ipſorum Doctore.

*Non ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ.*

Neque ex abſoluta ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia cùm hæc ſit non de rebus aliquo modo futuris, ſed de purè poſſibilibus; & æquè poſſibilis ſit non ſolùm euentus prædeſtinationis, ſed etiam oppoſitus euentus reprobationis, non poteſt ex iſta ſcientia præcisè dirigi diuina voluntas ad prędeſtinandum potius quàm ad reprobandum, v. g. cognita tali vocatione, qua poteſt vocari Petrus, ſi illam conſideras formaliter vt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ ſub ratione poſſibilitatis, tam eſt vocatio, quæ poteſt habere effectum, quàm quæ poteſt non habere effectum. Sed

prædeſtinationis voluntas eſt illa, quæ infallibiliter decernit hunc determinatum effectum futurum bonum, non alium oppoſitum: ergo non poteſt ſufficienter dirigi per ſcientiam antecedentem, quæ reſpiciat poſſibilitatem ad vtramque partem, cuiuſmodi eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſed dirigi debet ab antecedente præſcientia conditionata, ſeu media, quæ reſpicit vnum tantùm determinatum effectum conditionatè futurum. Qua de re non oportet plura addere, quia diſputatum latiſſimè eſt ſupra q.14.art.8.& 13. Ex quibus etiam habetur ſequens

*Tertia cōcluſio de certitudine mediorū prædeſtinationis.*

3. Tertia concluſio. Certitudo mediorum prædeſtinationis, non habetur ex intrinſeca natura, ſeu proprietate ipſorum mediorum, quæ ſcilicet ex ſe ab intrinſeco habeant vim, atque ordinem cauſæ infallibilis ad effectum liberum, ſed habetur ab extrinſeco per ordinem ad Dei voluntatem, & præſcientiam conditionatam mediam: ex illa quidem habetur certitudo exiſtentiæ finis, & mediorum, & infallibilitatis eorum, ex hac verò habetur certitudo infallibilitatis, ſeu infallibilis connexionis cauſæ cum effectu libero. Omnia loco citato, quamplurimis authoritatibus, & rationibus declarata, ac demonſtrata ſunt. Nunc addere libet ex Auguſtino celebre illud dictum de vocatione prædeſtinatorum in libro primo ad Simplicianum quæſt.2. circa medium. *Cuius miſeretur Deus, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* non dixit, *Quomodo vult*, referendo infallibilitatem medij, & modi vocandi, ad prædeterminationem diuinæ voluntatis, ſed refert ad infallibilitatem antecedentis præſcientiæ Dei, dicens, *Quomodo ſcit.* Mirificè quoque hanc veritatem illuſtrant verba Ambroſij, & Chryſoſtomi, quæ affero, & expendo quæſt.14. artic.13.num.232. Multa alia in eamdem ſententiam eruditè, atque acutè addit Arrubal d.85. & 86. apud quem, ſi placet, legi poſſunt.

*Auguſt.* *Arrubal.*

## *Soluuntur argumenta Gonzalez.*

*Prima obiectio.*

4. Obiicit primò Gonzalez d.57. ſect.2. num.44. quia S.Thomas de verit. quæſt.6.artic.3. *docet expreſſè, prædeſtinationem non habere certitudinem ex præſcientia: ſed potius è contra, præſcientiam habere certitudinem ex prædeſtinatione, quoniam alias, inquit S.Thomas, prædeſtinatio non fieret per electionem gratiæ, quod eſt contra ſacram Scripturam, & doctrinam Patrum.*

*Reſpondetur explicādo locum S. Thomæ de verit. q.6.art.3.*

Reſpondeo, in hoc loco multa eſſe pro noſtra ſententia, & nihil pro aduerſariis, diligēter oſtendi ſupra quæſt.14.art.13.à num.537.ad 540. contra Verdu. Nunc addo, mirum eſſe, dici à Thomiſta, illas duas propoſitiones haberi expreſſè in citato loco S. Thomæ, vbi tamen non leguntur, vt quiuis animaduertere poteſt legendo attentè totum illum articulum. Deduci tamen aliquo modo poſſunt, ſed non ad rem contra nos, ex eo quòd S.Thomas ibi loquatur de abſoluta ſcientia viſionis, vt loco citato probaui; quæ eſt poſt decretum prædeſtinationis, ac proinde præſupponit obiectum certum ex vi antecedentis prædeſtinationis: vnde nullam in prædeſtinatione certitudinem cauſare poteſt, ſed potius ab ea accipere. Nos autem nolumus decretum prædeſtinationis habere certitudinem, nimirum infallibilitatis mediorum, ex præſcientia abſoluta viſionis, ſed ſolùm ex præſcientia media ſeu conditionata, præſupponente vſum libertatis conditionaliter futurum, & conſequenter apta ad perſuadendam concordiam creatæ libertatis cum prædeſtinatione. Neque aliud probat ratio, quæ ibi ex S. Thoma ſubiungitur. Illud enim quod contra Scripturam, & Patres eſſe dicitur, eſt quia, inquit S. Thomas, *Præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem præaeſtimantis.* hoc eſt, eligeremur ad gloriam poſt abſolutam meritorum præuiſionem, & non ex miſericordiſſima Dei liberalitate.

*Secūda obiectio.*

5. Idem Gonzalez d.75.ſect.1.concl.2. contendit probare, ex noſtra ſcientia media ſequi, *Prædeſtinationem eſſe certam certitudine præſcientiæ, non autem ordinis, & cauſalitatis mediorum.* Et obiicit ſecundò, quia illi, contra quos diſputat Auguſtinus in libris de correptione, & gratia, de prædeſtinatione ſanctorum, de bono perſeuerantiæ, & alibi, *non affirmabant, præſcientiam futurorum abſolutorum antecedere prædeſtinationem, ſed præſcientiam futurorum conditionatorum. Et tamen ex illorum ſententia infert Auguſtinus, quòd tunc præcognoſceret quidem Deus, qui futuri eſſent boni, & ſaluandi; non autem faceret illos bonos, & ſanctos.*

*Reſpondetur explicando Auguſtinum multis in locis.*

Reſpondeo, in quæſt.14.artic.13. num.424. & 425. & rurſus à num.431. ad 438. & in hac q.23. art.1.à num.37. ad 40. euidenter oſtendi, falſum eſſe quod aſſumit arguens de ſententia aduerſariorum Auguſtini: qui ante prædeſtinationem, & electionem ad gloriam, volebant præcedere non ſolùm præſcientiam conditionatam, vnde ſumpſerunt occaſionem errandi, dicendo, propter ſola merita vel demerita conditionaliter præuiſa quoſdam infantes baptizari, & ſaluari, quoſdam non; & quibuſdam adultis fuiſſe prædicatū Euangelium, quibuſdam non; ſed etiam præſcientiam abſolutam meritorum, & demeritorum, ex quibus meritis, etiam futuris per ſolas naturæ vires, volebant moueri Deum, ad iuſtificandum, & glorificandum. Nos verò ante decretum prædeſtinationis ponimus quidem præſcientiam conditionatam propter alios bonos vſus, non autem præſcientiam abſolutam. Et ideo fatemur, prædeſtinationem eſſe certam non ſolùm certitudine præſcientiæ, tum ante, tum poſt diuinam voluntatem prædeſtinantem, ſed etiam certitudine cauſalitatis infallibilis.

*Tertia obiectio.*

6. Obiicit tertiò verba illa Auguſtini de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. poſt principium. *Quando promiſit Deus Abrahæ in ſemine eius fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit.* Hinc ita arguit Gonzalez, *ſi ſcientia media debet antecedere prædeſtinationem, de noſtræ voluntatis poteſtate promitteret.*

*Reſpondetur, ſciētiam mediā non tollere cauſalitatem gratiæ, & prædeſtinationis.*

Reſpondeo, negando ſequelam factam ab arguente. Primò quia ſcientia media, quam nos ponimus, eſt præſcientia meritorum conditionaliter futurorum ex vi gratiæ conditionatæ, non autem ex naturali noſtræ voluntatis poteſtate, vt dicebant illi, quos Auguſtinus ibi impugnat. Secundò, quia merita conditionaliter futura ex gratia, præſciuntur quidem per ſcientiam mediam, tamen non ſunt ratio motiua propter quam diuina voluntas afficiatur ad prædeſtinādum vel prædefiniendum aliquid ſupernaturale, ſed ſolùm ratio quædam directiua diuinæ voluntatis, vt prudenter, ac ſuauiter poſſit prædefinire aliquid futurum liberè ſimul, & infallibiliter, vt non ſemel in ſuperioribus contra noſtros aduerſarios adnotatum eſt.

*Quarta obiectio.*

7. Obiicit quartò. Per nos, *quòd ordo mediorum ſit efficax, pendet ex ſcientia media, qua præcognouit Deus, iſtum cum minoribus fortè auxilijs eſſe conſenſurum, illum cum maioribus non eſſe conſenſurum. Ergo in medijs non eſt aliqua certitudo cauſalitatis, ſed ſolummodo præſcientiæ.* Conſequentiam ſic probat. *Certitudo cauſalitatis, vt diſtincta à certitudine præſcientiæ, fundatur in aliqua virtute cauſæ. At iuxta noſtram ſententiam, nulla virtus eſt in medijs præparatis prædeſtinato, quæ non ſit æqualis, imo aliquando maior, in medijs præparatis reprobo; ergo in medijs prædeſtinato præparatis non eſt aliqua certitudo cauſalitatis diſtincta à certitudine præſcientiæ.*



*Reſpondetur concedēdo totum argumētum.*

Reſpondeo, in hoc argumento minus ſincerè mutari terminos diſputationis: arguens probandum aſſumpſerat, quod ſolùm docet S. Thomas, & facit ad præſentem de prædeſtinationis certitudine controuerſiam, in prædeſtinatione duplicem eſſe certitudinem, alteram præſcientiæ, alteram cauſalitatis. Nunc verò probat, hanc duplicem certitudinem eſſe, non in prædeſtinatione, ſed in gratiæ mediis, quæ ſunt prædeſtinationis effectus, vt tacitè nobis perſuadeat auxilium gratiæ prædeterminantis, contra S.Thomam, & omnes antiquiores Thomiſtas, & alios Theologos. Itaque concedo totum argumentum. Hoc enim loco ſupponimus, gratiæ medium non habere ex ſe intrinſecam efficaciam, & infallibilem virtutem cauſandi effectus liberos, & prædeterminandi ad vnum, voluntatem, natura ſua liberam, ad vtrumlibet: ſed hanc efficaciam, & infallibilitatem, ſeu certitudinem cauſandi prouenire ex infallibili præſcientia conditionata. In gratiæ medio, eſt quidem intrinſeca vis cauſandi actum noſtrum liberum. Quòd autem illum certiſſimè cauſatura ſit, & omnino infallibiliter habitura effectum, non poteſt, ſalua libertate, aliunde haberi, quàm poſt effectum liberum conditionaliter futurum, præuiſum infallibiliter à Deo per certiſſimam ſuam præſcientiam conditionatam, quam nos mediam appellamus. Sed de his aliàs.

*Quinta obiectio.*

8. Obiicit quintò. Per nos, *voluntas diuina præcisè ex ſe, independenter à ſcientia conditionata, non poteſt certè, & infallibiliter mouere liberum arbitrium creatum ad liberum actum, ſed ſolùm id poteſt prout ſubeſt illi ſcientiæ mediæ: ergo præparatio mediorum, quæ fit per diuinam voluntatem, ſolùm habet certitudinem præſcientiæ futuri euentus, non autem certitudinem cauſalitatis.* Probat conſequentiam, *quia certitudo cauſalitatis deſumitur ex ipſa diuina voluntate, & ex intrinſeca aliqua virtute mediorum, quæ per illam præparantur.*

*Reſpondetur, media prædeſtinationis habere certitudinem cauſalitatis ex præſcientia media.*

Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego conſequentiam quòd media habeant infallibilem ordinem, ſeu connexionem cum actu libero, prouenit à ſcientia conditionata, non à voluntate, quæ hanc infallibilitatem in mediis non facit, ſed præſupponit, etiam ſecundùm aduerſarios, qui infallibilitatem illam prædeterminantem volunt eſſe intrinſecè in gratiæ auxilio ex natura ſua, non autem à decreto prædefiniente. Quòd verò abſoluta exiſtentia tam actus liberi, quàm talis medij, cum infallibili ſua connexione, ſit certiſſimè, & infallibiliter futura, prouenit à voluntate, quæ hanc exiſtentiam firmiſſimè prædefinit, non à ſcientia media, quæ eamdem exiſtentiam præcognoſcit tantùm quodammodo ſpeculatiuè. Prima dici poteſt certitudo non ſolùm ordinis, ſeu potius connexionis, ſed etiam præſcientiæ, quia à præſcientia ortum habet. Hæc verò, certitudo cauſalitatis, ſiue ordinis, vt eam vocat S. Thomas, ſiue exiſtentiæ, vt eam ego vocaui ad maiorem explicationis claritatem. Ad probationem conſequentiæ, nego, certitudinem cauſalitatis deſumi ex diuina voluntate, & præterea ex intrinſeca virtute mediorum. Ad cauſalitatis certitudinem, quam tribuimus diuinæ voluntati, ſatis eſt vt hæc præſupponat infallibilitatem in mediis. Quòd autem hæc infallibilitas in illis eſſe debeat per vim intrinſecam, non per extrinſecam præſcientiam Dei, non eſt neceſſarium: imo infallibilitas per præſcientiam, eſt multo magis proportionata Deo prædefinienti, quàm infallibilitas per vim intrinſecam; quia infallibilitas diuinæ prædefinitionis eſt adeo efficax, vt oppoſitum implicet contradictionem; cuius generis infallibilitas eſt etiam illa, quæ habetur per extrinſecam Dei præſcientiam, non autem per vim intrinſecam medij, aut cuiuſlibet alterius creaturæ, cuius effectus impediri poteſt ſaltem per diuinam omnipotentiam.

*Sexta obiectio.*

9. Obiicit ſextò. Prædefiniens Dei voluntas, & media præparata per illam, ſunt certa, & efficax cauſa reſpectu noſtri liberi conſenſus, qui ordine cauſalitatis ab illis pendet. ergo ſub nulla conditione eſſet futurus, niſi dependenter à tali cauſa, ergo prædeſtinatio antecedit ſcientiam conditionatam, non contra.

*Reſpondetur ex dictis ſupra artic.4.à num.42.*

Reſpondeo, hoc argumentum ſufficienter ſolutum eſſe ſupra art.4.à num.42. Nego igitur primam, & ſecundam conſequentiam: quia prædefinitio, & gratia efficax ſunt quidem cauſa neceſſaria vt effectus liber ſit infallibiliter, non autem vt ſit ſimpliciter; nimirum ex parte ipſiuſmet effectus, non ex parte agentis Dei, vt ibi latius oſtenſum eſt.

---

# ARTICVLVS VII.

## *Vtrùm numerus prædeſtinatorum ſit certus.*

## Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur quòd numerus prædeſtinatorum non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Probatur pars ſimpliciter affirmatiua.n.1.*
2 *Quo modo, & decreto certus ſit numerus prædeſtinatorum.num.2.& 3.*
3 *Numerus prædeſtinatorum ſoli Deo notus eſt.n.4.*
4 *Quæ ſit ratio determinati numeri prædeſtinatorum.num.5.*
5 *An prædeſtinati plures ſint reprobis.n.6.*
6 *Quo modo aliquis ſcire poſſit ſuam prædeſtinationem.num.7.*

### COMMENTARIVS.

De prædeſtinationis certitudine, non ſecundùm ſe, quo modo de ea actum eſt articulo præcedente, ſed prout applicata ſuis ſubiectis, ſiue obiectis, nulla ferè eſt grauis difficultas aut controuerſia. Ideo omnia, quæ de ea dici poſſunt, tangam breuiter, ac dilucidè.

*Prima cōcluſio affirmatiua.*

1. Prima concluſio ſimpliciter affirmatiua videtur certa de fide, propter expreſſas authoritates Scripturæ, & Sanctorum adductas ſupra artic.1. num.1. ad probandam certitudinem prædeſtinationis, quę de ipſis etiam prædeſtinatis loquuntur.

Vnde

Auguſt.

Vnde Auguſtinus de correptione, & gratia cap. 13. initio loquens *de his, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei*, ait, *Quorum ita certus eſt numerus, vt nec addatur eis quiſquam, nec minuatur.* Idque docet probari apertiùs ex illo Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Vnde ita acutè diſcurrit, *Si enim alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt numerus.* Et quoniam obiici poterat illud, *Tene quod habes*, reſpondet, id dictum, non quia incertum eſt, hunc aut illum eſſe prædeſtinatum, ſed quia ſingulis eſt occultum. *Quis enim*, inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat, quia id occultari opus eſt in hoc loco, ne fortè quis extollatur, ſed omnes, etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum eſt quò perueniant.* Itaque ſecundùm hanc Auguſtini expoſitionem, planus verborum Ioannis ſenſus eſt, Tene per bona opera gratiã Dei, quam habes, ne alius accipiat gloriæ coronam, quæ nunc apparet eſſe tua, tuam tamen eſſe ignoras, & fortaſsè eſt alterius, qui accipiens Dei gratiam, quam tu tenere noluiſti, apparebit loco tuo illa dignus. Et eſt ſimile illi, ad quod Petrus Apoſtolus Epiſtola 2. cap. 1. hortatur, *ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Alias eiuſdem loci expoſitiones affert S.Thomas articulo præcedente ad primum, & alibi, quas omnes congerit Syluester 1. p. conflati quæſt. 23. art. 7. ad 1.

*Exponitur locus Apoc. 3.*

2. Petri 1.

S.Thom.

Sylueſter.

2. Secunda concluſio. Certus eſt prædeſtinatorum numerus *non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter*; ſeu ſi ſumatur, non ſolùm pro *numero numerante*, ſed etiam pro *numero numerato*: hoc eſt, certum eſt non ſolùm quòd v. g. *centum vel mille ſaluentur, ſed etiam quòd hi vel illi*, cùm ſciat Deus *non ſolùm quot, ſed etiam qui ſaluandi ſunt*. Ita S.Thomas contra quoſdam innominatos, tum hîc initio corporis, tum q. 6. de verit. art. 4. & 1. d. 40. q. 3. art. vnico. Probat primò hîc, quia contraria opinio *tollit certitudinem prædeſtinationis*; Scriptura enim, & Auguſtinus locis, & verbis ſuperiùs allatis, apertè docent, certum eſſe Deum, non ſolùm de numero prædeſtinatorum in communi, ſed etiam de ſingulis prædeſtinatis in particulari. Secundò in citato articulo vnico, quia *hoc eſt attribuere Deo imperfectam cognitionem, in vniuerſali tantùm.*

*Secunda concluſio. Numerus prædeſtinatorum eſt certus etiam materialiter. Probatur ex S.Thoma.*

3. Tertia concluſio. *Numerus prædeſtinatorum certus Deo non dicitur ſolùm ratione cognitionis; ſic enim Deo certus eſt etiam numerus guttarum pluuiæ, & arenæ maris; ſed etiam ratione electionis, & diffinitionis cuiuſdam.* Ita hîc ante medium corporis, & neceſſariò ſequitur ex probatis ſupra artic. 1. dub. 3. de electione ad gloriam ante præuiſionem meritorum; ſi enim Deus tot, & tales perſonas elegit ad gloriam, earum numerum certiſſimè præcognoſcit, non ſolùm ſimpliciter, ratione ſuæ infallibilis præſcientiæ, ſed etiam tali modo, nempe in ſuo efficaci, & abſoluto decreto, eas prædefiniente, quod nulla ratione deficere poteſt. *Prædeſtinatione quippe Deus*, inquit Auguſtinus de prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. *ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.* Ex quo decreto præcisè habemus, vt ſubtiliter diſtinxit Suarez 1. p. tract. 2. lib. 6. cap. 2. n. 6. numerum prædeſtinatorum eſſe futurum in tanta multitudine, & non in minori. Non eſſe autem futurum in maiori multitudine, habetur vi alterius decreti reprobationis negatiuæ, qua Deus iuſtè ſtatuit, alios non eligere efficaciter ad gloriam, nec iis dare efficacia, & infallibilia media ad illam conſequendam, ſed ſufficientia tantùm; addita infallibili præſcientia conditionata, qua certo præcognouit, reliquos omnes cum illis mediis ſufficientibus, propria voluntate, & culpa non eſſe ſaluandos. Qua ratione conſtat, certum quoque eſſe reproborum numerum, non autem eadem omnino ratione, vt ait S. Thomas hîc circa finem corporis, ſicut numerus prædeſtinatorum, qui certus eſt, inquit, *per modum cuiuſdam principalis præfinitionis: reprobi autem videntur eſſe præordinati à Deo in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.* Soli enim prædeſtinati, ſunt pars præcipua, ac perfectiſſima totius vniuerſi, quam propterea diuina prouidentia in ſuis operibus ad extra, potiſſimum ſpectauit: quia illi habent perpetuam, & magis immediatam, ac perfectam coniunctionem cum vltimo fine.

*Tertia cõcluſio de modo, quo certus eſt numerus prædeſtinatorũ.*

Auguſt.

Suarez.

*De certitudine numeri reproborum.*

S.Thom.

4. Quarta concluſio. *Melius dicitur, quòd ſoli Deo eſt cognitus numerus hominum electorum, in ſuprema felicitate locandus*, vt fatetur Eccleſia in oratione ſecreta Miſſæ, feria quarta cinerum. Ita S. Thomas hîc in fine corporis, quia alij dicendi modi, quibus determinatur numerus omnium prædeſtinatorum hominum, nullo probabili authoritatis, aut rationis fundamento nituntur, vt oſtenditur in materia de Angelis. Nam, vt hîc etiam refert S.Thomas, *dicunt quidam, quòd tot ex hominibus ſaluabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam verò, quòd tot ſaluabuntur, quot Angeli remanſerunt. Quidam verò, quòd tot ex hominibus ſaluabuntur, quot Angeli ceciderunt, & inſuper tot, quot fuerunt Angeli creati.* Quæ omnia incerta nobis ſunt.

*Quarta concluſio, ſolus Deus ſcit numerum prædeſtinatorũ.*

S.Thomas.

5. Quinta concluſio. Ratio cur Deus prædefinierit, vt homines prædeſtinati eſſent tot, & non plures vel pauciores, eſt quia tot requirebat proportio huius partis principalis ad bonum, & perfectionem vniuerſi. Ita S.Thomas hîc in corpore, & ad ſecundum, eiuſque diſcurſus eſt valde congruus. Probatum enim ſuperiùs eſt, prædeſtinatos, non ſolùm eſſe præcipuam vniuerſi partem, ſed totam ferè vniuerſi perfectionem, propter quam reliqua omnia ab vniuerſi authore creata fuerint. ergo vniuerſi artifex maximè per ſe ſpectauit, & prædefiniuit prædeſtinatos in totius mundi molitione. Quæ autem ita præcipua, & eſſentialia ſunt in alicuius totius compoſitione, eſſe debent in aliquo determinato numero præordinata per reſpectum ad bonum, & perfectionem illius totius. Cùm igitur Deus optimè ſciat naturam vniuerſi, eiúſque proportionem, ac finem, credendus eſt non niſi ſumma cum ſapientia determinaſſe numerum prædeſtinatorum. Quod quidem in particulari minus perſpectum nobis eſſe poteſt, qui penetrare minimè valemus, quam ob cauſam vniuerſi proportio deperiret, ſi prædeſtinatorum numero vnus aliquis adiiceretur, vel detraheretur. Vnde prudenter dixit Sylueſter 1. p. conflati q. 23. art. 8. ad 2. *Dicti numeri ratio reddi poteſt, ſed non à nobis, qui non cognoſcimus gradum perfectionis totius vniuerſi, & conſequenter nec proportionem numeri prædeſtinatorum ad illum gradum.*

*Quinta concluſio de ratione certi numeri prædeſtinatorũ.*

Sylueſter.

6. Sexta concluſio. Plures ſimpliciter ſunt homines reprobi quàm prædeſtinati. Hoc omnes concedunt, & tamquam omnino indubitatum ſupponitur à S.Thoma hîc in tertio argumento, eiúſque ſolutione, & probatur ex illo Matth. 7. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Ratio duplex affertur ad tertium. Prima *ſecundum communem curſum, & inclinationem naturæ*, nimirum ad bona ſenſibilia, & delectabilia; quia, vt optimè diſcurrit S.Thomas 1. 2. q. 71. art. 2. *Per operationem ſenſus homo peruenit ad actus rationis, ideo plures ſequuntur inclinationes naturæ ſenſitiuæ, quàm ordinem rationis. Plures enim ſunt, qui aſſequuntur principium rei, quàm qui ad conſummationem perueniunt. Ex hoc autem vitia, & peccata in hominibus proueniunt, quòd ſequuntur inclinationem naturæ ſenſitiuæ contra ordinem rationis.* Secunda, quia æterna Dei viſio, ac beatitudo, eſt opus gratiæ, & omnium maximum, diuinúmque beneficium, excedens communem ſtatum naturæ, præſertim lapſæ, & corruptæ per peccatum originale. Huiuſmodi autem beneficia præſtantiſſimæ miſericordiæ, & gratiæ minus conuenienter fiunt omnibus, vel maiori parti eorum, qui illa non merentur, imo ex iuſtitia merentur vt illis non fiant.

*Sexta cõcluſio. Homines reprobi ſunt multo plures quàm prædeſtinati.*

Matth. 7.

S.Thom.



7. Initio concluſionis dixi, *ſimpliciter*; quia ſi comparatio fiat non inter omnes ſimpliciter homines, ſed primò inter omnes fideles, comprehendendo etiam fideles, qui fuerunt ante Chriſti Incarnationem à principio mundi; item ſecundò inter omnes Chriſtianos poſt Chriſti Incarnationem, comprehendendo etiam hæreticos, Apoſtatatas, & Schiſmaticos; item tertiò inter Chriſtianos fideles, qui cum fide Catholicæ, ac Romanæ Eccleſiæ moriuntur, diuerſæ ſunt Theologorum ſententiæ. De prima comparatione neminem inuenio qui dixerit, plures prædeſtinari quàm reprobari. De ſecũda id dixiſſe refertur Sylueſter in Roſa aurea circa Dominicam ſeptuageſimæ in fine. Sed in citato art. 8. ad 3. vbi ipſemet refert quod dixerat in aurea roſa, loqui videtur de tertia comparatione, nam plures ſaluari, probat, *propter virtutem clauium, quæ de attrito faciunt contritum*: quod locum habet ſolùm in tertia comparatione. De qua plures ſaluari quàm damnari, piè credunt Suarez 1. p. tract. 2. lib. 6. cap. 3. n. 6. & alij. Oppoſitum verò tenet Aluarez, *cuius argumenta*, inquit Gonzalez d. 76. num. 3. *nullius ſunt momenti.* Equidem exiſtimo hanc rem non poſſe à nobis in hac vita certò definiri; maximè quia, quales futuri ſint homines poſt noſtra tempora vſque ad diem iudicij, ex quibus etiam hoc iudicium pendet, ſcire poteſt nemo. De præſentibus verò, & de præteritis Chriſtianis, & Catholicis, de quibus aliquam ſententiam hac in re ferre poſſumus, valde inclino cum Molina hîc in ſententiam de maiori parte reproborum, & damnatorum. Quamuis enim noſtrum ſæculum & morum reformatione, & Sacramentorum frequentia florere videatur, tamen retroacta ſæcula id non oſtendunt; & hodie etiam videmus, infinitos propemodum cum nulla, vel admodum parua ſalutis ſpe miſerè perire; ſicut ſine vllo dubio multo plures ſunt, qui miſerè viuunt ſub poteſtate diaboli. Vtinam ſit falſa ſententia, & verum ſit illud, in quod inclinat voluntas, non intellectus. Certè Auguſtinus libro tertio contra Creſconium cap. 66. ita eo tempore ſentiebat, *iidem ipſi boni, verique Chriſtiani, qui per ſe ipſos multi ſunt, in comparatione malorum, falſorúmque itidem pauci ſunt.* Eadémque ferè verba repetit lib. 4. c. 53. Chryſoſtomus quoque hom. 40. ad populum Antiochenum, ante medium ait, *quot eſſe putatis in ciuitate noſtra, qui ſalui fiant? infeſtum quidem eſt quod dicturus ſum, dicam tamen. Non poſſunt in tot millibus centum inueniri, qui ſaluentur: quin & de his dubito. Quanta enim in iuuenibus quæſo malitia? quantus in ſenibus torpor?* &c. Præterea Gregorius hom. 19. in Euang. poſt medium de ſolis fidelibus exponit illud Matth. 20. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Et propterea ait, *Terribile eſt valde. Quia & ad fidem plures veniunt, & ad cœleſte regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam feſtiuitatem quàm multi conuenimus, ſed tamen quis ſciat quàm pauci ſunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur? ecce enim vox omnium, Chriſtus, clamat, ſed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus ſequuntur, moribus fugiunt.* Denique Caietanus exponens parabolam de Virginibus Matth. 25. ſuper illa verba, *Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes*, inquit, *Terribilis ſententia: quia media tantùm pars fidelium, quorum lucent tam bona opera, quàm ſtudia ad obuiandum ſponſo, prudens, ac per hoc, ſaluanda deſcribitur.*

*An è Chriſtianis fidelibus plures ſint reprobi, quàm prædeſtinati.*

*Negant Sylueſter, & Suarez.*

*Cõcedũt Aluarez, & alij.*

*Author cum Molina inclinat in partem affirmatiuam.*

*Cõfirmatur ex Auguſtino.*

Chryſoſt.

Gregorio.

*Exponitur locus Matth. 20.*

Caietano.

*Exponitur locus Matth. 25.*

8. Septima concluſio. *Nemo, quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeo præſumere debet, vt certò ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum. Nam, niſi ex ſpeciali reuelatione, ſciri non poteſt.* Ita docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 12. verbis ipſis ex Auguſtino deſumptis ſupra n. 1. & eſt apud omnes Catholicos certa ſententia, quæ tamen non excludit probabilem opinionem. Ex ſignis, & coniecturis, vt docet Bernardus ſermone ſecundo in octaua Paſchæ, circa medium. Vnde S.Thomas in cap. 13. epiſt. 2. ad Cor. lect. 2. ante medium, ita docet, *Per quamdam coniecturam, nihil prohibet, nos ſcire poſſe, quòd in charitate ſumus*: & ſtatim aſſignat præcipuum huius coniecturæ ſignum, *Quando ſcilicet, quis inuenit ſe taliter paratum, & diſpoſitum, vt nullo modo propter aliquod temporale vellet aliquid facere contra Chriſtum.* Præterea Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 22. aliquanto poſt principium, *De ipſo curſu veſtro bono, rectóque condiſcite, vos ad prædeſtinationem diuinæ gratiæ pertinere.* Plura hac de concluſione legi poſſunt apud Valentiã puncto 6.

*Septima concluſio. Nullus certo ſcire poteſt ſe eſſe prædeſtinatũ, ex Tridentino, & Auguſtino.*

*Poteſt autem probabiliter ſcire ex Sanctis Bernardo, & Thoma.*

Auguſt.

Circa articulum octauum, in quo quæritur, vtrum prædeſtinatio poſſit iuuari precibus Sanctorum, nihil ſcribẽdum occurrit notatu dignum; omnia enim facilia ſunt, & à S.Thoma eruditè, ac perſpicuè declarantur.

# QVÆSTIO XXIV.

## *De libro vitæ, in tres articulos diuiſa.*

## Deinde conſiderandum eſt de libro vitæ, &c.

---

### ARTICVLVS I.

### *Vtrùm liber vitæ ſit idem, quod prædeſtinatio.*

Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd liber vitæ non ſit idem, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Librum vitæ dari, & eſſe aliquid increatum, & dici metaphoricè. num. 1. ad 4.*
2 *Vitæ liber ſola ratione differt à prædeſtinatione. n. 4.*
3 *Quot ſint libri vitæ, de quibus Apocal. 20. n. 5.*
4 *An detur liber mortis. num. 6.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. *Prima cōcluſio. Datur liber vitæ.*

PRIMA concluſio. Datur liber vitę. Hoc nullibi probauit S.Thomas, ſed tam hîc, quàm in aliis locis inferius aſ[illegible]ndis, in quibus de vitæ libro diſputat, ſemper ſupponit, vt ait Caietanus initio huius articuli,& ſequitur Syluester 1.p.conflati quæſt.24.art.1. initio, *ex authoritate Scripturæ,* quæ huius libri frequenter meminit, vt mox referam.

Caietanus. Syluester.

2. *Secunda concluſio. Liber vitæ eſt aliquid increatum.*

Secunda concluſio. Liber vitæ non eſt aliquid creatum, ſed increatum. Hoc ex inſtituto probat S.Thomas de verit.q.7.art.1.& tamquam indubitatum ſupponit in hoc articulo,vbi probat librum vitæ eſſe ipſum intellectum Dei. Et patet ex eo quod Scriptura dicit, hunc librum eſſe ſcriptum à Deo, & eſſe librum Dei, in quo ſcilicet legit ipſemet Deus. Exodi 32. Moyſes Deo ait, *Dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et Deus reſpondet, *Qui peccauerit mihi,delebo eum de libro meo.*& Pſalm.138. *In libro tuo omnes ſcribentur.* Et cum dicitur,*liber vitæ*, ad Philippenſes 4. Apocal.20. 21. ſeu *liber viuentium,* vt Pſalm.68. & liber cœleſtis,ſeu ſcriptus in cœlis, vt Lucæ 10. *Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*; & liber ſalutis, ſiue abſolutè, atque antonomaſticè,*liber,* vt Danielis 12. *In tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro*; & ipſa etiam ſimpliciter,*vita*, vt Iſaiæ 4. *Sanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita,* ſunt adeo præclaræ, ac ſublimes denominationes, vt ſine vllo dubio importent aliquid diuinum, & increatum. Ratio S.Thomæ eſt,quia liber vitæ dicitur illa conſcriptio per quam principalis author vitæ æternæ, qui eſt Deus, dirigitur ad vitam illam conferendam. *Deus autem non dirigitur ab aliquo creato, cùm ſit regula à nullo extrinſeco directa. Vnde liber vitæ, ſecundùm quod nunc de eo loquimur,aliquid increatum dicit.* Qua ratione deinde ibidem ad ſeptimum probat,ſcientiam,quam anima Chriſti habet de omnibus ſaluandis, non poſſe dici librum vitæ, quia, inquit, *ex hac cognitione non dirigitur Deus, ſed ex cognitione increata, quæ eſt ipſe.*

Exod.32. Pſalm.138. Ad Philipp. 4 Apocal. 20, 21. Pſalm.68. Luc.10. Daniel, 12. Iſai.4. S.Thom.

3. *Tertia cōcluſio.Liber vitæ dicitur metaphoricè.*

Tertia concluſio. Liber vitæ in diuinis dicitur per metaphoram, non per proprietatem. Ita S. Thomas hîc, & de verit.q.7.art.1. & 3. ſent. d.31. q.1.art.2.& 1.ſent.d.40.q.1.art.2.ad 5. ſequitur ex ſecunda concluſione de libro vitæ quòd ſit aliquid increatum. Nihil autem increatum dici propriè poteſt liber, qui ſecundùm propriam vocis ſignificationem importat aliquid materiale, & creatum. Metaphora verò conſiſtit in hoc, quòd ſicut liber materialis dicitur, qui continet figuras, ſeu characteres, quibus ſignificantur res in illo ſcriptæ,& quæ per illum cognoſcuntur; ita in diuinis illa perfectio dici poteſt liber vitæ, in qua continentur ſimilitudines cuiuſlibet vitæ in particulari, & omnium particularium viuentium,per quas cognoſci poſſunt. Sicut enim intellectus poſſibilis ab Ariſtotele 3. de an. text.14. antequam actu intelligat, dictus metaphoricè eſt, *tabula, in qua nihil eſt ſcriptum actu*; ita intellectus actu intelligens, dici pariter poteſt per metaphoram, tabula ſcripta, & liber ſcriptus: hæc autem perfectio in diuinis nihil eſt aliud, niſi ipſa formalis notitia, ac repræſentatio vitæ omnium viuentium, nimirum per æternam gloriæ vitam, quæ eſt perfectiſſima, ac ſimpliciter vita, quæ per Dei prædeſtinationem habetur. Ita S.Thomas locis citatis, & ſequuntur reliqui omnes Theologi ex Auguſtino lib.20.de ciuit.c.15.fin. vbi exponens illud Apoc. 20. *Qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*, ſic habet, *non Deum liber iſte commemorat, ne obliuione fallatur, ſed prædeſtinationem ſignificat eorum, quibus æterna dabitur vita. Neque enim neſcit eos Deus, & in hoc libro legit vt ſciat; ſed potius ipſa eius præſcientia de illis, quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ, in quo ſunt ſcripti, id eſt, præcogniti.* Quibus verbis, inquit S.Thomas de verit.q.7.art. 1.ad 10.*non intendit Auguſtinus remouere.quin Deus in libro vitæ legat; ſed quia hoc modo non legit, vt cognoſcat quæ prius neſciuit.* Hunc librum re ipſa exprimit Paulus 2.ad Timoth.2.illis verbis, *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus qui ſunt eius.* Vbi clarè loquitur de prædeſtinatis, quia eos ſtatim vocat, *vaſa aurea,& argentea, & in honorem*; & diſtinguit contra *vaſa lignea, & fictilia, & in contumeliam,* qui ſunt reprobi. Demum, vt S.Thomas colligit 3.d.31.q.1.artic.2. quæſtiuncula 1. in fine corporis, & ex inſtituto probat de verit.q.7.art.2.& 3. *quia notitia eſt eſſentiale, & appropriatur filio, ideo liber vitæ eſſentiale quidem eſt in diuinis, & filio appropriatur.*

Ariſtoteles. *Exponitur ex Sāctis Auguſtino, & Thoma locus Apocal.20.* *Exponitur locus 2. ad Tim.2.* *Liber vitæ eſt quid eſſentiale in diuinis, ſed appropriatum filio.*

4. *Quarta concluſio reſpondēs titulo articuli.*

Quarta concluſio, quæ directè reſpondet quæſito articuli, *liber vitæ à prædeſtinatione differt ſecundùm rationem.* Eſt S.Thomæ hîc ad quartum,& probat, quia liber vitæ, vt patet ex Scriptura locis citatis n.2. & ex Auguſtino verbis relatis num.3. *importat notitiam prædeſtinationis*; quoniam verò prædeſtinatio ſecundùm S. Thomam ex probatis ſupra q.23.art.1.eſt non ſolùm ex parte diuinæ voluntatis efficax, & abſoluta quorumdam electio ad gloriam,ſed etiam, imò principalius, ex parte diuini intellectus, eſt practica notitia mediorum efficacium,& infallibilium, per quæ dirigi debent ad gloriam qui ad illam electi ſunt, liber vitæ non erit formaliter iſta directa, & practica notitia, ſed alia quaſi reflexa, & ſpeculatiua notitia tum electionis, tum etiam prædictæ notitiæ practicæ;qua libri reflexa notitia, Deus, vt ait S.Thomas de verit.quæſt.7.art.1.ad 14.*cognoſcit ſe cognoſcere:* neque enim in libro ſuo Deus haberet prędeſtinatos perfectè deſcriptos, niſi videret non ſolùm puram finis electionem factam per ſuam liberam voluntatem, de omnibus, & ſingulis prædeſtinatis, ſed etiam mediorum gratiæ præparationem, ac directionem factam per infinitam intellectus ſui ſapientiam, *quibus*, vt ait Auguſtinus de bono perſeuerantiæ c.14.poſt principium, *certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Cùm igitur hi diuini actus differant ſolùm ſecundùm rationem cum fundamento in re, liber vitæ, & prædeſtinatio diſtinguentur ſola ratione ratiocinata. Erit autem liber vitæ ipſa prædeſtinatio, non ſolùm ea communi ratione, ſecundùm quam omnia in diuinis identificantur, ſed alia ratione peculiari,& magis propria, ſecundùm quam prædeſtinatio eſt obiectum libri vitæ, & cauſa eorum, quæ in illo libro deſcripta ſunt. Sicut dicimus,inquit S.Thomas de verit. q.7.art.4.fin.corp.*quòd liber iſte,materialiter loquendo, eſt doctrina Apoſtoli, quia doctrina Apoſtoli in eo conſcripta continetur; ita liber vitæ, & prædeſtinatio, formaliter loquendo, non ſunt idem, ſed materialiter eſt liber vitæ ipſa prædeſtinatio; quia nihil aliud eſt quàm quædam conſcriptio diuinæ prædeſtinationis.* Qua ratione concipimus, librum vitæ magis differre à præſcientia,quam habet Deus de reprobis,eorúmque malis operibus, ac pœnis, & generaliter ab omnibus diuinis actibus incluſis in conceptu reprobationis, ſiue negatiuæ, ſiue poſitiuæ,vt ſupra quæſt.23.art.3. quàm à prædeſtinatione,quamuis omnes

*Quid ſit formaliter liber vitæ.* S.Thom. Auguſt.



omnes iſti actus, & liber vitæ in Deo nullam ex rei natura diſtinctionem habere poſſint.

5. *Prima obiectio.*

Obiicies primò,quia verba illa Apoc.20. *Libri aperti ſunt; & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ,* manifeſtè indicant non eſſe in Deo vnum librum vitæ, ſed præterea multos alios libros.

*Reſpondetur cum S. Thoma diſtinguendo tres libros vitæ, & exponendo locum Apocal.20.*

Reſpondeo,tres vitæ libros diſtingui à S.Thoma hîc ad primum. Omnium primum, ac digniſſimum, qui frequentius ſignificatur in Scriptura, & abſolutè, ac ſimpliciter dicitur, liber, vel liber vitæ, *eſſe eorum, qui ſunt electi ad vitam*, ſeu librum prædeſtinationis iam explicatum; & per analogiam attributionis ad hunc librum,reliquos duos appellari libros vitæ. Secundus igitur liber vitæ *eſt conſcriptio eorum, quæ ducunt in vitam ſicut agendorum, & ſic nouum, & vetus teſtamentum dicitur liber vitæ.* quia repræſentant vitam, vt addit de verit.quæſt.7.art.1. circa initium corporis, *per modum doctrinæ de vita conſequenda.* Sicut, inquit, repræſentat Chriſtus *per modum exemplaris, quia in eo, ſicut in exemplari poſſumus aſpicere, qualiter ſit viuendum, vt perueniamus ad vitam æternam.* Qua ratione etiam Sancti dici poſſunt liber vitæ per modum exemplaris, nimirum ſecundarij,non primarij, ſicut Chriſtus Dominus, vt mox adnotabo ex Auguſtino. Tertius eſt conſcriptio eorum, quæ ducunt in vitam, vel remouent à vita, *ſicut iam factorum: & ſic illa vis diuina, qua fiet, vt cuilibet in memoriam reducantur facta ſua, dicitur liber vitæ. Sicut,* inquit, *liber militiæ poteſt dici, vel in quo ſcribuntur electi ad militiam, vel in quo traditur ars militaris, vel in quo recitantur facta militum.* His poſitis Auguſtinus 20. de ciuit. cap.14. exponens verba Ioannis, per libros intelligit *Sanctos, & veteres, & nouos, in quibus oſtenditur, quæ Deus fieri ſua mandata iuſſiſſet.* Per librum verò vitæ, quia mendoſè legit, *liber apertus eſt, qui eſt vitæ vniuſcuiuſque,* vt cum Beda, & Viues animaduertit noſter Alcaſar, cum in aliis textibus non habeatur illud, *vniuſcuiuſque,* ſed tantùm, *qui eſt vitæ*, intelligit *quamdam vim diuinam, qua fiet, vt cuique bona opera ſua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur:* procul dubio expoſiturus de libro prædeſtinationis, ſi illud *vitæ,* legiſſet ſine illo, *vniuſcuiuſque*; vt reliqui ferè omnes legunt, & exponunt. Quamquam Gregorius lib. 24. moralium cap. 6. aliquanto poſt principium exponit de Chriſto vt ſupra, dicens, *liber vitæ eſt ipſa viſio aduenientis iudicis; in quo, quaſi ſcriptum eſt omne mandatum: quia quiſquis eum viderit, mox teſte conſcientia, quicquid non fecit, intelligit.* Per alios verò libros poſſunt intelligi vel primò liber bonorum operum, & liber malorum operum, qui commodè diſtingui poſſunt in duos, vt diſtinguit, & intelligit Hieronymus Danielis 7. accipiendo hos libros pro vi illa diuina, de qua Auguſtinus, & S.Thomas ſupra, & ita etiam exponit Gregorius ſupra. Vel ſecundò cum Beda in illum locum, iuxta ſecundam acceptionem libri vitæ aſſignatam ſupra à S. Thoma, nouum, & vetus teſtamentum, quæ propterea non incongruè poſſunt in plurali dici libri. Et ad hanc reuoco expoſitionem Auguſtini ſupra de Sanctis, quam admittit etiam S. Thomas de verit. quæſt.7. artic.1. ad 15. quia ſicut Scripturæ ſanctæ, ſunt libri agendorum in actu ſignato; ita Sancti homines ſunt libri agendorum in actu exercito. Prima expoſitio videtur magis expreſsè cohærere textui Ioannis; quia ſtatim ita additur, *& iudicati ſunt mortui, ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Secunda expoſitio eſt illi ſimilis, quam ex Gloſſa in illud Eccl. 24. *Hæc omnia liber vitæ*, affert S.Thomas hîc in primo argumento, *Id eſt,* inquit Gloſſa, *nouum, & vetus teſtamentum:* & non abhorret à prima, quia etiam ex legibus, & præceptis, quæ continentur in Scriptura, imò ex Sanctorum hominum factis,iudicari poſſunt alij ſecundùm opera ipſorum.

*Expoſitio Auguſtini.* *Expoſitio Gregorij, & Hieronymi.* *Expoſitio Bedæ.* *Exponitur locus Eccleſiaſtici 24.cū Gloſſa, & S. Thoma.*

6. *Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò, quia in Deo non ſolùm eſt præſcientia prædeſtinatorum, ſed etiam reproborum. ergo non ſolùm ponendus eſt in Deo liber vitæ propter prædeſtinatos ad vitam æternam, ſed etiam liber mortis propter reprobos,ad æternam mortem damnatos.

*Reſpondetur cum S.Thoma, Alenſi, Alberto, non dari librum mortis.*

Reſpondeo ita ponere Hieronymum ſupra, Baſilium, Nazianzenum, & alios, quos refert, & non omnino reiicit Suarez 1.p. tract.2. lib.1. cap.20. num.7. 8. & 9. & ſequitur Pererius Danielis 7. & inclinat Vazquez in commentario ſequentis articuli. Sed S.Thomas abſolutè negat dicens hîc ad tertium. *Reprobationi non reſpondet liber mortis, ſicut prædeſtinationi liber vitæ.* Et nullam aliam rationem affert, niſi quia non eſt conſuetum conſcribi eos, qui repudiantur, ſed eos, qui eliguntur, v.g. ſi conſcribendi ſunt milites, conſcribuntur quidam electi, non reliqui omnes, qui non eliguntur. Quæ congruentia ſatis eſſe debet ad ſaluandum modum loquendi Scripturæ, vbi numquam fit mentio diuini libri mortis, ſed ſemper libri vitæ. Addo, librum mortis, hoc eſt, priuationis vitæ, ſufficienter haberi per ipſum librum vitæ. Nam, vt docet Alenſis 1.p.quæſt.23.membro 2. circa finem. *Sicut luce cognoſcuntur tenebræ, non tamen ibi videntur; ſic in libro vitæ cognoſcetur mors, non tamen ibi videbitur, vel legetur; quia non cognoſcetur ibi mors per eſſentiam, ſed per priuationem. Et ita non poteſt dici per ſe, nec propriè liber mortis, ſed vitæ.* Præterea in Deo, qui eſt fons vitæ, imò eſt ipſa vita, & nullam in ſe mortis rationem habet, nulla congrua ratione cogitari poteſt liber mortis; vt ex inſtituto probat S.Thomas de verit. quæſt.7.integro artic.8. & concedit Albertus 1.p. ſummæ tract.17. quæſt.69. membro 2.ad 1.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm liber vitæ ſit ſolùm reſpectu vitæ gloriæ prædeſtinatorum.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd liber vitæ non ſit ſolùm, &c.

1. *Reſpondetur affirmatiuè.*

CONCLVSIO affirmatiua probata remanet ex dictis articulo præcedente, vbi ex Scriptura, & Auguſtino oſtenſum eſt, librum vitæ eſſe librum prædeſtinationis, quæ eſſentialiter reſpicit vitam æternam gloriæ. ergo ſine hac vita non poteſt intelligi liber vitæ, de qua nunc agimus. Vnde Apocal.20. *Qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* In quo ſtagno omnes, qui ſunt, habent vitam naturalem, & multi habuerunt vitam gratiæ. ergo liber vitæ non eſt liber vitæ naturalis, aut vitæ gratiæ; ſed ſolius vitæ gloriæ, contradiſtinctæ à morte æternæ damnationis, quam patiuntur

*Exponitur locus Apoc 20.& 21.*

patiuntur omnes,qui mittuntur in ſtagnum ignis. Et capite ſequenti 21. manifeſtè loquens Ioannes de gloria vitæ æternæ, ait, *Non intrabit in*

Daniel. 12.

*eam, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* Et Danielis 12. *Saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro.* Et ſtatim hanc ſalutem vocat, *vitam æternam.* Et ideo dicitur liber vitæ ſcriptus in cœlis, vbi eſt proprius locus æternæ

Luc. 10. Iſai. 4. Ad Hebr. 4.

vitæ. Luc. 10. *Gaudete quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Et Iſaiæ 4. *Sanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem.* Et ad Hebr. 4. *Acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis.*

2. *Declaratur ratio articuli.*

Ratio S. Thomæ optima hæc eſt. Liber vitæ eſt notitia diuina, in qua, veluti in quodam libro, conſcripti quaſi dicuntur, hoc eſt, firmiter hærent, qui ad vitam eliguntur. Id vero ad quod aliquis eligitur, duas conditiones habere debet. Prima eſt, vt electo non competat ſecundùm ſuam naturam. Neque enim quis eligitur ad habendam vitam naturalem, v. g. ad habendum ſenſum; & qui eliguntur ad pugnandum in militia, non ſortiuntur hoc ex eorum natura, ſed ex alio extrinſeco, & libero principio gubernante rempublicam. Et propter defectum huius primæ conditionis, liber vitæ non dicitur reſpectu vitæ diuinæ, etiam prout eſt vita glorioſa, neque reſpectu vitæ creatæ naturalis; quia propriè Deus non eſt electus ad vitam ſuam glorioſam, quæ eſt Deo naturalis, nec creaturæ electæ ſunt ad vitam, quæ illis naturaliter competit. Secunda eſt, vt res illa, ad quam terminatur electio, habeat rationem finis. Nam qui ad militiam eligitur, non eligitur aut conſcribitur ad hoc vt armetur, ſed vt pugnet. Et ex defectu huius ſecundæ conditionis, non dicitur liber reſpectu vitæ gratiæ; hæc enim vita non eſt finis, ſed medium ad vitam finalem gloriæ, quæ eſt ſupra naturam electorum. De hac igitur propriè datur, & dicitur liber vitæ.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm aliquis deleatur de libro vitæ.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd nullus deleatur de libro, &c.

### COMMENTARIVS.

1. *Prima cõcluſio ſimpliciter affirmatiua.*

PRIMA concluſio. Certum ſimpliciter eſſe debet in aliquo bono ſenſu, aliquos deleri de libro vitæ: quia hoc manifeſtè ſupponitur in Scriptura.

Exod. 32.

Exodi 32. petit Moyſes, *Dele me de libro tuo.* Reſpondet Deus, *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Quot igitur ſunt peccatores, ſaltem vſque ad finem vitæ, tot de

Pſalm. 68.

facto deleti ſunt de libro vitæ. & Pſalm. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.*

Apoc. 3.

Et Apoc. 3. *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.*

2. *Secunda concluſio. Aliqui delentur de libro vitæ ſecundùm rei veritatem.*

Secunda concluſio. Minus conuenienter dicuntur aliqui deleri de libro vitæ, & conſequenter, in eodem libro ſcribi, *ſecundùm opinionem hominum propter præſentem iuſtitiam, non ſecundùm rei veritatem.* Ita S.Thomas hîc contra aliquos innominatos, inter quos clarè eſt Auguſtinus in citata verba Pſalm. 68. Item Albertus infra, quæſtiuncula prima; & refertur etiam Ambroſius in cap. 3.

Auguſt. Albert. Ambroſ.

Apoc. ſed illa Apocalypſis explicatio, quæ in editione Romana anni 1585. addita eſt operibus S.Ambroſij, eſt euidenter alterius authoris poſterioris, vt benè probat Cardinalis Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, verbo, Ambroſius, in fine. Ratio S. Thomæ ſumitur ex verbis Apocalypſis ſupra, vbi inquit, *Non deleri de libro vitæ ponitur inter præmia iuſtorum. Quod autem ſanctis repromittitur, non eſt ſolùm in hominum opinione.* Et ſanè verba Scripturæ num. 1. allata plus videntur ſignificare, & ſpectare, quàm hominum apprehenſionem; vt patet cuilibet ea attentè conſideranti.

3. *Tertia concluſio. Nemo poſitiuè deletur de libro prædeſtinationis.*

Tertia concluſio. Loquendo ſecundùm rei veritatem, nemo dici poteſt deleri poſitiuè de libro vitæ æternæ, prout ad illam ordinatus eſt ex prædeſtinatione; ſed prout ad illam ordinatus eſt ex gratia. Ita diſtinguit S. Thomas hîc,

S.Thom. Albertus. Auguſt.

& Albertus 1. p. ſummæ tract. 17. quæſt. 69. membro 4. Prima pars eſt apud omnes indubitata, de qua eleganter Auguſtinus Pſalm. 68. ſupra, *Non ſic accipere debemus, quòd quemquam Deus ſcribat in libro vitæ, & deleat illum. Si homo dixit, quod ſcripſi, ſcripſi, Deus quemquam ſcribit, & delet? Præſcius eſt, prædeſtinauit omnes ante conſtitutionem mundi, regnaturos cum filio ſuo in vita æterna. Hos, quos conſcripſit, ipſos continet liber vitæ.* Secunda pars, ſecundùm id, quod dicit, eſt etiam certa, quia, vt probat S.Thomas, *quicumque gratiam habet, ex hoc ipſo eſt dignus vita æterna. Et hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati ſunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, à qua tamen deficiunt per peccatum mortale.*

*An liber vitæ extẽdatur ad vitã gratiæ.*

Sed ſecundum id, quod ſupponit, nempe, librum vitæ extendi etiam ad vitam gratiæ, & conſequenter, comprehendere etiam reprobos omnes, qui aliquo tempore fuerunt in

*Affirmant S. Thomas, Alẽſis, Albertus.*

gratia, quod clariùs docent S. Thomas 1. d. 40. quæſt. 1. art. 2. ad 5. Alenſis 1. p. quæſt. 23. membro 3. art. 3. fin. & art. 4. in corpore. Albertus 1. p. ſummæ tract. 17. q. 69. membro 3. non multum cohærere videtur cum probatis articulo præcedente ex Scriptura, & Auguſtino, docentibus, librum vitæ non eſſe alium niſi librum prædeſtinationis, in quo neque ſimpliciter, neque ſecundùm quid ſcripti ſunt reprobi, ſed ab eo omnino excluſi, ſicut ſunt omnino non prædeſtinati.

*Negant S. Thomas, Albertus, & alij probabilius.*

Vnde ipſemet S.Thomas de verit. q. 7. artic. 4. ante medium corporis ait, *Liber vitæ nihil aliud eſt, quàm quædam conſcriptio diuinæ prædeſtinationis in mente diuina.* Et Albertus 1. p. ſummæ tract. 17. quæſt. 69. initio ait, *In libro vitæ non ſcribuntur niſi prædeſtinati: & ſcripti in libro vitæ, de neceſſitate ordinis conſequuntur vitam.*

4. *De libro vitæ delentur negatiuè, non poſitiuè.* Suarez. Lorinus.

Hanc ob cauſam, ſi loqui volumus cum S.Thoma, *ſecundùm rei veritatem*, & retinere ſenſum magis communem, & probabilem de libro vitæ, quòd ſit tantùm prædeſtinatorum, addere probabiliter poſſumus cum Suarez 1. p. tract. 2. lib. 1. cap. 20. num. 18. Lorino in citata verba Pſalm. 68. & aliis apud ipſos, huiuſmodi deletionem eſſe accipiendam non poſitiuè, ſed negatiuè, hoc eſt, non pro deletione eius, quod antea ſcriptum erat, ſed pro non ſcriptione. Vndè prudenter, ac perſpicuè Lorinus ſuprà, *Arbitror eſſe hoc loco ſynonyma, deleri, & non ſcribi; ac proinde non oportere antea ſcriptum eſſe, qui deleri dicatur.* Quam expoſitio



*Exponitur locus Pſalm. 68.*

expoſitionem non obſcurè indicant ipſamet verba Pſalmi 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Vbi illud prius, *Deleantur de libro viuentium*, declaratur magis poſtea per, *Non ſcribi in eodem libro viuentium cum iuſtis prædeſtinatis.* In hoc vltimo ſenſu nihil video quod ſcru-

Auguſt.

pulum iniicere poſſit, niſi Auguſtinum ſupra dicentem, *Deleantur de libro viuentium. Aliquando enim illic ſcripti erant.* Et infrà, *iſti, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, quomodo inde delentur, vbi numquam ſcripti ſunt?* Verùm ſicut, *odio habere*, quamuis poſitiuam ſignificationem propriè importet, tamen ipſomet Auguſtino ſic interpretante, aliquando in Scriptura ſumitur negatiuè pro *non diligere*; ita non videtur magis improprium, aut admirandum, ac reiiciendum, ſi vox poſitiua *delendi*, negatiuè interpretemur, *non ſcribere.* Denique qua ratione Moyſes, famulus Dei, potuerit abſque vllo peccato petere, vt eum Deus deleret de libro vitæ gloriæ aut gratiæ, non eſt huius loci diſcutere. Videndi ſunt interpretes in illum locum Exodi 32. rem breuiter, & eruditè

Vazquez. Lorinus. Valent.

pertractant Vazquez hîc, & Lorinus ſupra. Mihi maximè placet expoſitio, quam ſolam ex Auguſtino affert, & clarè explicat Valentia hîc, puncto 3.

## QVÆSTIO XXV.

### *De diuina potentia, in ſex articulos diuiſa.*

### Poſt conſiderationem diuinæ præſcientiæ, & voluntatis, & eorum, &c.

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm in Deo ſit potentia.*

### Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd in Deo non ſit, &c.

### SVMMA COMMENTARII.


1 *Quid certum, & dubium ſit in hac quæſtione. n. 1.*
2 *Potentia non eſt ipſum liberum Dei decretum. n. 2. ad 5.*
3 *Potentia diſtinguitur ratione ab intellectu, & voluntate. n. 5. ad 9.*
4 *Soluuntur oppoſitæ rationes. n. 9. ad finem articuli.*


### COMMENTARIVS.

1. *Quid certum ſit in hac quæſtione.*

CERTISSIMA fidei veritas eſt, in Deo eſſe propriiſſimè, ac perfectiſſimè potentiam, non quidem paſſiuam, vt probatum eſt in primo tomo quæſt. 3. de ſimplicitate, ſed actiuam, ad quam ſignifican-

S.Thomas.

dam, inquit S.Thomas 1. d. 42. quæſt. 1. art. 1. initio corporis, *nomen potentiæ primò impoſitum fuit, vt Auicenna dicit.* Non autem eſſe actiuam actionum immanentium in ipſomet Deo, cuiuſmodi ſunt actiones intelligendi, & volendi, vt oſtendi ibidem quæſt. 4. art. 2. à num. 57. ad 82. & in hoc ſecundo tomo, quæſt. 14. art. 1. à num. 45. ad 58. & quæſt. 19. artic. 1. num. 4. ad 8. Sed ſolùm actiuam omnium ſimpliciter effectuum, qui ſunt extra Deum, & eſſentialiter petunt procedere à Deo, prima cauſa immediatè in omnes influente, & conſequenter, potente influere, ſcilicet per intrinſecam ſuam agendi virtutem, ac potentiam, vt multis demonſtratum eſt ſupra quæſt. 2. art. 3. & quæſt. 7. art. 1. & quæſt. 8. art. 1. Atque in

*Explicatur reſpõſio ad 3.*

hoc ſenſu arbitror dictum eſſe hîc ad tertium. *Potentia in rebus creatis non ſolùm eſt principium actionis, ſed etiam effectus. In Deo ſaluatur ratio potentiæ, quantum ad hoc, quòd eſt principium effectus; non autem quantum ad hoc, quòd eſt principium actionis, quæ eſt diuina eſſentia.* Qua vltima limitatione clarè indicat, ſe loqui de actione immanente, hæc enim eſt ipſamet diuina eſſentia, non de actione tranſeunte, quam comprehendit effectus nomine generaliter vſurpato, prout ſignificat quicquid eſt extra Deum, vi ipſius tranſiens de non eſſe ad eſſe. Bene enim concipitur in Deo formaliter aliquid ſub ratione formali actionis, reſpectu cuius non datur potentia; non poteſt autem in eo formaliter concipi aliquid habens formalem aliquam rationem effectus.

*Quid ſit dubium.*

Igitur nihil aliud hoc loco inquirendum ſupereſt, niſi, an huiuſmodi potentia ſit aliquid attributum ratione ratiocinata diſtinctum ab intellectu, & voluntate Dei, à quo intelligi debeant immediatè prodire in rei exequutione omnes effectus extra Deum, an potius huiuſmodi exequutiuum principium ſint dumtaxat intellectus, & voluntas Dei. Quam

S.Thom.

quæſtionem tangit S.Thomas hîc ad quartum, & multo clarius ſupra quæſt. 19. artic. 4. ad 4. eámque promiſimus ibidem dub. 1. initio; & breuiter attigimus tom. 1. q. 12. art. 8. num. 69.

2. *Prima cõcluſio. Potentia Dei non eſt decretum liberum.* Vazq. Gonzalez. Molin.

Prima concluſio. Non eſt ſimpliciter dicendum, potentiam Dei actiuam, & exequutiuam conſiſtere in actu libero diuinæ voluntatis. Hoc communiter aſſeritur, & bene notauit Vazquez d. 102. cap. 4. & ſequutus eſt Gonzalez d. 78. concluſ. 2. contra Molinam hîc d. 2. concl. 2. & ſumitur ex S.Thoma infra art. 5. ad 1. fin. *Non ideo Deus poteſt, quia vult; ſed quia talis eſt in ſui natura.* Hinc ita argumentor, Deus ex natura ſua habet poſſe

*Probatur ex S.Thoma.*

producere creaturas, *quod*, inquit S.Thomas, *eſt naturale*, ita vt quamuis actu producere conueniat illi liberè, non neceſſariò, tamen poſſe producere conuenit illi neceſſariò, non liberè: alioquin nihil poſſet producere, niſi ea, quæ producere liberè voluit; & ſi nihil liberè producere voluiſſet, nihil poſſet producere; & in priori ſigno, in quo intelligimus voluntatem Dei indeterminatam, & liberam in actu primo, abſque vlla determinata volitione libera in actu ſecundo, & actualiter terminata ad vnum creatũ obiectum potius quàm ad aliud, intelligeremus naturam diuinam, in ſe ipſa perfectè conſtitutam quoad omnia ſua intrinſeca, abſque reali potentia actiua ad extra; & ſicut volitio libera in actu ſecundo nullam importat in Deo intrinſecam perfectionem, atque adeo poteſt eſſe vel non eſſe in illo, ita potentia non eſſet aliqua Dei perfectio realis, & intrinſeca, ſed Deus poſſet eſſe vel potens, vel impotens, quæ omnia ſunt manifeſta abſurda: ergo diuina potentia non eſt dicenda ſimpliciter ipſamet volitio Dei libera in actu ſecundo.

*In quo ſenſu defendi poſſit cõtraria Molinæ ſentẽtia.*

Dico, *ſimpliciter*, quia ſi quis contenderet, diuinam potentiam, non eſſe omnino completam, etiam in actu primo, quoad omnia, quæ neceſſa

neceſſario prærequirit vt poſſit agere modo conueniente diuinæ perfectioni, niſi intelligatur vt ſubordinata libero Dei decreto, determinanti illam ad producendum hoc potius, quàm aliud, quod, quantum eſt ex ſe, æquè facilè, atque expeditè poteſt producere, multo minus à veritate recederet, in quo ſenſu fortaſſe loquutus eſt Molina, quamuis eius verba plus velle videantur: quia tota hæc limitatio quoad rem ipſam vera eſt. Sed quoad præſentem difficultatem eſt aduertendum, extrinſecam illam determinationem, quæ per decretum liberum additur diuinæ potentiæ, non addere aliquid pertinens ad potentiam in ratione formali potentiæ, quatenus potentiæ ſimpliciter, ſed ſolùm pertinens ad rationem potentiæ talis, ſcilicet liberæ; neque enim volitio libera, qua de facto Deus ab æterno voluit per omnipotentiam ſuam creare hunc mundum in tali tempore, prærequirebatur ad complementum illius omnipotentiæ, vt poſſet ſimpliciter, ſed ſolùm vt poſſet liberè, quo modo poſſe eſt perfectius quàm poſſe cum neceſſitate, & ideo illud, non hoc Deo tribuendum: hæc autem libertas nihil addit in genere potentiæ, ſed tantùm in alio genere volitiui, & liberi; ſicut eadem eſt, v.g. potentia viſiua, ſiue liberè, ſiue neceſſariò videam.

3. *Molina obijcit 1.*

Obiicies ex Molina primò illud ad Epheſios 1. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et Pſalm. 142. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.* Et Pſalm. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.* Et Auguſtini in libro de ſpeculo, cap. 7: *Voluntas tua opus eſt, cui velle, eſt poſſe; qui omnia, quæ ex nihilo creaſti, ſola voluntate feciſti.* quæ eadem verba habet Auguſtinus libro meditationum, cap. 29. poſt medium. Addi poteſt Leo Papa ſermone 2. de Natiuit. init. illis verbis, *Deus cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus miſericordia eſt.*

*Reſpondetur declarando verba ad Epheſ. 1. Pſalm. 142. 148. Auguſtini, & Leonis.*

Reſpondeo, his authoritatibus verè nihil aliud haberi, niſi Deum operari ad extra per ſummam libertatem, ita vt nullum operandi impedimentum, nullam indigentiam habeat. Illud enim, *velle eſt poſſe*, & illud, *ſola voluntate*, non poſſunt excludere alia operandi principia, alioquin non ſolùm excluderetur potentia exequutiua, ſed etiam contra omnes ſcientia practica, quæ etiam eſt cauſa rerum, vt ſupra q. 14. art. 8. Excludunt igitur omne extrinſecum impedimentum, & omnem intrinſecam indigentiam operandi.

4. *Obijcit 2.*

Obiicies ſecundò. *Dato illo actu diuinæ voluntatis, & ſecluſa per impoſſibile in Deo quacumque alia virtute exequutrice, ſequerentur res creatæ. ergo ſuperfluè conſtituetur in Deo aliquid aliud, quod rationem principij immediati rerum ſortiatur.*

*Reſpondetur.*

Reſpondeo negando antecedens, præſupponi enim debet ſaltem ipſa voluntas, in actu primo libera, quæ ſit potentia exequutiua. Cum enim volitio libera in actu ſecundo nihil addat in Deo, ſi hæc eſſet potentia, nihil reale, & intrinſecum eſſet in Deo, quod haberet rationem potentiæ, & immediati principij realiter exequutiui: quod non videtur conuenienter dici poſſe.

5. *Secunda concluſio. Potentia in Deo ratione diſtinguitur ab intellectu, & voluntate. Probatur ex S. Thoma.*

Secunda concluſio. Potentia in Deo admitti debet vt poſitiuum attributum, ratione ratiocinata diſtinctum ab intellectu, & voluntate. Mihi videtur expreſſa ſententia S. Thomæ, quicquid multi Thomiſtæ in contrarium dicant. Hîc enim in reſponſione ad quartum ita habet. *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à ſcientia, & voluntate, ſecundùm rem, ſed ſolùm ſecundùm rationem; in quantum ſcilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod ſcientia dirigit. Quæ tria in Deo ſecundùm idem conueniunt.* Clariſſimè docet, eſſe *tria* principia, & *differre ſecundùm rationem*; & vnicuique aſſignat propriam, ac diſtinctam rationem principiandi; nempe potentiæ, rationem exequendi; voluntati, rationem imperandi; ſcientiæ, rationem dirigendi. Et quamuis ſtatim addat, ſecundam reſponſionem contrariam his verbis, *Vel dicendum, quòd ipſa ſcientia, vel voluntas diuina, ſecundum quòd eſt principium effectiuum, habet rationem potentiæ*; tamen Sylueſter, fideliſſimus, ac doctiſſimus Thomiſta, ita in ſuo cõflato 1.p.q.25.art.1.ad 4. teſtatur contra Caietanum. *Ego autem dico, quòd ſecunda reſponſio non eſt S. Thomæ, ſed fuit gloſſa alicuius Thomiſtæ, per errorem inſerta textui, vt patet conſulenti originalia S. Thomæ.* Ferrarienſis quoque, præcipuus Thomiſta, lib. 2. cont. gent. c. 1. ad 4. loquens de hac eadem reſponſione ait. *In veris exemplaribus non ponitur niſi prima reſponſio; ſecunda autem non eſt de textu, vt ego in multis vetuſtis exemplaribus vidi.* Et qui non eſt Thomiſta, non poteſt rationabiliter aſſerere, eſſe in hac re deceptos, non ſolùm Thomiſtas, ſed etiam præclariſſimos S. Thomæ commentatores. Quod ego vlterius perſuadeo, quia in aliis locis S. Thomas ſemper affert primam reſponſionem, & nunquam ſecundam. Nam infra, art. 5. ad 1. ait, *Potentia intelligitur vt exequens, voluntas autem vt imperans, & intellectus, & ſapientia vt dirigens. Quod attribuitur potentiæ, ſecundùm ſe conſideratæ, dicitur Deus poſſe ſecundùm potentiam abſolutam. Quod autem attribuitur potentiæ diuinæ, ſecundùm quòd exequitur imperium voluntatis iuſtæ, hoc dicitur Deus poſſe facere de potentia ordinata*, dirigere, imperare, exequi imperium, tantam ſine dubio inter ſe diſtinctionem habent, vt ſecundùm rem ipſam præbeant nobis ſufficiens fundamentum diſtinguendi ſcientiam, cuius proprium eſt dirigere; voluntatem, cuius proprium eſt imperare; & potentiam, cuius proprium eſt exequi imperium. Præterea qui docet, potentiam conſiderari ſecundùm ſe, & ſecundùm quod exequitur imperium voluntatis, & multa, imo omnia ſimpliciter poſſe primo modo, quæ non poteſt ſecundo modo, apertiſſimè ſupponit, potentiam eſſe ratione diſtinctam à voluntate, & voluntatem à potentia: alioquin idem imperaret ſibi ipſi, & idem poſſet, & non poſſet aliqua. Et ſupra quæſt. 19. art. 4. ad 4. *Vnius, & eiuſdem effectus, etiam in nobis, eſt cauſa ſcientia vt dirigens, qua concipitur forma operis; & voluntas vt imperans, quia forma, vt eſt in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc quòd ſit, vel non ſit in effectu, niſi per voluntatem. Sed potentia eſt cauſa vt exequens, quia nominat immediatum principium operationis. Sed hæc omnia in Deo vnum ſunt.* Nihil clarius pro hac concluſione dici poterat, potentiæ, non voluntati tribuit, eſſe *immediatum principium operationis.* Et ſicut quia proprium ſcientiæ dicitur, dirigere, non poſſumus affirmare, ipſamimet voluntatem eſſe quæ dirigit; ita quia proprium potentiæ dicitur, exequi, non licebit aſſerere, hoc exequendi munus exerceri etiam per ipſam voluntatem vt voluntatem formaliter. Et 1.d.38.quæſt.1.art.2.fin. corp. & ad 1. ad Anibaldum Cardinalem, ait, *Ex ſcientia Dei non procedit opus niſi mediante voluntate imperante, & potentia exequente.* Et 1.d.44.quæſt.1.artic.1. ad 3. *Voluntas ſe habet vt imperans ad opus, quod potentia exequendo educit.*

6. *Alij authores concluſionis.* Alenſ.

Eamdem ſententiam ſequuntur Alenſis loco, & verbis



Riccard. Hugo. Magiſt. Durand. Suarez. Arrubal. Zumel. Machin. Cõtra Scot. Argent. Baſſol. Carthuſ. Caietan. Ferrarienſ. Sylueſt. Valent. Vazq. Trigoſ. Aluarez. Becan. Gonzalez.

verbis citatis ſupra q.19.art.4.n.4. Riccardus 1.d.38.art.1.q.2.& d.45.art.2.q.1. & q.2.§. *Sed contra hanc.* & apud ipſum Hugo de S. Victore, & Magiſter omnium optimè, & clariſſimè. Durand. 1.d.38. q.1. Argentina q.1.art.1.ad 1.3.& 4. vbi videtur ſupponere iſtam concluſionem, ſed deinde 2.d.8.q.1. art.1. apertè probat oppoſitum contra Henricum, & Aureolum. item Suar. in Metaphyſica d.30. ſect. 17. à n.37.& 1.p.tract.1.lib.3.c.9.n.2. Arrubal d.55. c.3. eamdem ſententiam apertè ſupponens. Zumel hîc, d. vnica, concluſ. 3. Machin d.51.ſect.2. contra Scotum 1.d.37.q.1. circa finem; & vltimis verbis, dicentem obiter, & breuiſſimè, *omnipotentia eſt voluntas, ad cuius velle ſequitur rem eſſe.* Et deinde, *voluntate omnipotens agit.* Argentinam ſupra. Baſſolum 1.d.45.q.1.art.4. à quo tamen noſtra concluſio dicitur, *opinio probabilis.* Carthuſianum d.38.q.1. circa finem. Caietanum, §. *Ad cuius euidentiam*, dicentem tantùm ſub dubio de contraria opinione, *fortè verior eſt.* Ferrarienſem 2. con. gen. cap. 1. & c. 10. fin. Sylueſtrum ſuprà. Valentiam hîc, puncto 1. Vazq. d.102.c.3. Trigoſium in Bonauenturam 1.p.q.10. art.4.dub.3. Notando 2. Aluarez de auxiliis d.17. concl.1.& lib.1. Reſponſionum c.6. Notando 5.& cap.7. concl.1. Becanum 1.p.tract.1.c.17.quæſt.2. Gonzalez d.78.num.5.

7. *Probatur ratione.*

Ratio concluſionis à priori ſignificatur verbis S. Thomæ ſupra, quia eſſe principiũ exequutiuum immediatum tranſcendit propriam rationem formalem voluntatis vt voluntas eſt, & ſcientiæ vt ſcientia eſt: nam ſcientia vt ſcientia eſt, in tota latitudine ſuæ genericæ rationis formalis intellectiuæ, ſufficientiſſimè concipitur ſolùm per illuminare, ac repræſentare. Voluntas quoque in ſuo genere volitiui formaliter, nihil aliud habet niſi inclinare, & afficere, &, propter libertatem ſibi intrinſecam, determinare, & applicare ad vnum effectum potius quàm ad alium. Ipſum autem operari, & realiter exequi operationem, neque eſt formaliter ſcire, aut intelligere, neq; formaliter velle, aut applicare, ac determinare. ergo non poſſumus rationabiliter concipere, actũ operandi, & realiter exequendi, prodire immediatè ab intellectu, & voluntate Dei, vt ſunt formaliter intellectus, & voluntas; ergo ab alio attributo ſecundùm rationem diſtincto, quod vocamus omnipotentiam. Vnde ſicut dicimus, Deum ſcire per intellectum, non per voluntatem; & velle per voluntatem, non per intellectum; ita eodem formali modo dicendum, Deum id, quod intelligit, & vult, eſſe operandum, operari per potentiam operatiuam, non per intellectum aut per voluntatem. Enimvero ex terminis ipſis patet, aliud eſſe dirigere operationem, aliud imperare operationem, & aliud exequi operationem. Quapropter tomo 1. q. 12. art. 8. oſtendimus, Deum ſcire creaturas poſſibiles in ſua omnipotentia, non in intellectu, aut voluntate; ideóque in n. 69. negaui hanc cauſalem, Deus ideo poteſt cauſare quia ſcit, ſed potius eſſe veram hanc aliam oppoſitam, ideo ſcit quia poteſt cauſare. Similiter non valet, ideo poteſt cauſare quia poteſt velle, ſed valet, ideo poteſt velle cauſare quia poteſt cauſare.

*Non ſunt idẽ, poſſe velle creare, & poſſe creare.* S. Thomas.

Neque enim ſunt idem omnino, etiam ſecundùm rationem, poſſe velle creare, & poſſe creare: tum quia ex S. Thoma infra art. 5. ad 1. fin. quamuis ſit verum, *ideo Deus aliquid facit, quia vult*, velle enim facere præcedit ipſum facere, tamquam cauſa effectum; tamen falſum eſt, *ideo poteſt facere quia vult, ſed quia talis eſt in ſui natura.* ergo potentia Dei præcedit eius voluntatem: tum quia Deus non poteſt velle, v.g. hircoceruum, quia non poteſt facere: tum quia Deus nunc habet potentiam creandi hodie Petrum, non autem habet potentiam volendi hodie creare Petrum, quia Deus non poteſt hodie incipere velle, ſicut poteſt hodie incipere creare: tum quia rectè dicimus, Deum, poſtquam voluit non creare alium mundum ſimpliciter poſſibilem, poſſe velle creare illum; & tamen facta quacumque ſuppoſitione, ſemper rectè dicimus, poſſe creare alium mũdum ſimpliciter creabilem.

8. *Ratio Durandi.*

Arguo ſecundò ratione Durandi 1.d.38.q.1.n.7. quam efficacem eſſe exiſtimo, & ita accipio. Illud, inquit, *quod ſecundùm ſuam propriam rationem æqualiter ſe habet ad creabilia, & non creabilia, non eſt ſecundùm ſuam propriam rationem principium, ſeu cauſa producendi aliquid:* quia quod natura ſua eſt cauſa alicuius effectus productiua, ſiue exequutiua, debet in ſua natura vel formaliter vel eminenter cõtinere illum effectum, & non oppoſitum illius, alioqui non magis diceretur cauſa productiua effectus, quàm non effectus; ergo debet eſſe determinatum ad agendum, & non indifferens ad agendum, & ad non agendum. *Sed actus intelligendi diuinus, & volendi, conſiderati ſecundùm ſuam propriam rationem æqualiter ſe habent ad creabilia, & non creabilia*; quia voluntas Dei ex natura ſua non magis habet velle creare, quàm velle non creare, cùm ad vtrumlibet libera omnino ſit, & æquè indifferens; & conſequenter, intellectus tam proponit voluntati modum, & rationes creandi, quàm non creandi. *Ergo prædicti actus, conſiderati in Deo ſecundùm ſuas proprias rationes, non ſunt ei ratio producendi immediatè aliquid.* Ergo hæc in Deo concipi, & eſſe debet aliquid, ratione diſtinctum ab intellectu, & voluntate.

9. *Prima obiectio.*

Obiicies ex Argentina ſupra primò. *Quæ ſunt ſparſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus, vt patet per auctorem de cauſis:* ſicut in nobis ſunt diuerſæ virtutes cognitiuæ, tam ſenſitiuæ, quàm intellectiuæ; in Deo autem eſt vna ſimpliciſſima intelligentia. ergo licèt in nobis alia ſit virtus producendi, alia volendi, tamen in Deo vna ſimpliciſſima virtus concipienda eſt, quæ imperat productionem, & proſequitur.

*Reſpondetur, quæ sũt ſparſa in inferioribus, aliquãdo non eſſe vt vnum concipiẽda in Deo.*

Reſpondeo, illam propoſitionem eſſe accipiendam tantùm de rationibus ſparſis, ſed conuenientibus intra latitudinem genericam alicuius perfectionis formalis ſimpliciter ſimplicis; tunc enim quælibet ratio ſparſa, ac diuiſa, eſt limitata intra latitudinem illius perfectionis, v.g. intelligendi, volendi, operandi, &c. ergo imperfecta, & non diuina: non autem de rationibus ſparſis, ſed non conuenientibus in latitudine alicuius vnius genericæ rationis formalis, vt in ſuperiori tomo non ſemel fuſius declaratum eſt; tunc enim vna ratio formalis præcisè, & analogicè conſiderata excludit, ſeu non includit aliam in ſuo conceptu formali, & intrinſeco; ergo etſi poſſint identificari actualiter in re, tamen non poſſunt identificari etiam virtualiter, & conceptibiliter; alioquin eadem propoſitio probaret etiam in diuinis intellectum eſſe de intrinſeco conceptu voluntatis, & perſonalitatem de intrinſeco cõceptu naturæ, quæ exiſtimo eſſe euidenter falſa. Cum igitur neque intellectiuum præcisè vt intellectiuum, neque volitiuum præcisè vt volitiuum, includant facere, & exequi, cum reſpectu aliarum operationum extra intelligentem, & volentem, habeãt modum agendi intentionalem, non realem, vt probatum eſt, pro hoc actu aſſignari debet in Deo alia perfectio ſecundùm rationem genericè diſtincta, quæ vocatur potentia actiua, & magis propriè exequutiua.

10\. *Secũda obiectio.*

Obiicies ſecundò. Iſta potentia creatiua, eſſet in Deo immaterialis, & non organica. ergo eſt reflexiua ſuper ſe ipſam ſecundùm propriam operationem, *ſecundùm quod dicit Proclus.*

*Reſpondetur, potẽtiã creatiuam in Deo eſſe aliqua ratione reflexiuam.*

Reſpondeo, non eſſe immediatè ita reflexiuam, ſicut ſunt ſolùm intellectus, & voluntas, ſed mediatè; quia propter eſſentialem coniunctionem, imo identitatem, quam in Deo habet potentia creatiua cum intellectu, & voluntate, poteſt Deus per intellectum, & voluntatem ſuam reflectere ſe ſupra potentiam ſuam creatiuam, & creationem, intelligendo, & volendo quod potentia illa creet. Neque cenſendus eſt Proclus plus velle.

11\. *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò, argumentum, quod etiam Baſſolus ſupra proponit ſecundo loco. Potentia iſta creatiua æterno tempore fuit ſine actu, ergo in tẽpore eſt mutata. Quod ſi dicas, idem argumentum probare mutationem diuinæ voluntatis, quæ per contrariam opinionem ponitur eſſe ipſa potentia creatiua; dat diſparitatem Argentina, *quia voluntas Dei fuit ab æterno coniuncta ſuo actui ſecundo; eadem enim volitione, qua Deus ab æterno voluit, mundum eſſe productum in tempore, eadem, & non alia produxit mundum in tempore. Non eſt autem ſic de potentia, quia actus illius eſt ſola exequutio imperij voluntatis, quæ quidem exequutio non fuit ab æterno.*

*Reſpondetur, afferendo inſtantiam de voluntate.*

Reſpondeo, hac diſparitate verè non tolli vim inſtantiæ factæ; quia actus ſecundus voluntatis, vt voluntatis, eſt quidem velle creare; tamen actus ſecundus volũtatis vt eſt formaliter potentia creatiua, & exequutiua creationis, ſicut ponitur ab arguente, non eſt formaliter velle creare, quod fuit ab æterno, ſed eſt formaliter actu creare, quod fuit in tempore. Neganda igitur eſt conſequentia in vtraque opinione; quia creatio, quam ſolam nunc cum arguente ſupponamus eſſe actum ſecundum potentiæ creatiuæ, eſt extrinſecus illi potentiæ, & non in illa immanens, ſed ab illa tranſiens; & præterea non procedit ab illa neceſſariò, ſed liberè per ſubordinationem ad liberum imperium voluntatis, quæ poteſt liberè ab æterno ſtatuere, vt actus creationis hoc vel illo tempore ſit ab illa potentia, vel ab ipſamet voluntate, prout ponitur eſſe potentia exequutiua creationis.

12\. *Quarta obiectio.*

Obiicies quartò, ſi eſt in Deo iſta potentia creatiua, ergo non habet aliquod obiectum primarium ſpecificatiuum intra Deum, ſed ſolam creationem, & creaturam extra Deum: quod abſurdum eſt aſſerere de aliqua diuina perfectione exiſtente formaliter in Deo.

*Reſpondetur, declarando, quo modo potentia creatiua ſpecificetur à creatura.*

Reſpondeo, potentiam Dei creatiuam ſpecificari à creatura, non ſecundùm ſe conſiderata, quod eſſet inconueniens; ſed vt virtualiter contenta in ipſamet potentia, & eminentiſſima perfectione creatoris, cuius eſſentialis participatio, non ſolùm in genere cauſæ efficientis, ſed etiam in genere cauſæ formalis exemplaris, eſt quælibet creatura.

*Quid ſit, Deũ poſſe creare.*

Verè enim, Deum poſſe creare, nõ eſt ſolùm poſſe facere ſimpliciter creaturam; ſed addi debet, eſſe poſſe facere creaturam communicando illi ſuum eſſe, nimirum inadæquatè, & partialiter. In quo toto conceptu ſpecificatiuum primarium, & directum eſt ipſum eſſe diuinum, quod per potentiam creatiuam, & creationem communicatur à Deo, & participatur à creatura; ſecundarium, & indirectum, ſeu terminatiuũ, eſt creatura, quæ ex huiuſmodi communicatione, & participatione reſultat.

13\. *Quinta obiectio.*

Obiicies quintò, ex Baſſolo ſupra. Quia voluntas diuina eſt potentia quædam motiua ſiue actiua; ergo eſt omnino perfecta in genere potentiæ motiuæ, vel actiuæ. ergo includit omnem potentiam motiuam vel actiuam. Qua ratione potiſſimũ nituntur Vazq. ſupra n.9. Gonzalez n.6. & alij.

*Reſpondetur, voluntatem eſſe potẽtiam motiuam intentionalem, non realem.*

Reſpondeo, eodem argumento, ſi vim haber, probari, voluntatem eſſe etiam intellectum, quia hic etiam eſt cauſa rerum effectiua, ſupra q.14. art. 8. Quapropter diſtinguendum eſt antecedens, voluntas eſt potentia motiua ſiue actiua, tamen intentionalis, hoc eſt, intra ipſum volentem, inclinando illum, & inducendo, & determinando, & imperando vt agat per alias potentias; non autem realis, hoc eſt, re ipſa immediatè exequendo actus aliarum potentiarum extra ipſam voluntatem. Quare ob perfectionem infinitam, quam vt diuina, habere debet in tota latitudine generis ſui, non eſt neceſſarium vt includat perfectionem etiam potentiæ realis, ſiue exequutiuæ, ſed ſatis eſt ſi includat infinitam perfectionem in ſuo genere potentiæ intentionalis inclinatiuæ, & imperatiuæ.

14\. *Sexta obiectio Aluarez.*

Obiicies ſextò, ex Aluarez de auxiliis d. 17. concl.1. & lib.1. Reſponſionum c.7. concl.1. *Natura diuina eſt purè intellectualis: ergo in ea non poteſt eſſe alia potentia niſi intellectus, & voluntas, vt dicit Auguſtinus 21. de Trinit. cap. 2.*

*Reſpondetur, potẽtiã creatiuã Dei eſſe aliquo modo intellectualẽ.*

Reſpondeo, illud, *purè*, ſicut non excludit voluntatem, quæ non eſt intellectus, ſed inclinatio in rem intellectam; ita neque debet excludere potentiam exequutiuam, quæ dici etiam aliqua ratione poteſt intellectualis, in quãtum per illam Deus exequitur res intellectas, & volitas. Locum Auguſtini non inuenio, quia totum illud opus de Trinitate quindecim libris abſoluitur; nec etiam lib. 12.c.2. aliquid tale reperio: ne quis putet 21. pro 12. numeris tranſpoſitis eſſe poſitum.

15\. *Septima obiectio.*

Obiicies ſeptimò, ex eodem, cit. c.7. ex S.Thoma, quod explicaui ſupra q.20. art.2. n.2. *Amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus. ergo præter intellectum, & voluntatem non eſt in Deo conſtituenda tertia potentia exequutiua.*

*Reſpondetur, voluntatẽ infundere bonitatem imperatiuè, non exequutiuè.*

Reſpondeo, ad ſaluandum dictum S. Thomæ ſatis eſt, vt voluntas Dei ſit infundens, & creans imperatiuè, non exequutiuè. Nam cùm ſit efficaciſſima, & firmiſſima, ita vt implicet contradictionem, Deum velle aliquid, & illud non fieri, tribuitur tali voluntati non ſolùm imperare, ſed etiam ipſum facere. Vnde Pſalm.148. dicitur, *Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.*

*Exponitur locus Pſalm. 148.*

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm potentia Dei ſit infinita.*

### Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur quòd potentia Dei non ſit infinita, &c.

### COMMENTARIVS.

Conclvsio affirmatiua, quæ eſt intelligenda non ſolùm de potentia infinita, quaſi materialiter, nempe ratione eſſentiæ infinitæ, cuius eſt potentia; ſed formaliter, ſub præciſa, & formali ratione potentiæ, vt contra Durandum probaui in ſuperiori tomo quæſt.7. art.3. dub.11. num.15. & ſupponit, ac demonſtrat ratio S.Thomæ hîc, dum ex infinitate eſſentiæ probat infinitatem potentiæ, de qua materia quamplurima dicenda eſſent, niſi de omnibus ſatis ſupérque tractatum fuiſſet in cit. quæſt.7.





## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Deus ſit omnipotens.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd Deus non ſit, &c.

### COMMENTARIVS.

Conclvsio affirmatiua remanet ſufficientiſſimè probata ex dictis in eadem q.7. de infinitate Dei, quæ præterea addit S. Thomas in corpore de ratione formali propter quam res dicantur poſſibiles, vel impoſſibiles, & vera euidenter ſunt, & ab eo clariſſimè explicantur, ac probantur.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm Deus poſſit facere quòd præterita non fuerint.*

### Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd Deus poſſit facere, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Reſpondetur negatiuè in ſenſu compoſito, & affirmatiuè in vno ſenſu diuiſo. n.1. & 2.*

2 *Reſpondetur negatiuè in alio ſenſu diuiſo. n.3. & 4.*

### COMMENTARIVS.

1\. *Concluſio negatiua in sẽſu compoſito.*

Conclvsio negatiua, quæ accipiẽda eſt in ſenſu compoſito, quem ſenſum manifeſtè exprimunt illa verba ad primum, *ſi conſideretur præteritum ſub ratione præteriti, ipſum non fuiſſe eſt impoſſibile, non ſolùm per ſe, ſed abſolutè contradictionem implicans.* Eumdem ſenſum tantùm probat ratio articuli, qua ex eo quòd, rem eſſe præteritam, ſit, rem fuiſſe; deducitur, quòd ſi Deus poſſet facere, præteritum non fuiſſe, poſſet facere, eamdem rem fuiſſe ſimul, & non fuiſſe; quæ eſt aperta contradictio.

2\. *An idem ſit poſſibile in sẽſu diuiſo.* *Reſpondetur affirmatiuè in vno ſenſu.*

Loquendo autem in ſenſu diuiſo, rem præteritam non fuiſſe, poteſt accipi duobus modis, primò de re abſolutè, & ſecundùm ſe, & in hoc primo ſenſu diuiſo poteſt ſine dubio illud eſſe verum; quia quæcumque creatura, quamuis de facto præterierit, & fuerit, ſicut ſecundùm ſe, & reſpectu Dei illam liberè creantis, ita fit præſens, vt poſſit non fieri præſens, ſic ita fit præterita vt potuerit non fieri præterita, nimirum negando illi præſentiam, & conſequenter præteritionem, quæ eſſentialiter præſupponit antecedentem præſentiam deperditam.

3\. Secundò de re ſimul cum præteritione, quæ tamen res accipiat quidem non fuiſſe, ſed per hoc diuidatur à præteritione, & non componat cum illa: ſicut Petrus, v.g. ſedens, poteſt in ſenſu diuiſo fieri ſtans, & non ſedens, quia poteſt ſeparari à ſeſſione, & accipere in ſe negationem ſeſſionis. Sic igitur in caſu noſtro quæri poteſt, an Adam, qui de facto fuit, & præteriit, ſicut potuit nunquam coniungi cum præteritione, vt in primo ſenſu diuiſo, ita cõiunctus ſemel cum præteritione, poſſit, ſaltem per diuinam omnipotentiam ab illa ſeparari. Et in hoc etiam ſecundo ſenſu diuiſo intelligo concluſionem huius articuli negatiuam, & accipio Syluestrum 1.p. conflati q.25. art.9. docentẽ, *Quòd Deus non poteſt Adam ſpoliare præteritione.* Vnde ita concludit, *Non poteſt ergo facere, quòd præteritum non fuerit, in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diuiſo.* Quam diuiſionem exprimit etiam Caietanus hîc, dum ait, *ſenſus quæſtionis eſt, an Deus poſſit explicare rem, quæ præterijt, à præteritione: ſicut quærimus, an poſſit expoliare ſubſtantiam, quæ eſt quãta, à quantitate.*

*Reſpondetur negatiuè in alio ſenſu, cũ Syluestro, & Caietano.*

4\. *Probatur ratione.*

Hunc autem ſenſum ſecundum diuiſum non ita clarè probat ratio articuli, ſicut probat primum ſenſum compoſitum, ſed ſi attentè conſideretur, illum etiam efficaciter demonſtrat, ſic arguo. Res, quæ verè, ac realiter præteriit, non poteſt ſeparari à præteritione: ergo fieri nequit, quòd res præterita non fuerit, niſi in ſenſu compoſito, hoc eſt, componendo, ſeu ſimul ponendo in eadem re, non fuiſſe cum præteritione; quia ſenſus compoſitus eſt contradictorius, vt oſtenſum eſt. antecedens ita probo. Rem eſſe præteritam, importat eſſentialiter, rem aliquando fuiſſe, hoc eſt, habuiſſe eſſe actuale realiter præsẽs extra cauſas in aliquo tempore præſenti, ergo, rem ſpoliari à præteritione, eſt, rem numquam fuiſſe, ſeu, non aliquãdo fuiſſe, & non habuiſſe eſſe actuale extra cauſas realiter præſens in aliquo tempore præſenti: ſicut rem quantam ſeparari à quantitate, eſt fieri non quantam, ſeu poni ſub negatione quantitatis. Cur autem hæc duo, v.g. quantum, & non quantum in eodẽ ſubiecto, ſint poſſibilia, non ſimul, ſed vnum poſt aliud, non autẽ ſic poſſibilia ſint illa alia duo, aliquando fuiſſe, & numquam fuiſſe, ratio reddenda eſt ex natura ipſorum prædicatorum: quia *aliquando fuiſſe*, non ſolùm negat eſſe in hoc tempore ſimpliciter præſens, ſed etiam affirmat idem eſſe rei fuiſſe ſimpliciter præſens in alio præcedenti tempore: ergo *non aliquando fuiſſe*, negat hoc ipſum eſſe ſimpliciter præſens in illo eodem tẽpore præcedenti. ergo iſta contradictio reducitur ad eſſe, & non eſſe ſimpliciter, & ad eſſe præſens, & non eſſe præſens eidem tempori; vbi euidenter apparet apertiſſima implicantia: at verò alia contradictio quanti, & non quanti, non tangit ipſum eſſe, & non eſſe ſimpliciter rei quantæ, ſed ſolùm eſſe, & non eſſe tale, & ſecundùm quid, v.g. materiam primam eſſe quantam, & non quantam, eſſe albam, & non albam, &c. non tangunt ipſum eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale materiæ, ſed tantùm eſſe accidentale ſuperadditum, & ſeparabile ab alio eſſe; & ideo ſub hoc eſſe modo poteſt intelligi quantitas, modo negatio quantitatis reſpectu diuerſorum temporum in ſenſu diuiſo ſucceſſiuo. In caſu autem noſtro eadem materia ſecũdùm ſuum eſſe ſimpliciter eſſet in hoc tempore, nam propter hoc dicitur, *aliquando fuiſſe*; & ſecundùm idem eſſe ſimpliciter non eſſet in hoc eodem tempore, nam propterea diceretur eadem, *nũquam fuiſſe*, ſiue, quod idem eſt, *non aliquando fuiſſe*; quæ eſt vera, ac propria cõtradictio, vt patet. Et ideo ſapienter, & acutè S. Thomas huiuſmodi contradictionem de præterito, reduxit ad clariorem contradictionem de præſenti; nam initio corporis, *Præterita non fuiſſe, cõtradictionem implicare*, ita probat; *ſicut enim contradictionem implicat dicere, quod Socrates ſedet, & non ſedet; ita quòd ſederit, & non ſederit.* quia ſcilicet, ſediſſe, v.g. heri, & nunquam ſediſſe, ac proinde non ſediſſe heri, referuntur neceſſariò ad ſedere, & non ſedere in eodem præſenti die. Sicut igitur hæc duo de præſenti clarè implicant, ita & illa duo de præterito. Et 1.d.42. q.2. art.2. circa medium. *Non poteſt facere, quòd illud, quod præteritum eſt, non fuerit: quia quod eſt, neceſſe eſt*

*Cur ſint incompoſſibilia, aliquando fuiſſe, nũquã fuiſſe; & non, rem quãtam fieri non quãtam.*

*Ex S. Thoma cõtradictio de præteritis reducitur ad cõtradictionẽ de præſentibus.*

*eſſe dum eſt, & impoſſibile eſt non eſſe tunc dum eſt: & cum iſta neceſſitate, & impoſſibilitate tranſit in præteritum.* Atque hæc ſatis ſint de re ferè logica, qui plura cupit, legat Ariminenſem 1.d.42. q.1. art.2. concl.3. cuius contraria argumenta proponit, & ſoluit Capreolus 1.d.42.q.1.art.2.cõtra ſeptimam concluſionem; & Antonium Cordubenſem lib.1. q.55.dub.12. qui etſi videantur contrarij, tamen poſſunt intelligi in primo ſenſu diuiſo, non in ſecundo, & multo minus in ſenſu compoſito, vt verè, atque eruditè oſtendit Vazquez hîc d.105. Valent. puncto 3.

Ariminenſis. Capreolus. Corduba. Vazq. Valent.

## ARTICVLVS V.

*Vtrùm Deus poſſit facere quæ non facit.*

### Ad quintum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non poſſit facere, &c.

### COMMENTARIVS.

CONCLVSIO affirmatiua eſt de fide, quia in Scriptura ſæpe dicũtur poſſe fieri à Deo nonnulla, quæ non fiunt. Quæ autem, & quot, & quanta ſint hæc, conſtat abunde ex dictis in quæſtione ſeptima de infinitate Dei. Pendet etiam concluſio ex libertate Dei in cauſando, de qua ſupra q.19.art.3. Cœtera, quæ in textu habentur, quamuis ſubtilia ſint, tamen à S.Thoma ſufficienter probantur, & declarantur.

## ARTICVLVS VI.

*Vtrùm Deus poſſit meliora facere ea, quæ facit.*

### Ad ſextum ſic proceditur. Videtur quòd Deus non poſſit meliora, &c.

### SVMMA COMMENTARII.

1 *Idem non poteſt fieri ſe ipſo melius eſſentialiter, ſed accidentaliter.n.1.& 2.*
2 *Quacumque re poteſt fieri alia melior, etiam eſſentialiter.num.3.*
3 *An Deus poſſit aliquid facere melius.n.4.*
4 *An hoc vniuerſum poſſit fieri melius.n.5.*
5 *An aliud vniuerſum.n.6.*
6 *Nihil poſſe fieri melius quibuſdam rebus iam factis.num.8.*

### COMMENTARIVS.

1\. EX doctrina totius articuli colligi poſſunt iſtæ ſeptem concluſiones, in quibus nulla ferè eſt difficultas.

*Prima cõcluſio negatiua de melioratione quoad eſſentiam.*

Prima concluſio. *Quantùm ad bonum, quod eſt de eſſentia rei, Deus non poteſt facere aliquam rem meliorem, quàm ipſa ſit.* Nam ſi homo, v.g. non haberet eſſe rationale, ſed aliquam aliam eſſentialem differentiam, quantumuis nobiliorem, iam non eſſet homo; ſicut ſi fieret additio quaternario, iam non eſſet quaternarius: *quia,* vt clariùs ratiocinatur 1. d.44.q.1.artic.1.circa medium corporis, *ſecundùm Philoſophum in 8.Metaph.t.10. Sicut numeris vnitas addita, vel ſubtracta, ſemper variat ſpeciem; ita in diffinitionibus differentia addita, vel ſubtracta.*

Ariſtot.

2\. *Secunda concluſio affirmatiua de melioratione accidentali.*

Secunda concluſio. *Secundùm bonum, quod eſt extra eſſentiam rei, ſicut bonum hominis eſt eſſe honeſtum, vel ſapientem, poteſt Deus res à ſe factas facere meliores:* quia cuilibet rei poteſt conferre accidentia perfectiora, quàm de facto habet, v.g. homini maiorem ſapientiam, gratiam, gloriam, &c.

3\. *Tertia concluſio. Data quauis re fieri poteſt alia melior, etiam eſſentialiter.*

Tertia concluſio. *Simpliciter loquendo, qualibet re, à ſe facta, poteſt Deus facere aliam meliorem.* Illud, *ſimpliciter loquendo*, iuxta ſuperius dicta, & veritatem, intelligendũ eſt de *facere meliorem*, tam quoad bonitatem, & perfectionem accidentalem, quàm ſubſtantialem, & eſſentialem; idque ſine vllo prorſus termino; qui, vt cum eodem S.Thoma, & communi ex inſtituto probaui tomo 1.q.7. art.3. dub. 11. diuina omnipotentia nullum habet terminum, neque in indiuiduis vnius ſpeciei, neque in magnitudine, neque in intenſione qualitatis, neque in ipſis ſpeciebus, & eſſentiis.

4\. *Quarta concluſio de modo, quo dici, vel non dici poteſt Deus facere melius.*

Quarta concluſio. *Cùm dicitur, Deum poſſe aliquid facere melius quàm facit, ſi ly, melius, ſit nomen, verum eſt; qualibet enim re poteſt facere aliam meliorem; eamdem verò poteſt facere meliorem quodammodo, & quodammodo non.* hoc eſt meliorem accidentaliter, non meliorem eſſentialiter. *Si verò ly, melius, ſit aduerbium, & importet modum ex parte facientis; ſic Deus non poteſt facere melius quàm ſicut facit, quia non poteſt facere ex maiori ſapientia, & bonitate. Si autem importet modum ex parte facti; ſic poteſt facere melius: quia poteſt dare rebus à ſe factis meliorem modum eſſendi, quantum ad accidentalia, licèt non quantum ad eſſentialia.* Ita in reſpõſione ad primum. Tota concluſio continetur in præcedentibus. Solùm additur, non poſſe facere meliori modo ex parte facientis Dei. Quod eſt ita certum, ſicut certum eſt, Deum quicquid facit facere cum omnino infinita ſapientia, bonitate, & potentia; quo agendi modo neque ipſemet Deus habere poteſt perfectionem, neque aliud quodcumque agens habere poteſt æqualem.

5\. *Quinta concluſio. Hoc vniuerſum non poteſt fieri melius.*

Quinta concluſio in reſponſione ad tertium. *Vniuerſum, ſuppoſitis iſtis rebus, non poteſt eſſe melius propter decentiſſimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum vniuerſi conſiſtit. Quorum ſi vnum aliquod eſſet melius, corrumperetur proportio ordinis: ſicut ſi vna chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia.* Hæc concluſio, quam ſignificat Auguſtinus de quantitate animæ cap. 33. poſt medium, illis verbis, *Qua etiam factum eſt, vt non modò ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, vt omnino melius eſſe non poſſint.* Et lib.3.de libero arbitrio cap.5. paulo poſt principium, *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, tãquam bonorum omnium conditorem.* Et infra, *neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit,* impugnatur ab Aureolo, contra quem defenditur à Capreolo 1.d.43.q.1.artic.2.contra octauam concluſionem, impugnatur etiam à Durando 1.d.44. q.3. in cuius ſententiam inclinant Suar.1.p.tract. 1.lib.3.c.9.n.27.Vazquez d.107.c.3.Sed ex eodem S.Thoma bene probat Capreolus ſupra ad 2. Aureoli contra octauam concluſionem, eſſe intelligendam hanc concluſionem *de partibus mundi, & vniuerſi, quæ principaliter habent ordinem ad incorruptibilitatem: illas enim omnes oportet renouari, & meliorari, vna meliorata; ne ſit deformitas in vniuerſo*; tales autem eſſe ait cum S.Thoma, corpora cœleſtia, ſecundùm ſui naturam incorruptibilia, & ſecundùm totum, & ſecundùm partes; & elementa, corruptibilia quidem ſecundùm partes, ſed incorruptibilia ſecundùm totum; & homines, corruptibiles ſecundùm totum, & ex parte corporis, non ex

*Probatur ex Auguſtino.* Aureolus. Capreolus. Durandus. Suarez. Vazquez. *Explicatur concluſio ex Capreolo.*

parte



parte animæ: non eſſe autem cœtera mixta omnino corruptibilia. *Omnes enim partes vniuerſi,* inquit S. Thomas de potentia quæſt.5. artic.9. *ordinantur ſicut in finem, ad completionem vniuerſi. Ad quem quidem finem, nullum mixtum præter corpus humanum ordinatur, ſicut per ſe, & eſſentialiter de perfectione vniuerſi exiſtens.* Et ad ſummum iſta alia mixta, vt paulo poſt addit, *pertinent ad perfectionem vniuerſi ſub motu exiſtentis; non autem ad perfectionem vniuerſi ſimpliciter: & ideo ceſſante mutabilitate vniuerſi, oportet quòd prædicta ceſſent.* Cum hac limitatione ceſſant omnia argumenta aduerſariorum huius concluſionis, quia probant ſolùm ſeruari eumdem ordinem, ſiue proportionem, & harmoniam vniuerſi, ſi meliorentur, vel deteriorentur aliæ partes indiuiduales, vel etiam ſpecificæ, non principales. Enimvero, vt prudenter docet Capreolus ſupra ad 3. *Impoſſibile eſt, quòd vna pars principalis, & eſſentialis vniuerſi melioretur ſecundùm totam ſpeciem, alijs nullo modo melioratis, quin ſit notabilis diſſonantia, ſi prius erat debita harmonia.*

S.Thom.

6\. *Sexta cõcluſio. Poteſt fieri aliud vniuerſum melius.*

Sexta concluſio in eadem reſponſione ad 3. *poſſet Deus alias res facere, vel alias addere illis rebus factis, & ſic eſſet illud vniuerſum melius.* Huius concluſionis clariorem, & fuſiorem explicationem tradit S.Thomas 1.d.44. quæſt.1. art.2. Loquitur igitur non de hoc vniuerſo, cum iſtis partibus, quas de facto habet, quod negauerat fieri poſſe melius, hoc eſt, cum meliori ordine partium adinuicem, in quo ordine bonum vniuerſi conſiſtit, ſed de alio vniuerſo, quod dupliciter fieri poteſt melius hoc. primò mutando omnes partes in alias ſpecie diſtinctas perfectiores: & hoc vocat S. Thomas, fieri melius quaſi intenſiuè. Secundò addendo plures alias partes omnibus iſtis partibus remanentibus, v.g. plures cœlos, plures alias perfectiores ſpecies ſubſtantiarum intellectualium, *cùm etiam inter ſummam creaturam, & Deum infinita diſtantia ſit,* vt optimè ratiocinatur S.Thomas cit.art.2. & latius oſtenſum eſt q.7.art.3.dub.11.num.3.& 14.

7\. *Septima concluſio. Nihil melius fieri poteſt quibuſdam rebus iã factis.*

Septima concluſio in reſponſione ad 4. Dantur de facto in hoc vniuerſo quædam res adeo perfectæ ſub aliqua ratione, vt ſub eadem ratione neque ipſæ, neque aliæ quæcumque res eſſe poſſint meliores. Huius generis ſunt, inquit S. Thomas, *Humanitas Chriſti, ex hoc quòd eſt vnita Deo; & beatitudo creatà, ex hoc quòd eſt fruitio Dei; & Beata Virgo, ex hoc, quòd eſt mater Dei; quæ res habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus. Et ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius eis; ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo.* Eadem ratione ex 1.d.44. quæſt. 1. art.2. addi poteſt hoc ipſum vniuerſum, quatenus ordinatum ad præcipuum finem ſuum, qui eſt Deus; ſic enim non poteſt aliquod vniuerſum eſſe melius, hoc eſt, *in meliorem finem ordinari.* Quod, vt patet, commune eſt cuilibet creaturæ. Inter has res Suarez 1.p.tract.1. lib.3.cap. 9.num.26. numerat præterea hominem, quia, inquit, *in hoc vniuerſo corporeo non potuit fortaſſe eſſe nobilior natura, quæ illi præeſſet, in eodem genere corporalium rerum, quàm ſit homo: quia fortaſſe non poteſt eſſe natura corporalis, & rationalis; alterius ſpeciei.* Idemque dixit Vazquez d. 107. cap.2. fin. *eſſe multo probabilius.*

Suarez. Vazquez.

8\. *Explicatur limitatio cõcluſionis ex S.Thoma.*

Dixi in concluſione, *ſub aliqua ratione*, quod S.Thomas vocat, *ex hac parte*: quia, vt bene declarat S.Thomas 1.d.44.q.1.art.3. poteſt eſſe aliquid melius iiſdem rebus conſideratis ſub aliis rationibus, v.g. Chriſto conſiderato ſecundum naturam humanam melior eſt Angelus. Beatitudo creata ſemper in infinitum poteſt intenſiuè meliorari. Quamquam, vt probabiliter opinantur Suarez ſuprà, & alij, *Gratia, & gloria ſunt talis perfectionis eſſentialis, vt non poſſit fieri in ordine qualitatum altior, aut maior perfectio intellectualis naturæ.* Demum Beata Virgo ſuperatur in natura ab Angelis, & in gratia, ac gloria ab humanitate Chriſti: à qua etiam ſuperatur in puritate; quia, vt ait S. Thomas 1. d.44. quæſt.1. artic.3. ad 3. *erat in Virgine potentia ad peccandum*, quæ Chriſto repugnat. Sed loquendo de puritate actuali, quæ, inquit ibidem S. Thomas, *intenditur per receſſum à contrario, poteſt aliquid creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nulla contagione peccati inquinatum ſit. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Quæ verba attulit ad declarandam celebrem illam Anſelmi authoritatem, *Decuit vt Virgo, quam Deus vnigenito ſuo præparauit in matrem, ea puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi.* In cuius loci commentatione Sylueſter 1.p.conflati quæſt.25. art.15. nimium exceſſit dicens, *Nota, qualiter ignorantes, aut maligni, ſuper illo verbo faciunt feſtum; volentes ex eo habere, quòd B. Virgo fuit ſine originali concepta ſecundùm S. Thomam.* Et addit expoſitionem euidenter inſufficientem; vt propter illam multo maius feſtum facere poſſint eius aduerſarij. Ita igitur addit, *Sed S.Thomas intendit, quòd aliquando fuit immunis, ſcilicet quando fuit mater Domini, vel ad hoc præparata, ſed non ſemper.* Sed contra, tum quia nos etiam dici poſſemus ſimpliciter immunes à peccato originali, quia nos etiam aliquando fuimus immunes. Tum quia Virgo, etiam ſi aliquando peccaſſet actualiter, adhuc poſſet dici immunis à peccato actuali, quia non ſemper peccaſſet. Tum quia S. Thomas apertè loquitur de Virgine taliter pura, *qua nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, per receſſum à contrario,* hoc eſt, impuritate peccati: ſi verò fuiſſet aliquando in peccato originali, poſſet eſſe aliquid purius; vel quia creari poſſet alia fœmina cum eadem gratia, quam habuit Virgo, & ſine peccato originali; vel quia ipſamet Virgo ſi peccatum originale habuit aliquando, hoc eſt, aliquo tempore, potuiſſet illud habere ad breuius tempus, & ita potuit eſſe purior ſeipſa. Tum quia illa loquutio, *Fuit immunis à peccato originali*, eſt ſimpliciter, & abſoluta, ad explicandam maximam puritatem immaculatæ Virginis: ergo voluntariè, & contra expreſſam mentem loquentis, limitatur ad immunitatem *aliquando, ſed non ſemper*; verùm hæc fuſius perſequi non eſt huius loci.

*De puritate immaculatæ Virginis ex S.Thoma.* Anſelm. Sylueſter. *Reijcitur expoſitio Sylueſtri.*

## QVÆSTIO XXVI.

*De diuina Beatitudine, in quatuor articulos diuiſa.*

### Vltimò autem poſt conſiderationem eorum quæ ad, &c.

ARTI

## ARTICVLVS I.

### *Vtrùm Beatitudo Deo competat.*

### Ad primum ſic proceditur. Videtur quòd Beatitudo Deo non,&c.

1\. *Prima cõcluſio affirmatiua.* *Exponitur locus ad Timotheum 6.* *Ratio cõcluſionis.*

PRIMA concluſio de fide, *Beatitudo maximè Deo competit.* Vnde antonomaſticè & abſolutè dicitur Beatus à Paulo 1. ad Timoth. 6. *quem,* hoc eſt, Ieſum Chriſtum, *ſuis temporibus oſtendet Beatus, & ſolus potens, Rex regum,* &c. Ratio euidentiſſima ducitur ex natura beatitudinis,& ex perfectionibus,quas eſſe in Deo fides docet.Eſt enim beatitudo *ſtatus quidam omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ergo ille propriiſſimè & maximè beatus eſt, qui omnia bona perfectiſſimo modo habet; ita vt nullo bono careat, aut carere poſſit,nullius indigentiam habeat, nihil deſideret,& hãc ſuam perfectiſſimam bonitatem ſemper comprehendat, & amet cum ſumma ſatietate abſque vllo deſiderio ac faſtidio. Huiuſmodi autem eſſe Deum, nullus eſt, qui naturæ ac fidei lumine Deum agnoſcat,& non fateatur. Enimvero ſi fidei credimus, Angelos & homines eſſe beatos ex eo,quod finito modo vident & amant diuinum bonum ipſis extrinſecum, quantò magis credendũ eſt, beatum eſſe Deum, qui hoc ipſum bonum per ſummam idẽtificationem,independentiam, & neceſſitatem ex intrinſeca natura & eſſentia ſua poſſidet,& comprehendit, atque amat,modo prorſus infinito. In Deo etiam,vt dicitur hic ad 1. eſt omnium bonorum aggregatio,*non per modum compoſitionis,* qui imperfectionem includit, *ſed per modum ſimplicitatis,*qui eſt perfectiſſimus habendi modus.

2\. *Secunda concluſio beatitudo in Deo non eſt præmiũ, ſed natura.*

Secunda concluſio.Beatitudo Dei increata non habet rationem præmij virtutis, ſicut habet beatitudo creaturarum,ſed maximè connaturaliter & eſſentialiter Deo competit. Ita hic ad 1. & patet, quia Deus,vt dictum eſt,non eſt beatus dependenter ab aliquo extrinſeco, ſed in ſe ipſo, & per ſe ipſum,& ex ſe ipſo; ergo non poteſt mereri beatitudinem. Ergo hæc non poteſt eſſe præmium virtutis. Vnde Deus eſt ſibi ſua beatitudo,vt ex inſtituto probat S.Thomas 1.cont.gen.c.101. beatitudini igitur vt ſic,accidit eſſe præmium, in quãtum ſcilicet acquiritur per meritum: ſicut enti vt ſic, accidit eſſe terminum generationis, in quantum ſcilicet acquiritur per dependentiam ab aliquo agente.Sed ſicut eſſe diuinum, quia illimitatum & independens eſt, eſſe non poteſt terminus generationis; ita diuina beatitudo, cùm ſit pariter illimitata atque independens, habere nequit rationem præmij acquiſiti per meritum. S.Thom.

## ARTICVLVS II.

### *Vtrùm Deus dicatur beatus ſecundùm intellectum.*

### Ad ſecundum ſic proceditur.Videtur quòd Deus non dicatur,&c.

1\. *Declaratur titulus quæſtionis.*

INtelligenda quęſtio eſt de beatitudine formali,nam de obiectiua agitur articulo ſequenti, & de illa eſt proportionaliter philoſophandum ſicut de formali creaturarum beatitudine,vt hîc in fine corporis docet S.Thomas,de qua ex inſtituto diſputatur 1.2.quæſt.3.art.4. Vnde ſupponi ac peti debent,vt fuſiùs probata, quæ hoc loco breuiſſimè tanguntur, vt bene notat hic Caietanus.

2\. *Prima cõcluſio affirmatiua.*

Prima concluſio affirmatiua,cuius ſenſus ſecundùm Caietanum & Syluestrum in commentariis huius articuli eſt hic, formalis beatitudo, ſeu ratio, qua Deus conſtituitur formaliter beatus, eſt ſolum operatio intellectus,non autem voluntatis, aut ratio ſubſtantiæ, aut potentiæ, aut aliquod aliud prædicatum, ex iis quæ formaliter ſunt in Deo, ſiue eſſentiale, ſiue attributale, ſiue relatiuum. Quòd beatitudo Dei, ſicut & aliorum beatorum, conſiſtere debeat in aliqua operatione, probatur 1.2.q.3.art.2. ex communiſſima opinione, quam ipſemet Philoſophus expreſsè docuit ac probauit 1.Ethicorum c.5.7. & 8. & 12. Metaph. textu 51. Et ſæpe alibi. quia nomine beatitudinis formalis intelligi debet medium aliquod,quo formaliter apprehendimus & conſequimur, ſeu poſſidemus obiectum beatitudinis;quæ conſequutio operationem aliquam manifeſtè importat.Et quidem intellectualis ſubſtantia, ſiue creata, ſiue increata, ſi concipiatur abſque vlla operatione,concipitur otioſa & imperfecta, & veluti dormiens, quam beatam nemo dixerit, etiam ſi reliqua omnia bona in ſe habere fingatur,tuc enim eſſet beata non formaliter, ſed materialiter, hoc eſt,ſi circa ſua bona non tenderet per actum intellectionis, aut amoris,aut delectationis,aut alterius operationis,ita compararetur ad illa bona,ac ſi ea verè in ſe non haberet, nemo enim beatum in diuitiis ſuis, quantumuis magnis, vocaret eum,qui illas ita habet,vt nec intelligat,nec amet,nec fruatur. Vnde ſapienter S.Thomas artic. præcedente, cùm docuiſſet,*Beatitudinem eſſe ſummum bonum intellectualis naturæ,* vt explicaret formale beatitudinis complementum,ita immediatè ſubdit,*cuius eſt ſuam ſufficientiam cognoſcere in bono quod habet.*

*Beatitudinẽ conſiſtere in aliqua operatione.* S.Thom.

3\. *Beatitudinẽ eſſe operationem intellectus,non voluntatis.*

Quod autem hæc operatio ſit intellectus, non voluntatis, quæ duo tantùm operationum genera in Deo agnoſcimus, breuiter probauit S.Thomas illis verbis,*Perfectiſſimum in qualibet intellectuali natura eſt intellectualis operatio, ſecundùm quam capit quodammodo omnia.* Vbi accipienda eſt perfectio formaliter in ratione perceptionis & poſſeſſionis obiecti beatifici, vt patet ex illa limitatione addita, *ſecundùm quam capit omnia*; non materialiter in ratione rei. Quod aduerto ad vitãdam illam quæſtionem inter Thomiſtas & Scotiſtas & alios, cuius tractatio hoc loco eſſet impertinens, an intellectus perfectior ſit voluntate. Vis igitur optimæ rationis, vberiùs explicatæ 1.2.q.3.art.4. eſt hæc. Beatitudo formalis ſecundùm omnes conſiſtere debet in illa operatione, qua beatus in natura ſua intellectuali, formaliter capit, ſeu percipit,& poſſidet obiectum beatificum: omnes enim concipimus, illum eſſe beatum, qui iam conſequitur & habet quod deſiderauit,at facta comparatione inter actum voluntatis & actum intellectus, hic ex natura ſua eſt adeptio & perceptio obiecti, non ille: & ratio eſt, quia cognitio, cùm ſit expreſſa imago, & actualis repræſentatio obiecti,continet quodammodo in ſe obiectum, & eſt quaſi ipſum obiectum, nimirum in eſſe intentionali, & repræſentatiuo: & ideo ſicut ipſa eſt præſens, ita facit ipſa per ſe obiectum præſens intelligenti, præſentialitate obiectiua; ergo per cognitionem poſſidetur obiectum in ratione obiecti; vnde cognitio ab omnibus vocatur appprehenſio, & perceptio. Quod

*Explicatur ratio S.Thomæ.* *Adeptionem obiecti haberĩ per intellectũ.*



Quod non ſolùm conuenit cognitioni intuitiuæ de re præſente, qualis eſt diuina, de qua nunc loquimur, ſed etiam abſtractiuæ de re abſente, qua concipimus quidem rem abſentem, quæ verè abſens eſt, tamen adhuc facimus rem illam nobis præſentem, nempe per præſentem actualem repræſentationem rei abſentis.In quo cognitio,etiã abſtractiua de re abſente, differt à deſiderio, quia hoc fertur in rem abſentem, etiam ex modo operandi, cùm per illud expreſsè velimus, obiectum abſens fieri nobis præſens: cognitio verò ferri quidem poteſt in obiectum cognitum vt abſens, ſed factum præſens,& obiectiuè poſſeſſum ex modo operandi, nimirum per præſentem expreſſam apprehenſionem, & ſimilitudinem.

4\. *Non haberi per voluntatem.*

Actus verò voluntatis, cùm nihil aliud ſit niſi affectus, & inclinatio in obiectum, non facit ex natura ſua obiectum præſens voluntati,ſed potius voluntatem præſentem obiecto: voluntas enim non trahit obiectum ad ſe, ſicut intellectus, ſed trahitur ab obiecto, *& quaſi exit ad amatum,* vt loquitur hic Caietanus in 2.quæſtione:quamobrem amor obiecti non eſt cõſequutio & poſſeſſio actiua obiecti, ſed potius paſſiua, nimirum per affectum. Vnde amor, vt amor,indifferenter & æquè fertur in rem abſentem per deſiderium, & in rem præſentem per delectationem. Et quando fertur in rem præſentem, præſentialitas non prouenit formaliter ab ipſa dilectione, & delectatione, ſed præſupponitur facta prius vel ab intellectu, vt cùm beatus delectatur de Deo clarè viſo,vel à potentiis exequutiuis, vt cum auarus delectatur de pecunia realiter acquiſita. Vnde optimè S. Thomas 1.2.q.3.art.4. ante medium corporis, negat hanc cauſalem, *Ex hoc aliquid fit præſens, quia voluntas delectatur in ipſo*; & concedit aliam oppoſitam, *Delectatio aduenit voluntati ex hoc, quod finis eſt præſens*; præſentia enim & poſſeſſio boni delectabilis præcedit delectationem, tanquam obiectum præcedit actum; quia delectatio eſt de bono iam adepto, & aliunde poſſeſſo; ergo præſupponit priorem adeptionem, & poſſeſſionem intellectiuam; ergo delectatio de Deo non eſt formaliter ipſa Dei poſſeſſio,ſed hæc eſt viſio Dei: ergo in viſione, non in delectatione conſiſtit formalis beatitudo tam in nobis, quàm in Deo, in quo etiã intellectus eſt intentionalis conſequutio, & poſſeſſio, & ipſa formaliter intentionalis præſentialitas obiecti; & voluntas eſt inclinatio & affectus in obiectum, ex alia formali ratione præſuppoſitum intentionaliter præſens: quoniam hæ ſunt eſſentiales rationes intellectus & voluntatis prout analogicè abſtrahunt ab eſſe creato & increato.

Caietan. S.Thom.

5\. *Declaratur S.Thomas hîc ad 2.*

Hinc percipi poteſt vis rationis S. Thomæ hic ad ſecundum, cui ex dictis eſt aliquid addendum. *Beatitudo,* inquit, *cùm ſit bonum, eſt obiectum voluntatis: obiectum autem præintelligitur actui potentiæ,* deinde ita ſupplendum, ſed obiectum voluntatis eſt bonum iam perceptum, & poſſeſſum per intellectum, in qua perceptione & poſſeſſione ſita eſt formalis beatitudo; ergo, *ſecundùm modum intelligendi, prius eſt beatitudo diuina,quàm actus voluntatis in ea requieſcentis. Et hoc,* ſcilicet actus diuinæ beatitudinis, *non poteſt eſſe niſi actus intellectus. Vnde in actu intellectus attenditur beatitudo.*

6\. *Secunda concluſio. Beatitudo eſt de eſſentia Dei.* *Declaratur S.Thomas hîc ad 1.*

Secunda concluſio. *Deus eſt beatus ſecũdùm ſuam eſſentiam: non autem beatitudo ei conuenit ſecundùm rationem eſſentiæ, ſed magis ſecundùm rationem intellectus.* Ita ad 1. Horum verborum duplicem ſenſum tradidimus in ſuperiori tomo quæſt.4. art.2. n.81. nunc etiam mihi videtur S.Thomas ſumere eſſentiam pro eſſe; quia paulo ante, circa finem corporis præmiſerat, *In Deo non eſt aliud, eſſe & intelligere ſecundùm rem, ſed tantum ſecundùm intelligentiæ rationem,* ergo cùm ſtatim docet, Deum eſſe beatum, *ſecundùm ſuam eſſentiam,* ſolùm intendit, beatitudinem diuinam re ipſa nullo modo differre ab eſſe diuino: quod nullam habet difficultatem,quia beatitudo Dei eſt intelligere Dei;ſed intelligere Dei eſt idem ſecundùm rem cum eſſe Dei;ergo etiam beatitudo Dei;deinde addit,quod ſi eſſe & intelligere in Deo conſiderentur & diſtinguantur ſecundùm rationem noſtram, Deus non eſt beatus formaliter per formalitatem eſſendi, ſed per formalitatem intelligendi;quod ex dictis probatum remanet. Verum ſi loqui volumus formalius de eſſentia Dei, prout diſtinguitur ratione ab attributis,& relationibus,Deus etiam dici debet beatus ſecundùm eſſentiam, imo ſecundùm vltimum & perfectiſſimum gradum conſtitutiuum eſſentiæ, vt expreſsè docet Suarez in metaph.diſp.30.ſect.14.n.18. quia eſt beatus formaliter per actum intelligendi, vt in prima concluſione oſtenſum eſt, actus autem intelligendi eſt perfectiſſima & vltima ratio conſtitutiua eſſentiæ diuinæ, vt ſupra q.4.artic.2.dub.7. Vnde ipſemet gentilis Philoſophus 7.Polit.cap.1. circa medium loquens de Deo, ait, *fœlicem eſſe, atque beatum, non per aliquid externorum, ſed per ſe ipſum, quia talis eſt ſecundùm naturam.*

Suarez. Ariſtot.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrùm Deus ſit beatitudo cuiuſlibet beati.*

### Ad tertium ſic proceditur. Videtur quòd Deus ſit beatitudo, &c.

PONIT Sanctus Thomas duas concluſiones, quæ communiſſimè recipiuntur, & ſi quam habent difficultatem & controuerſiam, alibi ex inſtituto tractatur.

1\. *Prima cõcluſio affirmatiua de beatitudine obiectiua.* Ioann.17. *Ratio cõcluſionis ex S. Thoma.*

Prima concluſio, ſolus Deus eſt beatitudo obiectiua creaturæ intellectualis; ac proinde, *eſt ſummum bonum ſimpliciter, & finis cuius, & vltimus, vt res.* Ita in corpore,& ad 1.& 2.& eſt certum de fide ex illo Ioann.17. *Hæc eſt vita æterna,vt cognoſcant te, ſolum Deum verum.* & fusè probatur à S.Thoma 1.2.q.2. per octo articulos, eiúſque ratio vniuerſalis & optima in articulo octauo eſt, quia ſolus Deus eſt bonum vltimum,& omnium perfectiſſimum, continens in ſe omnem rationem veri boni. *Obiectum autem voluntatis eſt vniuerſale bonum, ſicut obiectum intellectus eſt vniuerſale verum.* ergo voluntatis appetitus non poteſt totaliter quietari niſi in ſolo Deo,quia quęlibet res creata non continet niſi bonitatem limitatam. Vnde Auguſtinus lib.1.confeſſionum c.1. *Feciſti nos Domine ad te,& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* & lib. 5.c.4.initio. *Beatus, qui te ſcit, etiam ſi illa omnia neſciat, qui verò & te & illa nouit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolùm beatus eſt.* ergo ſolus Deus eſſe poteſt obiectum creatæ beatitudinis. Enimvero beatitudinis nomine, quæ eſt vltimus finis, omnes intelligimus, *bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum, alioquin non eſſet vltimus finis, ſi adhuc reſtaret aliquid appetendum.* Et ideo Auguſtinus lib.13.de Trinitate c.5.fine, ita definit, *Beatus non eſt, niſi qui habet omnia, quæ vult, & nihil vult malè.*

Auguſt.

Nyſſen. *malè*. Et Gregorius Nyſſenus lib. de beatitudinibus, circa principium, *Beatitudo comprehenſio quædam eſt omnium bonorum, à qua nihil abeſt eorum, quæ pertinent ad bonorum deſiderium, atque cupiditatem.* Boëtius. Et Boëtius 3. de conſolatione Proſa 2. circa principium, beatitudinem definit, eſſe ſtatum omnium bonorum congregatione perfectum. Et ab ipſomet naturali Philoſopho 1. Ethicorum cap. 7. poſt Ariſtot. principium fœlicitas definitur, *Bonum perfectiſſimum, & ſufficiens*, hoc eſt, vt ipſemet explicat, *quod ſemper per ſe, numquam ob aliud expetendum eſt*; ita vt cùm habetur, nullius vlterioris boni deſiderium relinquat.

2. *Secunda concluſio negatiua de beatitudine formali.* Secunda concluſio. *Beatitudo ex parte actus intelligentis*, quæ vulgo dicitur beatitudo formalis, *eſt quid creatum in creaturis beatis: in Deo autem eſt, etiam ſecundùm hoc, aliquid increatum:* ac proinde, *in creaturis eſt ſummum bonum, non ſimpliciter, ſed in genere bonorum participabilium à creatura; & eſt finis, non cuius, ſed quo.* Ita in corpore, & ad 1. & 2. Hæc concluſio quantum ad id, quod dicitur de beatitudine Dei, eſſe ſcilicet aliquid increatum, quod eſt huius loci proprium, eſt apud omnes prorſus indubitata. Quantum verò ad id quod dicitur de beatitudine creaturarum, inuoluit aliquas quæſtiones, vt, an creaturæ de facto beatificentur, vel ſaltem de poſſibili beatificari poſſint per ipſam increatam Dei beatitudinem, ipſis vnitam; ſicut natura humana in Chriſto per vnionem hypoſtaticam ſubſiſtit ſubſiſtentia increata Verbi: an, poſito quod beatitudo creaturarum, ſit creatus & vitalis actus viſionis eſſentiæ diuinæ, hic actus de facto producatur, vel ſaltem produci poſſit à ſolo Deo. Sed hæc manifeſtè pertinent ad initium primæ ſecundę, vbi ex inſtituto agitur de beatitudine creaturarum; non ad hunc locum, vbi ſolum agitur de beatitudine Dei.

## ARTICVLVS IV.

### *Vtrùm in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.*

Ad quartum ſic proceditur. Videtur quòd beatitudo diuina non, &c.

1. *Concluſio affirmatiua.* RESPONDET, *quòd quidquid eſt deſiderabile in quacumque beatitudine vel vera, vel falſa, totum eminentius in diuina beatitudine præexiſtit.* Falſam beatitudinem vocat, vt ex ſubſequentibus conſtat, beatitudinem terrenam, quam cum Boëtio ait conſiſtere in quinque rerum generibus, in voluptate, in diuitiis, in poteſtate, in dignitate, in fama. Vult igitur, vt ſe explicat ad 1. eſſe in diuina beatitudine quod eſt in beatitudine falſa, non vt formaliter falſa, hoc eſt, *ſecundùm quod deficit à ratione veræ beatitudinis*, ſed vt habet aliquam ſimilitudinem cum vera beatitudine. Vnde, inquit in corpore, diuina beatitudo pro voluptate, ſeu delectatione, *habet gaudium de ſe, & de omnibus alijs*; & vt addit 1. cont. gen. cap. vltimo n. 7. *habet excellentiſſimam delectationem de ſe, & vniuerſale gaudium de omnibus bonis, abſque contrarij admixtione. pro diuitijs habet omnimodam ſufficientiam in ſe ipſo omnium bonorum, quam diuitiæ promittunt; pro poteſtate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium entium primatum, & regimen; pro fama, admirationem omnis intellectus, ipſum vtcumque cognoſcentis.* *Quæ beatitudo dicatur falſa.* *Quo modo beatitudo falſa ſit in diuina beatitudine.*

2. *Probationes concluſionis.* Hæc concluſio in genere probata eſt in 1. tomo q. 4. art. 2. vbi oſtendimus, in diuinis perfectionibus eſſe eminenter omnes creatas perfectiones. Ergo diuina beatitudo adeo perfecta cogitari debet, vt nulla omnino perfectio ſit, aut eſſe poſſit in omnibus creatis beatitudinibus, quæ non actu ſit in illa abſque vlla imperfectione. Deinde facillimè demonſtratur in particulari diſcurrendo per quamcumque creatam beatitudinem, quia ſemper illi correſpondet aliquid infinitè excellentius ex parte beatitudinis increatæ, nam præter terrenas & falſas beatitudines, de quibus dictum eſt, duæ aliæ veræ beatitudines conſiderari poſſunt in creaturis, nempe contemplatiua, & actiua, quæ perfectiſſimo modo ſunt in Deo; qui, vt dicitur hic, & loco citato contra gen. *de contemplatiua fœlicitate habet continuam & certiſſimam contemplationem ſui, & omnium aliorum: de actiua verò, non vnius hominis, aut domus, aut ciuitatis, aut regni, ſed totius vniuerſi gubernationem.*

3. Atque hæc ſatis in hoc ſecundo tomo de iis, quæ pertinent ad diuinæ eſſentiæ vnitatem. Sequuntur quæ pertinent ad Trinitatem perſonarum; in cuius gloriam, ſi vires dederit, tertium aliud integrum volumen ſcribendum paramus. Vtinam ſicut hunc ſecundum tomum diuina beatitudo terminauit; ita idem beatiſſimus finis, tam hos, quàm reliquos vitæ noſtræ labores ſempiterna fœlicitate concludat.

*FINIS.*

INDEX

# INDEX RERVM LOCVPLETISSIMVS.

A


*Actus. Actualitas.*

CONCVRSVS Dei ad Actus liberos eſt ſimpliciter liber: neceſſarius ſecundùm quid. q.14.art.13.n.499

In quo ſenſu Deus dicatur compellere ad Actus liberos. q.14.art.13.n.118

Actus primus, ſiue ſit coniunctus cum actu ſecundo, ſiue non, eſt eſſentialiter actiuus, & receptiuus actus ſecundi. q.14.art.1.n.45

Auguſtini ſenſus de actuum meritoriorum prædefinitione in prædeſtinatis. q.23.art.4.n.71.73

Actus intelligendi quomodo ſit perfectio ſimpliciter. q.14.art.1.n.53

Actus intelligendi in quo ſenſu ab Ariſtotele dicatur eſſe vita. q.14.art.13.n.206

Actus ſupernaturalis conditionatè futurus quas habeat conditiones. q.14.art.13.n.414

Actus liber. Vide *Liber effectus.*

*Accidens.*

Quænam ſint accidentia inſeparabilia. q.15.art.3.n.10. & an de iis detur diſtincta idea in Deo. ibid.

*Adam.*

Adami peccatum fuit neceſſaria conditio ad incarnationem Verbi ex præſenti decreto. q.23.art.1.n.24.& 92

Adami prima gratia an fuerit effectus prædeſtinationis interrupta per peccatum. q.23.art.2.n.28

*Adhortatio.*

Adhortationes Scripturarum ad bene operandum, non tollunt firmum decretum intentionis, de danda gloria prædeſtinatis, independens à meritis. q.23.art.1.n.70

Adhortationes ad bonum non tolluntur poſita electione ad gloriam independenter à meritis; vel æquè impediuntur poſita electione dependenter à meritis. q.23.art.1.n.74

*Æternitas.*

Æternitati Dei res coëxiſtunt ſucceſſiuè. q.14.a.13.n.31

Vide *Dei æternitas. Æuum.*

Æuo futura cur non dicantur coëxiſtere. q.14.art.13.n.44

Æuum quomodo ſemper mutetur de potentia in actum conſeruationis paſſiuæ. q.14.art.13.n.44

*Amicitia.*

Quid ſit, & quî differat à beneuolentia. q.20.ar.2.n.4

*Amor.*

Vide *Bonum. Dei amor. Voluntas.*

Amor eſt primus, & vniuerſalis actus voluntatis. q.20.art.1.n.1

De ratione amoris eſt, quod amans velit bonum amati. q.20.art.1.n.2

Amor amicitiæ quid ſit. q.20.art.1.n.2. & art.2.n.3. quid concupiſcentiæ. q.20.art.1.n.2.& art.2.n.5. quid beneuolentiæ. q.20.a.2.n.4





Amor ſemper comparatur ad duplex obiectum; & ad bonum, quod vult alteri; & ad alterum, cui vult bonum. q.20.art.3.n.3

*Angelus.*

Angeli diuerſimodè participant gradum immaterialitatis. q.14.art.1.n.2

Angelus non poteſt ſe ipſum per ſe intelligere. q.14.art.2.n.8

Angelo competit etiam diſcurſus ſecundùm ſucceſſionem. q.14.art.7.n.2

Angelus ſuperior comprehendit inferiorem; non tamen eius actus liberos. q.14.art.13.n.464

Angeli cognoſcunt ſe ipſos ſine ſpecie. q.16.art.1.n.8

Angeli quantum ad bonum naturæ magis amantur à Deo, quàm homines; quantum ad bona gratiæ, & gloriæ æqualiter. q.20.art.4.n.4

Angeli ſunt etiam prædeſtinati. q.23.art.1.n.5

Angelorum prædeſtinatio dici poteſt etiam *propoſitum miſerendi.* q.23.art.1.n.5

*Anima.*

Anima an poſt reſurrectionem coniuncta cum corpore ſit minus perfectè intellectiua, quàm ſeparata ante reſurrectionem. q.14.art.1.n.24

*Apoſtoli.*

An Deus magis dilexerit B. Petrum, quàm B. Ioannem. q.20.art.4.n.7

Permiſſio peccati quæ bona attulerit B. Petro. q.23.art.2.n.31

*Appetitus. Appetitio.*

Appetitus propriè quid ſit. q.19.art.1.n.3

Appetitus innatus. n.8.9

Implicat vllum appetitum, ſiue rationalem, ſiue animalem appetere malum vt malum. q.19.art.9.n.1

Appetitus, qui per accidens tendit in malum, appetit magis bonum, cum quo ſtat malum, quàm bonum, quo priuat malum. q.19.art.9.n.5

Appetitio prior eſt cognitione. q.16.art.4.n.1

*Ars.*

Ars non eſt proximum principium in rebus artificioſis; ſed ipſa artificis voluntas. q.19.art.4.n.5

Attributa. Vide *Perfectio.*

*S. Auguſtinus.*

Auguſtini mens in illa propoſitione, *Creaturas Deus, non quia ſunt, ideo nouit; ſed quia nouit, ideo ſunt.* q.14.art.8.n.130

Auguſtini mens circa coëxiſtentiam futurorum ad æternitatem. q.14.art.13.n.42.& 60

Auguſtinus apertè docet, cauſam liberam non determinari ab alio, quàm à ſe ipſa. q.14.art.13.n.156. & n.303.& 330.& 338

Auguſtinus admittit ſcientiam conditionalium. q.14.art.13.n.229. in quo ſenſu eam damnet. n.230

Auguſtinum admittere ſcientiam conditionalium ante decretum, aduerſarij, vel nolentes, fatentur. q.14.art.13.n.313.434.& q.22.art.1.n.27

Auguſtinus apertè negat decretum ad actus malos prædeterminandi. q.14.art.13.n.334.& 373

Libros Hypognoſticon non eſſe Auguſtini. q.14. art.13.n.334.& q.22.art.1.n.27. neque reſponſiones ad obiectiones Vincentianas.q.14.a.13.n.335
Examinatur quæſtio propoſita Auguſtino à Proſpero,& Hilario,& Auguſtini mens declaratur.q.14. art.13.n.431.432
Examinatur alia Auguſtini teſtimonia contra ſcientiam conditionalium ante decretum. q.14.art.13. à n.433.ad 437
S. Auguſtini explicatio in illa verba Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, defenditur. q.19. art.6.n.6.ad 14
An S. Auguſtinus negauerit diuinum beneplacitum de omnium ſalute. q.19.art.6.n.12
Auguſtinus tribuit infallibilitatem futurorum contingentium diuinæ præſcientiæ, non voluntati. q.22.art.1.n.24
Auguſtinus non obſcurè indicat prædeſtinationem dicere principaliter actum practicum diuini intellectus. q.23.art.1.n.10
Liber de fide ad Petrum eſt Fulgentij,non Auguſtini. q.23.art.1.n.32
Auguſtini auctoritas quanta fuerit in Eccleſia Cœleſtini Pontificis teſtimonio, declaratur; & præſertim in materia de gratia & libero arbitrio, ex Hormiſda Pontifice. q.23.art.1.n.33
Quis fuerit Auguſtini ſenſus circa electionem ad gloriam,an ſit ex præuiſis meritis,necne; declaratur teſtimoniis Doctorum. q.23.art.1.n.34. item duobus eius locis allatis à S.Thoma. n.35
Proſperi epiſtola ad Auguſtinum examinatur & declaratur. q.23.art.1.à n.37.ad 40
Auguſtini teſtimonia pro electione ante meritorum præuiſionem, ex lib. de correptione, & gratia. n.40.ad 44
Ex libris de prædeſtinatione Sanctorum, & bono perſeuerantiæ. n.44.ad 47
Eiuſdem teſtimonia ab aduerſariis allata, pro prima electione ex meritis, adducuntur, & explicantur ad mentem S. Auguſtini. q.23.art.1. ex libris ad Simplicianum. n.71
Auguſtinus quando ſcripſerit eos libros. ibid. Quod in iis dixit, *Electionem ad gloriam,ſupponere in eligendis diuerſitatem ab ijs,qui non eliguntur*; mutauit poſtea. ibid.
Ex reſponſionib.ad obiectiones Vincentianas. n.72. In quo ſenſu vera ſit hæc cauſalis Auguſtini, *Quia præſciti ſunt caſuri,non ſunt prædeſtinati; eſſent autem ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate, & veritate manſuri.* ibid.
Ex libro de prædeſtinatione Dei. n.73
An is liber ſit Auguſtini. ibid.
Ex libro de bono perſeuerantiæ. n.74.75.76
Ex libro de prædeſtinatione Sanctorum. n.77
Auguſtini ſenſus de actuum meritoriorum prædefinitione in prædeſtinatis. q.23.art.4.n.71.73
Auguſtini ſenſus de certitudine prædeſtinationis ex præſcientia antecedente decretum. q.23.art.6. n.1.5.6

B

*Beati.*

Beati habent actum voluntatis ſimul neceſſariũ, & actum liberum. q.19.art.3.n.12

*Beatitudo.*

Vide *Dei beatitudo. Gloria.*
An beatitudine,ſecundum quod eſt fruitio Dei,poſſit fieri aliquid perfectius. q.25.a.6.n.7
Beatitudo quid ſit. q.26.art.1.n.1
Beatitudo noſtra habet rationẽ præmij. q.26.a.1.n.2
Beatitudo formalis conſiſtit in aliqua operatione, q.26.art.2.n.2. ea autem eſt ſola operatio intellectus,non voluntatis. n.3
Adeptio obiecti beatifici habetur per ſolum intellectum. q.26.art.2.n.3.& 4
Beatitudo noſtra obiectiua eſt ipſemet Deus. q.26. art.3.n.1. non tamen formalis. n.2
Beatitudo falſa quænam ſit. q.26.art.4.n.1

*Beneuolentia.*

Quid ſit,& quid differat ab amicitia. q.20.a.2.n.4

*Bonum.*

Bonum creatum dicit intrinſecam habitudinem ad malum. q.14.art.10.n.16
Bonum in quo ſenſu dicatur eſſe in rebus, verum autem in mente. q.16.art.1.n.64
Bonum cur non ita immediatè reſpiciat eſſe, ſicuti verum. q.16.art.4.n.1.2
Bonum eſt ſui communicatiuum. q.19.art.2.n.2
Bonum vt bonum formaliter eſt obiectum voluntatis. q.16.art.1.n.64

*Bona opera.*

An ſollicitudo bonorum operum tollatur,poſita electione ad gloriam independenter à meritis. q.23. art.1.n.97
Bona opera debet quiſque ita exercere, ac ſi eſſet prædeſtinatus. q.23.art.1.n.97

C

*Cauſa.*

Cauſa prima. Vide *Deus prima cauſa.*
Cauſa ſecunda. Vide *Creatura.*
Cauſa vt actu cauſans inuoluit effectũ.q.19.a.3.n.61
Cauſa libera. Vide *Libera cauſa.*
Determinari à cauſa prima, & determinari à ſe, quî differant. q.14.art.13.n.406
Certitudo. Vide *Infallibilitas.*
Certitudo diuinæ prædeſtinationis. Vide *Prædeſtinationis certitudo.*
Certus prædeſtinatorum ac reproborum numerus. Vide *Prædeſtinatio. Reprobatio.*
Chriſtus. Vide *Ieſus Chriſtus.*

*Cognoſcens. Vis cognoſcitiua. Cognitio.*

Forma cognita quomodo fiat vnum cum cognoſcente. q.14.art.1.n.6
An ex cognoſcente & cognito fiat magis vnum, quàm ex materia & forma. q.14.art.1.n.7
Immateriale eſt cauſa cognoſcitiui ſecundùm rem, nec tamen ab eo diſtinguitur. q.14.art.1.n.9
Materialitas adæquatè remouet vim cognoſcitiuam. q.14.art.1.n.11
Modus cognoſcendi ſequitur modum immaterialitatis. q.14.art.1.n.12
Immateriale non comparatur ad cognoſcitiuum, tamquam genus ad differentiam. q.14.art.1.n.13
Coniunctio cum materia non tollit, ſed limitat in anima vim cognoſcitiuam. q.14.art.1.n.16
Immaterialitas non importat virtutem intelligendi, niſi in ſubſtantia. q.14.art.1.n.17
Cur implicet ſubſtantia immaterialis non cognoſcitiua. q.14.art.1.n.22
Immaterialitas, quæ eſt cauſa cognoſcitiui, ſumitur prout opponitur corporeitati. q.14.art.1.n.21
Immaterialitas non eodem modo eſt cauſa intellectiuitatis,ſicuti ratio coloris eſt cauſa viſibilitatis in tali colore. q.14.art.1.n.34.35
Quid ſit aliquid cognoſci in ſeipſo,& in alio. q.14. art.5.n.29
Cognoſcentem, cui contraria non inſunt, in quo ſenſu dixerit Ariſtoteles, ſemper actu cognoſcere ſe tantum. q.14.art.10.n.15


Index Rerum.

Cognitio intuitiua quomodo dicatur eſſe de re præſenti. q.14.art.13.n.56.& 83
Cognitio quomodo denominet cognitum obiectũ. q.16.art.1.n.6
Cognitio eſt prior appetitione. q.16.a.4.n.1
Singulæ cognitiones habent ſuas veritates ab aliis diſtinctas. q.16.art.6.n.1
Cognitio intellectiua non poteſt eſſe niſi à ſubſtantia immateriali. q.14.art.1.n.8

*Concilia.*

Decretum prædeterminandi ad actus malos reiicitur ex Tridentino. q.14.art.13.n.373. ex Arauſicano,& Valentino. n.374
Decretum prædeterminandi ad quoſcumque actus ante ſcientiam mediam impugnatur ex Tridentino. q.14.art.13.n.386
Tridentinum quo ſenſu damnet Caluinum,alióſque hæreticos, tollentes libertatem arbitrij. q.14. art.13.n.401
Nicenum an dici debeat mutaſſe ſymbolum, cùm addidit illa verba, *Conſubſtantialem Patri.* q.14. art.13.n.503
Tridentinum ſub qua ratione vitam æternam, modo appellet gratiam, modo iuſtitiam. q.21.art.1. n.23
Tridentinum, & Arauſicanum definiunt, neminem diuina poteſtate ad malum eſſe prædeſtinatum. q.23.art.1.n.7
Valentinum quid ſentiat de electione ad gloriam, an ſit ex præuiſis meritis. q.23.art.1.n.51
Arauſicanum definit, homines, cùm peccant ſuam facere voluntatem,non Dei. q.23.art.4.n.22
Valentinum quid ſentiat de reprobationis cauſa. q.23.art.5.n.14

*Conditio.*

Vide *Futura. Dei ſcientia.*
Quid importet in propoſitionibus conditionalibus. q.14.art.13.n.252.255
Conditio in quo eſſe ponat rem, ſupra quam cadit. q.14.art.13.n.489
Conditio, *ſi perſeuerauerit*, in decreto conditionato de gloria,quid importet. q.23.art.1.n.94
Quomodo extrahat rem è pura poſſibilitate. q.14. art.13.n.427.471.473
De non eſſe ad eſſe ſub conditione an fiat realis tranſitus. q.14.art.13.n.278

*Contingentia.*

Vide *Futura. Dei ſcientia. Libertas.*
Contingentiæ radix adæquata non eſt diuina voluntas. q.14.art.13.n.147.& q.19.art.8.n.5.& n.10
Contingentia pendet etiam à cauſis ſecundis. q.14. art.13.n.147
Contingentia quoad exiſtentiam importat neceſſariò rationem creati. q.19.a.3.n.40
Contingentiæ radix in actu ſecundo eſt libertas diuinæ voluntatis. q.19.art.8.n.8
Contingentia duplex;extrinſeca,quæ eſt ab impedibilitate cauſæ;intrinſeca,quæ eſt ex indifferentia. q.14.art.13.n.2
Contingentia effectus, licet excludat determinationem cauſæ,non tamen excludit determinationem ipſius effectus. q.14.art.13.n.4.& 410
Dei æternitas non eſt ratio infallibilitans ſcientiam Dei circa futura contingentia. q.14.art.13.n.81

*Contingens.*

Creatura qua ratione dicatur contingens.q.19.art.3. n.36
Cauſa contingens. Vide *Libera cauſa.*

*Contractus.*

Debitum ex contractu oneroſo non poteſt pertinere ad fidelitatem. q.21.art.1.n.16

*Contradictoria.*

De contradictorio in contradictorium non fit tranſitus abſque mutatione. q.19.art.3.n.69
Contradictio de præteritis reducitur ad contradictionem de præſentibus. q.25.art.4.n.4

*Conuerſio.*

In quo ſenſu dicatur creatura prior conuerti ad Deũ, quàm Deus ad ipſam. q.14.art.13.n.292

*Creatio.*

Creationis gratia non eſt ex meritis Chriſti Domini. q.23.art.2.n.42

*Creatura.*

Quomodo cognoſcatur à Deo. Vide *Dei ſcientia.*
Cur poſſint videri creaturę in Deo,non autem Deus intuitiuè in creaturis. q.14.art.5.n.46
Creaturæ melius videntur in Deo, quàm in ſe ipſis. q.14.art.5.n.47
Creaturæ quomodo dicantur à Deo produci per naturam. q.14.a.5.n.6
Creaturæ cur non cognoſcant præterita, & futura intuitiuè. q.14.art.8.n.132
Creaturæ adhuc eſſent futuræ,etiam ſi poſt liberum decretum Dei nulla eſſet de illis ſcientia viſionis in Deo. q.14.art.8.n.78
Creaturarum productio efficaciter demonſtrat illas non eſſe realiter præſentes æternitati *ſemper.* q.14.art.13.n.57
Creaturæ nullam habent præſentiam, niſi obiectiuam in æternitate, & realem in propria differentia temporis. q.14.art.13.n.63
Creaturæ in quo ſenſu dicantur extrinſecè aduenire Deo. q.14.art.13.n.91
Creaturæ prius ſunt in tempore,quàm in æternitate, non ſolùm prioritate, *à quo,* ſed etiam prioritate, *in quo.* q.14.art.13.n.92
Creatura non eſt formaliter participatio diuinæ intellectionis. q.15.art.1.n.6
Creaturæ an dicant reſpectum rationis ad eſſentiam diuinam,prout idea eſt. q.15.art.2.n.3
Creaturæ quomodo ab æterno dicantur veræ. q.16. art.7.n.3
Creaturæ quomodo ſint vita in Deo. q.18.art.4
Creaturas quomodo velit Deus. Vide *Dei voluntas.*
Creaturæ poſſibiles an habeant eandem neceſſitatem,quam habet Deus. q.19.art.3.n.6
An ex eo quod creaturæ poſſibiles habeant eſſe eſſentiæ,atque adeo bonitatem aliquam neceſſariò, rectè inferatur neceſſitas in Deo ad volendum illas. q.19.art.3.n.7
Scientia ſua Deus non intelligit creaturas in ſe ipſo tamquam in ſpeculo. q.14.art.5.n.30
Creaturas cognoſcit Deus non in ſua cognitione, ſed in ſua eſſentia. q.14.art.5.n.48

D

*Debitum.*

Debitum an poſſit eſſe in Deo reſpectu creaturæ, Vide *Dei iuſtitia. Dei fidelitas.*
Debitum legale pertinet ad iuſtitiam; debitum morale ad reliquas virtutes. q.21.a.1.n.8
Debitum ex contractu oneroſo non poteſt pertinere ad fidelitatem. q.21.art.1.n.16

*Delectatio.*

Quid ſit, & quomodo à gaudio diſtinguatur. q.20. art.1.n.3. an ſit in Deo. Vide *Dei voluntatis actus.*

*Denominatio.*

Nihil poteſt denominari tale, niſi per aliquid quod ſit tale formaliter. q.16.art.1.n.43

*Deſiderium.*

Quid ſit, & quod eius obiectum. q.20.art.1.n.7 an ſit in Deo. Vide *Dei voluntatis actus.*

*Determinatio.*

Vide *Libertas. Libera cauſa. Voluntas. Liber effectus. Dei voluntatis decretum. Dei libertas.*

Determinatio ad vnum eſt contra naturam cauſæ contingentis. q.14.art.13.n.102.107.407

Determinatio primæ cauſæ cadit ſupra effectus liberos, non ſupra cauſas. q.14.art.13.n.116

Determinatio cauſæ ſecundæ liberæ in actu primo non eſt medium proportionatum ad productionem effectus liberi. q.14.art.13.n.116

Cur cauſa prima liberè concurrens cum ſecunda, non dicatur ipſam determinare. q.14.art.13.n.168

Determinari à cauſa prima, & determinari à ſe, quid differant. q.14.art.13.n.406

*Determinatio libera.*

Determinatio cauſæ ſecundæ liberæ eſt ab ipſa, liberè ſe applicante. q.14.art.13.à n.156.ad 159

Determinatio quatenus eſt à cauſa ſecunda, & non à prima, in quo formaliter conſiſtat. q.14.art.13. à n.159.ad 169

Determinatio adæquatè ſumpta eſt actualis influxus cauſæ liberæ in ſuum actum, connotans ſuum principium completè potens influere in oppoſitum. q.14.art.16.n.160.161

Determinatio prout dicit influxum, eſt principalius à Deo, quàm à creatura. q.14.art.13.n.160. prout completur per connotationem principij, non eſt à Deo. n.163

Ante determinationem creaturæ quínam concurſus ſit neceſſarius ex parte Dei, vt illa fiat completè potens ſe determinare. q.14.art.13.n.202.417. 497.498

Determinatio cauſæ liberæ qua ratione ſit, vel non ſit à Deo. q.14.art.13.n.304.419.530

Determinare ſe liberè quid ſit. q.14.art.13.n.304. & q.23.art.4.n.25. inſufficienter explicatur à nonnullis. q.14.art.13.n.304.351.352

Determinatio potentiæ liberæ ad ſuum actum non eſt formaliter ipſe influxus. q.14.art.13.n.351. 498.& q.23.art.4.n.10.& 25

Determinare ſe, & agere vnum determinatum, non ſunt idem. q.14.art.13.n.419

Determinatio creaturæ in quo ſenſu ſit prior, vel poſterior voluntate Dei. q.14.art.13.n.430

Duplex determinatio explicatur; effectiua, & obiectiua. q.19.art.3.n.17

Quęnam determinatio importet motum. q.19.art.3. n.30

Determinatio libera non expectatur à Deo, ſed cauſatur ſecundùm abſolutam ſui futuritionem. q.22.art.1.n.23.& 30.& q.23.art.4.n.10

Determinatio actiua cauſæ liberæ declaratur ex paſſiua neceſſariæ. q.14.art.13.n.164

*Deus.*

Deus quomodo habeat præſentes creaturas per quid ſibi intrinſecum. q.14.art.13.n.91

Deus in quo ſenſu dicatur à S.Dionyſio, intelligentiæ, ſenſus, & rationis expers. q.14.art.1.n.39

In quo ſenſu Deus dicatur intelligens. q.14.a.1.n.52

Cur Deus poſſit dici cauſa vniuerſalis, non autem medium vniuerſale cognoſcendi. q.14.art.1.n.61

Deus vt Dominus, vel creator, neceſſariò reſpicit creaturas actu exiſtentes, non autem vt cognoſcens. q.14.art.8.n.142

Deus in quo ſenſu dicatur à nobis aliquid expectare. q.14.art.13.n.292.& q.22.art.1.n.23

Deus neque eſt conformis, neque conformatur creaturis. q.16.art.1.n.56

Deus in quo ſenſu dicatur veritas. q.16.art.1.n.61

An admittendus ſit in Deo aliquis appetitus. q.19. art.1.n.3.& 8. an etiam ad ſua bona intrinſeca, & abſoluta. n.9

An fuiſſet Deo violentum, ſi nihil ad extra produxiſſet. q.19.art.3.n.14

Deus an dici poſſit *Omniuolens*, ſicuti dicitur *Omnipotens, & Omniſciens.* q.19.art.3.n.19.& 20

Quomodo ſit intelligenda illa propoſitio, *Quæ ſunt ſparſa in inferioribus ſunt vnum in Deo.* q.25.a.1.n.9

*Dei Æternitas.*

Vide *Futura. Dei ſcientia de futuris*, &c.

Æternitati res eſſe præſentes præſentialitate obiectiua, vel reali, quid ſit. q.14.art.13.n.11

Æternitati Dei, neque res futuræ, dum ſtant ſub futuritione, neque præteritæ ſub præteritione, ſunt realiter præſentes in ſua actuali exiſtentia. q.14. art.13.n.31

Æternitati Dei qua ratione aliquid dicatur adæquatè, vel inadæquatè coëxiſtere. q.14.art.13.n.34 Vide *Futura.*

Æternitas Dei reſpectu temporum, comparatur cum immenſitate reſpectu locorum. q.14.art.13.n.45. & 73

Æternitati Dei res coëxiſtunt ſucceſſiuè. q.14.art.13. n.46

Prius eſt rem exiſtere in ſe, quàm coëxiſtere æternitati. q.14.art.13.n.47

Ex eo quod ſtet æternitas, dici non poſſunt ſtare ſucceſſiua. q.14.art.13.n.55

Æternitas Dei quomodo contineat tempora. q.14. art.13.n.71

Æternitas Dei non mutatur quoad virtualem continentiam temporum, quæ eſt illi intrinſeca; licet quoad formalem, ſibi extrinſecam, mutetur. q.18. art.13.n.72

Æternitas dicitur tota, vel negatiuè per excluſionem partium formalium, vel poſitiuè per incluſionem virtualium. q.14.art.13.n.75

Æternitati omnia quidem correſpondent toti totalitate negatiua, nõ autem poſitiua. q.14.a.13.n.75

Æternitas continet formaliter tempora, continentia extrinſeca, temporali, diuiſibili, & ſucceſſiua. q.14.art.13.n.76

Ex eo quod æternitas ſit rei extrinſeca, bene probatur rem neque neceſſariò, neque ſemper coëxiſtere æternitati. q.14.art.13.n.76

Dei æternitas non eſt ratio infallibilitans ſcientiam Dei circa futura contingentia. q.14.art.13.n.81

Eſſe in tempore, eſt ratio coëxiſtendi æternitati pro eo tempore, in quo res eſt. q.14.art.13.n.81

Æternitas licèt ſit menſura omnium creatarum durationum, non tamen illas menſurat. q.14.art.13. n.84

Æternitas per ſolam extrinſecam correſpondentiam, quam res creatæ habent ad ipſam, non refundit in res ipſas modum proprium Durandi. q.14.art.13. n.86

Æternitas vt menſura rerum, nihil addit ſupra res exiſtentes in propria duratione, niſi extrinſecam connotationem. q.14.art.13.n.86

Æternitas non præhabet effectiuè cæteras durationes, ſed exemplariter; & ſic eſt menſura perfectionis reſpectu illarum. q.14.art.13.n.89

Æternitas præhabet quidem duratiuè cæteras durationes, non tamen actu, ſed virtute; & ſic eſt virtualis menſura durationis reſpectu illarum. q.14. art.13.n.89

Æternitas comparata ad proprium menſuratum, eſt prior tempore, non tamen vt menſura actualis ipſius temporis. q.14.art.13.n.90

Æterni



Æternitas vt actualis menſura temporis, præſuppónit tempus, ſed tamquam terminum purè paſſiuum; atque adeo non dependet ab illo. q.14. art.13.n.91

Ex eo quod Æternitas ſit menſura diuinæ cognitionis, non ſequitur, niſi præſentia obiectiua rerum in æternitate. q.14.art.13.n.97

Æternitas non coëxiſtit ſimul omnibus partibus temporis, ſi ly *ſimul* ſe teneat ex parte temporis. q.14.art.13.n.98.

Dei Æternitas comparatur ad immutabilitatem. q.19.art.1.n.5

*Dei amor.*

Amor creaturarum, qui eſt in Deo, non comparatur ad Deum tamquam forma ad ſubiectum; ſed tamquam ratio agendi ad cauſam efficientem. q.19. art.3.n.57

Deus quomodo denominetur amans formaliter. q.19.art.3.n.58

Amor eſt propriè & formaliter in Deo. q.20.art.1. n.1

Dei amor erga creaturas, an ſit amor concupiſcentiæ, an amicitiæ. q.20.art.1.n.2

Dei amor eſt ad omnia exiſtentia. q.20.art.2.n.1

Nullam ſupponit bonitatem in obiecto, ſed illam cauſat. q.20.art.2.n.2. & q.23.art.4.n.2

Dei amor ad electos eſt amor amicitiæ. q.20.a.2.n.3 non autem ad creaturas irrationales. num.4. ad quas neque eſt amor beneuolentiæ. ibid. ſed ſolùm concupiſcentiæ. n.5

Amor beneuolentiæ, quid differat ab amore amicitiæ. q.20.art.2.n.4

Quid amor concupiſcentiæ. q.20.art.2.n.5

Æqualiter eſt ad omnia ex parte actus. q.20.a.30.n.1 inæqualiter ex parte boni voliti. n.2

Cur Deus dicatur magis amare vnum, quàm aliud; non autem magis velle, intelligere, ſcire. q.20. art.3.n.3.4

Deus magis amat meliora. q.20.art.4 n.1. Chriſtum Dominum ſupra omnia. n.2.3. Angelos ſupra homines, quoad naturam; non autem quoad gratiam. n.4. cæteris paribus innocentem ſupra pœnitentem. Secus ſi pœnitens habeat maiorem gratiam. n.5. ſimpliciter etiam peccatorem prædeſtinatum ſupra iuſtum præſcitum; ſecus ſecundum præſens tempus. n.6. Quid de S. Petro reſpectu S.Ioannis. n.7.& q.23.art.4.n.3

Dei amor eſt ad peccatores, vt naturæ quædam ſunt. q.20.art.2.n.6

*Dei beatitudo.*

Deo maximè competit beatitudo. q.26.art.1.n.1 non vt præmium, ſed vt natura. n.2

Beatitudo formalis, per quam Deus eſt beatus, eſt ſola operatio intellectus. q.26.art.2.n.2

Dei beatitudo eſt de eſſentia ipſius. q.26.art.12.n.6

Dei beatitudo continet eminenter quicquid eſt deſiderabile in quacumque beatitudine vera, vel falſa. q.26.art.4.n.1

*Dei bonitas.*

Vide *Dei voluntas. Dei amor.*

Dei bonitas eſt finalis cauſa diuinæ voluntatis; non quidem formalis, ſed virtualis. q.19.art.5.n.4 licet formaliter ſit ratio finalis. ibid.

Maximè elucet in electione ad gloriam independenter à meritis. q.23.art.1.n.95. etiam in negatiua aliorum reprobatione, quæ includitur in ipſa electione aliquorum. ibid.& 96

*Dei cognitio.*

Vide *Dei ſcientia.*

Diuina cognitio quomodo ſit directa, & reflexa. q.14.art.5.n.48

Ex eo quod diuina cognitio menſuretur æternitate, rectè infert S.Thomas eam ſimul ferri ab æterno, ſuper omnia ſucceſſiua futura in tempore. q.14. art.13.n.51

Diuina cognitio, prout fertur in creaturas ab æterno, eſt ipſa præſentialitas obiectiua creaturarum. q.14.art.13.n.51

Cognitio repræſentans futura conditionata, neceſſariò eſt infinita. q.14.art.13.n.463

Cognitio probabilis repugnat Deo. q.14.art.13. n.258

*Dei concurſus.*

Vide *Deus prima cauſa. Dei voluntas. Dei volentis decretum. Libera cauſa. Peccatum. Determinatio libera.*

*Dei dominium.*

An ſtet cum ſupremo Dei dominio debitum aliquod in Deo reſpectu creaturæ. q.21.art.1.n.6

Dei dominium quomodo ſtet cum dominio humano circa idem; cur non itidem humanum. q.21. art.1.n.36

Ius creaturæ ad gloriam quomodo ſit, vel non ſit Dei. q.21.art.1.n.37

*Dei eſſentia.*

Eſſentia diuina, quatenus medium formale cognoſcendi, non habet rationem vniuerſalis. q.14. art.1.n.60. neque particularis. n.62

In quo ſenſu dici poſſit vniuerſalis, vel particularis. q.14.art.1.n.63

Vltimò conſtituitur per intelligere. q.14.art.4.n.1.4

Sub qua ratione induat conceptum Ideæ. q.15. art.1.n.5

Sub conceptu Ideæ an dicat reſpectum rationis ad creaturas. q.15.art.2.n.3

Quomodo ſit rerum menſura. q.16.art.1.n.71

An poſſit dici principium volitiuum. q.19.art.1.n.5

*Dei fidelitas.*

Eſt in Deo aliquod morale debitum fidelitatis. q.21. art.1.n.13. diſtinctum à debito iuſtitiæ. n.7

Hoc debitum non excludit gratiam. q.21.art.1. n.21

*Dei Idea.*

Idea diuina non eſt ratio formalis proxima Deo videndi creaturas in ſe ipſo. q.14.art.5.n.31

Idea diuina quid ſit, & quotuplex. q.14.art.5.n.32 ex S.Dionyſio. q.15.art.1.n.2

Ideas diuinas, neque ante, neque poſt decretum, eſſe Deo rationes cognoſcendi futura libera. q.14. art.13.à n.120.ad 125

Dari Ideas in mente diuina certiſſimum eſt. q.15. art.1.n.1

Idea diuina non eſt ipſa creatura, ſed quid increatum. q.15.art.1.n.2. hoc autem minus efficaciter probatur ex diſtinctione, quæ debet eſſe inter ideam & ideatum. n.3. ſed ex eo quod quælibet creatura ſupponit ideam tamquam cauſam. n.4

Idea in eſſe obiectiuo, poteſt eſſe idea ſui ipſius, in eſſe reali. q.15.art.1.n.3

Idea non eſt ipſa diuina eſſentia vt ſpecies creaturarum; ſed vt illas imitabiliter continens. q.15. art.1.n.5

Idea non eſt Verbum diuinum. q.15.art.1.n.6

Idea eſt ipſa eſſentia, vt directè cognita à diuino intellectu. q.15.art.1.n.7. atque adeo cognitio, qua Deus cognoſcit ideas ſuas, eſt reflexa. ibid.

Idea in Deo non eſt ratio communis omnibus creaturis, ſed propria cuiuſque. q.15.art.1.n.8

Ideæ in Deo ſunt plures. q.15.art.2.n.1

Ideæ reſpectus ad creaturas, an *ſit* ens rationis ab ipſomet diuino intellectu factum. q.15.art.2. n.4



Idea

Idea ſui ipſius non datur in Deo, neque alterius perſonæ diuinæ in altera. q.15.art.3.n.1.& 2
Ideæ ſunt formæ, & rationes rerum creatarum ex Auguſtino. q.15.art.3.n.2
Vnde oriatur neceſſitas admittendi Ideas in Deo. q.15.art.3.n.3
In Deo ſunt Ideæ omnium creaturarum actualium. q.15.art.3.n.4. & poſſibilium. n.5
Quid differant Ideæ actualium, ab Ideis poſſibilium. q.15.art.3.n.6
Idea actualium cur dicatur à S.Thoma *principium factionis rerum*; Idea autem poſſibilium dicatur *principium cognoſcitiuum*. q.15.art.3.n.6
In Deo ſunt etiam Ideæ indiuiduorum. q.15.a.3.n.7
Non tamen generum, & ſpecierum. q.15.art.3.n.8 niſi impropriè. n.9
De accidentibus inſeparabilibus non datur Idea propria diſtincta ab Idea ſubiecti; ſecus de ſeparabilibus. q.15.art.3.n.10
De malo nulla datur, neque propriè, neque impropriè Idea. q.15.art.3.n.12
De materia prima an detur peculiaris Idea in Deo. q.15.art.3.n.13
An res, quas Deus facit, poſſint deficere à diuina Idea, & quid de monſtris. q.17.art.1.n.12
Idea Dei eſt cauſa exemplaris rerum, non factiua. q.19.art.4.n.6
Idea diuina qua ratione poſſit repræſentare futura. q.14.art.13.n.125

*Dei intellectualitas.*

Intellectualitas in Deo, in quo ſenſu poſſit dici habere cauſam eſſendi. q.14.art.1.n.26. & an ea ſit immaterialitas. n.27

*Dei intellectus.*

Vide *Dei ſcientia. Dei intellectio.*
Intellectus radicalis, & potentialis implicat in Deo; non autem vis immediatè perceptiua obiecti intelligibilis. q.14.art.1.n.46.ad 50
Magis propriè Deo tribuitur actus intelligendi, quàm potentia. q.14.art.1.n.51
Ex proceſſione Verbi non arguitur in Deo potentia intellectiua. q.14.art.1.n.56
Dei intellectus an dicatur à rebus pendere, quoad ſcientiam viſionis, & quomodo. q.14.art.8.n.129. Vide *Dei ſcientia viſionis.*
Dei intellectus non poteſt aliquid intelligere eminenter. q.14.art.13.n.241
Dei intellectus quomodo ingrediatur definitionem veritatis. q.16.art.1.n.34
Eſt rerum omnium menſura. q.16.art.1.n.49
An in cognitione intuitiua veritatis rerum, ſit etiam ipſe intuitiuè cognoſcendus. q.16.art.1.n.53
In eo principaliter eſt veritas tranſcendentalis. q.16.art.1.n.71
Comparatur intellectus ad eſſentiam, in ratione veri. q.16.art.1.n.71
An denominet res veras ab æterno. q.16.a.7.n.1.2.3
An ſit immutabilis quoad veritatem. q.16.art.8.n.1
Diuini intellectus veritas quomodo pendeat ab eſſentia. q.16.art.1.n.69

*Dei intellectio. Intelligere.*

Intellectio Dei identificatur cum eius ſubſtantia. q.14.art.4.n.1.2
Intellectio Dei eſt in ſe formaliter ſubſtantia. q.14.art.4.n.1.3
Intellectio Dei non poteſt immediatè tendere in obiecta creata, & increata. q.14.art.5.n.29
Intelligere Dei quomodo probetur eſſe cauſam rerum ex ſumma identitate, quam habet cum eſſe Dei. q.14.art.8.n.5.6.7
Intellectio diuina eſt ratio continens creaturas vitaliter, non autem realiter. q.15.art.1.n.6
Intelligere Dei eſt de eſſentia ipſius. q.14.art.4.n.1.3

*Dei iudicium.*

Deus neminem iudicat ſecundùm opera conditionatè futura. q.14.art.13.n.235

*Dei iuſtitia.*

Iuſtitia commutatiua non eſt formaliter in Deo ex mente S.Thomæ. q.21.art.1.n.2
Diſtributiua eſt in Deo propriè ex mente S.Thomæ. ibidem.
Eſt in Deo propriè & formaliter ſpecialis iuſtitiæ virtus, ſecundùm conceptum communem commutatiuæ, diſtributiuæ, & legalis. q.21.art.1.n.3
Talis virtus iuſtitiæ non repugnat Deo, ſecundùm quòd virtus eſt. q.21.a.1.n.4. neque ſecundùm quòd iuſtitia. n.5
Iuſtitia non repugnat Deo ex eo quod inducat in illo debitum reſpectu creaturæ. q.21.art.1.n.6. debitum iuſtitiæ eſt in Deo dependenter à ſua libera voluntate. ibid. ſtat cum ſupremo dominio. ibid. quam neceſſitatem afferat. ibid.
Dei iuſtitia an ſit eadem cum fidelitate. q.21.a.1.n.7
Deus habet aliquod debitum reſpectu creaturæ. q.21.art.1.n.9.10
Prima ratio debendi, ſeu primum debiti fundamentum, eſt libera Dei voluntas. q.21.art.1.n.11
Vltimus finis debiti, quod habet Deus reſpectu noſtri, eſt ipſemet Deus. ibid.
Creatura eſt ſubiectum huius debiti, & nonnunquam etiam ſecundarium fundamentum. q.21.art.1.n.11
Quomodo per idem debitum fiat Deus debitor ſibi, & nobis. q.21.art.1.n.11.12
Fundamentum huius debiti eſt diuina promiſſio, facta ſub conditione operis. q.21.art.1.n.15
Deus habet debitum legale reſpectu creaturæ. q.21.art.1.n.14
Iuſtitiæ legalis conditiones an dentur formaliter in Deo. q.21.art.1.n.48
Hoc debitum legale eſt debitum iuſtitiæ. q.21.art.1.n.16
Promiſſio Dei ſub conditione oneroſa poteſt fundare contractum iuſtitiæ inter Deum, & creaturam. q.21.art.1.n.17
Quid Deus acquirat per talem contractum. ibidem. & n.36
Debitum legale, reſultans ex promiſſione facta ſub conditione oneroſa, excludit gratiam. q.21.art.1.n.21.22
Abſurda, quæ deducuntur ex opinione eorum, qui negant in Deo verum conceptum iuſtitiæ. q.21.art.1.n.19.20
Iuſtitia commutatiua quoad denominationem commutatiui, & conceptus omnes, quos habet, vt talis in creatis, non eſt formaliter in Deo; præcisè verò, & quoad rem, ſecundùm conceptus eſſentiales, eſt propriè formaliter in Deo. q.21.art.1.n.26.30.31
Cur denominatio diſtributiui conueniat Deo, non autem commutatiui. q.21.art.1.n.27
Denominatio commutatiui, an poſſit illi aliquo modo competere. n.39.40
Deus ſeruat iuſtitiam commutatiuam, etiam ſi præmiet vltra condignum, & puniat citra. q.21.art.1.n.41
In Deo propriè, & formaliter eſt iuſtitia diſtributiua. q.21.art.1.n.42. non ſolùm quoad formam diſtributionis. ibid. neque prout Deus liberaliter acceptans merita, ſibi aliis titulis debita, conſtituit ſe hominibus debitorem gloriæ. n.43. ſed quatenus dat gloriam, non ſolùm propter merita, quod eſt commutatiuæ; vel etiam propter dignitatem perſonæ iuſtæ, præciſis meritis, quod attinet ad diſtributiuam. n.45
Gratia, quam obligationem inducat in Deo dandi gloriam iuſto; & an illa ſaluetur obligatio iuſtitiæ diſtributiuæ. q.21.art.1.n.46
An ius diſtributiuum ad gloriam ſeruaretur, ſi vnus tantum eſſet in gratia, & gloria. q.21.art.1.n.43. & 47
Iuſtitia legalis non eſt formaliter in Deo. q.21.art.1. num.48
An Deus quando præcipit, monet, prohibet, &c. poſſit moueri ex affectu iuſtitiæ legalis. q.21.art.1. num.49.
Iuſtitia vindicatiua formaliter eſt in Deo. q.21.art.1. n.50.51.52
Ea autem, neque eſt diſtributiua, neque commutatiua, neque legalis. q.21.art.1.n.53
Iuſtitia vindicatiua Dei, quid differat à vindicatiua hominum. q.21.art.1.n.54
In Deo nullum eſt legale debitum infligendi pœnam. q.21.art.1.n.54. Neque ex promiſſione pœnæ. n.55
Cur in promiſſione gloriæ fundetur debitum iuſtitiæ de datione gloriæ; non autem in promiſſione pœnæ. q.21.art.1.n.55
Iuſtitia Dei vindicatiua pertinet ad iuſtitiam prouidentialem. q.21.art.1.n.56
Maximè elucet in reprobatione reproborum. q.23. art.1.n.46

*Dei liberalitas.*

Liberalitas propriè ſoli Deo competit. q.19.art.2. num.7

*Dei libertas.*

Vide *Dei voluntas.*
Diuini decreti libertas an impediatur à præſcientia, quam habet Deus de ſuo futuro decreto. q.14. art.13.n.458
Sine libertate Dei non poſſet ſaluari Dei æternitas, & temporalitas creaturæ. q.19.art.3.n.10
Diuina volitio, provt connotat diuerſos terminos, eſt ſimul neceſſaria, & libera. q.19.art.3.n.12
Diuina volitio, etiam provt terminatur ad ſuam gloriam, eſt libera. q.19.art.3.n.13
Diuina volitio libera, an dici poſſit contingens. q.19.art.3.n.15
An Deus ſit liber ad ſuſpendendum actum. quæſt.19. art.3.n.16
Dei libertas non attenditur penes actus voluntatis, ſed penes obiecta & effectus. q.19.art.3.n.21
Dei libertas in actu primo importat in Deo formalem & intrinſecam perfectionem. q.19.art.3.n.22
Hæc autem perfectio eſt ratione diſtincta à perfectione, quam importat actus vt formaliter neceſſarius. n.27
Deus liberè volens creaturas, non ideo eſt perfectior intrinſecè. q.19.art.3.n.41
Velle Dei liberum duo importat; & ipſum actum neceſſarium, qui eſt intrinſecus Deo; & Dei determinationem, quæ eſt habitudo non neceſſaria actus neceſſarij ad volita. q.19.art.3.n.28
Velle Dei liberum ſecundùm quam harum rationum ita ſit, vt potuerit non eſſe? ibid.
An velle Dei liberum tendat formaliter ad non habitum. q.19.art.3.n.29
Determinatio Dei libera ad tale obiectum, an importet motum in Deo. q.19.art.3.n.30
Velle Dei liberum in actu ſecundo, neceſſariò debet aliquid addere ſupra actum neceſſarium. q.19.art. 3.num.33. eſt autem illud, aliquid contingens. n.34. non tamen intrinſecum Deo. n.38.ad 46
Liberras diuina in actu primo deberet explicari per ordinem ad oppoſitos actus, ſi actus, prout liber in actu ſecundo, adderet aliquam realem perfectionem in Deo. q.19.art.3.n.40
Velle liberè creaturas non eſt in Deo perfectio intrinſeca. q.19.art.3.n.41
Cur non ponantur liberæ volitiones formaliter addere aliquid ſupra actum neceſſarium, ſicuti relationes perſonales ſupra naturam. quæſt.19.arr.3. num.42
An ſufficiat ad ſaluandã omnimodam perfectionem liberæ volitionis in Deo, quod, ſi ſemel ſit, non poſſit non eſſe. q.19.art.3.n.43
An volitio libera poſſit eſſe aliqua realis perfectio, realiter addita neceſſariæ, ſed ab illa indiſtincta; ſicuti dicimus de diuinis relationibus. q.19.art.3. num.44
Volitio libera addita neceſſariæ tamquam perfectio, abſurdior eſt, quàm relationes reales, ad creaturas. q.19.art.3.n.45
Velle Dei liberum in actu ſecundo non addit ſupra neceſſarium formalem relationem rationis. q.19. art.3.n.46. ſed fundamentum talis relationis. n.47
Deus adhuc præciſo quocumque intellectu, eſt liberè volens. q.19.art.3.n.48
Libera volitio comparatur ad liberam ſcientiam Dei; & quid inter ſe differant. q.19.artic.3.n.50. & 56
Velle Dei liberum in actu ſecundo non addit ſupra neceſſarium merum aliquid negatiuum. q.19.art. 3.n.51
Neque mutationem rei ad extra præcisè ſumpta. ibidem. ſed conceptum immutantis obiectum ad extra, ſine ipſius actus mutatione. n.52
Dei libertas explicatur exemplo libertatis creatæ. q.19.art.3.n.52. Non poteſt ſaluari, niſi ponatur in Deo potentia contradictionis. n.53
Simplicitas, & infinitas diuinæ volitionis, ſufficienter probant conceptum traditum diuinæ libertatis. q.19.art.3.n.53.& 54
Dei libertas non conſiſtit in poſſe elicere, vel non elicere actum; ſed in poſſe immutare, vel non immutare obiectum. q.19.a.3.n.55
Velle liberum Dei quid dicat neceſſariò, quid contingenter. q.19.art.3.n.56
Deus quomodo denominetur liberè volens. q.19. art.3.n.57
Explicatur conceptus diuinæ libertatis, exemplo relationum prædicamentalium, ſecundùm eos, qui eas identificant cum fundamento. q.19.art.3. num.59
Deus ratione ſuæ libertatis non indiget intrinſeca aliqua formali determinatione; ſed tantum effectiua. q.19.art.3.n.60
Volitio Dei libera, quæ vult creaturas, non eſt determinatio diuinæ voluntatis. q.19.art.3.n.61
Dei libera volitio ſecundùm quam rationem antecedat effectum creatum, quem vult. q.19.art.3. num.61
Extrinſeca cauſalitas non eſt principium determinandi, ſed terminus determinationis liberæ Dei. q.19.art.3.n.63
Determinatio libera Dei non eſt quid reale intrinſecum Deo, competens illi ex ſua ſumma actualitate; & conſtituens actum liberum in ratione liberi. q.19. art.3.n.65.66.67.68. & q.22.art.3. n.3.ad finem.
Determinatio actualis in Deo non poteſt eſſe neceſſaria. q.19.art.3.n.66
Determinatio actualis in Deo non poteſt eſſe ad vtramque partem contradictionis. q.19.art.3.n.67

Deo conuenit liberum arbitrium. q.19. art.10. ad quæ ſe extendat. ibid.
Determinatio libera Dei eſt quidem intrinſecè à Deo, non autem intrinſecè in Deo. q.22. art.3. num.3
Deus ad materiale peccati an liberè concurrat.q.23. art.4.n.23
Deus etiam cum omni præciſione cuiuſcumque intellectus eſt adhuc liberè volens. quæſt.19.art.3 num.48

*Dei miſericordia.*

Vide *Dei bonitas.*
Maximè elucet in electione independenter à meritis,& reprobatione negatiua in illa incluſa. q.23. art.1.n.95.96.
Quomodo eluceat in prædeſtinatione Angelorum. q.23.art.1.n.5

*Dei omnipotentia.*

Omnipotentia in Deo quomodo diſtinguatur ab eius voluntate & intellectu. q.25.art.1.n.5
Omnipotentia Dei non eſt prior ſecundum rationem ſcientia Dei. q.14.art.5.n.38
Nulla eſſet,ſi implicarent creaturæ. quæſt.14.art.5. num.41
Alius eſſet eius conceptus, ſi implicarent aliquæ creaturæ,quæ de facto non implicant.q.14.art.5. num.42
Eius conceptus non ſatis ſaluaretur, implicantibus creaturis, per hoc quòd, ſi non implicarent,poſſent fieri à Deo. q.14.a.5.n.41
Ratio Omnipotentiæ ſatis probat implicare quod Deus velit aliquid efficaciter, & non fiat. q.19. art.6.n.2
In Deo eſt omnipotentia. q.25.art. 1.n.1.& art.3
Omnipotentia Dei non eſt ipſum decretum liberum.q.25.art.1.n.2.quamuis illud exigat vt complementum determinatiuum. ibid.
Dato in Deo decreto voluntatis, & ſecluſa omni alia virtute exequutrice, non haberetur effectus ad extra. q.25.art.1.n.4
Omnipotentia Dei diſtinguitur ratione ab ipſius voluntate, & intellectu. q.25.art.1.n.5
Principium exequutiuum non eſt intra latitudinem voluntatis, & ſcientiæ,qua tales ſunt. q.25.art.1. num.7
Poſſe velle facere, & poſſe facere, non ſunt idem. q.25.art.1.n.7
Omnipotentia non poteſt ſe habere æqualiter ad creabilia,& ad non creabilia. q.25.art.1.n.8
Omnipotentia Dei eſt aliquo modo reflexiua. q.25. art.1.n.10
Quomodo potentia creatiua, quæ ab æterno fuit ſine actu, per actualem creationem in tempore, non ſit mutata. q.25.a.1.n.11
Potentiæ creatiuæ ſpecificatiuum primarium,ac directum, eſt ipſum eſſe diuinum, quod per creationem communicatur; ſecundarium & indirectum eſt creatura. q.25.art.1.n.12
Potentia creatiua eſt aliquo modo intellectualis. q.25.art.1.n.13
Omnipotentia Dei eſt infinita. q.25.art.2
Omnipotentia Dei non ſe extendit ad præterita in ſenſu compoſito; ita vt poſſit facere vt præteritum componens cum præteritione, non ſit præteritum. Neque in ſenſu diuiſo; ita vt quod verè componit cum præteritione, ſpoliet præteritione. Sed in hoc alio ſenſu diuiſo, vt rem, quæ ſtat ſub præteritione, potuerit non coniungere cum præteritione. q.25.art.4.n.1.ad finem.
Dei Omnipotentia etiam ſe extendit ad ea,quæ non facit. q.25.art.5
Dei Omnipotentia non poteſt facere meliorem eſſentiam cuiuſque rei.q.25.art.6.n.1.poteſt tamen facere meliora eius bona accidentalia. n.2
Data qualibet eſſentia creata, poteſt Deus creare aliam eſſentialiter meliorem. q.25.art.6.n.3
Deus poteſt facere meliùs, quæ facit. falſa propoſitio, ſi ly *meliùs* ſumatur aduerbialiter, importans modum ex parte facientis: ſecus ſi importet modum ex parte facti. q.25.art.6.n.4
Hoc vniuerſum non poteſt à Deo fieri melius ratione proportionis,quam hic rerum ordo exigit. q.25.art.6.n.5.poſſet tamen,ſi non eſſet ſeruanda talis proportio. q.25.art.6.n.6
Quænam ſint de facto creata, quibus nihil quicquam poteſt fieri melius.q.25.a.6.n.7.8

*Deus prima cauſa.*

Vide *Dei ſcientia rerum cauſa. Dei voluntas rerum cauſa.*
Primæ cauſæ concurſus generalis declaratur. q.14. art.13.n.360.& q.23.art.4.n.20
Prima cauſa determinatur à ſecundis. q.14.art.13. num.361
Dependentia cauſæ ſecundæ à prima declaratur. q.14.art.13.n.363
Cauſa ſecunda quomodo pendeat à prima dum ſe determinat. q.14.art.13.n.408
Cauſa prima quomodo concurrat cum cauſis. Vide *Libera cauſa. Dei voluntatis decretum. Determinatio. Liber effectus.*& ſummatim q.19.art.8.n.6
Deus ad productionem creaturarum cócurrit etiam tamquam cauſa exemplaris. q.15.art.1.n.4
Ratio primæ cauſæ in Deo ſufficienter probat,quicquid Deus efficaciter vult,neceſſariò fieri. q.19. art.6. n.2. Deus vt cauſans quam relationem habeat ad res creatas. q.14.art.5.n.18.41
Deus cum de non producente fit producens,an verè mutetur. q.19.art.7.n.9
Si Deus operaretur ex neceſſitate naturæ,an poſſent cauſæ ſecundæ operari liberè.q.19.a.8. n.7. ad finem articuli. Vide *Libertas. Contingentia.*
Concurſus primæ cauſæ non ſubſequitur concurſum ſecundæ. q.23.art.4.n.25
Cauſæ primæ effectus an ex hoc ſit vniuerſalior, quam effectus cauſæ ſecundæ. ibid.
Prima cauſa an ex eo denominetur vniuerſalis, quia attingat effectum in vniuerſali. q.23.art.4.n.39
Deus vt cauſa dicit quamdam habitudinem ad creaturas. q.14.art.5.n.18.41
Sola ratio cauſæ in Deo importat connexionem cum creaturis. q.14.art.5.n.36

*Dei propoſitum.*

Dei propoſitum (de quo Apoſtolus) non eſt ante ſcientiam conditionatam. q.14.art.13.n.296
Dei propoſitum, quo vocantur electi,quid ſit. q.23. art.1.n.38.39.41

*Dei Prouidentia.*

Prouidentiæ variæ definitiones. q.22.art.1.n.4
Dei Prouidentia non pendet à ſcientia media, ſed illam ſupponit. q.14.art.13.n.533
Imperfecta fuiſſet,ſi quæ Deus potuit velle ab æterno,incepiſſet velle in tempore. q.19.art.7.n.7
Eſſe in Deo Prouidentiam eſt de fide.q.22.art.1.n.1.
Demonſtratur ex eo, quòd Deus eſt primum agens propter finem. ibid.
Actus intellectus, quem de ſe importat Dei Prouidentia, non eſt ſcientia viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ,qua cognoſcitur congruentia mediorum ad finem. q.22.art.1.n.5.6
Præter hunc actum intellectus, & actum voluntatis decernentis media ad finem, non eſt neceſſarius alius actus intellectus immediatè imperantis potentiæ exequutiuæ. q.22.art.1.n.7
Dei Prouidentia,quæ ſupponit abſolutã, & efficacem voluntatem finis, eſſentialiter importat infallibilem eius conſequutionem.q.22.art.1.n.14. etiam generalis prouidentia, ſaltem reſpectu finis generalis. n.15.& 32
Non inuoluit neceſſariam conſequutionem finis particularis, niſi illum ſupponatur voluiſſe efficaciter,& abſolutè. q.22.art.1.n.16
Prouidet ſapientiſſimè omnibus media ad ſalutem, etiam iis, qui illam de facto non conſequentur. q.22.art.1.n.17
Conformari debet naturalibus conditionibus cauſarum,ex eo, quòd vniuerſalis ſit. quæſt.22.art.1. num.18
Eius ordo adhuc eſt immutabilis, dato quod finem non conſequatur. q.22.art.1.n.20
In quo ſenſu dicatur fallibilis, vel infallibilis. q.22. art.1.n.32
Eius infallibilitas habetur per ſcientiam mediam, non autem per voluntatem. q.22.art.1.n.34
Ei ſubiecta ſunt omnia. q.22.art.2.n.1
Immediatè reſpicit omnia.q.22.art.3.n.1.& ſub omnibus particularibus circunſtantiis. ibid.
Dei prouidentia de rebus in particulari non ſemper ſupponit abſolutam voluntatẽ finis.q.22.art.3.n.6
Non diſponit ſolùm operationes,ſed etiam modum operandi liberè,vel neceſſariò,pro exigentia cauſarum. q.22.art.4.n.1
An rectè diuidatur in naturalem, & ſupernaturalem. q.23.art.1.n.16
Supernaturalis latiùs patet, quam prædeſtinatio. q.23.art.1.n.17
Saluatur perfectiſſimè per ſcientiam mediam; non autem per determinationem cauſæ liberæ. q.23. art.2.n.14

*Dei ſcientia.*

Scientiam eſſe in Deo eſt de fide. q.14.art.1.n.1.2.3
Probatur ex immaterialitate Dei. q.14.art.1.n.3
Probatur ex mundi opificio. q.14.art.1.n.29
Probatur ex operatione cauſarum ſecundarum propter finem. q.14.art.1.n.30.31
Non probatur efficaciter ex operatione propter finem ipſius Dei. q.14.art.1.n.32
Scientia Dei eſt perfectiſſima. q.14.art.1.n.37
Non eſt qualitas accidentalis. q.14. art.1.n.40. neque habitus. n.41. poteſt tamen, prout permanens,dici aliquo modo habitualis. n.44
Non eſt propriè actus primus. q.14.art.1.n.45. licet impropriè ratione permanentiæ poſſit dici. n.45
Non eſt vniuerſalis,aut particularis.q.14.art.1.n.58
Scientiam ſui ipſius eſſe in Deo eſt de fide. q.14. art.2.n.1
Probatur ex omnimoda identitate diuini intellectus cum ſua eſſentia. q.14.art.2.n.2
Sua ſcientia ſolus Deus ſe ipſum per ſe intelligit. q.14. art.2. n.8. & perfectiſſime comprehendit. art.3.n.1
Sua ſcientia Deus formaliter cognoſcit creaturas,& quo modo. q.14.art.2.n.13
Scientia ſua Deus intelligit alia à ſe. q.14. art.5. n.1.2
Scientia ſua Deus non intelligit creaturas in ipſis creaturis. q.14. art.5. n.5. ſed in ſe ipſo,tanquam in medio formaliter cognito. n.9
Non poteſt ſe comprehendere, quin ſimul creaturas comprehendat. q.14.art.5.n.16.17
Non intelligit creaturas in ſe tamquam in ſpecie. q.14.art.5.n.22
Deum qui negant cognoſcere creaturas in ſe ipſo, tamquam in medio formaliter cognito, neceſſariò debent admittere, eas eſſe obiectum diuinæ cognitionis immediatum. q.14. art.5.n.24.ad 28. quod oſtenditur eſſe falſum. n.28.ad 30
Deum qui dicunt cognoſcere creaturas in ſe ipſo tanquam in ſpecie expreſſa,non ſoluunt quæſtionem. q.14.art.5.n.27
Scientia ſua Deus non intelligit creaturas in ſe ipſo tanquam in ſpeculo. q.14.art.5.n.30
Sed directè & primario illas cognoſcit in ſe ipſo, tamquã in cauſa ab illis imitabili.q.14.art.5.n.33
Quomodo creaturæ, cum non ſint in Deo ſecundum ſuum eſſe formale,in ipſo obiectiuè viſo videantur. q.14.art.5.n.37
Scientia creaturarum in Deo non eſt prior omnipotentia ſecundum rationem. q.14.art.5.n.38 Vide *Dei omnipotentia.*
Quomodo per connexionem cum omnipotentia videantur creaturæ futuræ,vel actuales,quæ nullam habent cum illa neceſſariam connexionem. q.14.art.5.n.44.45
Deus cognoſcit creaturas non in ſua cognitione, ſed in ſua eſſentia. q.14.art.5.n.48
Deus cognoſcit creaturas propria cognitione, & quid hoc ſit. q.14.art.6.n.1.2
Dei ſcientia non eſt diſcurſiua. q.14.art.7.n.1.2
Dei ſcientia adæquatè diuiditur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,& ſcientiam viſionis.q.14.art.8. n.21. probatur adæquatio huius diuiſionis. n.27. & art.13.n.478
Repræſentat negationes,& priuationes proprio, ac diſtincto conceptu. q.14.art.9.n.3
Licet non primario,& per ſe,ſed per poſitiua, & ſecundario. q.14.art.9.n.4
Non eſt de non ente ad modum entis,niſi per ordinem ad noſtrum intellectum. q.14. art.9. n.7.8.9
Deus comprehendendo ſe comprehendit ſimul res creatas. q.14.art.5.n.16.17
Scientiam Dei eſſe de malo tum culpæ, tum pœnæ, tum naturæ,eſt de fide. q.14.art.10.n.1
Scientia Dei de malo pœnæ,& naturæ ſolum poſſibili,eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ:de futuro verò eſt viſionis, & adprobationis. q.14. art. 10. n.2
Scientia Dei de malo culpæ ſolum poſſibili, eſt ſimplicis intelligentiæ:de futuro verò eſt ſcientia viſionis, non autem adprobationis. q.14. art.10. n.3.4
Scientia Dei non eſt per ſe & primario de malo, ſed per aliud,& ſecundario. q.14.art.10.n.9
Scientia Dei de malo eſt immediate per bonum creatum,quo priuat. q.14.art.10.n.10.11
Mediatè verò, ſed primario per bonum increatum. n.12.13
In quo ſenſu illam S.Dionyſius compararit luci, reſpectu tenebrarum. q.14.art.10.n.14
Non ipſa pendet à bono creato,ſed ipſius obiectum. q.14.art.10.n.17
In quo ſenſu ſit in Deo immediatè per ſuam eſſentiam,mediatè per bonũ creatum.q.14.art.10.n.18
Scientia Dei eſt de ſingularibus. q.14.art.11
Eſt item de infinitis. q.14.art.12
Quid ſit ſcientiam Dei menſurari æternitate. q.14. art.13.n.10
Scientia Dei quomodo dicatur præterita. q.14. art.13.n.19
Quomodo tempori coëxiſtat, ab illo tamen abſtrahat. q.14.art.13.n.97
Dei ſcientia nuſquam à S. Th. diuiditur in naturalem,& liberam. q.14.art.13.n.347
Deum ſua ſcientia cognoſcere omnia enuntiabilia, eſt de fide. q.14.art.14.n.2


Deus

Deus cognoſcit enuntiabile, non per enuntiationem, ſed per ſimplicem intelligentiam. q.14. art.14.n.3.
Circa quæ verſetur ſcientia Dei. q.14.art.11
Dei ſcientia, quoad intrinſeca, eſt prorſus inuariabilis. q.14.art.15.n.2. item comparata ad ſuum obiectum primarium. n.3. etiam ad ſecundarium poſſibile. n.4. etiam ad ſecundarium actuale. n.5
An Deus omnia cognoſcat vniformiter. q.14.art.15. n.9
Quem actum ſcientiæ includat prouidentia. Vide *Dei prouidentia.*
Scientia decreti de danda gloria eſt prior, quam decretum de danda gratia. q.23.art.1.n.21

*Dei ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & naturalis.*

Quid ſit, & cur ita dicatur. q.14.art.8.n.8
Latius patet, quàm ſcientia viſionis. q.14.art.8.n.9
Quomodo ſe extendat ad obiectum ſcientiæ viſionis. q.14.art.8.n.10.ad 13
Partim eſt ſpeculatiua, partim practica. q. 14. art.8. n.16
Sub qua ratione antecedat actum voluntatis. ibid.
Eſt item dupliciter practica; primò per modum prudentiæ, reſpectu voluntatis; ſecundo per modum artis, reſpectu operis externi. q.14.art.8.n.17
Quomodo dicatur abſtractiua. q.14.art.8.n.20
Licet abſolute ſit rerum cauſa; non tamen prout verſatur circa poſſibilia. q.14.art.8.n.62.63
Sub quo conceptu ſit cauſa in actu primo completa, abſque vllo actu voluntatis. q.14.art.8.n.64.66
Reſpectu quorum effectuum ſit cauſa tantum virtute. q.14.art.8.n.106
Ex eo quod ſit cauſa rerum in actu primo, probatur eſſe etiam in actu ſecundo. q.14.art.8.n.108
Comparatur ad Ideas. q.14.art.8.n.112
Conſideratur dupliciter; vel ſecundum vſum ſcholaſticorum; vel ſecundum nominis proprietatem. q.14.art.13.n.476
Eſt inuariabilis. q.14.art.15.n.4

*Dei ſcientia viſionis, & libera.*

Scientia viſionis quid ſit, & cur ita dicatur. q.14. art.8.n.8.
Ex vſu Doctorum contrahitur ad creaturas, licet ex ſuo conceptu poſſit extendi ad Deum. quæſt.14. art.8.n.15
Non eſt propriè practica, ſed impropriè, & obiectiuè. q.14.art.8.n.18
Quo modo ſit libera. q.14. art.8. n.19. & quam neceſſitatem habeat in Deo. n.39
Scientia viſionis, etiam de futuris, & præteritis eſt intuitiua. q.14.art.8.n.30.31.32
Scientia viſionis conſequitur ſcientiam artificis. q.14.art.8.n.38.39
Non eſt indifferens ad oppoſita. q.14.art.8.n.40
Cur à S. Thoma dicatur *quaſi practica.* q.14.art.8. n.41
Completur ab actu voluntatis in ratione cauſæ in actu ſecundo. q.14.art.8. n.64.67.68
In quo ſenſu dicatur non prærequirere rem futuram, neque vt cauſam eſſendi, neque vt conditionem prærequiſitam. q.14.art.8.n.69
Quid exigat, vt denominetur præſcientia. quæſt.14. art.8.n.71.72
Quoad extrinſecam terminationem prærequirit futura, vt cauſam non ſolum inferendi, ſed etiam eſſendi. q.14.art.8.n.73.ad 78
Quid addat ſupra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. q.14.art.8.n.73
Scientiam viſionis cauſari à creaturis, non eſt dicendum. q.14.art.8.n.79
Sola eſt libera in Deo. q.14.art.8.n.81
Non eſt ſcientia ſimul cum voluntate. q. 14. art. 8. n.102.123
Comparatur ad Ideas. q.14.art.8.n.112
Non dicitur pendere à futuris, ſed ſequi futura. q.14. art.8.n.124
Dupliciter poteſt terminari ad futurum, vel fundamentaliter, vel formaliter. q.14.art.8.n.125
Quotupliciter Dei ſcientia dici queat libera. q.14. art.13.n.347
Explicatur extrinſeca terminatio ſcientiæ viſionis. q.14.art.8.n.137
Terminatio actiua, & paſſiua ſcientiæ viſionis inuicem comparantur. q.41.art.8.n.138.139.140
Scientia viſionis Deus videt ipſam præſentialitatem futurorum in æternitate *vt quod,* non autem *vt quo.* q.14.art.13.n.82
In quo ſenſu ſcientia Dei ſit prior, vel poſterior ipſa rerum præſentia. q.14.art.13.n.85
Scientia Dei libera duplicem habet determinationem; intrinſecam, & terminatiuam. q.14.art.13. n.205
Præſupponit ſaltem obiectiuè decretum liberum. q.14.art.13.n.260
Præſupponit, & præſupponitur à futuro. quæſt. 14. art.13.n.207
Scientia Dei dupliciter dici poteſt libera. quæſt.14. art.13.n.347
An ſcientia viſionis ſit eadem cum ſcientia libera. q.14.art.13.n.347.348.475
Scientia Dei, an ex eo quòd ſit libera, dici poſſit variabilis. q.14.art.13.n.440
Scientia decreti liberi an ſit libera. quæſt.14.art.13. num.455
Quod Dei ſcientia tendat in futura, non oritur præciſè ex eius infinitate. q.14.art.13.n.464
Nonnullæ propoſitiones neceſſariæ conditionatæ, ratione libertatis, quam includunt ex parte conditionis, pertinent ad ſcientiam viſionis. q. 14. art.13.n.478
Nulla Dei ſcientia poteſt eſſe formaliter libera, ſed tantum denominatiuè. q.14.art.13.n.490.495
Scientia libera non bene dicitur illa, quæ præſupponit aliquam prædefinitionem liberam in Deo. q.14.art.13.n.492
Scientia Dei prius terminatur ad futurum ſimpliciter, quam ad futurum ex ſuppoſitione quod futurum ſit. q.14.art.13.n.513
Scientia viſionis eſt inuariabilis. q.14. art. 15. n.5. quomodo ſtet hæc inuariabilitas cum contingentia obiecti. ibid. quomodo cum ipſa mutatione obiecti de futuro in præſens, & de præſente in præteritum. ibid.
Deus in quo ſenſu per ſcientiam viſionis poſſit, vel non poſſit ſcire plura, quàm ſciat. q. 14. art. 15. n.6.7.8
In quo ſenſu vera ſit hæc propoſitio, vel falſa, *Deus quicquid ſciuit, ſcit.* q.14.art.15.n.9

*Dei ſcientia adprobationis.*

Quid ſit apud Durandum, Marſilium, & Argentinam. q.14.art.8.n.22
Non eſt tertium membrum adæquatæ diuiſionis, contra Aſturicenſem. q.14.art.8.n.28
Probatur efficaciter. n.33.34
Quid differat à ſcientia viſionis. quæſt.14. art.8. num.29
Non eſt libera. q.14.art.8.n.122
Eſt diſtincta, & prior ſcientia viſionis. q.14. art.8. n.114.475
Addit ad conceptum ſcientiæ, rationem volendi, non ſciendi. q.22.art.1.n.6

*Dei*



*Dei ſcientia rerum cauſa.*

Dei ſcientiam eſſe in aliquo ſenſu rerum cauſam, eſt de fide. q.14.art.8.n.1
In effectione creaturarum ſe habet, vt ars. q.14.art.8. num.3.
Eſſe cauſam, probatur ex creaturarum ſimilitudine cum illa. q.14.art.8.n.7
Scientia viſionis non eſt rerum cauſa. q. 14. art. 8. n.37.ad 62
Scientia artificis eſt cauſatiua rerum. quæſt.14.art.8. num.38.39
Scientia cauſatiua eſt indifferens ad oppoſita. q. 14. art.8.n.40
Vt cauſa formaliter non eſt cognoſcens. q.14. art.8. num.83
Ex eo quòd Dei ſcientia de futuro ſit ipſo poſterior, non bene idem infertur de voluntate. q.14. art.8.n.90
Scientia non poteſt in eodem ſigno determinari ad cauſalitatem, & repræſentationem rei futuræ. q.14.art.8.n.118
Non variatur, in ratione ſciendi, per liberam applicationem ad cauſandum. q.14.art.8.n.119
Scientia Dei in quo ſenſu ſit cauſa neceſſaria rerum. q.14.art.13.n.18
Quomodo dicatur concurrere ad effectionem rerum, vt determinata à voluntate. q.19.art.4.n.7
An eadem directione dirigat potentiam Dei, & voluntatem. q.19.art.4.n.8
Quomodo dicatur cauſa remota rerum. q.19.art.4. num.9
Scientia libera non eſt actu cauſa rerum. q.14. art.8. n.121

*Dei ſcientia de futuris contingentibus abſolutis.*

Vide *Futura. Contingentia. Libertas. Dei voluntatis decretum.*
Futura contingentia abſoluta certò cognoſcuntur à Deo. q.14.art.13.n.4
Scientia Dei de his futuris duplex eſt; altera coniecturalis in cauſa; altera infallibilis in ipſa determinatione effectus. q.14.art.13.n.5.29
Scientia coniecturalis ſignata de his futuris nullam dicit imperfectionem in Deo; ſecus exercita. q.14.art.13.n.6
Scientia de his futuris eſt in Deo ſimul, ab æterno, de omnibus. q.14.art.13.n.9.10.11.12
Non lædit creati arbitrij libertatem. q.14. art.13. num.13
Compoſſibilitas horum conceptuum, *Hoc futurum eſt. Hoc poteſt non eſſe futurum.* conciliat diuinam ſcientiam de futuris cum creata libertate. q. 14. art.13.num.14
Dei præſcientia, neque qua Dei eſt, neque qua præſcientia, poteſt tollere libertatem. q.14. art.13 num.15
Scientia de his futuris eſt neceſſaria in Deo non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione. q.14.art.13.n.19
Ipſa ſcientia ſignificata per modum præteriti habet inuariabilem veritatem; obiectum verò non item. q.14.art.13.n.20
Non importat in obiecto neceſſitatem rei, ſed tantum dicti. q.14.art.13.n.28
Cadit neceſſario in futurum, ex poſitione ipſius futuri. q.14.art.13.n.28
Quam neceſſitatem refundat in obiectum. q.14. art.13.n.28
Non poteſt terminari ad actualem coëxiſtentiam rerum æternitati, antequam ſint in propria duratione. q.14.art.13.n.31
Quomodo ſit intuitiua ex S. Thom. q. 14. art. 13. num.52
Vnde habeat, vt neque ex parte obiecti ſit contingens. q.14.art.13.n.80
Non habet vt ſit infallibilis ex parte Dei ab æternitate, qua menſuratur, ſed ab infinitate intellectionis. q.14.art.13.n.81
Scientiæ Dei certitudo quare non excludat contingentiam in futuris contingentibus. q.14. art.13. n.81
Futura contingentia ab intrinſeco non poteſt Deus certò & infallibiliter videre in ſuis cauſis. q.14. art.13.n.99
Futuros actus malos non poteſt Deus infallibiliter videre in ſuis cauſis ſine prædeterminatione ad illos. q.14.art.13.n.111.
Futuros actus malos non poteſt Deus infallibiliter videre per ideam boni, cui opponuntur. q. 14. art.13.n.112
Scientia futurorum liberorum, quam habet Deus ex cauſis liberis, in quo ſenſu dici poſſit certa. q.14.art.13.n.114
Futura libera Deus non videt præciſè in voluntate informata auxilio efficaci gratiæ. q. 14. art. 13. n.119. neque in ſuis ideis, vel ante, vel poſt decretum. 120.121.122.123.124. Vide *Dei Idea.*
Neque in voluntate generaliter decernente concurſum, ad quoſcumque actus liberos. q.14. art. 13. n.126
Neque in eadem determinante talem actum. Vide *Dei voluntatis decretum.*
Dei ſcientia de actibus liberis futuris peccaminoſis. q.14.art.13. n.142. ad 146. Vide *Dei voluntatis decretum. Peccatum. Voluntas. Contingentia.*
Dei ſcientia de futuris liberis, an expectet determinationem creatæ voluntatis. q.14.art.13.n.149
Cum ſcientia Dei certa ſit, quomodo dantur futura contingentia. q.14.art.13.n.81
Dei ſcientia de peccatis futuris ſufficientiſſimè habetur ex decreto prædeterminante peccatum, ſi illud admittatur. q.14.art.13.n.153
Non tamen ex præuiſa negatione auxilij efficacis. q.14.art.13.n.173
Neque ex ipſo decreto prædeterminante, ſi illud ſtet cum potentia ad oppoſitum. quæſt.14. art.13. n.178
Sufficientiſſimè habetur ex decreto permiſſiuo abſoluto, quod ſubſequitur ſcientiam conditionatam. q.14.art.13.n.181
Dei ſcientia terminatur ad futura contingentia abſoluta in ſe ipſis. q.14. art.13. n.182.ad 209. non tamen ſine ordine ad cauſam. n.188. neque ſine ipſa cauſa tum prima, tum ſecunda, cognita, non quidem *vt quo,* ſed *vt quod.* n.189
Dei ſcientia de actibus liberis prædefinitis, prius terminatur ad illos ſub conditione futuros in ſe ipſis, quàm ad decretum eos abſolute prædefiniens. q.14.art.13.n.190
Dei ſcientia de futuris liberis duplex habet medium; alterum intrinſecum ex parte Dei; alterum extrinſecum ex parte rei cognitæ. quæſt. 14. art.13.n.205
Immediata ratio videndi futura contingentia ex parte Dei, eſt ipſamet Dei voluntas. q.14.art.13. n.316
Dei ſcientia de futuris liberis abſolutis, an etiam extendatur ad ſua decreta, prout habent aliquam rationem futuri. q.14.art.13.n.448.ad 462
Dei ſcientia de futuris ſuis decretis an, & quo modo ſit primus actus liber, qui eſt in Deo. q. 14. art.13.n.453
Scientia decreti eſt prior decreto, & qua prioritate. q.14.art.13.n.456. eſt etiam poſterior. n.457

An

An ſit practica vel ſpeculatiua. q.14.art.13.n.457
An impediat libertatem ipſius decreti. q.14. art.13. n.458
In noſtra poteſtate eſt, vt Deus videat potius hunc actum liberum futurum, quàm alium. q.14.art.15. num.10
Nulla creatura poteſt mutare ſcientiam Dei de actibus liberis creatis. q.14.art.15.n.11
An Deus habeat intra ſe ſufficientia principia cognoſcendi liberos effectus abſolute futuros. q.22. art.1. n.33. an etiam conditionatè futuros. ibid. & q.23.art.4.n.59.60

*Dei ſcientia de futuris contingentibus conditionatis.*

Vide *Futura. Conditio. Contingentia. Libertas. Dei voluntatis decretum. Dei ſcientia media.*
Scientia conditionata, qua ratione ſit libera. q.14. art.13.n.174.& 348.& 439
Eius obiectum eſt determinatum ante actualem Dei voluntatem. q.14.art.13.n.174
Dari in Deo ſcientiam de futuris contingentibus conditionatis infallibilem, eſt certiſſimum. q.14. art.13.n.209
Eam in quo ſenſu admiſerint Pelagiani. q.14.art.13. n.230
Sufficientiſſime probatur ex determinata conditionatorum veritate. q.14. art.13. n.237. item ex ſcientia de abſolutis. n.238. item ex efficacia prædeſtinationis & gratiæ Dei. n.239
Eſt ante decretum prædeſtinationis. q.14. art.13. n.239
Non eſt in Deo ſolùm eminenter, ſed formaliter. q.14.art.13.n.211.215.241
Quomodo ſit practica. q.14.art.13.n.243
In quo ſenſu vocetur à Patribus præſcientia. q.14. art.13.n.246
Ad ſcientiam conditionalium cuiuſuis generis, requiritur decretum conditionis, non actu exiſtens in re, ſed obiectiuè in intellectu. quæſt.14.art.13. n.267. item decretum effectus futurum ſub conditione. n.268
Scientia de conditionalibus neceſſariis præcedit decretum connexionis. q.14. art. 13. n.269. ſecus ſcientia de diſparatis. q.14.art.13.n.272
Scientia de conditionalibus liberis ordinatis, præcedit decretum connexionis, tùm in re exiſtens, tùm obiectiuè in intellectu. q.14. art.13. n. 275. ad 447. Vide *Dei voluntatis decretum.*
Scientia conditionata poſt decretum, non eſt ſcientia viſionis; neque ſimplicis intelligentiæ; ſed media. q.14.art.13.n.353.354
Scientiæ conditionatæ obiectum ante decretum, an ſit ſcibile; & quo modo. q.14.art.13.n.415
Scientiã contingentium cõditionalium habet Deus per ſuam eſſentiam, determinatam per decretum, poſt determinationẽ creaturæ. q.14.art.13.n.426
Scientia conditionalium liberorum duplex; ex parte cogniti, & ex parte cognoſcentis; explicatur. q.14.art.13.n.426
Deus etiam futura conditionata ſuæ voluntatis cognoſcit. q.14.art.13.n.260.450
Scientia conditionalium liberorum ante decretum, an ſit caſualis. q.14.art.13.n.438.441
Vnde ſit, vt Deus hoc potius futurum conditionale præſciat, quàm oppoſitum. q.14.art.13.n.441
Scientia conditionata quomodo ſupponat, vel ſupponatur à ſuo ſubiecto. q.14.art.13.n.442
Ad ſcientiam conditionatam nullum requiritur decretum Dei abſolutum. q.14. art.13. n.447. licet requiratur ſcientia de futuris decretis conditionatis. n.450
Scientia conditionata, an, & quomodo ſupponat abſolutam. q.14.art.13.n.454
Dei ſcientia de futuris contingentibus conditionatis non fundatur in exceſſu comprehenſionis, reſpectu cauſæ liberæ. q.14.art.13.n.460
Scientiæ conditionatæ difficultas aperitur. q. 14. art.13.n.462
Scientia futurorum conditionalium contingentium neceſſariò arguit infinitatem in cognitione. q.14. art.13.n.463
Ratio cur Deus videat contingentia conditionaliter futura, ex parte cognoſcentis non eſt omnipotentia præcisè; ſed decretum conditionatum ex parte actus, determinatum poſt liberam determinationem creaturæ, conditionaliter futuram. q.14.art.13.n.465
Libera Dei voluntas conditionate futura eſt ratio, ex parte cognoſcentis, cur Deus videat futurum hoc, & non oppoſitum ſub conditione. q. 14. art.13.n.465
Actus neceſſarius diuinæ voluntatis eſt ratio, ex parte cognoſcentis, cur Deus videat futurum hoc ſuum decretum, & non oppoſitum ſub conditione. ibid.
Ratio cur Deus videat futura conditionalia libera ex parte obiecti, eſt determinata veritas obiectiua, quam conditionaliter habent in ſe ipſis conſiderata. q.14. art.13.n.466
Scientia conditionata diſparatorum, eſt omnino libera. q.14.art.13.n.486
Scientia conditionalium denominatur extrinſecè libera, à libertate creata. q.14.art.13.n.490
Si Deus nihil creare decreuiſſet, adhuc habuiſſet ſcientiam conditionalium. q.14. art.13.n.492
Scientia Dei non poteſt dici pendere ab arbitrio noſtro, licet ab illo pendeat ſcibile. q.14. art. 13. n.495.496
Scientia conditionalium contingentium præſupponit in obiecto infallibilitatem conditionatam ſimpliciter; non ex parte voluntatis, neque ex parte conditionis; ſed ſolum ex parte effectus. q.14.art.13.n.508.509.510
Non præſupponit in obiecto infallibilitatem reflexam ex ſuppoſitione. q.14.art.13.n.511
Cauſat extrinſecè ſummam infallibilitatem in cauſa libera, & in conditione antecedente; ita vt effectus infallibiliter futurus in ſe, fallibiliter à cauſa ante ſcientiam mediam; poſt illam ſit etiam à cauſa infallibiliter futurus. q.14. art.13. n.515.516. Vide *Infallibilitas.*
Explicantur, & ordinantur ſigna rationis diuini intellectus, & voluntatis, quæ intercedunt in ſcientia conditionata. q.14.art.13.n.521
Cur effectus abſolutè futurus præſupponatur infallibiliter futurus à ſua cauſa ante præſcientiam abſolutam; effectus verò conditionatè futurus, non item. q.14.art.13.n.522
Deus quo pacto dicatur incipere à ſe ipſo in ſcientia futurorum contingentium conditionalium. q.23.art.4.n.59

*Dei ſcientia media.*

Vide *Dei ſcientia de futuris contingentibus conditionatis.*
Scientia media ad quod diuiſionis communis membrum reuocetur. q.14.art.13.n.349.& 350
Scientiam mediam tenentur etiam admittere, qui admittunt conditionatam poſt decretum. q.14. art.13.n.353.481
Scientia media comparatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ad ſcientiam viſionis. quæſt. 14. art.13.n.477.ad 484
Non eſt ſimplicis intelligentiæ. quæſt. 14. art. 13. num. 477. Neque eſt ſcientia viſionis. n.479 Sed media inter vtramque per participationem aliquam vtriuſque. n.480. magis tamen accedit ad ſimplicem intelligentiam. q.14.a.13.n.482
Scientia media in quo ſenſu ſit tantùm ſcientia viſionis. q.14.art.13.n.483
Scientia media comparatur ad ſcientiam naturalem, & liberam. q.14.art.13.n.484.ad 489. mediat inter vtramque per participationem vtriuſque. n.484. quomodo ſit naturalis; quomodo libera. n.485. magis eſt naturalis, quàm libera. n.488
Dari aliquam ſcientiam mediam, inter naturalem, & liberam, omnes fateri coguntur. q.14.art.13. n.487
Scientia media, prout antecedens omnem actum liberum diuinæ voluntatis, eſt quidem naturalis ex parte ſubiecti; ſed tamen libera ex parte obiecti. q.14.art.13.n.490
Scientia media optimè ſaluat prouidentiam Dei. q.14.art.13.n.494
Scientia media an dicenda ſit eſſe in ancipiti, ex eo quod eius obiectum potuerit non eſſe. q.14.a.13. n.494
An ex eo, quod nunquam futurum fuerit oppoſitum, negandum ſit, ſcientiam mediam eſſe de obiecto, quod potuerit non eſſe. q.14.art.13.n.495
Scientia media dupliciter conſiderari poteſt, vel ſecundùm rem, vel ſecundùm nomen mediæ. q.14. art.13.n.501
Scientia media non eſt ita noua, vt contradicat antiquæ doctrinæ Patrum & Scholaſticorum; neque vt omnino ſit extra illorum doctrinam; ſed tantum, vt non hoc vocabulo ab illis ſit tradita. q.14.art.13.n.502.503
Scientia media nihil habet periculi. q.14.art.13. n.505
Scientia media, etiam ſi nullum vſum haberet, adhuc tamen eſſet neceſſariò admittenda. q.14. art.13.n.523
Scientia media eſt neceſſaria ad concordiam libertatis creatæ cum actibus diuinis. q.14.art.13. n.524
Scientia media cur minus dilucidè tradita ab antiquis, à recentioribus fusè tractetur. q.14.art.13. n.526
An detur aliqua alia ſcientia inter liberam & naturalem. q.14.art.13.n.487
Non bene dici, Deum indigere ſcientia media. q.14. art.13.n.534. neque illam expectare. ibid.
Actus liber abſolutè futurus non poteſt à Deo cognoſci, ſine ſcientia media. q.14.art.13.n.535
Scientia media non tollit neceſſitatem prædeſtinationis. q.14.art.13.n.540
Scientia media non tollit immediatum concurſum diuinæ voluntatis ad actiones noſtras liberas. q.19.art.4.n.10
Scientiam mediam qui admittunt, conſequenter negant neceſſitatem diuinæ prædefinitionis ex parte actus, vt ſimpliciter habeatur. q.23.art.4.n.40
Deus per ſcientiam mediam non concurrit cæco modo ad actus liberos. q.23.art.4.n.65.67
Dei ſcientia media non tollit cauſalitatem gratiæ, & prædeſtinationis. q.23.art.6.n.6

*Dei ſcientiæ obiectum.*

Primarium, & adæquatum, eſt ipſa diuina eſſentia. q.14.art.2.n.9.10
Sola diuina eſſentia eſt perfectius obiectum, quàm ens communiſſimè ſumptum ad diuinum, & creatum. q.14.art.2.n.14
Obiecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiæ viſionis, quomodo poſſint ſpecificare duas ſcientias. q.14.art.8.n.14
Obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ non eſt ens actuale. q.14.art.8.n.107
Futura non ſunt obiectum motiuum ſcientiæ viſionis, ſed purè terminatiuum. q.14.art.8.n.124
Neque terminant vt futura, ſed vt præſentia in ſua differentia temporis. q.14.art.13.n.64.66
Scientiæ mediæ obiectum tripliciter conſideratur. q.14.art.13.n.507
Obiectum ſcientiæ mediæ an recipiat aliquam infallibilitatem ab ipſa ſcientia. q.14.art.13.n.515

*Dei ſpecies intelligibilis.*

Neque re, neque ratione diſtinguitur ab ipſo Deo. q.14.art.2.n.3
Quod munus habeat in Deo. ibid.
Non poteſt vllo modo concipi vt medium inter eſſentiam Dei, eiúſque intellectum. q.14.art.2.n.4
Dei verbum. Vide *Verbum.*

*Dei veritas.*

Vide *Dei intellectus. Veritas.*
Veritas diuini intellectus in repræſentando eſt prior omni alia veritate, etiam diuinæ eſſentiæ. q.16. art.1.n.72
Veritas an prædicetur de Deo formaliter. q.16.art.1. n.61.& art. 3.n.8.& art.5.n.1.2
Deus, eſt verus Deus. q.16.art.5.n.1
Deus eſt ſumma, & prima veritas. ibid.& n.2
Dei veritas quid differat ab ipſius fidelitate. q.21. art.1.n.13

*Dei vita.*

Vita propriiſſimè competit Deo. q.18.art.3.n.1
Solus Deus eſt vita per eſſentiam. q.18.art.3.n.3

*Dei voluntas.*

Coniuncta cum ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non ſtatim conſtituit ſcientiam viſionis. q.14.art.8. n.115
Cur non præſupponat id, quod vult ad extra, quemadmodum ſcientia. q.14.art.8.n.127
Eſt Deo ratio cognoſcendi futura libera, prius quàm idea. q.14.art.13.n.123
An ſit de fide, eſſe voluntatem in Deo. q.19.art.1. n.1. an rectè probetur ex intellectu. ibid.
Non eſt propriè appetitus. q.19.art.1.n.3. quomodo tendat, vel non tendat in bonum. ibid.
Eſt ipſum velle Dei. q.19.art.1.n.4. an ita, vt excludat formaliter rationem principij volitiui. n.5
An volitio, ſi diſtingueretur à ſubſtantia intelligente, procederet immediatè ab intellectione. q.19. art.1.n.7
Eſt de ipſo Deo. q.19.art.1.n.1. & de aliis. n.2. etiam ſecundùm eſſe, quod illa habent extra Deum. n.4. ſemper actualis. n.3. non propter bonitatem ipſorum, ſed Dei. n.5
Eius obiectum formale eſt ipſa bonitas Dei. q.19. art.2.n.5.6. nihil autem creatum. n.6
Quo fine velit gloriam, aliáque bona extrinſeca ipſi Deo. q.19.art.2.n.7
An ſint in ea præter charitatem, aliæ virtutes, vt iuſtitia, veracitas, fidelitas. q.19.art.2.n.8
Velle Dei in actu primo, & in actu ſecundo, explicatur. q.19.art.3.n.21
Dei volitio continet perfectiones omnium volitionum creatarum. q.19.art.3.n.54
Dei voluntas nullam habet cauſam. q.19.art.5.n.1. An hoc ſufficienter probetur ex eo, quòd Deus vnico actu vult finem, & ea, quæ ſunt ad finem. n.2
Neque bonum creatum, neque increatum poteſt eſſe cauſa diuinæ volitionis, quoad ſubſtantiam actus, quamuis non ex eodem capite. q.19.art.5. n.3

Deus vult vnam creaturam propter aliam. q.19.art.5.n.5. ſed ly *propter* non ſignificat rationem finalem motiuam. n.6. neque purum ordinem obiectorum inter ſe. n.6. ſed rationem finalem purè terminatiuam. n.7. propter quam, & alia creatura paſſiuè terminet diuinam voluntatem; & diuina voluntas actiuè terminetur ad illam. n.8. Actiua hæc terminatio comparatur ad actum ipſum, & ad obiecta. n.9. explicatur quid ſit. n.10. ea multiplicata non multiplicatur volitio. n.11
Examinantur hæ propoſitiones, *Deus vult hoc, quia vult illud. Hoc eſt volitum à Deo propter aliud ab eodem volitum.* q.19.art.5.n.11
Dei voluntas quam neceſſitatem imponat rebus. Vide *Dei voluntas rerum cauſa.*
Dei voluntas non eſt de malo pœnæ, vel naturæ, niſi per accidens. q.19.art.9.n.4.5.6
De malo autem culpæ nullo modo. q.19.art.9.n.7.8. ita vt ea non velit eſſe, nec fieri. n.9. & q.23.art.4.n.22
An inter hæc ſit contradictio, *Deus non vult mala non fieri, Deus non vult mala fieri.* q.19.art.9.n.10
Deus vult permiſſionem culpæ. q.19.art.9.n.11. & materialem peccati entitatem, non tamen voluntate ex ſe determinata; ſed ad determinationem creaturæ. n.12. Vide *Dei voluntatis decretum.*
Diuinam voluntatem terminari ad creaturas, an ſit idem, quod operari circa creaturas. q.22.art.3.n.2
An idem ſit, Deum velle aliquid, & velle illud ſapienter; & an ex eadem radice vtrumque habeatur. q.23.art.1.n.45
Dei voluntas eſt potentia motiua, & actiua, includens omnem motionem, & actionem in genere intentionis inclinatiuæ; non tamen in genere reali. q.25.art.1.n.13
Dei voluntas infundit bonitatem exequutiuè, non cauſatiuè. q.25.art.1.n.15

*Dei voluntas libera.*

Vide *Dei libertas.*
Voluntas efficax Dei, determinata ad vnum, eſt libera reſpectu ſui; neceſſaria reſpectu effectus. q.14.art.13.n.138
Quomodo ſit indifferens. q.14.art.13.n.401. & agat vt indifferens. n.402. quomodo ſit contingens. q.19.art.10
Deus liberè vult creaturas actuales. q.19.art.3.n.9
Dei voluntas determinat ſe ipſam effectiuè, reſpectu obiecti ſecundarij; licet obiectiuè determinetur ab intellectu. q.19.art.3.n.17
An eodem modo determinetur ab obiecto, quo noſtra. ibid.
Comparatur cum creata voluntate in ratione determinantis ſe liberè. q.19.art.3.n.31
Habitudo eius ad creaturas actuales, eſt contingens. q.19.art.3.n.36. non autem ipſum velle. n.37
Habitudo eius ad obiecta, non eſt realis; atque adeo neque eſt intrinſeca perfectio Dei. q.19.art.3.n.39
Quid ſit apud S.Thomam, *Diuinum velle eſt in ſe neceſſarium; ſed non eius habitudo ad volita.* q.19.art.3.n.52
Deus de nolente fit volens per aliquam mutationem in obiecto. q.19.art.3.n.69
Liberum Dei arbitrium. Vide *Dei libertas.*
Habitudo diuinæ voluntatis ad operationem, non eſt ipſa operatio. q.22.art.1.n.8
Poſsítne ſuſpendi voluntas Dei. q.14.art.13.n.282

*Dei voluntas neceſſaria.*

Deus neceſſariò vult ſe ipſum, tam ex parte ſubiecti, quàm ex parte obiecti. q.19.art.3.n.1.2. non ſolùm quoad ſpecificationem; ſed etiam quoad exercitium. ibid.
Neceſſariò item creaturas poſſibiles, volitione inefficaci. q.19.art.3.n.3. & ſecundariò. n.4. omnes quidem & ſingulas. n.7
Neceſſitas diuinæ voluntatis ad actualem volitionem poſſibilium, comparatur cum neceſſitate intellectus ad eorum actualem cognitionem. q.19.a.3.n.4.5
Comparatur Dei potentia, & ſcientia cum voluntate; & an habeant eandem neceſſitatem operandi circa ſua obiecta. q.19.art.3.n.18

*Dei voluntas immutabilis.*

Circa quæ obiecta ſit, vel non ſit ſuſpenſa. q.14.art.13.n.282
An poſſit Deus eſſe ſine actuali volitione. q.19.art.3.n.2
An ceſſet velle, quod voluit. q.19.art.3.n.29
Cur Deus non poſſit in tempore velle, vel nolle aliquid, quod non ab æterno. q.19.art.3.n.72
Dei voluntas eſt omnino immutabilis. q.19.a.7.n.1
Implicat in diuina voluntate mutatio de negatiuo in poſitiuum. q.19.art.7.n.3. non quia eſſet in Deo *viciſſitudinis obumbratio.* n.4. neque, quia poneretur immediatè in ipſo aliqua imperfectio phyſica, licet non moralis. n.5.6. ſed quia verè argueretur immediatè imperfectio non phyſica. n.12.13. ſed moralis. n.7.8.9.10.11. & art.3.n.72.73
Dei voluntas ſi à minore bono mutaretur ad volendum maius, eſſet etiam moraliter imperfecta. q.19.art.7.n.7
An, ſi Dei voluntas deſineret aliquid velle, & inciperet velle oppoſitum, ſequeretur vlla contradictio in obiectis. q.19.art.7.n.13
Implicat in diuina voluntate mutatio à poſitiuo in negatiuum. q.19.art.7.n.3. & 14. ſimiliter à poſitiuo in poſitiuum. n.7.10.14
Dei voluntas eſt etiam immutabilis circa mutabilia, quatenus illa vult immutabiliter. q.19.art.7.n.14

*Dei voluntas rerum cauſa.*

Quomodo dirigatur ab intellectu practico. q.14.art.8.n.17
Mediat inter ſcientiam, & res cauſatas. q.14.art.8.n.42
Eſt prior ſcientia vt cauſante; poſterior illa vt potente cauſare. q.14.art.8.n.84
Eſt cauſa agendi neceſſariò in cauſis neceſſariis; liberè in liberis. q.14.art.13.n.109. & q.19.art.8.n.3
Eſt prima ratio cauſandi. q.14.art.13.n.123. & q.19.art.4.n.1.2
Quadrupliciter verſari poteſt circa actus liberos creatos. q.14.art.13.n.123
Quomodo ſit principium omnis efficaciæ in cauſa ſecunda. q.14.ar.13.n.172. quomodo dicatur primo influens. ibid. non expectat, vt ſit efficax, voluntatem creatam, niſi vt obiectum ſcientiæ mediæ. ibid.
Ipſa in actu ſecundo an ſit cauſa efficiens rerum. q.19.art.3.n.43. & quomodo. n.61
Immediatius reſpicit productionem rerum, quàm ſcientia. q.19.art.4.n.3
Ipſa, & non intellectus imperat exequutionem operis. q.19.art.4.n.5
Voluntas Dei efficax ſemper impletur. q.19.art.6.n.1.2
Dei voluntas non imponit neceſſitatem eſſendi omnibus rebus volitis. q.19.art.8.n.1. imponit tamen omnibus conditionalem. n.2
Quid requiratur vt Dei voluntas reddatur efficax. q.14.art.13.n.172

*Dei voluntas beneplaciti.*

Operatio Dei ad extra eſt effectus voluntatis beneplaciti, non autem ipſa voluntas. q.19.art.3.n.62

Volun



Voluntas beneplaciti non ſemper impletur. q.19.art.3.n.3. quid ſit. n.16
An dici poſſit Velleitas. q.19.art.3.n.3
Diuiditur in antecedentem, & conſequentem. q.19.art.6.n.15.17
An in Deo ſit formaliter voluntas ſaluandi omnes homines, etiam præſcitos. q.19.art.6.n.4
Voluntas antecedens quænam ſit; quæ verò conſequens. q.19.art.6.n.14
Dicitur antecedens, vel conſequens, non reſpectu ſui, ſed reſpectu volitorum. q.19.art.6.n.18
Vtraque tantum eſt de bono. q.19.art.6.n.19
Conſequens quomodo comparetur ad damnationem hominum. q.19.art.6.n.20

*Dei voluntatis ſignum.*

Quid ſit. q.19.art.6.n.16
An detur in Deo. q.19.art.11. vnde dicta ſit. ibid.
Signum diuinæ voluntatis dicitur voluntas. ibid.
Quomodo diſtinguatur à voluntate beneplaciti. ibid. & art.12
Signa diuinæ voluntatis, prohibitio, præceptum, operatio, conſilium, permiſſio. q.19.art.12
Cum aliqua voluntate ſigni ſtat ſemper voluntas beneplaciti. ibid.
Cum alia verò nunquam. ibid.
Cum aliis aliquando ſtat, aliquando non ſtat. ibid.

*Dei voluntatis actus.*

Vide *Dei amor.*
Actus diuinæ voluntatis, præciſè ſpectatus, ſecundùm ſua intrinſeca, non eſt amor creaturarum. q.19.art.3.n.57. ſed ſolùm prout liberè terminatus ad creaturas. ibid.
Quínam actus voluntatis metaphoricè tantum dicantur eſſe in Deo. q.20.art.1.n.3
Gaudium, & delectatio propriè ſunt in Deo. ibid. quid inter ſe differant. ibid. quid gaudium ab amore. ibid.
Iuſtitia non eſt formaliter in Deo. q.20.art.1.n.5. neque dolor. ibid. etiam de malis creaturarum. ibid. etiam culpæ. ibid.
Neque ſpes; non ſolùm reſpectu boni proprij, ſed etiam alieni. q.20.art.1.n.6
Neque deſideriũ boni, vel ſui, vel alieni. q.20.a.1.n.7
Neque timor. q.20.art.1.n.8. neque pœnitentia. n.9. neque inuidia. n.10. neque ira. n.11. neque odium eorum quæ ſunt. n.12. neque ipſius peccati, propriè loquendo. n.13
Quo ſenſu dicatur Deus odiſſe peccatores prout tales; & an ly *prout tales* ſpecificet ſolum terminum odij diuini; an rationem formalem, propter quam peccatores odit. q.20.art.2.n.6

*Dei voluntatis decretum.*

Vide *Prædefinitio. Dei libertas. Dei voluntas.*
Decretum de concurrendo ad quemlibet actum liberum, eſt quidem neceſſaria, ſed non adæquata ratio videndi hunc actum determinatè, & non illum. q.14.art.13.n.126.128.129.137
Tale decretum eſt de concurrendo ad vtramque partem oppoſitionis. q.14.art.13.n.127
Implicat decretum prædeterminandi effectum liberum independenter à ſcientia conditionata. q.14.art.13.n.139
Qua ratione decretum Dei, prærequiſitum ad actus creatos liberos, dici poſſit efficax abſolutum. q.14.art.13.n.141
Decretum de pœnitendo peccato, non eſt per ſe ſufficiens ratio videndi actum futurum liberum peccaminoſum. q.14.art.13.n.142.143
Decretum de effectibus liberis creatis, eſt quidem efficax, ſed non prædeterminãs. q.14.art.13.n.172
Quomodo tale decretum trahat voluntatem creatã efficaciter ad ponendũ illum actũ. q.14.a.13.n.172
Decretum Dei efficax, qua ratione ſit, vel non ſit prius futuritione peccati. q.14.art.13.n.180
Non implicat in Deo concipere vnum decretum cum dependentia. q.14.art.13.n.249
Decretum triplex circa futura conditionata; alterum de conditione; alterum de effectu; tertium de connexione inter conditionem, & effectum. q.14.art.13.n.264
Decretum, vel eſt conditionatum ex parte actus, vel ex parte obiecti. q.14.art.13.n.266
Decreto de connexione inter conditionem, & effectum in diſparatis, quænam mutatio reſpondeat à parte rei. q.14.art.13.n.273
Decretum connexionis in futuris conditionatis liberis, non eſt in re exiſtens ante ſcientiam conditionatam in Deo. q.14.art.13.n.276
Decretum prædefiniens ante ſcientiam conditionatam quædam futura conditionata, quædam verò non, impugnatur. q.14.art.13.n.276
Decretum connexionis in futuris liberis conditionatis ante ſcientiam conditionatam, exiſtens actualiter in Deo, non ſatis efficaciter impugnatur, ex eo, quod Deus non prædeterminauerit ipſas conditiones efficaciter. q.14.art.13.n.277. neque ex eo, quod tale decretum eſſet imperfectum. ibid. neque ex eo, quod voluntas antecedens Dei non dicat prædeterminationem actuum in particulari, tale autem decretum dicat. ibid. neque ex mutatione, quæ requiritur in re, correſpondens decreto diuinæ voluntatis. n.278
Efficaciter impugnatur ex eo, quod eſſet ſuperfluum. q.14.art.13.n.279.281.282
Decretum, niſi habeat aliquam neceſſitatem in ordine ad finem, ſemper eſt ſuperfluum, & excludendum à Deo. q.14.art.13.n.282
Decretum actuale quibus diſparatis ſit admittendum. q.14.art.13.n.282
Quot ſint diuerſa decreta in ordine ad effectum futurum abſolutè. q.14.art.16.n.356
Decretum connexionis, neque obiectiuè, prærequiritur ad ſcientiam futurorum contingentium ordinatorum. q.14.art.13.n.283
Decretum diuinum quam neceſſitatem illationis importet. q.14.art.13.n.289
Decretum prędeterminandi ante ſcientiam mediam. Vide *Prædefinitio.*
Decretum prædeterminandi ante ſcientiam conditionalium impugnatur ex approbatione facta ciuitatibus Iudæorum, collatis cum Tyriis & Sidoniis. q.14.art.13.n.320. Præcluduntur effugia aduerſariorum. n.321.ad 327
Item ex prædicta traditione Dauidis in manus Saulis à Ceilanis. 1.Reg.23. q.14.art.13.n.327
Item ex diuinis adhortationibus ad bona, quæ nunquam ſumus facturi, & dehortationibus à malis, quæ non ſumus vitaturi. q.14.art.13.n.328
Et ex iis Patribus, qui aſſerunt voluntatem determinari ſe ipſa. q.14.art.13.n.330.ad 333
Et ex iis, qui aiunt non ideo res eſſe futuras, quia illas Deus præſcit; ſed ideo præſcire illas, quia futuræ ſunt. q.14.art.13.n.333
Et ex iis, qui negant decretum prædeterminans ad actus malos. q.14.art.13.n.334.ad 337
Item ex iis, qui aſſerunt alios conſentire vocationi, alios verò non, pro diuerſo modo vocandi. q.14.art.13.n.337.ad 341
Inſuper ex iis, qui aſſerunt è duobus æquè vocatis alterum diſſentire, alterum conſentire. item ex iis, qui admittunt infallibilem pręſcientiam peccatorum conditionalium. q.14.art.13.n.341

Impugnatur demum,tum ex iis, qui aſſerunt aliquos futuros fuiſſe ſaluos, ſi diu vixiſſent, qui de facto ſalui non ſunt. tum ex Anſelmi doctrina, nullam in actibus liberis prædefinitis neceſſitatem, niſi conſequentem,admittentis. q.14.art.13.n.341

Decretum abſolutum cur diuerſo modo comparetur ad futurum abſolutum,quam decretum conditionatum ad futurum conditionatum. q.14.art.13. n.356

Quot decreta diſtingui poſſunt in ordine ad effectum abſolutè futurum. q.14.art.13.n.356

Decretum prædeterminandi materialem entitatem peccati impugnatur. q.14.a.13.n.112.136.365. & q.23.art.4.n.14.15

Illud conſtitueret Deum auctorem peccati formaliter. q.14.art.13.n.379.imò ſolum Deum, non autem creaturam. n.154.380

Vis conſequentiæ à decreto prædeterminante actus malos,ad prædeterminans bonos.q.14.a.13.n.382

Decretum prædeterminandi pugnat cum libertate. q.14.art.13.n.385.ad 447.& 113.& 156.& 539

An, & quomodo poſſit quis illi decreto reſiſtere. q.14.art.13.n.387.& n.400.& 113

Complet cauſam ſecundam liberam in actu primo, ex ſententia aduerſariorum. q.14.art.13.n.391

Non poteſt explicari reſpectu liberæ omiſſionis. q.14.art.13.n.394

Decretum conditionatum, in conditione incluſum, præcedit effectum liberum conditionatum. q.14. art.13.n.416

Decretum diuinum de concurrendo ad oppoſita, cum voluntate creata, explicatur. q.14.art.13. n.417.420.497.498

Decretum Dei qua ratione dicatur determinari à creatura ad hunc, vel illum concurſum. q.14. art.13.n.417.& q.23.art.4.n.12.& 20

Decretum Dei poteſt habere rationem futuri,& quomodo. q.14.art.13.n.423

Decretum Dei abſolutum neceſſariò trahitur à conditionato,poſita determinatione creaturæ. q.14. art.13.n.430

Decreta Dei, ſecundum quod habent rationem futuri,neceſſariò videntur ab ipſo Deo.q.14.art.13. n.448.ad 462

Decretum diuinæ voluntatis, prout habet rationem futuri, quam determinationem habeat. q.14. art.13.n.451.459

Decretum diuinum conditionatè futurum, quomodo ſit liberum,vel non. q.14.art.13.n.452

Quomodo ſit prius ſeipſo præſente.q.14.a.13.n.461

Deus complet cauſam liberam per decretum abſolutum de concurrẽdo ad oppoſita.q.14.a.13.n.498. quod conſequitur decretum conditionatum de concurrendo ad alterum tantum, ſi ſe ad illud creatura determinauerit. ibid.

Decretum conditionatum modò explicatum, eſt liberum, & neceſſarium ſub diuerſa ratione. q.14. art.13.n.499

Decretum Dei conditionatum, qua ratione tranſeat in abſolutum. ibid.

Decreto Dei æterno de condendis creaturis, quænam mutatio reſpondeat in ipſa æternitate. q.19. art.3.n.70

Ad ſaluandum decretum liberum Dei, ſatis eſt mutatio moralis in obiecto. q.14.art.13.n.270, & q.19.art.3.n.71

Decretum Dei futurum quod eſſe habeat à parte rei. q.14.art.13.n.459

Decretum conditionatum,per quod Deus concurrit ad actus liberos,explicatur. q.19.art.4.n.11

Decretum de danda gloria,cur concipi debet diſtinctum à decreto de danda per hæc media, & non per alia. q.23.art.1.n.19

Ordo decretorum, quæ intercedunt in prædeſtinatione. Vide *Prædeſtinatio.*

Cuilibet rei,quæ fit in tempore, reſpondet ſuum decretum in Deo ab æterno. q.23.art.1.n.66

Decretum de concurrendo eſt concurſus intra Deũ. q.23.art.4.n.20

Decretum indifferens de concurrendo ad vtramque partem oppoſitionis,quomodo attingat effectum in particulari,& liberè. q.23.art.4.n.84

Decretum Dei concomitans,an habeat veram rationem cauſæ reſpectu actus. q.23.art.4.n.86

*Dilectio.*

Dilectio Dei circa prædeſtinatos quid ſit.q.23.art.4. n.1

*Diſcurſus. Diſcurrere.*

Diſcurſus duplex;alter ſecundùm ſucceſſionem;alter ſecundùm cauſalitatem. q.14.art.7.n.2

Diſcurſus ſecundùm cauſalitatem eſſentialiter inuoluit ſucceſſionem. q.14.art.7.n.3

Diſcurrere quid ſit,propriè loquendo.q.14.art.7.n.4

Diſcurſus ſecundùm ſucceſſionem quid addat ſupra diſcurſum ſecundùm cauſalitatem. q.14.art.7,n.5

*Dolor.*

Quid ſit,quódque eius obiectum. q.20.ar.1.n.5

An ſit in Deo. Vide *Dei voluntatis actus.*

E

*Eccleſia.*

ECcleſia Latina an dici poſſit mutaſſe Concilium Conſtantinopolitanum per additionem illius verbi *Filióque.* q.14.art.13.n.503

Eccleſia quo ſenſu vocet Dei prouidentiam in ſui diſpoſitione infallibilem. q.22.art.1.n.20

*Electio ad gloriam.*

Vide *Prædeſtinatio.*

Electio ad gloriam an ſupponat in electis diuerſitatem à non electis,ex Auguſtino. q.23.art.1.n.71

Quid differat à prædeſtinatione. q.23.art.2.n.21

Quid ſit electio, & dilectio Dei circa prædeſtinatos. q.23.art.4.n.1. quem ordinem habeant inter ſe. num.2

*Ens.*

Ens actuale quid differat à poſſibili. q.14.art.8.n.13

Ens prius habet eſſe in ſe per ordinem ad ſuam cauſam,quam cognoſcibilitatem per ordinem ad potentiam cognoſcitiuam. q.14.art.8.n.118

Inter ens & non ens non datur medium;datur tamen inter ens,& ens. q.14.art.13.n.490

Ens cum vero quomodo conuertatur. q.16.art.3. n.1.2.3

Ens eſt prima & vniuerſaliſſima forma; & ideo implicat quòd aliquid ſit, & non ſit ens. q.19.art.6. num.2

Omnes gradus poſſibiles entis dantur de facto in vniuerſo. q.22.art.4.n.1

Ens communiſſimè ſumptum ad Deum & creaturas, non eſt obiectum æquè perfectum intellectus diuini,ac ipſa ſua eſſentia. q.14.art.2.n.14

*Ens rationis.*

Ens rationis non fit à Deo, ſed cognoſcitur à nobis factum. q.14.a.9.n.5.ad 9

Non fit ſimpliciter ab eo intellectu,cui obiicitur, & in quo eſt. q.14.art.9.n.9

Neque formaliter,neque eminenter eſt in Deo.q.14. art.13.n.241. cognoſcitur tamen à Deo non eminenter,ſed formaliter. n.250

An reſpectus ideæ diuinæ ad creaturam ſit ens rationis,factum ab intellectu Dei. q.15,art.2.n.4





Ens rationis an ſit menſura veritatis aliquarum operationum intellectus. q.16.art.1.n.16

An intellectus falli poſſit circa ens rationis. q.16. art.1.n.17

*Enuntiatio. Enuntiabile.*

Enuntiabile quid ſit.q.14.ar.14.n.1.an & quomodo cognoſcatur à Deo. Vide *Dei ſcientia.*

Enuntiationis noſtræ imperfectio. q.14.art.14.n.3

*Eſſe.*

Eſſe ſimpliciter quid differat ab eſſe ex ſuppoſitione. q.14.art.13.n.513

*Eſſentia.*

Rerum eſſentiæ non poſſunt fieri meliores. q.25. art.6.n.1

Qualibet eſſentia poteſt dari alia melior. q.25.art.6. num.3

F

*Falſitas. Falſum.*

Vide *Veritas.*

FAlſitas repræſentationis quomodo refundatur in terminum. q.16.art.1.n.3

An poſſit eſſe falſitas in cognitione entis rationis. q.16.art.1.n.17

An in prima operatione intellectus incomplexa. q.16.art.2.n.9

Falſitas primæ operationis quid differat à falſitate ſecundæ. q.16.art.2.n.11.& 13

Falſitas an poſſit eſſe in imaginatione.q.16.a.2.n.12. an etiam in ſenſibus externis. ibid.

Falſitas ſecundæ operationis an ſit difformitas, vt cognita; ſicuti illius veritas eſt conformitas, vt cognita. q.16.art.2.n.18

Falſitas eſt in rebus eodem modo,ac veritas. q.17. art.1.n.1. ſaluis tamen propriis cuiuſque rationibus,quibus opponuntur. n.2.7

Falſitas in rebus non eſt per ordinem ad intellectum diuinum,ſed ad creatum. q.17.art.1.n.3

Res falſæ ſunt non entia, ſecundùm eam rationem, ſecundum quam ſunt falſæ. q.17.art.1.n.3

Falſitas tranſcendentalis non eſt forma intrinſecè in rebus inhærens. q.17.art.1.n.4

Quot modis res dicantur falſæ. q.13.art.1.n.3

Falſitas in eſſendo non eſt diſtincta à falſitate in repræſentando. ibid.

Falſitatis cauſa non ſolùm eſt rerum ſimilitudo, ſed ipſarum diſſimilitudo, licet diuerſa ratione. q.17. art.1.n.5

Res quomodo dicantur à S.Thoma,*falſæ ſecundùm id, quod eis non ineſt.* q.17.art.1.n.6

Falſitas rerum tranſcendentalis,eſt potius falſitas per modum ſignificati,quàm per modum cauſæ.q.17. art.1.n.8

In rebus artificialibus poteſt eſſe intrinſeca falſitas in eſſendo. q.17.art.1.n.9

Falſitas non eſt paſſio entis. q.17.art.1.n.10

Falſitas præſupponit veritatem. ibid.

Res arte factæ in eo ſunt falſæ, in quo deficiunt ab idea artificis. q.17.art.1.n.11

Falſitas non eſt in ſenſu, vt in cognoſcente. q.17. art.2.n.2. eſt tamen ſimpliciter. n.3

Senſus non fallitur circa proprium ſenſibile, niſi per accidens. q.17.art.2.n.4

Vide *Senſus. Senſibile.*

Falſum quomodo opponatur vero. q.17.art.4. per totum.

*Fidelitas.*

Vide *Dei fidelitas.*

Fidelitas pertinet ad virtutem veritatis. q.21.art.1. n.13



*Filius.*

Filius orationibus impetratus non eſt effectus prædeſtinationis ipſius filij prædeſtinati. q.23.art.2. n.41

Filius Dei. Vide *Verbum.*

*Finis.*

Vide *Dei Voluntas. Voluntas.*

Finis diuinæ voluntatis quínam ſit. q.19. art.5. per totum.

Creatura non eſt ratio finalis motiua diuinæ voluntatis. q.19.art.5.n.6. eſt tamen terminatiua. n.7. non ſolùm vt alia creatura paſſiuè terminet diuinam voluntatem; ſed etiam vt diuina voluntas actiuè terminetur ad creaturam. n.8

Amor finis eſt prior amore mediorum. q.23.art.1. n.20. ita & efficax voluntas. n.60

Finis eandem habet antecedentiam intentionis ad ſua media,ſi ſit ab eodem,qui illum intendit,conſequendus,ac ſi ab alio. q.23.art.1.n.87

Finis ſiue ſit intrinſecus ſiue extrinſecus ſi comparetur ad ſua media formaliter ſumpta, ſemper eamdem habet antecedentiam. q.23.art.1.n.91

Intentio finis eſt cauſa electionis mediorum. q.23. art.1.n.60.

*Forma.*

Forma non eſt principium actionis per reſpectum ad ſubiectum, ſed per reſpectum ad effectum. q.14.art.8.n.67

Formæ quam ideam habeant in Deo.q.15.art.3.n.13

Forma præſupponi poteſt ſubiecto in genere cauſæ finalis. q.23.art.1.n.24

*Fuga.*

Actus fugæ verſatur circa malum, ſub ratione mali. q.19.art.9.n.2

*Futura.*

Vide *Dei ſcientia de futuris contingentibus.*

Futura alia abſoluta, alia conditionata. q.14.art.13. num.1

Futura dupliciter contingentia, vel extrinſecè per ordinem ad cauſam impedibilem; vel intrinſecè per ordinem ad cauſam indifferentem. q.14. art.13.n.2

Futurum licet comparatum ad cauſam ſit contingens, in ſe tamen habet determinatam aliquam veritatem. q.14.art.13.n.4.& 410

De futuris contingentibus quomodo detur determinata veritas. q.14.art.13.n.8

Futurum quid differat à præſente. q.14.art.13.n.8

Futurum contingens liberum, eſt neceſſarium tum ex ſuppoſitione præſcientiæ, tum ex ſuppoſitione ſui. q.14.art.13.n.25

Futurum coëxiſtere æternitati adæquatè eſt implicans. q.14.art.13.n.35. Vide *Dei æternitas.*

Futura eſſe ſimul realiter præſentia æternitati,falſum eſt, quia ly *ſimul* tollit ſucceſſionem rerum inter ſe. q.14.art.13.n.36

Futura eſſe ſemper realiter præſentia æternitati, falſum eſt, quia ly *ſemper* tollit determinatam durationem futurorum. q.14.art.13.n.37

Futura ab æterno eſſe realiter præſentia æternitati, falſum eſt, quia ly *ab æterno* tollit principium durationis futurorum. q.14.art.13.n.38

Futura iam vel nunc coëxiſtere æternitati realiter, falſum eſt; quia ly *iam* vel *nunc* ſignant præſens tempus. q.14.art.13.n.39

Futura antequam ſint coëxiſtere realiter æternitati, falſum eſt, quia ly *antequam ſint* importat tempus antecedens ipſorum realem exiſtentiam. q.14. art.13.n.40

Futura coëxiſtere æternitati, verum eſt, modo ly *coëxiſtere* nõ ſignent tempus præſens. q.14.a.13.n.40

Futura cur non dicantur æuo coëxiſtere, ſicut æternitati. q.14.art.13.n.44
Vide *Æuum.*
Futurum vt futurum quid ſit, & quomodo non poſſit perfectè cognoſci. q.14.art.13.n.63
Futura, & præterita, etiam reſpectu Dei ſunt talia; non quidem obiectiuè, ſed realiter. q.14.art.13.n.66
Futura non realiter, ſed obiectiuè ſtant ab æterno apud Deum. q.14.art.13.n.55.& 70
Futurum quid differat à præterito, & hoc à præſenti. q.14.art.13.n.66.& 193
Futurum vt futurum dicit primariò non eſſe, & connotatiuè eſſe rei. q.14.art.13.n.66
Futurum vt futurum in quo ſenſu dici poſſit ſciri à Deo. q.14.art.13.n.68
Futura prius ratione ſunt præſentia eſſentiæ diuinæ eminenter, quam formaliter obiectiuè ſint præſentia intellectui. q.14.art.13.n.85
Coëxiſtentia futurorum æternitati Dei non eſt ſufficiens ratio videndi illa ab æterno. q.14.art.13.n.46
Futura non ſunt ab æterno præſentia eſſentiæ diuinę ſecundùm eſſe formale. q.14.art.13.n.85
Futura contingentia ab extrinſeco, videntur in cauſa non impędita. q.14.art.13.n.99
Futura contingentia, in ſe ipſis non ſunt indeterminata, ſed determinata. q.14.art.13.n.187.407.494
Futurum antequam præſens ſit, habet ſuam realem entitatem futuram. q.14.art.13.n.193
Futurum, quoad ſuam intelligibilitatem, quid differat à poſſibili. q.14.art.13.n.194
Futurorum intelligibilitas non pendet ab exiſtentia ipſorum in intellectu diuino. q.14.art.13.n.195
De futuris conditionatis datur determinata veritas. q.14.art.13.n.137. declaratur ea veritas. n.250.406.467.472
Futurum conditionatum quid differat ab abſoluto. q.14.art.13.n.138.440
Futurum prius natura eſt conditionatum, quàm abſolutum. q.14.art.13.n.138
Futura conditionata quomodo habeant eſſe in ſe ipſis. q.14.art.13.n.248.415
Propoſitiones de futuris conditionalibus habent veram contradictionem. q.14.art.13.n.250
Futura libera conditionalia non habent infallibilitatem logicam formaliter ex vi illationis, ſed in ſe ipſis, cum dependentia à conditione. q.14.art.13.n.251
Futura conditionalia diſparata, neque vllam habent veritatem, neque ſcibilitatem conditionatam; quia nullam habent veram dependentiam à conditione. q.14.art.13.n.252.255.465
Futura conditionalia diſparata ex natura ſua, poſſunt per extrinſecum decretum ita inuicem coordinari vt fundent cognoſcibilitatem aliquam ſub ſtatu conditionis. q.14.art.13.n.252
Futura conditionalia indefinita, nullam ex ſe habent veritatem conditionalem, niſi per extrinſecum decretum Dei. q.14.art.13.n.253
Futura conditionalia habent eſſe in æternitate.q.14.art.13.n.256
Futura conditionalia quomodo pendeant à voluntate Dei. q.14.art.13.n.261.472.496
Futurorum conditionalium, alia ſunt neceſſaria; alia contingentia congrua; alia contingentia diſparata. q.14.art.15.n.264
Futura conditionata cuiuſuis generis inuoluunt primò conditionem antecedentem. Secundò effectum ſubſequentem. Tertiò connexionem inter conditionem & effectum. q.14.art.13.n.264
Fieri de non conditionatè futuro, conditionatè futurum, ex vi decreti diuini (ſi illud admittatur ante ſcientiam) eſt realis mutatio, ſufficiens ad terminandum liberum decretum. q.14.art.13.n.278
Futurum contingens conditionatum habet connexionem fallibilem cum conditione. q.14.art.13.n.280
Futura abſoluta non indigent prius decreto actuali conditionato. q.14.art.13.n.282
Futurus actus liber ſupernaturalis, vnde tamdem habeat ſuam infallibilitatem. q.14.art.13.n.409
Futura conditionata quid addant ſupra merum poſſibile; & quo decreto Dei tranſeant de pura poſſibilitate, in ſuam futuritionem. q.14.art.13.n.427.471.473
Quomodo referantur ad primam cauſam, & ſub qua determinatione ad eſſe. q.14.art.13.n.428
Futuritio ipſa rerum, an & quo ſenſu dici poſſit futura. q.14.art.13.n.453
Eſſe futuri conditionati eſt ipſum eſſe futuri abſoluti. q.14.art.13.n.467
Futura conditionata ſunt determinata, & indeterminata, reſpectu diuerſorum. q.14.art.13.n.467
Futura conditionata vnde habeant, quod ſint potius futura, quàm non futura. q.14.art.13.n.468
Prioritas futuri conditionati ad abſolutum rectè explicatur per ordinem ad decretum diuinum, vt futurum, & vt præſens. q.14.art.13.n.474
Examinantur hæ cauſales, *Ideo Antichriſtus erit in tali tempore, quia foret in tali tempore. Ideo foret in tali tempore, ſi talis conditio poneretur, quia futurus eſt in tali tempore.* ibid.
Futurum conditionatum eſt medium inter purum poſſibile, & abſolutè futurum. q.14.art.13.n.480.489
Futurum conditionatum non in eodem ſigno habet eſſe ſimpliciter, & ex ſuppoſitione ſui eſſe. q.14.art.13.n.512
Futurum abſolutum cur pendeat ab efficaci voluntate Dei, tanquam cauſa; conditionatum verò non item. q.14.art.13.n.542
Futura conditionalia libera quid differant à neceſſariis. q.23.art.4.n.62
Futura conditionalia non habent veritatem ex bonitate conſequentiæ. q.14.art.13.n.253

G

*Gaudium.*

Gaudium an ſit propriè in Deo. q.20.art.1.n.3
Gaudium quid differat à delectatione. ibidem. quid ab amore. ibid.

*Gloria.*

Vide *Prædeſtinatio. Prædeſtinationis effectus. Liber vitæ. Beatitudo.*
Gloria an magis reſpondeat gratiæ, quàm meritis. q.21.art.1.n.45.46
Gloria eſt vltimatus terminus diuinæ prædeſtinationis. q.23.art.1.n.8
Decretum abſolutum Glorię terminatur ad gratiam, non formaliter, ſed virtualiter. q.23.art.1.n.21
Decretum abſolutum, & efficax de Gloria, præcedit decretum de gratia, ſicuti voluntas finis, voluntatem mediorum. q.23.art.1.n.60
Gloria an ſit decreta à Deo omnibus hominibus. q.19.art.6.n.4.ad 14
An ſit decreta ſub conditione *ſi velint.* & an pro infantibus ſufficiat conditio de voluntate Adami. q.19.art.6.n.6
Qua voluntate ſit volita omnibus hominibus. q.19.art.6.n.20





An ſtet veritas huius decreti, de danda omnibus gloria, cum veritate alterius de danda aliquibus ſolùm efficaciter. q.23.art.1.n.68.& 93
Gloria eſt terminus diuinæ prædeſtinationis. q.23.art.1.n.8
Datio gloriæ an habeat rationem puræ gratiæ, an etiam iuſtitiæ. q.21.art.1.n.23
Exequutio gloriæ eſt ex meritis.q.23.art.1.n.66.69. ſecus intentio. Vide *Prædeſtinatio.*
Gloria an ſit primò intenta, & volita prædeſtinatis, vt præmium. q.23.art.1.n.88
Eſt omnium donorum ſupernaturalium maximum, atque adeò finis. q.23.art.2.n.17
In quo ſenſu ſit finis, & effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.20
Gloriam Deus ſimpliciter præparauit, etiam reprobis; non tamen efficaciter. q.23.art.3.n.10
Gloria eſt finalis cauſa gratiæ, & meritorum. q.23.art.5.n.2

*Gratia.*

Vide *Prædeſtinatio. Prædeſtinationis effectus.*
Gratia eſt terminus proximus diuinæ prædeſtinationis. q.23.art.1.n.8
Gratia finalis efficax, eſt propria gratia prædeſtinatorum. q.23.art.1.n.53
Gratiæ prædeſtinatio eſt independens à meritis ex doctrina Fidei. q.12.art.1.n.76
Gratia nonnunquam ſumitur pro omnibus donis ſupernaturalibus. q.23.art.2.n.19
Quænam gratia ſit propria prædeſtinatorum, quæ verò reproborum. q.23.art.2.n.22
Gratia, etiam interrupta, fundat ius ad talem determinatam gloriam. q.23.art.2.n.24
Gratia eſt cauſa diſpoſitiua gloriæ. q.23.art.5.n.2
Vſus gratiæ eſt finalis cauſa dationis gratiæ. q.23.art.5.n.2

H

*Habitus.*

Habitus non poteſt præſcindere à conceptu potentialis. q.14.art.1.n.42.43
An ſit verum, & ſolum medium cognoſcendi. q.14.art.1.n.64

*Hypotheſis.*

Hypotheticarum quæſtionum vſus. q.19.art.8.n.7

I

*Idea.*

Vide *Dei Idea.*

*Ieſus Chriſtus.*

Ieſu Chriſto Domino noſtro communicata fuit ſcientia conditionalium. q.14.art.13.n.463
Ieſus Chriſtus, vt dicit compoſitum ex natura diuina & humana, in vna Filij perſona, amatur à Deo ſupra omnem creaturam. q.20.art.4.n.2
Morti traditus propter homines adhuc amatur ſupra homines. ibid.
Ieſus Chriſtus, vt dicit naturam humanam, cui prædeſtinata fuerat vnio hypoſtatica, amatur à Deo ſupra omnem creaturam. q.20.art.4.n.4
Ieſu Chriſti anima an prius fuerit ad beatitudinem prædeſtinata, quam ad hypoſtaticam vnionem. q.23.art.1.n.4
Ieſus Chriſtus fuit prædeſtinatus poſt decretum creationis humani generis. q.23.art.1.num.24. ante decretum prædeſtinationis hominum. ibid.& 92
Ieſu Chriſti humanitate, ſecundum quod vnita eſt hypoſtaticè verbo, fieri perfectius nihil poteſt. q.25.art.6.n.7

*Immaterialitas.*

Immaterialitas non importat virtutem intelligendi niſi in ſubſtantia. q.14.art.1.n.17
Vide *Cognitio.*

*Imperium.*

Imperium an pertineat ad voluntatem potius, quam ad intellectum. q.19.art.4.num.5.& q.22.art.1.n.7

*Indifferentia.*

Vide *Libertas. Libera cauſa.*
Indifferentia cauſæ an impediat quominus illa poſſit producere determinatum effectum. quæſt.14.art.13.n.421.422.& q.22.art.3.n.4
Indifferentia cauſæ liberæ, explicatur. q.14.art.13.n.421
Indifferentia concurſus diuini in ordine ad actus liberos, explicatur. q.23.art.4.n.20. an conſiſtat in ſola conſeruatione cauſæ indifferentis in ſuo eſſe naturali. n.21
Indifferentia diuini decreti explicatur. q.23.art.4.n.29
Indifferentia cauſæ an ſtet cum prædeterminatione. Vide *Dei voluntatis decretum.* & quæſt.23.art.4.n.55.57.58

*Infallibilitas.*

Vide *Dei ſcientia de futuris.*
*Diuinæ voluntatis decretum.*
Ad fundandam infallibilitatem, quæ requiritur ex parte obiecti in ſcientia Dei, an ſufficiat moralis prædeterminatio. q.14.art.13.n.118
Infallibilitas diuinæ prædeſtinationis quàm bene habeatur ex ſcientia media. q.14.art.13.n.413
Infallibilitas duplex; altera abſoluta, altera conditionata. q.14.art.13.n.507
Quam infallibilitatem ſupponat ſcientia media, & quam cauſet. q.14.art.13.n.507. ad 523. Vide *Dei ſcientia de futuris conting. condit.*
Infallibilitas, quam cauſat ſcientia media, comparatur ad diuinum intellectum; primò vt effectus ad cauſam; ſecundo vt obiectum ad actum.q.14.art.13.n.516
An infallibilitas effectus ſit maior, & prior infallibilitate cauſæ, quę oritur ex ſcientia media.q.14.art.13.n.517
Infallibilitas cauſæ, orta ex ſcientia media, præcedit effectum abſolutè futurum. q.14.art.13.n.518
Infallibilitas ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ, quid addat ſupra infallibilitatem ex ſuppoſitione effectus. q.14.art.13.n.519
Infallibilitas antecedens in mediis ad diuinam præfinitionem, non poteſt conciliari cum libertate creata, niſi per ſcientiam mediam. q.14.art.13.n.527
Infallibilitas mediorum ad prædeſtinationem non habetur ex diuina voluntate. q.22.art.1.n.24
Vide *Prædeſtinationis certitudo.*

*Infinitum.*

In quo ſenſu dicatur habere eſſentialem habitudinem ad finitum. q.19.art.3.n.7

*Influxus.*

Influxus Dei concomitans eſt phyſicus, idemque in cauſis neceſſariis, & liberis. q.14.art.13.n.293

*Intellectus. Intellectio.*

Vide *Cognoſcens.*
Intellectualitas ſubſtantialis non diſtinguitur ab immaterialitate, niſi ſecundum implicitum, & explicitum. q.14.art.1.n.18
Intellectus quomodo ſit nobilior, vel ignobilior actu intelligendi. q.14.art.1.n.54
Intellectum eſſe productiuum verbi abſoluti, non eſt perfectio ſimpliciter. q.14.art.1.n.57

Intellectum ferri circa verum, quid ſit. q.14.art.8. n.28
Intellectus creatus non ideò pendet ac menſuratur à rebus, vt ſit verus, quia præſupponit res ad ſuam onerationem. q.14.art.8. n.129
Intellectus actionem, in quo ſenſu Ariſtoteles dixerit eſſe vitam. q.14.art.13. n.206
Intellectus determinatus à voluntate ad aſſenſum fidei, an operetur vt indifferens. quæſt.14.art.13. n.392
In intellectu quatuor conſiderari poſſunt. ipſa potentia. actus cognitionis. ſpecies impreſſa. verbum. q.16. art.1.n.8
Intellectus obiectum an ſit verum formaliter ſumptum. q.16.art.1.n.64
Intellectui quænam veritas competat propriè. q.16. art.1.n.69
Intellectui creato an competat æterna aliqua veritas. q.16.art.7.n.1.2.3
An etiam aliqua immutabilis. q.16.art.8.n.2
Intellectio an concurrat ad volitionem, vt principium. q.19.art.1.n.7
Intellectus poſſibilis ab Ariſtotele aſſimilatur tabulæ. q.24.art.1.n.3
Intellectus, per ſuam operationem perfectiſſime poſſidet obiectum beatificum. q.26.art.2.n.3
An intellectus falli poſſit circa ens rationis. q.16. art.1.n.17

*Intelligere.*

Eſt perfectio ſimpliciter. q.14.art.1.n.28.33
Intelligere aliquid in vniuerſali, & non in ſpeciali, eſt confusè intelligere. q.14.art.6.n.4
Intelligere non eſt agere aliquid circa obiectum. q.14.art.13.n.206
Non poteſt ſeipſum per ſe intelligere angelus. q.14. art.2.n.8
An anima poſt reſurrectionem coniuncta cum corpore ſit minus perfectè intellectura quam ſeparata ante reſurrectionem. q.14.art.1.n.24

*Inuidia.*

Quid ſit; & quodnam eius obiectum. q.20. art.1. num.10

*Ira.*

Quid ſit, & quodnam eius obiectum. q.20. art.1. num.11

*Iudicium, Iudex.*

Iudicium ſpeculatiuum. Vide *Operationes intellectus.*
Iudicium practicum duplex; aliud in actu primo; aliud in actu ſecundo. q.22.art.1.n.8
Iudicis ſententia prolata ante cognitionem cauſæ, & contra merita; eſt præiudicium. q.23. art.1. num.81

*Iuſtitia.*

Vide *Dei Iuſtitia.*
Iuſtitia duplex; altera generalis; altera ſpecialis. q.21.art.1.n.1. Specialis triplex. Commutatiua. Diſtributiua. Legalis. ibid. Legalis quare dicatur generalis. ibid.
Secundum quem conceptum ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. q.21.art.1.n.3
Iuſtitiæ definitio tradita ab Vlpiano, Iuſtiniano, & S.Thoma declaratur. q.21.art.1.n.5
An ad obligationem iuſtitiæ requiratur totalis tranſlatio dominiorum. q.21.art.1.n.19
An inter Patrem, & Filium, dominum, & ſeruum poſſit eſſe perfecta iuſtitia. q.21.art.1.n.24
Quid importet iuſtitia commutatiua, ſecundum denominationem commutatiui. q.21.art.1.n.30
Quid ſecundum eſſentiam ſuam. q.21.art.1.n.31
Materia adæquata iuſtitiæ commutatiuæ, non eſt ſolum pecunia, honor, & ſalus, ſed omne id, circa quod inter duas perſonas eſſe poteſt ius ac debitum ex propriis bonis. q.21. art.1.n.33
Cur Ariſtoteles ſolum aſſignet pecuniam, honorem, & ſalutem. n.34
Mutua datio & acceptio, cum vtilitate mutua, non eſt de eſſentia iuſtitiæ commutatiuæ. q.21.art.1. num.35. Neque mutua tranſlatio dominiorum. num.36
Contrapaſſum, ſtrictè ſumptum, pertinet ad iuſtitiam diſtributiuam. q.21.art.1.n.37
Contrapaſſum, largè ſumptum, non eſt de eſſentia iuſtitiæ commutatiuæ; ſed cum illa inter homines per accidens coniunctum. ibid.
Iuſtitia diſtributiua an importet eſſentialiter tranſlationem dominij à communitate in aliquem particularem; an ſolum per accidens. q.21.art.1. n.37
An denominatio commutatiuæ, in iuſtitia commutatiua, ſit ex ratione aliqua eſſentiali. q.21. art.1. n.38
Legalis iuſtitiæ eſſentia. q.21.art.1.n.48
Iuſtitia vindicatiua qualis ſit inter homines. q.21. art.1.n.54
In creaturis nulla eſt iuſtitia, reſpectu Dei, vera, ac propria. q.21.art.1.num.57. In quo ſenſu concedi poſſet. n.62
Cur in Deo ſit iuſtitia reſpectu creaturarum; non autem contrà. ibid.
An reddere æquale ſecundum affectum pertineat ad ſolam iuſtitiam. q.21.art.1.n.60

L

*Libertas.*

Libertatis concordia cum diuina præſcientia. q.14. art.13.n.13. Vide *Dei ſcientia de futuris conting. Futura. Libera cauſa. Liber effectus.*
Libertas creata tollitur ex præſentia actuum liberorum in æternitate, independenter ab eorum præſentialitate in propria differentia temporis. q.14. art.13.n.93
Libertas creata quid differat ab increata. q.14.art.13. n.157
Liberum arbitrium, quid ſit, ex Ruardo Taper. q.14. art.13.n.298
Cur non ſit primum liberum, & primum determinans. q.14.art.13. n.352
Libertas ſtat cum decreto prædefiniente poſt ſcientiam conditionatam. q.14.art.13.n.358
Libertas cauſæ quomodo influat in effectum. q.14. art.13.n.391
Libertas in ſenſu diuiſo, an ſit vera libertas. q.14. art.13.n.399
Libertas formalis voluntatis an conſurgat ex intellectu. q.14.art.13.n.401.402
Libertas non ſufficienter ſaluatur in indifferentia obiecti, niſi accedat etiam indifferentia voluntatis. q.14.art.13.n.402. & an hæc ſtet cum inſufficientia ad operandum. n.410
Libertatis creatæ conciliatio cum actibus diuinis, per ſcientiam mediam. q.14.art.13.n.524
An velle liberè ſit velle contingenter. q.19. art.3. n.15
Libertas ſuſpenſionis in creatura inuoluit imperfectionem. q.19.art.3.n.16
Libertatis conceptus traditur, & explicatur. q.19. art.3.n.53
Libertas perfecta non excuſat ceſſationem ab actu, cum ſunt omnia requiſita ad actũ. q.19.art.7.n.7
Sublata Dei libertate tollitur neceſſariò libertas creaturæ. q.19.art.8.n.8

Sublata

Sublata Dei libertate omninò, & conceſſa libertate in actu primo creaturæ per impoſſibile, adhuc tolleretur eiuſdem libertas in actu ſecundo. q.19. art.8.n.9
Sublata omnino Dei libertate, & conceſſa creaturæ libertate in actu primo, & poſito eodem plane concurſu ex parte Dei ad actum ſecundum, qui nunc eſt, ſaluatur libertas creaturæ in actu ſecundo. q.19.art.8.n.10
Libertas ad peccandum, an ex hoc dicat aliquam perfectionem. q.19.art.10
Prima radix liberè operandi non eſt intentio finis. q.22.art.1.n.28
Deus quomodo dicatur cauſa omnis libertatis, dum dirigit creaturam liberam ad finem. q.22. art.1. n.29
Cur ſuppoſitio conſequens non lædat libertatem; lædat verò antecedens. q.23.art.4.n.49
Libertas creata, ex eo quòd eſt participatio increatæ, excludit potius, quàm importet determinationem aliquam antecedentem ad vnum. q.23. art.4.n.60

*Libera cauſa.*

An, ſi Deus ageret neceſſariò, cauſa ſecunda libera ageret liberè. q.14.art.13. n.17. & q.19.art.8.n.7
Neceſſitas effectus ex ſuppoſitione non lædit libertatem cauſæ. q.14.art.13.n.26.27
Vide *Neceſſitas.*
Quid ſit cauſam ſecundam liberam operari vt motam à prima. q.14.art.13.n.101
Vide *Determinatio.*
Cauſa ſecunda libera determinata ad vnum, eſt ſufficiens ratio videndi in ipſa actum liberum. q.14. art.13.n.101
Cauſa libera determinata ad vnum remanet materialiter libera. q.14.art.13.n.107
Vide *Determinatio. Dei voluntatis decretum.*
Cauſa ſecunda libera indeterminata non mouetur à prima per determinationem ad vnum. quæſt.14. art.13.n.106
Vide *Determinatio.*
Cauſa libera eſſentialiter exigit ſe determinare, & non determinari ab alio. q.14. art.13.num.107.& 156. ad 159. & hoc antecedenter ad effectum. q.19.art.3.n.26
Cum cauſis liberis diuerſo modo concurrit cauſa prima, ac cum neceſſariis. q.14.art.13.n.108
Non concurrit illas prædeterminando. q.14.art.13. n.19
Vide *Dei voluntatis decretum.*
Explicatur à priori quomodo prima cauſa ita concurrat cum ſecunda libera, vt concurſus ſit efficax; nec tamen lædatur libertas. q.14. art.13. n.109.& q.19.art.8.n.6
Cauſæ liberæ definitio, & conceptus. q.14. art.13. n.110
Cauſa libera, non determinata ad bonum, non eſt infallibiliter operatura malum. quæſt.14. art.13. n.112
Implicat cauſam liberam expeditam ad vtramque partem contradictionis, infallibiliter infallibilitate antecedente eſſe alteram partem amplexuram. q.14.art.13.n.113.117
Liberè operari quid importet. quæſt. 14. art.13. n.127.394.& quomodo ſtet cum decreto prædeterminante. n.403
Implicat quod cauſa libera ſe determinet ad actum, ad quem ſupponitur determinata. q. 14.art.13. n.157.158.388
Liberè influere quid ſit. q.14.art.13.n.162
Examinantur hæ propoſitiones. *Ideo cauſa libera facit hoc, quia Deus facit hoc. Ideo facit hoc, & non aliud, quia Deus facit hoc, & non aliud. Ideo Deus facit hoc, & non aliud, quia cauſa libera facit hoc, & non aliud.* q.14.art.13.n.166
Quid ſit cauſam liberam ita facere hoc, vt excludat aliud. q.14.art.13.n.167
Cauſa libera quale decretum concurrendi exigat à cauſa prima, & an hoc ſtet cum decreto prædeterminante. q.14.art.13.n.385
Examinatur hæc cauſalis. *Quia vult Deus, vult creatura.* q.14.art.13.n.417
Examinatur hæc alia. *Quia cauſa libera vult, Deus concurrit.* q.14.art.13.n.418
Cum cauſis ſecundis liberis an bene dicatur Deus cooperari. q.14.art.13.n.418
Liber vſus operandi non cauſatur à ſcientia media. q.14.art.13.n.531
Cauſa libera quomodo dicatur determinare concurſum Dei. q.23.art.4.n.12.& 20
Cauſa libera quomodo dicatur ſe ſubtrahere ab influxu Dei, quando ſe determinat ad actum malum. q.23.art.4. num.18. & quomodo abuti eius concurſu. n.20
Cauſa libera an in ipſa deficientia à recto ſubiiciat ſe concurſui Dei, & an illum concurſum recipiat deficienter. q.23.art.4.n.32
An ex eo quod Dei concurſus ſit natura prior concurſu cauſæ creatæ, rectè deducatur præuius quidam concurſus in voluntate, præter ſimultaneum concurſum in actum. q.23.art.4.n.33
Quid ſentiendum ſit de hoc concurſu præuio. q.23. art.4.n.38

*Liber effectus.*

Qua ratione effectus liber, dum eſt, poſſit, vel non poſſit non eſſe. q.14.art.13.n.28
Qua ratione effectus liberi ſint obiectum fidei. q.14.art.13.n.118
Liberos effectus peccaminoſos non habet Deus vnde cognoſcat in ſententia aduerſariorum. q.14. art.13.n.148
Liberi effectus pendent à diuina voluntate, non prædeterminante, ſed conſequente. q.14. art.13. n.150.172
Ad liberos effectus, præter decretum conditionatum de concurrendo ad hoc, vel ad illud, ſi ſe voluntas ad hoc vel ad illud determinauerit, non requiritur ex parte Dei aliud abſolutum decretum de concurrendo ad hoc, & non ad illud. q.14. art.13.n.170
In quo ſenſu dicatur Deus compellere ad actus liberos. q.14.art.13.n.334
Effectus liberi phyſicè pendent à Deo. q.14.art.13. n.420
Concurſus Dei ad actus liberos eſt ſimpliciter liber; neceſſarius ſecundum quid. q.14. art. 13. n.499
Effectus liber dupliciter comparari poteſt ad ſuam cauſam; vel vt dependens ab illa; vel vt concomitans illam. q.14.art.13.n.513
Effectus liber cauſatur à Deo, licet non prædefiniatur. q.23.art.4. n.42

*Liber mortis.*

Nullus datur liber mortis in Deo, qui correſpondeat reprobationi. q.24.art.1.n.6

*Liber vitæ.*

Eſt in Deo liber vitæ. q.24. art.1.n.1. Non eſt quid creatum. n.2
Vnde ducta ſit translatio de libro vitæ. q.24. art.1. num.3
Quid ſit formaliter, & quomodo à prædeſtinatione diſtinguatur. q.24.art.1.n.4

Eſt

Eſt quid eſſentiale in Deo,ſed appropriatum Verbo. q.24.art.1.n.3

Præter librum vitæ, qui eſt liber prædeſtinationis; eſt liber eorum quæ ducunt ad vitam, vt agenda; qui eſt ſacra Scriptura; & eorum quæ ducunt, vt facta, qui eſt liber operum cuiuſcumque. q.24. art.1.n.5

Liber vitæ, qui eſt in Deo, ſolum de vita gloriæ. q.24.art.1.n.3.& art.2.n.1.2

De vita Dei non eſt liber. q.24.art.2.n.2

De libro vitæ an quis deleatur. q.24. art.3.n.1. Delentur aliqui ſecundum opinionem hominum, pro præſenti iuſtitia. q.24.art.3.n.2

Nemo deletur verè,ſecundum quod ad vitam ordinatur efficaciter ex prædeſtinatione, ſed ſecundùm quod ad illam intelligitur ordinatus ex gratia. q.24. art.3.n.3

Liber vitæ non extenditur ad gratiam. q.24. art.3. num.3

Delentur reprobi non poſitiuè, ſed negatiuè. q.24. art.3.n.4

M

*Malum. Malitia.*

MAlum cognoſci per bonum, quid ſit. q.14. art.10.n.9

Malum,& priuationem non poſſe cognoſci niſi ab intellectu potentiali, in quo ſenſu dictum fuerit ab Ariſtotele. q.14.art.10.n.15

Malum vt malum non poteſt appeti. q.19.art.9.n.1

Malũ non opponitur formaliter,& immediate bono increato;ſed tantum radicaliter.q.14.art.10.n.19

Malitia neceſſariò eſt coniuncta cum actu peccaminoſo, conſiderato ſecundum omnes circumſtantias. q.14.art.13.n.153

Malitia maiorem & immediatiorem connexionem habet cum actu malo,quam cum decreto permittente peccatum. q.14. art.13.n.153

Malitia actus peccaminoſi futuri connectit cum determinatione creaturæ; & mediante ea, cum concurſu Dei ad talem actum particularem.q.14. art.13.n.154

Malitia actus peccaminoſi non habet connexionem cum actu poſitiuo, niſi prout ille ſubſtat determinationi creaturæ. q.14.art.13.n.171

Malum nullam habet Ideam in Deo. q.15.art.3.n.12

Malum ſub ratione mali non eſt aptum mouere appetitum ad proſequutionem ſui, ſed ad fugam, q.19.art.9.n.1.2

Mala quomodo velit Deus. Vide *Dei voluntas.*

Malum qui appetit per accidens,bonum bono præfert. q.19.art.9.n.5

Malum culpæ. Vide *Peccatum.*

Malum non eſt terminus diuinæ prædeſtinationis. q.23.art.1.n.7

Malitia formalis peccati non conſiſtit in aliquo poſitiuo. q.23.art.4.n.7

Malitia formalis peccati non ſequitur immediatè ad actum,ſed ad liberam determinationem. q.23. art.4.n.17.& 24.eius tamen ſubiectum eſt entitas actus,prout ſtat ſub tali determinatione. n.31

*Maria Virgo.*

Eius immaculata conceptio. Vide *Originalis culpa.*

An B.Virgine,ſecundum quòd eſt Mater Dei, poſſit fieri aliquid melius. q.25.art.6.n.7

*Maſſilienſes.*

Quid obiecerint contra doctrinam S. Aug. de prædeſtinatione. q.23.art.1.n.39

*Materia.*

Materia prima, determinata per diſpoſitiones, an dicatur indifferens ad omnes formas.q.14.art.13. num.392

Materia prima, ſi admittatur habere ſuum actum entitatiuum,habet in Deo ſuam Ideam; ſecus, ſi non admittatur. q.15.art.3.n.13

*Materialitas.*

Materialitas adæquatè remouet vim cognoſcitiuam. q.14.art.1.n.11

*Media.*

Vide *Finis.*

Media debent eſſe infallibilia in ſe, independenter ab efficaci voluntate finis. q.14.art.13.n.239

Eorum infallibilitas non eſt à diuina voluntate. q.22. art.1.n.24

Mediorum efficacia quomodo requiratur ad finem. q.14.art.13.n.548

Mediis inefficacibus an conuenienter vtatur Deus ad finem. q.22.art.1.n.19

Mediorum inefficacia oritur ex creatura, non ex Deo. q.22.art.1.n.19

Mediorum voluntas quando includatur in voluntate finis,quando verò non includatur. q.23.art.1. n.19

Medium,vt medium,non habet rationem boni,niſi vtilis. q.23.art.1.n.60

Voluntas medij præſupponit voluntatem finis.ibid.

Vſus mediorum eſt cauſa aſſequutionis finis. ibid.

Mediorum electio eſt neceſſaria ex ſuppoſitione intentionis finis. q.23.art.4.n.64

Media prædeſtinationis habent certitudinem cauſalitatis ex ſcientia media. q.23.art.6.n.8

*Menſura.*

Menſura alia eſt perfectionis; alia extenſionis; alia multiplicationis; alia durationis. q. 14. art.13 num.88

Menſura cognitionis eſt obiectum, non vt cognitum,ſed ſecundum ſe. q.16.art.1.n.9.10

Menſura, quæ terminat relationem veritatis tranſcendentalis,quænam ſit. q.16.art.1.n.49

Menſura rerum omnium eſt potiùs diuinus intellectus,quàm eſſentia. q.16.art.1.n.49

*Meritum.*

Opera conditionatè futura non fundant meritum, vel demeritum. q.14.art.13.n.435

Ad meritum de condigno, an requiratur totale dominium operis oblati, in merente. q.21. art.1. num.20

Meritum de condigno requirit in operatione oblata æqualitatem ad præmium. quæſt. 21. art. 1. num.30.39

Meriti, & præmij contractus explicatur à Patribus per emptionem,& venditionem. quæſt. 21.art.1. num.32

Meritorum præuiſio,an præcedat decretum electionis ad gloriam. Vide *Prædeſtinatio.*

Merita *ſecundum propoſitum*, quæ dicantur ab Auguſtino. q.23.art.1.n.46

Merita quo in genere cauſent gloriam, & ab illa cauſentur. q.23.art.1.n.86.& art.5.n.2

*Metaphyſica.*

Metaphyſica cognitio quomodo ſit cæteris perfectior. q.14.art.6.n.7

*Miſericordia.*

Vide *Dei miſericordia.*

Miſericordia,an ſecundùm ſuam eſſentiam,neceſſariò importet miſeriæ alicuius ſubleuationem. q.23.art.1.n.5

*Motus.*

Motus grauium, & leuium quare non ſit vitalis. q.18.art.1.n.2.3.4

Quomodo dicatur eſſe à generante. q.18.art.1.n.4

Quæ

Quæ determinatio libera importet motum. q.19. art.3.n.30

*Mors.*

Mortis circumſtantiæ ſunt effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.42

*Mutatio.*

An, & quomodo poſſit cadere mutatio in diuinam voluntatem. quæſt.19.art.7. per totum. Vide *Dei voluntas.*

N

*Natiuitas.*

NAtiuitatis circumſtantiæ ſunt effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.42

*Natura.*

Opus naturæ eſt opus intelligentiæ.q.14. art.1.n.31

Effectus naturales, & diſpoſitiones, an ſint effectus prædeſtinationis. Vide *Prædeſtinationis effectus.*

*Neceſſitas, neceſſarium.*

Vide *Libertas. Dei ſcientia de futuris.*

Senſus huius axiomatis. *Omne, quod eſt, in quantum eſt, neceſſariò eſt, nec poteſt non eſſe.* q.14. art.13. num.22

Declaratur neceſſitas futuri contingentis,ex ſuppoſitione ſui. q.14.art.13.n.25

Diſcrimen inter neceſſitatem futuri,ex ſuppoſitione quod futurum ſit, & præſentis, ac præteriti, ex ſuppoſitione quod ſit, vel fuerit. q.14.art.13. n.26

Neceſſarium non eſt idem, quod immutabile. q.14. art.13.n.30

Neceſſarios effectus videri certò,& infallibiliter in ſuis cauſis,omnes fatentur. q.14.art.13.n.100

Neceſſitas conſequentis,& conſequentiæ,explicantur. q.14.art.13.n.311

Neceſſitas ex ſuppoſitione quando deſtruat libertatem. q.14.art.13.n.396.397

Neceſſitas antecedens, & conſequens, declarantur ex Anſelmo. q.14.art.13.n.397

Neceſſitas contingentium, quæ oritur ex decreto prædeterminante,eſt neceſſitas ſimpliciter,& abſolutè. q.14.art.13.n.113.& 398

Neceſſitas in ſenſu compoſito cum decreto prædeterminante, quomodo deſtruat libertatem. q.14. art.13.n.399

Neceſſitas ex ſuppoſitione ſui, declaratur ex illo axiomate, *Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe.* q.14.art.13.n.513

Ex ſuppoſitione diuinæ voluntatis ſequitur neceſſitas in re volita,ex S.Thoma. q.19.art.8.n.2

Neceſſitas conſequens effectum, an ſatis ſaluetur in cauſa,per hoc, quod terminetur neceſſitas ad effectum neceſſarium. q.23.art.4.n.91

Diſtinctio de neceſſitate antecedente & conſequente, an proſit ad tuendam libertatem poſito decreto prædeterminante. Vide *Dei voluntatis decretum. Prædefinitio.*

*Negatio.*

Negationes, & priuationes, quomodo cognoſcat Deus.q.14.art.9. Vide *Dei ſcientia.*

Negatio extranei in aliquo ente, an ſit prior conformitate ad intellectum diuinum. q.16. art.1. num.38

O

*Obiectum.*

QVodnam verè,& propriè dicatur obiectum alicuius potentiæ. q.14.art.2.n.11

Obiectum materiale terminat actum per ſuam entitatem; licet,prout illa ſubſtat rationi formali. q.14. art.13.n.198

Obiectum materiale, quam vim habeat ex ſe, & quam recipiat à formali. q.14.art.13.n.198

Obiectum materiale non limitat rationem formalem,ſed ab ea limitatur. q.14.art.13.n.198

Obiectum motiuum intellectionis quid ſit, & quid differat à terminatiuo. q.14.art.13.n.207

Obiectum eſt peculiaris menſura operationum intellectus. q.16.art.1.n.2.& 9.& 10

Obiectum non menſurat veritatem operationum per motionem effectiuam, ſed per formalem. q.16.art.1.n.13

Obiectum amoris ſemper eſt duplex; bonum quod volumus alteri; & alterum cui volumus bonum. q.20.art.3.n.13

Obiecti beatifici adeptio habetur per ſolum intellectum. q.26.art.2.n.3.& 4

*Obdurare.*

Deus quomodo dicatur obdurare homines. q.23. art.5.n.11

*Odium.*

Quid ſit propriè, & quodnam eius obiectum.q.20. art.1.n.12.13

Odium duplex; aliud genericè, aliud ſpecificè ſumptum. q.20.art.2.n.6

*Opera bona.*

An operum bonorum ſollicitudo tollatur poſita electione ad gloriam independenter à meritis. q.23.art.1.n.97

*Operationes intellectus.*

Vide *Intellectus.*

Operationes intellectus cur habeant peculiarem quandam veritatem, quam non habent cætera. q.16.art.1.n.2. In quo illa ſita ſit. Vide *Veritas.*

Secunda operatio quomodo verſetur circa obiectum formaliter vt cognitum. q.16.art.1.n.20

Prima operatio intellectus eſt etiam complexa, ſaltem abiectiuè. q.16.art.2.n.2

Cognitio definitiua pertinet ad primam operationem. q.16.art.2.n.3

Primæ operationi quomodo competat veritas in repræſentando. q.16.art.2.n.4

Prima operatio habet conformitatem cum obiecto ſecundum ſe. q.16.art.2.n.6

An omnis veritas, quæ competit primæ operationi, ſit tranſcendentalis. q.16.art.2.n.7

Primæ operationis triplex veritas conſideratur.ibid. ſecundæ duplex. n.8

Prima operatio incomplexa nullam habet falſitatem. q.16.art.2.n.9. ſecus complexa. n.11

Prima operatio incomplexa poteſt eſſe difformis obiecto,quod concipit. q.16.art.2. n.10. & art.3. num.1

In ſecunda operatione cur peculiariter dicatur eſſe veritas. q.16.art.2.n.14.& 21

In quo conſiſtat ea veritas. q.16.art.2.n.15

An prima operatio poſſit cognoſcere conformitatem cognitionis cum obiecto. q.16.art.2.n.17

In prima operatione cur dicatur ineſſe falſitas per accidens. q.16.art.2.n.11.& art.3.n.2

Secundæ operationis falſitas, an ſit eodem modo explicanda,quo veritas. q.16. art.2.n.18.& art.3. num.3

Secunda operatio an ſit ſemper reflexa. q. 16. art.2. n.19.20

*Oratio.*

An conueniat orare Deum, vt velit nos ſaluare; & an hæc oratio ſit vana,poſito quod non ſit ad bona opera neceſſaria Dei prædefinitio ex parte actus. q.23.art.4.n.41

*Ordinatio.*

*Ordinatio.*

Ordinatio vnius ad aliud, pertinet ad intellectum, non ad voluntatem. q.23.art.1.n.11

*Originalis culpa.*

Originalis culpa an poſſit eſſe reprobationis cauſa, etiam iis,quibus eſt remiſſa. q.23 art.5.n.12

Nulla fuit in *B.*Maria Virgine,licet fuerit debitum. q.23.art.5.n.15.& q.25.art.6.n.8

P

*Patres.*

PAtrum ſenſus circa ſcientiam viſionis,an ſit cauſa rerum. q.14. art.8.n.48.ad 54

Origenis locus circa idem, variè explicatus à Scholaſticis. q.14.art.8.n.93

Patrum ſenſus, circa coëxiſtentiam futurorum ad æternitatem, eorumque loquutiones examinantur fusè.q.14.art.13.n.41.42.43.& 54.& 60.ad 71

Patrum ſenſus circa præſcientiam Dei, & in quo ſenſu negetur. q.14.art.13.n.41.& 61.62.63

Patres etiam frequentiſſimi admittunt nomen præſcientiæ in Deo. q.14.art.13.n.63

Euſebius in quo ſenſu dixerit, Deum videre futura libera in cauſis. q.14.art.13.n.126

Iuſtinus, Chryſoſtomus, & Damaſcenus docent, cauſam liberam ſe ipſam determinare ad ſuos actus. q.14.art.13.n.156

Patres admittentes ſcientiam conditionalium in Deo. q.14. art.13.n.231.ad 237. etiam ante voluntatem efficacem vocandi. n.231.232.233.247

Patres quo ſenſu negent præſcientiam conditionatam. q.14.art.13.n.244.ad 248

Patres negant decretum prædeterminandi voluntatem ad actum liberum. q.14.art.13.n.130.ad 342

S. Hieronymi,& S.Chryſoſtomi, teſtimonia contra determinationem extrinſecam voluntatis. q.14. art.13.n.331.& 340

S. Anſelmi & S. Damaſceni teſtimonia pro eodem. q.14.art.13.n.332

S.Iuſtini, S.Hieronymi, S.Cyrilli, S. Damaſceni teſtimonia,quibus oſtenditur, futura non ideò futura,quia Deus illa præſcit. q.14. art.13.n.333

Patres negantes decretum determinans ad actus malos. q.14.art.13.n.334.ad 337

S.Anſelmi locus contra decretum prædeterminandi. q.14. art.13.n.341.& q.19.art.3.n.55

Quid ſenſerint Patres de electione ad gloriam, an ſit ex præuiſis meritis. q.23. art.1. Proſper n.47. Fulgentius n.48. Hilarius n.49. Hugo de S. Victore n.50

Patrum teſtimonia, ab aduerſariis adducta contra electionem ad gloriam independenter à meritis, explicantur. q.23.art.1. Fulgentij. n.78.79. Clementis. n.80.Hieronymi.81.82.83.Ambroſij.84. aliorumque complurium. n.85

Origenis dictum. *Prædeſtinatio eſt eius,qui non eſt*; explicatur. q.23.art.2.n.1

*Paſſio.*

An paſſio entis realis poſſit eſſe quid reale. q. 16. art.1.n.60

*Peccatum.*

Vide *Libertas. Voluntas. Malum. Libera cauſa.*

Peccatum nullum eſt ſine potentia non operandi malum. q.14.art.13.n.144

Peccati permiſſio quid ſit. q.14.art.13.n.145

Peccatum, vt infallibiliter futurum ſit,quid requiratur. q.14.art.13.n.145

Peccatum pendet à diuina voluntate conſequente, non antecedente. q.14.art.13.n.172

Peccatum quomodo videatur à Deo. Vide *Dei ſcientia de futuris contingentibus abſolutis.*

Ad peccatum vitandum,quam impotentiam habeat homo ſine gratia efficaci. q.14. art.13. num.176. & 177

Peccata quam proportionem habeant cum diuinis perfectionibus. q.14.art.13.n.201

Peccatum priuat bono diuino.q.19.art.9.n.7.eſt oppoſitum rectæ rationi. n. 8. ſi eſſet appetibile etiam per accidens à Deo,eſſet licitum nobis. ibid.

Peccatum,cum nihil auferat Deo,quomodo ſit vera iniuria Dei. q.21.art.1. n.19

Peccatum mortale eſt contra ius Dei; non tamen contra iuſtitiam. q.21. art.1. n.61

Eſſe phyſicum peccati eſt prius, quam eſſe morale. q.23.art.4.n.7

Peccatum dirigitur à Deo ad vltimum finem,ſecundum eſſe phyſicum. q.23.art.4.n.11.& 30

Ad peccatum excuſandum, an ſufficiat, quod quis non ſolus ad illud concurrat. q.23.art.4.n.15

Ad peccatum an concurrat Deus concurſu antecedente,an ſolum conſequente; & quid alter concurſus differat ab altero. q.23.art.4.n.16

Dei concurſus ad peccati entitatem. q.23. art.4. per totum. Vide *Malum. Dei voluntas. Libera cauſa.*

Materialis entitas peccati, ſub qua ratione Deo diſpliceat. q.23. art.4.n.24

Dei concurſus ad materiale peccati, eſt ſimpliciter voluntarius; inuoluntarius ſecundum quid.q.23. art.4.n.23

Peccatum quomodo ſit cauſa reprobationis. Vide *Reprobationis cauſa.*

Peccatum Originale. Vide *Originalis culpa.*

Peccatum Adami fuit neceſſaria conditio ad incarnationem Verbi ex præſenti decreto. q.23.art.1. n.24.& 92

*Peccator.*

Vide *Libera cauſa.*

Peccator prædeſtinatus an magis diligatur à Deo, quàm iuſtus præſcitus. q.20.art.4.n.6

Peccator per nullum actum poteſt de iuſtitia ſatisfacere iniuriæ. q.21.art.1.n.63

Peccator quomodo abutatur concurſu Dei. q.23. art.4.n.20

Peccator in ipſa deficientia ſubiicit ſe concurſui Dei,& quomodo. q.23.art.4.n.32

*Pelagiani.*

Abutuntur arbitrij libertate. q.14.art.13.n.505

*Perfectio.*

Efficax probatio perfectionis ſimpliciter ſimplicis. q.14.art.1.n.33

An veritas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. q.16. art.1.n.61

An vna perfectio diuina, poſſit habere rationem cauſæ virtualis,reſpectu alterius. q.19.art.5.n.4

Perfectio ſimpliciter ſimplex, ſi non eſt formaliter in Deo,neque eſt eminenter. q.19.art.8.n.8

Perfectiones diuinæ quando ſint ratione diſtinguendæ. q.23.art.1.n.20

*Permiſſio.*

Permiſſio quid differat à prædefinitione. quæſt.14. art.13.n.148

Ex permiſſione peccati non ſequitur infallibiliter peccatum,niſi poſita ſcientia conditionata. q.14. art.13.n.151

Permiſſio peccati quam connexionem habeat de ſe, cum infallibilitate peccati futuri. q. 14. art.13. num.151

Permiſſio malorum eſt bona.q.19.art.9.n.18.& propter bona. q.22.art.1.n.15.& q.23.art.2.n.32

Permiſſio peccati quantum attulerit boni Dauidi,& D.Petro. q.23.art.2.n.31


Permiſſio




Permiſſio peccati eſt negatio efficacis auxilij, cuius vi impediretur peccatum. q.23.art.2.n.32

Permiſſio peccati non poteſt à Deo eligi, ex intentione pœnitentiæ. q.23.art.2.n.33

Permiſſio peccati quomodo poſſit à Deo eligi ex intentione gloriæ, non autem pœnitentiæ. q.23. art.2.n.35.36

Permiſſio peccati, an poſſit eligi à Deo ob finem, qui non poſſit eſſe ſine pœnitentia. q.23.art.2. n.37.38

Deus, vt immediatè influens in actum peccaminoſum, præſcindit à permittere, vel cauſare peccatum. q.23.art.14.n.17

Permiſſio peccati,poſito immediato influxu, in quo ſaluetur. q.23.a.4.n.17

*Perſeuerantia.*

Perſeuerantia duplex, ex Auguſtino. q.23.art.2. n.12

Perſeuerantiæ donum, an haberi poſſit abſque prædeſtinatione. q.23.art.2.n.16

*S.Petrus.*

An Deus magis dilexerit B.Petrum, quàm B.Ioannem. q.20.art.4.n.7

Permiſſio peccati,quæ bona attulerit B.Petro. q.23. art.2.n.31

*Plato.*

Quid ſenſerit de ideis diuinis. quæſt. 15. art. 3. num.7

*Pœna.*

Pœna nulla poteſt à Deo decerni peccato, ante peccati præuiſionem. q.23.art.5.n.15

*Pœnitentia.*

An pertineat ad veram ſpeciem iuſtitiæ. q.21.art.1. n.59.60.61

Pœnitentiæ obiectum non eſt peccatum formaliter vt permiſſum à Deo, ſed vt malum. q.23.art.2. n.33

Pœnitentiam an poſſit Deus velle ante præuiſum peccatum. q.23.art.2.n.33.34

*Poſſibile.*

Poſſibilia ſuam habent intelligibilitatem, ab intelligibilitate futurorum diſtinctam. q.14.art.13. n.194

Poſſibilia intelliguntur à Deo ante quodlibet decretum. q.14.art.13.n.195

Poſſibilia non habent vim terminandi ſcientiam Dei ex ipſo intellectu,vel voluntate Dei. q.14. ar.13.n.199

Poſſibilia,qua ratione habeant rationem futuri conditionati. q.14.art.13.n.471.473

Ex poſſibili poſito in actu, ſequi non poteſt impoſſibile. q.23.art.2.n.11

*Potentia.*

Potentia indeterminata,dum agit, agit determinatè. q.14.art.13.n.187

Potentia viſiua, an producat determinatam viſionem vt indifferens, an vt determinata ad vnum. q.14.art.13.n.392

Potentia libera. Vide *Libera cauſa.* ſufficientiſſimè reducitur ad actum,ſi ad vnum ex oppoſitis ſe determinet. q.14.art.13.n.495

Potentia ad cognoſcendum aliquid,vel non cognoſcendum, quomodo ſit admittenda in Deo. q.14. art.13.n.495

Potentia non poteſt non ferri in ſuum obiectum principale, debitè applicatum. quæſt.19.art.3. num.2

Ex incompoſſibilitate actus, cum ſuo oppoſito, non rectè infertur incompoſſibilitas potentiæ ad actum, cum potentia ad oppoſitum. q.23.art.4. n.105

Potentiæ exequutiuæ conceptus, eſt extra latitudinem volendi,& ſciendi. q.25.art.1.n.7

*Practica cognitio.*

Practicæ cognitionis conſideratio, eiúſque veritas. q.16.art.1.n.9

An ſcientia Dei ſit practica. Vide *Dei ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & Dei ſcientia rerum cauſa.*

Prædeſtinatus. Vide *Prædeſtinatio.*

Prædeſtinatio. Vide *Dei ſcientia. Gloria. Gratia. Media. Finis.*

Prædeſtinatio quid ſit, ex Auguſtino, & S.Thoma. q.14.art.13.n.342. & q.22.art.1.n.3. & q.23.a.1. n.1.& 7.& 75

Conſenſus conditionatè futurus, quomodo requiratur ad prædeſtinationem. quæſt.14. art.13. n.413

Prædeſtinationis diuinæ conſilium magis latet in ſententia admittentium ſcientiam mediam. q.14. art.13.n.434

Prædeſtinationis dependentia à ſcientia conditionata,explicatur. q.14.art.13.n.445

Prædeſtinatio ab æterno antecedit ſuum effectum. q.23.art.1.n.2

Eſt opus ſolius Dei. q.23.art.1.n.3

Verſatur circa perſonam, non circa creaturam. q.23.art.1.n.4

Prædeſtinatio non reſpicit eſſentialiter ſtatum miſeriæ,tamquam terminum à quo. q.23.art.1.n.5

Reſpicit tamquam ſubiectum ſolam intellectualem creaturam. q.23.art.1.n.6

Deus non prædeſtinat ad malum culpæ. q.23.art.1. num.7. neque propriè ad malum pœnæ. ibidem. ſed tantum impropriè ex Auguſtino. ibidem.

Terminus diuinæ prædeſtinationis eſt gratia,& gloria. q.23.art.1.n.8. ſed diuerſo modo. ibid.

Prædeſtinatio primò & principaliter dicit actum intellectus diuini, ſcilicet iudicium practicum ordinans media ad finem; connotat autem actum voluntatis efficacem, antecedentem, de fine, & alium ſubſequentem, de mediis ad finem. q.23. art.1.n.9

Prædeſtinatio ex eo, quòd libera eſt, debet aliquo modo inuoluere aliquem actum voluntatis. q.23. art.1.n.12. ex eo quod efficax & infallibilis, inuoluit tum voluntatem finis, tum mediorum, vtramque abſolutam,& efficacem. ibid.

Prædeſtinatio differt à prouidentia,quia hęc tantum reſpicit ordinem in finem; illa verò etiam euentum huius ordinis. q.23.art.1.n.12

Quem ordinem habeant inter ſe actus intellectus, & voluntatis,in diuina prædeſtinatione. ibid.

Prædeſtinatio præter actus,quos ipſa inuoluit, prærequirit antecedentem actum ſcientiæ mediæ. q.23.art.1.n.13

Vide *Dei ſcientia de fut. conting. condit. & Dei ſcientia media.*

Prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ quantum ad obiecta; addit tamen ad prouidentiam determinationem circa obiecta, & circa modum tendendi in illa. q.23.art.1.n.15

Prædeſtinatio non eſt pars prouidentiæ, ex parte actus. q.23.art.1.n.16

Prædeſtinatio non eſt prædeterminatio voluntatis liberæ ad vnum. q.13.art.1.n.18

Prædeſtinatio,completè ſumpta,non debet explicari per vnum ſimplex decretum, q.23.art.1.n.19. ſed per duplex,aliud de danda gloria, aliud de danda gratia vt medium tale eſt ad gloriam. n.19.20

Hoc duplex decretum pręſupponit in Deo decretum abſolutum de creatione prædeſtinatorũ, & ſcientiã de prędeſtinatis abſolutè futuris.q.23.a.1.n.22




CCc non

non quia non potuerit vno decreto Deus ferri in creationem naturæ per ſolam habitudinem ad gratiam,tanquam ad finem. n.25.Sed quia ex iis, quæ habemus ex Scripturis, de prædeſtinatione Chriſti per decretum creationis humani generis, ita colligitur. n.24
Electio ad gloriam eſt voluntas efficax, & abſoluta de danda gloria. q.23.art.1.n.25
Electio ad gloriam præcedit præuiſionem meritorum abſolutè futurorum. q.23. art.1.n.26. vſque ad finem articuli.
Reiicitur duplex prædeſtinandi modus in Deo, ex præuiſis meritis aliquos; aliquos verò ex non præuiſis. q.23.art.1.n.32
Prædeſtinati cur dicantur ab Auguſtino, vaſa miſericordiæ. q.23.art.1.n.32
Ex electione ad gratiam finalem ante præuiſa merita,rectè colligitur ante ea etiam eſſe electionem ad gloriam. q.23.art.1.n.54
Electio ad gratiam finalem ante præuiſa merita, probatur. q.23.art.1.n.52.53
Prædeſtinati cur dicantur electi; & an ex eo colligatur ſufficienter electio ad gloriam independenter à meritis. q.23.art.1.n.55
Prædeſtinati dicuntur traditi Chriſto à Patre ante fidem; & an ex eo ſatis probetur electio ad gloriam independenter à meritis. q.23.art.1.n.57
Ex antecedentia electionis ad fidem, probatur eius antecedentia ad merita. q.23.art.1.n.59.& 70
Sufficientiſſime probatur ex eo, quod decretum gloriæ antecedit decretum gratiæ, vt voluntas finis, voluntatem mediorum. q.23.art.1.num.60. Item ex glorificatione infantium iuſtorum.n.61. Item ex diſcretione, & diuerſitate gratiarum ad conſequendum finem. num. 62. 63. Item ex eo, quod, cum diſcretionis circa finem nulla poſſit aſſignari ratio,poteſt tamen, & debet circa media. n.64
Præter decretum intentionis de danda gloria independens à meritis; eſt in Deo aliud decretum poſterius de exequutione gloriæ dependenter à meritis. q.23.art.1.n.66.& 69
An electio ad gloriam independenter à meritis tollat,vel impediat adhortationes,& prædicationes. Vide *Adhortatio.*
Prædeſtinatio in quo ſenſu negetur à Hieronymo, eſſe ex præiudicio Dei. q.23.art.1.n.81
Decretum intentionis non tendit formaliter in gloriam, & in merita. q.23. art.1.n.88. merita quomodo reſpiciat. ibid.
Decretum intentionis eſt cauſa inadæquata gloriæ. q.23.art.1.n.89
Prædeſtinatio an, & quam neceſſitatem imponat ſaluationis, in electis. q.23.art.1.n.96
An prædeſtinatio independens à meritis, tollat, vel impediat ſollicitudinem bonorum operum, & zelum animarum. q.23.art.1.n.97.98
Prædeſtinatio non eſt aliquid in prædeſtinato; ſed tantum in prædeſtinante. quæſt.23.art.2. num.1
Exequutio prædeſtinationis eſt paſſiuè in prædeſtinato; actiuè in prædeſtinante. ibid.
Prædeſtinatio interdum ſumitur realiter, non intentionaliter; hoc eſt pro gratia, extrinſecè quodam modo prædeſtinante. quæſt.23.art.2. num.12
Prædeſtinatio diuerſa ratione reſpicit finem, ac media. q.23.art.2.n.18
An ad ſpecialem prouidentiam prædeſtinationis, neceſſaria ſit continuatio mediorum. q.23.art.2. num.27
In prædeſtinatione an intentio diuina de fine cauſet in nobis intentionẽ de eodem; & electio mediorum,electionem illorum. q.23.art.4.n.56
Prædeſtinationis infallibilitas rectè probat prædefinitionem omnium actuum bonorum ſupernaturalium. q.23.art.4.n.68
*Prædeſtinatus non ſaluatur*, falſa propoſitio. *Prædeſtinatus poteſt non ſaluari*, in ſenſu compoſito falſa eſt; in ſenſu diuiſo vera. q.23.art.4.n.105
Prædeſtinatio hominum eſt poſt præuiſum peccatum Adami. q.23.art.5.n.10
Prædeſtinatio, prout dicit actum intellectus,& voluntatis Dei, non eſt in noſtra poteſtate. q. 23. art.5. num.17. prout vero dicit extrinſecam terminationem ad obiecta, in ordine intentionis, non eſt in noſtra poteſtate. n.18. eſt tamen in ordine exequutionis, quoad aliquos effectus. n.19. non verò quoad omnes. n.20
Prædeſtinatio ad primam gratiam, eſt aliquo modo in noſtra poteſtate. q.23.art.5.n.21
Prædeſtinatio abſolutè loquendo dici non debet eſſe in noſtra poteſtate. q.23.art.5.n.22
An valeat hæc conſequentia. In poteſtate mea eſt eſſe reprobum; ergo & prædeſtinatum. q.23. art.5.n.24
Prædeſtinationis negatio non eſt in noſtra poteſtate. q.23.art.5.n.26
Prædeſtinati pauciores ſimpliciter ſunt, quàm reprobi. q.23.art.7.n.6. E Chriſtianis etiam fidelibus. n.7
Prædeſtinationem ſuam nemo poteſt certò ſcire in hac vita, niſi ex ſpeciali reuelatione. q. 23. art. 7. numer. vlt. poteſt tamen probabiliter. ibid.

*Prædeſtinationis cauſa.*

Nullam ſequi cauſam prædeſtinationis ex parte noſtra, poſita ſcientia media. quæſt. 14. art. 13. num.413
Conſenſus conditionate futurus, an ſit motiuum, vt Deus eligat vnum præ alio. quæſt.14. art.13. num.437
Prædeſtinatio, ex parte actus, nullam poteſt habere cauſam. q.23.art.5.n.1
Prædeſtinatio,ex parte effectus,reſpectu alicuius effectus particularis,habet cauſam alium effectum. q.23.art.5.n.2
Prædeſtinatio,reſpectu omnium effectuum collectiuè,nullam habet cauſam, ex parte noſtra. q.23. art.5. n.3. habet tamen ex parte Dei finalem cauſam,quæ eſt ſua bonitas. q.23.art.5.n.4
Cur hic ſit prædeſtinatus, & non ille, nullam habet cauſam; præter beneplacitum Dei. q.23.art.5. num.4

*Prædeſtinationis certitudo.*

Prædeſtinationis certitudo ſumma ex parte præſcientiæ. q.23.art.6.n.1. ſumma itidem ex parte voluntatis diuinæ. ibid. ſumma itidem ex parte mediorum. ibid. quo ordine. n.2
Certitudo prædeſtinationis ex præſcientia,non fundatur in abſoluta ſcientia viſionis;neque in ſcientia ſimplicis intelligentiæ. q.23.art.6.n.2
Certitudo prædeſtinationis ex parte mediorum,non habetur ex intrinſeca natura mediorum; ſed ab extrinſeco,per ordinem ad præſcientiam, & voluntatem. q.23.art.6.n.3. ad finem articuli.
Numerus prædeſtinatorum certus eſt; non ſolum formaliter, ſed etiam materialiter. quæſt. 23. art.7. num.1. 2. non ſolum ratione cognitionis; ſed etiam ratione electionis. num.3. qui ſoli Deo notus eſt. n.4. eius certitudinis ratio eſt proportio vniuerſi. n.5





*Prædeſtinationis effectus.*

Idem eſſet prædeſtinationis effectus, qui nunc eſt, ſi in Deo non eſſet ſcientia media, neque decretum prædefiniens gloriam; dum remaneret decretum dandi has gratias, quas de facto dat: licet non eadem infallibilitate. q.23.art.2.n.6. mutato verò decreto de gratiis,mutarentur effectus. ibid.
Gloria eſt primarius prædeſtinationis effectus. q.23. art.2.n.17
Gratia eſt itidem effectus prædeſtinationis. q.23. art.2.n.21. non tamen ſine aliqua infallibili coniunctione cum perſeuerantia,& gloriæ conſequutione. n.22
Etiam gratia ſanctificans, & merita per peccatum interrupta,in prædeſtinatis,ſunt prędeſtinationis effectus. q.23.art.2.n.23. non quidem,vt interrupta,ſed ſecundùm ſe. n.26
Etiam auxilia gratiæ, ſiue externa, ſiue interna,efficacia ad eliciendum aliquem actum meritorium, conceſſa prædeſtinatis, ſunt effectus prædeſtinationis; etiam ſi meritum illud per aliquod peccatum interrumpatur. q.23.art.2.n.29. ſi ſint inefficacia piè etiam credendum, eſſe effectus prædeſtinationis, quatenus in genere cauſæ obiectiuæ poſſunt eſſe efficacia,ad alios actus pœnitẽtiæ,&c. ibid.& n.30
Permiſſio peccati in prædeſtinatis, eſt etiam effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.31
Res naturales quæ per primam mundi creationem conditæ ſunt, quæque ab ipſis naturaliter proueniunt,non ſunt prædeſtinationis effectus. q.23. art.2.n.39
Res, quoad ſubſtantiam naturales, ſupernaturales quoad modum, ſunt effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.40
Generatio impetrata per orationes, non eſt effectus prædeſtinationis ipſius generati. q.23.art.2. n.41
Natiuitas, vel mors, in talibus circumſtantiis, eſt effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.42
Diſpoſitiones, & temperamenta, ac conſtitutio corporis, & organorum; ſi à Deo ſupra naturalem exigentiam concedantur, & reipſa conferant ad ſalutem, ſunt effectus prædeſtinationis. q.23. art.2.n.43
Multa itidem bona opera moralia,ſunt effectus prædeſtinationis. q.23.art.2.n.44
Scientia media quomodo ſit neceſſaria ad effectus prædeſtinationis. q.23.art.4.n.63
Adami prima gratia an fuerit effectus prædeſtinationis interrupta per peccatum. q.23.art.2.n.28

*Prædeſtinationis neceſſitas.*

Prædeſtinatio in quo ſenſu ſit vel non ſit neceſſaria. q.14.art.13.n.414. & 541. ſpecialiter electio ad gloriam independenter à meritis. q.23.art.1. n.90
Prædeſtinatio ex parte agentis, eſt neceſſaria ad ſuos effectus. q.23.art.2.n.2. eſt itidem ex parte effectus,ad hoc vt infallibiliter habeatur.num.3. non autem vt ſimpliciter habeatur. num.4. patet ex reprobis.num.5. ſed vt modo conuenienti,& perfecto. n.7
Prædeſtinatio ſi non eſt neceſſaria,vt quis poſſit ſaluari,neque eſt neceſſaria, vt quis ſaluetur. q.23. art.2.n.11
In quo ſenſu, poſito quod aliqui ſaluentur, neceſſaria ſit Dei prædeſtinatio,ad eorum ſalutem. q.23. art.2.n.13
In prædeſtinatione,finis intentio eſt omnino libera, electio mediorum quodammodo neceſſaria, ex ſuppoſitione finis. q.23.art.4.n.64

*Prædefinitio.*

Vide *Dei voluntatis decretum.*
Quid ſit.q.23.a.4.n.3.eius adæquatus cõceptus.n.81
Datur in Deo prædefinitio ad omnes actus liberos meritorios prædeſtinatorum.q.23.art.4.n.4.& 70
Implicat tamen quoad actus malos. q.23.art.4.n.5. etiam quoad eſſe phyſicum. n.7. licet Deus ad illud concurrat. n.9
Prædefinitio entitatis phyſicæ peccati tollit eius permiſſionem,& inducit in Deo rationem cauſæ,reſpectu malitiæ. q.23.art.4.n.14.15.17
Prædefinitio diſtinguitur ab actu prædefinito. q.23. art.4.n.17
Prædefinitio diſtinguitur ab influxu Dei. q.23.art.4. n.28
Prædefinitio ad actum liberum quomodo ſtet cum decreto indifferente de concurrendo etiam in oppoſitum. q.23.art.4.n.29.& 65
Prædefinitio ad actus moraliter bonos, etiam ſupernaturales, eſt neceſſaria ex parte Dei; non autem ex parte actus, vt ſimpliciter habeatur; licet ſit neceſſaria vt infallibiliter habeatur. q.23.art.4. n.40. Vide *Prædeſtinationis neceſſitas.*
An idem ſit,liberos actus prædefiniri à Deo, & cauſari ab illo. q.24.art.4.n.42
Prædefinitioni quínam effectus formaliter reſpondeat; actus bonus in ſe,an eius infallibilitas,& an ea ſublata remaneat eius formalis effectus. q.23. art.4.n.44
Prædefinitio ad actus liberos, non repugnat ſimpliciter libertati. q.23.art.4.n.46
Prædefinitio ante ſcientiam mediam,repugnat libertati. q.23.art.4.n.48
Prædefinitio ſupponit conditionatam futuritionem effectus; cauſat verò abſolutam. ibid.
Prædefinitio an ſe extendat ad illa omnia, ad quæ ſe extendit cauſalitas. q.23.art.4.n.50.& 84
Prædefinitio ad bonos omnes actus ſupernaturales liberos, datur de facto in Deo. q.23.art.4.n.68. & 70. etiam reproborum. n.74
Prædefinitio Dei eſt de facto ad omnes illos actus, ad quos eliciendos dedit media infallibilia vt talia. q.33.art.4.n.69
Non datur prædefinitio ad omnes actus ſimpliciter bonos,naturales. q.23.art.4.n.75. nulla eius neceſſitas, neque ex parte actus, vt ſimpliciter ſit. ibid. neque vt infallibiliter ſit. ibid.
Sublata prædefinitione actuum naturalium,an tollatur prouidentia circa illos. q.23.art.4.n.75
An Deus,quicquid in tempore facit, prædefiniuerit ab æterno. q.23.art.4.n.79
Prædefinitio antecedens ſeu formalis, & concomitans,ſeu materialis, explicatur. ibid.
Prædefinitio, an ex eo,quod ſit cauſa antecedens actus, debeat eſſe etiam cauſa eius neceſſaria. q.23.art.4.n.83
Prædefinitio, an ex eo quod ſubſequatur ſcientiam mediam, ſit in noſtra poteſtate. ibid.
Prædefinitio,ratione ſcientiæ mediæ, quid præſupponat,quid cauſet. q.23.art.4.n.85
Prædefinitio omnino antecedens pugnat cum modo libero operandi. q.23.art.4.n.87
Tollit potentiam ad peccandum. q.23.art.4.n.88. itidem ſufficientiam ad operandum. ibid. itidem deſtruit paratum Dei concurſum ad vtramque partem. ibid.& 92
Eſt neceſſaria ad effectum neceſſitate antecedente. q.23.art.4.n.89.90.91. etiam vt terminata ad gratiam præuenientem. n.94
Poſito quod ſit neceſſaria ad actum ſecundum, erit etiam ad primum. q.23.art.4.n.93

Vt terminata ad actum, quem prædefinit, eſt etiam antecedenter neceſſaria. q.23.art.4.n.95
Voluntas in ſenſu compoſito cum prædefinitione, non eſt potens proximè ad oppoſitum. q.23. art.4.n.99
Compoſitio cum prædefinitione, ſi impedit actum ſecundum oppoſitum, impedit & actum primum. q.23.art.4.n.100
Suppoſitio, quæ habetur ex prædefinitione, eſt omnino antecedens. q.23.art.4.n.101. atque adeo neceſſitans antecedenter. n.102

*Præſcientia.*

Vide *Dei ſcientia de futuris.*
Præſcientia quo ſenſu negetur eſſe in Deo. q.14. art.13.n.61.62.63
Præſcientia, propriè dicta, dicit imperfectionem. q.14.art.13.n.62
Præſcientia propriè quid ſignificet. q.14.art.13. n.245. & q.19.art.3.n.29
Præſcientia futurorum præcedit prædeſtinationem, ex S.Thoma. q.14.art.13.n.342
Præſcientia nonnunquam ſumitur à Patribus pro decreto. q.23.art.1.n.85

*Præterita.*

Ad præterita quomodo ſe extendat Deus. Vide *Dei omnipotentia.*
Præteritum an poſſit ſpoliari præteritione. q.25. art.4.n.3.4
Præteritio formaliter quid importet. q.25.ar.4.n.4
Contradictio de præteritis reducitur ad contradictionem de præſentibus. ibid.

*Prioritas.*

Explicatur prioritas *à quo*, & an ea ſit prioritas rationis. q.14.art.13.n.456
Quod eſt per ſe, prius eſt eo, quod eſt per accidens. q.20.art.1.n.1
Prioritas finis, reſpectu mediorum. Vide *Finis. Media.*
Prioritas futuri conditionati ad abſolutum. q.14. art.13.n.474

*Promiſſio.*

Promiſſiones factæ ſub conditione oneroſa, inducunt debitum ex iuſtitia. q.21.art.1.n.6.& 36
Promiſſiones conditionatè factę hominibus de gloria, an ſint vanæ, ſaltem reſpectu electorum, poſita electione independenter à meritis. q.23.art.1. n.94

*Prouidentia.*

Vide *Dei prouidentia.*
Quoad quid nominis, importat actum intellectus. q.22.art.1.n.2. quoad quid rei actum, tum intellectus, tum voluntatis. num.3. an ille actus intellectus ſit practicus. n.8.
Prouidentia exercetur circa res exiſtentes, vel futuras, non autem circa pura poſſibilia. q.22.art.1.n.4
Prouidentiæ definitiones duæ. ibid.
An ad complementum prouidentiæ, requiratur aliquis actus intellectus immediatè imperans potentiæ exequutiuæ. q.22.art.1.n.7
In prouidentia primus actus eſt voluntas finis; ſecundus cognitio eorum, quæ ſunt ad finem; tertius electio ſeu voluntas mediorum, ad finis aſſequutionem. q.22.art.1.n.9
Prouidentia principaliter conſiſtit in ſecundo actu intellectus; connotans primum, & tertium voluntatis. q.22.art.1.n.10
Exequutio ordinis, & gubernatio, pertinet ad prouidentiam. q.22.a.1.n.11
Prouidentia eſt principalis pars prudentiæ, ad quam & præſentium intelligentia, & præteritorum memoria, ordinantur. q.22.art.1.n.12
Prouidentia, prout præſcindit à creata, & increata, non inuoluit in ſuo conceptu neceſſariam conſequutionem finis. q.22.art.1.n.13
Prouidentia propriè reſpicit media, non finem. q.22.art.1.n.20
Prouidentia poteſt eſſe de eo, de quo nulla ſit prædefinitio. q.23.art.4.n.75

Q

*Quantitas.*

QVantitas an ſit ſenſibilis per accidens. q.17. art.2.n.4
Quantum cur poſſit fieri non quantum; præteritum verò non poſſit fieri non præteritum. q.25. art.4.n.4

R

*Relatio.*

RElatio obiecti ad cognitionem, non eſt ipſa veritas cognitionis. q.16.art.1.n.18
Relatio cognitionis ad obiectum, eſt formaliter veritas. q.16.art.1.n.24
Relatio cognitionis ad obiectum, quando ſit relatio rationis. q.16.art.1.n.25. quando verò realis. n.26
Relatio menſuræ ad menſuratum eſt rationis; menſurati ad menſuram eſt realis. q.16.art.1.n.26
Relatio cognitionis ad obiectum non exiſtens, eſt rationis. q.16.art.1.27
Relatio, quam importat veritas tranſcendentalis, non terminatur ad rei principia, ſine vllo ordine ad intellectum. q.16.art.1.n.47. ſed ad rem ipſam, vt cognitam. n.49
Relatio, quam importat veritas tranſcendentalis, quando ſit æquiparantiæ, quando verò diſquiparantiæ. q.16.art.1.n.56
Talis relatio non eſt realis, ſed rationis. q.16.art.1. n.59.60. an fingatur ab intellectu. n.66
Nulla eſt relatio realis Dei ad creaturas. q.19.art.3. n.45
Relationes rationis in ſcientia, & amore Dei erga creaturas, fundantur in ipſis actibus diuinis. q.19. art.3.n.56
Relatio prædicamentalis diſtinguitur à parte rei à ſuo fundamento. q.19.art.3.n.59

*Religio.*

An pertineat ad ſpecialem iuſtitiam. q.21.art.1. n.59.60

*Reprobus. Reprobatio.*

Vide *Prædeſtinatio.*
Reprobi in primo decreto de danda omnibus gloria, ſunt abſolutè incluſi; in ſecundo verò de danda aliquibus efficaciter, ſunt ſecundùm quid excluſi à gloria. q.23.art.1.n.67.& 92
Reprobis quomodo à Deo præparata ſit gratia incongrua. ibid. & 93. & art.3.n.11.12
Reprobi, an ideo reprobi, quia ſunt caſuri. & an hæc ſit cauſa eſſendi, an ſolum cognoſcendi. q.23. art.1.n.72
Quòd ex reprobis nullus ſaluetur, vnde oriatur. q.23.art.1.n.93
Reprobatio negatiua ſub qua ratione tendat in malum reproborum. q.23.art.1.n.96
Reprobatio an imponat aliquam neceſſitatem damnationis in reprobis, & quomodo. q.23.art.1.n.96
Reproborum dona ſupernaturalia, quid differant à donis prædeſtinatorum per peccatum interruptis. q.23.art.2.n.25
Eſſe inter homines, & Angelos, aliquos reprobatos, eſt de fide. q.23.art.3.n.1





Reprobi cur vocentur præſciti; reprobatio verò, non præſcientia. ibid.
Reprobationis nonnullorum conuenientia. q.23. art.3.n.2
Qui actus concurrant ad reprobationem, & quo ordine. q.23.art.3.n.3
Voluntas non dandi gratiam finalem diſtinguitur à voluntate damnandi, quæ eſt poſt abſolutam præuiſionem demeritorum. ibid.
Reprobatio formaliter dicit actum rationis practicæ, proponentis voluntati danda aliquibus media, ſufficientia quidem ad ſalutem, ſed quibus eam non conſequentur; & ſecundariò actum voluntatis decernentis talia media. q.23.art.3. num.4
Reprobatio non conſiſtit in iudicio de dignitate pœnæ. q.23.art.3.n.5
Reprobatio negatiua eſt poſitiuus actus tendens in negationem electionis ad gloriam. q.23.art.3. n.6
Reprobatio poſitiua eſt poſitiuus actus iudicij practici, & voluntatis, tendens in pœnam poſt præuiſa demerita abſolutè futura. ibid.
Reprobatio negatiua eſt ante præuiſionem peccati. ibid.
Reprobatio, prout dicit actum intellectus, & voluntatis Dei, non eſt in noſtra poteſtate. q.23. art.5.n.17
Reprobatio prout dicit extrinſecam terminationem ad obiecta, negatiua quidem non eſt in noſtra poteſtate; eſt autem poſitiua. q.23.art.5.n.23
Reprobationis negatio, an, & quomodo poſſit eſſe ſimul cum negatione prædeſtinationis. q.23. art.5.n.25
Reproborum numerus an certus ſit, & quomodo. q.23.art.7.n.3
An reprobi ſint plures quàm prædeſtinati. q.23. art.7.n.6.ad finem.

*Reprobationis cauſa.*

Reprobatio negatiua, abſolutè ſpectata, cauſam habet peccatum, comparata ad prædeſtinationem electorum, nullam ex parte reprobi. q.23.art.5. n.6.ad 12
Reprobationis negatiuæ cauſa prima, & vniuerſalis, eſt peccatum originale. q.23.a.5.n.12. non quidem quoad actualem contractionem, ſed quoad debitum contrahendi. n.13
Reprobationis poſitiuæ, prout dicit voluntatem puniendi pœna ſenſus, cauſa eſt peccatum mortale perſonale. q.23.art.5.n.14. prout verò dicit voluntatem pœnæ damni, eſt in adultis non baptizatis, qui peccauerunt actualiter, peccatum actuale, & originale, in baptizatis, actuale ſolum, in infantibus, originale ſolum. n.14.15

*Reſurrectio.*

An poſt reſurrectionem anima coniuncta cum corpore ſit minùs perfectè intellectura quàm ſeparata ante reſurrectionem. q.14.art.1.n.24

S

*Sacra Scriptura.*

SAcræ Scripturæ teſtimonia pro ſcientia conditionalium. q.14.ar.13.n.217.ad 229
Scriptura, cum reuelat futura, non debet intelligi ſecundùm inclinationem cauſarum. q.14.art.1. n.217
Scriptura, cum prædicit comminando, quomodo ſit intelligenda. q.14.art.13.n.217
Scriptura plerumque vtitur particula *fortè* in rebus certiſſimis. q.14.art.13.n.219.& 220
Sacræ Scripturæ teſtimonia contra decretum prædeterminans. q.14.art.13.n.320
Sacræ Scripturæ teſtimonia contra decretum prædeterminans ad actus malos. q.14.art.13.n.375
Sacræ Scripturæ teſtimonia pro electione ad gloriam independenter à meritis. q.23.art.1.n.52. ad 60
Sacra Scriptura an ſit liber vitæ. q.24.art.1.n.5

*Scholaſtici Theologi.*

Scholaſticorum ſenſus circa ſcientiam viſionis, an ſit cauſa rerum. q.14.art.8.n.44.45.46.47
Nonnulli falsò citantur pro ſententia de ſcientia futurorum liberorum in ſuis cauſis. q.14.art.13. n.100
Scholaſtici, qui determinationem cauſæ liberæ explicant per influxum actualem eiuſdem, prout connotat cauſam adæquatè potentem influere in oppoſita. q.14.art.13.n.165.ad 167
Quid ſentiat Lorca de ſcientia conditionatorum contingentium ordinatorum ante vllum decretum, etiam obiectiuè exiſtens. q.14.art.13.n.285. quid Zumel. n.286. quid Cabrera. ibid.
Quid ea de re ſentiat Driedo. q.14.art.13.n.294.295. in quo ſenſu dixerit, Deum expectare homines, vt ad ſe veniant. n.296.297
Quid ea de re ſentiat Ruardus Taper. q.14.art.13. n.298. ſatis ex ipſo colligitur ſcientia conditionata ante decretum. n.299. determinationem tribuit ſoli libero arbitrio, cum Auguſtino, & Bonauentura. n.299.300
Quid ea de re ſentiat Thomas VValdenſis. q.14. art.13.n.301
Quid ea de re ſentiat Marſilius. q.14.art.13.n.307. malè deducitur contraria concluſio ex dictis Marſilij. ibid.
Quid ea de re ſentiat Ochamus. q.14.art.13.n.308. Ochami locus contra aduerſarios. ibid.
Quid ea de re ſentiat Gabriel. q.14.art.13.n.309. locus Gabrielis contra aduerſarios. ibid.
Quid Gregorius. q.14.art.13.n.310
Quid Argentina. q.14.art.13.n.311
Quid Ægidius. q.14.art.13.n.312
Quid Arboreus. q.14.art.13.n.313. Arboreum, dum nobis fauet, Auguſtini verbis loqui, oſtenditur. ibid.
Quid Scotus. q.14.art.13.n.316. quo ſenſu Scotus dixerit, Deum videre futura contingentia in ſua voluntate. ibid.
Fauent alij Scholaſtici, per deductionem ex variis ipſorum principiis. q.14.art.13.n.317.318
Quid ſentiat ea de re Antonius de Corduba. q.14. art.13.n.319. pugnant ex illius ſententia neceſſitas conſequentiæ proueniens à cauſa extrinſeca, & libertas. ibid.
Scholaſtici qui decretum prędeterminandi ad materialem entitatem peccati reiiciunt. q.14.art.13. n.367.ad 373
Scholaſtici, qui vſui ſcientiæ mediæ, ad tuendam libertatem, fauent. q.14.art.13.n.524.525
Antiquiores Scholaſticos non ſatis explicaſſe concordiam creatæ libertatis, cum actibus diuinis, teſtantur Aureolus, & Caietanus. q.14.art.13.n.529
Quid ſenſerit Aureolus de libertate Dei. q.19.art.3. n.22
Scholaſticorum mens de electione ad gloriam, an ſit ex præuiſis meritis. q.23.art.1.n.27
Quid præſertim ea de re ſenſerit Alenſis. q.23.art.1. n.28. quid Albertus. num.29. quid Bonauentura. ibidem. quid Henricus. ibidem. quid Argentina. num.30. quid Ocham, Gabriel, Catherinus, num.31

*Scientia.*

Vide *Dei ſcientia.*

Scientia non denominatur vniuerſalis, vel particularis ex ſubiecto, neque ex eſſe, quod habet à parte rei, neque ex prædicatione, neque ex obiecto, ſed ex medio formali cognoſcendi vniuerſali, vel particulari. q.14.art.1.n.59

Scientia practica prius cognoſcit, quàm cauſet. q.14. art.8.n.103

Scientia practica, qua ratione terminetur ad effectum per repræſentationem. q.14.art.8.n.116

Scientia non eſt exemplar ſcitorum. q.14.art.8. n.120

Scientia coniecturalis duplex. q.14.art.13.n.6

Scientia non poteſt eſſe immutabilis circa obiectum, niſi illud in ſe ſit immutabile. q.14.art.13. n.30

Scientia futuri, vt futuri eſt abſtractiua. q.14.art.13. n.66

Scientia practica propriè non imperat. q.19.art.4. n.5. an influat immediatè in potentiam exequutiuam. num.7

*Semipelagiani.*

Abutuntur præſcientia conditionata. q.14.art.13. n.505

*Senſus.*

Vide *Veritas. Falſitas.*

An in ſenſu ſit falſitas. q.17.art.2.per totum.

Senſui cur repugnet actus reflexus. q.17.art.2.n.2

Senſus quomodo poſſit falli circa propria ſenſibilia. q.17.art.2.n.5

Sæpe fallitur circa ſenſibilia communia. q.17.art.2. n.8. ſæpe etiam circa ſenſibilia per accidens. n.10

*Senſus-compoſitus & diuiſus.*

An hæc diſtinctio proſit ad tuendam libertatem. Vide *Libertas. Dei voluntatis decretum. Prædefinitio.*

Explicatur hæc diſtinctio. q.23.art.4.n.96.97

*Senſibile.*

Senſibile aliud eſt per ſe, aliud per accidens. q.17. art.2.n.4

Quid requiratur ad ſenſibile per accidens. ibid.

Senſibile per ſe an poſſit eſſe ſenſibile per accidẽs. ib.

Senſibile per ſe aliud eſt proprium, aliud commune. ibid.

Senſibilia communia an habeant propriam ſpeciem. q.17.art.2.n.9

*Societatis Ieſu Theologi.*

Vide *P. Suarez. P. Vazquez.*

Arrubalis expoſitio de mente Patrum, negantium præſcientiam in Deo, defenditur. q.14.art.13. n.61.62.63

Molinæ propoſitio, qua aſſerit, res prius eſſe in tempore, quàm in æternitate defenditur. q.14.art.13. n.87

Molinæ ratio, qua probat, tolli libertatem, ſi actus liberi prius ſint in æternitate, quàm in proprio tempore, explicatur. q.14.art.13.n.93. tres reſponſiones impugnantur. n.94.95

Valentia, & Molina, falsò referuntur à quibuſdam, pro ſententia de certa futurorum liberorum ſcientia in ſuis cauſis. q.14.art.13.n.100. explicatur Molina. n.126

Theologi Societatis Ieſu, qui negant effectus liberos futuros videri in ſuis cauſis. quæſt.14.art.13. n.101

Negant in voluntate Dei de concurrendo generaliter ad actus liberos, poſſe videri determinatè hos actus, & non illos. Explicantur Fonſeca & Molina. q.14.art.13.n.127

Falsò ipſis imponitur, eos negare prædefinitionem Dei circa omnes actus liberos in particulari. q.14. art.13.n.146.& 150

Omnes admittunt ſcientiam Dei infallibilem de futuris conditionalibus. q.14.art.13.n.210

Falsò ipſis imponitur, infallibilem futurorum præſcientiam, tollere futurorum libertatem. q.14. art.13.n.261

Negant requiri ad ſcientiam conditionatorum liberorum ordinatorum, decretum connexionis obiectiuè in intellectu diuino. quæſt.14.art.13. n.283

Falsò iis tribuitur, determinationem liberi arbitrij eſſe præcognitam à Deo, non autem præuolitam. q.14.art.13.n.305

Fonſecæ falsò tribuitur, quòd dixerit, ſe fuiſſe primum inuentorem ſcientiæ mediæ. q.14.art.13. n.344

Molina immeritò exagitatur ab aduerſariis, quod fateatur vſum ſcientiæ mediæ nullum fuiſſe apud antiquos. q.14.art.13.n.345.& 346

Theologis Societatis Ieſu falsò tribuitur, quod negent phyſicam dependentiam effectus liberi à Deo. q.14.art.13.n.420

In quo ſenſu Molina dixerit, oportere comprehendi cauſam liberam, vt videantur effectus futuri liberi. q.14.art.13.n.464

Societatis Ieſu Theologi aſſerunt, ſcientiam mediam eſſe talem per participationem intelligentiæ, & viſionis. q.14.art.13.n.480

Immeritò exagitantur ſuper nouitate ſcientiæ mediæ. q.14.art.13.n.502.503

Immeritò itidem ſuper periculo eiuſdem ſcientiæ. q.14.art.13.n.505

Eorum conſenſio in ſcientia media admittenda. q.14.art.13.n.506

Molinæ opinio de concurſu immediato diuinæ voluntatis in actus noſtros liberos declaratur. q.19. art.4.n.12. item Arrubalis de eodem. n.13

Molinæ falsò imponitur quòd ſentiat, Deum pendere à creata libertate. q.22.art.1.n.21.22

Arrubalis ſententia de libera Dei volitione defenditur & explicatur. q.19.art.3.n.63. & q.22.art.1. n.8.& art.3.n.2

Molinæ opinio de concurſu Dei ad materiale peccati, defenditur. q.23.art.4.n.19.ad 26

Aliquot Societatis Theologi, malè relati ab aduerſariis, vindicantur. q.23.art.4.n.76

*Sol.*

Quomodo dicatur agens vniuerſale. q.21.art.1. num.1

*Species.*

Vide *Scientia.*

Materiale non poteſt fieri actu intelligibile, niſi per ſpecies immateriales. q.14.art.1.n.19

Species quomodo recipiantur in medio. q.14.a.1. n.20

An ſint vera, & ſola media cognoſcendi. q.14.art.1. n.64

Speciei intelligibilis quinque munera. q.14.art.2. num.3

Speciei naturalis munus in ordine ad obiectum. q.14.art.2.n.5

In quo ſenſu dixerit S. Thomas, intelligere ſequi ſpeciem intelligibilem. q.14.art.4.n.7.8

Species intelligibiles quomodo dicantur veræ. q.16. art.1.n.8

Species an falsò poſſint repræſentare obiecta. q.17. art.2.n.7

*Spes.*

Quid ſit, & quódnam eius obiectum. q.20.art.1. n.6





*P. Suarez.*

Defenditur Suarez aſſerens, eandem eſſe neceſſitatem entis poſſibilis creati, quæ eſt entis diuini. q.14. art.5.n.42

Defenditur contra non neminem, ac demonſtratur, præter decretum conditionatum admitti ab ipſo decreta abſoluta in ordine ad actus noſtros liberos. q.14.art.8.n.134

Eius expoſitio de Patrum mente, negantium præſcientiam in Deo, defenditur. quæſt.14. art.13. n.191

Eius opinio de futuris contingentibus, adeò viſis per ſimplicem intuitum rei, quæ futura eſt, explicatur, & defenditur. q.14.art.13.n.191

Bene ab ipſo citari Lorcam pro opinione, de ſcientia conditionatorum contingentium ordinatorum ante vllum decretum, etiam obiectiuè exiſtens in intellectu diuino. q.14.art.13.n.285

Bene itidem Zumel, pro eodem. q.14. art.13.n.286. Bene etiam Sotum. n.287

Bene etiam Driedonem. q.14.art.13.n.294. Bene itidem Ruardum Taper. n.298.300. Bene VValdenſem. n.301. Bene eos omnes, qui negant futura contingentia abſoluta cognoſci à Deo in ſuo decreto. n.306

Suarez opinio de concurſu immediato diuinæ voluntatis ad actus liberos creatos, declaratur. q.19. art.4.n.11

Eius ſententia de concurſu Dei ad materiale peccati, explicatur. q.23.art.4.n.16

Eius ſententia de antecedentia efficacis Dei voluntatis ad noſtram cooperationem, explicatur. q.23. art.4.n.45

Defenduntur tria dicta Suarez, de concordia prædeſtinationis cum libertate creata. Primum. Per electionem non determinari hominem ad aliquem actum ſuæ voluntatis in particulari. q. 23. art.4.n.53. Secundum. Per electionem per ſe non immutari voluntatem. num. 54. ad 59. Tertium. Suppoſitionem actus liberi, ex prædefinitione, fundari in alia ſuppoſitione antecedente. n.59. ad 65

*Subſtantia ſpiritualis.*

Cur inter ſubſtantias ſpirituales dari nequeat quædam cognoſcens, quædam non cognoſcens; ſicuti datur inter corporeas. q.14.art.1.n.23

*Succeſſiua.*

Succeſſiua non bene dicuntur ſtare in æternitate. q.14.art.13.n.55

*Suppoſitio.*

Suppoſitio antecedens, & conſequens, an proſit ad tuendam libertatem poſito decreto prædeterminandi. Vide *Dei voluntatis decretum. Libertas. Libera cauſa. Prædefinitio.*

Suppoſitio conſequens, an ſatis ſaluetur per hoc, quod ordinetur ad conſequens. quæſt. 23. art. 4. n.101

Ex ſuppoſitione antecedente oritur neceſſitas antecedens. q.23.art.4.n.102.104

Suppoſitio actualitatis rei an differat à ſuppoſitione futuritionis, vel præteritionis. quæſt. 14. art. 13. num. 26

T

*Tempus.*

Vide *Dei æternitas.*

Tempus eſſe totum ſimul in æternitate, repugnat. q.14.art.13.n.98

*Tentatio.*

Tentatio quonam modo dicatur peculiariter eſſe à concupiſcentia. q.14.art.13.n.377

*Terminus.*

Terminus actionis vtrum antecedat actionem, an illam conſequatur. q.14.art.8.n.124

Terminus, quem reſpicit relatio veritatis, quinam ſit. q.16.art.1.n.44

Terminatio libera diuinæ voluntatis ad obiecta. Vide *Dei voluntas libera. Dei libertas.*

*S. Thomas.*

S. Thomæ ſenſus, circa ſcientiam approbationis, quid ſit, & quomodo à ſcientia viſionis diſtinguatur. q.14.art.8.n.29

Eius ſenſus circa ſcientiam viſionis, an ſit cauſa rerum. q.14. art.8.n.37.ad 43.& n.82.91.105.110

Eiuſdem ſenſus circa hanc propoſitionem. Scientia Dei de futuro contingente eſt abſolutè neceſſaria. q.14.art.13.n.21

S. Thomæ ſenſus, & dicta, circa coëxiſtentiam creaturarum ad æternitatem. q.14.art.13.n.43.49

Eiuſdem ſenſus circa ſcientiam Dei ex hac futurorum coëxiſtentia. n.50.51.52.53.& num.67.68. 69.70

S. Thomæ exemplum, à nonnullis in alienum ſenſum detortum, de vidente ſimul tranſeuntes ſucceſſiuè, explicatur ex Heruæo. quæſt. 14. art.13. num.77

S. Thomæ exemplum de punctis circumferentiæ coëxiſtentibus centro, redditur vero ſenſui. q.14. art.13.n.78

S. Thomæ mens, cum docet, Deum videre omnia in æternitate. q.14.art.13.n.97

Eiuſdem mens, cum docet, cauſam ſecundam liberam operari vt motam à prima. quæſt.14. art.13. num.101

S. Thomam nullo pacto ſentire, Deum certò videre in ſuis cauſis futura libera. q.14.art.13.n.102

S. Thomas idem putat determinatum ad vnum, ac neceſſarium. q.14.art.13.n.103

S. Thomæ teſtimonia, quæ adducuntur pro ſcientia Dei certa de futuris liberis in ſuis cauſis, explicantur. q.14.art.13.n.114

Eiuſdem teſtimonia docentis, cauſam liberam non determinari ab alio ad actus ſuos, quàm à ſeipſa. q.14.art.13.n.157.& 315. ſaltem ad malos. q.19. art.9.n.12

S. Thomæ teſtimonia, quæ adducuntur pro ſcientia Dei de futuris liberis in ſuo decreto, explicantur. q.14.art.13.n.175

S. Thomæ locus contra influxum primæ cauſæ prædeterminantem. q.14.art.13. n.175. & q.22.art.2. n.1.& 2.& art.4.n.2.& q.23.art.1.n.18

S. Thomæ teſtimonia, quibus probatur, Deum videre futura libera in ſe ipſis. q.14.art.13.n.183

Eiuſdem teſtimonia pro ſcientia conditionalium. q. 14. art.13.num.212. teſtimonia in contrarium explicantur. n.256

S. Thomæ teſtimonia pro ſcientia conditionalium liberorum ordinatorum ante decretum. q. 14. art. 13. n. 342. ad 344. teſtimonia in contrarium explicantur. n.344.ad 365

Eiuſdem teſtimonia contra decretum prædeterminandi materialem entitatem peccati. quæſt. 14. art.13.n.366

S. Thomæ teſtimonia, quæ afferuntur contra vſum ſcientiæ mediæ, ad conciliandam libertatem creatam cum actibus diuinis, explicantur. q.14.art.13. n.536.537.538.539

Eiuſdem mens de iuſtitia commutatiua, an ſit formaliter in Deo. q.21.art.1.n.26.ad 29

S. Thomæ mens de electione ad gloriam, an ſit ex præuiſis meritis, exponitur. q.23.art.1.n.26.

S. Thomæ teſtimonium de immaculata B. Virginis conceptione. q. 25.art.6.n.8

*Timor.*

Quid ſit,& quodnam eius obiectum.quæſt.20.art.1. num.4

*Triſtitia.*

Quid ſit, & quodnam eius obiectum. q.20. art.1. num.5

V

*P.Vaſquez.*

VIndicatur à calumnia Vaſquez dicens, creaturas videri à Deo in ſuo verbo ; non tamen in ſe ipſo obiectiuè viſo, *vt quod.* quæſt. 14. art.5.n.27

Vindicatur à calumnia *illi* adfingentis hanc propoſitionem. Eo modo ſcientia diuina præſupponit futura,quo modo humana ſuum obiectum. q.14. art.8.n.129

Vindicatur itidem ſimulque explicatur in quo ſenſu,tum ipſe,tum P. Arrubal, dixerint. Actus liberos non cauſari à voluntate Dei antecedente, ſed concomitante. q.14.art.8.n.132

Vindicatur à calumnia hæc propoſitio P. Vaſquez. Scientia Dei de futuris eſt neceſſaria neceſſitate conſequenti. q.14.art.13.n.19

Expoſitio P. Vaſquez,de mente Patrum,negantium præſcientiam in Deo, defenditur. quæſt. 14. art.13

Falsò à quibuſdam relatus pro ſententia de certa futurorum liberorum ſcientia in ſuis cauſis. q. 14. art.13.n.100

Falsò ei imponitur Deum non prædefinire actus liberos in particulari. q.14.art.13.n.146

Eius opinio de futuris contingentibus à Deo viſis ex veritate ipſorum, ex infinitate diuini intellectus, explicatur, & defenditur. q. 14. art. 13. n.191

Eius dictum ; quod futura conditionalia diſparata, non ſint ſcibilia ; probatur,q.14. art.13. n.252. & defenditur. n.254.ad 256

Vindicatur à calumnia. q.14.art.13.n.493

Eius opinio de concurſu immediato diuinæ voluntatis in actus noſtros liberos ; declaratur. q. 19. art.4.n.14

Male relatus à quibuſdam, quòd dixerit, diuinam voluntatem determinari ad tale obiectum per externam cooperationem noſtram,explicatur.q.23. art.4.n.76

In quo ſenſu dixerit, Dei voluntatem de concurrendo ad actus naturales, & malos,eſſe concomitantem, non autem antecedentem. q.23.art.4. num.87

*Verbum. Verbi productio.*

Verbum increatum quomodo dicatur procedere per naturam. q.14.art.8.n.6

Verbi increati productio eſt ante præſcientiam conditionalium. q.14.art.13.n.260

Verbum increatum non eſt Idea rerum. q.15.art.1. num.6

Ea Verbi productione non infertur potentia intellectiua in Deo. q.14.art.1.n.56

Verbo cur approprietur liber vitæ. quæſt. 24. art. 1. num.3

*Veritas. Verum.*

Vide *Dei veritas. Relatio.*

Veritas prius conuenit diuino intellectui, quàm rebus. q.14.art.13.n.207

Veritas futuri contingentis vnde habeat ſuam determinationem. q.14.art.13.n.208

Veritas futuri conditionalis quænam ſit. Vide *Futura,&,Dei ſcientia de futuris conting.condit.*

Veritas conditionalis propoſitionis non attenditur penes puram concomitantiam obiectorum, ſed penes dependentiam vnius ab alio. q.14. art.13. n.253

Veritas de præſenti, prius fuit de futuro abſoluto, & ante etiam de conditionato. quæſt.14.art.13. num.253

Veritas tranſcendentalis, & incomplexa explicatur. q. 16. art.1.n.1

Veritas particularis, & complexa explicatur. q. 16. art.1.n.2

Veritas hæc complexa,quæ eſt in operationibus intellectus, non eſt conformitas rei, ſecundum ſe, ad rem, vt intellectum. quæſt. 16. art. 1. num.3

Res non ideò dicitur vera, vel falſa, quia eſt conformis,vel difformis intellectui creato.q.16.art.1. n.3.& 4

Veritas complexa non eſt in rebus, ſed in conceptibus ex Ariſtotele. q.16.art.1.n.4

Veritas complexa non eſt conformitas rei,vt intellectæ, cum re ſecundum ſe. quæſt.16. art.1. num.5

Verum non poteſt explicari per conformitatem ad ſe ipſum. q.16.art.1.n.6

Veritatis definitio ex S. Thoma. q.16.art.1.n.7. ex Iſaac. n.43. ex Auguſtino. n.61

Veritas complexa non eſt in ipſa potentia intellectiua. q.16.art.1.n.8

Neque in verbo mentis. ibid. neque in ſpecie impreſſa. ibid. ſed in actu intelligendi. n.9

Veritas complexa eſt conformitas cognitionis cum obiecto ſecundum ſe. q.16.art.1.n.10

An illud ſit formaliter verum,quod ſignificatur, per propoſitionem veram. q.16.art.1.n.12

Ad veritatem an requiratur motio obiecti effectiua; an ſufficiat formalis. q.16.art.1.n.13

An illud ſit formaliter verum, quod reſpondet vero repræſentatiuo. q.16.art.1.n.14

Veritas quomodo ſit formaliter in cognitione diuina. q.16.art.1.n.15

Veritas noſtræ cognitionis menſuratur etiam ab ente rationis. q.16.art.1.n.16

Veritas practicæ cognitionis in quo conſiſtat. q.16. art.1.n.19

Veritas non menſuratur ſecundum rationem efficientis,& effecti. q.16.art.1.n.19

Veritas Ideati reſpectu Ideæ explicatur. q.16.art.1. num.19

Veritas ſecundæ operationis an ſit conformitas ipſius cum obiecto, vt cognito. quæſt.16.art.1. num.20

Conformitas,in qua ſita eſt ratio veritatis intellectiuæ, non eſt ipſa entitas actus præcisè ; neque eius habitudo tranſcendentalis ad obiectum. q.16. art.1. n.21. ſed aliquid additum ad hæc;non abſolutum ; ſed relatiuum. num. 22. aliquando quidem reale; aliquando verò rationis. n.23

Veritas quando ſit realis ; quando verò rationis. q.16.art.1.n.27

Veritas actus non habetur ante relationem actus ad obiectum formaliter, ſed tantum fundamentaliter. q.16.art.1.n.28

Verum quomodo ſit perfectio intellectus. q. 16. art.1.n.29

Datur in omnibus rebus veritas aliqua tranſcendentalis formaliter, & non tantum denominatiuè. q.16.art.1.n.31

Veritas hęc tranſcendentalis quomodo dicat ordinē ad·



ad intellectum diuinum.q.16.art.1.n.31.explicatur hic ordo. n.33.34

Veritas tranſcendentalis rerum non habetur ſimpliciter per ordinem ad ſecundam operationem intellectus. q.16.art.1.n.32

Verum in quo ſenſu aſſimiletur ſano. q. 16. art.1. num.33

Veritas cur magis tribuatur intellectui, quàm cæteris rebus. q.16.art.1.n.36

Veritas tranſcendentalis non conſiſtit in aliquo negatiuo. q.16.art.1.n.37

Verum eſt nomen poſitiuum,& ſignificatur per poſitiuum. q.16.art.1.n.39

Rei veritas, & rei puritas,quid differant.q.16.art.1. num.39

Conceptus poſitiuus veritatis tranſcendentalis non eſt abſolutus diſtinctus ab ente. q.16.art.1.n.40. Neque cum ente identificatus. n.41. Sed eſt formaliter reſpectiuus. n.42

Verum formaliter importat paſſionem, non autem ſubiectum. q.16.art.1.n.43

Veritas eſſentialiter terminatur ad rationem menſuræ. q.16.art.1.n.44

Quænam conformitas ſit formaliter veritas. q.16. art.1.n.45

Veritatis ſubiectum non eſt menſura,ſed menſuratum. q.16.art.1.n.46

Menſura ad quam veritatis tranſcendentalis relatio terminatur, non ſunt intrinſeca rei principia ſine vllo ordine ad intellectum. quæſt. 16. art. 1. num.47

Veritas tranſcendentalis an terminetur formaliter ad rem conceptam, an potius ad conceptionem. q.16.art.1.n.48

Menſura, ad quam veritatis tranſcendentalis relatio terminatur, eſt ipſa res vt cognita. q. 16. art. 1. n.49. non tamen ab intellectu creato. n. 50. ſed diuino. n.51.63

Verum in quo ſenſu dicatur ab Ariſtotele, eſſe in mente. q.16.art.1.n.49.& art.3.n.5

Veritas conuenit etiam rebus non exiſtentibus.q.16. art.1.n.51. & quomodo. n.58

Veritas materialiter conuenit rebus,ſi præſcindatur ordo ad diuinum intellectum. quæſt. 16. art. 1. num.52.62.67

Ad cognoſcendam veritatem rerum, an ſit neceſſarium cognoſcere diuinum intellectum intuitiue. q.16.art.1.n.53

Veritas quomodo ſuſcipiat magis, & minus. q.16. art.1.n.54

Veritas tranſcendentalis an ſit etiam in falſis conceptionibus, & in artefactis vitioſis. q.16. art.1. num.55

Veritas tranſcendentalis an ſit quid diſtinctum ab ipſa rerum intelligibilitate. q.16.art.1.n.57

Veritas an ſit perfectio ſimpliciter ſimplex. q. 16. art.1.n.61

Verum formaliter ſumptum non eſt obiectum intellectus. q.16.art.1.n.64

Veritatis tranſcendentalis fundamentum non eſt ipſa entitas vt realis, ſed prout ſtat ſub apprehenſione. q.16.art.1.n.65

Veritas in repræſentando eſt ſolum intrinſecè in intellectu ; in rebus verò, non niſi cauſaliter. q.16. art.1.n.69

Veritas in eſſendo eſt formaliter in omni re. q.16. art.1.n.70

Veritas eſt in rebus,& in intellectu, ſicuti ens in accidente,& ſubſtantia. q.16.art.1.n.70

Veritas tranſcendentalis principaliter eſt in diuino intellectu. q.16.art.1.n.71

Veritas tranſcendentalis continet duplex genus veritatis. q.16.art.1.n.72

Veritas in intellectu an cauſetur à veritate rei.q.16. art.1.n.73

Res per quid dicatur vera. q.16.art.1.n.74

An in eo ſit principaliter ratio veri, in quo eſt ratio entis. q.16.art.1.n.75

De qua veritate fiat quæſtio, cum quæritur ; vtrum veritas ſit in intellectu componente, & diuidente. q.16.art.2.n.1

Veritas in repræſentando quomodo competat primæ operationi. q.16. art.2. n.4. quomodo etiam ſenſibus. n.5

Veritatis tranſcendentalis duplex conceptus. q.16. art.2.n.7

Veritas,quæ peculiariter competit ſecundæ operationi, non eſt conformitas cum obiecto ſecundum ſe. q.16. art.2. n.15. ſed conformitas vt cognita. n.16

Veritas cognita in actu ſignato, vel exercito, explicatur. q.16.art.2.n.16

Verum,& ens conuertuntur. q.16.art.3.n.1

Non entia quomodo dicantur vera. quæſt.16. art.3. num.1

Verum ſupra ens addit comparationem ad intellectum. q.16.art.3.n.2

Verum tranſcendentale conuertitur cum ente ſubſtantialiter ; intellectuale vero repræſentatiue. q.16.art.3.n.3

Verum conuertitur cum ente denominatiuè. q.16. art.3.n.4

Verum ſecundum modum ſignificandi primariò importat ens ; ſecundario verò relationem conformitatis. q.16. art.3.n.5

Verum directè importat ſubiectum, in obliquo autem formam. q.16.art.3.n.6

Verum,quoad rem ſignificatam, importat primariò relationem conformitatis ; ſecundariò ens. q.16. art.3.n.7

Ratio veri eſt prior ratione boni.q.16.art.4.n.1.aliquo etiam modo poſterior. n.2

Verum cur immediatius reſpiciat eſſe, quàm bonum. q.16.art.4.n.1

Verum eſt poſterius vno. q.16.art.4.n.3

Veritas intellectiua eſt multiplex,pro multiplicitate intellectuum, & rerum cognitarum. q.16. art. 6. num.1

Veritas tranſcendentalis vna eſt,quæ denominat res omnes veras. q.16.art.6.n.2

Verum comparatur ſano. q.16.art.6.n.4.comparatur enti. ibid.

Veritas æterna neceſſariò dicit æternum intellectum. q.16.art.7.n.1

Veritas creata non eſt æterna in intellectu creato. q.16.art.7.n.2. eſt tamen in diuino. n.3

Veritas diuini intellectus eſt omninò immutabilis. q.16.art.8.n.1. ſecus veritas creati. n.2

Veritas quomodo mutari poſſit. quæſt. 16. art. 8. num.2

Nulla res, etiam mutabilis, mutatur de vera in falſum reſpectu diuini intellectus ; licet reſpectu creati mutetur. q.16.art.8.n.3

Explicatur ſenſus illius propoſitionis. *Verum & falſum ſunt circa idem.* q.17.art.1.n.1.& 7

*Virtus.*

Conceptus virtutis præcisè nullam inuoluit imperfectionem,habitus, qualitatis, &c. q. 21. art. 1. num.4

Vt aliqua virtus, quæ eſt in creaturis, dicatur eſſe formaliter in Deo, quid requiratur. q. 21. art. 1. num.24

*Vita*

*Vita æterna.*

Vide *Gloria. Liber vitæ.*

*Vita.*

Vita non conuenit omnibus naturalibus. quæſt. 18. art.1.per totum.

Vitaliter moueri quid ſit. q.18.art.1.n.3

Vitæ nomen potiùs ſignificat eſſentiam, quàm operationem. q.18.art.2

*Vocatio.*

Vocatio efficax cur dicatur à Paulo, & Auguſtino *ſecundum propoſitum.* q.14.art.8.num.296. & q.23. art.1.n.63.& art.2.num.22.& art.4.n.71.& 73

Vocatio an ſit prior electione, an potiùs poſterior. q.23.art.1.n.65

Vocatio duplex; altera electorum; altera reproborum. q.23.art.2.n.22

*Voluntas. Volitio.*

Vide *Libertas.*

Voluntatem ferri circa bonum, quid ſit. q.14.art.8. num.28

Volunras creata, ſaltem in actibus peccaminoſis, operatur determinando ſe ipſam. q.14. art.13. num.148

Vide *Determinatio.*

Voluntatis noſtræ bonus vſus vnde ſit. q.14.art.13. n.441

Voluntas an neceſſariò conſequatur, intellectum, atque adeò valeat conſequentia, *Eſt in hoc viuente intellectus; ergo & voluntas.* q.19.art.1.n.1.& 2

Volitio non procedit ab intellectione. q. 19. art. 1. num.7

Voluntas habet etiam tendere in aliqua obiecta per modum naturæ. q.19.art.3.n.2

Voluntas immediatiùs reſpicit opus, quam intellectus. q.19.art.4.n.4

Voluntas, ſi ceſſet ab actu, cum ſint omnia requiſita ad actum, arguit defectum prouidentiæ, & diligentiæ. q.19.art.7.n.7

Voluntas non poteſt per actum proſequutionis ferri in malum, ſub ratione mali, ſed ſolum per actum fugæ ab illo auerti. q.19.art.9.n.1.2

Bonum, & malum quomodo ſint obiectum voluntatis. q.19.art.9.n.2.3

Voluntas non ordinat vnum ad aliud, ſed fertur in obiecta ordinata ab intellectu. quæſt.23.art.1. num.11

Voluntas præſupponit obiectum beatificum iam poſſeſſum ab intellectu. q.26.art.2.n.4

Amor eſt primus & vniuerſalis actus voluntatis. q.20.art.1.n.1

Voluntatis actus ſimul neceſſarius & liber eſt in beatis. q.19.art.3.n.12

*F I N I S.*